This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

THE
PENNSYLVANIA
STATE UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT:

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

LUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES GRÆCA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA AD PHOTIUM,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA; LATINA, JAM INTEGRE EXARATA, VIGINTI ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM CUM VERSIONE LATINA LATERALIS COMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR, UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM, CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS VII. PARS PRIOR.

SANCTUS IRENÆUS, EPISCOPUS LUGDUNENSIS ET MARTYR.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

1857

Digitized by Google



Digitized by Google

SÆCULUM II.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΕΛΕΓΧΟΥ ΚΑΙ ΑΝΑΤΡΟΠΗΣ ΤΗΣ ΨΕΥΔΩΝΥΜΟΥ ΓΝΩΣΕΩΣ

ΒΙΒΛΙΑ ΠΕΝΤΕ.

—

SANCTI IRENÆI

EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS

DETECTIONIS ET EVERSIONIS FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

POST FRANCISCI FEUARDENTII ET JOANNIS ERNESTI GRABII RECENSIONEM CASTIGATI DENUO AD MSS. CODICES ROMANOS, GALLICANOS ET ANGLICANOS, NECNON AD ANTIQUIORES EDITIONES, ET A MULTIS, QUIBUS SCATEBANT, MENDIS EXPURGATI; AUCTI NOVIS FRAGMENTIS; OBSERVATIONIBUS AC NOTIS COPIOSISSIMISQUE GLOSSARIIS ET INDICIBUS ILLUSTRATI ET LOCUPLETATI; QUIBUS OMNIBUS PRÆMITTUNTUR TRES DISSERTATIONES IN QUIBUS HÆRESES AB IRENÆO MEMORATÆ ET LOCI DIFFICILES EXPLICANTUR, EJUSQUE VITÆ AC GESTORUM HISTORIA DISCUTITUR;

STUDIO ET LABORE

DOMNI RENATI MASSUETI

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI.

ACCURANTE ET RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORUM.

VENIT 12 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1857

458925

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO VII CONTINENTUR.

S. IRENÆUS LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

Prolegomena. *Col.* 9
Adversus hæreses libri quinque. 433
Fragmenta deperditorum operum S. Irenæi. 1225
Appendix ad Irenæi libros contra hæreses, continens Gnosticorum quorum meminit S. martyr fragmenta. 1263
Præfationes, prolegomena, notæ et observationes eorum omnium qui novas Irenæi editiones aut publicaverunt aut illustrarunt. 1321

Ex Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Ex omnibus sanctorum Patrum operibus, vix ulla esse Irenæi scriptis bonorum omnium veneratione, studiis, lectione ac curis digniora, mecum ultro fatebitur quisquis Christianarum rerum non omnino rudis exstiterit. Quæcunque enim ad auctoritatem scriptoribus ecclesiasticis comparandam præcipua sunt, ea omnia sanctissimum hunc Lugdunensium episcopum, splendidissimumque quondam Galliæ nostræ lumen commendant. Si antiquitatem spectemus, *vir apostolicus* [1] fuit, *vicinus apostolorum temporibus* [2], et ab apostolorum discipulis institutus; si doctrinam, *omnium doctrinarum curiosissimus explorator* [3] exstitit, *rectæ semper catholicæque doctrinæ propugnator* [4] strenuissimus, et in Scripturæ sacræ priorumque Patrum lectione apprime, ut ubique clamant ejus scripta, versatus; si sanctitatem denique, *vir omnino Spiritus sancti donis ac cœlestibus ornamentis instructus fuit* [5], cujus scripta, ut Erasmi verbis utar, spirant priscum illum Evangelii vigorem, ac phrasis arguit pectus martyrio paratum; quem sanctissimi martyres Lugdunenses epistolis suis magnifice commendant; quem denique morum integritas in Pothini primi Lugdunensium episcopi locum suffecit. E pluribus vero quæ reliquerat doctrinæ pietatisque monumentis supersunt libri quinque quos scripsit adversus hæreses Gnosticorum, quæ ejus tempore in regione Lugdunensi, cui præerat, grassari jam cœperant; eo pluris æstimandi, tum quod ex tot et tantis quibus Christianam fidem illustraverat operibus, nihi aliud fere sit reliqui; tum quod pretiosæ sint apostolicæ ætatis reliquiæ, quibus ea, quam discipulis suis tradiderant apostoli, et ab his acceperat Irenæus, doctrina et facile deprehenditur, et ad nos illibata transmittitur. In iis siquidem præcipua quæque catholicæ, quam hodienum profitemur, fidei dogmata de mysteriis sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis, de sacramentis, ecclesiastica hierarchia, divina episcoporum institutione, traditionis auctoritate, Petri ejusque successorum suprema dignitate ac primatu, etc., diserte adeo explicantur et confirmantur, ut non veteres tantum, sed quotquot ab apostolicis temporibus ad nostra usque emerserunt hæreses hinc radicitus exstirpari ac funditus everti valeant. Eapropter a Gregorio Magno diu ac sollicite quæsiti, et a SS. Patribus ac piis quibusque catholicis tam sedula manu versati, et eo studiosius perlecti sunt, quo puros apostolicæ doctrinæ latices a fontibus recentes haurire volupe fuit. Hinc ex quo renata in Occidente bonarum litterarum studia, resurgente simul in Irenæi lucubrationes amore, nihil prius habuerunt ii, quibus sacra antiquitas cordi fuit, quam ut eas e bibliothecarum tenebris erutas typis committerent, publicique juris facerent.

Prima omnium editio est quam Basileæ procuravit Desiderius Erasmus anno 1526, ex tribus exemplaribus; uno quod Romæ descriptum ad eum misit Joannes Faber, duobus aliis e monasteriis commodato præbitis. Quid insuper in hac editione præstiterit, monet in sua epistola nuncupatoria ad Bernardum de Gloss episcopum Tridentinum, postea creatum cardinalem a Clemente papa VII, anno 1529, quam ad editionis nostræ calcem reponi curavimus. At ut homini de litteris cæteroquin tam bene merito plurimum debetur, quod Irenæi libros primus luce donaverit, ita dolendum quod melioribus codicibus destitutus plura præstare non potuerit. Tot enim mendis, lacunis, mutilisque ac depravatis periodis scatet ejus editio, ut Irenæus sæpe in ipso Irenæo quæratur, illiusque sententiam assequi difficile sit. Secundam curavit Nicolaus Gallasius, Calvinianorum Genevensis minister, qui eam Genevæ evulgavit anno 1570. Sed, quamvis errata, collatis exemplaribus, a se emendata fuisse dicat; cum eadem tamen, quæ apud Erasmum, occurrant, palam est nullos consultos fuisse mss. codices. Novæ duntaxat veteribus additæ capitum summulæ, et inserta quæ

[1] Hieron., in cap. LXIV Isa. [2] Basil., lib. De Spirit. S., c. 29. [3] Tertull., lib. cont. Valent., cap. 5. [4] Euseb., lib. III Hist., cap. 23. [5] Epiphan., hær. 31, § 33.

Digitized by Google

Græce ex Irenæo transcripsit Epiphanius, cum nova interpretatione Latina, eaque parum accurata. Unde Gallasii, ut videtur, consilium fuit, non tam ut cultior et emendatior prodiret Irenæus, quam ut prolixis ex Calviniana doctrina notis viri sanctissimi sententia circumveniretur, et veterum hæreseon triumphator reluctans ad novam traheretur, aut maledictis laceraretur. Gallasium excepit Joannes Jacobus Grynæus ex eadem secta, qui novam Irenæi librorum editionem Basileæ anno 1571 curavit, a præcedentibus nihil diversam; nisi quod antiquam priorum libri primi capitum, quæ Græce refert Epiphanius, interpretationem Latinam temere sustulerit, ut Jani Cornarii versionem substitueret, omisso textu Græco; novaque singulis capitibus argumenta, veteri servata divisione, præmitteret. Iis omnibus emendatior quæ Francisci Feuardentii, ordinis Minorum, in sacra Facultate Parisiensi doctoris, opera et studio, Coloniæ, anno 1596, prodiit, ibidem ac Parisiis deinceps sæpius recusa. Ea enim quæ typis Nivellii anno 1575 et 1576 prodierat, a priorum editionum vitiis nondum satis expurgata erat. Nam præterquam quod textum Latinum ad Vaticani, et veteris alterius optimæ notæ codicis ms. fidem comparatum pluribus in locis restituit, lacunas supplevit, ac quinque postremis libri quinti capitibus hactenus desideratis auxit; libri primi priora decem et octo capita, ab Epiphanio quondam ex Irenæo Græce descripta, aliorumque Fragmentorum Græcorum ex variis auctoribus erutorum copiam non pœnitendam verbis Latinis adjunxit, subjectis etiam doctissimis Jacobi Billii et Frontonis Ducæi observationibus. At ut prioribus perfectior, nec ipsa tamen numeris omnibus absoluta, imo nec paucis nec levibus vitiis laborat Feuardentiana hæc editio. Ut enim nihil de notis dicatur, eruditis quidem, ut ea ætas ferebat, sed prolixioribus et a proposito longius excurrentibus, nihilque aut parum omnino ad textus elucidationem conducentibus; eum in locis bene multis nec feliciter restituit, infelicius explicavit, in pluribus ne quidem quid posset expertus est: ita ut post Feuardentii curas sexcenta superessent, quibus medicam manum admoveri necesse erat; quorum tamen non pauca emendavisset facili negotio, si codices mss. quibus usus est, paulo attentius consuluisset. Omitto quæ in ea editione desiderantur adminicula, quibus lectoris labor minuatur, eique via ad facilius investigandum et assequendum auctoris sensum muniatur.

Prodiit tandem anno 1702, Oxonii in Anglia, nova, accuratior et elegantior operum Irenæi editio, studio et opera viri clarissimi Joannis Ernesti Grabe, variorum ipsiusque notis illustrata, et novis Fragmentis locupletata. Quin ex ejus laboribus sæpe profecerimus, dissimulare nec possumus nec volumus. Hanc editionem commendat typorum elegantia, in exquirendis ac colligendis novis Fragmentis Græcis non indiligens cura, et in emendandis locis aliquot felix conjectura. Verum quod in Feuardentio et Gallasio eruditis displicuit, idem viro clarissimo accidisse quisque agnoscet. Nam illius exemplo meliora sæpe cum vidisset probavissetque, deteriora tamen secutus, vitiosas, aut minus sanas lectiones amplexus est, obviis et nativis in marginem rejectis: ac longe plura, quam emendaverit, loca manifeste corrupta ne tentavit quidem, aut plane infeliciter. Gallasium vero imitatus, Ecclesiæ Anglicanæ, cui se adjunxit, dum studet impensius, potior illi cura fuisse videtur, ut Irenæum etiam invitum et reluctantem Anglicanæ sectæ adjungeret, quam ut opus castigatius daret et emendatius. Hinc tot notarum fastidiosa prolixitas, ut levissima quæque verba, sæpissime nihil ad rem facientia distorqueat: in aliis vero locis parcior, Feuardentii, et aliorum notis, iisque nullo delectu ascitis, nihilque ad textus intelligentiam conferentibus, margines inferiores refercit; proprias suas, si quæ sunt, eruditas licet, cum tamen eruditionis illa supellex ad auctoris sententiam illustrandam parum pertineat, lectorum exiguo fructu auxit majorem in modum. Hic taceo, quod in Dissertatione secunda commodius exponam, quod in Oxoniensi editione servata veteri quidem, Irenæo tamen longe recentiori, at inepta prorsus capitum sectione, lemmata interdum pro arbitrio sustulerit, transtulerit, dissecuerit, pluribusque non raro simul, non sine dispendio plurium capitum jam lemmatibus truncatorum, congestis, vel iisdem bis aut ter repetitis, confusionem magis auxerit, quam minuerit clarissimus Grabius. Quid, quod Fragmenta Græca suis quidem locis opportune inserta, sed ita incommode disposita sint, ut perpetuo velut circuitu per paginas oberrare teneantur lectorum oculi, incerti sæpe quo ferri debeant? Sed hæc forte typographo-

Digitized by Google

rum culpa est, quibus etiam id imputare debemus, quod tanta sit illius editionis in transmarinis regionibus penuria, ut, cum non sine maxima difficultate, majorique pretio comparari posset, eam prelis suis subjicere meditarentur Bibliopolæ Parisienses et Amstelædamenses.

Itaque viris doctrina et pietate conspicuis visum est non utilem modo, sed necessariam esse novam Irenæi editionem, quæ et accuratior esset, et a Catholicis inoffenso pede decurri posset. Id laboris a quopiam e nostris suscipi cupierunt; rati videlicet, nec immerito, Irenæum, Apostolicum illum virum, *Occidentalium Gallorum lumen*, ut vocat Theodoretus [a], tantæque auctoritatis scriptorem, non mereri minus quam reliquos, ut in ejus operum accurata editione nostra versaretur industria; et quod in aliis non pœnitendo successu, quæ ex congregatione nostra prodierant, editionibus præstitum est, in ista quoque, non minus operosa quam necessaria, præstare conaremur. Id igitur oneris impositum mihi, detractatum quidem diutius, subii tandem. Quid vero præstare conatus fuerim, paucis explicandum. Tria mihi potissimum præstanda esse duxi; textum emendare ac pristino decori, ut fieri potest, restituere; eumdem illustrare; ac demum ea omnia lectoribus parare subsidia, quibus labor eorum minuatur. Ad primum quod attinet, cum Græcus Irenæi textus, maxima ex parte, temporum injuria, dudum perierit, unusque fere supersit Latinus, jam instar archetypi; in hunc curas omnes contuli, ut emendatissimus, quam fieri poterat, et ab inspersis librariorum culpa nævis abstersus prodiret. Hunc ad novos tres mss. codices, a nullo hactenus recensitos, attentissime exegi. Primum e Bibliotheca Claromontani Collegii Soc. Jesu acceptum, utendum mihi præbuit vir doctissimus, cujus humanitatem nunquam non experti sumus, R. P. Joannes Harduinus, eidem Bibliothecæ præfectus. Is optimæ notæ codex, cum ante annos ut minimum 800 scriptus sit, teste eruditissimo piæ memoriæ D. Joanne Mabillonio, perito, si quis unquam, talium rerum æstimatore, omnium, ad quas priores editiones factæ sunt, videtur antiquissimus. Mutilus tamen est; avulsis enim postremis foliis pluribus, extremis fere decem capitibus decurtatus manet liber quintus. An casu, an improvido scioli cujuspiam (cui forte displicuerit Millenariorum error ab Irenæo propugnatus) zelo id acciderit, obscurum est. Certum est integrum olim fuisse codicem, cum pars vicesimi sexti capitis adhuc supersit. Cætera deinceps ad libri finem interierunt. Hinc Claramontanum codicem diversum esse a Feuardentiano manifestum videtur: hic enim integer fuit, ille vero multo emendatior. Alterius codicis varias lectiones toto libro primo et prioribus octo libri secundi capitibus Passeratii manu descriptas ad oram unius exemplaris editionis Erasmi, ab uno e reverend. Patribus Dominicanis vici S. Honorati, hujus urbis, amico meo accepi. Quin e ms. codice, eoque perantiquo, ac bonæ notæ, et a Feuardentiano, Claromontano et Vossiano diverso excerptæ sint, nullus ambigendi locus mihi est, nec aliis erit, qui eas cum laudatorum codicum lectionibus contulerint. Quis sit ille codex, et ubi nunc delitescat, hactenus deprehendere non potui; amissum non adeo ægre ferrem, si cæteras varias lectiones ad libri sui marginem notare perrexisset Passeratius. Tertius codex quo usus sum, recens ac chartaceus, annos quadringentos non excedit, nec posteriora quinque libri quinti capita continet. Is Romæ asservatur in Bibliotheca eminentissimi cardinalis Ottoboni; quem quidem vir optimus, ac de litteris tam bene meritus D. Bianchinus, pro singulari sua in nos humanitate, communicavit cum RR. PP. domno Guillelmo La Parre, Congregationis nostræ in curia Romana procuratore generali, ejusque socio D. Claudio de Vic, qui varias ejus lectiones pro sua benignitate describere et ad me transmittere dignati sunt.

In subsidium accesserunt ii codices, quibus in adornandis editionibus suis usi sunt tum Franciscus Feuardentius, tum clarissimus Joannes Ernestus Grabius, quorum varias lectiones ad oram editionis suæ non indiligenter (Grabius præsertim) ascripserunt. Et quidem veterem illum, quo Feuardentius usus est, frustra quæsivimus, neque utrum perierit, an in alicujus Bibliothecæ forulis delitescat, scire potuimus. Sunt qui existimant eum in Vossii manus devenisse; sed utriusque lectiones conferenti, diversos esse statim apparebit. Alium codicem in Bibliotheca Vaticana asservatum citat Latinus Latinius, variasque ejus-

[a] Theodoret., Dial. 1, pag. 33.

Digitized by Google

dem lectiones refert, et post eum Feuardentius; sed jam in illa Bibliotheca desiderari, tum ex iis qui eam diligenter perlustrarunt, tum ex amicorum litteris accepi. Quatuor, ut dixi, mss. codicibus usum se esse profitetur Grabius, illo nimirum qui Isaaci Vossii fuit, optimo codice supra laudato, quem accuratissime cum exemplari Feuardentii contulit Dodwellus, indeque collectas varias lectiones cum eodem Grabio communicavit; Arundeliano, in Bibliotheca Regiæ societatis Londini jam asservato, quem quadringentorum annorum esse arbitratur; et apographo variantium lectionum, quas a Josia Mercero olim e duobus mss. codicibus, nescio quibus, ait Grabius, erutas, idem Vossius Dodwello describendas dederat. Sed neque Grabius, neque Vossius, neque alius quisquam, præter Josiam Mercerum, duos illos codices vidisse se dicit, nec ubi jam exstent indicat. Quas vero ex apographo refert eorumdem varias lectiones Grabius, secum illæ adeo in omnibus fere consentiunt, ut ex une et eodem codice excerptæ esse videantur, aut saltem ex duobus, quorum alter ex altero descriptus fuerit; uterque vero, si duo sint, ex recenti codice, eoque non adeo bonæ notæ. Et nisi me fallat conjectura, puto Ottobonianum codicem superius memoratum, esse ipsum autographum ex quo primum transcriptum fuerit apographum, et ex hoc aliud; utramque vero cum in Josiæ Merceri manus devenerit, ceu totidem diversos codices habuit. Quæcunque enim ex Ottoboniano lectiones mihi Roma transmissæ sunt, eædem fere sunt, quas Grabius ex duobus illis Merceri codicibus allegat. Quare licet a nobis lectiones illorum codd. variæ ex Grabio adducantur; ne tamen illis plus fidei attribuant quam mereantur (merentur autem exiguam), monitos lectores velim. Arundelianus codex interpolatus fuisse videtur sive a librario ipso, sive ab aliquo recentiori; quod verisimillimum agnoscet quisquis ejusdem lectiones diligenter perpenderit. Unde superest unus Vossii codex, cujus nutare non possit fides. Et revera collatis ejusdem lectionibus cum Claromontanis, et iis quas ex veteri suo codice refert Feuardentius, antiquum esse et bonæ notæ deprehendi; in eoque cæteris omnibus, qui jam supersunt, præcellere, quod solus, Grabio teste, posteriora quinque libri quinti capita contineat. Nec proinde dubitavi, ubi tres istos, omnium antiquiores et meliores, consentientes habui, textum eorum auctoritate restituere, ipsisque, spretis aliis, ad amussim adhærere, nisi apertas corruptionis notas præ se tulerint.

Præter mss. codices, edita exemplaria, antiquiora præsertim, consulere non piguit, eaque interdum, ubi mss. codices vel depravati, vel minus sani esse videbantur, præponere. Sic factum ut Irenæi textum plurimis adhuc in locis vel scribarum seu imperitia vitiatum, seu oscitantia mutilatum, vel sciolorum audacia redundantem, aut interpolatum, castigarim; additis quæ deerant, resectis quæ abundabant, recte distinctis quæ male cohærebant: adeo ut pauca jam mihi superesse videantur, in quibus lectionis difficultas lectorem possit remorari. Ubi vero manifesta fuit exemplarium depravatio, hanc vel ex Græcis verbis, si illorum copia fuerit, vel ex aliis parallelis locis, in quibus occurrunt eadem prorsus repetita verba, vel ex conjecturis aliunde certis, adhibito etiam doctissimorum hominum consilio, emendare non dubitavi. Id tamen rarius, et tanta religione factum est, ut vulgata lectio, quantumvis aperte corrupta, ad oram libri servetur; deinde ut ea licentia intra singulares voces, et non tam Latini interpretis, quam librariorum culpa depravatas constiterit; ad dubias nunquam pervaserit, longe minus ad integra commata vel periodos integras; quibus novas, Græci textus vel alterius cujuscunque paralleli loci auctoritate substituere nefas duxissem. At ubi sanior ille visus est, id observare, novamque interpretationem, veteri Latina accuratiorem, dare operæ pretium visum est, sed in inferiorem marginem translatam; ita ut vetus lectio sedem auctoritatemque suam retineret. Varias, quæ alicujus momenti forent, lectiones infra ascripsimus, indicatis unde sumptæ sunt codd. Si quid ex eorum fide mutandum supplendumque visum est, lectores monere, mutationisque rationes afferre non negleximus, tanta cum religione, ut verendum sit ne arguta nimium aliquibus diligentia nostra videatur; sed præstat hic diligentiam culpari, quam desiderari. Ne tamen actum ageremus, priorum editionum errata omnia, quæ jam correxerat Feuardentius, revocanda esse non putavimus: unam Feuardentianam editionem, quæ omnium manibus te-

Digitized by Google

rebatur, emendandam esse censuimus; iis duntaxat observatis et inter varias lectiones recensitis, quæ in aliis editionibus præcipua et saniora esse videbantur.

Non minor in recognoscenda ea parte Græci textus, quæ exstat, cura fuit adhibita, quamvis deficientibus mss. minori successu. Quin Græce scripserit Irenæus, ejusque libros in Latinum sermonem, quem modo habemus, converterit imperitus aliquis ac barbarus interpres, vix dubitatur; id abunde probatum est in secunda Dissertatione, quæ Præfationem excipiet, ad quam lectorem remitto. Cum autem textus Græcus integer, temporum injuria, jam dudum perierit, supererat ut dispersa undique Fragmenta conquirerentur; quod et sollicite factum est. Quæcunque enim seu veteres conservarunt, seu recentiores ediderunt, seu aliæ editiones exhibent Irenæi Fragmenta, sive eorum quæ supersunt, sive quæ interierunt, operum, ac nova protulit clarissimus Grabius, ex variis auctoribus tum editis, tum manuscriptis eruta; et nostra hæc exhibet editio, sed interdum auctiora et emendatiora, iis additis quæ ipse collegi, vel amici suppeditarunt; omnia eo ordine collocata atque disposita qui Feuardentiano et Grabiano longe commodior sit. Græcas Bibliothecæ Regiæ et Colbertinæ Catenas, aliosque earumdem codices mss. Græcos, quos in notis suo quemque loco indicavi, consului, ac per diligentes amicos Græceque doctos expendi curavi; quæque ex iis transcripta, sive a Combefisio, sive a Grabio, sive ab aliis edita sunt, a me recognita sunt omnia, nec semel correcta et restituta. Quæ vero ex Epiphanio excerpta sunt, cum ejusdem Bibliothecæ Regiæ codice uno chartaceo, eoque recenti ac mendoso (nec enim melior occurrebat), denuo post Petavium contuli, et a quibusdam, quæ doctissimi viri diligentiam fugerant, erratis expurgavi. Ut et cum Vaticano codice (alios enim mss. Epiphanii *Panarii* codices Græcos non novi) conferrentur, nihil quod in me fuerit prætermisi; sed nullus Græce doctus qui tantillum laboris, paucorum certe dierum, suscipere dignaretur, Romæ, ubi tamen plures sunt, reperiri potuit. Cæterum quæ Irenæi Græca ab Epiphanio descripta Jacobus Billius in Latinum sermonem convertit, quia longe elegantius accuratiusque vertit, quam vetus interpres Latinus; illius interpretationem, jam Feuardentii editioni Coloniensi anni 1596 et Parisiensibus deinceps insertam, et in nostra e regione veteris adjunximus, ut altera ex altera illustretur. Alia vero pauca Irenæi Fragmenta Græca, quæ Billius itidem vertit, quæque sic conversa Feuardentius editioni suæ inseruit, et nostræ pariter inserui voluissemus; sed cum hæc versio cum veteri citra confusionem componi non potuisset, eam omittere coacti sumus.

Irenæi textum a mendis purgare parum fuisset, nisi recte distinctus atque divisus prodiret. Distinctioni consulunt consuetæ distinctionum notæ apte, quantum licuit, quæque suis locis repositæ; divisioni vero nova capitum sectio, novaque singulis præfixa lemmata. Factum id, quod vulgata divisio, et antiqua lemmata non Irenæo, sed imperito cuipiam recentiori tribuendo certissime videantur, ut in Dissertatione secunda probatum satis existimamus: tum quod sectiones capitum sæpe absurdissimæ sint, non minus quam argumenta, quæ auctoris sententiam obscurant potius quam repræsentant. Nihil tamen actum est, nisi ex doctissimorum hominum consilio, idque in prioribus quatuor libris duntaxat; nam in quinto, Feuardentiana divisio et lemmata fere servata sunt. Quin et singula capita in plures paragraphos seu numeros divisa sunt, affixis ad marginem brevibus summulis, quibus quid quisque præcipuum complectatur, lector uno velut intuitu conspiciat. Ne tamen, qui veteri divisioni in citandis capitibus assueti sunt, ex nova turbentur, Feuardentiana, quæ jam communior, ad marginem servata est, cum asteriscis in textu, quibus Feuardentianorum capitum initium et finis designetur; quorum etiam argumenta integra initio operis comparata cum novis exhibentur.

Alterum quod pro officii ratione agendum mihi hac in editione duxi, textus illustrationem spectat. Cum enim vel ex tractati argumenti difficultate, vel ex Latini interpretis imperitia, obscurissimus interdum sit Irenæus; textum emendare, emendationumque rationem reddere satis esse non videbatur, nisi etiam caligo verbis offusa dispelleretur. Monet Irenæus ipse [1], *portentuosissima et altissima esse* Gnosticorum *mysteria*.

[1] Iren., Præf. l. 1, p. 3.

Digitized by Google

quæ non omnes capiunt. Hæc quidem, quam dilucide fieri poterat, aperit et confutat, sicque toto opere insectatur, ut ab iis nunquam oculos averiat ; ita tamen ut qui his in rebus mediocriter versati sunt, totumque tum auctoris scopum, tum adversariorum ejus hypothesim non satis attente considerant, interdum animi pendeant, incerti vel quid significent salebrosæ et obscuræ, sed ut plurimum interpretis culpa, sermonis ambages, vel quorsum spectet oratio. His cum præ cæteris consulendum fuerit, eorumque tædio ac labori parcendum, difficilia quæque loca subjectis textui notis, quam brevissime potui, explicare conatus sum ; ascitis etiam doctorum virorum observationibus, quæcunque ad auctoris intelligentiam conducere visæ sunt, sed laudato semper auctorum nomine. Si quando vero frequentiores et fusiores videantur esse notæ, id tribuendum argumenti difficultati, quam paucioribus expedire non valui ; veritus ne, dum brevis esse studerem, obscurus fierem. Accedit quod cum varia et multa e sacris utriusque Testamenti codicibus testimonia proferat Irenæus, quæ cum ex alia versione sint, discriminis nonnihil habere videbantur ; id observare in gratiam Scripturæ sacræ studiosorum operæ pretium visum est Qui autem ejusmodi notis et observationibus non indigent eruditi, eas prætermittere, Irenæumque continenter legere possunt ; in inferiori quippe margine positæ a textu facile sejungi queunt. Non commisi tamen, ut margines gravarem iis notis, quæ ad eruditionis (in me certe exiguæ) ostentationem duntaxat, vel ad dogmata et fidei controversias pertinent, nisi quando paucis verbis absolvi potuerunt ; ratus videlicet, proprioque doctus experimento, lectoribus nihil molestius, quam ut singulis fere vestigiis, interpositis moris, insistere cogantur. Satius esse duxi, ea quæ fusiori et accuratiori examine indigebant, non quidem in ipsa Præfatione, ne in immensum cum rectæ methodi dispendio cresceret ; sed in singularibus Dissertationibus pertractare, in quibus res quæque suo ordine, et continua serie expenderentur. Tres igitur operi præmisi : in prima de iis omnibus, quam accuratissime potui, disserui, quæ ad hæreticorum, contra quos scribit Irenæus, personam, ætatem, mores, scripta et dogmata pertinent ; fontes e quibus impura doctrina profluxerit, aperui ; *altissimaque* eorum *mysteria* scrutatus, quid sub ænigmatico verborum cortice delitesceret, retegere conatus sum. In secunda quidquid de Irenæi vita et gestis, martyrio, scriptis, ac potissimum de quinque libris *Detectionis et eversionis falso cognominatæ agnitionis* (hunc enim genuinum esse eorum titulum ibidem ostendi), de operis hujus consilio, atque methodo, quidquid denique de aliis sancti Doctoris scriptis deperditis in veterum monumentis occurrit, studiose collegi, ac pro virili mea parte explicui. In tertia demum totam S. episcopi doctrinæ seriem evolvi ; leviora, si quæ sint, offendicula, ne in ea temere quispiam impingeret, patefeci : quod obscurius fuit, illustravi ; quod alienum et male affictum rejeci ; quod ab heterodoxis prave contortum, vanisque cavillationibus obscuratum, explanavi, vindicavi et asserui. Hæc, inquam, initio operis præmisi, ut lector inoffenso pede posset Irenæi libros decurrere. Erit forte cui displicebit tanta hæc chartarum moles operi non adeo ingenti præmissa. Moleste et ipse tuli foliorum impressorum numerum præter modum et exspectationem excrevisse. Sed fefellerunt typographi, falsi et ipsi paginarum manu exaratarum inæqualitate ; alioqui huic incommodo prospexissem. Singulis porro libris præfixa est brevis ac dilucida uniuscujusque analysis (ea videlicet quæ dudum a doctissimo nostro domno Nicolao le Nourry solerter concinnata, ab ipso vulgata est in *Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum* ; paucis quibusdam pro ratione nostræ editionis additis vel immutatis) qua libri scopus et argumentum uno velut conspectu perlustretur.

Ad calcem operis, præter deperditorum Irenæi scriptorum Fragmenta, ex variis tum editis, tum mss. libris eruta, quorum quædam Græce, alia Græce et Latine nunc primum prodeunt ; adjecta sunt per modum appendicis alia ex veterum Gnosticorum libris excerpta, quæ sparsim apud veteres Patres occurrunt ; quæ pluribus Irenæi locis non parum lucis afferent : ex hoc saltem specimine deprehendi facile poterit, haud vana esse, quæ tum Irenæus, tum alii Patres de iis opinionum portentis scripserunt Maximam partem jam collegerat clarissimus Grabius, *Spicilegio*que suo veterum Patrum et hæreticorum primi et secundi sæculi inseruerat. Quædam ad mss. Biblio-

Digitized by Google

thecæ Bodleianæ codices recognovit : quædam et ipse ad mss. Bibliothecæ Regiæ codices exegi. Hæc excipient eorum Præfationes, Prolegomena, notæ et observationes, qui novas Irenæi editiones hactenus publicarunt, vel illustrarunt; ut sic uno volumine comprehensum, minoriquę sumptu studiosi nanciscantur, quod antea nonnisi pluribus et majori impensa comparare sibi poterant. Et quidem quod ad notas et observationes attinet ; Billii, Frontonis Ducæi et Feuardentii integras denuo edi curavi, quamvis plura jam ex iis decerpsissem, meisque inseruissem ; ratus gratum me facturum lectoribus, si totum exhibeam, cujus partes antea legerint. Ex Gallasio paucissimas selegi, cum pleræque nihil nisi vanas inficetasque declamationes contineant. Ex Grabio plures, eas videlicet quas catholicæ aures ferre possint. Feuardentii notas non omnibus placere, Protestantibus vero plurimum displicere probe novi. Quin tamen pro tempore eruditæ sint, virque pius ac doctus de Irenæo, totaque Ecclesia catholica optime meritus fuerit, nemo absque injuria negare potest. Sæpe quidem ab argumento longius discedit, et in heterodoxos acerbiori quam par esset stylo excurrit; sed id zelo catholicæ fidei, et tempori, quo ferventibus controversiis bellisque civilibus, Calvinistæ Catholicos perpetuis conviciis et calumniis incessebant, condonandum. Quisquis ministrorum illius temporis scripta legerit, et quam inverecunde Catholicis calumniam facerent ac clarissimis quibusque Patrum testimoniis vim inferrent, expenderit, Feuardentium facile excusabit. Si quæ vero hujus argumenta intempestiva jam esse videantur; non ipsius, sed adversariorum culpa est, qui parum sibi constantes, mutata identidem velificatione retrocedere, pluraque male constituto systemati vel addere, vel demere, pro temporum et argumentorum ratione, coacti sunt. Acrius nec æquius doctissimum hominem reprehendunt recentiores quidam, quod adulterina scripta non pauca, ut vera allegaverit, eosque Libros et Tractatus Patribus pluribus attribuerit, qui jam suppositi esse agnoscuntur. Sed communis hic fuit error illorum temporum : nondum quippe satis eliquata veritate reque ad severiores criticæ regulas pensitata, id bona fide citabatur, de quo nullus esse videbatur suspicandi locus. Qui Magdeburgenses ipsos, famosumque illum apud Protestantes criticum Andream Rivetum examinaverit, si non iisdem, in aliis tamen gravius lapsos, nec artis criticæ peritiores fuisse illico deprehendet. Sed tandem si quid peccaverit Feuardentius, gravius, mea quidem sententia, peccat, qui culpam confitenti et quamprimum emendanti iterum objicere non veretur. Dum primam Irenæi sui editionem adornaret, scribens in libri tertii cap. 33, nunc 22, inter varia quæ congerit Patrum testimonia, unum velut ex Cyrillo Alexandrino lib. VI *in Joann.*, cap. 15, addidit : quod Cyrilli non est, sed Jodoci Clichtovei, qui quatuor Commentariorum suor im libros Cyrillinis interseruit. Errore statim agnito, hunc emendare festinavit vir bonus; sed cum folium jam per typographos excusum esset, nullum aliud supererat remedium, nisi ut qua ratione corrigendus esset, lectores tempestive moneret in erratorum indice; quod et fecit. Cum autem Franciscus Suarez, haud lecto illo indice, Feuardentium acerbius perstrinxisset, digne pro incogitantia castigatus est in editione Coloniensi anni 1596. Ecce tamen, recentior quidam criticus, ne lectis quidem seu memorato indice, seu notis in citata editione additis, in sola Suarezii, aut Theophili Rainaudi fide, erratum bis correctum et emendatum illi adhuc impingit. Quibus jam verbis exciperet Feuardentius, si viveret, accuratum illum censorem, qui quos auctores redarguit, ne segni quidem manu evolvere dignatur? Ut ut est, Feuardentii notas et observationes, quales in novissimis Irenæi editionibus prodierunt, tales iterum edi curavi; ita tamen ut omnia ejusdem (quod et idem de aliis dici velim) dicta et allegata præstare nolim. Neque enim a me exspectandum fuit, ut omnia quæ profert auctorum testimonia expenderem, ac si quis in iis citandis error obrepserit, indicarem : laboris id immensi fuisset; quem si suscepissem, non jam ipsas Feuardentii notas, sed novas in Feuardentium observationes, nullo aut exiguo fructu dedissem. Cum autem tum Feuardentius, tum alii observationes suas ad veterem capitum sectionem, quam sequebantur, accommodarint; sic accommodatas, ne qua confusio subcriretur, reliqui : novæ duntaxat editionis capita et paginas ad marginem indicavi.

Tertium denique, quod in animo fuit, lectori videlicet ea parare et offerre subsidia,

Digitized by Google

quibus labor ejus minuatur, sic exsecutus sum. Præter tres superius memoratas Dissertationes, easque omnes notas et observationes, quibus difficilia Irenæi loca elucidare conatus sum; ac novam capitum sectionem, novaque lemmata et summulas, quibus auctoris scopus et argumentum oculis exhibetur, in quibus omnibus forte nonnihil opis quibusdam fuerit; præter hæc, inquam, accessere quatuor ampliores locupletioresque quam hactenus prodierint, Indices. Primus est Græcarum vocum Glossarium, seu Lexicon; secundus Latinarum difficiliorum, et ab usu communi remotiorum, quarum significata vel Irenæo, seu ejus interpreti propria, vel non adeo obvia sunt. Tertius est, eorum quæcunque profert Irenæus, Scripturæ sacræ testimoniorum; adnotata etiam, si quæ interdum occurrat, in citando uno et eodem testimonio, diversitate, ut ea ratione Scripturæ sacræ studiosi Irenæi codices sacros cum nostris comparare facile possint, quidve discriminis (levissimi certe) inter utrosque intercedat, observare. Quartus denique, rerum omnium præcipuarum, quæ tum apud ipsum Irenæum, tum in nostris Dissertationibus et notis occurrunt; addito etiam in fine altero pro aliorum notis Indice.

Hæc sunt quæ de nova hac Irenæi editione præfari visum est. Exposita jam totius consilii mei ratione, cæterum deinceps lectorem non morabor, quin ipse dispiciat, an opus votis et conatis respondeat. Quod si ita sit, unam hanc esse velim laboris mercedem, de Ecclesia quidpiam meruisse; cujus judicio quæcunque a me prodierunt, libenter subjicio, ea omnia emendare ac revocare paratus, quæ emendare ac revocare jusserit.

DISSERTATIONES PRÆVIÆ IN IRENÆI LIBROS.

DISSERTATIO PRIMA.

De hæreticis quos libro primo recenset Irenæus eorumque actibus, scriptis et doctrina.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VALENTINO.

I. *Valentini patria.*

[I-XIII] De Valentini patria et stirpe nihil certum, Epiphanio teste[a], e veteribus exsculpi potest. Quamvis hujus hæresim fuse exagitaverit Irenæus, hæc tamen alto premit silentio. Accepisse se ait Epiphanius, sed auditione sola, et fama, non tamen, inquit, usque adeo certa, ut dubium levet, illum Phrebonitem esse, ex Ægypti quadam ora. Ubi pro *Phrebonitem*, cujus loci nulla apud veteres occurrit mentio, legendum contendit Lambertus Danæus ad August. *De hæres.*, cap. 11, *Pharbæthitem*, cujus sententiæ calculum adjicit Petavius in suis ad Epiphanium notis. Exstat quidem Pharbæthites inferioris Ægypti nomus, cujus caput urbs Pharbætus, Bubastico et Busiritico fluminibus conclusus, in meridiem vergens, cujus meminere Herodotus, lib. II, cap. 166; Strabo, lib. XVII; Plinius, lib. V, cap. 9. Sed vereor ut hujus nomi situs cum Epiphanio consentiat, qui Φρεβονίτην τῆς Αἰγύπτου παραλιώτην, *Phrebonitem ad maritimam Ægypti oram* esse scribit. Longius enim a mari distat Pharbæthites nomus, ac, ne propius accedat, intercedunt Tanites et Neut nomi. Quare si quid et mihi conjicere liceat, libentius apud Epiphanium legerem *Phtenotitem* vel *Ptenetitem*. Phtenotes enim Ptolemæo nomus erat in Ægypti Delta, supra Meteliten, in Austrum vergens, nec procul a mari, cujus caput erat Βοῦτος, *Butus*. Doctissimo Harduino idem esse videtur, qui Plinii *Ptenethu*, lib. V, cap. 9, idque verum nomen esse credit vir in geographicis peritissimus Christophorus Cellarius, quia in Chalcedonensi synodo, act. I, Heraclius Ptenethensis memoratur [b]. Quidquid sit, Alexandriam profectus Valentinus, ibi Græcorum artibus non mediocriter institutus est. Doctissimum enim fuisse scribit Hieronymus in Osee, cap.

[a] Epiphan., Hær. 31, § 2. [b] Epiph., ibid.

Digitized by Google

1, et in *Dialogo contra Marcionitas*, qui Origeni vulgo ascribitur, οὐκ εὐτελὴς ἀνήρ, *vir minime vulgaris* dicitur. Quin saltem ingenio peracri, et in lectione veterum philosophorum ac poetarum non parum versatus esset, non negabit quisquis ad ejus systema ex tam multis tamque abstrusis ideis, partim a se excogitatis, partim aliunde haustis, sed secum invicem etcunque aptatis fabricatum attenderit. In primis philosophiæ Platonicæ, ad quam potissimum mentem appellebant Gnostici omnes, operam dedisse, testis est Tertullianus [10], pluraque ab ea accepta dogmata demonstrant. Cùm in Ægypto, et præsertim Alexandriæ, plurimi Judæorum eo tempore vixerint, hinc verosimile putat Joannes Franciscus Buddæus, in *Dissertat. de hæresi Valentin.* ad calcem *Introductionis ad Historiam philosophiæ Hebræorum*, excusæ Halæ Saxonum an. 1702, Valentinum eorum philosophia, qualis eo tempore erat, fuisse imbutum. Auctor quidem est Clemens Alexandrinus [11], discipulos ejus, ut magistrum commendarent, gloriatos fuisse, eum præceptorem habuisse Theodadem, seu Theudadem quemdam, B. Pauli apostoli discipulum. Sed quis et qualis fuerit ille Theodades, et quanta fides suspectorum hominum narrationi debeatur, non satis constat.

II. *Valentini ætas.*

2. De tempore quo vixerit, aut errores suos disseminaverit Valentinus, paulo acrior est inter eruditos disputatio. Dallæus, ut epistolas Ignatianas, Puritanis omnibus molestissimas, suppositionis argueret, e re sua arbitratus Valentinum juniorem facere, nullum lapidem non movit, ut Ignatio posteriorem probaret. Nempe cum in epistola ad Magnesianos Verbum Dei dicatur ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν, *æternum, non a silentio progrediens*, his verbis feriri vult Dallæus Valentinianorum Σιγήν. Atqui Sige hæc, inquit, ante Ignatii martyrium nondum nata. *Primus*, enim, Irenæo teste [12], *ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus, sic definivit : Dualitatem quamdam innominabilem, cujus quidem aliquid vocari inenarrabile, aliud autem Sigen.* At Valentinus usque ad Eleutherii pontificatum vitam protraxit, id est, usque ad annum Christi saltem 177, quo hic Ecclesiam regere cœpit. Cum vero passus sit Ignatius anno Christi 107, quis credat Valentinum tunc juniorem, si tamen natus esset, dogmata sua cudere, vel saltem spargere sic potuisse, ut sanctissimo martyri in notitiam venire quiverint? Sic Dallæus. Atquod veluti certum ex Irenæo assumit, Valentinum primum omnium Sigen definivisse, [XIV] falsissimum esse demonstravi in notis ad cit. cap. 11. Et quisquis id asserit, in veterum Gnosticorum historia peregrinus sit necesse est; apud hos enim Bythi et Siges copulatione nihil frequentius, ut fuse et invicte A probavit doctissimus Pearsonius part. II *Vindic. epist. S. Ignatii*. Nec illud verius quod supponit Dallæus, auctorem epistolæ ad Magnesianos ad hæreticorum Sigen respexisse : σιγὴν pro simplici *silentio* accipit, hancque vocem τῷ ἀΐδιος opponit. Vult nempe Verbum Patris æternum esse, quod nunquam siluerit, nec silentium, ut homines, aliquando ruperit Pater; sed semper locutus, Verbum sibi consubstantiale, æternum proinde, proferre nec cœperit, nec destiterit. Sed missis hisce controversiis, quæ nostri non sunt instituti, Valentinum citius, quam putant Dallæus et Blondellus, prima saltem pestiferorum dogmatum rudimenta protulisse, certissima demonstrant argumenta.

B 3. Scribit Irenæus [13], *Valentinum Romam venisse sub Hygino, increvisse vero sub Pio*, ἦκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, *et prorogasse tempus usque ad Anicetum*, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Consentit et Eusebius in *Chronico*, ubi certam temporum epocham assignat. Nam ad annum Antonini Pii 3, Christi vero 141, *Sub Hygino*, inquit, *Romanæ urbis episcopo Valentinus hæresiarches, et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.* Tum ad annum Antonini Pii 6, Christi vero 144, Pio jam summo pontifice : *Valentinus hæreticus agnoscitur, et permanet usque ad Anicetum.* At in Græco Eusebii paulo aliter : Κατὰ ΥΓΕΙΝΟΝ Ῥώμης ἐπίσκοπον Οὐαλεντῖνος ἰδίας αἱρέσεως εἰσηγητὴς, καὶ Κέρδων τῆς C κατὰ Μαρκίωνα πλάνης ἀρχηγὸς, ἄμφω ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐγνωρίζοντο. *Sub Hygino Romæ episcopo Valentinus propriæ hæreseos conditor, et Cerdon Marcionis erroris architectus, ambo Romæ agniti sunt.* Quæ tamen non adeo difficile conciliari possunt. Existimo enim Valentinum, cum primum Romam advenit sub initio pontificatus Hygini, catholicam fidem simulasse; nam ea erat, ut observat Irenæus in Præfatione libri primi, et alibi, istiusmodi hominum malitia, ut *dissimilia nobis sentientes, similia* tamen *loquerentur*, quo facilius abriperent incautos. At vergente ad finem Hygini pontificatu, mentita iniquitas sibi caput attollere cœpit, adhuc tamen timidius; donec audacior facta, sub Pio palam erupit. Hinc agnitus hæreti- D cus, et ab Ecclesia pulsus, in Cyprum insulam, ut ait Epiphanius [14], fugit, ubi *ad extremum impietatis prolapsus est, seque in eam, quam tuetur, flagitiorum disciplinam altius immersit.* Ibi exitiosæ hypothesi supremam manum admovisse, ac demum e vivis excessisse satis probabile. Quo præcise anno diem obierit, non liquet. Ex Irenæi tamen et Eusebii verbis certo colligitur, ad tempora Aniceti pervenisse, nec diutius vixisse. Hæc enim, παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου, quæ vertit Irenæi Interpres, *prorogavit tempus usque ad Anicetum*, non ulterius prorogasse aperte significant. Quemadmodum idem

[10] Tertull., De præscr., cap. 7, 30. [11] Clem. Alex., lib. VII, p. 764, edit. Paris. 1641. [12] Iren., lib. I, cap. 11. [13] Id., lib. III, c. 3, 4. [14] Epiph., Hær. 31, § 7.

Digitized by Google

Irenæus lib. III, cap. 3, ut diu vixisse Polycarpum indicet, eodem verbo παρέμεινε utitur : ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε, *multum enim perseveravit*, id est, diu vixit. Emendandus ergo Tertullianus scribens lib. *De præscript. hær.*, cap. 30, Marcionem et Valentinum *neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti ; donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.* Si enim usque ad Eleutherii ætatem pervenisset Valentinus, id procul dubio non omisisset Irenæus, qui sub hoc pontifice tertium librum suum scribebat ; cum maxime novum hinc robur accessisset argumento, quod a novitate hæreticorum doctrinæ petebat, quos apostolis *multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexisse in suam sententiam* demonstrabat. Quæ etiam ait in Præfatione libri primi, se Valentini discipulorum sententiam, de qua dicturus erat, exploratam habere tum a commentariis, tum a congressibus eorum, *qui nunc aliud docent*, Ptolemæi videlicet asseclarum, jam tum Valentinum in vivis superstitem non fuisse demonstrant. Sed demum quin Tertullianus gravi anachronismi culpa teneatur, dubitare nos non sinit, quod Antonini principatum cum Eleutherii episcopatu componat ; cum tamen constet Antoninum vivere desiisse annis saltem quatuordecim antequam Romanam sedem conscenderit Eleutherius. Vereor ergo ut Septimius memoria lapsus Valentinum pro Cerdone scripserit. Quæ enim illi tribuit, eadem isti ascribit Irenæus, lib. III, c. 4. Nec veterum quisquam alius memoriæ prodidit, Valentinum Romæ plus semel Ecclesia pulsum fuisse ; quod Cerdoni contigisse certum est. Quanquam tamen si quis Tertulliani verbis religiosius adhærens, Valentinum bis ex Ecclesia Romana ejectum fuisse contenderet, semel scilicet sub pontificatus Hygini finem, iterum vero sub Pio, non adeo repugnarem. At eum *in catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem*, ibique deinde prima hæreseos fundamenta jecisse, quasi a catholica fide nondum recessisset cum Romam advenit, nec alibi terrarum antea agnitus fuisset hæreticus; quisquis ex Tertulliano, vel cum Tertulliano intulerit, ea asserat necesse est quæ cum historiæ veritate pugnent.

4. Epiphanius expositis Valentini dogmatibus subjungit § 7, hunc ea in Egypto propagasse, tum Romam profectum errorem suum in ea urbe dissipasse, ac demum ad Cyprum delatum, ultimum fidei naufragium ibidem passum, animum omnino depravasse. Diu ergo antequam Romam proficisceretur, catholicam fidem abjecerat, si tamen abjecisse dicendus est, quod forte nunquam susceperit. Crediderim enim illius animum Gnosticorum fabulis jam ab initio Alexandriæ imbutum, de nova hypothesi, qua sibi nomen faceret, fabricanda citius cogitasse, quam de veteri religione profitenda. Saltem Epiphanius jam eum ab Ægypto, ubi natus et educatus fuit, hæreticum exhibet, Catholicum nusquam. Quam igitur hæresim ibi animo conceperat, ibi et spargere cœpit, licet forte tum rudiori penicillo delineatam. Nec Ægypti finibus conclusa stetit venenata doctrina : manavit statim per vicinas regiones, multasque Orientis et Asiæ provincias occupavit, sive a Valentino ipso, cum Romam proficisceretur, sive a discipulis ejus disseminata. Constat siquidem, cum Justinus martyr *Dialogum* suum *cum Tryphone* scriberet, jam tum exstitisse in Asiæ provinciis certam et constitutam Valentinianorum sectam, auctoris nomine conspicuam. [XV] Disputationem illam cum Tryphone Judæo, quæ scribendi *Dialogi* occasionem dedit, Ephesi habitam fuisse, testatur ipse Justinus initio [15]. Cum in decursu sermonis objecisset Trypho, *audisse* se, *plures* eorum *qui se Jesum profiteri dicunt, et Christiani nominantur, simulacris mactata manducare, et nihil se ex eo capere detrimenti dicere*, non negat Justinus, imo fatetur tales esse apud Christianos, qui ita sentirent et agerent. *Et sunt eorum quidam*, inquit, *qui vocantur Marcionitæ ; quidam vero Valentiniani, Basilidiani, Saturniliani, et alii alia præditi nomine, a principe sententiæ quisque nomen obtinens.* Utquid Valentinianos coram homine Judæo Ephesi tum commorante, in Græcia autem, et Corinthi, ut ipse ait, plerumque agente, protulisset Justinus, nisi in iis regionibus æque noti fuissent, et in sectam coaluissent, ac cæteri quos nominat? Paucos ex notioribus Gnosticis appellare satis ad institutum fuisset. Porro habitum ac scriptum fuisse *Dialogum* anno circiter Christi 155, paucis annis postquam priorem *Apologiam* Antonino Pio obtulisset, vulgata opinio est. Monuisse siquidem se affirmat [16], in laudato *Dialogo*, Cæsarem, Samaritanos *imposturis seduci in errorem, qui Simoni gentis suæ mago parerent : quem deum esse supra principatum et potestatem et virtutem omnem dicunt.* Hæc vero cum in citata *Apologia* occurrant, nemini dubium esse potest, quin post *Apologiam* oblatam scriptus sit *Dialogus*. Hanc autem oblatam volunt anno Christi 150. Asserit enim Justinus [17], tum cum scriberet, *ante annos centum quinquaginta* Christianos *asseverare Christum sub Cyrenio natum esse.* Sed cum ea loquendi formula non adeo certum annorum numerum exprimat, quin addi quidpiam aut detrahi possit, nec aliunde constet quo Augusti imperii anno natum Christum vellet SS. martyr, scriptam *Apologiam* anno æræ vulgaris 150, hinc liquido concludi posse non

[15] Justin., Dial. pag. 253, ed. Paris. 1636. [16] Pag. 349. [17] Pag. 83.

Digitized by Google

video : cum maxime verum Christi natalem annis quatuor solidis æram vulgarem antevertere, jam certum sit apud eruditos.

5. Citius ergo scriptam *Apologiam* arbitror, non quidem anno 141, ut vult Eusebius in *Chronico*, sed anno circiter 145. Plura siquidem hanc nostram conjecturam firmare videntur. Primum quod Antinoi recens in deorum numerum relati, Ἀντινόου τοῦ νῦν γεγενημένου, meminerit. Porro Antinoi apotheosis ab Adriano facta est anno Christi 130, si Eusebii *Chronico*, vel 131, aut 132, si aliis fides ; recentis proinde memoriæ, si Justinum anno 145 scripsisse supponamus. Denique quod in *Dialogo*, post *Apologiam*, ut duximus, edito, Trypho nomen et genus exponens, *Trypho* inquit[18], *vocor. Sum autem ex circumcisione Hebræus, ex nupero bello profugus*, φυγὼν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον. Et postea refert Justinus [19], quod Tryphonis sodales in stadio quod in xysto medium erat, sedentes, *de bello Judaico agebant*, περὶ τοῦ κατὰ τὴν Ἰουδαίαν γενομένου πολέμου διελάλουν. Quin bellum ab Adriano sub imperii finem Judæis, Barcocheba duce, rebellibus, illatum, annoque circiter 136 confectum hic intelligatur, dubitari non potest. Ut enim ad aliud quidpiam, quo Judæos iterum rebelles petierit Antoninus Pius hæc referam, quod innuit doctissimus Tillemontius in [20] notis ad Marcionitarum hæresim, obtinere a me non possum. Et quamvis Capitolinus [20a] asserat Antonium per duces suos Judæorum rebellium audaciam contudisse, hæc de inquietorum quorumdam hominum motibus statim repressis, potius quam de pugnato bello quo flagrarit Judæa, intelligenda sunt : hujus siquidem, utpote incelebris, vix alios reperias qui meminerint. Non tamen ex citati *Dialogi* verbis inferri velim, tunc temporis, cum Ephesi degerent Justinus et Trypho, bello arsisse Judæam, ut hinc cum Scaligero concludam scriptum *Dialogum* sub Adriano : editum hunc post *Apologiam*, ac proinde sub Antonino, jam demonstravi. Nec necesse putem, pro γενόμενον et γενομένου, apud Justinum legere γεγενημένον et γεγενημένου, quod vult clarissimus Tillemontius. Participium γενόμενος non præsentis modo, sed et præteriti temporis sæpe sæpius significationem habere, et particulam νῦν pro *nuper* interdum accipi, notum est, et exemplis probari facile posset. Igitur τὸν νῦν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν γενόμενον πόλεμον, bellum significat, non quod tunc temporis gereretur, sed nuper in Judæam gestum, jamque confectum ; quodque cum Judæis adeo fatale exstitisset, eo altius illorum animis infixum hærebat et frequentius in ore versabatur, quo recentior erat plaga.

6. Hæc si anno circiter 145 editam priorem Justini *Apologiam*, ac paulo post *Dialogum* conscriptum fuisse diserte non probant, demonstrant saltem utriusque tempus quam propius fieri poterit ad belli Barchochebæani tempora revocandum esse ; ac proinde cum vix citius scribi potuerit *Apologia*, eo saltem anno scriptam fuisse par esse credere. Cum ergo Valentinianorum sectæ meminerit Justinus in *Dialogo*, hinc sequitur jam ante annum Christi 150 celebrem fuisse, ac longe lateque diffusam eorum hæresim. Quid si his addamus librum quem adversus hæreses omnes composuisse se profitetur Justinus in *Apologia* [21] ? Hunc autem ipsum esse, in quo Valentinianorum dogmata prodidisse et retudisse ait Tertullianus cap. 5 libri *adversus Valentinianos*, dubitare nos non sinit Hieronymi auctoritas in *Catalogo*. Quo vero anno, et quo in loco compositus fuerit, dici non potest : at scriptum fuisse ante *Apologiam* certum est ; nec proinde probabilitate vacat, sub imperii Adriani finem, ut tradit Cedrenus. His itaque temporibus a radice adeo pullularat Valentiniana hæresis, ut, ne latius serperet, hanc scriptis exagitare necesse habuerit Justinus.

7. Eo autem spectant hactenus dicta, ut liquido concludamus, Valentinum Romæ quidem Pii temporibus agnitum fuisse hæreticum ; hæresim autem ejus nec ibi nasci, nec adolescere potuisse ; utpote quæ jam antea alibi terrarum nota (imo et forte Romæ, quamvis auctor ibi minus notus) doctorum catholicorum stylo confixa fuerat. In Ægypto primum efformatam, dudum antequam Romam proficisceretur (nec enim ex ea urbe in Ægyptum, hanc veneno suo infecturum rediisse, ullibi legitur) superius ex Epiphanio vidimus. Et quamvis quo tempore factum sit, haud ille tradiderit, a vero procul, mea quidem sententia, non recesserit qui prima hæreseos exordia cum sæculi secundi initiis colligaverit. Hancque conjecturam mire confirmat Theodoretus. Scribit enim lib. I, c. 5, Epiphanem Carpocratis filium, patris fabulas amplificasse ; Adriano autem [XVI] imperante, utrumque nefarias suas hæreses confirmasse ; ac proinde ante annum 138, quo vivendi finem fecit Adrianus. Constat vero ex Clemente Alex. et Epiphanio, Epiphanem ad Secundianorum, Valentini discipulorum, sectam sese applicasse ; quod quidem fieri debuit sub extremis Adriani temporibus, aut saltem sub ipsa initia Antonini Pii, nec tardius ; cum anno ætatis 17 exstinctus sit Epiphanes. Jam ergo Adriano imperante tam late sparsa erat Valentini secta, tamque famosa, ut Secundus, imo et Ptolemæus, ac Colorbasus, ejus discipuli, accepta a magistro materia proprias sibi sectas condidissent. Quæ liquido probant, Valentini dogmata, diu antequam Romam proficisceretur, alibi terrarum et nota et latius disseminata fuisse : quæ cum non simul et semel, sed paulatim obtinuerint, necesse est ineunte circiter sæculo secundo cœperint. Et certe, cum Irenæo, apostolicorum temporum viro, antiquior esset Valentinus, ad apostolorum ævum propius accessisse necesse est. Hunc, ut dixi, a Theodade quodam, Pauli apostoli discipulo, insti-

[18] Pag. 217. [19] Pag. 227. [20] Tom. II Comm. in Hist. eccl. [20a] In Antonino. [21] Pag. 70.

Digitized by Google

tutum jactitabant ejus discipuli. Vana forte, quod A Theodadem illum, obscuri nominis hominem, spectat, vesanorum hominum gloriatio ; non adeo tamen, ut hinc antiquissimum fuisse blasphemæ hæreseos principem inferri non possit. Quis enim credat priores Valentinianos, mendaces licet, tam perfrictæ frontis extitisse, ut magistrum suum a Pauli discipulis institutum jactare ausi fuissent, ea præsertim ætate qua mendacium ab apostolicis viris non paucis in vivis superstitibus facile coargui potuisset, nisi saltem apostolorum discipulis cœvus fuisset ? Nec, ut id asseramus, necesse est Valentini vitam diutius quam par sit protrahamus. Cum enim diem obiisse sub Aniceto certum sit, si anno circiter 158 mortuum, natum vero anno plus minus 85 dicamus, septuagenario majorem e vivis B decessisse asseremus ; quod fidem non superat. Viderint nunc Dallæus et Blondellus, an tantum, quantum ipsi putant, abhorreat a verosimili, Valentinum, qui vicenario major esse potuit, cum martyrii palmam adeptus est Ignatius, jam prima sententiæ suæ rudimenta ponere potuisse. Sed de Valentini ætate jam satis.

III. *Effundendæ hæreseos occasio*

8. Huic, ut et multis aliis hæreticis, effrenis ambitio, si Tertulliano fides [22], ruinæ occasio fuit. *Speraverat*, inquit, *episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio ; sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ad expugnandam conversus veritatem.* Hoc Romæ factum conjicit nuperus auctor conjecturarum ferax ; sed sicubi factum, alibi quam Romæ fieri debuisse demonstrant quæ hactenus diximus. Ut vero ex Tertulliani verbis elici utcunque posse putem, vafrum hominem cum spe adipiscendi episcopatus, larvam, qua Catholicos fallebat, deposuisse ; sic catholicam fidem usquam sincero animo tenuisse, hinc certo probari posse non censeam. Ut ut sit, exasperatus ob repulsam Valentinus, si quem antea modum tenuisset, minus deinceps tenuit, venenumque quod in corde latebat, paulo apertius effudit ; ita tamen ut huic plerumque mentitam catholicorum verborum speciem induceret ; nisi forte in eos incideret qui vel D simpliciores, vel auribus prurientes, vel captiosis quæstionibus jam seducti, quoslibet fabularum ventos captare parati erant ; quibus seorsim omni remoto fuco mysterium iniquitatis pandebat. Is enim erat istiusmodi hominum, artibus callidæ simulationis eruditorum dolus, ut vanam spem perfectioris scientiæ, quam pollicebantur, catholicorumque verborum corticem objicientes, curiosos ac incautos allicerent, iisque lethale venenum paulatim instillarent. Nefarias eorum artes passim describit ac retegit Irenæus [23], et post eum atque ex eo Tertullianus [24].

IV. *Valentini scripta.*

9. Nec dictis modo, sed et scriptis dogmata sua sparsit Valentinus. Plures ab eo scriptas epistolas memorat Clemens Alexandrinus [25], quarum et fragmenta refert. Quibus inscriptæ essent, dicere prætermisit, una excepta, quam ad Agathopodem quemdam scriptam asserit. Duarum etiam ejusdem *Homiliarum* fragmenta refert, alterius scilicet in qua supra modum vesaniens immortalitatem suis pollicetur ; alterius de amicitia. Psalmorum Valentini meminit Tertullianus lib. I *De carne Christi*, cap. 20. Horum vero nullum jam superest fragmentum. At partem Dissertationis de origine mali ab hæresiarcha editæ habes in *Dialogo contra Marcionitas*, qui Origeni vulgo ascribitur, sect. IV. Sunt qui putant scriptum ab eo librum sub hoc titulo, *Sophia*, nixi his Tertulliani verbis *adv. Valent.*, cap. 2 : *Docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis.* Sed hæc perperam explicant. Alludit enim Tertullianus, non ad aliquem Valentini librum, sed ad Sophiam, novissimum eorum quos excogitavit, Æonum, ut legenti patebit. Nec verius, quod alii contendunt, novum ab hæretico editum Evangelium. Id quidem legitur apud Tertullianum cap. 49 libri *De præscript : Legis et prophetarum quædam probat, quædam improbat... Evangelium habet etiam suum, præter hæc nostra.* Sed jam constat inter eruditos, posteriora novem capita libri *De præscriptionibus* ascititia esse, auC ctorisque Tertulliano junioris opus videri. Certe, ne longius a proposito deflectam, genuinus Tertullianus hujus libri cap. 38 Valentinum a crimine suppositionis novi Evangelii palam absolvit. Id enim discriminis inter hunc et Marcionem statuit, quod hic *manu Scripturas*, ille *sensu expositiones palam interverterit :* et quamvis *Valentinus integro instrumento uti videatur ; callidiore* tamen *ingenio, quam Marcionem, manus intulisse veritati. Marcion enim*, addit, *exerte et palam machæra, non stylo usus est ; quoniam ad materiam suam cædem Scripturarum confecit : Valentinus autem pepercit ; quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit : et tamen plus abstulit, plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium rerum.* Quæ quidem ut probant Valentinum pravis expositionibus Scripturas ad argumentum suum obtorto collo traxisse ; sic Canoni nihil addidisse, aut detraxisse palam ostendunt. Discipulos quidem Valentini *exsistentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriari, quam sint ipsa Evangelia*, narrat [XVII] Irenæus lib. III, cap. 11, n. 8. *In tantum siquidem processerant audaciæ*, ut novum Evangelium, quod *veritatis* nuncupabant, confinxissent. At ipsi Valentino nihil simile usquam ascribit. Imo tum loco mox cit., tum lib. I, cap. 8 et 9, et alibi passim, satis

[22] Tertull., adv. Val., c. 4. [23] Iren., Præf. lib. I et lib. III, c. 13 et 17. [24] Tertull., in Val., c. 1. [25] Clem. Alex., l. II Strom., ed. Paris., p. 375, 409 ; l. III, p. 450 ; lib. IV Strom., p. 509 ; lib. VI Strom., p. 641

Digitized by Google

significat Valentinianos sibi coævos sic canonem Scripturarum novo Evangelio auxisse, ut nihil quidquam, nullum librum integrum, nullam ejusdem partem (quod Marcioni non semel exprobrat), ab eo abjecissent; sed *vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones apostolicos*, ad hypothesim suam aptare conatos, calumniam intulisse Scripturis. Falsa igitur quæ scribit auctor citatus additamenti, quod ad calcem libri *De præscriptionibus* legitur. *Legis et Prophetarum quædam probat, quædam improbat... Evangelium habet etiam suum, præter hæc nostra*; si hæc ad Valentianum referantur, vera forte, si de Valentini discipulis, non prioribus quidem, quibuscum egit Irenæus, sed posterioribus. Et eodem modo explicanda putem, quæ apud Chrysostomum leguntur lib. IV *De sacerd.*, cap. 4: Τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δοθέντα τῷ Μωσεῖ νόμον οἱ τὴν Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος διαδεξάμενοι φρενοβλάβειαν, καὶ ὅσοι τὰ αὐτὰ νοσοῦσιν ἐκείνοις, τοῦ καταλόγου τῶν θείων ἐκβάλλουσι Γραφῶν· *Legem quam Moysi dedit Deus, qui in Valentini ac Marcionis insanum dogma successerunt, et quicunque eadem cum ipsis insania laborant, e divinarum Scripturarum catalogo delent.* Hæc, ex Chrysostomi mente, ad posteriores Valentinianos spectare perspicue demonstrant voces, quibus utitur, τὴν Οὐαλεντίνου διαδεξάμενοι φρενοβλάβειαν, *qui in Valentini insanum dogma successerunt.*

10. Exstat apud Epiphanium, § 5, Fragmentum quoddam, quod ex aliquo Valentini libro decerptum existimat Blondellus. Sed aperte repugnat Epiphanius tum initio, tum fine, depromptum asserens e Valentinianorum, id est e quorumdam Valentini discipulorum libris, τῆς αὐτῶν βίβλου, τὰ ἀπὸ τῶν Οὐαλεντίνων. Repugnat et tota orationis series, ex qua Fragmenti latius auctoris sententiam, ab ea quam paulo ante Valentino tribuit, et explicuit Epiphanius, diversam esse liquet. Ut enim alia taceam, certum est, secundum Valentini et Ptolemæitarum hypothesim, a Logo et Zoe emissum esse Hominem et Ecclesiam; at in Fragmento, inverso ordine, Homini et Ecclesiæ Logos et Zoe subjiciuntur; quod quorumdam Valentini discipulorum dogma fuit. Hi enim, ut in notis ad cap. 11 libri I Irenæi observávimus, a Gnosticis aliis moniti, in hoc a magistro defecerunt; absurdum rati a Verbo Hominem emitti, rationique magis consentaneum esse ut ab Homine prodeat Verbum. Et hinc etiam Dodwellum [26] redarguas, qui *hoc Fragmentum ad Ptolemaici Valentinianismi characterem propius quam ad alias Valentinianæ sectæ disciplinas accedere* putat. Non enim Ptolemæi ab Homine et Ecclesia Logon et Zoen, sed potius Hominem et Ecclesiam a Logo et Zoe produci asserebant.

V. *Valentini et discipulorum eius dogmata et hypothesis.*

11. His vero quæ ad Valentini personam, ætatem, mores et libros attinent, quantum ex veteribus monimentis eruere licuit, expositis; ad alterum Dissertationis nostræ caput, idque longe molestius, hominis nimirum hypothesim atque dogmata, sermo jam convertendus. Si quidem hæc historico more simpliciter describere satis esset, res non adeo operosa; summatim enim relatis quæ fusiori stylo prosequuntur Irenæus, Tertullianus, Theodoretus et alii, jam officio functi discederemus. At periculosioris aleæ plenum opus tractandum; Valentinianorum μυθολογίαι ad originem unde promanarunt, revocandæ, et quidquid male feriatum caput parturire potuit deliriorum, arte quadam et methodo discutiendum, faxque lectoribus antiquitatis ecclesiasticæ studiosis præferenda, ut facilior iis evadat auctoris nostri lectio. Nec tamen est quod quisquam in obscuris et intricatis adeo rebus a nobis certas hic exigat demonstrationes; satis erit si dubiis et ipsi manibus viam prætentantes, conjecturas afferamus, quarum omnium collectio cum forte probabilitatis gradum attigerit, qui a vero et certo non adeo procul discedet.

12. Totam Valentini ac discipulorum ejus hypothesim tribus niti capitibus, notum est. Primum Pleromatis, seu Plenitudinis rerum divinarum explicationem complectitur. Alterum circa ea versatur quæ extra Pleroma contigerunt. Tertium denique mundi hujus aspectabilis originem et constitutionem exponit. In prima parte res superiores ac divinæ pertractantur; in postrema res infimæ et corporales; in secunda res inter utrasque mediæ. Prima triginta Æonum, quorum quindecim masculi et totidem feminæ, seriem exhibet, in varias veluti stirpes divisam, quarum omnium caput sit unus Deus, invisibilis, sempiternus, ingenitus et incomprehensibilis, quem Proarchen, Propatora, et Bython, seu primum principium, primum Patrem, et Profunditatem vocabant; cui conjugis loco sociabant Ennœam, seu Cogitationem, quam etiam Sigen et Charin, Silentium et Gratiam nuncupabant. Hæc suscepto a Bytho semine gravida genuit Nun, id est Mentem, Unigenitum, et Patrem et Principium omnium, et una cum eo Alethiam, hoc est Veritatem. Hæc primigena quaternitas, radix omnium. Ex hac erupit altera tetras, Logi et Zoes, id est Verbi et Vitæ, et Anthropi seu Hominis, ac Ecclesiæ; ex Unigenito quidem Verbum et Vita, ex his vero Homo et Ecclesia; quanquam alii ab Unigenito primum Hominem et Ecclesiam, tum ab Homine et Ecclesia Verbum et Vitam derivarent. Ex utraque tetrade ogdoada conflabant, quam et ipsam primigenam ogdoada, radicem et substantiam omnium dicebant. Uti enim prima tetras secundam effuderat; sic secunda cæteris deinceps Æonibus ortum præbuit. Et hinc Logos postremæ caput [27], *Pater omnium eorum qui post se futuri essent, et initium et formatio universi Pleromatis* ve-

[26] Dodwel., Dissert. IV in Iren., § 6. [27] Iren., lib. I, c. 1, n. 1.

Digitized by Google

cabatur. A Logo siquidem pullulavit nova Æonum decas, Bythius videlicet et Mixis, Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetus et Syncrasis, Monogenes et Macaria : ab Homine et Ecclesia dodecas, Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Ænus et Synesis, Ecclesiasticos et Macariotes, Theletos et Sophia ; totidem nomina Græca, quorum significata reperies in Glossariis nostris ad calcem operis. Hi triginta Æones adeo decantati ; hoc Valentinianorum Pleroma in tria velut agmina divisum, in ogdoada, decada et dodecada, [XVII] quorum prius ducebat Bythus cum Sige, secundum Logos cum Zoe, posterius Homo cum Ecclesia.

13. Quamvis autem uni et eidem stipiti, Bytho nimirum, originem acceptam referrent Æones omnes, non una tamen et eadem fuit omnium conditio, sed dispar. Soli No, utpote primogenito, indulta perfecta cum Bytho communio ; soli pervia hujus magnitudo, cæteris inaccessa. Hinc in aliis omnibus cognoscendi Patris æstus, ac propemodum in Nun invidiæ livor ; major vero in novissima Æonum Sophia, quæ præcipiti exquisitionis impetu lata, absorpta fere fuisset, et in universam substantiam dissipata, nisi tempestive occurrisset Horo, id est Termino, Virtuti illi ab omni conjugio liberæ, quæ omnia fulcit, et extra ineffabilem magnitudinem custodit ; a qua demum repressa, suffulta, et ad se ipsam revocata, priorem cogitationem simul cum ea *passione*, quæ ex stupendo illo miraculo orta erat, abjecit. At desiderio rei impossibilis gravidæ vix potis erat, quin impetus abortum afferret. Attulit vero, immaturumque fetum abegit, substantiam videlicet informem ; cujus generis ? haud satis inter fabulæ architectos conveniebat, nec Matri ipsi constabat. Inde miseræ mœstitiæ, timor, summaque perplexitas, pristinæ cogitationis appendices, necessariaque veluti consectaria : a quibus Hori, quem diximus, opera perpurgata, conjugio demum ac Pleromati restituta fuit ; ipsa ejus Enthymesi, abortivo illo fetu formæ ac figuræ experte, et appendice *passione* extra Pleroma relegatis.

14. Ne vero similem casum subirent cæteri Æones, alterum par Æonum per Unigenitum supremus Pater emittit, Christum et Spiritum sanctum, a quibus alii numeris omnibus absolverentur. Christi enim officium erat Æones immensam Patris altitudinem edocere, quod nempe nec percipi, nec intelligi, nec denique cerni aut audiri, nisi Monogenis beneficio, posset. Spiritus vero sanctus eos omnes inter se exæquatos, gratias agere docuit, ac veram requiem induxit. Sicque Æones omnes tum forma, tum voluntate ac sententia pares constituti sunt ; facti omnes quod unusquisque, omnes in Noas, Sermones, Homines et Christos transformati, et quæ feminæ, in Veritates, Vitas, Spiritus et Ecclesias. Tum tanta metamorphosi gaudentes, in Propatoris laudes erumpunt, acceptique beneficii memores, communi consilio, consentientibus Christo et Spiritu sancto, Patre quoque calculum adjiciente, quidquid optimum ac florentissimum habebant singuli conferentes, apteque compingentes, Jesum in Bythi gloriam et honorem emittunt, ceu perfectissimum Pleromatis sidus et fructum, Salvatorem etiam, et Verbum, et Christum, ac Omnia denique nuncupatum, quem angelis quoque satellitibus stipant. Christi et Spiritus sancti ortum aliter explicabat Valentinus. Hunc quidem ab Ecclesia productum fuisse, ad Æonum *examinationem* et fecunditatem dicebat ; illum vero non ab iis Æonibus qui in Pleromate sedem habent, sed a Matre illinc exclusa, secundum recordationem meliorum procreatum fuisse, nec sine quadam umbra. Verum ingratum, cum masculus esset, excisa a se umbra, ad Pleroma recurrisse, Matre una cum umbra relicta ac spiritali substantia orbata. Jesum autem interdum ex Theleto, interdum ex Christo, nonnunquam ex Homine et Ecclesia ortum asserebat. Ilas de rebus divinis nugas venditabant veteratores isti ; et hæc prima fabulæ pars.

15. Altera in iis, quæ extra Pleroma gesta sunt, referendis versatur. Superiorib nempe Sophiæ Enthymesis (Achamoth ab Hebraica voce חָכְמָה, *Sapientia* vocabant), quam extra Pleroma cum appendice *passione* relegatam diximus, in umbra et vacuo, formæ, figuræ ac luminis expers, misere jacebat. Ipsius calamitate commotus superior Christus, vi sua formam quidem ei indidit, sed secundum substantiam tantum, non secundum scientiam : statimque subtracta virtute ad supera recedens, infelicem deseruit, nonnullo tamen incorruptibilitatis odore perfusam. Ea vero jam formata ac mentis compos effecta, acriori desiderio exquirendi luminis, quod eam defecerat, incenditur. Sed ecce, festinanti importunus intercedit Horus, temerariumque coercet impetum. Hinc animum despondet illa, omnique perturbationis generi succumbit ; mœrori quidem, quod votis frustrata ; metui, ne quemadmodum lux, ita et vita eam deficeret ; animi denique anxietati ac lacrymis ; parum id, nisi omnis rerum ignoratio tot perturbationibus mista, pondus auxisset. Interdum tamen, priorum oblita, luminisque, quod eam deseruerat, pulchritudinem mente revolvens, lætitia diffundebatur ac ridebat. Sed momentaneus risus, quem cito excipiunt perturbationes consuetæ. His sibi per vices succedentibus jactata, tandem seipsam colligens, ad lumen quod jam delibaverat, hoc est, ad Christum rogandum convertitur. Quorsum, inquis, tot perturbationum fluctibus æstuantis, nec quiescere valentis animi motus ? Hoc fabulæ exordium. Hinc enim materiæ, ex qua mundus hic conflatus est, substantia ortum cepit. Nam ex conversione, et mundi, et Demiurgi, rerum conditoris, et denique omnis alia anima originem sumpsit ; ex metu autem et mœrore, reliqua omnia. Ex ipsius siquidem lacrymis liquida omnis substantia initium habuit,

Digitized by Google

ex risu lucida, ex mœrore tandem et stupore corporea mundi elementa. Nempe cum Achamoth supplex ad Christum se convertisset, hic Paracletum, hoc est Salvatorem ad eam misit, satellitibus angelis stipatum, qui scientiæ formam ei indidit, et a perturbationibus liberavit. Nec tamen has ab ea ita secrevit, ut curam omnem earum abjiceret : imo secretas fixit, condensavit, et in materiam transformavit, ex qua fieret duplex substantia ; altera mala, quæ ex passionibus exstitisset ; altera passionibus obnoxia, quæ ex conversione orta esset. Sic malis omnibus expedita Achamoth, jam gaudio gestiens, in angelos Salvatoris comites defigit obtutus, quorum splendore capta, aspectuque fecundata, concipit paritque fructum spiritalem, ad eorum imaginem effictum. Jam ergo triplicem habemus substantiam, Achamothæ fetum ; materialem ex passione, animalem ex conversione et spiritalem ex imaginatione. Nec satis erat rerum materiam ministrasse, nisi etiam formam afferret ; hæc prima Achamothæ cura. Et cum nulla ei esset substantiæ spiritalis informandæ copia, quoniam ejusdem cum ea essentiæ erat, in animalis formationem se confert, ex qua Demiurgum efficit, cæterarum deinceps rerum conditorem, parentem, [XIX] regem et Deum. Et hic alterius fabulæ partis finis.

16. Sequitur aspectabilis hujus mundi constitutio et origo, quam sic exponebant : Conditus Demiurgus ad opus se accingit, in idque totus incumbit ; cæcus tamen (hoc stupeas), et quid ageret nescius. At clam regebat Mater, sub Salvatoris moderamine, quo instigante superioris Pleromatis imaginem et hic exprimi curavit. Achamoth siquidem Demiurgo ignota Bythum, Demiurgus Unigenitum, angeli et archangeli a Demiurgo conditi cæteros Æones referebant. Sic itaque tantum opus molitur inscius ille Demiurgus. Separatis atque distinctis, hactenus confuse permistis, animali et materiali essentia, ex iis cœlestia simul et terrena condidit ; fabricatisque septem cœlis (quos intelligentia præditos, imo et angelos esse volebant), sedem sibi supra septimum delegit, Matre superiorem locum occupante, medium inter Pleroma et Mundum. Eapropter ille dictus est Hebdomas, hæc Ogdoas : quo suprema illa ac primigena Pleromatis ogdoas exprimeretur. At supina Demiurgi ignoratio immanem peperit errorem. Cum enim tanta condidisset, nec spiritalia attingere valeret, sui ipsius ac matris, multo magis superioris Pleromatis ignarus, se solum esse Deum existimavit, ac per prophetas dixit : *Ego Deus, et præter me non est alius* [28]. Sed ad rem redeamus.

17. Quoniam materialis essentia ex tribus affectibus conflata erat, ex metu, mœrore et anxietate ; ex metu et conversione ea omnia, quæ anima prædita sunt, coagmentata fuerunt ; Demiurgus nempe ex conversione, ex metu quidquid reliquum est animalis substantiæ, ut animæ brutorum animantium, ferarum et hominum ; ex tristitia spiritales nequitiæ, angeli mali et dæmones, quorum princeps diabolus, Cosmocrator dictus, cui sedes assignata subtus Demiurgum in hoc mundo ; in eo tamen proprio conditore potior quod quæ supra eum sunt perspecta habeat, quia spiritalis nequitia est ; Demiurgus autem ignoret quia animalis est. Postremo ex stupore et anxietate, ceu ex ignobiliori stirpe, corporea mundi elementa prodierunt. Omnibus vero insitus ignis mortifer et exitiosus ; ut et ignorantia prædictis tribus perturbationibus abdita et occultata.

18. Condendus supererat homo, mundi hujus inferioris pars nobilior. Fabricavit hunc Demiurgus ex fusili ac fluida substantia ; et hic homo choicus seu terrenus, in quem insufflatus animalis ut similitudinem et imaginem Creatoris exhiberet. Circumposita dein terreno pellicea tunica, hoc est, corpus quod in sensum cadit. Parum erat, nisi spiritalis homo, inscio Demiurgo, una cum ipsius insufflatione inspersus a Matre fuisset. Semen illud spiritale est, quod ex angelorum contemplatione protulit Achamoth, dictum alias Ecclesia, speculum superioris Ecclesiæ. Triplex igitur in uno homine homo, seu tres unius ejusdemque hominis partes, materialis, animalis et spiritalis, quarum dispar sors et exitus. Prior omni incorruptibilitatis afflatu destitutus, necessario perit ; posterior quibuscunque tandem flagitiis ac sceleribus sese mancipet, certam salutem recipit ; animalis, inter utrumque medius, vel materialis, vel spiritalis exitum sortitur, prout vel in hanc, vel in illam partem declinaverit. Ut autem hic salutem adipisceretur, sensibilibus disciplinis indigebat, ac proinde Salvatore hic opus erat. Sed quali ? Qui sibi accommodatus esset, animali nimirum et spiritali, corpore tamen induto, ut sensibus pateret. Materiale autem nihil suscepit, ea enim duntaxat assumpsit, quibus salutem impertiturus erat : at materia salutis incapax. Per Mariam ille, perinde atque aqua per tubum, transmeavit, ab ea nihil quidquam accipiens ; atque in ipsum, cum baptismi aqua tingeretur, Jesus ille seu Salvator, qui de Pleromate erat, et ex omnibus ortum traxerat, sub columbæ forma descendit. Ut adeo Dominus noster ex quatuor hisce conflatus esset, ex spiritali, quod ab Achamoth erat : ex animali, quod a Demiurgo ; ex corpore, quod a dispensatione ; ex Salvatore demum, quod erat ea quæ descendit in illum columba. Ex quibus solus psychicus passus est Christus, et is qui ex dispensatione mystico modo conditus fuerat : perpessionis expertibus manentibus Salvatore, et spiritali Christo, et a Domino avolantibus cum Pilato sisteretur. Sic tota salutis nostræ œconomia, et quodcunque de Verbi divini Incarnatione, Christique meritis, morte et satisfactione fides docet, in arcanis

[28] Isa. XLV, 22.

Digitized by Google

fabulas ridiculaque commenta totum abit. Sed audi cætera.

19. Triplex hominum genus Valentinianos distinxisse jam notavimus : choicum, quod salutem percipere nullo modo valet ; animale, quod percipere potest, vel non potest, prout bonis vel malis adhæserit ; spiritale denique, quod a salute excidere nunquam potest. Ad secundum genus Catholicos revocabant. His fidem et bona opera, ut salutem adipiscerentur, necessaria esse dicebant ; sibi vero, qui ad tertium genus pertinebant, spiritalibus et perfectis, utpote spiritali semine Achamoth fecundatis, hæc superflua esse jactabant ; eam enim esse spiritalium hominum naturam, ut, quidquid agant, in corruptionem et interitum cedere nullo modo possint : neque enim actiones aditum ad Pleroma munire, sed solum spiritale semen. Et hinc confractis omnibus claustris, ad scelera quævis, omniaque vitiorum genera latissima facta via. In cumulum accessit et illud principium non minus exitiosum, animas quasdam natura bonas esse, quasdam natura malas. Bonas quidem eas esse, quæ seminis capaces effectæ sint ; eas autem quæ natura malæ sunt, ita esse comparatas, ut semen illud nunquam recipiant. Quod gentilium fatum inducebat. Et inde etiam latissimum intervallum quod Catholicos ab iis Pseudospiritalibus disjungebat, non tantum quod illos animales, se vero perfectos, spiritales ac semina electionis superbe vocarent ; sed quod vellent nos in ancipiti usu gratiam sic accipere, ut ea nobis adimeretur ; se vero illam proprio veluti jure ita possidere, ut semper accresceret, decresceret nunquam, aut effluereret. At quænam spiritalium istorum gratia ? quid spiritale illud semen ? aliud nihil quam spiritalis agnitio, supernorum Pleromatis arcanorum scientia, qua tantopere gloriabantur, et qua sibi Gnosticorum nomen ascribebant. Hæc a Matre sibi indita, pusilla quidem e supernis initio emittitur, hic autem paulatim adolescat et perficiatur necesse est. Cum autem numeris omnibus absoluta fuerit, consummationem futuram asserebant ; tuncque Achamoth e medietatis loco in Pleroma migraturam, sponso [XX] suo Salvatori nupturam : spiritales autem, animis animalibus exutos, spiritusque intelligentes factos, Pleroma itidem subeuntes, in sponsas assignatum iri angelis Salvatoris satellitibus ; Demiurgum vero, cum justorum animalibus animis in locum Matris Achamoth, medietatem videlicet, migraturum, ibi perenni quiete donandum. Neque enim psychici quidquam intra Pleroma admitti. Tum vero ignem eum, qui in mundo latet, erupturum, confectaque omni materia, mundo simul et ludicræ huic Valentinianorum fabulæ finem impositurum.

20. Paucis hæc complexi sumus ; idque satis pro instituto fuit. Fusiori stylo prosequitur Irenæus lib. 1, cap. 1 et seqq. Si quid vero difficultatis in verbis occurrerit, hoc in notis explicare conati sumus. Quo iam tendant portentosa illa deliria, et unde profluxerint, inquirendum superest. Ac primo quidem vanas Galli cujusdam recentioris conjecturationes non moror, qui ut Valentinum ejusque discipulos in plerisque doctrinæ suæ capitibus ab hæresi vindicet, mysticos quosdam sensus sub ænigmatico verborum cortice delitescentes, sibique soli revelatos extrahere conatur, ac mendacii probrum veteribus omnibus Patribus in os ingerere, imo et eos interdum imposturæ arguere, absurdaque Valentini de Verbi generatione commenta aureis Athanasii et Hilarii expressionibus longe anteponere non veretur. Næ ! sagacissimum hominem, qui, post quindecim circiter sæcula, id sibi notissimum putet, quod Patres hæreticis illis aut coævos aut suppares fugit. Hæc forte Achamotha quæpiam Mater e sepulto dudum Valentini Pleromate rediviva ad neoterici illius aures insusurravit, quæ soli illi ferant qui ejusdem Matris semine inspersi fuerint ; explodant vero quicunque sobrii veneranda Historiæ simul ac traditionis ecclesiasticæ fundamenta concussa non velint.

21. Nec magis audiendi qui, ut Joannes Franciscus Buddæus, jam citatus, in sua de hæresi Valentiniana *Dissertatione*, Valentinianorum placita ex philosophia Hebræorum Kabbalistica derivant ; eaque, ut emolliant, ad reconditos nescio quos sensus detorquent, veterum scriptis vim inferentes, imo invidiam temere facientes. Iis enim auctoribus id gratis supponere placuit, quod ab ipso limine probandum erat, Kabbalam primo et secundo post Christum natum sæculo notam fuisse. Quamvis a Christi ætate Judæi a vera patrum suorum simplicitate degeneres, jam fabulis mentem pascerent, nondum tamen eo usque delusa fuerat, ut Sephiroticas chimæras, Kabbalisticos mundos, insanasque potius quam mysticas litterarum ac numerorum copulationes, peperisset, quibus ludificati recentiores, alios postmodum ludificati sunt. Certe Justino martyri, Origeni, Hieronymo, Epiphanio, aliisque Patribus antiquis, pro eo quod cum Judæis intercessit ipsis commercio, perspecta et explorata erat illorum doctrina ; de nominibus Dei secundum Hebræos interdum disseruerunt : vanas Judæorum traditiones, anilesque fabulas non semel insectati sunt ; de Kabbalisticis vero nugis, et Dei nomine per duodecim, per 42, per 72 litteras explicato, aliisque ejusmodi næniis, ne verbo quidem meminerunt, aut aliquid audivisse se significarunt. Invicto argumento nondum excogitatas esse. Et certe quisquis de Kabbala mystica conscriptos libros adierit, aut peritiores e Rabbinis consuluerit, evestigio deprehendet admodum recentes esse, vixque ante annos quingentos aut sexcentos exarari potuisse. Non me quidem latet Philonem Judæum subtiliori et argutiori, quam par erat, methodo divina rimari ac pertractare cœpisse ; sed quam procul ab arcanis Sephirarum mysteriis, norunt qui perlegerunt. Ille pro Ægyptiorum more, apud quos vitam agebat, ad Platonicam et Pythagoricam phi-

Digitized by Google

losophiam, Eusebio [30] et Hieronymo [30] testibus, totum se contulerat (unde tritum, ut vulgo creditur, de eo proverbium, ἢ Φίλων πλατονίζει, ἢ Πλάτων φιλονίζει), ad cujus proinde principia res divinas exigens, opinionesque philosophicas certis librorum sacrorum dogmatibus, et ancipitibus Judæorum traditionibus admiscens, compagem evanidam, maleque sibi cohærentem struxit : adeo ut patriorum rituum minus, quam allegoriarum studiosus, in vulgaribus et tritis non semel offensus, offensionem incautis attulerit. At insulsam Kabbalistarum farraginem incassum apud eum quæsieris. Nec Kabbalæ antiquitatis propugnatores juvat Paulus Timotheo mandans, ut quibusdam denuntiet, *ne intenderent fabulis et genealogiis interminatis*[31]. His enim, interprete Chrysostomo, theophylacto, aliisque, digitum intendit Apostolus vel in stultam Judæorum vanitatem, qui ut generis sui nobilitatem ostentarent, longam stemmatum seriem summa cum contentione ac fastu ab Abrahamo accersebant, gentilesque ad fidem conversos superba avorum suorum enumeratione vexantes, Ecclesiam conturbabant; vel in eos e Græcis, qui licet Christo nomen dedissent, in fabulosæ ethnicorum Theogoniæ gradibus percensendis operam ponere, simul et ludere non destiterant. Quanquam probabilitate non vacet, his Apostoli verbis Gnosticos feriri, ut postea dicemus, quorum hæresis Æonumque μανιολογία a Simone Mago, et Menandro propagata, apostolorum ævo altas jam radices egerat. Sed de Kabbala ne quidem cogitasse Paulum pro comperto haberi debet. Aliunde ergo repetenda Valentinianæ hæreseos principia.

22. Valentino quidem viam stravisse priores Gnosticos, primaque male constituti systematis lineamenta exarasse, perspicue tradit Irenæus : *Qui est primus*, inquit lib. ., cap. 11, *ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus, sic definivit.* Non ergo prima hæreseos suæ fundamenta jecerat Valentinus, sed a veteribus Gnosticis jacta repererat; quibus novam ædificii molem superimponens, e sibi propria fecit, et ad proprium institutum accommodavit. Hinc lib. II, cap. 13, postquam emissionem Noũ et Ἀληθείας a Bytho et Ennœa evertisset Irenæus, rationique e diametro adversam demonstrasset, concludit num. 8, hactenus dicta, non adversus Valentinianos modo, sed et adversus *eos qui a Basilide sunt, et adversus reliquos Gnosticos valere;* ab his siquidem illos initia emissionum accepisse, demonstratum libro primo fuisse. Communis itaque et his et illis primus ordo emissionis, quem impugnat, communis utrisque prima tetras. Nec hæc tantum, sed et secunda. Istam enim ubi similiter excussit Irenæus, [XXI] subnectit num. 10, *de secunda emissione Hominis et Ecclesiæ* Valentinianorum *patres falso cognominatos Gnosticos* cum filiis A *pugnare, sua propria vindicantes, et malos fures eos convincentes ; aptabile esse magis emissioni dicentes, uti verisimile, ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem esse emissum, et esse Hominem Verbo anteriorem.* Hæc proinde certaminis causa : secundam tetradem Verbi et Vitæ, Hominis et Ecclesiæ furati fuerant a Gnosticis Valentiniani ; nec hoc prioribus grave : sed id ferendum minime videbatur, quod clam subductorum hi ordinem invertissent, Verbum et Vitam Homini et Ecclesiæ præmittentes ; in hoc mali fures, quod furto haud contenti, ablata pessum dedissent. His moti, plures e Valentini discipulis, magistri sui ordine immutato, hanc tetradem in integrum restituerunt, Hominem et Ecclesiam ante Verbum et Vitam reponentes.

B 23. Merito igitur Theodoretus, cum hæreses Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Prodicique explicatas dedisset, infert: *ex his omnibus hæresibus Valentinum materiam accipientem*, λαβὼν ἀφορμὰς, *interminabiles fabulas composuisse.* Merito et Irenæus cum eorumdem hæreticorum opinationes ordine percurrisset, concludit lib. I, cap. ult., n. 3 : *A talibus matribus et patribus et proavis eos qui a Valentino sunt, sicut et ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere.* Adeo certum, easdem utrisque fuisse *sententias et regulas.* Et eapropter in Præfatione libri secundi spondet, eversurum se Gnosticorum omnium sententiam, dissoluturumque *absconditas ipsorum* C *conjugationes*, a Bytho capite facto initio. Merito et Epiphanius ait, *Valentini doctrinam a speciosa illa Gnosticorum professione prodiisse*, τὴν αὐτοῦ διδασκαλίαν τὴν ἀπὸ τῆς μεγάλης ταύτης γνωστικῆς ἐπαγγελίας ὑπάρχουσαν. Et hinc quinque libris adversus Valentinianos ab auctore nostro conscriptis præfixus titulus, Ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *Detectionis et eversionis falso nominatæ cognitionis ;* quia omnes Gnosticos, id est intelligentes seu scientes, se venditabant, ac mysticæ cuiusdam scientiæ titulo gloriabantur. Idem omnibus D ἀσχημοσύνη, eædem primæ Æonum syzygiæ, eadem ἀπώλεια morum corruptio, eadem supremi Patris a mundi opifice distinctio ac separatio, ut ex toto Irenæo patet. Hinc Gregorius Nazianzenus, orat. 23, Simoni, Marcioni, Valentino, Basilidi, Cerdoni, Cerintho et Carpocrati ex æquo exprobrat, quod rerum omnium Deum secarent, bellumque pro Bono adversus Creatorem gererent. Ad quem locum observat Elias Cretensis, octonarium summo in honore a Simonianis (idem de cæteris Gnosticis dicendum) habitum fuisse, ob octo illos magistri sui Æones, Bythum et Sigen, Mentem et Veritatem, Sermonem et Vitam, Hominem demum et Ecclesiam, quos colebant, et a quibus mundi opificem distinguebant. Quæ eadem adnotat Nicetas ad orat. 44. Et his omnibus id, quod volumus, liquido conficitur, Valentinum systematis, quod ab eo nomen accepit, primum

[30] Euseb., lib. II Hist. eccl., cap. 4. [30] Hieron., epist. 83 ad Mag. orat. Rom., t. IV nov. edit.
[31] 1 Tim. I, 4.

Digitized by Google

auctorem ac inventorem non fuisse, sed iis quæ jam adinvenerant Gnostici priores addidisse, ac supremam manum admovisse. Nempe prima Pleromatis ogdoas omnibus communis: huic vero aliquantulum immutatæ, decada et dodecada de suo addidit; sicque vetus Pleroma viginti et duobus Æonibus auxit ac locupletavit. Totam etiam Achamothæ fabulam, cum spiritalis seminis origine, huic propriam puto; cæteras hypotheseos partes, mutatis interdum nominibus, hausit e putido Gnosticorum fonte.

24. Nec movere quemquam debet, quod Irenæus veterum Gnosticorum sententias recensens, primæ Æonum ogdoadis ab iis traditæ haud expresse meminerit. Neque enim, ut recte notat doctissimus Pearsonius, part. II *Vindic.*, cap. 6 (ubi fusiori stylo exsequitur, quod nos breviori complectimur), integras omnium genealogias singulatim enumerare omniaque Æonum nomina recitare Irenæo animus erat, nec esse debebat. Explicata jam a primis capitibus Ptolemaitarum, qui primas in Valentini schola tenebant, sententia, et summa eorum doctrinæ, cum omnibus ipsorum Æonibus et Æonum nominibus, reliquisque quæ ad eorum hæresim pertinebant, simul et sub uno quasi aspectu positis; postea Gnosticorum, a quibus sua hauserant, et Valentini ipsius et illius discipulorum singulares sententias, et quid cuique proprium esset, quo ab aliis discreparet, breviter exponere satis erat; nec opus erat singula attingere, et quæ antea dixerat repetere. Certe Basilidis integram genealogiam ab Irenæo non describi, vel ex eo liquet, quod Basilides, teste Clemente Alexand., *Strom.* lib. IV, Δικαιοσύνην τε καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν Εἰρήνην ὑπολαμβάνει ἐν ὀγδοάδι μένειν διατεταγμένας, *tum Justitiam, tum filiam ejus Pacem putat in ogdoade manere dispositas:* quas apud Irenæum frustra quæsieris.

25. Ut vero a Gnosticis maximam dogmatum partem acceperunt Valentiniani, sic utrisque, his potissimum, rudem veluti telam, quam variis coloribus ex Christiana religione ductis distinxerunt, ministrarunt ethnici philosophi, Pythagorici præsertim ac Platonici, Ægyptiique et Chaldæi mystagogi: adeo ut tota ea hypothesis sit purus putusque ethnicismus varie interpolatus, et novis accessionibus ex Christiana religione auctus. *Ipsæ hæreses*, ait Tertullianus [32], *a philosophia subornantur. Inde et Æones et formæ, nescio quæ, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat.* Et alibi [33]: *Vult enim Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et æternas: quas appellat ideas, id est formas exemplares et causas naturalium istorum manifestorum, et subjacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, hæc autem imagines illarum. Relucentne jam hæretica somina Gnosticorum et Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum et intellectualium virium, quamquetiam parabolæ decem virginum attemperant: ut quinque stultæ sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles, sapientes autem intellectualium notam virium expresserint, sapientiam scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam, et supernam, et apud Pleroma constitutam; hæreticarum idearum sacramenta: hoc enim sunt et* Αἰῶνες, *et genealogiæ illorum.* Idipsum ante Tertullianum monuerat Irenæus [34], Valentinianos ex ethnicis poetis systematis formam, e philosophis materiam eruisse; horum quippe *dicta congregantes, et quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes, finctum superficium subtili eloquio sibi ipsis præparavisse.* Inter eos philosophos enumerat Thaletem Milesium, Anaximandrum, [XXII] Anaxagoram, Democritum, Epicurum, Platonem, Empedoclem, et Pythagoram. Et hinc Philastrius notat, Valentinum Pythagoricum magis fuisse quam Christianum. Porphyrius vero in *Vita Plotini* scribit, Gnosticos ex antiqua philosophia emersisse. Qui quidem Alexandri Libyci, Philocomi, Demostrati, Lydi, plurimos libros circumferentes, et revelationes quasdam Zoroastris (cujus librum ab iis confictum esse contendit), Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mosi, aliorumque ejusmodi palam ostendentes, deceperunt multos, priores ipsi decepti; asserentes Platonem intelligibilis essentiæ profundum minime penetrasse. Quos Plotinus scriptis, quæ adhuc supersunt, palam confutavit; probavitque totam eorum doctrinam, additis duntaxat vocibus quibusdam novis, falsisque sententiis, a Platone desumptam fuisse. Quibus mire confirmantur quæ mox diximus, Valentinianam hypothesim aliud nihil esse quam inconditam Chaldaicorum, Pythagoricorum, Platonicorumque placitorum farraginem, Christianis dogmatibus intermistam. Sed hæc paulo enucleatius explicare juvat, remque a capite repetere.

26. Philosophorum omnium antiquissimi memorantur a Cicerone [35] Chaldæi, a quibus ad barbaras primum nationes (sic extra Græciam et Italiam sitæ vocabantur), tum ad Græcos et Latinos transmissa philosophia est. A Chaldæis enim ad Babylonios et Assyrios manavit, ut auctor est Aristoteles, vel alius quisquis scripsit librum, qui inscribitur *Μαγικόν*, et Sotion in libris τῆς διαδοχῆς, teste Laertio. Sive vero a Chaldæis philosophiam edoctus fuerit Abrahamus, sive, quod longe probabilius cum Josepho censemus [36], ab Abrahamo acceperint Chaldæi; certum est per Abrahamum ad Palæstinos, sive Chananæos, postea etiam ad Ægyptios devenisse. Abrahamum siquidem rerum astronomicarum peritissimum fuisse, fatebantur ipsimet gentilium antiquissimi, Berosus in primis a Josepho mox citato laudatus. Nec dubium quin iisdem scientiis quas apprime callebat, gentium apud quas diversatus est, animos imbuerit. Cumque a Chananæis ad Ægyptios, ur-

[32] Lib. de Præscrip., cap. 6. [33] Lib. de Anim., cap. 17. [34] Lib. II, cap. 14 [35] Lib. I De divinat. [36] Lib. I Antiq., cap. 7.

Digitized by Google

gente fame, ut refert Historia sacra [37], transierit, hos iisdem disciplinis, Josepho teste [38], informavit. Et hinc philosophiam traductam a Chaldæis ad Ægyptios, ante Josephum, scripsit Diodorus: a Chaldæis quippe ortum ducebat Abraham. Phœnices, scientiarum fama tota antiquitate celebres, nihil moror, utpote qui a Chananæis prognati, Abrahæque posteris contermini, tum a parentibus, tum a vicinis, quidquid scirent derivare facile potuerunt. Nec improbabile, quod eruditorum plerique sentiunt, Persarum magos a Zoroastre institutos, ex iis Chaldæorum fontibus, naturales disciplinas, imo et theologiam hausisse. Id si non persuadere, suadere saltem videtur maximus utriusque gentis in præcipuis doctrinæ capitibus consensus. Adeo ut Chaldaica philosophia fons uberrimus exstiterit, ex quo primum poculum sibi haurientes Babylonii, Assyrii, Chananæi, Phœnices, Ægyptii et Persæ, Græcis postmodum infudere. Hoc ipsimet e Græcis cordatiores, Laertio teste in Procem. non diffitebantur; philosophiæ suæ initia barbaris accepta memores referebant: nec quidquam efficacius ad cæterorum superbiam frangendam prioribus Ecclesiæ Patribus, Tatiano, Theophilo, Clementi Alexandrino, Eusebio, aliisque visum est, quam ut eos ad scientiarum, quibus tumidius efferebantur, primordia revocarent.

27. Et certe ne plures e veteribus philosophis Græcis in medium proferam; quantum Pythagoras, a quo philosophia nomen apud Græcos cepit, barbaris debeat, omnibus notum. Pherecydem Syrum, Pythagoram et Thaletem, qui primi de rebus cœlestibus et divinis disseruerunt, seipsos Chaldæorum, Ægyptiorumque discipulos in hoc agnovisse, tradit Josephus in primo *contr. Appion.* Consentit Isocrates in *Busiride* scribens, Pythagoram in Ægyptum profectum, ab Ægyptiis philosophiæ, sacrificiorum ac cultus deorum disciplinam accepisse, quam dein ad Græcos traduxit. Πυθαγόρας ὁ ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ τὰς ἁγιστείας, τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασε. Ibi Sonchedi archipropheta præceptore usus, teste Clemente Alexandr., lib. I *Strom.*, symbolicam docendi rationem didicit, ut auctor est Jamblichus lib. I *De Vita* ejus, cap. 5. Imo et μετεμψυχώσεως errorem inde hausisse, haud obscure colligitur. Herodotus enim in *Euterpe* dicit, eam ab Ægyptiis primum excogitatam, a Græcis postea susceptam fuisse. Cum vero apud Ægyptios viginti et duos annos, si Jamblicho citato fides, egisset, sacris eorum omnibus initiatus, inde Babylonem a Cambysis militibus abductus, cum Chaldæorum Persarumque magis conversatus est, in ipsorumque mysteriis haud segniter eruditus fuit. Jam antea, inquit idem Jamblichus cap. 3, Sidonem, Tyrum, Byblum aliasque Phœniciæ ac Syriæ partes inviserat: ubi prophetarum Mochi successorum, aliorumque Phœniciæ Hierophantarum factus auditor, sacra omnia diligenter investigarat, ac pro more gentis perfecerat; nec quidquam scitu et observatu dignum in deorum arcanis et sacrificiis ipsum fugerat.

28. Eadem fere de Platone dixerim, *qui cum esset Atheniensis*, ut scribit Augustinus [39], *honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili longe suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quam longe lateque potuit peregrinatus est, quaquaversum eum alicujus nobilitate scientiæ fama rapiebat. Itaque et in Ægypto quæcunque illic magna habebantur atque docebantur, et inde in eas Italiæ partes veniens, ubi Pythagoræorum fama celebrabatur, quidquid Italicæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus, facillime comprehendit.* Ita Augustinus, qui secum consentientes habet Diogenem Laertium, Apuleium, aliosque qui Platonis acta scriptis tradiderunt. Hic itaque auditis Socrate, tum Cratylo Heraclitii discipulo, deinde Hermogene Parmenidis sectatore, demum Euclide seniore a quo Megarica secta initium sumpsit, inde Cyrenem profectus a Theodoro mathematico institutus est. Sed Pythagoricæ philosophiæ, quæ tum cæteras sectas fama superabat, ob sublimiorem res divinas tractandi methodum amore captus, ad eam Italiæ regionem, quæ Magna Græcia dicebatur, appellens, Archytæ senioris, Eurici, Timæi, Philolai, Epicharmi, aliorumque Pythagoricorum [XXIII] disciplinæ seipsum tradidit. Cui quidem philosophiæ cum diutinam diligentemque operam navasset, Pythagoram magistrum imitatus [40], *Ægypti quoque sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit.* Communis est etiam, nec improbabilis veterum Patrum sententia, Judæos a Platone non neglectos, sive Judæam ipse adierit, sive Judæos tum in Ægypto frequentes consuluerit, et ab iis haud pœnitendam divinæ scientiæ copiam accepisse, qua libros suos dein exornarit. Sic omnigenis philosophorum exuviis affatim locupletatus, domum reversus veteris Academiæ fundamenta jecit, novamque sectam condidit, toto orbe celebrem deinceps futuram, aliasque omnes pene obscuraturam. Hic porro novæ istius sectæ character, ut commistis invicem, ut ait Laertius, Heracliteorum, Pythagoricorum et Stoicorum opinionibus, novum doctrinæ corpus ex omnibus solerter conflatum traderet. Τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ, καθ' Ἡράκλειτον· τὰ δὲ νοητὰ, κατὰ Πυθαγόραν· τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει. *Atque in iis quidem quæ sensibus subjacent, Heraclitii partes tuebatur; ea quæ mente comprehenduntur, ex Pythagoræ sententia tractavit, in rebus autem civilibus, philosophabatur ex mente Socratis.* Huic vero philosophiæ præ cæteris pretium addidit, quod de Deo

[37] Genes. XII, 10. [38] Antiq. I, 8. [39] Lib. VIII De civit., cap. 4 [40] Quintil., lib. I, cap. 19.

Digitized by Google

ejusque proprietatibus, ac iis quibus informandi essent hominum mores, aliis sublimius disseruit. Agnovit enim Plato unum esse Deum, summum opificem universi [41], *et rerum auctorem et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem*; ac proinde [42] *finem boni esse, secundum virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam Dei habeat et imitationem, nec esse aliam ob causam beatum. Hæc itaque causa fuit cur istos cæteris* prætulerint Judæi atque Christiani [43]; *quia cum alii philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum causis, et quinam modus esset discendi atque vivendi; isti Deo cognito repererunt ubi esset causa constitutæ universitatis et lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis.* In hoc tamen cæteris gravius peccavit Plato, quod licet unum verum Deum agnosceret, *diis* tamen *plurimis esse sacra facienda putaret* [44]. Nam præter eum statuit deos alios inferiores, quos et sacris coli jussit. Sicque variis gentium superstitionibus, sacrificiis, sceleratis mysteriis, artibusque magicis, Platonicorum non minus quam cæterorum defœdata mansit philosophia.

29. Ex veteri Platonis Academia prodiere nova et media, quibus addunt nonnulli quartam et quintam, quarum omnium discrimina omnibus nota nihil ad scopum nostrum conferunt. Sed demum post varias quas experta est Academia vicissitudines, qui Platonis dogmatibus strictius adhærebant, spreto Academicorum nomine, quod Arcesilæ sectatoribus relictum, illud Platonicorum sibi vindicarunt, novumque splendorem jam in unum coalescenti, quæ prius scissa erat, scholæ Platonis addiderunt. Efflorusse videntur novi illi Platonici e schola Alexandrina, quam Ptolemæus Philadelphus φιλογράμματος instituerat. Ut enim litterarum studia promoveret, scholamque suam toto orbe celebrem redderet, totam Ægyptiorum sapientiam hactenus hierophantis, Ægyptiacoque idiomati duntaxat concreditam, cum sacris Judæorum libris, ut vulgo creditur, in Græcum (quo plurimis innotescere ac prodesse possent) converti curaverat; bibliothecam non pœnitenda librorum supellectile instruxerat; viros totius orbis doctissimos, Judæos, Græcos, Romanos, etc., advocarat, amplissimæ mercedis spe allectos. Eo confluxere variarum gentium philosophi, doctrinæ specimina daturi. Sed primas facile tenuere Platonici, Ægyptiis maxima cum dogmatibus eorum affinitate præ cæteris commendati; utpote quæ Plato tum ex frequentibus quos habuerat cum mystagogis eorum congressibus, tum ex iis, quos audierat, Pythagoricis, sedulo edidicerat. In divinis siquidem pertractandis Pythagoricam docendi rationem, eamdem pene cum Ægyptiaca, sequebatur, ut mox ex Laertio diximus. Hincque factum ut Ægyptiis tanto in pretio fuerit Platonica philosophia, qualem docebant novi illi Platonici, indeque longe lateque apud alias nationes propagata fuerit.

30. Primus qui in Alexandrina schola famam obtinuisse memoratur, Potamon, Cæsaris Augusti et Tiberii temporibus, Suida teste, florebat: Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος γεγονὼς κατ' Αὔγουστον, καὶ μετ' αὐτόν. Hic, si eidem Suidæ fides, reliquit εἰς τὰς Πλάτωνος πολιτείας ὑπόμνημα, *Commentarios in libros Platonis de Republica*. Si quid aliud scripserit, tempus edax rerum vel ipsam memoriam posteritati invidit. Quamvis autem Potamon potissimum sibi ducem elegisset Platonem, cujus vestigia premeret, non temere tamen in magistri verba quælibet jurandum sibi duxit. Imo cauto pede sic secutus est, ut libere ab illius sententia, melioribus perspectis, discederet. Novum proinde, liberiusque quam hactenus fuerat, in scholam Alexandrinam philosophandi genus introduxit: quo perpurgatis Platonis opinionibus, ablegatis improbabilibus, resectisque nugis, quibus luxuriantia discipulorum ingenia magistri doctrinam obliverant; quæcunque veriora aut vero similiora videbantur, nullo auctorum discrimine habito, ascivit substituitque. Ἐκλεκτικὸν, Latinis *electivum*, dictum est hoc philosophandi genus; sectatores vero ἐκλεκτικοὶ, *electivi* seu *electores*; ut optimum et laudatissimum, sic omnium certe difficillimum, quo dogmatum omnium philosophicorum delectu facto, id duntaxat probabatur, quod ad rationis normam exactum, melius quadrabat. Hanc iniere viam quotquot deinceps e schola Alexandrina nomen sibi compararunt, ut Ammonius, Neroni et Vespasiano σύγχρονος, non ille Origenis et Plotini, sed Plutarchi præceptor, cujus meminit Eunapius in Proœmio. Sed majores in ea progressus fecit, novumque decus restauratæ Platonis Academiæ, admistis aliorum philosophorum, Pythagoræorum in primis, placitis, addidit celebris Ammonius τῆς ἱερᾶς γενεᾶς, sacræ Platonicæ successionis caput dictus: ex cujus ore perpurgatam hanc philosophiam hauserunt Herennius, Origenes et Plotinus; quos deinde Porphyrius, Jamblichus, Hierocles, Syrianus et Proclus, κατ' ἐξοχὴν vocatus διάδοχος, exceperunt, quibus Maximum Tyrium, Alcinoum, Damascium, Apuleium, Chalcidium et alios adjungere possumus.

31. Si quid vero splendoris novæ huic Platonicæ scholæ additum ex aliarum sectarum opinionibus, quas proprias sibi fecit; longe major accessit ex sublimiori theologia, quam ex Judæorum [XXIV] ac Christianorum tum libris, tum sermonibus deprompsit. Cum enim Judæi jam a primis scholæ illius exordiis frequentes apud Alexandriam agerent, librique sacri in Græcum sermonem conversi, gentilium manibus teri cœpissent, non potuerunt ex utrorumque verbis, sannis, dicteriis, et invictis argumentis recentiores illi Platonici non colligere, quam eorum polytheismus, portentosaque gentilitatis sacra et mysteria a sana ratione abhorrerent;

[41] Aug., lib. VIII De civit., cap. 5. [42] Ibid., cap. 8. [43] Ibid., cap. 10 [44] Ibid., cap. 12.

Digitized by Google

et quam econtrario ea quæ ex libris sacris percipitur divinorum notitia, sublimis sit, augusta, pura rationique consentanea. Felices, si micantes inde radii obductas animo nebulas dispulissent, umbrisque discussis ad solem ipsum oculos convertissent! Sed maluere plerique anticipatis opinionibus obcæcati, divinæ lucis igniculos mendaciorum fumo et tenebris obscurare : et cum theologiam suam ex oraculis divinis metiri debuissent, hæc potius ordine præpostero ad Pythagoræ, Platonisque placita revocare studuerunt. Eapropter iis omnibus, quæcunque ex sacris libris, Judæorumque dogmatibus subripere potuerunt, Pythagoricam Platonicamque speciem inducentes, novum doctrinæ corpus coagmentarunt, a crassiori quidem gentilitatis fæce secretum, sordibus tamen adhuc non paucis lutulentum. Jam quidem Plato unum supremum mundi opificem, inferioresque dæmones agnoverat; at de angelis, archangelis, eorum ordinibus et officiis, de mystica nescio qua Triade, aliisque sexcentis, de quibus subtiliori disputatione disseruerunt recentiores illi discipuli, ne κατ' ὄναρ cogitaverat magister : adeo ut hæc iis solis auctoribus prodierint : si tamen auctores dicendi, qui a Judæis accepta ementitis coloribus infuscarunt. At si quid a Judæis acceperint Platonici isti, id postmodum Judæis cum fenore reddiderunt. Nam cum hi novam eam philosophandi rationem dogmatibus sacris, allegoriis et symbolis intermistam, cæterisque puriorem, nec adeo divinioris scientiæ principiis repugnantem animadvertissent, in illius admirationem pertracti, in ejus studium incumbere cœperunt; rati non difficili negotio purgandam a sordibus, quas intulerat ethnica superstitio, utilem fore ad explicanda, accuratiorique methodo pertractanda sacræ religionis mysteria. Itaque huc animum appellentes, divinamque scientiam subtilius quam par erat eliquantes, cum Platonicis πλατωνίζειν, ac purissimos veritatis rivulos in Pythagoræ ac Platonis lacunas derivare cœperunt : magno sane cum religionis detrimento, quæ tota deinceps argutiis, numeris, numerorumque copulationibus, symbolis et allegoriis referta prodiit. Quantum vero in eo disciplinæ genere profecerint Judæi, Hellenistæ præsertim, ex Philonis scriptis videre est, qui quod Platonica dogmata animo altius imbibisset, ceu alter Plato a veteribus habitus fuisse videtur; cujus exemplum male æmulati posteri, argutias argutiis addiderunt, vanisque subtilitatibus ægras mentes paverunt. Quamvis autem adeo longe progressos fuisse Judæos, qui in Palæstina Philonis ætate degebant, nulla demonstrent argumenta; eos tamen Platonica doctrina haud mediocriter excultos suadent tum frequens quod ipsis intercedebat cum Hellenistis, Ægyptiis et Tyriis commercium, tum Flavii Josephi libri, virum in philosophorum lectione non parum versatum ostendentes.

32. Quæ Judæorum animis primum, eadem et Christianorum postea fucum fecit Platonica doctrina; idque eo facilius, quo illucescente Evangelii die, nova accessione ditata superbius quam antea sese extulit. Nam ex quo apostoli apostolicique viri cum ethnica superstitione acerrimo certamine dimicarunt, palamque de ea triumphos egerunt; imminentem huic ruinam ut averterent philosophi, de nova doctrinæ suæ reformatione cogitare cœperunt. Perlectis itaque Novi Testamenti scriptis, habitisque cum doctissimis quibusque Christianorum congressibus, ex eorum dogmatibus ea collegerunt, quibus ethnicæ religioni splendorem et pretium adderent; hæcque suis artificiose intexentes, et ne pateret furtum, symbolicarum formarum involucro, more Platonico, tegentes, novam hypothesim Christianis objecerunt, quæ simulata sanctitatis sublimitatisque specie deciperet imperitos. Susceptum consilium non parum promovit magnus ille Ammonius, Origenis et Plotini præceptor, qui Christianam religionem professus, inordinato Platonicæ philosophiæ, cui operam semper navaverat, amore nihil non molitus est, ut ad hanc Scripturarum oracula revocaret. Malus quidem animus non fuit; hinc enim Christianæ religioni majorem apud gentiles auctoritatem conciliaturum se sperabat. Et si quidem philosophiam, uti par erat, ex Scripturis reformare, eamque intra Evangelii limites concludere studuisset, operæ forsitan pretium fecisset; at contrariam omnino rationem cum iniisset, et Christianæ religioni, et Christianis ipsis exitio fuit. Nam e Christianis plurimi deinceps hujus philosophiæ, quæ præ cæteris in pretio erat, ob affinitatem quam cum Scripturis habere videbatur, studio incumbentes; nec attendentes quidquid sublimius præ se ferebat, totum ex earumdem Scripturarum penu depromptum fuisse, hanc pene cum Scripturis ipsis adæquare, et ad ejus magis quam ad illarum principia ratiocinationes suas exigere assueverunt : quod infinitorum propemodum errorum, quibus contaminata fides fuit, fomitem ministravit. Ethnici econtrario, ex hac sacrorum profanorumque dogmatum mistione, quæ philosophiam ornabat, totque portentosis erroribus purgabat, perficiendæ, insolentiusque efferendæ doctrinæ suæ occasionem opportune captantes, superbius adversus Christianos, quasi Platonis exuviis seipsos ditassent, insolescere, Christianamque religionem contemnere cœperunt. Evanuit ex eorum scriptis ea deorum nulla vel sibi invicem, vel ulli superiori, subjectione colligatorum multitudo : pauciores apparuerunt, omnesque uni supremæ Divinitati, augustiori quam antea sermone celebratæ, subjecti. Angelis, archangelis, mentibus cœlestibus, sexcentisque aliis, quæ a Christianis mutuati fuerant, ornata deinceps processit eorum theologia naturalis. De corporis sensuumque fuga, de cura animi, mentisque cultu et elevatione in Deum, de virtutibus colendis, debellandisque vitiis magnifice scripserunt; intentatumque nihil reliquerunt, quo fucatam doctrinæ puritatem Evangelii sanctitati oppo-

Digitized by Google

nerent. Duo tamen fuerunt, quibus, quidquid agerent, vanæ excusationis velum sic obduci non potuit, quin turpis infamiæ labes eorum religioni semper aspergeretur : magia videlicet, et abominanda [XXV] sacrorum mysteria, Eleusinia præsertim, et Bacchanalia, ut alia sileam. Ex Plotino siquidem, Porphyrio, Jamblicho, Eunapio, aliisque videas, philosophos, perinde atque mystagogos, magicas artes exercuisse, nefandisque dæmonum evocationibus studuisse. Eorum quidem infamiam specioso nomine θεουργίας et commercii sacri cum diis tegere nixi sunt; sed certe abstergere non potuerunt. Ad scelesta mysteria quod attinet, de iis apud citatos philosophos ne verbum quidem, probe conscios scilicet ista nulla ratione excusari posse.

33. Hæc omnia mox dicendis præmittere necesse fuit, ut inde pateret ex quibus fontibus manarint pleraque Gnosticorum dogmata. Sive hi Judæi nati essent, sive pagani, sive Christianam religionem ab incunabulis professi fuissent; novorum Platonicorum doctrina eo facilius imbui potuerunt, quo jam apud Judæos Hellenistas, imo et Palæstinos, et in Ægypto ac Oriente longe lateque propagata fuerat; ex quo præsertim hoc philosophandi genus in celebrem toto orbe scholam Alexandrinam ab Ammonio introductum fuerat, ad quod deinceps studia sua contulerunt Origenes, Plotinus, Porphyrius, aliique tum Christiani, tum ethnici. Cum vero Valentinus, Epiphanio teste, Alexandriæ Græcorum artibus institutus fuerit, haud dubium quin ibi philosophia Platonica animum excoluerit; cum id conceptis verbis asserat Tertullianus supra laudatus. Ex ea præcipua quæque Valentinianæ hæreseos capita profluxisse, ex enucleata eorumdem expositione demonstrare haud adeo difficile fuerit.

34. Ac primo quidem ut a Gnosticorum nomine incipiamus, quod arrogabant sibi Simonis, Menandri, etc., Valentini ac Ptolemæi asseclæ, a γνώσει seu scientia rerum supernarum qua præ cæteris gloriabantur, deductum esse, norunt omnes. Eamdem sermonibus ambitiose jactantes Platonici nihil frequentius habebant in ore quam perfectissimam γνῶσιν, veram sapientiam, intimam animæ unionem cum Deo, mentis elevationem in Deum, cognitionem atque scientiam veri Entis, cœlestium rerum contemplationem. Hæc apud Platonem, Plotinum, Porphyrium, Jamblichum, aliosque passim occurrunt.

35. Totam Valentini hypothesim ad tria capita revocari jam diximus : 1° ad Pleroma, quod res divinas complectitur; 2° ad ea quæ extra Pleroma contigerunt, quibus res inter cœlestes et mundanas mediæ continentur; 3° ad mundi hujus aspectabilis originem et constitutionem. Hæc ipsissima sunt quæ de triplici mundo tam operose disputant Plato in *Timæo*, et *Epimenide*, et post eum discipuli

A ejus. Triplicem namque mundum statuunt illi, alterum quem invisibilem et idealem vocant, quia rerum omnium ideas continet; nihil quippe in mundo inferiori corporali oriri putant, quod non in ideali invisibili mundo exhibeatur. Alterum, quem medium dicunt, qui animam seu spiritum universi, mundi corporalis et visibilis causam complectatur; tertium denique, mundum hunc inferiorem, corporeum et aspectabilem. De his ita Marsilius Ficinus in Platonis *Conviv.* cap. 3 : *Tres apud eos* (Platonicos) *mundi sunt...* : *Primum omnium est Deus universorum auctor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat angelicam; deinde mundi hujus animam, ut Plato vult; postremo mundi corpus. Summum illum Deum, non mundum*
B *dicimus, quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille vero penitus simplex esse debet : sed mundorum omnium principium atque finem ipsum asserimus. Mens angelica primus mundus est a Deo factus, secundus universi corporis anima, tertius tota hæc, quam cernimus, machina.* Triplicem hunc mundum, mutatis duntaxat nominibus, novisque accessionibus locupletatum proposuit Valentinus. Primum mundum vocavit Pleroma, quia totam Divinitatis plenitudinem, rerumque omnium inferiorum exemplaria, ideas et imagines continet; ibique Divinitatis sedem constituit. Communis sententia est, desumptam fuisse vocem ex dicto Pauli Col. II, 9, ubi in Christo
C dicitur πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *tota Divinitatis plenitudo* inhabitare corporaliter. An inde mutuati fuerint Platonici, non dicam; sed certissime asseruerim eadem voce, atque eodem sensu, atque Valentinianos, usos fuisse, adeo ut valde probabile sit hos ab illis accepisse. Id perspicuum est ex istis Jamblichi verbis, sect. I, *De myst.*, cap. 8[48] : Οἱ μὲν (θεοὶ) κρείττονες ἐν αὐτῷ, ὡς ὑπὸ μηδενὸς περιέχονται, καὶ περιέχουσι πάντα ἐν αὐτοῖς. Τὰ δὲ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν τοῖς ΠΛΗΡΩΜΑΣΙ τῶν θεῶν ἔχοντα τὸ εἶναι, ὁπόταν ἐπιτήδεια πρὸς τὴν θείαν μετοχὴν γένηται, εὐθὺς ἔχει πρὸ τῆς οἰκείας ἑαυτῶν οὐσίας προϋπάρχοντας ἐν αὐτῇ τοὺς θεούς. *Dii in hoc maxime præcellunt, quod a nullo contineantur, ipsi autem omnia in se contineant.*
D *Terrena autem, quæ in deorum PLEROMASI habent suam essentiam, quam primum ad divina participanda apta sunt, illico deos in sua substantia prius existentes habent, quam propriam naturam sortiantur.* Eamdem vocem pariter usurpat Damascius non semel

36. Tripartitum erat Valentinianorum Pleroma, in Æonum tetradas duas, seu ogdoada, in decada, et dodecada. Supremum omnium ac primo loco Bythum statuebant, cui Ennoian seu Sigen copulabant. Hunc excipiebat Nus seu Mens, cum qua Veritatem; deinde Verbum, cum quo Vitam; tum Homo, cum quo Ecclesiam colligabant. Quorum si

[48] Edit. Oxon. 1678.

Digitized by Google

non omnia, prima saltem ac rudiora lineamenta suppeditavit Chaldaica, Ægyptiaca, et Pythagorica, seu his omnibus permista Platonica theologia. Jamblichus lib. *De myst.*, sect. VIII, cap. 2, scribit, antiquissimam hanc esse Ægyptiorum de rerum principiis doctrinam : 1° Unum esse Deum, entibus omnibus quæ vere sunt, universalibusque principiis, imo ipso etiam primo Deo et rege priorem : πρὸ τῶν ὄντως ὄντων, καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν ἐστι θεὸς εἷς, πρῶτος καὶ τοῦ πρώτου θεοῦ καὶ βασιλέως · in monade unitatis suæ permanentem, exemplarque illius, qui est sui Pater, a se genitus, et Monopator Deus; est enim majus quid et prius, fons omnium et radix omnium intelligibilium primarum idearum, quæ sunt : ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων · παράδειγμα δὲ ἵδρυται τοῦ αὐτοπάτορος, αὐτογόνου, καὶ μονοπάτορος θεοῦ. Μεῖζον γάρ τι καὶ πρῶτον, καὶ πηγὴ τῶν πάντων, καὶ πυθμὴν τῶν νοουμένων πρώτων εἰδῶν ὄντων. Primum istud principium vocat Mercurius, Jamblicho auctore [46], primum exemplar et Eicton; in quo, inquit, est primum intelligens et primum intelligibile, quodque solo silentio colitur : ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μονῆς θεραπεύεται. [XXVI] De hoc etiam oraculum illud quod sub Zoroastris nomine circumfertur : Ἔχει τὸ νοεῖν, πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι πάσαις πηγαῖς τε καὶ ἀρχαῖς. Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν, μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμεινεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν. *Habet ipsa intelligentia paternam Mentem indere omnibus fontibus et principiis. Est finis Profundi paterni, et fons intelligibilium. Neque prodiit, sed mansit in paterno Profundo, et in adyto per divinum silentium.* Ex quibus evidenter patet nec Bythi nomen, supremi ac primi Dei, Æonum omnium fontis ac parentis, nec rem nomine significatam antiquissimos philosophos latuisse. Bythum nempe seu Profundum vocabant, ob infinitas, quibus gaudet, perfectiones, quarum omnium altitudinem immensam nulla mens creata explorare valet. Rem eamdem, sed aliis verbis, pro more suo, exprimebant poetæ, fingentes ex Oceano natos esse deos omnes. Oceani quippe nomine, cujus altitudo profundissima est, Bythum ipsum seu Profundum philosophorum designabant. 2° Ex hoc uno sponte effulsisse ait Jamblichus Deum sibi sufficientem; qui proinde est sui Pater, et principium. Est enim hic et principium, et Deus deorum, unitas ex uno, superessentialis, et essentiæ principium : nam ab eo natura est et essentia; et propterea Noetarcha, seu intelligibile principium vocatur : ἀπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψε, διὸ καὶ αὐτοπάτωρ, καὶ αὐτάρχης (sic lego, non αὐτάρκης)· ἀρχὴ γὰρ οὗτος καὶ θεὸς θεῶν · μονὰς ἐκ τοῦ ἑνὸς, προούσιος, καὶ ἀρχὴ τῆς οὐσίας · ἀπ' αὐτοῦ γὰρ ἡ οὐσιότης καὶ ἡ οὐσία, διὸ καὶ νοητάρχης προσαγορεύεται. Hunc Mercurius, Jamblicho teste, vocat Deum Emeth (forte legendum cum Eusebio lib. III *Præp. evang.*, cap. 2, *Kneph*), quem tanquam ducem diis cœlestibus præponit, aitque hunc esse Mentem seipsam intelligentem, et alias intellectiones ad se convertentem : ὃν φησι νοῦν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν νοοῦντα, καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφοντα. Aliis nominibus vocatum fuisse ab Ægyptiis tradit idem Jamblichus. « Opifex quippe Mens, ait, Veritatis auctor et præses, ac Sapientiæ, quatenus ad generationem venit, et latentem occultarum rationum vim producit in lucem, lingua Ægyptiaca dicitur Amon : quatenus vero perficit omnia summa cum veritate et arte, vocant eum Phtha : quatenus vero bonorum artifex est, dicitur Osiris; aliasque denominationes propter alias virtutes habet. » Ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτης, καὶ σοφίας, ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων· Ἀμῶν κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται, συντελῶν δὲ ἀψευδῶς ἕκαστα, καὶ τεχνικῶς μετ' ἀληθείας, Φθά· ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὤν, Ὄσιρις κέκληται, καὶ ἄλλας δι' ἄλλας δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας ἐπωνυμίας ἔχει.

37. Hinc aperte colligitur Jamblichum (eadem est Plotini doctrina *Enn.*, lib. V, cap. 3) duos primos deos statuere, iisdemque characteribus ab eo designari, quibus Bythum et Nun designabant Valentiniani : adeo ut ex eodem fonte hauserint omnes, ex Ægyptiaca scilicet et Chaldaica theologia, cui operam navaverant Platonici, ii præsertim qui e schola Alexandrina prodierant. Id vero utrorumque principia et opiniones secum invicem conferenti manifestum fiet. Affirmat Jamblichus, ex Ægyptiorum sententia, primum Deum principiis omnibus ac rebus, ipso etiam primo Deo ac rege priorem esse, in Monade unitatis suæ permanere, fontem omnium esse et radicem omnium intelligibilium primarum idearum, etc. Hæc eadem sunt quæ Bytho suo tribuunt Valentiniani. *Dicunt* enim, Irenæo teste [47], *esse quemdam in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus perfectum Æonem, προόντα, qui ante fuit, quem nulla res capere possit, invisibilem, sempiternum, et ingenitum, et in quiete multa fuisse infinitis sæculis.* Quæ apprime conveniunt : arctius adhuc cohærere deprehendes, si conferas Epiphanis sententiam, quam exponit Irenæus cap. 11 : *Est quadam*, aiebat, *ante omnes Proarche, proanennoetos, et inenarrabilis, et innominabilis, quam ego Monotetem voco. Cum hac Monotete est virtus, quam et ipsam voco Henotetem.* Primus ergo Jamblichi Deus, principiis omnibus et rebus, ipso etiam primo rege prior est. Primus Valentinianorum Deus, perfectissimus Æon est, προών, rebus omnibus præexsistens, Proarche seu primum principium quod ante omnia est, sempi-

[46] Cap. 2. [47] Iren., lib. I, c. 1.

Digitized by Google

ternus, ingenitus, Propator, ipso proinde Nu, quem *Patrem et initium omnium* dicebant, prior. Jamblichi Deus fons omnium est, et radix omnium intelligibilium primarum idearum, primum intelligens, et primum intelligibile, et, ut aiunt oracula Chaldaica, Πηγὴ πηγῶν, πηγῶν ἁπασῶν, μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα, *Fons fontium, et omnium fontium, matrix continens omnia.* Valentinianorum Deus, primus fons et radix primæ Mentis, Noῦ, Veritatis et Verbi, uno verbo totius intelligibilis mundi, seu Pleromatis. Primus Deus, ex oraculis Chaldaicis, est quoddam intelligibile, quod mentis flore percipiendum est; ad quod intelligendum violenter enitendum non sit, sed intima mentis acie, quæ omnia metitur, præter intelligibile illud. Ἔστι γάρ τι νοητὸν, ὃ χρὴ σε νοεῖν νόου ἄνθει, οὐ δὴ χρὴ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο, ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῇ φλογὶ, πάντα μετρούσῃ, πλὴν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο. Primum Deum ex Valentinianis nulla res capere potest, incomprehensibilis est, proanennoetos, inenarrabilis, innominabilis. Hic, ex Platonicis, in singularitate unitatis suæ manet, ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων. Ex Epiphane vero Monotes est, cum qua est virtus quæ dicitur Henotes. Ex Marco, cujus sententiam exponit Irenæus lib. I, cap. 15, n. 1, τῇ μονότητι συνυπάρχει ἑνότης, cum singularitate unitas exsistit. Valentinianis Bythus est, cum quo fuit et Ennœa, cum qua et per quam Nun et Veritatem, cæterorum Æonum principia et fontes, emisit. Chaldaicis oraculis Profundum est, in quo est primum intelligens et primum intelligibile, ἐν ᾧ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν, cum quo intelligentia est, τὸ νοεῖν finis Profundi paterni et fons intelligibilium, quo paternam mentem omnibus fontibus et principatibus indidit. Ennœa Valentinianis dicitur et Sige, seu silentium. Eapropter, Irenæo teste, lib. IV, c. 35, n. 4: *Silentium maximam rem esse apud sapientes* dicebant: *oportere enim eam, quæ sit sursum, Sigen, per id, quod est apud eos, silentium deformari.* Ægyptiis et Chaldæis colitur Deus per solam Sigen, διὰ σιγῆς μόνης: hujus intelligentia tanquam in adyto clauditur per divinum silentium; primus Deus Ægyptiis, ex Damascio in libro *De principiis*, necdum, quod sciam, typis edito, σκότος ἄγνωστον dicitur, tenebræ ignotæ, et ut canit Orpheus:

Αὐτὸν δ' οὐχ ὁράω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται·
Ipsum non video, nubibus enim circumtegitur.

Secundum Valentinianos cum Bytho fuit Ennœa, ipsique conjugatur, nec ab eo prodiit. Secundum Chaldæos primi Dei intelligentia ab ipso non processit, sed mansit in Profundo paterno et in adyto per divinum silentium. Hactenus gutta guttæ similior non est, quam Valentinianorum placita Platonicorum, Ægyptiorum, Chaldæorumque dogmatibus. Sed ad reliqua pergamus.

58. Ex primo Deo sponte emicuisse vult Jamblichus Deum sibi sufficientem, sui Patrem et [XXVII] principium, Mentem seipsam intelligentem, et alias intellectiones ad se convertentem, Mentem secundam et Mentis mentem, ut vocant oracula Chaldaica. A Valentinianorum Bytho prodiit secundus Æon, quem etiam Noῦν vocabant. Nus Valentinianorum ἀρχὴ πάντων, *initium omnium* dicitur, ἐν ᾧ τὰ πάντα ὁ Πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς, *in quo Pater præmisit omnia seminaliter*, ut aiunt lib. I, cap. 8, n. 5. Ægyptiorum, Chaldæorum, et Platonicorum Nus principium est, Deus deorum, Noetarcha seu intelligibile principium, essentiæ principium, a quo omnis natura est et essentia, dux cœlestium deorum, mensque opifex. Nam, ut habent oracula Chaldaica, Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ, καὶ Νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. Noῦ γὰρ νοῦς ἐστιν, ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου. *Cuncta namque perfecit Pater, et Menti tradidit secundæ. Mentis enim mens est, quæ mundi est artifex ignei*, id est intelligibilis. Sic a Bytho prodiit Valentini Nus, ut tamen Pater ipse sit et unigenitus. Sic a primo Deo processit Platonicorum Nus, ut sui Pater sit et principium, et per se genitus, αὐτάγονος, αὐτογέννητος. Cujus quidem rei rationem hanc affert Porphyrius a S. Cyrillo *cont. Julian.* citatus ex lib. IV *De hist. phil.*: Προῆλθε δὲ προαιώνιος ἀπ' αἰτίου τοῦ Θεοῦ ὡρμημένος, αὐτογέννητος ὤν, καὶ αὐτοπάτωρ. Οὐ γὰρ ἐκείνου κινουμένου πρὸς γένεσιν τὴν τούτου ἡ πρόοδος γέγονεν, ἀλλὰ τούτου προελθόντος αὐτογόνως ἐκ Θεοῦ. *Processit ante sæcula a primo Deo prodiens, qui est per se genitus, suique Pater. Neque enim illo se movente ad hujus generationem emissio facta est, sed hoc per se prodeunte a Deo.* Quæ etiam ratio ad Gnosticos quadrat [48]. Nam eodem fere modo sententiam suam exprimebat Epiphanes: *Henotes*, inquit, *et Monotes cum sint unum, emiserunt, non emittentes, principium omnium noeton, et agenneton, et aoraton, quam Archen sermo Monada vocat. Cum hac Monade est virtus ejusdem substantiæ ei, quam et eam voco Hen.* Id est, Monas a Patre emissa est, non per motum generationis proprie dictum, cujus terminus fuerit quidpiam a Patre distinctum; sed mera ejus ἐνέργεια est, non ab eo diversa; ac proinde proprie loquendo ingenita, quæque Patrem nesciat. Ubi etiam observes velim, quod quemadmodum Platonicis Mens secunda seu secundus Deus dicitur Μονὰς ἐκ τοῦ ἑνὸς, *Unitas ex uno*; sic et Epiphani secundus Æon dicitur Μονὰς ἐκ τῆς μονότητος et ἑνότητος, *Unitas ex unitate*; Marco similiter secunda Æonum conjugatio, quæ Nun et Alethiam complectebatur, μονάς τε καὶ τὸ ἕν. Valentinianorum Nus *similis et æqualis est ei qui emisit, et solus capit magnitudinem Patris.* Ægyptiis Mens prima παράδειγμα ἵδρυται, forma et exemplar est ad quod efficta est mens secunda, quæ hujus imago est, ab ea recipiens rerum omnium

[48] Iren., lib. I, cap. 8, n. 3.

Digitized by Google

ideus. *Cuncta namque perfecit Pater, et Menti tradidit secundæ.* Vel, ut habet aliud Chaldaicum effatum, ὁ πρῶτος Θεὸς ἀρχετυποῖ τῷ ἐλάττονι, *primus Deus archetypus est secundo.* Item : Πολὺ γὰρ μόνος ἐκ Πατρὸς ἀλκῆς δρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει, τὸ νοεῖν πατρικὸν νοῦν. *Solus uberem, quem ex Patre decerpsit, mentis florem sortitus est, nosse videlicet paternam mentem.* Porphyrius denique mox citatus, μόνος αἰώνιος ὁ Νοῦς, ὥσπερ ὁ Θεὸς ὁ πρῶτος, *Nus solus æternus, quemadmodum et Deus primus.* Valentiniani Nun copulant cum Veritate. Sic pariter et Mercurius. Mens, ait, Veritatis προστάτης, perficit omnia cum Veritate, συντελῶν ἕκαστα μετ' Ἀληθείας. Illi denique Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent, et initium et formationem* universi Pleromatis, a Nu emissum asserebant. Et B hic similiter : Ὁ γὰρ δημιουργικὸς Νοῦς, inquit, καὶ τῆς Ἀληθείας προστάτης.... ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων. *Opifex quippe Mens et Veritatis præses, ad generationem veniens, latentem occultarum rationum,* λόγων, *vim in lucem producit.* Sed expressius adhuc alio in loco quem referunt Suidas et Cedrenus : Ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἀεὶ νοῦς νοῦ αἴτιον, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης, ἀεὶ ἐν ἑαυτῷ ὤν, ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νοῒ καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχει· ἐκτὸς τούτου οὐ Θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐ δαίμων, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. Πάντων γὰρ Κύριος, καὶ Θεὸς, καὶ Πατὴρ, καὶ πάντα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. Ὁ γὰρ C Λόγος αὐτοῦ προελθὼν, παντέλειος, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ἔγκυον ἐποίησε τὸ ὕδωρ. *Erat lumen intellectuale prius lumine intellectuali, et semper mens mentis principium, nihilque aliud, erat præter ipsius unitatem : semper in seipso manens, semper propria mente, luce, et spiritu omnia continet. Præter eum non Deus, non angelus, non dæmon, non aliqua alia essentia. Omnium enim Dominus est, et Deus, et Pater, et omnia ab ipso et in ipso sunt. Verbum enim ipsius prodiens, perfectum, fecundum et opifex, aquam fecundavit.* Ubi tria saltem principia memorantur, Mens prima, Mens secunda, Verbumque opifex ab hac procedens. Quod autem Vitam cum Verbo conjugarent Valentiniani, a Joannis Evangelio sumpserant, ubi vita Verbo connectitur : *In ipso vita erat,* ut explicat D ipse Ptolemæus apud Irenæum lib. I, cap. 8, n. 5. Nihil enim simile apud Platonicos legisse me memini ; nisi forte huc trahantur plura quæ de ζωῇ disceptat Damascius in libro *Περὶ ἀρχῶν*. Idem de altera conjugatione Hominis et Ecclesiæ dixerim, qua clauditur Valentinianorum ogdoas, seu secundus quaternarius, quamque Ptolemæus eruere se posse putavit ex his Joannis Evangelii verbis, *et vita erat lux hominum,* ut loco mox cit. refert Irenæus.

39. Ex hactenus dictis aperte sequitur, ut a Platonicis tria intelligibilium principia, Mentem primam, Mentem secundam, et Verbum : sic etiam a Valentinianis tria Pleromatis (quod idem esse cum illorum mundo intelligibili diximus) agnosci principia, Bythum, primum principium et Patrem, Nun, Patrem et initium omnium ; et Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent, et initium et formationem universi Pleromatis.* Et hi forte sunt tres Platonis et Amelii reges, de quibus Proclus in *Tim.*, seu potius Trias illa toties a Platonicis decantata. Sed et istud præterea colligitur, octo illorum Æonum conjugationes merito ab Irenæo vocari, primas quidem, *primam et primogenitam Pythagoricam quaternationem, et radicem omnium ;* omnes vero, *primogenitam octonationem, radicem et substantiam omnium.* Quod enim Pythagorici quaternario et octonario numero ascribebant, id Valentiniani sibi vindicantes octo primis Æonibus tribuebant. Pythagorici, qui ad numeros omnia referebant, quaternionem tanti faciebant, ut totius naturæ fontem esse censerent : Ἡ πηγὴ τῆς φύσεως ἡ τετρακτύς, *Fons naturæ quaternarius numerus,* ait Themistius, ex sententia Pythagoreorum, *Phys.* lib. III, et Proclus, in *Theol. Plat.*, lib. IV, cap. 32 : Ἐπειδὴ δὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τοῦ σύμπαντος ἀριθμοῦ, τετράδα προσείρηκεν αὐτὸ, τεττάρων τῶν πρωτουργῶν [XXVIII] αἰτίων περιληπτικὴν ὁ Τίμαιος, πάσης γὰρ εἰδοποιίας ἡ τέτρας αὕτη πηγὴ προϋφέστηκεν. *Quoniam vero causam in se continet omnis numeri, quaternitatem id Timæus appellavit, quatuor primo operantes causas comprehendentem ; omnis enim formarum procreationis fons præexstitit.* Hinc sacrum apud Pythagoreos jusjurandum, quo per Pythagoram quaternarii auctorem dejerabant :

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχῇ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.
Per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium,
Fontem perennis naturæ radices habentem.

Et hinc etiam quaternarium, omnem numerum appellabant. Suidas in Ἀριθμῷ : Οἱ Πυθαγόρειοι πάντα ἀριθμὸν τετρακτὺν προσηγόρευον· ὁ δὴ ἀριθμὸς συμπληροῦται τοῖς δέκα. Ὁ δὲ δέκα, σύνθεσις τῶν τεσσάρων, καὶ διὰ τοῦτο ἀριθμὸν πάντα τετρακτὺν ἔλεγον. *Pythagorei autem omnem numerum appellabant quaternarium, qui sane denario completur. Denarius vero est compositio quaternarii : ideoque quaternarium, omnem numerum vocabant.* Nempe quod denarium complectatur, qui in sese numerum omnem comprehendit : quidquid enim ultra denarium numeratur, denarii repetitio est. Quaternarius vero, si conjungas unitatem, binarium, et ternarium, quibus constat, mox denarium efficit. Atqui ut Pythagorei quaternarium Naturæ fontem et radicem, et omnem numerum appellabant, sic Valentiniani primum Æonum quaternionem, primum et primigenum, et omnium radicem dicebant ; eo quod a primo illo quaternario profluueret secundus, cæterorum omnium Æonum fons et principium. Et ut a quaternario denarium fluere volebant Pythagorei, sic a secundo quaternario Æonum decada emitti asserebant Valentiniani. Hi præterea *octonationem* ex duabus tetradibus conflatam, *primogeni-*

Digitized by Google

ejusque proprietatibus, ac iis quibus informandi essent hominum mores, aliis sublimius disseruit. Agnovit enim Plato unum esse Deum, summum opificem universi [41], *et rerum auctorem et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem*; ac proinde [42] *finem boni esse, secundum virtutem vivere, et ei soli evenire posse qui notitiam Dei habeat et imitationem, nec esse aliam ob causam beatum. Hæc itaque causa fuit cur istos cæteris* prætulerint Judæi atque Christiani [43]; *quia cum alii philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum causis, et quinam modus esset discendi atque vivendi; isti Deo cognito repererunt ubi esset causa constitutæ universitatis et lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis.* In hoc tamen cæteris gravius peccavit Plato, quod licet unum verum Deum agnosceret, *diis* tamen *plurimis esse sacra facienda putaret* [44]. Nam præter eum statuit deos alios inferiores, quos et sacris coli jussit. Sicque variis gentium superstitionibus, sacrificiis, sceleratis mysteriis, artibusque magicis, Platonicorum non minus quam cæterorum defœdata mansit philosophia.

29. Ex veteri Platonis Academia prodiere nova et media, quibus addunt nonnulli quartam et quintam, quarum omnium discrimina omnibus nota nihil ad scopum nostrum conferunt. Sed demum post varias quas experta est Academia vicissitudines, qui Platonis dogmatibus strictius adhærebant, spreto Academicorum nomine, quod Arcesilæ sectatoribus relictum, illud Platonicorum sibi vindicarunt, novumque splendorem jam in unum coalescenti, quæ prius scissa erat, scholæ Platonis addiderunt. Efflоruisse videntur novi illi Platonici e schola Alexandrina, quam Ptolemæus Philadelphus φιλογράμματος instituerat. Ut enim litterarum studia promoveret, scholamque suam toto orbe celebrem redderet, totam Ægyptiorum sapientiam hactenus hierophantis, Ægyptiacoque idiomati duntaxat concreditam, cum sacris Judæorum libris, ut vulgo creditur, in Græcum (quo plurimis innotescere ac prodesse possent) converti curaverat; bibliothecam non pœnitenda librorum supellectile instruxerat; viros totius orbis doctissimos, Judæos, Græcos, Romanos, etc., advocarat, amplissimæ mercedis spe allectos. Eo confluxere variarum gentium philosophi, doctrinæ specimina daturi. Sed primas facile tenuere Platonici, Ægyptiis maxima cum dogmatibus eorum affinitate præ cæteris commendati; utpote quæ Plato tum ex frequentibus quos habuerat cum mystagogis eorum congressibus, tum ex iis, quos audierat, Pythagoricis, sedulo edidicerat. In divinis siquidem pertractandis Pythagoricam docendi rationem, eamdem pene cum Ægyptiaca, sequebatur, ut mox ex Laertio diximus. Hincque factum ut Ægyptiis tanto in pretio fuerit Platonica philosophia, qualem docebant novi illi Platonici, indeque longe lateque apud alias nationes propagata fuerit.

30. Primus qui in Alexandrina schola famam obtinuisse memoratur, Potamon, Cæsaris Augusti et Tiberii temporibus, Suida teste, florebat: Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος γεγονὼς κατ' Αὔγουστον, καὶ μετ' αὐτόν. Hic, si eidem Suidæ fides, reliquit εἰς τὰς Πλάτωνος πολιτείας ὑπόμνημα, *Commentarios in libros Platonis de Republica.* Si quid aliud scripserit, tempus edax rerum vel ipsam memoriam posteritati invidit. Quamvis autem Potamon potissimum sibi ducem elegisset Platonem, cujus vestigia premeret, non temere tamen in magistri verba quælibet jurandum sibi duxit. Imo cauto pede sic secutus est, ut libere ab illius sententia, melioribus perspectis, discederet. Novum proinde, liberiusque quam hactenus fuerat, in scholam Alexandrinam philosophandi genus introduxit: quo perpurgatis Platonis opinionibus, ablegatis improbabilibus, resectisque nugis, quibus luxuriantia discipulorum ingenia magistri doctrinam obliverant; quæcunque veriora aut vero similiora videbantur, nullo auctorum discrimine habito, ascivit substituitque. Ἐκλεκτικὸν, Latinis *electivum*, dictum est hoc philosophandi genus; sectatores vero ἐκλεκτικοὶ, *electivi* seu *electores;* ut optimum et laudatissimum, sic omnium certe difficillimum, quo dogmatum omnium philosophicorum delectu facto, id duntaxat probabatur, quod ad rationis normam exactum, melius quadrabat. Hanc iniere viam quotquot deinceps e schola Alexandrina nomen sibi compararunt, ut Ammonius, Neroni et Vespasiano σύγχρονος, non ille Origenis et Plotini, sed Plutarchi præceptor, cujus meminit Eunapius in Proœmio. Sed majores in ea progressus fecit, novumque decus restauratæ Platonis Academiæ, admistis aliorum philosophorum, Pythagoræorum in primis, placitis, addidit celebris Ammonius τῆς ἱερᾶς γενεᾶς, sacræ Platonicæ successionis caput dictus: ex cujus ore perpurgatam hanc philosophiam hauserunt Herennius, Origenes et Plotinus; quos deinde Porphyrius, Jamblichus, Hierocles, Syrianus et Proclus, κατ' ἐξοχὴν vocatus διάδοχος, exceperunt, quibus Maximum Tyrium, Alcinoum, Damascium, Apuleium, Chalcidium et alios adjungere possumus.

31. Si quid vero splendoris novæ huic Platonicæ scholæ additum ex aliarum sectarum opinionibus, quas proprias sibi fecit; longe major accessit ex sublimiori theologia, quam ex Judæorum [XXIV] ac Christianorum tum libris, tum sermonibus deprompsit. Cum enim Judæi jam a primis scholæ illius exordiis frequentes apud Alexandriam agerent, librique sacri in Græcum sermonem conversi, gentilium manibus teri cœpissent, non potuerunt ex utrorumque verbis, sannis, dicteriis, et invictis argumentis recentiores illi Platonici non colligere, quam eorum polytheismus, portentosaque gentilitatis sacra et mysteria a sana ratione abhorrerent;

[41] Aug., lib. VIII De civit., cap. 5. [42] Ibid., cap. 8. [43] Ibid., cap. 10 [44] Ibid., cap. 12.

Digitized by Google

et quam econtrario ea quæ ex libris sacris percipitur divinorum notitia, sublimis sit, augusta, pura rationique consentanea. Felices, si micantes inde radii obductas animo nebulas dispulissent, umbrisque discussis ad solem ipsum oculos convertissent! Sed maluere plerique anticipatis opinionibus obcæcati, divinæ lucis igniculos mendaciorum fumo et tenebris obscurare : et cum theologiam suam ex oraculis divinis metiri debuissent, hæc potius ordine præpostero ad Pythagoræ, Platonisque placita revocare studuerunt. Eapropter iis omnibus, quæcunque ex sacris libris, Judæorumque dogmatibus subripere potuerunt, Pythagoricam Platonicamque speciem inducentes, novum doctrinæ corpus coagmentarunt, a crassiori quidem gentilitatis fæce secretum, sordibus tamen adhuc non paucis lutulentum. Jam quidem Plato unum supremum mundi opificem, inferioresque dæmones agnoverat; at de angelis, archangelis, eorum ordinibus et officiis, de mystica nescio qua Triade, aliisque sexcentis, de quibus subtiliori disputatione disseruerunt recentiores illi discipuli, ne κατ' ὄναρ cogitaverat magister : adeo ut hæc iis solis auctoribus prodierint : si tamen auctores dicendi, qui a Judæis accepta ementitis coloribus infuscarunt. At si quid a Judæis acceperint Platonici isti, id postmodum Judæis cum fenore reddiderunt. Nam cum hi novam eam philosophandi rationem dogmatibus sacris, allegoriis et symbolis intermistam, cæterisque puriorem, nec adeo divinioris scientiæ principiis repugnantem animadvertissent, in illius admirationem pertracti, in ejus studium incumbere cœperunt; rati non difficili negotio purgandam a sordibus, quas intulerat ethnica superstitio, utilem fore ad explicanda, accuratiorique methodo pertractanda sacræ religionis mysteria. Itaque hucanimum appellentes, divinamque scientiam subtilius quam par erat eliquantes, cum Platonicis πλατωνίζειν, ac purissimos veritatis rivulos in Pythagoræ ac Platonis lacunas derivare cœperunt : magno sane cum religionis detrimento, quæ tota deinceps argutiis, numeris, numerorumque copulationibus, symbolis et allegoriis referta prodiit. Quantum vero in eo disciplinæ genere profecerint Judæi, Hellenistæ præsertim, ex Philonis scriptis videre est, qui quod Platonica dogmata animo altius imbibisset, ceu alter Plato a veteribus habitus fuisse videtur; cujus exemplum male æmulati posteri, argutias argutiis addiderunt, vanisque subtilitatibus ægras mentes paverunt. Quamvis autem adeo longe progressos fuisse Judæos, qui in Palæstina Philonis ætate degebant, nulla demonstrent argumenta; eos tamen Platonica doctrina haud mediocriter excultos suadent tum frequens quod ipsis intercedebat cum Hellenistis, Ægyptiis et Tyriis commercium, tum Flavii Josephi libri, virum in philosophorum lectione non parum versatum ostendentes.

32. Quæ Judæorum animis primum, eadem et Christianorum postea fucum fecit Platonica doctrina; idque eo facilius, quo illucescente Evangelii die, nova accessione ditata superbius quam antea sese extulit. Nam ex quo apostoli apostolicique viri cum ethnica superstitione acerrimo certamine dimicarunt, palamque de ea triumphos egerunt; imminentem huic ruinam ut averterent philosophi, de nova doctrinæ suæ reformatione cogitare cœperunt. Perlectis itaque Novi Testamenti scriptis, habitisque cum doctissimis quibusque Christianorum congressibus, ex eorum dogmatibus ea collegerunt, quibus ethnicæ religioni splendorem et pretium adderent; hæcque suis artificiose intexentes, et ne pateret furtum, symbolicarum formarum involucro, more Platonico, tegentes, novam hypothesim Christianis objecerunt, quæ simulata sanctitatis sublimitatisque specie deciperet imperitos. Susceptum consilium non parum promovit magnus ille Ammonius, Origenis et Plotini præceptor, qui Christianam religionem professus, inordinato Platonicæ philosophiæ, cui operam semper navaverat, amore nihil non molitus est, ut ad hanc Scripturarum oracula revocaret. Malus quidem animus non fuit; hinc enim Christianæ religioni majorem apud gentiles auctoritatem conciliaturum se sperabat. Et si quidem philosophiam, uti par erat, ex Scripturis reformare, eamque intra Evangelii limites concludere studuisset, operæ forsitan pretium fecisset; at contrariam omnino rationem cum iniisset, et Christianæ religioni, et Christianis ipsis exitio fuit. Nam e Christianis plurimi deinceps hujus philosophiæ, quæ præ cæteris in pretio erat, ob affinitatem quam cum Scripturis habere videbatur, studio incumbentes; nec attendentes quidquid sublimius præ se ferebat, totum ex earumdem Scripturarum penu depromptum fuisse, hanc pene cum Scripturis ipsis adæquare, et ad ejus magis quam ad illarum principia ratiocinationes suas exigere assueverunt : quod infinitorum propemodum errorum, quibus contaminata fides fuit, fomitem ministravit. Ethnici econtrario, ex hac sacrorum profanorumque dogmatum mistione, quæ philosophiam ornabat, totque portentosis erroribus purgabat, perficiendæ, insolentiusque efferendæ doctrinæ suæ occasionem opportune captantes, superbius adversus Christianos, quasi Platonis exuviis seipsos ditassent, insolescere, Christianamque religionem contemnere cœperunt. Evanuit ex eorum scriptis ea deorum nulla vel sibi invicem, vel ulli superiori, subjectione colligatorum multitudo : pauciores apparuerunt, omnesque uni supremæ Divinitati, augustiori quam antea sermone celebratæ, subjecti. Angelis, archangelis, mentibus cœlestibus, sexcentisque aliis, quæ a Christianis mutuati fuerant, ornata deinceps processit eorum theologia naturalis. De corporis sensuumque fuga, de cura animi, mentisque cultu et elevatione in Deum, de virtutibus colendis, debellandisque vitiis magnifice scripserunt; intentatumque nihil reliquerunt, quo fucatam doctrinæ puritatem Evangelii sanctitati oppo-

Digitized by Google

nerent. Duo tamen fuerunt, quibus, quidquid ageret, vanæ excusationis velum sic obduci non potuit, quin turpis infamiæ labes eorum religioni semper aspergeretur : magia videlicet, et abominanda [XXV] sacrorum mysteria, Eleusinia præsertim, et Bacchanalia, ut alia sileam. Ex Plotino siquidem, Porphyrio, Jamblicho, Eunapio, aliisque videas, philosophos, perinde atque mystagogos, magicas artes exercuisse, nefandisque dæmonum evocationibus studuisse. Eorum quidem infamiam specioso nomine θεουργίας et commercii sacri cum diis tegere nixi sunt; sed certe abstergere non potuerunt. Ad scelesta mysteria quod attinet, de iis apud citatos philosophos ne verbum quidem, probe conscios scilicet ista nulla ratione excusari posse.

33. Hæc omnia mox dicendis præmittere necesse fuit, ut inde pateret ex quibus fontibus manarint pleraque Gnosticorum dogmata. Sive hi Judæi nati essent, sive pagani, sive Christianam religionem ab incunabulis professi fuissent; novorum Platonicorum doctrina eo facilius imbui potuerunt, quo jam apud Judæos Hellenistas, imo et Palæstinos, et in Ægypto ac Oriente longe lateque propagata fuerat; ex quo præsertim hoc philosophandi genus in celebrem toto orbe scholam Alexandrinam ab Ammonio introductum fuerat, ad quod deinceps studia sua contulerunt Origenes, Plotinus, Porphyrius, aliique tum Christiani, tum ethnici. Cum vero Valentinus, Epiphanio teste, Alexandriæ Græcorum artibus institutus fuerit, haud dubium quin ibi philosophia Platonica animum excoluerit; cum id conceptis verbis asserat Tertullianus supra laudatus. Ex ea præcipua quæque Valentinianæ hæreseos capita profluxisse, ex enucleata eorumdem expositione demonstrare haud adeo difficile fuerit.

34. Ac primo quidem ut a Gnosticorum nomine incipiamus, quod arrogabant sibi Simonis, Menandri, etc., Valentini ac Ptolemæi asseclæ, a γνώσει seu scientia rerum supernarum qua præ cæteris gloriabantur, deductum esse, norunt omnes. Eamdem sermonibus ambitiose jactantes Platonici nihil frequentius habebant in ore quam perfectissimam γνῶσιν, veram sapientiam, intimam animæ unionem cum Deo, mentis elevationem in Deum, cognitionem atque scientiam veri Entis, cœlestium rerum contemplationem. Hæc apud Platonem, Plotinum, Porphyrium, Jamblichum, aliosque passim occurrunt.

35. Totam Valentini hypothesim ad tria capita revocari jam diximus : 1° ad Pleroma, quod res divinas complectitur; 2° ad ea quæ extra Pleroma contigerunt, quibus res inter cœlestes et mundanas mediæ continentur; 3° ad mundi hujus aspectabilis originem et constitutionem. Hæc ipsissima sunt quæ de triplici mundo tam operose disputant Plato in *Timæo*, et *Epimenide*, et post eum discipuli

A ejus. Triplicem namque mundum statuunt illi, alterum quem invisibilem et idealem vocant, quia rerum omnium ideas continet; nihil quippe in mundo inferiori corporali oriri putant, quod non in ideali invisibili mundo exhibeatur. Alterum, quem medium dicunt, qui animam seu spiritum universi, mundi corporalis et visibilis causam complectatur; tertium denique, mundum hunc inferiorem, corporeum et aspectabilem. De his ita Marsilius Ficinus in Platonis *Conviv.* cap. 3 : *Tres apud eos* (Platonicos) *mundi sunt...* : *Primum omnium est Deus universorum auctor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat angelicam; deinde mundi hujus animam, ut Plato vult; postremo mundi corpus. Summum illum Deum, non mundum*
B *dicimus, quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille vero penitus simplex esse debet : sed mundorum omnium principium atque finem ipsum asserimus. Mens angelica primus mundus est a Deo factus, secundus universi corporis anima, tertius tota hæc, quam cernimus, machina.* Triplicem hunc mundum, mutatis duntaxat nominibus, novisque accessionibus locupletatum proposuit Valentinus. Primum mundum vocavit Pleroma, quia totam Divinitatis plenitudinem, rerumque omnium inferiorum exemplaria, ideas et imagines continet; ibique Divinitatis sedem constituit. Communis sententia est, desumptam fuisse vocem ex dicto Pauli Col. II, 9, ubi in Christo
C dicitur πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *tota Divinitatis plenitudo* inhabitare corporaliter. An inde mutuati fuerint Platonici, non dicam; sed certissime asseruerim eadem voce, atque eodem sensu, atque Valentinianos, usos fuisse, adeo ut valde probabile sit hos ab illis accepisse. Id perspicuum est ex istis Jamblichi verbis, sect. I, *De myst.*, cap. 8[48] : Οἱ μὲν (θεοὶ) κρείττονες ἐν αὐτῷ, ὡς ὑπὸ μηδενὸς περιέχονται, καὶ περιέχουσι πάντα ἐν αὐτοῖς. Τὰ δὲ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν τοῖς ΠΛΗΡΩΜΑΣΙ τῶν θεῶν ἔχοντα τὸ εἶναι, ὁπόταν ἐπιτήδεια πρὸς
D τὴν θείαν μετοχὴν γένηται, εὐθὺς ἔχει πρὸ τῆς οἰκείας ἑαυτῶν οὐσίας προϋπάρχοντας ἐν αὐτῇ τοὺς θεούς. *Dii in hoc maxime præcellunt, quod a nullo contineantur, ipsi autem omnia in se contineant. Terrena autem, quæ in deorum PLEROMASI habent suam essentiam, quam primum ad divina participanda apta sunt, illico deos in sua substantia prius exsistentes habent, quam propriam naturam sortiantur.* Eamdem vocem pariter usurpat Damascius non semel

36. Tripartitum erat Valentinianorum Pleroma, in Æonum tetradas duas, seu ogdoada, in decada, et dodecada. Supremum omnium ac primo loco Bythum statuebant, cui Ennoian seu Sigen copulabant. Hunc excipiebat Nus seu Mens, cum qua Veritatem; deinde Verbum, cum quo Vitam; tum Homo, cum quo Ecclesiam colligabant. Quorum si

[48] Edit. Oxon. 1678.

Digitized by Google

non omnia, prima saltem ac rudiora lineamenta suppeditavit Chaldaica, Ægyptiaca, et Pythagorica, seu his omnibus permista Platonica theologia. Jamblichus lib. *De myst.*, sect. VIII, cap. 2, scribit, antiquissimam hanc esse Ægyptiorum de rerum principiis doctrinam : 1° Unum esse Deum, entibus omnibus quæ vere sunt, universalibusque principiis, imo ipso etiam primo Deo et rege priorem : πρὸ τῶν ὄντως ὄντων, καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν ἐστι Θεὸς εἷς, πρῶτος καὶ τοῦ πρώτου Θεοῦ καὶ βασιλέως · in monade unitatis suæ permanentem, exemplarque illius, qui est sui Pater, a se genitus, et Monopator Deus; est enim majus quid et prius, fons omnium et radix omnium intelligibilium primarum idearum, quæ sunt : ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων · παράδειγμα δὲ ἵδρυται τοῦ αὐτοπάτορος, αὐτογόνου, καὶ μονοπάτορος Θεοῦ. Μεῖζον γάρ τι καὶ πρῶτον, καὶ πηγὴ τῶν πάντων, καὶ πυθμὴν τῶν νοουμένων πρώτων εἰδῶν ὄντων. Primum istud principium vocat Mercurius, Jamblicho auctore [46], primum exemplar et Eicton; in quo, inquit, est primum intelligens et primum intelligibile, quodque solo silentio colitur : ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μονῆς θεραπεύεται. [XXVI] De hoc etiam oraculum illud quod sub Zoroastris nomine circumfertur : Ἔχει τὸ νοεῖν, πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι πάσαις πηγαῖς τε καὶ ἀρχαῖς. Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν, μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμεινεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν. *Habet ipsa intelligentia paternam Mentem indere omnibus fontibus et principiis. Est finis Profundi paterni, et fons intelligibilium. Neque prodiit, sed mansit in paterno Profundo, et in adyto per divinum silentium.* Ex quibus evidenter patet nec Bythi nomen, supremi ac primi Dei, Æonum omnium fontis ac parentis, nec rem nomine significatam antiquissimos philosophos latuisse. Bythum nempe seu Profundum vocabant, ob infinitas, quibus gaudet, perfectiones, quarum omnium altitudinem immensam nulla mens creata explorare valet. Rem eamdem, sed aliis verbis, pro more suo, exprimebant poetæ, fingentes ex Oceano natos esse deos omnes. Oceani quippe nomine, cujus altitudo profundissima est, Bythum ipsum seu Profundum philosophorum designabant. 2° Ex hoc uno sponte effulsisse ait Jamblichus Deum sibi sufficientem; qui proinde est sui Pater, et principium. Est enim hic et principium, et Deus deorum, unitas ex uno, superessentialis, et essentiæ principium : nam ab eo natura est et essentia; et propterea Noetarcha, seu intelligibile principium vocatur : ἀπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης Θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψε, διὸ καὶ αὐτοπάτωρ, καὶ αὐτάρχης (sic lego, non αὐτάρκης)· ἀρχὴ γὰρ οὗτος καὶ Θεὸς θεῶν· μονὰς ἐκ τοῦ ἑνὸς, προούσιος, καὶ ἀρχὴ τῆς οὐσίας· ἀπ' αὐτοῦ γὰρ ἡ οὐσιότης καὶ ἡ οὐσία, διὸ καὶ νοητάρχης προσαγορεύεται. Hunc Mercurius, Jamblicho teste, vocat Deum Emeth (forte legendum cum Eusebio lib. III *Præp. evang.*, cap. 2, *Kneph*), quem tanquam ducem diis cœlestibus præponit, aitque hunc esse Mentem seipsam intelligentem, et alias intellectiones ad se convertentem : ὃν φησι νοῦν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν νοοῦντα, καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφοντα. Aliis nominibus vocatum fuisse ab Ægyptiis tradit idem Jamblichus. « Opifex quippe Mens, ait, Veritatis auctor et præses, ac Sapientiæ, quatenus ad generationem venit, et latentem occultarum rationum vim producit in lucem, lingua Ægyptiaca dicitur Amon : quatenus vero perficit omnia summa cum veritate et arte, vocant eum Phtha : quatenus vero bonorum artifex est, dicitur Osiris; aliasque denominationes propter alias virtutes habet. » Ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτης, καὶ σοφίας, ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων· Ἀμῶν κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται, συντελῶν δὲ ἀψευδῶς ἕκαστα, καὶ τεχνικῶς μετ' ἀληθείας, Φθά· ἀγαθῶν δὲ ποιητικὸς ὤν, Ὄσιρις κέκληται, καὶ ἄλλας δι' ἄλλας δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας ἐπωνυμίας ἔχει.

37. Hinc aperte colligitur Jamblichum (eadem est Plotini doctrina *Enn.*, lib. V, cap. 3) duos primos deos statuere, iisdemque characteribus ab eo designari, quibus Bythum et Nun designabant Valentiniani : adeo ut ex eodem fonte hauserint omnes, ex Ægyptiaca scilicet et Chaldaica theologia, cui operam navaverant Platonici, ii præsertim qui e schola Alexandrina prodierant. Id vero utrorumque principia et opiniones secum invicem conferenti manifestum fiet. Affirmat Jamblichus, ex Ægyptiorum sententia, primum Deum principiis omnibus ac rebus, ipso etiam primo Deo ac rege priorem esse, in Monade unitatis suæ permanere, fontem omnium esse et radicem omnium intelligibilium primarum idearum, etc. Hæc eadem sunt quæ Bytho suo tribuunt Valentiniani. *Dicunt* enim, Irenæo teste [47], *esse quemdam in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus perfectum Æonem*, προόντα, *qui ante fuit, quem nulla res capere possit, invisibilem, sempiternum, et ingenitum, et in quiete multa fuisse infinitis sæculis.* Quæ apprime conveniunt : arctius adhuc cohærere deprehendes, si conferas Epiphanis sententiam, quam exponit Irenæus cap. 11 : *Est quædam*, aiebat, *ante omnes Proarche, proanennoetos, et inenarrabilis, et innominabilis, quam ego Monotetem voco. Cum hac Monotete est virtus, quam et ipsam voco Henotetem.* Primus ergo Jamblichi Deus, principiis omnibus et rebus, ipso etiam primo rege prior est. Primus Valentinianorum Deus, perfectissimus Æon est, προών, rebus omnibus præexsistens, Proarche seu primum principium quod ante omnia est, sempi-

[46] Cap. 2. [47] Iren., lib. I, c. 1.

Digitized by Google

ternus, Ingenitus, Propator, ipso proinde Nu, quem *Patrem et initium omnium* dicebant, prior. Jamblichi Deus fons omnium est, et radix omnium intelligibilium primarum idearum, primum intelligens, et primum intelligibile, et, ut aiunt oracula Chaldaica, Πηγὴ πηγῶν, πηγῶν ἁπασῶν, μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα, *Fons fontium, et omnium fontium, matrix continens omnia.* Valentinianorum Deus, primus fons et radix primæ Mentis, Noῦ, Veritatis et Verbi, uno verbo totius intelligibilis mundi, seu Pleromatis. Primus Deus, ex oraculis Chaldaicis, est quoddam intelligibile, quod mentis flore percipiendum est; ad quod intelligendum violenter enitendum non sit, sed intima mentis acie, quæ omnia metitur, præter intelligibile illud. Ἔστι γάρ τι νοητὸν, ὃ χρὴ σε νοεῖν νόου ἄνθει, οὐ δὴ χρὴ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο, ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῇ φλογὶ, πάντα μετρούσῃ, πλὴν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο. Primum Deum ex Valentinianis nulla res capere potest, incomprehensibilis est, proanennoetos, inenarrabilis, innominabilis. Hic, ex Platonicis, in singularitate unitatis suæ manet, ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων. Ex Epiphane vero Monotes est, cum qua est virtus quæ dicitur Henotes. Ex Marco, cujus sententiam exponit Irenæus lib. I, cap. 15, n. 1, τῇ μονότητι συνυπάρχει ἑνότης, cum singularitate unitas exsistit. Valentinianis Bythus est, cum quo fuit et Ennœa, cum qua et per quam Nun et Veritatem, cæterorum Æonum principia et fontes, emisit. Chaldaicis oraculis Profundum est, in quo est primum intelligens et primum intelligibile, ἐν ᾧ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν, cum quo intelligentia est, τὸ νοεῖν finis Profundi paterni et fons intelligibilium, quo paternam mentem omnibus fontibus et principatibus indidit. Ennœa Valentinianis dicitur et Sige, seu silentium. Eapropter, Irenæo teste, lib. IV, c. 35, n. 4: *Silentium maximam rem esse apud sapientes* dicebant: *oportere enim eam, quæ sit sursum, Sigen, per id, quod est apud eos, silentium deformari.* Ægyptiis et Chaldæis colitur Deus per solam Sigen, διὰ σιγῆς μόνης: hujus intelligentia tanquam in adyto clauditur per divinum silentium; primus Deus Ægyptiis, ex Damascio in libro *De principiis*, necdum, quod sciam, typis edito, σκότος ἄγνωστον dicitur, tenebræ ignotæ, et ut canit Orpheus:

Αὐτὸν δ' οὐχ ὁράω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται·
Ipsum non video, nubibus enim circumtegitur.

Secundum Valentinianos cum Bytho fuit Ennœa, ipsique conjugatur, nec ab eo prodiit. Secundum Chaldæos primi Dei intelligentia ab ipso non processit, sed mansit in Profundo paterno et in adyto per divinum silentium. Hactenus gutta guttæ similior non est, quam Valentinianorum placita Platonicorum, Ægyptiorum, Chaldæorumque dogmatibus. Sed ad reliqua pergamus.

58. Ex primo Deo sponte emicuisse vult Jamblichus Deum sibi sufficientem, sui Patrem et [XXVII] principium, Mentem seipsam intelligentem, et alias intellectiones ad se convertentem, Mentem secundam et Mentis mentem, ut vocant oracula Chaldaica. A Valentinianorum Bytho prodiit secundus Æon, quem etiam Noῦν vocabant. Nus Valentinianorum ἀρχὴ πάντων, *initium omnium* dicitur, ἐν ᾧ τὰ πάντα ὁ Πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς, *in quo Pater præmisit omnia seminaliter*, ut aiunt lib. I, cap. 8, n. 5. Ægyptiorum, Chaldæorum, et Platonicorum Nus principium est, Deus deorum, Noetarcha seu intelligibile principium, essentiæ principium, a quo omnis natura est et essentia, dux cœlestium deorum, mensque opifex. Nam, ut habent oracula Chaldaica, Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ, καὶ Νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. Noῦ γὰρ νοῦς ἐστιν, ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου. *Cuncta namque perfecit Pater, et Menti tradidit secundæ. Mentis enim mens est, quæ mundi est artifex ignei*, id est intelligibilis. Sic a Bytho prodiit Valentini Nus, ut tamen Pater ipse sit et unigenitus. Sic a primo Deo processit Platonicorum Nus, ut sui Pater sit et principium, et per se genitus, αὐτόγονος, αὐτογέννητος. Cujus quidem rei rationem hanc affert Porphyrius a S. Cyrillo *cont. Julian.* citatus ex lib. IV *De hist. phil.*: Προῆλθε δὲ προαιώνιος ἀπ' αἰτίου τοῦ Θεοῦ ὡρμημένος, αὐτογέννητος ὤν, καὶ αὐτοπάτωρ. Οὐ γὰρ ἐκείνου κινουμένου πρὸς γένεσιν τὴν τούτου ἡ πρόοδος γέγονεν, ἀλλὰ τούτου προελθόντος αὐτογόνως ἐκ Θεοῦ. *Processit ante sæcula a primo Deo prodiens, qui est per se genitus, suique Pater. Neque enim illo se movente ad hujus generationem emissio facta est, sed hac per se prodeunte a Deo.* Quæ etiam ratio ad Gnosticos quadrat [48]. Nam eodem fere modo sententiam suam exprimebat Epiphanes: *Henotes*, inquit, *et Monotes cum sint unum, emiserunt, non emittentes, principium omnium noeton, et agenneton, et aoraton, quam Archen sermo Monada vocat. Cum hac Monade est virtus ejusdem substantiæ ei, quam et eam voco Hen.* Id est, Monas a Patre emissa est, non per motum generationis proprie dictum, cujus terminus fuerit quidpiam a Patre distinctum; sed mera ejus ἐνέργεια est, non ab eo diversa; ac proinde proprie loquendo ingenita, quæque Patrem nesciat. Ubi etiam observes velim, quod quemadmodum Platonicis Mens secunda seu secundus Deus dicitur Μονὰς ἐκ τοῦ ἑνὸς, *Unitas ex uno*; sic et Epiphani secundus Æon dicitur Μονὰς ἐκ τῆς μονότητος et ἑνότητος, *Unitas ex unitate*; Marco similiter secunda Æonum conjugatio, quæ Nun et Alethiam complectebatur, μονάς τε καὶ τὸ ἕν. Valentinianorum Nus *similis et æqualis est ei qui emisit, et solus capit magnitudinem Patris.* Ægyptiis Mens prima παράδειγμα ἵδρυται, forma et exemplar est ad quod effecta est mens secunda, quæ hujus imago est, ab ea recipiens rerum omnium

[48] Iren., lib. I, cap. 8, n. 3.

Digitized by Google

ideus. *Cuncta namque perfecit Pater, et Menti tradidit secundæ.* Vel, ut habet aliud Chaldaicum effatum, ὁ πρῶτος Θεὸς ἀρχετυπεῖ τῷ ἐλάττονι, *primus Deus archetypus est secundo.* Item : Πολὺ γὰρ μόνος ἐκ Πατρὸς ἀλκῆς δρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει, τὸ νοεῖν πατρικὸν νοῦν. *Solus uberem, quem ex Patre decerpsit, mentis florem sortitus est, nosse videlicet paternam mentem.* Porphyrius denique mox citatus, μόνος αἰώνιος ὁ Νοῦς, ὥσπερ ὁ Θεὸς ὁ πρῶτος, *Nus solus æternus, quemadmodum et Deus primus.* Valentiniani Nun copulant cum Veritate. Sic pariter et Mercurius. Mens, ait, Veritatis προστάτης, perficit omnia cum Veritate, συντελῶν ἕκαστα μετ' Ἀληθείας. Illi denique Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent, et initium et formationem* universi Pleromatis, a Nu emissum asserebant. Et hic similiter : Ὁ γὰρ δημιουργικὸς Νοῦς, inquit, καὶ τῆς Ἀληθείας προστάτης.... ἐρχόμενος μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων. *Opifex quippe Mens et Veritatis præses, ad generationem veniens, latentem occultarum rationum, λόγων, vim in lucem producit.* Sed expressius adhuc alio in loco quem referunt Suidas et Cedrenus : Ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἀεὶ νοῦς νοῦ αἴτιον, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης, ἀεὶ ἐν ἑαυτῷ ὤν, ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νοῒ καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχει· ἐκτὸς τούτου οὐ Θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐ δαίμων, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. Πάντων γὰρ Κύριος, καὶ Θεὸς, καὶ Πατὴρ, καὶ πάντα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. Ὁ γὰρ Λόγος αὐτοῦ προελθὼν, παντέλειος, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ἔγκυον ἐποίησε τὸ ὕδωρ. *Erat lumen intellectuale prius lumine intellectuali, et semper mens mentis principium, nihilque aliud, erat præter ipsius unitatem : semper in seipso manens, semper propria mente, luce, et spiritu omnia continet. Præter eum non Deus, non angelus, non dæmon, non aliqua alia essentia. Omnium enim Dominus est, et Deus, et Pater, et omnia ab ipso et in ipso sunt. Verbum enim ipsius prodiens, perfectum, fecundum et opifex, aquam fecundavit.* Ubi tria saltem principia memorantur, Mens prima, Mens secunda, Verbumque opifex ab hac procedens. Quod autem Vitam cum Verbo conjugarent Valentiniani, a Joannis Evangelio sumpserant, ubi vita Verbo connectitur : *In ipso vita erat*, ut explicat ipse Ptolemæus apud Irenæum lib. I, cap. 8, n. 5. Nihil enim simile apud Platonicos legisse me memini ; nisi forte huc trahantur plura quæ de ζωῇ disceptat Damascius in libro *Περὶ ἀρχῶν*. Idem de altera conjugatione Hominis et Ecclesiæ dixerim, qua claudituv Valentinianorum ogdoas, seu secundus quaternarius, quamque Ptolemæus eruere se posse putavit ex his Joannis Evangelii verbis, *et vita erat lux hominum*, ut loco mox cit. refert Irenæus.

39. Ex hactenus dictis aperte sequitur, ut a Platonicis tria intelligibilium principia, Mentem primam, Mentem secundam, et Verbum : sic etiam a Valentinianis tria Pleromatis (quod idem esse cum illorum mundo intelligibili diximus) agnosci principia, Bythum, primum principium et Patrem, Nun, Patrem et initium omnium ; et Verbum, *Patrem omnium eorum qui post se futuri essent, et initium et formationem universi Pleromatis.* Et hi forte sunt tres Platonis et Amelii reges, de quibus Proclus in *Tim.*, seu potius Trias illa toties a Platonicis decantata. Sed et istud præterea colligitur, octo illorum Æonum conjugationes merito ab Irenæo vocari, primas quidem, *primam et primogenitam Pythagoricam quaternationem, et radicem omnium ;* omnes vero, *primogenitam octonationem, radicem et substantiam omnium.* Quod enim Pythagorici quaternario et octonario numero ascribebant, id Valentiniani sibi vindicantes octo primis Æonibus tribuebant. Pythagorici, qui ad numeros omnia referebant, quaternionem tanti faciebant, ut totius naturæ fontem esse censerent : Ἡ πηγὴ τῆς φύσεως ἡ τετρακτύς, *Fons naturæ quaternarius numerus,* ait Themistius, ex sententia Pythagoreorum, *Phys.* lib. III. et Proclus, in *Theol. Plat.*, lib. IV, cap. 32 : Ἐπειδὴ δὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τοῦ σύμπαντος ἀριθμοῦ, τετράδα προσείρηκεν αὐτὸ, τεττάρων τῶν πρωτουργῶν [XXVIII] αἰτίων περιληπτικὴν ὁ Τίμαιος, πάσης γὰρ εἰδοποιΐας ἡ τέτρας αὕτη πηγὴ προϋφέστηκεν. *Quoniam vero causam in se continet omnis numeri, quaternitatem id Timæus appellavit, quatuor prime operantes causas comprehendentem ; omnis enim formarum procreationis fons præexstitit.* Hinc sacrum apud Pythagoreos jusjurandum, quo per Pythagoram quaternarii auctorem dejerabant :

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχῇ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.
Per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium,
Fontem perennis naturæ radices habentem.

Et hinc etiam quaternarium, omnem numerum appellabant. Suidas in Ἀριθμῷ : Οἱ Πυθαγόρειοι πάντα ἀριθμὸν τετρακτὺν προσηγόρευον· ὁ δὴ ἀριθμὸς συμπληροῦται τοῖς δέκα. Ὁ δὲ δέκα, σύνθεσις τῶν τεσσάρων, καὶ διὰ τοῦτο ἀριθμὸν πάντα τετρακτὺν ἔλεγον. *Pythagorei autem omnem numerum appellabant quaternarium, qui sane denario completur. Denarius vero est compositio quaternarii : ideoque quaternarium, omnem numerum vocabant.* Nempe quod denarium complectatur, qui in sese numerum omnem comprehendit : quidquid enim ultra denarium numeratur, denarii repetitio est. Quaternarius vero, si conjungas unitatem, binarium, et ternarium, quibus constat, mox denarium efficit. Atqui ut Pythagorei quaternarium Naturæ fontem et radicem, et omnem numerum appellabant, sic Valentiniani primum Æonum quaternionem, primum et primigenum, et omnium radicem dicebant ; eo quod a primo illo quaternario profluueret secundus, cæterorum omnium Æonum fons et principium. Et ut a quaternario denarium fluere volebant Pythagorei, sic a secundo quaternario Æonum decada emitti asserebant Valentiniani. Hi præterea *octonationem* ex duabus tetradibus conflatam, *primogeni-*

Digitized by Google

tam octonationem, radicem et substantiam omnium nuncupabant. Quod mire consentit cum eo Pythagoreorum effato, Πάντα ὀκτώ. Cujus quidem hanc notionem affert Tarrhæus in *Proverbiis* : Πάντα ὀκτώ. Εὔανδρος ἔφη, ὀκτὼ τοὺς πάντων εἶναι κρατοῦντας θεούς, Πῦρ, Ὕδωρ, Γῆν, Οὐρανόν, Σελήνην, Ἥλιον, Μίθραν, Νύκτα. *Omnia octo. Evander tradit, deos rerum omnium potentes octo esse, Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Lunam, Solem, Mithram, Noctem.* Quemadmodum ergo Pythagoreis omnia octo, quia primi dii, rerum omnium potentes, octo sunt; ita Valentinianis *octonatio primogenita* est, *radix et substantia omnium*, quia ex primis octo Æonibus cæterorum parentibus constat. A

40. Si vero negotium facessat, quod *octonatio quatuor nominibus* duntaxat *apud eos nuncuparetur*, B *Bythus, et Nus, et Logos, et Anthropos*, prætermissis Sige, Alethia, Zoe et Ecclesia, nodum facile solves ex Pythagoricorum principiis. Numerus omnis par, aut impar : hunc perfectum esse, illum vero imperfectum statuebant. Plutarchus lib. *De Homeri poesi* : Ὁ γὰρ Πυθαγόρας, τοὺς ἀριθμοὺς μεγίστην δύναμιν ἔχειν ἡγούμενος, καὶ πάντα εἰς ἀριθμοὺς ἀναφέρων, τὸν μὲν ἄρτιον, ἐνδεᾶ καὶ ἀτελῆ· τὸν δὲ περισσὸν, πλήρη τε καὶ τέλειον ἀπέφηνεν. *Pythagoras enim, qui numeros maximam habere vim existimabat, omniaque ad eos referebat, parem quidem, indigentem et imperfectum; imparem vero plenum ac perfectum ostendit.* Eapropter imparem numerum præstantiorem esse censebant. Julianus in C Epist. ad Serapionem : Καὶ οὐκ ἀγνοῶ μὲν, ὡς παλαιῶν, καὶ σοφῶν ἀνδρῶν ὁ λόγος, τοῦ ἀρτίου τὸν περιττὸν προκεῖσθαι. *Equidem non sum nescius, veteres, eosdemque sapientes, imparem numerum pari præposuisse.* Et Plinius, lib. XXVIII, cap. 11 : *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus.* Quia videlicet, ut explicat anonymus, in Ptolemæi *Tetrabiblon* lib. I, numerus par sectioni atque passioni obnoxius; impar vero utriusque expers, et efficax, et ad unitatem, omnium simplicissimam, propius accedit. Et ideo, eodem anonymo teste, Pythagorei numerum imparem masculum, parem femineum dicebant. Διὸ ὁ μὲν, θῆλυς ὀνομάζεται· ὁ δὲ, ἄῤῥην. Et Macrobius, in *Somnio Scipionis*, lib. I, cap. 6 : *Esse imparem marem, parem feminam, superius* D *expressimus.* Numerus proinde, qui ex pari, atque impari conflatus est, id est ex mare atque femina, ἀῤῥενόθηλυς, *masculo-femina* vocabatur. Anonymus in *Theologumenis arithmeticis*, ubi de numero senario : Ἐξ ἀρτίου, καὶ περισσοῦ, τῶν πρώτων, ἄῤῥενος καὶ θήλεος, δυνάμει καὶ πολλαπλασιασμῷ γίνεται, διὸ καὶ ἀῤῥενόθηλυς καλεῖται. *Ex pari et impari primis, mare et femina, potentia et multiplicatione nascitur : unde et masculo-femina dicitur.* Ex quibus omnibus lucem accipiunt, quæ modo ex Irenæo referebamus, *primogenitam octonationem quatuor nominibus apud Valentinianos nuncupatam* fuisse, Bython et Nun, et Logon et Anthropon. Nempe cum Bythus, Nus, Logos et Anthropos, imparibus numeris 1, 3, 5 et 7 exprimerentur, utpote qui primum, tertium, quintum et septimum locum in ogdoade tenerent; ab his, utpote perfectioribus et præstantioribus, nomen sortiebatur ogdoas; prætermittebantur vero Sige, Alethia, Zoe et Ecclesia, quod numeris 2, 4, 6 et 8, imperfectioribus et ignobilioribus responderent; altera siquidem in secundo, altera in quarto, altera in sexto, altera in octavo ordine constituebatur. Lucem etiam accipiunt quæ mox subjungit Irenæus : *Esse enim unumquemque masculo-feminam.* Cum enim syzygia quælibet ex impari atque pari numero, mare et femina coalescat; Æon proinde syzygiæ caput, impari numero expressus, alteri Æoni qui pari numero respondet, copulatus, masculo-femina dicendus. Nec etiam a verosimili abhorret, totum illud Æonum masculorum, et Æonum feminarum, vel Æonum masculorum-feminarum mysterium e Platonicorum lacunis depromptum fuisse. Nihil frequentius apud Proclum et alios occurrit, quam deos quosdam mares, quosdam feminas, vel quosdam masculo-feminas esse. Ubi per feminas nihil aliud intelligunt, quam deorum potentias et facultates, iis intime adhærentes, per quas effectus sibi proprios operantur et in lucem edunt.

41. Deinde Pythagorei numerum imparem, dextrum, faustum et prosperum; parem vero, sinistrum et infaustum habebant. Jamblichus, *De vita Pythagoræ*, lib. I, cap. 28 : Εἰσιέναι δὲ εἰς τὰ ἱερὰ κατὰ τοὺς δεξιοὺς τόπους παραγγέλλει· ἐξιέναι δὲ κατὰ τοὺς ἀριστερούς· τὸ μὲν δεξιὸν, ἀρχὴν τοῦ περιττοῦ λεγομένου τῶν ἀριθμῶν τιθέμενος, τὸ δὲ ἀριστερὸν, τοῦ ἀρτίου σύμβολον. *Templa ingredi per loca dextra præcipiebat, egredi vero per sinistra, quippe dextrum numeri, qui impar dicitur, initium esse; sinistrum autem, paris symbolum* [XXIX]. Censorinus, *De die natali*, cap. 20 : *Impar numerus plenus, et magis faustus habebatur.* Lutatius, ad Statii *Theb.* V : *Omnis impar numerus prospera significat, et vivis ascribitur.* Festus denique : *Imparem numerum antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Quibus facile explicatur ea quam lib. I, cap. 11, n. 2, Irenæus refert Secundi, Valentini discipuli, sententia : *Quaternationem esse dextram, et quaternationem sinistrum, et lumen, et tenebras.* Cum enim, Plutarcho teste, in lib. *De animæ procreatione*, cujus verba mox recitabimus, Pythagoricis duplex esset quaternarius, alter ex primis quatuor imparibus, alter ex primis quatuor paribus compositus, illeque dexter et faustus, hic sinister et infaustus existimaretur; non mirum si Secundus eorum vestigia relegens, Gnosticorum octonarium in duos quaternarios secaret, dextrum scilicet et sinistrum. Dexter is erat qui ex primis quatuor imparibus Æonibus conflatus erat, primo videlicet, tertio, quinto et septimo; sinister qui ex primis quatuor paribus, secundo, quarto, sexto et octavo. Primus lumen erat, quia numeri impares fausti et mares; secundus tenebræ, quia numeri

Digitized by Google

pares infausti et feminæ, hæque a maribus, a quibus pendent, lumen accipiunt.

42. Denique ea vis est Pythagorici quaternarii, ut numerum sex et triginta contineat; nempe quatuor primos pares numeros, binarium, quaternarium, senarium, octonarium et quatuor primos impares, unitatem, ternarium, quinarium et septenarium; qui collecti eum numerum exhibent; ideoque Mundus appellatur. Plutarchus, *De Iside et Osiride:* Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται, τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων ἀποτελούμενος. *Qui vero quaternarius vocabatur, e sex et triginta constans, maximum erat juramentum, ut sermone omnium tritum est, et appellabatur Mundus: e primis quatuor paribus, ac primis quatuor imparibus constitutus.* Et in lib. *De animæ procreatione:* Ἡ μὲν ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ὑμνουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τὰ τριάκοντα, θαυμαστὸν ἔχειν δοκεῖ, τὸ συγκεῖσθαι μὲν ἐκ πρώτων ἀρτίων τεσσάρων, καὶ πρώτων περισσῶν τεσσάρων. *Equidem quaternarius ille a Pythagoricis prædicatus, scilicet sex et triginta, illud habet admirandum, quod compositus sit e quatuor primis paribus, et primis quatuor imparibus.* Eadem vis fuit utriusque quaternarii, cum paris, tum imparis, seu octonarii Valentiniani. Mundus et ipse erat, numerumque sex et triginta complectebatur. Exhibebat nempe octo primos Æones, cum aliis viginti et duobus, Horoque, Christo et Spiritu sancto, et Salvatore ab iis emissis, quibus Pleroma seu mundus intelligibilis definitur; et Achamotha ac Demiurgo, mundi hujus aspectabilis ducibus ac conditoribus, quique a supernis Æonibus ortum ducunt, ac numerum 36 complent.

43. Ex primo illo Æonum octonario, denarium alterum, et duodenarium derivabant Valentiniani, nempe decem a Verbo et Vita, duodecim ab Homine et Ecclesia emissos; ut ex iis omnibus fieret tricenarius Æonum numerus. Posteriorum quidem istorum nomina et conjugationes non occurrunt in Platonicorum Pythagoricorumque scriptis; utpote quæ vel e Scripturis corraserit, vel fabricaverit ipse Valentinus. Quæcunque in Scripturis voces divini Verbi proprietates, ejusque in humanum genus effusæ benignitatis effectus significant, has studiose colligens, et artificio quodam colligans ac connectens, in totidem Æones transformavit; vana persuasione seductus, diversis illis nominibus res diversas designari. Verbum hominem factum Ecclesiam fundasse, inspirataque ei vita in sponsam sibi assumpsisse, in Scripturis passim legimus. His abusus nugator, a Verbo et Vita Hominem et Ecclesiam effluxisse finxit. Quia vero in Christo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, et in eo reconditi sunt *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ* Dei [49], hinc Bythius seu *Profundus*, et Mixis seu *Mistura:* Profundus quidem ob perfectionum infinitam profunditatem; Mistura vero ob earumdem ordinatissimam seriem. De Christo ea psalmi ci verba intelligit Apostolus: *Ipsi* (cœli) *peribunt; tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* [50]; ut omittam alia quamplurima, quæ Christi immutabilitatem nulli obnoxiam senio, ejusque perfectiones nunquam caducas demonstrant. Inde Ageratos, *senii expers*, cui copulatur Enosis, *unio*, ob perfectionum nunquam defecturarum, minuendarum aut dissipandarum arctissimum nexum. Sapientia in Scripturis [51] fuisse dicitur in initio viarum Domini, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata, et ex antiquis antequam terra fieret, ante abyssos concepta, etc., Deo fuisse in deliciis. *Verbum in principio erat* [52], *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis* [53], Filius Patri maxime dilectus est [54], *A et Ω, principium et finis* [55], etc. Unde Autophyes, *ex se natus*, et Hedone, *voluptas*. Quod vero æternum sit Dei Verbum, quod initium excludat, successionem, ac mutabilitatem, ac finem; quod in puncto ac momento consistens, mutationem ac vicissitudinem nesciat; quod denique infinitatem mobilis temporis præsentem habeat, et in quo omnis ætatum et temporum varietas, futurum, præsens et præteritum perfectissime et absque ullo fluxu coeunt; hinc Acinetos, *immobilis*, cujus proprietas est Syncrasis, temporum, ut ita dicam, *contemperatio*. Quia denique Verbum Unigenitus Dei Filius passim dicitur, quem cognoscere vita æterna est, et quocum in cœlis regnare, suprema mentium nostrarum felicitas est, Monogenem, *Unigenitum*, et Macarian (suppl. Ζωήν, vitam), *beatam vitam* dixerunt hæretici.

44. Qui autem ab Homine et Ecclesia emissi dicuntur Æones, et hi ex iis Spiritus sancti proprietatibus et donis, quæ leguntur in Scripturis, stolide a vesanis hominibus conflati sunt. Sic *Paracletus* Spiritus sanctus est, quem missurum se toties spopondit Salvator, ut doceret nos omnem veritatem [56], fidemque proinde nobis inspiraret. Patricos, *paternus*, Spiritus adoptionis est, in quo clamamus, *Abba, Pater*, testimonium reddens Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, hæredes proinde, exspectantes revelationem filiorum Dei [57], et abundantes in spe et virtute Spiritus sancti [58]. Metricos, *Maternus*, Paracletus est, qui quomodo si cui mater blandiatur, ita consolatur nos [59], charitate diffusa in cordibus nostris [60]. Ainos, Græce ἀείνους, *mens æterna* ac semper cogitans, Spiritus est qui scrutatur omnia, etiam profunda Dei, et quæ Dei sunt cognoscit, per quem nobis revelavit [XXX] Deus sapientiam in mysterio, quæ abscondita est [61],

[49] Coloss. II, 9 et 2. [50] Heb. I, 11, 12. [51] Prov. VIII, 22. [52] Joan. I, 1. [53] Mich. V, 2. [54] Matth. III, 17. [55] Apoc. I, 8. [56] Joan. XVI, 13. [57] Rom. VIII, 15, 17, 19. [58] Rom. XV, 13. [59] Isa. LXVI, 13. [60] Rom. V, 5. [61] I Cor. II, 10; II Cor. VII, 2.

Digitized by Google

et σύνεσις, *intelligentia* nobis datur eorum quæ a Deo donata sunt nobis. Ecclesiasticos, *Ecclesiasticus* idem dicitur, quia Ecclesiam quam ex variis gentibus adunavit, regit, tuetur et fovet, multiplicique μακαριότητι, *beatitudine*, per inspirata dona locupletat. Thelctos denique, seu *voluntarius* est, quia ex amore et voluntate procedit, eique proinde cum datum sit profundissima quæque Dei voluntatis consilia scrutari, per hunc datur nobis sermo σοφίας, *sapientiæ*, loquimurque Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, et quam nemo principum hujus sæculi cognovit [61].

45. At quamvis posteriorum Æonum nomina et proprietates ignoraverit Platonica, Chaldaica et Pythagorica theologia, tricenarium tamen omnium numerum effingendi exemplum ab ea petiere Valentiniani. Plutarchus in libro *De Iside et Osiride* refert, eam fuisse Zoroastris Magi sententiam, duos esse deos, alterum bonorum, alterum malorum opificem. Illi nomen Oromazes, huic Arimanius. Καὶ ὁ μὲν ἐξ θεοὺς ἐποίησε, τὸν μὲν πρῶτον εὐνοίας, τὸν δὲ δεύτερον ἀληθείας, τὸν δὲ τρίτον εὐνομίας· τῶν δὲ λοιπῶν, τὸν μὲν σοφίας, τὸν δὲ πλούτου, τὸν δὲ ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἡδέων δημιουργόν..... ἄλλους δὲ ποιήσας τέσσαρας καὶ εἴκοσι θεούς. εἰς ὠὸν ἔθηκεν. *Porro sex deos fecit Oromazes, primum benevolentiæ, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos sapientiæ, divitiarum et voluptatis, quæ honesta consequitur, opifices..... Alios vero viginti quatuor deos condidit, et in ovo posuit.* Ubi triginta deos habes, quorum etiam nomina quædam cum Valentinianorum Æonibus conveniunt. Zoroastrem secutus Hesiodus triginta et ipse deos finxit, quorum θεογονίαν descripsit; adeo ut ab eo Pleromatis formam desumpsisse Valentinianos autumaverit Epiphanius. Quod vero hi Æones quindecim masculos, eum totidem feminis copularent, Pythagoricorum exemplo fecisse demonstravimus, qui numeros impares cum paribus conjugabant, hosque feminas, illos mares appellabant.

46. Æonibus triginta, quatuor alios, sed extra conjugationum et emissionum seriem, in Pleromate tamen, insuper adjungebant hæretici, Horon videlicet, Christum et Spiritum sanctum, ac Salvatorem. Priorem ex Ægyptiorum, tres alios e Scripturarum sacrarum fontibus hauserant. Horon Ægyptii fingebant Typhonis conatus fregisse. Ab iis, Kirkero teste, pingebatur puer, labra premens, digitoque suadens silentium, ut ineffabilia esse mysteria indicaret. Horon vero ipsum Apollinem esse, concentus omnis et harmoniæ auctorem, medendique ac divinandi peritissimum, pluribus ostendit Plutarchus in *Iside et Osiride*, unde et manasse videtur Hermionensium ille Ὅριος Apollo, id est, terminorum præses, quem, teste Pausania, olim colebant. Terminum etiam a multis habitum fuisse deum, pacisque custodem, et justitiæ testem dictum, liquet ex eodem Plutarcho in *Numa*. Quæ omnia ad Valentinianorum Horon quadrant. Hic siquidem temerarios Sophiæ et Enthymeseos conatus repressit: Bythum et Pleroma (nam duplicem Horon fingebat Valentinus, unum inter Bythum et Æones, alterum inter Pleroma et Enthymesin) quasi vallo cingit et munit, propius accedentibus aditum intercludit, exclamansque *Iao*, id est, ineffabile Dei nomen pronuntians, impervia esse divina mysteria significat. *Horothetes* seu terminorum præses ac constitutor et ipse dicitur: denique ceu virtus *quæ confirmat extra inenarrabilem magnitudinem, et custodit omnia*, repræsentatur. Quia vero ex catholica doctrina perceperant, Filium Dei, quem etiam Νοῦν Patris sacræ litteræ appellant, ὅρον καὶ Λόγον τοῦ Πατρὸς nominari, id est, *definitionem et rationem*, seu *Verbum Patris*; hinc occasio ab insanis hominibus captata ὅρον καὶ λόγον ab unigenito Patris Filio distinguendi, sicque unam et eamdem personam, seu unius et ejusdem personæ varia nomina et rationes in plures Æones discerpendi. Ut enim λόγον a Nu emissum contendebant, sic et Horon a Bytho per Nun in imagine Patris prodiisse volebant. Quod fœda catholici dogmatis deformatio erat. Quippe unus et idem Dei Filius ὅρος καὶ Λόγος τοῦ Πατρὸς a SS. Patribus dicitur. Cujus quidem nominis interpretationem fuse edisserit Gregorius Nazianzenus orat. 36, p. 590: Λόγος δὲ, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα ὡς πρὸς νοῦν λόγος· οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς, καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν· τάχα δ' ἂν εἴποι τις, ὅτι, καὶ ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. Ὁ γὰρ νενοηκὼς, φησὶ, τὸν Υἱὸν (τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἑωρακὼς), νενόηκε τὸν Πατέρα. Καὶ σύντομος ἀπόδειξις, καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ Πατρὸς φύσεως ὁ Υἱὸς. Γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος. *Verbum appellatur, quod sic ad Patrem se habeat, ut sermo ad mentem: non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque* λόγος *dicitur. Qui enim Filium intellexit, ait (hoc enim significat illud, qui vidit), etiam intellexit Patrem. Ac brevis et compendiosa, facilisque naturæ paternæ declaratio, Filius est. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.* Igitur definitio, ὅρος, naturæ paternæ ac proprietatis ideo Filius dicitur, quoniam expressa est illius imago, eamque complectitur, continet, explicatque; quemadmodum definitio rem definitam explicat, et efficit ut ea mente capiatur et intelligatur. Quod quidem aliqua ex parte exprimere voluerunt hæretici, aientes Horon in imagine Patris emitti, Pleromatis Horotheten esse, quod est divinitatem ab eo definiri ac declarari, aliaque Filii Dei nomina huic aptantes, puta λυτρωτοῦ, *Redemptoris*, Καρπιστοῦ, *vindicis*, etc. Sed his non contenti, fabulas Ægyptiacas in subsidium vocarunt, et quæ catholica fides de Verbi divini generatione docet, miscre deformarunt.

[61] I Cor. II et XII.

Digitized by Google

47. Eodem sacrilegii genere Christum ab Unigenito, Horo, Verbo, Salvatore et Jesu dividentes, finxerunt alterum par Æonum, Christum et Spiritum sanctum a Monogene secundum providentiam Patris emissos fuisse; illum, ut Æones doceret Unigeniti solius menti pervium esse Patrem, nec a quoquam percipi aut intelligi, nisi Monogenis beneficio, posse; hunc vero, ut Æones omnes ad æqualitatem redigeret, omnesque ejusdem formæ et animi efficeret, ut universi pariter et Mentes essent, et Sermones, et Homines, et Christi, etc. Nempe quod in Evangelio Christus docet, neminem nosse Patrem, nisi Filium, et cui voluerit Filius revelare; et quod [XXXI] fide novimus Spiritum sanctum esse charitatem et amorem, vinculumque sanctissimæ Trinitatis, ac nexum quo fideles constringuntur, et unum fiunt, hæc comminiscendi ansam præbuerunt. Salvatorem autem, ex eo quod singuli Pleromatis Æones in se præstantissimum ac florentissimum haberent, scite composito, atque eleganter contexto, ceu Pleromatis sidus, perfectumque fructum, ac paternis Æonum omnium nominibus insignitum, in lucem editum effutiebant, quod apud Apostolum legissent, Christum nostrum infinitis divinæ sapientiæ et scientiæ thesauris ditatum, et in eo plenitudinem omnem Divinitatis habitare corporaliter [62]. Quem dum angelis satellitibus eodem tempore productis stipatum describunt, partim Evangelium, in quo legitur angelos Christi ortum et resurrectionem annuntiasse, eique in omnibus ministrasse, partim Platonicos imitantur, qui, Jamblicho teste, sect. II, cap. 2, 3 et seq., *diis aliquam angelorum turbam, tanquam satellites, assignant.*

48. Sophiæ, Æonum novissimi, casus, insignior Valentinianæ fabulæ pars, in recensione Pleromatis omitti non debet. Alterum ænigma cæteris ut insulsius, sic et obscurius. Quid ea de re sentiam, paucis explicabo. Pervetus est de mali origine dubitatio, quæ tum philosophorum Christiani dogmatis ignarorum, tum etiam eorum qui Christianum nomen profitebantur, diutius torsit ingenia. Cum enim hinc ea sit omnium animis ingenita notio, Deum summe bonum malorum auctorem esse non posse; illinc vero malis mundum hunc scatere doceat experientia; nodum solvere non valentes plurimi, vel desperatione fracti sunt, vel in absurdissimorum errorum barathrum præcipites acti, miserrime perierunt. Ut omittam eos e Platonicis, qui materiam æternam et a nullo productam invexere malorum radicem, quæ divinis operibus admista, hæc contagione quadam inficeret; alii cum philosophi, tum nomine tenus Christiani, quales Marcionitæ, Manichæi et Priscillianistæ, duos affirmare deos maluerunt, et unum eorum mali principium, ne illum verum Deum, qui natura bonus est, fontem et originem mali esse

A faterentur; alii vero dum duplicem Deum fateri merito reformidabant, aliam divinitati injuriam inferre veriti non sunt: statuere siquidem angelos ut mundi auctores, sic et malorum omnium opifices. Quæ veterum omnium Gnosticorum, Simonis, Menandri, Saturnini, aliorumque quorum blasphemias recitat Irenæus lib. I, impia fuit opinatio. Sed quia importuna, nec vanæ subtilitatis artibus usquam eludenda, aut solvenda semper rediba quæstio, unde angeli ipsi eo usque cum malitiæ, tum potentiæ devenire potuerunt, ut mundum Deo bono vel invito, vel non repugnante et fabricarent, et malis contaminarent; hanc fabularum commentis, certissimas veritates obscurando, expedire se posse putarunt Valentiniani. Audierant in Christianorum scholis, initium omnis perditionis superbiam exstitisse; angelos quippe, quod ad Altissimi solium propius, quam eorum conditio ferebat, accedere voluissent, quodque summam Dei scientiam ac majestatem temere æmulati, rebus omnibus creatis dominari ac providere, affectu saltem ac voto, concupiissent, e cœlo dejectos præcipiti ruina periisse, eodemque, quo primum infecti fuerant superbiæ veneno, humanum genus infecisse, ac perdidisse, et proinde malorum omnium, quibus jam labefactatur orbis, fomitem ministrasse. Audierant, et apud Apostolum legerant, Deum sibi proposuisse *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso* [63]; et quod per Filium suum, *qui est imago Dei invisibilis*, complacuerit *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* [64]. Certissima hæc Ecclesiæ catholicæ ab apostolis tradita dogmata depravantes, iisque ludicra commenta pro more intermiscentes, novam hypothesim cuderunt, qua rerum genesin suo, Platonico potius ac Pythagorico, modo, ænigmata ænigmatis intexentes, explicarent. Finxerunt itaque, summum Deum infinitis temporum sæculis in summa quiete ac tranquillitate perstitisse, nihil exterius operatum, sed sola sua ἐννοίᾳ seu cogitatione contentum et occupatum: quam ideo Silentium vocabant, quia nullo sese actu exteriori prodebat; Gratiam vero, quia beneficiorum omnium, quæ orbi deinceps largitus est, fons et principium exstitit. Ex quo enim Deus in animum induxit orbem condere, cogitationem suam hactenus sterilem sic fecundavit, ut in novum actum, quo exterius patesceret, erumpens, Νοῦν seu sensum produceret, rerum omnium patrem ac principium deinde futurum, sive primævam et archetypam rerum omnium condendarum formam, et exemplar. Huic copulata dicitur Veritas, quia primum illud exemplar suprema veritas et regula est, ad quam omnium fabricatio exigenda sit. Quia vero apertius, quam ut ab iis qui Christianum nomen utcunque profitentur, negari possit, in Scripturis

[62] Col II, 9. [63] Ephes. I, 10. [64] Col. I, 15, 20.

Digitized by Google

legitur [68], in principio esse Verbum, et in Verbo vitam; per Verbum, totius molimenti curam huic demandante Patre, facta esse omnia; a Verbo conditum hominem; a Verbo refectum humanum genus, ac fundatam Ecclesiam; Deum fundasse terram sapientia, et stabilivisse cœlos prudentia, etc., fingere necesse visum est, a Nu, rerum omnium principio, processisse Verbum cum Vita; quod quidem Verbum Patre inferius, hujusque minister, primus rerum omnium inferiorum auctor, conditor et architectus esset, a Patre proinde, ejusque Nu persona saltem distinctus; a Verbo autem et Vita, Hominem et Ecclesiam. At cum Verbum et Homo, licet a supremo Patre distincti, hocque longe inferiores Æones, ei tamen adhuc propiores essent, ut iis tanquam principiis proximis et immediatis rerum materia constantium creatio tribueretur, ne materiæ vitia in summum Patrem refunderentur: horum proinde longius a Patre removendorum causa, longa Verbo et Homini subjecta fuit Æonum series, ut gradatim operis ignobilioris molimen et causa ad Sophiam omnium postremum deveniret, cui minus notus esset Pater, quia longius ab eo dissitus. Et inde contexta de Sophiæ ultimi Æonis ignoratione, extremoque pene discrimine fabula; ut hinc eruta malorum scaturigine, Dei sanctitati consuleretur. Dum enim Sophiam invidia flagrantem in scenam agunt delira illa capita, quod Monogeni soli datum esset summum Patrem penitius intueri; dum male concepto Patris magnitudinem comprehendendi desiderio æstuantem, abreptam, ac præ rei impossibilitate pene dissolutam exhibent: quid aliud quam nefaria vota, tristemque casum adumbrant illius [XXXII] angeli, qui similem se Altissimo [futurum sibi spondens, *perdidit sapientiam suam in decore* suo, *et in* terram, in pœnam *elevati cordis projectus est* [69]? Dum vero Horon, quem ipsum Dei Verbum esse superius diximus, quemque *Crucem* et *Redemptorem* vocabant, laboranti opem ferentem, ipsamque demum pristinæ conjugationi restituentem fingunt; quid aliud quam instauratam per Christi crucem et sanguinem angelorum ruinam, citatis Apostoli verbis nixi, exprimere animus erat? Hæc quidem Apostoli verba perperam interpretabantur, et a genuino sensu abducebant; at non soli; postea siquidem Origenes, et ipse Platonicorum placitis longius quam par fuisset abductus, in eumdem sensum accepisse videtur, instauratosque a Christo angelos existimasse. Quorsum vero jam abeat fabula, quisque videt, ut scilicet præceps illud temerariumque Sophiæ desiderium, et, ut vocabant, Enthymesin, in fetum quemdam informem transformarent, ex quo demum rerum omnium condendarum materiam eruerent; malorum omnium ideo seminarium, quod cæco ignari Æonis desiderio originem acceptam referret. Sic aniles nugas venditando, a Deo malorum causam avertere se posse, et in solam ignorantiam refundere putarunt nugatores illi. Et hinc varias, quibus jactata est Enthymesis, perturbationes omnes cum ignorantia conjunctas fuisse aiunt lib. I, cap. 4, n. 1, et Irenæo teste lib. II, cap. 17, n. 10: *ignorantiam malum, omnia autem mala ex ea floruisse definiebant.* Sic de rebus divinis ænigmatico, moreque poetico, ac inusitato loquendi more disseruerunt semi-Christiani homines, ethnicis Christiana attexentes, aliaque aliis fœde interpolantes.

49. Sed antequam ad alteram Valentiniani systematis partem transeamus, alia nobis incumbit, eaque operosior quæstio solvenda, quid nimirum tot Æonum nomine sibi vellent hæretici isti? An totidem deos intelligerent, eo fere modo quo vulgus ethnicorum Saturnum, Jovem, Mercurium, etc., deos, singulos habentes singulas naturas divinas existimabat? An totidem in una et eadem Divinitate subsistentes personas, ad eum modum quo catholici tres in una natura divina subsistentes, distinctasque personas profitentur et credunt? An denique totidem unius ejusdem ut naturæ singularis, sic et personæ proprietates, affectiones et ἐνεργείας, quemadmodum Sabellius Verbum et Spiritum sanctum duas duntaxat merasque efficientias esse dicebat unius et ejusdem personæ, cui diversa essent pro diversis operationibus et proprietatibus nomina. Et quidem, ut certa ab incertis secernamus, vocem Αἰων non Gnosticis modo, sed et veteribus plerisque Deum denotasse constat. Καὶ γὰρ τοῦτο τοὔνομα θείως ἐφθεγκται παρὰ τῶν ἀρχαίων. *Divine namque nomen hoc pronuntiatum est a veteribus*, ait Aristoteles, lib. I *De cœlo*, cap. 9. Hinc Epictetus, apud Arianum eadem, qua Valentinus vixit, ætate florentem, lib. II, cap. 5, ante med., mortis necessitatem considerans, ait: Οὐ γάρ εἰμι Αἰών, ἀλλ' ἄνθρωπος. *Neque enim Deus sum, sed homo.* Alludit scilicet ad etymologiam vocis αἰών. Αἰὼν enim, inquit Aristoteles loco cit., ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, *a semper essendo appellationem sumpsit.* Hoc sensu a Pseudo-Dionysio, lib. *De div. nom.*, cap. 5, § 4, Deus dicitur, ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνων ὀντότης, καὶ αἰὼν τῶν ὄντων, *Principium et mensura sæculorum, et temporum essentia, et ævum eorum quæ exsistunt.* Et Clemens Alexand., in hymno quem Christo Servatori canit, ad calcem lib. III *Pædag.*, eum vocat, Αἰῶνα ἄπλετον, *Ævum infinitum.* Sed nullus hac voce in eo sensu liberius et frequentius utitur Synesio in *Hymnis.* Qui, ut id obiter dicam, si in hoc non omnino vituperandus, vix excusandus quod Valentinianorum sermones incautius adhibeat, sensu quidem catholico et ab hæreticorum somniis procul dissito, at Musa justo solutiori et plus æquo πλατωνιζούσῃ. Durum certe catholicis auribus sonat, quod identidem Patrem

[68] Joan. I, 1. [69] Ezech. XXVIII, 17.

Digitized by Google

æternum *Βυθὸν πατρῷον*, *Bythum paternum* vocat, ut initio hymni secundi. Durius quod eodem hymno legitur :

Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς,
Σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σιγὰ,
Φύσεως φύσις γενῶσα.
Σὺ δ' ἀναξ, αἰῶνος αἰὼν,
Τὸ μὲν, ᾗ θέμις βοᾶσαι.
Μέγα, χαῖρε, κέντρον ὄντων,
Μονὰς ἀμβρότων ἀριθμῶν,
Προσνουσίων ἀνάκτων.
Tu Pater, tu es Mater,
Tu mas, tu femina,
Tu vox, tu silentium,
Naturæ natura fecunda.
Tu, o rex, sæculi sæculum,
Quantum id quidem fas est voce testari.
Longum, salve, centrum rerum,
Unitas divinorum numerorum.
Sempiternorum regum.

Et hymno III, de eodem Patre :

Πατέρων πάντων
Πάτερ, αὐτοπάτωρ,
Προπάτωρ, ἀπάτωρ
Υἱὲ σεαυτοῦ.
Patrum omnium
Pater, Pater tui ipsius,
Primus omnium Pater, sine Patre,
Fili tui ipsius.

Et postea :

Σπέρμα τὸ πάντων,
Ῥίζα καὶ ὄρπαξ,
Φύσις ἐν νοεροῖς,
Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν,
Μύστας δὲ νόος
Τά τε καὶ τὰ λέγει,
Βυθὸν ἄῤῥητον
Ἀμφιχορεύων.
Semen omnium,
Radix et summus ramus,
Natura in intellectualibus,
Femina et mas.
Mystica autem mens.
Hæc atque illa dicit,
Profunditatem ineffabilem
Circa ducens choreas.

Ut omittam alia plurima a quibus Musa severior temperare debuisset.

50. Illud etiam certum, e SS. Patribus non paucos existimasse Valentinum triginta deos invexisse. Sic Epiphanius, hær. 31, § 2, ubi triginta Æones recensuisset, addit eos a Valentino deos nominatos, οὓς καὶ θεοὺς ὀνομάζει. Sic pariter Origenes hom. 1 *in lib. Reg.*, cum Tertull. lib. *advers. Valent.*, cap. 8, Cyrillo Hieros. *Catech.* 6, et Pauiino, in *Vita S. Ambrosii*. At vero Ambrosius ipse epist. 40 nov. edit., ad Theodosium imper. scripta, n. 16, de nomine consentit quidem, de numero dissentire videtur. *Licet*, inquit, *gentiles duodecim deos appellent, isti* (Valentiniani) *triginta et duos Æonas colunt, quos appellant deos.* Sic enim legendum esse, non *triginta Æones*, ut legerunt editores Romani, demonstrant novæ editionis auctores ex unanimi veterum cum mss. tum editt. consensu. Sed cum Irenæus, lib. II, cap. 12, n. 7, ex Valentinianorum principiis probet, *non solum triginta emissiones secundum illos emissas esse, sed quatuor cum istis* XXX, Horon videlicet, Christum ac Spiritum sanctum, et Salvatorem, quos et *cum reliquis Æonibus* annumerandos esse demonstrat; duos ex istis potuit Ambrosius aliis triginta accensere. At ut de Æonum numero, qui aliunde ex Irenæo, Tertulliano aliisque satis constat, dissentiat Ambrosius, de indito ipsis deorum nomine cum supra laudatis Patribus consentit.

51. At Valentiniani Æonibus suis deorum nomen tribuerint, non inde tamen efficaciter concludi posse putem, ceu totidem aut naturas divinas, aut unius naturæ divinæ personas ab [XXXIII] ipsis habitos fuisse. Si enim hominibus justis ac piis, principibus ac magistratibus ascriptum in Scripturis quandoque Dei nomen; potuere Valentiniani substantiis quibusdam, Deo quidem inferioribus, sed cæteris quibuscunque rebus creatis superioribus, eodem ferme sensu ascribere. Certe Synesius, hymno III jam citato, angelos plus semel eo sensu deos vocat. Sic enim Deum Patrem affatur .

Αἰωροτόκε,
Αἰωρόβιε.
Ἐπέκεινα θεῶν.
Ἐπέκεινα νόων...
Ἀρχηγὲ θεῶν,
Πνευματουργὲ,
Καὶ ψυχοτρόφε.
Sæculorum parens,
Sæculorum vita,
Superans deos,
Superans mentes.....
Originem præbens diis,
Spirituum opifex,
Et animarum alitor.

Et postea :

Σὲ, πάτερ κόσμων,
Πάτερ αἰώνων,
Αὐτουργὲ θεῶν,
Εὐαγὲς αἰνεῖν.
Σὲ μὲν οἱ νοεροὶ
Μέλπουσιν, ἄναξ,
Σὲ δὲ κοσμαγοὶ
Ὀμματολαμπεῖς,
Νόες ἀστέριοι
Ὑμνοῦσι, μάκαρ, etc.
Te, pater mundorum,
Pater sæculorum,
Opifex deorum,
Fas est laudare.
Te quidem intelligentiæ
Canunt, o rex,
Te mundi rectores,
Oculi fulgentes,
Mentes sidereæ
Celebrant, o beate.

Quæ non nisi de angelis, quos non modo deos, sed et Æonas, sed sæcula vocat, intelligi possunt, ut totus contextus aperte declarat. Quin et Platonici, quorum vestigiis insistebant Gnostici omnes, deorum triplex genus distinguebant, ut apud Proclum, Jamblichum, Damascium, aliosque legere est, alios nimirum supercœlestes, alios cœlestes, alios subcœlestes; primos superiores, secundos medios, tertios inferiores : quos omnes tota essentia, totoque genere discrepare contendebant, κατ' οὐσίαν τε ὅλην, καὶ παντὶ τῷ γένει ἐξαλλαττομένους, inquit

Digitized by Google

Jamblichus, sect. 1, cap. 4, a superioribus quippe pendebant medii, ab his infimi. Omnibus tamen Dei nomen tribuebant; quamvis mediis et infimis inesse veram Dei essentiam et naturam existimare non potuerint; cum insita omnium animis Dei notio omne subjectionis genus procul ableget. Quin et deos invisibiles seu supercœlestes, quamvis cum vulgo loquentes efferrent numero plurali, revera unum Deum, unius naturæ, essentiæ et personæ esse censebant. Sallustius philosophus, lib. *De diis et mundo*, cap. 2, ait, deorum naturas neque a prima causa, neque a se invicem separari; quemadmodum neque a mente notiones, neque ab animo disciplinas. Αἱ τῶν Θεῶν οὐσίαι, οὐδὲ τῆς πρώτης αἰτίας, ἢ ἀλλήλων χωρίζονται, ὥσπερ οὐδὲ νοῦ αἱ νοήσεις, οὐδὲ ψυχῆς αἱ ἐπιστῆμαι. Omnesque philosophi, si Damascio fides, τοὺς θεοὺς τοὺς πολλοὺς, τοῦ ἑνὸς Θεοῦ ὑπερουσίου ἐλλάμψεις εἶναι λέγουσιν, οὐκ αὐτοτελεῖς ὑποστάσεις, *Deos illos plures unius Dei supersubstantialis fulgores esse dicebant, non absolutas ac per se subsistentes essentias*. Quæ cum Jamblichi sententia apprime consentiunt, qui deos invisibiles ipsasmet ideas esse putat, quas omnes unius esse essentiæ, unumque inter se esse vult: quia una communis unitas dilatatur in omnes, et per communem unitatem, videlicet per primam mentem, cunctæ exsistunt; ad quam, ut ad unum objectum, principium et finem, omnes simul, absque ulla temporis differentia, in eodem momento referuntur. Neque omnibus ipsis simul, quia singulæ res diversas respiciant, unitatem competere negandum est. Nam earum essentialis unitas rerum multitudinem antecedit; neque possunt res natura posteriores, unitatem ideis, natura prioribus, auferre. Et hinc cum Aristoteles, ut invidiam Platoni faceret, hujus sententiam sic exposuisset, quasi ideas a mente divina separatas exsistere affirmasset; calumniam propulsantes Platonis discipuli, uno ore negarunt usquam dixisse Platonem, quod fingit Aristoteles, ideas separatas exsistere a mente divina, sed tantum separatas esse a substantia, quæ eis inferior esset. Proclus primo *in Parmenidem* Commentario, adductis variis ex Orpheo et Oraculis testimoniis pro ideis, concludit longam disputationem contra Aristotelicos, his verbis: Σμικρὰ φροντιστέον τῶν σοφιστικῶν λόγων αὐτῶν ὑφ' ἑαυτῶν ἐληλεγμένων, οὐδὲν ἐπιστημονικὸν, οὐδ' ὑγιὲς λεγόντων. Σαφῶς γὰρ οἱ θεοὶ εἰρήκασι, ὡς ἔννοιαι τοῦ Πατρός εἰσι, μένουσι γὰρ ἐν ταῖς νοήσεσι τοῦ Πατρὸς, καὶ οὕτως προέρχονται ἀπὸ τοῦ Πατρὸς πρὸς τὴν τοῦ κόσμου δημιουργίαν. *Parum attendendum ad eorum sermones, quos meras esse cavillationes ex ipsismet ostenditur, nec quidquam doctum, aut sanum præ se ferentes. Aperte enim dixerunt dii, Patris notiones esse: manent quippe in Patris cogitationibus, et sic prodeunt a Patre in mundi opificium.* Has tamen seu notiones seu ideas deorum nomine nuncupabant; certissimo argumento, ex indito pluribus Dei nomine, concludi non posse plures aut substantias aut personas divinas esse.

52. Sed quod majus est, et causæ jugulum petere videtur, tantum abest ut Valentinus Dei unitatem negaret; quin potius, Irenæo teste, aperte profiteretur. *Omnes enim*, inquit lib. 1, cap. 22, n. 1, *fere quotquot sunt hæreses Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam immutant.* Non ait, *multiplicant*, sed *immutant*; quatenus a Dei idea rationem omnipotentis, et rerum omnium opificis separabant, alium a supremo omnium Patre mundi conditorem constituentes, quem et ipsum Dei nomine vocabant; quamvis factum, et ignorantiæ obnoxium esse dicerent, nec proinde vere Deum, nisi mens eos omnino destituisset, esse crederent. Et hoc ipsum explicat Irenæus lib. IV, cap. 33, n. 3: *Judicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem, et ex hoc omnia; ipsum autem qui fecerit omnia, defectionis sive labis fructum esse dicunt.* Aperte igitur professus est Valentinus unum esse Deum. Et certe abhorret a verosimili, aut priores Gnosticos, quorum plerique e Judæorum propagine legem Mosaicam, Judaicosque ritus cum Christiana professione conjungebant, quibus nec venerandum SS. Trinitatis mysterium, quod Dei unitatem violare hominibus terrena duntaxat sapientibus videretur, persuaderi non potuerat; aut Valentinum, eosque omnes, qui spreta gentilium superstitione Christianam religionem amplexi fuerant, omnes aliquam saltem Evangelio fidem habere se confessos, profanum exsecrandumque Christianis omnibus polytheismum ab interitu excitare, aut immensum personarum divinarum numerum profiteri voluisse. Id scilicet exhorruissent Christiani omnes, veteratoribusque [vanæ famæ et asseclarum cupidis male cessisset. Nec tantum nefas inultum abire sivisset Irenæus, qui hominum flagitia omnia et errorum portenta detegenda, et pro merito castiganda sibi susceperat. Is vero, licet sæpe sæpius arguat quod mundi conditorem a supremo Patre dividerent, unumque et eumdem esse rerum opificem ac supremum Patrem demonstret; licet de Deo indigne sensisse, hominumque affectus, imperfectiones et vitia in eum male transtulisse [XXXIV] probet; nunquam tamen ut πολυθέους, aut divinarum personarum numerum supra modum augentes traducit, argumentave conquirit quibus Patres Dei unitatem persuadere solebant; a quibus nihilominus, ut ab imis radicibus malum statim convelleret, disputationis initia ducere debuisset. Quod cum non præstiterit vir cæteroquin accuratissimus, et cui probe nota erant Gnosticorum omnium dogmata; eos non sensisse suos Æones totidem veros deos, aut personas divinas fuisse, pro certo affirmare possumus, quamvis deos nominare solerent. Sed quæ genuina fuerit hæreticorum illorum de Æonibus suis mens, quidve tot Æonum ac conjugationum nomine intellexerint, ex tutioribus tum Irenæi, tum veterum

Digitized by Google

aliorum principiis, quantum in re obscurissima fas est, investigandum.

53. Sic a Valentinianis Æones dividi, ut alii sint masculi, alii feminæ, masculique cum feminis conjugentur, jam diximus. Porro feminas Æones meras esse masculorum affectiones, virtutes et proprietates, non substantias aut personas ab iis diversas aut distinctas, certum videtur. Et quidem ita sensisse Ptolemæi discipulos extra dubium est. Duas enim quas Bytho assignabant conjuges, vocabant ipsi, Irenæo teste, lib. I, cap. 12, n. 1, Bythi διαθέσεις καὶ δυνάμεις, *affectiones et virtutes*. Nec secus sensisse cæteros Valentinianos ex eodem Irenæo manifeste colligitur. Is quippe lib. II, cap. 12, ubi probandum sibi sumit, triacontadem hæreticorum et deficere et redundare : deficere ex eo probat quod Ennœa cum Bytho indivulse conjuncta sit, nec proinde ab eo diversa aut re distincta. *Impossibile est enim*, inquit, *Ennœam alicujus, aut Silentium separatim intelligi, et extra eum emissum propriam habere figurationem*, id est formam et naturam. Sed quia, quod probe callebat, ea non erat Valentinianorum sententia, Ennœam a Bytho separatim intelligi, nec dicebant *esse emissam illam extra, sed* potius *adunatam esse Propatori ;* hac eorum allata responsione statim infert, Ennœam *cum reliquis Æonibus, his qui non sunt adunati*, annumerandam non esse, utpote quæ a Bytho sit indistincta. Tum, *necessitatem esse omnem ab unita conjugatione, et inseparabili, et unum existente, indiscretam, et unitam eam quæ ex ea est, emissionem fieri, ut non sit dissimilis ab eo qui emisit.* Ac proinde, *unum et idem fieri, quemadmodum Bythum et Sigen, sic et Nun et Alethian, semper adhærentes invicem : et quod non possit alterum sine altero intelligi, quemadmodum neque aqua sine humectatione, neque ignis sine calore, neque lapis sine duritia; unita sunt enim invicem hæc, et alterum ab altero separari non potest, sed semper coexistere ei.* Quod et ipsum de Logo et Zoe, Homine et Ecclesia, et reliquis Æonum conjugationibus similiter concludit. Clara sunt hæc atque perspicua. Sed ne videretur hæc gratis et a seipso supposuisse sanctissimus martyr, ipsummet Valentinianorum principium refert, ut subinde alteram hypotheseos eorum partem funditus evertat, scilicet Sophiam sine permistione conjugis Theleti passam esse passionem, et separatim sine eo fructum generasse. *Feminam enim Æonem*, ait, *pariter esse oportet cum masculo, secundum eos, cum sit velut affectio ejus. Et cum hæc ita se habeant, et eum hæc dicantur ab ipsis, rursus impudorate audent docere, juniorem duodecadis Æonem, quem et Sophiam appellant, sine permistione conjugis, quem Theletum vocant, passam esse passionem, et separatim sine eo fructum generasse, quem et feminam a femina nominant; in tantum dementiæ progressi, ita ut manifestissime duas contrarias de eodem sententias censeant.* Hæc ergo Valentinianorum sententia erat, *hæcque dicebantur ab ipsis*, feminam Æonem cum masculo individue copulari, quia erat velut affectio ejus. Quod adeo certum, ut inde invicte conficiat Irenæus secum ipsis pugnare, *manifestissime duas contrarias de eodem sententias censentes ;* hinc scilicet Sophiam sine permistione conjugis Theleti passam esse passionem, et separatim sine eo feminam generasse : illinc vero Sophiam cum conjuge tam arcte conjunctam, ut esset affectio ejus. Quod quidem argumentum futile esset, si secus sensissent hæretici, et feminas Æones a maribus re distinxissent. Et hinc jam apparet, cur lib. I, cap. 1, unumquemque Æonem masculo-feminam esse dicerent, et primigenam ogdoada quatuor nominibus duntaxat nuncuparent, omissis feminarum appellationibus. Cum enim hæ masculorum affectiones essent, proprietates ac virtutes activæ, non mirum si in numerum, qui ex distinctis unitatibus coalescit, proprie non venirent, et unusquisque Æon masculo-femina diceretur, qui virtute activa gaudebat, quæ ei instar feminæ esset. Cum itaque jam constet Æones feminas a maribus indistinctas esse, Æones, si proprie et ex rei veritate loqui velimus, esse non possunt plus quam quindecim, aut si iis adjungere libeat Horon, Christum et Spiritum sanctum, ac Salvatorem, plus quam decem et novem, in quorum duntaxat investiganda natura totus vertitur difficultatis cardo.

54. Eamdem non fuisse Valentinianorum omnium de Æonibus sententiam, ex Irenæo, Tertulliano, Theodoreto et aliis exploratum est. In tantum enim Tertulliani [67] ætate abscesserant a magistro discipuli, ut *nusquam jam Valentinus, solusque ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum ejus consolaretur.* Imo nec nugivendis istis omnibus satis perspectum fuisse quid sibi vellent, quove tenderent, nec involutæ rei ideam definiendo usquam explicare potuisse, testatur Irenæus lib. II, cap. 16, n. 9. Nam proposita sibi quæstione, quam nunc versamus, allatisque variis explicandarum emissionum modis, concludit : *Præter has autem emissiones ego quidem jam non intelligo alteram posse eos dicere; sed ne ipsi quidem alteram quamdam proprietatem emissam reddentes aliquando cogniti sunt nobis, licet valde multam de hujusmodi speciebus quæstionem habuerimus cum eis; hoc autem solum dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cognovisse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est. Jam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri.* Et cap. 14, n. 8 : *Hi paulatim assuetis his suadentes* (sic lego) *per pithanologiam assumere prædictam emissionem* (sex priorum Æonum), *inferunt neque congruentia, neque opinatas reliquarum emissionum species, ex Logo*

[67] Lib. adv. Valent., c. 4.

Digitized by Google

quidem et Zoe decem dicentes Æonas emissos, de Anthropo autem et Ecclesia duodecim; et horum nec ostensionem, nec testimonia, nec verisimilitudinem, nec in totum aliquid talium habentes, frustra autem, et prout evenit, credi volunt, ex Logo et Zoe Æonis existentibus emissum esse Bythium et Mixin, etc. Quibus verbis [XXXV] significat Valentinianos quidem affirmasse Æones ab Æonibus emitti; sed ubi ad emissionum explicationem, et ad definiendam Æonum naturam ventum erat, hæsisse prorsus, nec satis perspicuam vel suis vel aliorum animis earum rerum ideam informare potuisse. Si Colorbasum audiamus, primæ saltem ogdoadis Æones nihil aliud sunt quam plura variis unius et ejusdem rei affectionibus, actibus et perfectionibus indita nomina; non secus ac theologi catholici vulgo dicunt justitiam, bonitatem, sapientiam, etc., a Deo non re, sed cogitatione sola distingui, esseque unum et eumdem Deum, qui pro diversa ratione modo justus, modo bonus, sapiens, etc., vocetur a nobis. *Quando* (inquit apud Irenæum lib. I, cap. 12, n. 3) *cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatus est; at ubi quæ emisit, vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Cum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictum est. Quos autem præcogitaverat, posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon; hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoe, et sic prima octonatio completa est.* Idem ergo supremus Pater est, qui diversa Patris, Alethiæ, Anthropi, etc., pro diversis ἐνεργείαις et officiis sortitur nomina; nec proinde censebat Colorbasus Æones primæ saltem ogdoadis substantias esse aut personas a Patre distinctas. Nec aliter sensisse Epiphanem puto, qui, ut superius vidimus, non modo Henoteta et Monoteta, id est Bythum et Sigen, unum esse volebat, sed et emisisse, non emittentes, Monada et Hen : id est, totum priorum saltem emissionum mysterium meram emittentis ἐνέργειαν esse, non motum generationis proprie dictum; cujus terminus fuerit quidpiam ab emittente, non re, sed nomine tenus distinctum.

55. Tertullianus [68] id discriminis inter Ptolemæum et Valentinum constituit, quod hic Æones non alias a divinitate distinxisset, quam ut notiones, affectiones et motus a re; ille vero Æones in personales substantias a Deo separatas transformasset. *Eam (viam)*, inquit, *postmodum Ptolemæus intravit, nominibus et numeris Æonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas: quas Valentinus in ipsa summa divinitatis, ut sensus et affectus et motus incluserat.* At quam parum sibi constiterit Tertullianus ostendit quod lib. *adv. Prax.*, cap. 8, scribit : *Valentinus probolas suas discernit et separat ab auctore, et ita longe ab eo ponit, ut Æon patrem nesciat.* Et lib. I *contra Marcion.* cap. 5, adversarium urgens, cur duos duntaxat, non plures deos admitteret, addit : *Honestior et liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bythum et Sigen, cum usque ad triginta Æonum fetus, tanquam Æoniæ scrophæ, examen divinitatis effudit.* Ubi non modo triginta Æones deos appellat, sed æque ab invicem et substantia et persona distinctos asserere videtur atque duos Marcionis deos; alias nullam inter utrosque comparationem instituere potuisset. Vix igitur quidquam certi hac in re in Tertulliani fide statuere possumus. Irenæus vero, cui potior habenda fides, utpote a quo cæteri hauserunt, lib. I, cap. 1 et seqq., Ptolemæi, et cap. 11 Valentini sententiam describens, in eo duntaxat alterum ab altero discrepare docet quod hic ὅρους duos, alterum inter Bythum et Æones, alterum inter Pleroma et Enthymesin; ille vero unum solum fingeret. Cætera, quod ad Pleromatis naturam et ordinem attinet, concordes exhibet, nec discriminis a Tertulliano memorati usquam meminit. Plura quidem utriusque hypothesi addidisse discipulos, plura detraxisse non me latet; sed Epiphane et Colorbaso, de quibus superius egimus, exceptis, alios de Æonum natura secus ac illos sensisse, nullibi legimus : ac proinde in ea re omnes fere omnium sententias convenire, pro certo statuere possumus. Quid vero de iis senserint, jam aperio.

56. Non eamdem fuisse, in Valentinianorum hypothesi, Æonum omnium conditionem, ex iis quæ Irenæus primis libri I capitibus et alibi passim refert, liquido constare videtur. Immensum enim a cæteris Æonibus discrepasse Nun seu Monogenem, certissimum est. Huic soli cognitus supremus Pater; reliquis vero omnibus invisibilis et incomprehensibilis erat. *Solus Nus, secundum eos, delectabatur videns Patrem, et magnitudinem ejus immensam considerans exsultabat*, etc. *Reliqui Æones omnes tacite quodammodo desiderabant prolatorem seminis sui videre, et eam quæ sine initio est radicem contemplari.* Uno verbo Nus ὁμοιός τε καὶ ἴσος τῷ προβάλλοντι, *similis et æqualis ei qui emiserat, et solus capiens magnitudinem Patris*, perfectissimæque agnitionis luce collustratus; cæteri tam procul a Patre distantes, ut iis prorsus *incomprehensibilis* esset, *et non esset neque videre, neque audire eum nisi per solum Monogenem;* ignorantiæ proinde tenebris suapte natura obvoluti. Longe igitur alterius sublimioris ac perfectioris naturæ Nus, quam cæteri Æones. Et quamvis omnes in Æonum nomine convenirent, natura dissimiles fuisse liquet. Porro de utrisque, quantum ex Irenæo conjicere licet, sic statuendum videtur.

57. Monogenis quidem naturam divinam fuisse, extra dubium est. Qui enim similis et æqualis supremo Patri statuitur, perfecteque capiens magnitudinem ejus, natura inferior esse non potest. Et quidquid de Deo Patre senserint hæretici, nisi pe-

[68] Lib. adv. Valent., cap 4.

Digitized by Google

nitus insanierint, huic Nun seu Mentem ejus æquaverint necesse est. An vero, quod catholica fides de Dei Filio docet, Nun existimaverint personam subsistentem, a Patre distinctam, ejusdem tamen cum ipso substantiæ, ipsique consubstantialem? Plura sunt quæ contrarium suadere, meramque Patris affectionem, ἐνέργειαν aut proprietatem ἀνυπόστατον, non subsistentem esse probare videantur. 1° Quod huic nullam actionem aut proprietatem tribuant, quæ personam a Patre distinctam arguat. Logo quidem, Sophiæ, Horo, Christo et Spiritui sancto, ac Salvatori, suas cuilibet actiones et affectiones ascribunt, quæ personale quidpiam innuant; at Monogeni nullam, quæ meræ proprietati seu affectioni non subsistenti convenire non possit. 2° Valentinianos a prioribus Gnosticis accepisse primam ogdoada superius ostendimus. At Simon Magus, et Menander, Gnosticorum principes et coryphæi, eorumque discipuli Saturninus et Basilides, Judæi cum fuerint, vel Judæorum anticipatis adversus sacrum Trinitatis mysterium opinionibus imbuti, nusquam vere Christiani, ii nunquam fuerunt qui plures in una Deitate personas confiterentur: rati videlicet, cum Judæorum vulgo, personarum divinarum numero polytheismum induci. Quid de Trinitate sentiret [XXXVI] Simon, satis exploratum ex iis quæ de eo refert Irenæus lib. I, cap. 22. Aiebat nempe impiissimus ille, *esse se sublimissimam Virtutem, quæ in Samaria quasi Pater descenderit, inter Judæos quasi Filius apparuerit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit.* Quæ demonstrant, Simonem non aliud de Trinitate sensisse, quam quod postea senserunt Noetus et Sabellius, unicam videlicet in Deo esse personam, quæ pro diversis officiis diversa sortiretur nomina. Ut ergo censuerit Nun seu Unigenitum Patri similem esse et æqualem natura; certe nec censuit, nec censere potuit persona distinctum esse. Etsi postea dixerit Basilides, Simonis discipulus, apud Irenæum lib. I, cap. 24, n. 4, *innatum et innominatum Patrem misisse primogenitum Nun suum*, quem *Virtutem incorporalem et Nun innati Patris* vocat, ad salutem gentium; qui apparuerit in terra homo, et virtutes perfecerit, quique e crucifigere volentium manibus elapsus, ascenderit ad eum qui miserat eum, deridens eos, cum teneri non posset: eodem prorsus sensu dixit quo postea Sabellius asseruit emissum esse Filium tanquam radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quæ ad Evangelii procurationem et humani generis redemptionem attinent: quo munere defunctus, rursus ad cœlum assumptus est; quemadmodum radius emissus a sole, iterum recurrit ad solem: ac proinde in Jesum meram divinitatis efficientiam, ac veluti radiationem quamdam, nec solidam, nec substantivam, manasse. Eadem itaque fuit et Valentinianorum sententia, qui de prima ogdoade cum Simone consentiebant: nec ulla sive apud Irenæum, sive apud Tertullianum, sive apud Epiphanium, sive apud alios præbent argumenta se de Trinitate personarum catholice sensisse. Et ea propter Athanasius in lib. *De salutari Christi adventu*, Valentinum Patripassianorum erroris reum facit: non quod Patrem vere passum fuisse affirmarit unquam, aut affirmare potuerit, qui nullam divinitatis cum humana Christi natura substantialem unionem agnovit; sed quod si Filium Dei aliquatenus passum esse dixerit, hinc et Patrem, qui eadem cum eo persona erat, passum esse sequi videretur. 3° Irenæus, lib. II, cap. 13, ut primum ordinem emissionis, quem fingebant hæretici, nulla ratione defendi posse probet, ut quid certissimum, et de quo ambigebat nullus, supponit, *Nun esse ipsum quod est principale et summum, et velut principium et fons universi sensus; principalemque et primum ejus quæ est intus, absconditæ et invisibilis affectionis locum continere, a qua sensus generatur;* ut inde inferat nonnisi absurde omnino dici, Nun emitti. Id enim *compositum et corporalem* Deum facere est: *ut sit separatim quidem qui emisit Deus; separatim autem qui emissus est, sensus.* Sed quia probe sciebat, respondere hæreticos, Nun *non emissum extra Patrem, sed in ipso Patre;* statim infert: *primo quidem superfluum esse etiam dicere emissum esse eum. Quemadmodum enim emissus est, si intra Patrem erat? Emissio enim est ejus, quod emittitur, extra emittentem manifestatio. Post deinde hoc emisso, et is qui est ab eo Logos, erit intra Patrem,* etc. Quæ quidem Irenæi argumentatio manifeste probat, duo hæc ab hæreticis negata non fuisse, Nun *principalem et primum ejus, quæ est intus invisibilis affectionis locum continere;* et Nun *non emissum esse extra Patrem, sed in ipso Patre;* ac proinde Nun, ex eorum hypothesi, meram Patris affectionem esse ἀνυπόστατον, non subsistentem. Nam utrumque si negassent hæretici, si Nun a Patre persona distinxissent, vanum esset et futile prorsus Irenæi argumentum; totum enim quantum est, hoc principio nititur: *Nus mera Patris affectio est, Nus intra Patrem emittitur*, id est sic a Patre emittitur, ut a Patre non distinguatur, ne compositus dicatur Pater: *Ergo vane emissus dicitur. Emissio enim est ejus, quod emittitur, extra emittentem manifestatio.* Quod igitur intra Patrem manet, nec ab eo distinguitur, frustra emissum dicitur. Negato proinde principio, totum quod hoc innititur ædificium ruat necesse est. Et certe si eadem fuisset hæreticis de Monogene suo sententia, quæ catholicis est de unigenito Dei Filio; si illum a Patre sic emitti docuissent, ut persona tantum, non substantia ab eo distingueretur, eam refellere nusquam in animum sibi induxisset Irenæus, catholicæ fidei propugnator acerrimus. Nec enim, puto, displicuisset quod προβολῆς seu emissionis nomine, de æterna Filii Dei generatione loquentes, usi fuissent: hoc quippe veteribus catholicis ingratum non fuisse, liquet ex Tertulliano, lib. *adv. Prax.* cap. 8, imo ex ipso Irenæo, lib. II, cap. 28, n. 6. Minus adhuc dis-

Digitized by Google

plicere potuit, quod non eamdem Unigeniti et Patris personam esse voluerint: hæc enim catholica fides est. Id igitur solum offensionem apud Irenæum habere potuit, quod Nun seu Unigenitum a Patre nec natura nec persona distinguentes, emissum tamen vellent: quod revera absurdum est. Et hinc ex hæreticorum hypothesi tria hæc absurda necessario consequi demonstrat toto cap. 13. Primo, quod nominibus abusi, emissum id dicerent, quod ne quidem in hominibus ipsis, licet compositis, emitti potest. 2° Quod Nun ab Ennoia Patris emissum dicentes, et a Nu Logon; *hominum* ipsorum *affectiones, et passiones, et intentiones mentis*, dum cogitat ac secum ipsa loquitur, *describerent et applicarent omnium Patri. In hominibus* siquidem *compositis natura, et ex corpore et anima subsistentibus, capit dici*, a Nu sensum generari, et Ennoian, et Enthymesin: quæ quidem omnia, cum *in cognitionem conterminentur, et in verbum* mentis *coemittantur*, a Nu *secundum appellationem duntaxat, perseverantiam, augmentum* et successionem, non secundum rem differunt: hæc enim omnia pendent a Nu, qui ea *gubernat, et a semetipso per ea quæ prædicta sunt, sicut per radium, emittit verbum.* Ast Deo, qui totus simplex est, totus sibi similis et æqualis, totus sensus, totus spiritus, totus cogitatio et ratio, nihil simile affingi potest, nisi compositus ac mutationi obnoxius dicatur. 3° Denique, Deum a Deo separari, et in eo aliud et aliud supponi. Cum enim Nus in ipsis hominibus sit quid primum et principale, a quo cætera omnia pendent et emittuntur; emitti non potest, nisi aliud quidpiam et anterius et superius supponatur, a quo emittatur; quod quidem sine manifesta contradictione, ne quidem in hominibus ipsis statui potest. Quisquis ergo Dei, cujus natura est, ut sit totus Nus seu Mens, Nun emitti fingit, quidpiam Dei mente, ac proinde Deo ipso prius et superius, a quo emittatur, supponit; ac consequenter Deum a Deo separat, et quasi *aliud ab alio emitti* blasphemat.

58. De reliquis Æonibus, Logo, Anthropo, Bythio et cæteris, non idem ferri posse judicium [XXXVII] putem. Omnes ejusdem conditionis exstitisse, omnibus ignotum et invisibilem fuisse supremum Patrem, omnes cupidinem videndi Patris incessisse, omnes ignorantiæ labe maculatos, omnes, novissimum præsertim, variis perturbationum æstibus obnoxios, passim testatur Irenæus. Certe Logon ipsum a communi cæterorum vitio immunem non fuisse, et Patrem, perinde atque alios, ignorasse, ut quid certum ex hæreticorum sententia supponit S. doctor, lib. II, cap. 13 et 16, ut hinc blasphemias eorum retundat. Omnes proinde natura inferiores fuisse Patre, et ab eo plusquam hypostasi aut ratione distinctos, quilibet confiteatur necesse est. Quemlibet enim sibi Deum finxerit Valentinus, quamlibet rudem, et, ut ita dicam, concretam ejus intelligentiam animo conceperit, non tamen adeo plumbeum exstitisse, et tam enormiter desipuisse credam, ut quos Æones, personas aut perfectiones divinas esse voluisset, ignorantiæ et perturbationibus obnoxios dixisset. Naturalis siquidem atque insita in omnium animis Dei notio unicuique suggerit, id omne quod aut persona aut perfectio divina est, infinitum cum sit, divinum ac Deus ipse, omnem ignorantiæ, perturbationis, aut imperfectionis umbram procul a se ablegare. Et tamen Logon aliosque ex eo prognatos Æones veras personas esse, non simplices duntaxat affectiones aut proprietates, contendebant Valentiniani. Id invicte, ni fallor, concluditur ex actionibus et *passionibus*, quas eis ascribebant, cupidine videndi Patris, exquisitione Patris, ignorantia et perturbationibus; quæ nonnisi personis convenire et de iis dici possunt. Eodemque modo judicandum videtur de Logo, Anthropo, etc., atque de Horo, Christo et Spiritu sancto, ac Salvatore. Hos autem Virtutes esse per se subsistentes, verasque personas, manifeste sequitur ex actionibus quas iis ascribunt hæretici, prioribus libri primi capitibus. Christum a matre adhuc sub umbra degente genitum fuisse, et quidem eadem umbra obscuratum, volebat Valentinus; statim vero in Pleroma eum recurrisse, sic tamen ut Jesum postea procreasse assereret. Quæ ostendunt et quam cæteris Æonibus ignobilior esset Christus, ex hæresiarchæ istius sententia, et quam ab eis distinctus. Quidni pariter ex similibus actionibus et affectionibus idem de Logo et aliis inferre liceat? Deinde Irenæus, lib. II, cap. 13, n. 6, ut probet frustra ab hæreticis Nun intra Patrem emissum dici, tanquam absurdum quid in eorum hypothesi infert, hoc semel posito, *et eum qui est ab eo Logos, fore intra Patrem, similiter autem et reliquas Logi emissiones.* Quod quidem argumenti genus, ut valeat, manifeste supponit, Valentinianorum principiis repugnare, Logon cæterosque ab eo emissos Æones esse intra Patrem. Et revera cap. præcedenti n. 5 asserit endiatheton, id est intus mente conceptum non esse eorum Logon, sed externum, et a Patre adeo distinctum, ut propriam haberet substantiam a substantia Patris diversam. Nempe postquam ostendisset, Sophiam separatim a conjuge Theleto nihil quidquam pati aut generare potuisse, et in uno et eodem Pleromate stare simul non posse Sigen et Logon, *Silentium* et *Verbum*, præoccupans adversariorum responsiones, subdit, num. 6: *Si enim unitas conjugationes dixerint*, id est si Æones feminas a masculis non aliter distinxerint, quam virtutes, proprietates, et affectiones a re cujus sunt, *soluta est eorum universa argumentatio. Quomodo enim unitis eis, Sophia sine conjuge labem generavit? Si autem*, pergit ille, *sicut in emissione unumquemque ex Æonibus propriam substantiam habere dicent; quemadmodum in eodem ostendi potest Sige et Logos?* Tam certum igitur erat apud hæreticos, Logon, et unumquemque ex masculis Æonibus ab eo emissis, propriam habere substantiam, ut vereatur Irenæus ne hinc respondendi ansam ar-

Digitized by Google

ripiant, et feminas propriam habere substantiam ; quod tamen eorum opinioni contrarium erat. Logon itaque et alios ex eo natos Æones sic extra Patrem emissos fatebantur, ut unicuique eorum propriam substantiam a substantia Patris distinctam tribuerent. Præterea Irenæus, eodem cap. 13, n. 9, perstringens hæreticorum de Logi et Zoes emissione somnia, ait : *Et non secundum descensionem ea* (sic lego, non *et*) *quæ sunt talia acceperunt emissiones ; sed earum virtutum quæ semper sunt cum Deo, appellationes sunt, quemadmodum possibile est et dignum hominibus audire et dicere de Deo. Appellatione enim Dei coobaudientur sensus, et verbum, et vita, et incorruptela, et veritas, et sapientia, et bonitas, et omnia talia.* [67] Principium hoc catholicis omnibus certissimum opponit hæreticis ; aliud igitur hi sentiebant. Opinabantur proinde Logon, Veritatem, Vitam, Sapientiam, etc., non earum virtutum, quæ semper sunt cum Deo, appellationes esse, nec appellatione Dei coobaudiri ; sed a Deo re et natura distingui, ita ut Deus sine iis nedum intelligi possit, sed et reapse aliquando exstiterit, ut quem fingerent infinitis sæculorum intervallis antiquiorem Æonibus.

59. Nec a verosimili abhorrens cuiquam videri debet, quod Verbum et Sapientiam a Mente Patris et ab ipso Patre separarint Valentiniani. Tam enim indivulse cohæret Ἐνθύμησις cum ἐνθυμοῦντι, quam λόγος cum cogitante. Et tamen Ἐνθύμησιν Sophiæ sic ab ea separabant, ut utrique diversam prorsus substantiam tribuerent. Quidni similiter Logon et Sophiam a Nu et a Patre divellere potuerint ? Absurdissima hæc si quis dicat, lubens fatebor ; imo adeo absurda dicam, ut nullus unquam, nisi emotæ mentis homo hæc in animum inducere possit. Verum non quid cum recta ratione consentiat pugnetve, sed quæ fuerint Valentinianorum dogmata, hic inquirimus. At, inquis, Irenæus lib. II, cap. 16, n. 6, expendens, *quemadmodum emissi sunt reliqui Æones*, id est Logos, Anthropos, et cæteri, varios explicandarum emissionum modos proponit. Utrum, inquit, *uniti ei qui emiserit, quemadmodum a sole radii ; an efficabiliter et partiliter*, id est an a principio emittente soluti et sejuncti, *ut sit unusquisque eorum separatim, et suam figurationem habens, quemadmodum ab homine homo, et a pecude pecus ? Aut secundum germinationem, quemadmodum ab arbore rami ? Et utrum ejusdem substantiæ exsistebant his qui se emiserunt, an ex altera quadam substantia substantiam habentes ? Et utrum in eodem emissi sunt, ut ejusdem temporis essent sibi ; an secundum ordinem quemdam, ita ut antiquiores quidam ipsorum, alii vero juniores essent ? Et utrum simplices quidem et uniformes, et undique sibi æquales et similes, quemadmodum spiritus et lumina emissa sunt ; an compositi et differentes, dissimiles membris suis ?* Quibus diversas hæreticorum sententias referre ac complecti [XXXVIII] videtur ; ac proinde innuere quorumdam opinionem fuisse, unitos emitti Æones ei qui emittit, quemadmodum soli radios ; quorumdam vero, ejusdem substantiæ exsistere his qui se emiserunt ; aliorum denique, simplices et uniformes esse, et undique sibi æquales et similes, quemadmodum spiritus et lumina. Sed præterquam quod non negaverim paucos quosdam ex ipsis, ut Colorbasæos, existimare potuisse, sic emitti Æones unitos emittenti, ut soli radios ; ex iis tamen quas refert et confutat Irenæus, diversis explicandarum emissionum rationibus concludi posse non crediderim, his omnibus usos fuisse Valentinianos. Nempe id agit vir sanctus, quod in confutandis obscurioribus sententiis fieri vulgo solet ; ut invicte refellantur, omniaque adversariis effugia præcludantur, omnes quas adhibere possent explicandi rationes, responsionesque referuntur ; non quod revera omnes adhibeant ; sed ut, etiamsi adhiberent, eorum sententia a sana ratione abhorrere demonstretur. Hoc vero Irenæi consilium fuisse non dubitabit, quisquis attenderit ad ea quæ subjicit n. 9 : *Præter has autem emissiones ego quidem jam non intelligo alteram posse eos dicere ; sed ne ipsi quidem alteram quamdam proprietatem emissam reddentes aliquando, cogniti sunt a nobis, licet valde multam de hujusmodi speciebus quæstionem habuerimus cum eis.* Non ait eas esse emissiones quas probant, sed eas esse emissiones omnes possibiles, quas *dicere possunt*, et præter eas non intelligere se alteram eos posse dicere ; nec alium quempiam emittendi modum audivisse se unquam ab ipsis. Sed tantum abest eas omnes emissiones sibi asciscerent Valentiniani, ut vix ulla certa hypothesi stare possent, et quæstionibus sibi ea de re propositis facere satis. Id perspicue tradit Irenæus verbis sequentibus : *Hoc autem dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cognovisse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est. Jam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri.* Et eapropter ad solvendas propositas sibi difficultates, explicandamve sententiam parum adeo comparati erant, ut auctore nostro teste, lib. III, cap. 15, n. 2 : *Si aliquis ex his qui audiebant eos, quæreret solutiones, vel contradiceret eis, hunc quasi non capientem veritatem, et non habentem de superioribus a matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicerent ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est, Psychicorum.* Quod homines ostendit temere quidquid in buccam veniret proloquentes, id vero nec explicare, nec certis rationibus munire valentes.

60. Quantum vero ex verbis eorum, et ex recepta apud omnes hypothesi conjicere licet (nam ex iis solis, velimus, nolimus, ferenda sententia), Logon cæterosque posteriores Æones fuisse substantias

[67] Lib. I, cap. 1.

Digitized by Google

quasdam per se subsistentes, sed supremo Deo longe inferiores, concludere possumus. Angelici porro ordinis non immerito quis dixerit : hancque hæreticorum istorum mentem esse haud difficile probaverit. Primo enim Marcosii, qui nihil fere a cæteris Valentinianis dissidebant, nisi quod, ut pretium nugis adderent, ad symbolicam litterarum et elementorum farraginem, Pythagorico more, omnia revocabant, tradita sub his ænigmatis Æonum genesi concludunt : Τοὺς δὲ φθόγγους ὑπάρχειν, τοὺς μορφοῦντας τὸν ἀνούσιον καὶ ἀγέννητον Αἰῶνα· καὶ εἶναι τούτους μορφὰς, ἃς ὁ Κύριος ἀγγέλους εἴρηκε, τὰς δὲ διηνεκῶς βλεπούσας τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός *Sonos autem eos esse, qui formant* (exprimunt) *insubstantivum et ingenitum Æona, et esse has formas quas Dominus angelos dixit, quæ sine intermissione vident faciem Patris.* Nihil clarius : soni, id est Æones, angeli sunt de quibus Christus (*Matth.* XVIII, 10) dixit : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Hæc vero non de omnibus Æonibus, sed de posterioribus duntaxat intelligi, patet ex latissimo, quod inter primam tetrada et reliquos Æones interesse volebant, discrimine. Illius siquidem *nomina sancta sanctorum intelligi, quæ non possunt enarrari, intelliguntur autem a solo Filio, quæ Pater scit quænam sunt*, esse dicebant lib. I, cap. 15, n. 1. Quæ demonstrant quanto intervallo prima tetras superaret secundam, ac decada et dodecada ; hasque proinde solas angelici ordinis esse posse. 2° Valentinianos a Simone Mago, Menandro, Saturnino, aliisque Gnosticorum principibus, prima doctrinæ suæ principia et rudimenta, et, ut ait Irenæus [70], *initia emissionum* accepisse, jam non semel diximus. At illos primis et summis Æonibus immediate subjecisse Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, etc., diserte docent Irenæus, Epiphanius [71], Theodoretus [72] et alii. Angelos enim ab Ennœa Patris (procul dubio interposito Nu seu Monogene, quem ab eo re non distinguebant) emissos esse volebant Simon et Menander. Nec alia fuit Saturnini sententia, qui, referente Irenæo, *similiter ut Menander, unum Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates*, haud dubie quin per Ennœam et Nun. Constat tamen, et a nobis superius probatum est, veteres illos Gnosticos, perinde atque Valentinianos, e Nu eduxisse vel Anthropon, vel Logon ; e prima tetrade secundam. Dum igitur ab Ennœa et Nu immediate emissos asserunt Angelos, dilucide satis, ni fallor, mentem exponunt, significantque quid posteriorum Æonum nomine intelligerent, Angelos videlicet, Archangelos, Potestates, etc. Solus Basilides, *ut altius aliquid et verisimilius invenisse videretur, in immensum extendit sententiam doctrinæ suæ*, vel, ut loquitur Epiphanius, *a Saturnino et Simone Mago erroris argumenta mutuatus est, quæ alia ratione tractare et majore cum pompa enarrare instituit.* Nam Angelos paulo longius a Nu et Ennœa removit, interpositis nimirum Logo, Phronesi, Sophia, et Dynami : quos quidem Æones non re, sed virtute duntaxat et ratione *ab innato Patre* distinxisse videtur. Sed in hoc cum magistris consensit, quod primis illis ac summis Æonibus Angelos immediate subjiceret. *A Dynami* siquidem *et Sophia Virtutes, et Principes, et Angelos, quos et primos vocabat*, genitos esse asseruit. Hoc ergo solum inter Valentinianos et Gnosticos interfuisse videtur, quod hi primi ordinis Angelos e supremis Æonibus perturbate, nulloque certo ordine ac numero educerent; illi vero ordinatim componerent, ac sub certis quibusdam conjugationibus, in decada et dodecada, quasi in agmina divisos collocarent.

61. Dixi primi ordinis Angelos : multiplex enim apud illos fuit ; neque existimandum Angelos illos, quos a summis Æonibus emissos volebant, ejusdem ordinis ac dignitatis fuisse cum iis quibus [XXXIX] mundi hujus fabricationem ascribebant. Et quamvis alii ab aliis gradatim descenderent, maximum tamen inter priores et posteriores interjectum erat intervallum. Id ex Saturnini hypothesi manifestum est, qui licet *unum Patrem* esse diceret, *qui fecit Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates ;* non tamen ab his *mundum factum, et omnia quæ in eo,* sed *a septem quibusdam aliis Angelis* asserebat. Clarius adhuc ex Basilide, qui *Virtutes, et Principes, et Angelos*, quos a Sophia et Dynami emissos esse contendebat, *primos vocabat, a quibus alteros et alteros Principes et Angelos factos esse dicebat : eos autem, qui posterius continent cœlum, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quæ sunt in mundo omnia.* Sic pariter et *Carpocrates et qui ab eo, mundum quidem, et ea quæ in eo sunt, ab Angelis multo inferioribus ingenito Patre factum esse dicebant.* Nempe Angeli illi inferiores extra Pleroma constituti erant ; alii intra Pleroma degebant ; et hi in multos ordines dispositi. Alii quippe dignitate et ordine præstantiores, vocabantur Æones (quo etiam nomine Angelos identidem donavit Synesius superius a nobis citatus [in Hymnis]), quasi dii secundarii, et ad divinitatem cæteris propius accedentes ; alii ordinis inferioris, satellites Salvatori destinabantur. Angelorum etiam, qui extra Pleroma versabantur, non unus erat ordo, sed multiplex, alius alio sublimior et dignior ; alii enim Angeli, alii Archangeli, quorum omnia varia officia et veluti præfecturæ : ita tamen ut Pleromatis Angelis superioribus, quorum ministri erant, subessent. Nam in rebus creatis condendis in id potissimum incubuerat *Salvator* per Enthymesin, ut *in Æonum honorem omnia faceret*, et imaginem Pleromatis invisibilis in omnibus exprimeret, ut refert Irenæus lib. I, cap. 5. Ut ergo Demiurgus Angelos sibi subjectos, sic Nus sibi subditos habe-

[70] Lib. I, c. 23 et 24. [71] Hær. XXI et seqq. [72] L. I Hær. Fab., lib. I, c. 1 et seqq.

Digitized by Google

bat. Logos proinde Angelus erat, qui Dei mentis veluti verbum ac interpres oracula divina cæteris pandebat, ac per eos, per *Salvatorem* maxime, hominibus manifestari curabat : quique rerum omnium rationes et ideas, quas divina mens complectitur, per Bythium, Ageraton, etc., certa quadam proportione atque norma in *Salvatorem* veluti derivabat, ut hic secundum hoc exemplar cuncta per Enthymesin et Demiurgum effingi studeret; et eapropter [73] *Salvatorem receptaculum Christi* superioris *et universæ Plenitudinis, et ex omnibus generatum esse dicebant : quapropter Beneplacitum vocari, quoniam universum Pleroma bene sensit per eum glorificare Patrem. Alii autem ex solis decem Æonibus, qui sunt a Logo et Zoe emissi, et propter hoc Logon et Zoen dici eum, parentum nomina custodientem.* Homo etiam et Ecclesia Angelus fuit, qui spiritalibus hominibus, seu Ecclesiæ in terris degenti præfectus, hanc per Æones sibi subditos et per Salvatorem ad *exemplum superioris Ecclesiæ* instituit et informavit, seu, ut loquebatur Ptolemæus, ἐφανέρωσε καὶ ἐγέννησε, *in lucem edidit, generavitque.* Hinc etiam inferiorem hanc Ecclesiam, seu spiritales homines, ut vocabant, imaginem superioris Ecclesiæ dicebant. Hinc etiam quidam eorum *Salvatorem ex duodecim Æonibus, his qui sunt ab Anthropo et Ecclesia facti, generatum* esse volebant : *et propter hoc Filium hominis se confiteri, velut postgenitum* (ἀπόγονον, nepotem) *Anthropi.* Marcosii vero asserebant *ab Anthropo et Ecclesia, Logo et Zoe Virtutes emanatas generasse eum, qui in terra manifestatus est, Jesum. Et Logi quidem locum adimplesse angelum Gabriel, Zoes autem Spiritum sanctum, Anthropi autem Altissimi virtutem : Ecclesiæ autem locum Virginem ostendisse. Et sic, inquiebant, ille qui est secundum dispositionem* (ὁ κατ' οἰκονομίαν), *generatur apud eum* (παρ' αὐτῷ, ex eo, Anthropo, ni fallor) *homo, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit per Verbum ad agnitionem suam,* id est, ut per eum hominibus innotesceret [74]. Quibus mire confirmantur quæ modo diximus, Angelos inferiores, ex hæreticorum sententia, superioribus Pleromatis ministrasse, et Jesum a Verbo tanquam divinæ mentis interprete electum, ab Anthropo vero tanquam Ecclesiæ duce et præfecto in lucem editum, ut per Salvatorem oracula divina hominibus funderet, inferioremque Ecclesiam fundaret et institueret.

62. Quæ vero hic de inferioribus Æonibus effutiunt nugatores isti, totidem segmina sunt, partim ex Scripturis et traditione misere dissectis, partim ex Platonicorum philosophematibus huc male translatis, collecta, pessimeque simul consuta. Nimirum in Scripturis legerant, per Verbum Dei facta esse omnia, Deum Patrem invisibilem esse, neminem unquam Deum vidisse; audierant a pluribus antiquis Ecclesiæ Patribus, Deum Patrem invisibilem semper mansisse, nec usquam hominibus manifestatum per seipsum fuisse, sed per Verbum suum, quod iisdem identidem sub visibili specie conspiciendum se præbebat, loquebaturque, ut eo videndo et audiendo paulatim assuescerent : viderant in iisdem Scripturis passim, verbum Domini factum esse ad prophetas, et in iis locutum fuisse; angelos tamen sæpius in Dei nomine et persona verba fecisse, et sub humana figura hominibus apparuisse, legem disposuisse et ordinasse, Ecclesiæ curam gessisse, Christum nostrum angelum Novi Testamenti vocari, et alia ejusmodi. Quæ omnia inepte consuentes, fabulam, quam dixi, contexuerunt; Logon et Anthropon angelos esse a Dei mente emissos, ut oracula divina funderent, conspiciendosque hominibus se præberent, ac successione quadam aliorum Æonum *Salvatorem*, Angelum Testamenti, gignerent, qui Jesum Ecclesiæ conditorem illustraret, et in hunc descenderet, in quo proinde Logos et Anthropos exprimerentur.

63. At si Christiana religio et Scriptura formam, Platonica dogmata materiam toti fabulæ præbuerunt. Platonici præter unam πρεσβυτάτην αἰτίαν, *antiquiorem ac superiorem causam*, ut loquitur Jamblichus [75], quæ diis omnibus supereminet, multiplex deorum genus distinguebant; alios qui sunt in hoc mundo, alios qui in intelligibili [76]. Ut de posterioribus duntaxat hic agam, hos Proclus in νοητοὺς, *intelligibiles*, et νοεροὺς, *intellectuales*, seu intelligendi facultate præditos dividit. Similis est illa Chaldæorum apud Damascium deorum series, αἱ πηγαὶ, *fontes*, οἱ νοεροὶ, *intellectuales*. De quibus licet, pro more, obscure omnino et allegorice dissererent, hæc tamen, quantum assequor, ex eorum sermonibus erui posse videntur. Dii illi, quos πηγὰς et νοητοὺς vocant, ipsissimæ sunt divinæ mentis ideæ, supremaque rerum omnium exemplaria in intimo Dei intellectus sinu recondita; multiplicia quidem, si terminum spectes, res videlicet quas exprimunt et exhibent; unum quid vero et simplicissimum Ens, si cum Deo conferas, a quo nec re distinguuntur, [XL] nec separantur. Hancque Platonicorum genuinam esse doctrinam, superius demonstravimus. Si cui vero scrupulum injiciat, quod ideæ divinæ appellentur dii, hunc eximet Proclus scribens lib. I *Platonic. theol.*, cap. 24, multis in locis Platonem ea, quæ deos participant, iisdem nominibus exornare, et deos vocare : Πολλαχοῦ δὲ ὁ Πλάτων καὶ τὰ μετέχοντα τῶν θεῶν, τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀποσέμνει [76a], καὶ θεοὺς ἐπονομάζει. Ex quo concludit, alium quidem esse simpliciter Deum, alium propter unionem, alium propter communionem, alium propter connexionem, alium vero propter similitudinem. Ληπτέον τοίνυν ἐκ τούτων ἁπάντων, ὅτι Θεὸς, ὁ μέν ἐστιν ἁπλῶς Θεὸς, ὁ δὲ καθ' ἕνωσιν, ὁ δὲ κατὰ μέθεξιν, ὁ δὲ κατὰ συνα-

[73] Iren., lib. III, c. 16, n. 4, et lib. I, c. 12, n. 4. n. 4; c. 15, n. 3. [74] Sect. V, cap. 9. [75] Jamb., sect. I, c. 19. [76] Vide Iren., lib. I, c. 5, n. 6; c. 8, n. 5; c. 12, [76a] ἀποσημαίνει.

Digitized by Google

φὴν, ὁ δὲ καθ' ὁμοίωσιν. Porro ideæ divinæ αἱ πηγαὶ dicebantur, quod rerum omnium fontes et principia sint, et veluti archetypa, quæ Deus agendo imitatur : dii autem νοητοὶ, quod utpote spiritales divini intellectus affectiones, sola mentis intelligentia comprehendi queant. Dii vero νοεροὶ, intellectuales, sunt angeli superiores ac Deo propiores, intelligendi facultate pollentes, seu mentes illæ cœlestes, quibus divina illa exemplaria, pro intelligentiæ viribus, contemplari et exprimere, et ad eorum normam opera dirigere datum. Et ita sensisse Platonicos satis aperte significat Proclus, qui lib. III, cap. 21, post τὰ πρώτιστα, καὶ ὑψηλότατα γένη τῶν θεῶν, *prima et altissima genera deorum*, νοητῶν videlicet, immediate collocat τὰ δεύτερα, καὶ ἀγγελικὴν ἔχοντα τάξιν, *deorum genera secunda, et angelicum habentia ordinem*. Itaque dii νοεροὶ, qui secundas in ordine deorum mundi intelligibilis tenebant, sunt ipsimet angeli superiores. Consentit et Jamblichus, qui sect. 11, cap. 2, 3 et seqq., primo loco deos νοητοὺς constituit. His proxime accedunt archangeli, quos sequuntur angeli. Archangelos autem secundum deorum gradum obtinere, non obscure innuit cap. 7, ubi de deorum, archangelorum et angelorum, dum sese videndos offerunt, speciebus disserit. *Dii*, inquit, *circa se deos, vel angelos astantes habent, archangeli asciscunt sibi alios angelos*, etc. Haud dubium enim quin dii illi, quos dii astantes habent, archangeli sint, quos immediate post deos νοητοὺς statuit. Sed rem totam omnium clarissime demonstrat Ficinus jam a nobis citatus, in *Comment. in Conviv.*, c. 3, ubi triplicem, ex Platonis sententia, mundum distinguens : *Primum omnium*, inquit, *est Deus universorum auctor; quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem prius creat angelicam; deinde mundi hujus animam, ut Plato vult; postremo mundi corpus. Mens angelica primus mundus est a Deo factus*, etc. Adeo certum est, Platonicorum mundum intelligibilem aliud nihil continere, præter primam causam, formarum omnium et specierum feracem, et angelos. Hanc vero ipsissimam esse Valentinianorum et Gnosticorum omnium hypothesim manifeste patet. Quid enim aliud prima illa πρεσβυτάτη αἰτία, superior et antiquior causa, quæ diis omnibus supereminet, quam Valentinianorum *Proarche*, *Propator* et *Bythus*, *in invisibilibus et inenarrabilibus altitudinibus præexistens, invisibilis, sempiternus, ingenitus, in silentio, et in quiete multa degens in immensis sæculorum intervallis*, antequam Æones emitteret? Quid aliud dii νοητοὶ, *intelligibiles*, paternæ mentis ideæ, formæ et exemplaria, ad quorum exemplum cuncta effinxit, quam Ennoia, Nus et Veritas, *radix omnium;* Nus, inquam, *Pater et initium omnium*, in quo supremus *Pater præmisit omnia seminaliter?* Quid aliud dii Platonicorum νοεροὶ, intellectuales, divinarum idearum contemplatores, et imitatores, archangeli seu angeli superiores, quos gradatim alterum ex altero derivabant, et quibus, ut vult Plato in *Timæo*, mandat Deus, ut ad imitationem sui rerum inferiorum fabricationem aggrediantur; quam hæreticorum secundi Æones, quos *omnes in intellectum et desiderium exquisitionis sui Patris adducere vult* Nus, quique ad divinæ Mentis ideas attenti, *volentes et ipsi de suo clarificare Patrem, emittunt emissiones*, alios videlicet Æones, quos in agendo successione quadam ac serie dirigunt, et quorum ministerio suprema rerum exemplaria in condendis rebus exprimi curant? Tanta inter utramque hypothesim affinitas est, ut cum major esse non possit, eadem prorsus esse videatur. Hoc tantum interest, quod altera tota ad profanam gentilium theologiam comparata sit; altera vero Scripturarum ope tantillum ad Christianam theologiam deflexa sit, sed nugis istis ita defœdatam, ut quæ cui præferenda sit, ambigas. Vereor, ne si latius et per partes, quod facile fieri posset, expenderetur utriusque systematis affinitas, longius excurreret oratio : erudito lectori viam aperuisse sufficiat. Interea ex hactenus dictis, ni fallor, concludet, non modo posteriores Valentinianorum Æones, ipsissimos Platonicorum archangelos fuisse; sed et invisibile et spiritale illud Pleroma a mundo intelligibili Platonis, ut exemplum ab archetypo, manasse. Jam ad alteram Valentiniani systematis partem, nimirum Achamothæ fabulam, seu ea quæ extra Pleroma contigerunt, sermonem convertamus, tempus est.

64. Extra Pleroma Sophiæ Enthymesin, *cum appendice passione relegatam* dicebant Valentiniani, in umbra et vacuo, formæ, figuræ, ac luminis expertem misere jacentem, ubi per necessitatem effervescebat. Postea vero quam ejus auxilio venit superior Christus, ac odore quodam immortalitatis perfudit, forma ei indita secundum substantiam, melior quidem ejus conditio fuit, ita ut rudem indigestamque rerum omnium creatarum molem jam profundere, et aliquantulum secernere cœperit; nondum tamen ab omni calamitate liberata, donec missus ad eam *Salvator* scientiæ formam ei indiderit, et a perturbationum æstu solverit. Latentem sub his ænigmatis Platonicam mundi animam deprehendere haud arduum. Plato, pro eo cui de industria studebat, allegorico ac symbolico philosophandi more, totum hoc universum esse fingebat ζῶον ἔμψυχον καὶ ἔννουν, animal quoddam vivens, ac intelligens, ex corpore et anima concretum. Corporis universi nomine intelligit τὸ ὁρατὸν καὶ ἁπτὸν, materiam quæ videri et tangi potest. Quod vero tum ipse, tum discipuli ejus tam magnifico verborum apparatu de anima mundi disserebant, ad illud referebatur, et ex eo decerptum erat quod Gen. 1, 2, scriptum legitur : *Spiritus Dei ferebatur super aquas;* id est, super informem ac indigestam totius universi materiam, ut ei formam, motum, vitam ac fecunditatem inspiraret. Nempe Plato per *spiritum universi, universalem spiritum, animam mundi*, sapientiam, virtutem seu efficien-

Digitized by Google

tiam Dei intelligit, quæ cuncta movet, dirigit, ordinat et disponit. [XLI] Sic enim ipse describit lib. x *De leg.*, pag. 896 : Ψυχὴν ταὐτὸ ὂν, καὶ τὴν πρώτην γένεσιν καὶ κίνησιν τῶν τε ὄντων, καὶ γεγονότων, καὶ ἐσομένων, καὶ πάντων αὖ τῶν ἐναντίων τούτοις· ἐπειδή γε ἀνεφάνη μεταβολῆς τε καὶ κινήσεως ἁπάσης αἰτία ἅπασι. *Idem esse et animam et primam originem, motumque eorum quæ sunt, quæ fuerunt, et erunt, omniumque rursus his contrariorum : quandoquidem et mutationis et universi motus omnibus causa est.* Et paulo post vocat ψυχὴν διοικοῦσαν καὶ ἐνοικοῦσαν ἐν ἅπασι τοῖς πάντη κινομένοις, *animam regentem, et in omnibus, quæ moventur, inhabitantem.* Unde concludit, animam ante corpus exstitisse, corpus vero secundum et post animam natum esse, quandoquidem hoc ab ea regatur et moveatur : quod enim alteri causa motionis est, hoc prius sit necesse est.

65. Porro illam mundi animam non statim perfectam, omnibusque numeris absolutam fuisse censebant Platonici. Nam, ut ait Plato in *Timæo*, cum vellet mundi architectus mundum intellectuale animal facere, neque posset intellectus absque medio adesse corpori, conjunxit intellectum quidem animæ, animam vero corpori, atque adeo ut medio infuderit mundo, et inde per cuncta diffuderit. Prius ergo condidit animam Deus, nondum prolude perfectam donec intellectu ditaret. Sed rem totam melius et ad propositum nostrum aptius edisserit Ficinus cap. 3, *in Conviv. Platonis*, ubi Platonicorum sententiam explicat. *Principio*, inquit, *Deus mentis illius creat substantiam, quam etiam essentiam nominamus. Hæc in primo illo creationis suæ momento informis est et obscura. Quoniam vero a Deo nata est, ad Deum sui principium ingenti quodam appetitu convertitur. Conversa in Deum, ipsius radiis illustratur. Radii illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus Deo totus inhæret : inhærendo formatur ; nam Deus qui potest omnia, in mente sibi inhærente creandarum rerum naturas effingit. In ea igitur spiritali quodam modo pinguntur, ut ita loquar, omnia quæ in corporibus ipsis sentimus. Illis cœlorum, elementorumque globi, sidera, vaporum naturæ, lapidum, metallorum, plantarum, animalium formæ gignuntur. Hujusmodi rerum omnium species, Dei fomento quodam in suprema illa mente conceptas, ideas esse non dubitamus*, etc. Quod hic sub allegoriarum tegumentis traditur, his ambagibus missis clarius et simplicius exponi potuisset. Nempe quam vocant animæ substantiam nondum formatam, chaos est, seu materia, quam informem et rudem, certarum figurarum ac motionum expertem condidit Deus ; quæ tamen, ex legibus ab eo statutis, certis quibusdam formis, motibus ac figuris instrueretur, exigebat. Huic primum vim motricem indidit, quæ paulatim sese exserens, eos motus, Deo dirigente, civit, ex quibus materiæ partes sic invicem aptatæ, compositæ, atque ordinatæ, ut corporum formæ ad superni exemplaris imaginem atque normam prodierint. Idipsum est quod exprimere voluit Plato in *Timæo* scribens, mundum ex intellectu et necessitate, seu erratica causa compositum esse, id est ex ipso formarum ordine atque materia. Sic enim animam mundi, seu vim motricem, quam veluti semen quoddam materiæ impressit Deus, et ipsam materiam vocat : illam quidem, quoniam intelligentiæ divinæ simulacrum est : hanc vero, quia non propter seipsam, sed tanquam formis ultimis necessaria est introducta, has vel illas successive sic exceptura, ut nullius tenax sit, sed ad omnes suapte natura indifferens. *Possumus quin etiam*, inquit Ficinus in *Tim.* cap. 39, *sub necessitatis nomine intelligere non materiam solam, sed animam quoque ejus in primo processionis suæ signo velut informem, materiæ instar, consideratam. Utraque enim tam anima, quam materia, in primo originis suæ signo informis quidem est, sed facile formabilis est per intelligentiæ munus : unde et ipsi animæ rationes seminaque formarum naturalium infunduntur, et materiæ qualitates, atque formæ.*

66. In his autem Platonicorum placitis totam Achamothæ fabulam plus quam adumbratam nemo non deprehendit. Enthymesi siquidem superioris Sophiæ, separatæ a superiori Pleromate cum passione, in umbræ et vacuitatis locis effervescenti per necessitatem, extra lumen factæ et extra Pleroma, informi et sine specie, quia nihil apprehendit (sic describunt Valentiniani), tanta est cum anima mundi, qualem modo ex Platonicorum sententia descripsimus, affinitas, ut major vix esse possit. Utraque a Dei sapientia et virtute emanat. Utraque primum in chao, seu materia obscura, tenebrosa et incondita delitescit, informis et sine specie, velut fermentescens, ac paulatim vim suam exserens : utraque nihil apprehendit, utrique indita primum forma secundum substantiam tantum, sed non secundum scientiam ; quia, etsi initio motus quidam fuit ; quia tamen inconditus, vagus, ut ita dicam, inordinatus et indeterminatus ; nullam certam speciem aut formam exhibebat : utraque demum divini luminis radios excepit, quia vis motrix atque σπερματικὴ materiæ impressa a Deo excitari debuit, ut in actum prorumperet. Quod addunt Valentiniani, Enthymesin jam aliquali immortalitatis odore perfusam, variis perturbationum æstibus, ex quibus varia mundi elementa prodierunt, agitatam fuisse, donec ad Christum conversa, missum Salvatorem exceperit, Patris et Æonum potestate decoratum, qui eam a perturbationibus liberaret, hasque ab ea secretas commisceret, condensaret, atque ex incorporea affectione in incorpoream materiam immutaret ; ineptiæ sunt, eo verborum apparatu, qui moveat imperitos, venditatæ ; quibus id duntaxat innuitur, diversis tum primum perturbatisque motibus agitatum chaos, ad eas demum motionum species, rationes et modos, Deo ordinante, determinatum fuisse, ex quibus partes

Digitized by Google

sibi repugnantes ab invicem discedentes, cognatæ secum coalescentes, variis rerum formis in lucem edendis aptæ fierent. Cur ea materia *incorporea* tum a Valentinianis, tum a Platonicis dicatur, exposuimus in notis lib. I, cap. 4, n. 5. Sed quæ Platonis sententiam exponens refert Laertius pag. 208, quia mire quæ hactenus diximus confirmant, referre non pigebit. Aiebat nimirum Plato εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα. Ἀτάκτως δέ ποτε κινουμένην, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ φησιν εἰς ἕνα συναχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου. *Esse materiam informem et infinitam, ex qua concretiones fiant. Ea cum aliquando temere et inordinate moveretur, a Deo ait in unum locum coactam, quod ordinem temeritati præstare censuerit.* Confer, si lubet, Platonem in *Timæo*. Idipsum aliis verborum involucris tegere Ophitis et Sethianis animus erat, dum aiebant, Sophiam descendentem in aquas, petulanter eas movisse et assumpsisse ex [XLII] eis corpus : *humectationi enim luminis ejus omnia accurrisse, et adhæsisse* [76a], et cætera ejusmodi delirantium hominum commenta, quæ a Valentinianis penes ineptiæ modum, non penes ipsam rem differunt. In hoc vero utrique Platonicis stolidiores exstiterunt, quod hi animam mundi a Deo ipso tanquam principio, et mundo tanquam subjecto, re distinxisse non videantur; illi vero Enthymesin suam ab utroque sic distinxerint et separaverint, ut in substantiam quamdam per se subsistentem, ac secundarium quoddam Deitatis genus transformarint.

67. Achamothæ fabulam excipit mundi hujus aspectabilis origo, constitutio et ordinatio, quam fusius exponit Irenæus, et nos ex ipso compendio superius descripsimus. Summa huc redit, primum omnium ab Achamoth conditum Demiurgum ex animali substantia, cætera omnia deinceps fabricatum fuisse, tum cœlestia, tum terrena, tum animalia, tum sensu et vita destituta, Angelos, Archangelos, Cosmocratorem seu diabolum, et dæmonia, septem cœlos, quos intelligentia præditos, imo et Angelos esse volebant, Hominem demum ex triplici substantia concretum. Cæcus tamen et inscius quid ageret, tanta hæc molitus est Demiurgus : at clam dirigebat Mater Achamoth, hanc vero Salvator, ut cuncta ad imaginem invisibilis Pleromatis efficerentur. Sedes Demiurgo constituta supra septimum cœlum; Mater superiorem locum, medium videlicet, quod inter Pleroma et mundum visibilem intercedit, spatium occupabat. In quibus omnibus luce meridiana clarius iterum relucent Platonicorum aliorumque veterum philosophorum dogmata. E molestissimæ quæstionis, unde malum? ambagibus expedire sese cum nequirent plures e vetustioribus philosophis, existimarunt, Plutarcho teste in *Is. et Osir.*, duos esse deos καθάπερ ἀντιτέχνους, quasi contrariis artibus deditos, alterum bonorum, alterum malorum fabricatorem. Illum bonum deum et Oromazen, hunc dæmona et Arimanium appellabat Zoroaster; illum e purissima luce, hunc e tenebris et ignorantia genitum : a primo bonos, a secundo malos deos genitos esse volebat, et inter hos alium deum intermedium nomine Mithram exsistere. Has impurissimas repetiere lacunas tum Marcionitæ, tum Gnostici veteres, ut inde duplex rerum principium, alterum bonum, alterum malum, alterum alteri perpetuo insidiantem et adversantem excitarent. Valentiniani vero, ut portentosi dogmatis invidiam declinarent, *nominibus* quidem *honestius utebantur*, ut loquitur Irenæus; neque enim Deum malorum effectorem aperte profitebantur : at revera venenum crudius sorbebant, ut ostendit idem Irenæus [77], dum rerum conditorem *ex ea labe, quæ extra Pleroma emissa est*, temerarie videlicet et supra modum audaci Sophiæ facinore genitum, ac ignorantiæ, cæcarum nempe Achamothæ perturbationum fructum esse asserebant. Nam Deum malum auctorem mali, et Deum cæcum et ignorantem inducere, ejusdem sceleris esse videtur; imo hoc altero gravius. Neque enim Deus iste cæcus a se est, sed ab Achamotha conditus est, dirigente *Salvatore*, quem vicissim regunt et inspirant tum supremus Pater, tum cæteri Æones; ac proinde ignorantia, malorum omnium fomes et radix, et mala ipsa, quæ inde pullulant, in summum Deum refunduntur. Sicque recrudescit pestiferum virus, quod e corruptis philosophorum lacubus haustum emollire conantur Valentiniani.

68. Eo usque desipuisse Platonicos, ut duos deos, alterum bonorum, alterum malorum auctorem fingerent, non legimus : imo quamlibet aliam, præter Deum, malorum causam esse quærendam constanter asseruerunt. Verumtamen est quod dum rerum inferiorum creandarum et administrandarum provinciam angelis demandabant, aliis postmodum offensionis ansam præbuerint. Id innuere videtur Plato, cum in *Timæo* Deum filios suos, id est inferiores angelos adhortantem inducit, ut ad imitationem sui, mistionem sub luna rerum aggrediantur, hominique subjiciant omnia, ac rationalem ejus animam ab ipso acceptam corpori caduco infundant. Quod expendens simul et refellens Augustinus lib. XII *De civit. Dei*, cap. 26, scribit, *Platonem minores, et a summo Deo factos deos, effectores esse voluisse animalium cæterorum, ut immortalem partem ab ipso sumerent, ipsi vero mortalem attexerent. Proinde animarum nostrarum eos creatores esse noluisse, sed corporum.* Sed Platonis præceptoris mentem clarius expressit Proclus lib. V, cap. 29, ubi sic distinguit : mundum indigere Deo Patre, ὡς ὑποστάτου τῶν ὅλων, καὶ γεννήτορος, *tanquam fundatore a quo fulciatur, et genitore :* τὸ δὲ γεννᾷν, καὶ παράγειν, καὶ τὸ προνοεῖν, θεῶν ἐστιν ἴδιον, καθόσον εἰσὶ θεοί. *Ipsum vero ge-*

[76a] Iren., lib. I, cap. 30. [77] Lib. III, cap. 12, n. 13.

Digitized by Google

nerare, et producere et providere, deorum esse proprium, quatenus sunt dii. Primam quidem causam esse Deum Patrem, quatenus exemplaria rerum formas continentia, quibus dirigantur dii, ministrat; at τὸ γεννητικὸν, καὶ ὑποστατικὸν ἄλλων, καὶ προνοητικὸν αὐτοῖς διαφέρειν τοῖς θεοῖς, *ipsam generandi vim, et ipsam aliarum causam fundatricem, et ipsam providendi facultatem ad ipsos deos maxime pertinere.* Consentit Sallustius philosophus lib. *De diis et mundo*, cap. 6 : Deorum, inquit, alii mundani, alii supermundani. Τῶν δὲ θεῶν, οἱ μέν εἰσιν ἐγκόσμιοι, οἱ δὲ ὑπερκόσμιοι. Ἐγκοσμίους δὲ λέγω, αὐτοὺς τοὺς τὸν κόσμον ποιοῦντας θεούς. Τῶν δὲ ὑπερκοσμίων, οἱ μὲν οὐσίας ποιοῦσι θεῶν, οἱ δὲ νοῦν, οἱ δὲ ψυχάς. *Mundanos dico eos, qui mundum condunt, deos. Supermundanorum vero alii deorum substantias, alii mentem, alii animas efficiunt. Ideoque*, pergit, *trino ordine discriminantur. Mundanorum hi condunt mundum, alii eumdem animant, alii ex variis diversisque compactum adaptant, alii adaptatum custodiunt.* Quod vero dii illi tum mundani, tum supermundani primo Deo longe inferiores sint, docet cap. præced. ubi ait, τὴν πρώτην αἰτίαν μίαν εἶναι, *primam causam unam esse.* Παντὸς γὰρ πλήθους, inquit, ἡγεῖται μονὰς, δυνάμει τε καὶ ἀγαθότητι πάντα νικᾷ· καὶ διὰ τοῦτο πάντα μετέχειν ἐκείνης ἀνάγκη. *Multitudini namque universæ præest unitas, potentia et bonitate omnia superans; ideoque omnibus communicari necesse est.* Eademque Jamblichi sententia est, sect. v, cap. 9. Tum cap. 14 deos sic partitur, ut alii sint *materiales*, alii *immateriales*. *Materiales* vocat eos, qui licet a materia maxime separabiles sint, eam immateriali sua potentia comprehendunt et exornant, eique adsunt, ac dominantur, et una cum ea existunt. *Immateriales* appellat eos, qui omnino a materia liberi sunt, eique longe præcellunt. Omnem autem rerum humanarum administrationem ad deos *materiales* pertinere vult, non ad *immateriales* (nisi quatenus hi deos *materiales* eorumque potentias in se, tanquam causa una et [XLIII] prima, complectuntur), quia, administratio hæc particularis est, et admistum habet quoddam anxietatis genus, neque omnino a corporibus segregata est, nec capere potest liquidam et imperturbatam gubernationem. Quare sect. II, diversis deorum inferiorum generibus et ordinibus diversas in administratione mundi, perinde atque Sallustius, stationes, officia et functiones assignat. Sic pariter et Ficinus *in Critiam* Platonis, deos in supercœlestes, cœlestes et subcœlestes ex Platonicorum sententia partitur; primis amplissimam providentiam, secundis minus amplam, posterioribus ad angustiora redactam tribuit, utpote qui certis terræ plagis rerumque generibus divina distributione præsint : quemadmodum et cœlestes alii aliis cœli partibus, sphæris et stellis præponuntur. Ex quibus omnibus liquido certum est, Platonem ejusque discipulos non existimasse primum principium per A se creavisse res conditas; sed id quod secundo post illud loco constitutum est, angelos videlicet. Hinc Numenius apud Eusebium, lib. XI *Præp. evangel.*, cap. 18, Platoni hæc verba tribuit : *O homines, quem vos arbitramini primum Deum, mundi opificem, non est primus, sed est adhuc eo superior.* Cui effato concinit oraculum istud :

Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ καὶ τῷ παρέδωκε Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλῄζετ' ἅπαν γένος ἀνδρῶν. Omnia siquidem perfecit Pater, et menti tradidit Secundæ, quam primum Deum vocat omne hominum genus.

Quod exponens Psellus ait, Mentem secundam vocari ab hominibus Deum primum, quod nesciant Patrem supremum.

B 69. Ab his fontibus efluxit communis Gnosticorum omnium sententia, Angelis tum creandi, tum regendi mundi munus impositum fuisse. Nec secus sensere Valentiniani. Quamvis enim Demiurgum, Deum et Patrem interdum nominarent, revera tamen intra naturæ angelicæ limites concludebant. *Demiurgum et ipsum angelum esse dicunt, Deo similem*, inquit Irenæus lib. I, cap. 5, n. 2, et lib. II, cap. 8, n. 3. Nec minus aperte scribit lib. IV, c. 1, n. 1, hanc esse Valentinianorum mentem, *Demiurgum naturaliter neque Deum, neque Patrem esse, sed verbo tenus dici, eo quod dominetur conditioni.* Quod et idem de Enthymesi seu Achamoth dicendum. Et hinc est quod sanctus doctor hæc hæreticorum deliria confutans libro II nullatenus inter Valentinianos cæterosque Gnosticos distinguit; sed probare satis esse sibi censuit mundum non ab angelis, aut archangelis, sed ab uno et eodem Deo et Patre conditum fuisse. Commune vero tum philosophis, tum hæreticis isthæc asserendi principium fuit, Deum summum et Patrem ignotum ac invisibilem esse ac mansisse, nec per rerum creationem seipsum manifestando prodidisse : aliis existimantibus Dei majestatem haud decere, ut ad rerum inferiorum curam per seipsum suscipiendam sese demitteret; aliis timentibus, ne mala quibus labefactatur orbis, in ipsum refunderentur, si hunc ipse regeret creavissetque. Hinc sponte fluebat, orbis regimen et creationem alterius cujuspiam a Deo Patre opus et effectum esse : cumque neutri ullam aliam ultra hunc sive personam, sive naturam intelligentem nossent quam angelicam, in hanc operis molem recumbere voluerunt. Quæ prava inde enascantur consectaria, paulo post referemus.

70. Interim, quod mundum hunc inferiorem ad superioris, seu Pleromatis imaginem effictum dicebant Valentiniani, alterum doctrinæ Platonicæ caput est, quod in suam hypothesim transtulerunt. Notissimum quippe, nec semel a nobis jam dictum, invisibilem seu idealem Platonis mundum, rerum omnium ideas et formas a Dei mente conceptas continere; quas quidem supremus Pater angelorum opificum mentibus insculpit, et quasi oculis objicit, ut ad illius archetypi exemplum mundum hunc in-

Digitized by Google

feriorem efforment : et eapropter scripsit Tertullianus in lib. *De anima*, cap. 17, in ideis Platonicis *relucere hæretica semina Gnosticorum et Valentinianorum*. Angeli etiam et Archangeli, quos creat hæreticorum Demiurgus, angeli seu dii mundani sunt, quos a superioribus progenitos esse, multiplici ordine, serie et successione, statuebant Platonici. Ut enim Archangelos diis, sic Angelos Archangelis, Angelis heroes, heroibus animas subjiciebant. Animatos item septem planetarum, aliarumque stellarum orbes, et intellectu præditos, imo et Angelos esse, æque ac Valentiniani, sustinebant ; non quidem ratione formæ informantis, sed assistentis, ut loquuntur in scholis ; vel, ut exponebant Valentiniani, non re, sed virtute ; quatenus unicuique cœlo et sideri præfectus adest Angelus, qui motus hujus regat ac moderetur, ut passim explicant Platonici. Hosque septem planetarum orbibus præfectos Angelos, septem Κοσμοκράτορας esse puta, de quibus Damascius : quanquam ipse Κοσμοκρατόρων ordinem duplicem esse velit ; alii siquidem mundum superiorem, seu cœlestem, alii inferiorem moderantur : quod et ipsum Jamblichus sect. II innuit, ubi Archontas duplices distinguit, alios superiores, alios inferiores. Ex horum numero fuisse videtur ille Valentinianorum Cosmocrator seu diabolus, omnisque malorum dæmonum caterva, quam *spiritalem malitiam* vocabant, quamque a Demiurgo ex Achamothæ tristitia conditam asserebant. Cur vero hoc interesse vellent Demiurgum inter et Cosmocratora, quod hic ea quæ sunt super eum intelligeret, alter ignoraret, haud facile quisquam dixerit. Hanc quidem rationem afferunt, quod Demiurgus animalis sit, diabolus vero spiritalis nequitia ; sed rem implicat potius, quam explicat. Qui enim ex animali Demiurgo prodire potuerit Cosmocrator, qui, si non natura, saltem intelligentia superior sit : et qui ex tristitia Matris Achamoth condi potuerit spiritalis Angelus, ex ejusdem conversione animalis tantum, non video, nec quidquam, quo nodum hunc solvam, ministrat Platonica philosophia. Illud duntaxat ex Porphyrio in Epist. ad Anebonem erui potest, hoc dæmones bonos a malis discrepare, quod illi animæ sint spiritui adjunctæ, sed spiritum ratione superantes, corpusque harmonica proportione compositum cum habeant, in beneficia natura sua proclives sint ; hi vero animæ sint spiritui adjunctæ, sed ei ratione cedentes, corpusque inconcinne compositum et male affectum sortiti, iræ et cupidinum impetu feruntur, quibus ad mala omnibus inferenda [XLIV] instigantur. Nempe id discrimen esse volebat deos inter et dæmones, sive bonos, sive malos, seu inter angelos superiores et inferiores, quod primi impatibiles essent et intelligentiæ puræ, alii vero mentis participes et animales. Jam enim in Platonicorum scholis obtinebat ea sententia, A duplex dæmonum genus, bonorum videlicet et malorum, esse statuendum. Secus sentiebant Pythagoras aliique veteres, quibus aliud dæmonum genus, quam ἁγνῶν, purorum et beneficorum, haud agnitum fuisse probant ea carmina, quæ vulgo Pythagoræ ascribuntur. At cum Plato in *Timæo* et alibi placitum istud aut induxisset, aut recens natum confirmasset, in dæmonum ordinem referendas esse animas heroum, id est eorum hominum, qui tum beneficentia ac liberalitate erga patriam, tum justitia ac pietate præ cæteris excelluerant ; hinc ad amplificandam dæmonum turbam aditum sibi cito patefecere adulatio et timor. Quicunque enim viri potentes popularibus suis formidolosi vixerant, vel qualibet alia ratione nomen sibi inter suos fecerant, licet impuram flagitiosamque vitam duxissent, mortui facile invenerunt et adulatores, qui eos in heroum ac dæmonum numero collocarent, atque sacra decernerent, et ignavos ac timidos homines, qui sic collocatorum memoriam divinis honoribus celebrarent. Sed cum ridicula illa faciliorque apotheosis, qua scelestis mortalibus sacra interdum decernebantur, invicta adversus ethnicam religionem argumenta Christianis suppeditaret ; horum vim atque pondus ut declinarent philosophi, duplex dæmonum heroumque genus statuere coacti sunt, alterum beneficum, maleficum alterum et malesuadum ; illis quidem fieri sacra honoris ac religionis causa, et ut opitulentur ; istis vero cautionis ac provisionis gratia, ne noceant. Sic fere rem explicant Jamblichus [78] et alii. Is vero licet non neget dæmones quosdam natura malos esse et improbos, qui tamen a natura ita constituti sint diserte satis non explicat ; at quod ad alteram quæstionis partem attinet, dæmones scilicet omnes corporeos esse et animales, fatetur id ita plerisque philosophorum videri, hancque communiorem esse sententiam, sibi tamen non probari. Et revera multorum philosophorum opinionem fuisse docet Plutarchus in libro *De placit. philosoph.* Litem dirimere nostri non est instituti ; sed observare sufficiat, quod consilium nostrum fuit, ab hac philosophorum opinione Valentinianorum Demiurgum animalem, et forte etiam catervam illam spiritalis nequitiæ fluxisse.

71. Nec vero in eo solum hæretici istis veteribus philosophis assentiebantur, quod Demiurgum suum, cæterosque inferiores angelos animales esse vellent, sed et in eo quod illi sedem in medietate, ut loquebantur, assignarent. Idem quippe de dæmonibus sensisse Platonem, extra omnem dubitationis aleam positum. Cujus quidem assertionis hanc affert rationem in *Convivio ;* quod cum dii superiores et homines natura maxime distent, dæmones interjici debeant, qui medium locum impleant, et distantes conjungant ; idque non solum natura, sed muneris functione etiam præstent, in-

[78] Sect. I, cap. 15 et 16.

Digitized by Google

terpretando et trajiciendo humana ad deos, et divina ad homines; videlicet, deorum monita et præcepta ad nos, preces et sacrificia nostra ad illos. Ex quo sequebatur eos vaticiniorum omnium et prophetiarum auctores esse, quas pro suo quisque modo, affectu et natura inspirabat. Huic Platonis sententiæ omnes Academici sequentibus sæculis semper assensere, ut Plutarchus in lib. *De defectu orac.*, Apuleius in libro *De deo Socratis*, Jamblichus, Proclus et alii. Sic pariter humana cum divinis consociabant Valentiniani. Hominibus per Demiurgum animalem in medio constitutum, commercium intercedebat cum matre Achamoth spiritali, supra Demiurgum collocata. Quia vero illa media inter Demiurgum et Pleroma considebat, hujus interpositionis fibula Pleroma cum Demiurgo conjungebatur. Cujus etiam dogmatis idem quod Platonici consectarium erat, prophetias omnes vel Matri, vel Demiurgo, vel Salvatori per Jesum, acceptas referendas esse. Nam Christum Jesum, Novi Testamenti angelum et mediatorem, qui illud, quod peccatis intermissum fuerat, inter Deum et homines commercium instauraturus venit, triplici substantia indutum effutiebant hæretici, spiritali a superiori Pleromate devecta, animali a Demiurgo, et corporea a mundi elementis accepta : ut sic nec Deus (sic blasphemabant illi), nec purus homo, sed inter utrumque medius, et ceu Demiurgus alter, ima summis connecteret.

72. Sed ad alteram mundi constitutionis partem sensim delabor, hominis nimirum fabricationem, quam mirum esset si ad Platonica placita etiam non exegissent blaterones illi. Triplicem in uno homine hominem esse statuebant, materialem seu choicum; psychicum seu animalem, a Demiurgo insufflatum; et spiritalem, ortum videlicet e spiritali semine, quod ex Angelorum contemplatione protulit Achamoth, quem per Demiurgum, ceu per canalem, eo tamen inscio, una cum ejus insufflatione inspersit omnium mater. Et quidem quod hominem choicum ex limo primum, tum ex carne compactum assererent, nihil inusitatum sonat, communisque philosophorum omnium sententia fuit. Limus prima velut corporis humani materia est, quam Deus ita conformavit ut caro fieret, cui vitam infudit. Sic Moyses Gen. II, 7, hominis creationem describit, hancque descriptionem, intertextis pro more fabulis, imitari studuerunt. Quod autem animam fingerent in duas veluti partes sectam, cujus altera animalis esset et inferior, altera spiritalis et longe dignior tum origine, tum natura, post Platonicos fecerunt. *Homo*, inquit Jamblichus [79], *duas habet animas, quod ipsa Mercurii sacra scripta ostendunt. Una est a primo intelligibili, quæ etiam de potentia opificis participat.* Καὶ ἡ μέν ἐστιν ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ, μετέχουσα καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως. *Altera vero nobis inditur ex circuitu cœlestium mundorum, in quam anima Dei speculatrix se inserit,* Ἡ δὲ ἐνδιδομένη ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ ψυχή. *Anima quæ nobis advenit a mundis, mundorum quoque obtemperat motibus; illa vero quæ ab intelligibili derivata adest intelligibiliter, Genesiurgi,* Γενεσιουργοῦ, *motioni supereminet.* Vult igitur, priorem animam fato non servire, quia, ut ait cap. seq., habet in se principium proprium, quo possit ad intelligibile restituere seipsam, et a rebus factis refugere, et cum eo quod est, quodque divinum est, connecti. Posteriorem [XLV] vero animam fato subjacere. Ita Jamblichus, in cujus verbis et sensu perspicue elucet duplex illa Valentinianorum anima. Ea enim, quam a primo intelligibili esse dicit, ipsa est quam spiritalem jactabant, e superiori Pleromate per *Salvatorem* et ejus angelos deciduam. Ea vero, quam inditam esse asserit ex circuitu cœlestium mundorum, ipsa est quam a Demiurgo animali, supra septimum orbem considente, insufflatam volebant, et in quam superior illa sese insinuabat. Hoc tantum inter se differunt, quod Jamblichus post Platonem et cum cæteris Platonicis affirmaret superiorem illam animam corporibus dudum præexsistentem, jam perfectam, et velut adultam iisdem infusam fuisse; Valentiniani vero eam opinarentur velut semen quoddam *informe, et sine specie et imperfectum* animæ animali inseri, ut ibi *perfectionem et formationem* percipiat [80]. Quanquam tamen non usque adeo dissentiunt, ut concordia redintegrari non possit. Quamvis enim animas jam adultas in corpora dejici vellent Platonici, prius tamen oblivionis poculo epotatæ corporum mole sic obruebantur, ut iis ambagibus non nisi paulatim excussis iterum adolescerent, pristinarumque cogitationum vestigia rationis ope gradatim refricarent. Quamobrem et ipsi hanc animam primum informem, successu temporis perfectam evadere contendebant. Hoc etiam inter utrosque conveniebat, quod animam animalem fati vinculis illigatam, spiritalem his liberam esse sentirent ; quod aliis terminis, eodem certe sensu, exprimentes Valentiniani, dicebant, *animas quasdam natura bonas, quasdam autem natura malas. Et bonas quidem has esse, quæ capaces seminis fiunt; alias vero natura nequam, nunquam capere illud semen* [81], quibus proinde aditus omnis in Pleroma, solis spiritalibus excipiendis destinatum, interclauderetur necesse erat. Sic Christianismi speciem Platonicorum commentis inducebant nequissimi homines. Nempe quod in apostolorum scriptis legerant, animalem hominem non percipere ea quæ sunt Spiritus Dei [82]; quosdam homines animales esse, Spiritum non habentes; spiritalem omnia judicare; veros Christianos primitias Spiritus accepisse, et spiritales esse, etc., Platonica deliria huc transferendi occasio fuit. Diversam utriusque

[79] Sect. VIII, c. 6. [80] Iren., lib. II, cap. 19, n. 1. [81] Id., lib. I, cap. 7, n. 4. [82] I Cor. II, 14.

Digitized by Google

animæ sortem non moror : sponte fluit ex diversa utriusque conditione et origine. Unaquæque enim principium suum ambit, et ad illud anhelat : ac proinde cum altera e Pleromate, altera e *Medietate* defluxerit, una in Pleroma cum Angelis *Salvatoris*, altera in *Medietatem* cum Demiurgo recolligenda recurrat necesse est. Nec hæc Platonicis ignota. Nam Jamblichus, sect. I, cap. 2, putat, animas quasdam per deorum benignitatem, et infusam ab illis illuminationem, sæpe altius ascendere, et in ordinem majorem, angelicum videlicet evehi. Hoc quoties fit, ait, non jam amplius animæ finibus continentur, sed totæ angelicæ animæ evadunt, et in purissimam vitam perfecte perveniunt. Non moror etiam hylici hominis, seu materialis corporis sortem. In corruptelam abire, nusquam excitandum, cum Sadducæis aliisque non paucis gentilibus philosophis, ex necessaria consecutione putabant. Nec enim id excitari, vitæ particeps futurum decet, quod e labe et ignorantia, Eathymeseos perturbationibus, et Demiurgi inscitia ortum ducit.

73. De Christo Jesu quid sentirent, quibus potus blasphemiis sacrum Incarnationis mysterium subverterent, jam diximus. Illud fundamenti loco statuebant, quod verissimum est, nec semel a SS. Patribus affirmatum, ea suscepisse Christum quæ servaturus erat. Sed hoc turpiter abusi concludebant, ex quadruplici substantia compactum fuisse, ut typum primi ac superni quaternarii servaret; ex spiritali, quæ erat ab Achamoth; ex animali quæ erat a Demiurgo; ex ea quam œconomiæ, seu salutis humanæ procurandæ causa assumpsit, corporea quidem quæ sensus afficeret, sed ita a crassiori materia defæcata et pura, et tam solerti arte parata, ut nihil cum ea commune haberet, ac spiritalis quodammodo præ ea esset : ac demum ex superno *Salvatore*, qui in eum sub specie columbæ descendit, tum cum ad baptismum venit. Spiritalem quidem substantiam ab Achamoth acciperet necesse erat, quoniam spiritali semini, hactenus repullulantibus undequaque vitiis, ignorantia præsertim, præfocato perfectionem et incrementum allaturus erat, novamque lucem hactenus invisam, nimirum suprem) Patris agnitionem, in homines diffusurus. Animalem etiam, et eam quæ videri et tangi posset, assumere debuit; quia cum et animalibus hominibus salutem impertiturus esset, iisque, utpote spiritali semine seu agnitione destitutis, unus aditus ad eam per fidem et bona opera pandatur; necesse erat iis similis ac visibilis fieret, quo dux eorum et magister evaderet. His omnibus accedere debuit de supernis Salvator, qui Jesu Christi mentem Pleromatis mysteriis informaret; isque huic uniendus eo unitionis genere, quod procul ab hypostatico dissideat, nihilque nisi mere morale sonet; ac Jesum a communi hominum (si tamen homo dicendus, cui corpus æthereum potius et phantasticum, quam humanum erat) sorte non eximeret, utpote qui nec vere Deus esset, sed merus Angelus Deo longe inferior, nec Jesu Christo hypostatice unitus. Neque enim ipsum Dei Filium carnem sumpsisse volebant; et si dixissent, haud alio quam Sabellii et Pauli Samosateni sensu dicere potuissent. At hylicum nihil seu materiale asciscere sibi potuit Jesus Christus; quia hoc cum labis et ignorantiæ fructus sit, infausta perturbatæ nec sui compotis Enthymeseos soboles, et cæci ac ignorantis Demiurgi opus, salutem capessere nullam potest, sed in corruptelam, unde initium sumpsit, cedat necesse est. Hæc vero impiissimi dogmatis consectaria necessaria fuere. 1° Nihil a Maria Christum accepisse, sed per eam, veluti aqua per tubum, transiisse. Cum enim hylicum nihil susceperit, sed corpus ab hylico seu materiali, quod omnium hominum est, procul diversum gestaverit; ab ea mutuari nihil potuit, nec in ejus utero formari, ex qua nullum nisi hylicum et illi simile corpus generari poterat. 2° Nihil pati potuisse Salvatorem; cum nec Christo Jesu vere unitus esset, nec suapte natura patibilis et visibilis. Sed cum Jesus coram Pilato sisteretur, statim in Pleroma revolasse dicebant. 3° Ne id quidem quod a Matre erat semen passum esse, utpote quod et ab anima animali, quæ sola passionis capax, distinctum, et spiritale, et invisibile etiam ipsi Demiurgo esset. Sic illi. 4° Solam passam fuisse animalem substantiam, et eam quam Christus œconomiæ causa susceperat, [XLVI] solerti artificio compactam. Sic totam Verbi incarnati mysteriorum œconomiam labefactabant, et funditus evertebant profani homines.

74. Mirum si dogmatis vita non respondisset : impiissima dogmata scelestissimis moribus adæquari necesse erat. Vesaniam arguit, quod seipsos perfectos, spiritales, spiritali semine fecundatos, semina electionis, ac Gnosticos, seu scientes impudentius jactarent; qui gratiam proprio ac hæreditario jure a Matre acceptam ita possiderent, ut semper accresceret, decresceret nunquam, aut efflueret; catholicos vero psychicos et animales contemptim vocarent, qui gratiam commodato et in ancipiti usu sic accipiebant, ut ea illis adimi jure posset. Quid sit ista spiritalium gratia, spirituale illud semen, quo superbius efferebantur, diximus. Supremi Patris, usque ad Novi Testamenti tempora invisibilis et ignoti, agnitio est, supernorumque Pleromatis arcanorum scientia per Christi adventum hominibus indita, qua sola, cæteris omnibus spretis et omissis, salutem comparari putabant. Hanc suæ duntaxat sectæ hominibus concedebant, aliis omnibus denegabant, utpote quorum captum superaret ea γνῶσις; in quibus proinde locum habere crederent solam fidem, implicitam nimirum, et suæ disciplinæ sectariis adhibendam. Hoc vitiorum omnium, scelerum et turpissimorum facinorum, quibus perditorum hominum funesta vita fuit, seminarium et origo exstitit. Hinc, ut

Digitized by Google

recte observat Irenæus [82a], *intimorate omnia quæ vetantur, illi operabantur*, nihil vitiorum omnium cœno inquinari se posse putantes. Si enim Deus summus usque ad Novi Testamenti tempora ignotus fuit; si mundi hujus curam ipse non gessit, sed ejus administrationem angelis inferioribus commisit: ergo ab angelis, ut cætera, ita et prophetiæ profectæ, et lex in monte Sinai lata fuit. Si vero lex a Demiurgo animali, animalis hominis conditore data est: ergo ea non tenetur anima spiritalis, nec proinde legis jussa negligens peccat, quia altioris est originis, nec Demiurgi imperio subdita. Si sola Dei hactenus ignoti, nunc vero se revelantis, cognitio, iis quibus infusa fuerit, salutem affert, seu, ut loquebantur, in Pleroma inducit; ergo non opus erit operibus, in primis quia ab illorum necessitate, quam lex ab angelis lata injungebat, animas liberavit suo adventu Salvator. Si quibusdam necessaria sint opera; eos duntaxat juvare queunt, quibus spiritalis scientia deest, cæteris penitus inutilia. Si spiritale semen ad salutem efficax, ex quo semel habitum, perire nunquam potest, sed augetur semper, crescit et perficitur: ergo quidquid agant ii, quibus inspersum fuerit, quodcunque scelerum genus perpetrent, a gratia et salute nunquam excident. Si denique ea duntaxat salutem percipiunt, quæ suscepit Christus, hylicum vero nihil assumpsit: ergo nihil corporibus impertitus est, iisque nulla speranda resurrectio. Tam arcte cum suis principiis cohærent eæ consectiones, ut eas ipsimet Valentiniani suas palam fateri non erubescerent.

75. Jam, puto, nullus deinceps, nisi qui veterum omnium auctoritatis jugum audacius excusserit, Valentinianos iis errorum portentis absolvere cogitabit, quibus insimulantur tum ab Irenæo, teste omni exceptione majori, tum a cæteris Patribus. Imo stupebit cordatus quisque, eo usque temeritatis prorupisse quosdam recentiores, ut testium coætaneorum oculatorumque auctoritate elevata, eos excusare vanis argutiolis nitantur, quos illi certis rationibus invictisque testimoniis reos esse probant; et ne desipiant perditi homines, immaniter desipuisse sanctos Patres innuere non vereantur. Attendant, quæso, benigni illi hæreticorum interpretes, quot et quanta postremis hisce sæculis errorum monstra, stolidaque deliria pepererit in Anglia, Germania, Hollandia, imo paucis abhinc annis in Gallia male sanum fanaticorum caput; quibus tamen sui non defuerunt asseclæ, neque numero pauci, neque ordine et scientia infimi: et jam fidem superare non videbitur, quosdam priorum sæculorum homines sic insaniisse, ut enarrant Patres. Sed missis hisce concertationibus, quæ hactenus diximus, perspicue demonstrant, Valentinianos puros putosque ethnicos fuisse, qui ridiculis gentilium philosophematis simulatam Christianismi speciem induxerant; sed ethnicis ipsis pejores, ipsa moralia præcepta, quæ natura mortalium cordibus inscripsit, sic pessum dedisse, ut fractis repagulis homines in pecudum vivendi morem dejicerent. Religio Christiana in sacris sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis mysteriis, ceu duobus cardinibus, tota potissimum vertitur, Deique verbo tum scripto, tum tradito nititur. Hæc autem fundamenta ita succussere, ut funditus diruerint. De trinitate personarum non in eo tantum impie sentiebant, quod Mentem, Veritatem, Verbum, Vitam, Horon, Christum, Salvatorem, diversa nomina, quibus exprimuntur unius et ejusdem Filii Dei per se subsistentis proprietates, in totidem Æones transformassent; sed quod Æones illos vel cum ipso Patre confunderent, uti fecere Noetus, Sabellius et Paulus Samosatenus; vel sic a Patre separarent, ut longe inferioris naturæ esse vellent, nec plus quam angelos esse sentirent, quæ Arii deinceps blasphemia fuit. Nec melius actum cum Spiritu sancto, qui et ipse gradu dejectus ad angelorum sortem relegatus est. Sicque una et eadem hæresis ea simul venena miscere novit, quæ deinceps divisim epotarent Sabellius et Arius. Quam misere ab iis violata mysterii Incarnationis fides, ex paulo ante dictis manifestum est. Ibi nec Deus carnem suscepit, nec natus, nec passus in carne est, nec Verbum caro factum est; nec Christus verus homo fuit, sed hominis simulacrum et vana species, quæ sensus deluderet. Etsi Scripturarum libris et verbis pepercit scelerata Valentini manus, eas tamen a summo omnium Parente inspiratas negasse, in fabulas fœde detorquendo convertisse, sacræ apostolorum traditioni delirantium hominum nugas substituisse, Dei Verbum turpiter abjecisse fuit. De arbitrii libertate, bonorumque operum necessitate nihil dicam: aliud, maxima saltem ex parte, fatali necessitate constrictum; alterum, ceu viles quisquiliæ, ad eos amandatum, quos spiritali semine haud inspersisset mater Achamoth: ut sic in Scripturis nihil intemeratum maneret, sed tum dogmata, tum præcepta penitus ruerent.

76. Hæc de hæresi Valentiniana dicenda nobis erant. Si in ea explicanda paulo longiores exstiterimus, Irenæi exemplo fecimus, qui hanc longe fusiori et accuratiori stylo quam cæteras omnes[XLVII] persecutus est. Cum enim in eam, ut plus semel asserit [83], tanquam in sentinam quamdam confluxerint omnium hæreticorum sordes et spurcitiæ, vel, ut verbis ejus utar, ἀναχεφαλαίωσις, *recapitulatio* omnium sit; ea semel recte exposita, cæteras nihil aut parum negotii facessere poterunt. Quare et in hoc etiam Irenæum imitabimur, quod eas levius perstringemus, ea duntaxat observantes, quæ

[82a] Lib. I, c. 5, n. 3. [83] 19. Præf. lib. III, et Præf lib. IV.

Digitized by Google

unicuique propria erunt, nec aliis communia. Postposito temporum ordine, eum tantum, lectorum commodo consulentes servabimus, quem servavit auctor noster.

ARTICULUS II.

DE VALENTINI DISCIPULIS.

77. Consensum in unam fidem, peculiarem solius veræ ac catholicæ Christi Ecclesiæ laudem esse; discordes vero turpiterque secum pugnantes in fide sententias, in hæreticos omnes proprie quadrare passim notat Irenæus. Id etsi de hæreticis omnibus verissimum, nusquam tamen clarius elucet, quam ubi de Gnosticis ac Valentinianis sermo est. *Discrepant*, inquit ille [84], *ab invicem et doctrina et traditione; et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et fructificare quod nunquam quisquam excogitavit.* Et alibi [85]: *Ab his autem qui prædicti sunt, jam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem ab hæresi in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt; semetipsos adinventores sententiæ quamcunque compegerint, enarrantes.* Nempe omnes novæ inventionis gloriam captabant, et, ut nomen sibi apud suos facerent, veterem errorem hi novis erroribus cumulare, illi novis saltem ac insolitis nominibus ornare studebant. Qua enim libertate a suis magistris, veteribus Gnosticis, in pluribus discesserat Valentinus, eadem ab ipso in multis secessere discipuli ejus, Secundus, Epiphanes, Ptolemæus, Colorbasus, Marcus, et alii: adeo ut Tertulliani [86] ætate purus, et qualem excogitaverat ipse Valentinus, Valentinianismus jam nullibi terrarum, præterquam Antiochiæ, sub Axionico vigeret. Cæteri omnes nova suscepta larva, oblitterato etiam magistri nomine, suum quisque hæresi propriæ nomen imposuerunt.

I. *De Secundo.*

78. Primus quem post Valentinum proxime memorant Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, Tertullianus, vel quisquis alius auctor est Additamenti, quod ad calcem libri *De præscriptionibus* legitur, Augustinus et alii, Secundus est. Quis et qualis, quove in loco natus, veterum nemo scripsit. Id duntaxat ex Epiphanio [87] discimus, quod Valentino coævus, magistrum novo aliquo invento superare sic gestierit, ut tamen quod interesset inter utrumque discrimen, totum fere in verbis hæserit. Nam eadem, quæ Valentinus, docebat omnia, sed ampliore sonitu furiosorum aures opplebat: Πάντα μὲν τὰ κατὰ τὸν Οὐαλεντῖνον ἐξηγεῖται, περισσότερον δὲ ἦχον εἰς ἀκοὰς τῶν ἐμβεβροντημένων ἐξήχησεν. Addit Augustinus, *Secundianos hoc a Valentinianis distare dici, quod addant opera turpitudinis;* forte quia turpem et obscenam Valentini doctrinam impudentius prædicabant, omnique deposita verecundia actu perficiebant. Neque enim principiorum auctores erant, sed hæc a Valentino acceperant, qui si discipulis melior exstitit, forte quia paulo verecundior. Et ita sentit Damascenus scribens in lib. *De hæres.* Secundianos consensisse cum Valentino, nisi quod eum in docenda et commemoranda obscenitate longe multumque superarint.

79. Secundo tribuunt Irenæus et Ephiphanius, quod octonarium primum distinxerit in quaternarium dextrum et sinistrum, lumen et tenebras. Nova quidem et ænigmatica verba, sed non novus error. His enim significabat, ut supra ostendimus, primum octonarium ex duplici quaternario conflari; altero ex imparibus numeris, quos ex Pythagoreorum mente dextros et faustos, altero ex paribus, quos sinistros et infaustos vocabat. Idipsum est quod Ptolemaici quaternionem masculinum et femininum appellabant. In eo vero ab his et a Valentino discessit ille, quod Virtutem, quæ præ temeritate defecit, non a triginta Æonibus derivarit, sed a fructibus eorum. Scilicet angelum quemdam inferioris ordinis esse finxit, ne qua labe aspergeretur superius Pleroma.

II. *De Epiphane*

80. Proximum Secundo subnectit Epiphanem Irenæus: de hoc enim, nec de alio intelligenda quæ in veteri Irenæi Latina interpretatione legimus: *Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum*, etc. Quorum quidem verborum Græca licet apud Epiphanium desiderentur, merito tamen sic habuisse conjicit Pearsonius: Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανής, διδάσκαλος αὐτῶν. Ubi imperitus interpres misere lapsus, Tertulliano offendiculum præbuit; nam et ipse scripsit, *insignioris apud eos magistri.* Quippe neuter advertens, Irenæum voce ἐπιφανὴς alludere ad hæretici nomen, ex proprio appellativum fecerunt; definita Irenæi verba in vagum et indefinitum sermonem, ex quo nullius auctoris nomen colligi queat, perperam convertentes. Quin tamen de Epiphane hic agat Irenæus, dubitare non sinit Epiphanius, qui Se-

[84] Iren., lib. I, cap. 21, n. 5. [85] Id. cap. 27, n. 4. [86] Adv. Valent., c. 4. [87] Epiphan. Hær. XXXI, § 1.

Digitized by Google

cundo proximum recenset Epiphanem, in quem præterea apprime quadrant quæ *claro* illi seu *insigniori magistro* tribuunt Irenæus Latinus, et Tertullianus. Σύγχρονος Secundo fuit Epiphanes, eique proinde successit, non tam tempore, quam doctrina [88]. Carpocratis, infamis illius hæresiarchæ de quo postea disseremus, filius erat, et matris cui nomen Alexandria; ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephalenius. Liberalibus disciplinis a patre non segniter excultus, tantos eo duce in Platonica philosophia progressus fecit, ut exquisitam hominis eruditionem suspicerent omnes. Egregiæ quidem dotes, sed quas cum in sui ipsius, tum in aliorum perniciem misere convertit: iis quippe abusus, nefaria patris dogmata ampliavit [XLVIII], audaciusque disseminavit; tum ad Secundum se atque ejus fautores applicavit, ac illius in se virus, hoc est, imbutam venenata quadam peste loquacitatem expressit. Omitto quod Epiphanius ait [89], Isidorum quemdam (philosophum, an hæreticum Valentinianum, dubitat, affirmat vero Clemens Alexand. [90], Basilidis filium exstitisse) scriptis Parænesibus, Epiphani auctorem erroris fuisse, ac Secundum et Epiphanem has Paræneses ad usum sectæ suæ transtulisse. Quod enim ex iis Parænesibus Fragmentum recitat Clemens Alexand. lib. III *Strom.*, pag. 427, repugnare videtur cum iis, quæ de conjugio docet Epiphanes apud eumdem Clementem. Quidquid sit, Epiphanes ne pluribus exitio foret, diu vivere permissus non est. Nam cum ad XVII ætatis annum pervenisset, immatura morte præventus est: quo anno, non constat. At cum Theodoretus scribat [91] eum Adriano imperante hæresim suam confirmasse, vix huic principi superfuisse potuit. Quare vel sub ejus finem, vel inter initia Antonini Pii obierit necesse est. Non tamen istius morte compressum omnino malum. Sic enim vivens conterraneos suos, ex matre, Cephalenios tum præstigiis, tum eruditione fascinaverat, ut mortuo divinos honores detulerint, templum, altaria, Musæum in Same urbe exstruxerint, sacrificia et libationes tanquam Deo singulis noviluniis obtulerint, convivia egerint, ac hymnos ei cecinerint. Quod adhuc Epiphanii temporibus obtinebat. Scripsit inter alios librum *De justitia*, ex quo fragmenta quædam, quæ insanam hominis impietatem ac libidinem præ se ferunt, descripsit Clemens Alexandrinus. In eo justitiam Dei dicit esse κοινωνίαν τινὰ μετ' ἰσότητος, *quamdam cum æqualitate communionem*: indeque infert res cunctas, ipsas etiam uxores, inter homines esse debere communes: quod quidem erroris portentum a Platone accepit, qui si non ita reapse senserit, iis saltem verbis usus est lib. v *De republica*, quæ eum ita sensisse pluribus persuasere. Quæ fuerint apud cœlestes homines dogmatis hujus consectaria, quibusve sordidari criminibus debuerint suum istorum et canum synaxes, quilibet intelligit.

81. Quæ fuerit Epiphanis de Æonibus sententia, superius exposuimus. In eo duntaxat a Valentino, et Ptolemaitis differebat, quod primum quaternarium aliis nominibus exprimeret. Nempe quod illi Bythum et Sigen, Nun et Aletheian dicebant, hic Monoteta et Henoteta, Monada et Hen. Totidem voces Platonicis, cum de Divinitate sermo erat, familiares, ut vidimus. Et eapropter a Clemente Alexand. *Μοναδικῆς γνώσεως* auctor dictus est, scilicet a Monade illa vel Monotete, quam a Platonicorum schola in suam invexerat. Cætera de Valentinianorum hypothesi disserentes exposuimus

III. *De Epiphanis discipulis.*

82. Sicuti vero Epiphanes vetera magistrorum ænigmata novis obscurare voluit, sic discipuli ejus majores adhuc præceptoris dictis tenebras offundere gestierunt. Ii sunt, auctore Epiphanio [92], quorum nugas tacito gerronum nomine refert Irenæus cap. 11, n. 5. Primam tetrada ex Proarche, Anennoeto, Arrheto, et Aorato coagmentabant. Ex Proarche vero emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, ex Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, ex Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton effutiebant. Quas quidem ambages (si quis tamen hujusmodi deliriis sensus subesse possit) in notis ad hunc locum extricare conati sumus. Sic primam ogdoada grandioribus, quam cæteri solerent, nominibus infuscare placuit veteratoribus istis; et ne aliorum Gnosticorum vestigia relegere viderentur, Bythum (quem alii conjugis expertem, alii masculum et feminam, alii neque masculum, neque feminam esse dicebant) et Sigen de pristina sede deturbare, ut eo loco, quem reliqui Bythio et Mixi assignabant, collocarent. Sed pugna in verbis erat, eadem semper stante hypothesi.

IV. *De Ptolemæo ejusque discipulis.*

83. Epiphanem excipit apud Epiphanium Ptolemæus, de cujus ætate, patria et moribus nihil certi definiri potest. Secundi et Epiphanis discipulum, et utrique coævum, magistris tamen longe doctiorem fuisse significat idem Epiphanius [93]; de cæteris altissimum apud veteres silentium. Plures quidem conjecturas his de rebus proponit Dodwellus Dissert. IV in Iren., § 28 et seqq., sed quæ vix apud alios quam credulos lectores fidem obtineant. Illud duntaxat ex Irenæo concludere possumus, Ptolemæum, etsi forte Valentinum viderit, eo tamen juniorem fuisse. Iste siquidem Theodadem quemdam apostolorum discipulum vidisse se jactabat, ut diximus: at Irenæus lib. II, cap. 32, n. 5, affirmat Ptolemæum apostolos nunquam vidisse, imo vestigium apo-

[88] Epiph., Hær. XXXI, § 1. [89] Id., Hær. XXXII, § 3. [90] Lib. III Strom., p. 418. [91] Lib. I Hær. fab. c. 5. [92] Hær. XXXII, § 7. [93] Hær. XXXI, § 1, et hær. XXXIII, § 1.

Digitized by Google

stoli ne in somniis quidem assecutum fuisse : id est, ætate juniorem fuisse, quam ut ad apostolorum discipulos pertingere potuerit. Tantam sibi famam apud Valentinianos fecerat ille, ut hujus schola nominis celebritate cæteras omnes longe superaret. Hanc vocat Irenæus [14] ἀπάνθισμα τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς· quasi diceret, lectissimos quosque e Valentinianis hortis decerptos flores, quod e subtilioribus quibusque Valentinianæ scholæ dogmatis hypothesim suam adornasset Ptolemæus. Quamobrem cum istius Valentinianæ sectæ coryphæi placita præ cæteris exagitanda sibi suscepisset auctor noster (ratus nimirum, iis semel subversis, aliorum ruinam brevi secuturam), cæteris etiam accuratius et fusius explicare suarum esse partium arbitratus est. In hac proinde explicatione priora novem libri primi capita insumpsit. Quin enim in iis capitibus Ptolemæi sententiam referat, vix dubitem. Nam in Præfatione spondet se *sententiam eorum, qui sunt circa Ptolemæum*, τῶν περὶ Πτολεμαῖον, compendiose et manifeste ostensurum. Ubi licet Hellenismus, τῶν περὶ Πτολεμαῖον, pro linguæ Græcæ genio, ἀμφίβολος sit, et de Ptolemaicis æque ac de Ptolemæo ipso explicari possit; de posteriori tamen præcipue intelligendum esse demonstrat, quod reserata jam hypothesi, narrandi finem faciens, addit apud veterem interpretem in fine capitis 8 : *Et Ptolemæus quidem ita.* Quæ quidem etsi in hodierno Epiphanii textu Græco desiderentur, credere satius est ab hoc [XLIX] omissa, quam ab interprete contra Græci codicis, quem præ oculis habebat, fidem addita. Sic intellexit Tertullianus, nec ad alium quam ad Ptolemæum pertinere priora Irenæi capita censuit. Explicatis enim ex Irenæi mente, et iisdem pene verbis, triginta Æonibus, hos subinde vocat *familiam Ptolemæi.* Et postea cap. 12 Jesum ex Æonum omnium symbolis concretum appellat, *Miscellaneam Ptolemæi.* Et cap. 19 cum spiritalem Achamothæ conceptum descripsisset : *Hoc est*, inquit, *mulum de asino pingere, et Ptolemæum describere de Valentino.* Sic totum illud Valentinianum systema, quod initio libri primi exposuit Irenæus, ad Ptolemæum ille semper retulit. Unde inferendum, eos quorum sententiam describit Irenæus cap. 12 his quæ apud veterem interpretem leguntur verbis : *Hi vero qui sunt circa Ptolemæum scientiores, duas conjuges habere eum Bython dicant*, etc., Ptolemæi discipulos quosdam esse a magistri doctrina degeneres, non Ptolemæum ipsum, cujus placita, eaque diversa, jam retulerat : minusque recte fecisse Epiphanium, qui, quæ plurali numero expresserat Irenæus, in singularem converterit, et quæ ille de discipulis tantum scripserat, ad hos et ad magistrum ex æquo, imo ad istum præcipue detorserit : Ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου, δύο συζύγους τῷ Θεῷ, παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησέ τε καὶ ἐχαρίσατο. Longe melius Irenæi mentem accepit Tertullianus, qui, quæ hoc cap. 12 narrat Irenæus, in *emendatores Ptolemæi* confert. *Exstiterunt enim*, ait cap. 33, *de schola ipsius, discipuli super magistrum, qui duplex conjugium Bytho suo affingerent*, etc. Hoc vero duntaxat a magistro discrepabant discipuli, quod ille unam conjugem, Ennœam nempe seu cogitationem; isti duplicem, cogitationem et voluntatem, Bytho suo tribuerent : ita ut utriusque ex æquo suffragante opera Nun et Aletheian produxerit Bythus, respondente Nu voluntati, Alethela cogitationi : cum e contrario vellet Ptolemæus, Bythum per unam cogitationem emisisse Nun et Aletheian. Quæ quidem discipulorum sententia rationi magis consentanea videbatur. Cum enim utrique in eo consentirent, quod Æonum conjuges meras eorum affectiones esse assererent, ut superius probavimus; æquius videbatur cogitationem simul et voluntatem, affectiones a Bytho indistinctas, in productionem Nu et Aletheiæ influere, quam cogitationem tantum omissa voluntate. Cætera nihil discedebant discipuli a magistro. Hic vero paulo aliter atque Valentinus de *Termino*, Christo et Spiritu sancto, ac Jesu sentiebat. Sed utriusque sententiam supra de Valentino agentes exposuimus, ubi cum in explicanda enucleatius Ptolemæi hypothesi diutius incubuerimus, nihil hic dicendum superest. Scripsit is epistolam ad mulierculam quamdam, nomine Floram, quam descripsit Epiphanius, in qua Legem Mosaicam, seu Pentateuchum, a supremo Deo et Patre sancitam negat, sed trifariam distribuendam esse censet. *Quædam enim*, inquit, *ad ipsum Deum* (mundi conditorem) *ejusque sanctiones pertinent : alia autem Mosi tribuenda sunt, non quidem quatenus aliquid a Deo illius interventu decretum est; sed quatenus per se ac suapte sponte nonnulla constituit : aliorum denique seniores, qui in populo erant, auctores exstiterunt, ac primi illi privata quædam præcepta inserere sunt ausi.* Sic veterator ille, Valentini, aliorumque Gnosticorum principiis inhærens, qui summum Deum velut otio torpentem sibi fingebant, qui deposita mundi regiminis sollicitudine, ejus curam omnem angelis crederet. Ex quo sequebatur veterem legem nihil ad eum pertinere. Sed de his supra.

V. *De Colorbaso.*

84. Ptolemaicis illis apud Irenæum succedit, Marcoque præit Colorbasus. Quamvis enim hujus nomen sileat, ad ipsum tamen pertinere, quæ cap. 12, n. 3, refert placita eorum *qui prudentiores illorum* (Ptolemaicorum scilicet) putantur esse, patet ex Epiphanio hær. XXXV, unde concludere licet, Colorbasum Ptolemæi discipulum fuisse; an vero et Marci? paulo major difficultas. Id quidem asserit Epiphanius, scribens Colorbasum a Marci præstigiis inentias suas corrogasse, fuisseque ei primum

[14] Præf. lib. I.

Digitized by Google

cum Marco societatem, et dogmatum consensionem; postea velut caput a serpentis corpore divulsum, plurimis exitio fuisse. Idemque colligitur ex Augustino et Damasceno lib. *De hæres.*, ac Theodoreto lib. I, cap. 12. Sed vereor ut Epiphanius primum deceptus, alios demum in errorem secum abduxerit. Nam Irenæus, cui potior fides, Colorbasum non Marci, sed Ptolemæi auditorem facit, ut mox videbamus, et Valentini discipulos ordine recensens Colorbaso Marcum postponit. Imo cap. 14 Marci hypothesim expositurus, remque a capite repetens, satis perspicuis, ni fallor, verbis significat, huic Colorbasum viæ ducem fuisse. Ait enim, *Marcum vulvam et susceptorium Colorbasi Silentii semetipsum solum fuisse, dixisse :* οὕτως Μάρκος μήτραν καὶ ἐκδοχεῖον τῆς Κολορβάσου Σιγῆς (sic legendum) εἰσηγήσατο αὐτὸν μονώτατον γεγονέναι λέγων. Marcus autem vulva et susceptorium Colorbasi Silentii dici non potuisset, nisi a Colorbaso mysteria Valentinianorum Siges edoctus fuisset, quæ in eo tanquam in vulva formam et incrementum accipientia, inde in lucem emitterentur. Nec omittendum quod idem Irenæus recensita jam Colorbasi et discipulorum ejus hæresi, ad Marcum sermonem convertens subdit : *Alius vero quidam ex iis, qui sunt apud eos, magistri emendatorem se esse glorians, Marcus est autem illi nomen*, etc. Ad alios certe spectare posse non videntur ea verba, *ex iis qui sunt apud eos*, quam ad illos, de quibus mox dixerat, *multa autem pugna apud eos etiam de Salvatore*, Colorbasæos scilicet. Et quis ille magister, cujus emendatorem se esse gloriabatur Marcus, nisi Colorbasus, de quo mox sermonem fecerat? Neque enim hæc ad Ptolemæum referri possunt, cujus hæresim longe antea descripsit, et inter quem ac Marcum plures alios scholæ Valentinianæ duces interserit. Non aliter Irenæum, quod ad Colorbasum attinet, intellexit Tertullianus, *Adv. Valent.*, cap. 4. Ait enim, *Valentinum, cujusdam veteris opinionis semen nactum, Colorbaso viam delineasse; eam postmodum Ptolemæum intrasse; deduxisse demum Heracleonem inde tramites quosdam, et Secundum, et magum Marcum.* Viam scilicet Colorbaso affirmat delineasse Valentinum, ut scite observat Dodwellus [95]; viam eamdem intrasse Ptolemæum; ex eadem illa via tramitem deduxisse Marcum; viæ scilicet allegoria ubique continuata. Ubi licet Colorbasum Ptolemæo ac Secundo priorem facere videatur; in quo lapsum eum puto, et ab Irenæo [L] recessisse; in eo tamen huic assentitur, quod Marcum Colorbaso posteriorem innuat. Nec moror quod in lib. *De præscript.*, cap. 50, ille huic præponatur. Nam Catalogum illum hæreticorum, qui ad calcem libri *De præscript.* legitur, genuinum Tertulliani fetum non esse consentiunt eruditi.

83. Longe aliter atque cæteri Valentiniani primam ogdoada explicabat Colorbasus. Illi enim primos octo Æones gradatim alterum ab altero sic emissum volebant, ut posteriorem tetrada a priori penitus separatam et inferioris naturæ esse sentirent. Hic vero primam ogdoada non gradatim, seu καθ' ὑπόβασιν, sed simul et in unum, ὁμοῦ καὶ εἰς ἅπαξ, emissam esse censebat : adeo ut non multi Æones, sed unus et idem esset, qui pro variis operationibus et proprietatibus varia sortiretur nomina et appellationes, Patris videlicet, cum aliquid emittere cogitavit Veritatis, *ubi ea quæ emisit vera fuerunt*, Hominis, *cum voluit semetipsum ostendere*, etc. Hominem etiam et Ecclesiam non a Logo et Zoe, cum aliis Valentinianis, sed potius Logon et Zoen ab Homine et Ecclesia produci cum veteribus Gnosticis asserebat. De Salvatore autem non una erat, sed multiplex apud Colorbasæos sententia. Quidam ex Æonum omnium symbolis conflatum esse dicebant, et ea ratione εὐδοκητὸν in Evangelio dici putabant, dum nimirum Pater Filium compellans ait : *Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* [96] : quod videlicet universo Pleromati Patris gloriam per eum illustrare placuerit. Alii eum ex solis decem Æonibus, quos Verbum et Vita in lucem extulerunt, productum fuisse tradebant; ut sic explicarent, cur interdum in Evangelio Verbum et Vita vocetur, quod scilicet avita nomina retineat. Alii eum Christi et Spiritus sancti, qui fulciendi Pleromatis causa producti sunt, sobolem esse malebant; et ~~eapropter~~ Christum patrio nomine appellari. Alii eum ex duodecim illis Æonibus, qui ex Homine et Ecclesia exstiterunt, ortum esse contendebant : hincque fieri ut ipsemet sese Filium hominis confiteatur, tanquam hominis nepotem. Quanquam, ait Tertullianus cap. ult. *adv. Valent.* post Irenæum, *sunt qui Filium hominis aliunde conceperint dicendum*, quod nimirum supremus Pater quandoque hominis vocabulo nuncuparetur, cum videlicet seipsum hominibus manifestum faciebat. Præter eos errores, quos Colorbasæis tribuunt Irenæus, Tertullianus et Epiphanius, addit Augustinus lib. *De hæres.*, quod vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus, septem scilicet planetis, consistere affirmaverit Colorbasus. Quod e Platonicorum lacunis hauserat. Nam ii animam animalem ex circuitu cœlestium mundorum nobis advenire dicebant, et eorumdem motibus fatali necessitate constrictam obtemperare, ut superius ex Jamblicho probavimus.

VI. *De Marco mago.*

86. E Colorbasi schola prodiit Marcus, pro more veteratorum illorum magistri deliria novis ineptiis cumulaturus. E Basilidis Gnostici stirpe descendisse scribit Hieronymus [97]; quod si verum, avitæ impietatis non degener fuit soboles. Famosissimus fuit apud Valentinianos, nullique illius scho-

[95] Diss. IV in Iren., § 19. [96] Matth. XVII, 5. [97] Ep. 53, al. 29, t. IV nov. edit.

Digitized by Google

læ ducum, ne quidem ipsi Ptolemæo, tum loquacitate, tum discipulorum numero secundus, imo mille nocendi artibus superior. Et eapropter utriusque hæresim vafritiem ac scelera speciali cura ac fusiori stylo descripsit Irenæus. Qui dum Marci errores ac vitia confutat ac prodit, supponere videtur adhuc in vivis superstitem manere. Scribebat porro S. doctor sub Eleutherii pontificatu, annis plus minus post Christum natum 180. Cum vero jam longe lateque propagata esset Marcosiorum secta, in ipsumque etiam Occidentem invasisset, nec id nisi plurium annorum spatio fieri potuisset, non male conjecerit quisquis hujus initia ad annum circiter 160, imo paulo citius ad extrema Valentini vitæ tempora retulerit. Magicarum præstigiarum peritissimus cum esset Marcus, pro more Gnosticorum omnium, qui tetrum illud scientiæ genus a Platonicis magistris suis acceperant, quibus sub specioso theurgiæ nomine maxime familiare ac summo in honore fuit, ut apud Porphyrium, Jamblichum et alios videre est; mirum quot viros et mulieres in fraudem induxerit, et ad se converterit, velut ad hominem singulari quadam scientia ac potestate præditum. Parum esset si mulierum mentibus duntaxat, non etiam corporibus insidias struxisset ille perditus. Dæmonem quemdam habuisse paredrum seu assessorem suspicatur Irenæus, cujus opera tum ipse vaticinia quædam edere videretur, tum etiam efficeret, ut misere seductæ mulieres vaticinarentur. Potissimum enim circa mulieres studium et operam impendebat, eas præsertim quæ eleganter cultæ, opibus abundabant. Nefarias hominis artes, præstigias, horrendasque verborum formulas, quibus simpliciores ad insaniam, eamdemque secum blasphemiam adigebat, fuse describit Irenæus cap. 12 et seqq. Sed illud non omittendum sceleris genus, quod nedum sacerdotium, nulla accepta secundum Ecclesiæ leges manuum impositione, sibi arrogaret, sed et mulieribus in prostitutæ pudicitiæ pretium per summum nefas committeret. Nempe cum probe conscii essent ipsi etiam perditissimi quique eorum temporum hæretici, nullam sine vero sacrificio Christianam societatem esse posse, id utcunque adumbrare studebat Marcus. Nam pocula vino (albo procul dubio) mista consecrare se fingens, prolatis solemnibus invocationis verbis, effieiebat ut rubicunda et purpurea apparerent : ut sic existimaretur superna Gratia sanguinem suum per ipsius invocationem in poculum illud stillare Quod et a mulieribus factitari postmodum jubebat. Ubi facile adverterit quisquis tantisper anticipatis Calvinianorum et Lutheranorum opinionibus animum exuere voluerit, tam alte tunc temporis eorum qui Christianum nomen, etiam specie tenus, profitebantur, animis illud insedisse, sacra dona consecratione facta in verum Christi corpus et sanguinem converti, eo conversionis genere, quæ nunc transsubstantatio dicitur, ut ii qui legitima auctoritate ac potestate destituti vinum in Christi sanguinem, invisibili, vera tamen ratione convertere se non posse probe sciebant, præstigiis uterentur, ut id operari se persuaderent. Age, quæso, fac Marcum et ejus asseclas in Eucharistia nihil aliud agnovisse quam meram Christi corporis et sanguinis figuram, eadem semper perseverante substantia [LI] panis et vini post consecrationem; utquid tam operose studuisset vinum album in rubrum colorem commutare, sanguinemque desuper stillantem exhibere et prædicare, nisi Christianorum omnium ea tunc fuisset sententia, vinum consecratione facta non manere, sed in verum sanguinem converti? Facinus hactenus in cœtibus ecclesiasticis inauditum exhorruissent quique, nec fuisset qui eo liquore, qui sanguinem retulisset, quemque verum esse sanguinem jactasset impostor, labia cruentare non refugisset; cum tamen ex Irenæo constet, nullum fuisse, qui ex eo gustare non gestiret. Adeo infixa erat omnium Christianorum animis ea sententia, Eucharistiam verum Christi corpus et sanguinem esse. Alio præstigiarum genere fucum suis faciebat magus. Nam post sacrilegam a mulieribus attentatam consecrationem, ipse aliud poculum longe majus eo, quod a muliercula seducta consecratum fuerat, proferens, atque ex minore illo, a muliere consecrato, in id quod a se allatum erat transfundens, præmissis ridiculis quibusdam verbis, efficiebat, ut magnum poculum ex parvo usque adeo impleretur, ut etiam superflueret.

87. His ac similibus dolis Marcus ejusque discipuli, iisdem veteratoriis artibus eruditi, orbem circumeuntes, fœda vitiorum et errorum colluvie hunc infecerunt. Ab Asia malum cœpisse videtur : diaconus enim ille, cujus uxorem, hospitalem hominis beneficentiam remuneraturus Marcus constupravit, Asianus erat. Inde in occiduas partes diffusum, Rhodanenses regiones sumit. A Marci discipulis, potius quam ab ipso magistro huc illatum fuisse, ex Irenæi verbis concludi posse videtur. Mirum igitur Hieronymum, tum in cap. LXIV Isaiæ, tum epistola jam citata confidenter scripsisse, quasi ex Irenæo : *quod Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venerit : et eas partes per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit : maximeque nobiles feminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus et secreta corporum voluptate amorem sui concilians. Inde Pyrenæum transiens Hispanias occuparit, et hoc studio habuerit, ut divitum domus, et in ipsis feminas maxime appeteret, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille* (Irenæus) *scripsit ante annos circiter trecentos; et scripsit in his libris, quos adversus omnes hæreses doctissimo et eloquentissimo sermone composuit.* Quamvis, ut dixi, id Irenæus Marci discipulis ascribat, *quod in Gallias venerint, et eas partes per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverint;* nolim ta-

Digitized by Google

men cum Hieronymo, qui illud ipsi Marco tribuit, proterve contendere, ratus videlicet alterum cum altero facile conciliari posse. At quod Marcus Pyrenæum transiens Hispanias occuparit, tantum abest *scripsisse Irenæum in his libris quos adversus omnes hæreses composuit*, ut ne quidem cogitare potuerit. Fuisse quidem Marcum quemdam, qui Gnosticorum errores in Hispaniis disseminaverit, discrte scribunt Sulpitius Severus lib. II *Hist. sacr.*, c. 60, et Isidorus Hispalensis lib. *De script. eccles.* Sed eum e Memphi in Ægypto oriundum, secta Manichæum, ac sæculis duobus Marco Mago recentiorem fuisse, ex iisdem patet. Addunt enim, Marcum Memphitanum, cum in Hispanias advenisset, discipulos habuisse mulierem quamdam, Agapen nomine, et Elpidium Rhetorem, a quibus institutus fuit Priscillianus, qui a concilio Cæsaraugustano anno 380 cum Elpidio magistro damnatus fuit, et anno 385 Treviris jussu Maximi tyranni capite truncatus. Vel ergo memoria lapsus Hieronymus, vel homonymia deceptus Marcum Memphitanum cum Mago confudit.

88. Longum esset, imo supervacaneum singulas præstigiatoris hujus ineptias recensere. Nihil quippe, aut parum a cæteris Valentinianis dissidebat, nisi quod ut nugis pretium adderet impervia quædam obscuritas, quæ alii planius et simplicius tradebant, hic Pythagorica methodo usus, allegorica elementorum, litterarum, syllabarum, et numerorum farragine, fictitiis Pleromatis mysteriis caliginem offundere satagebat. Nempe totum Pleroma instar nominis cujusdam; tetradas, decada et ogdoada, instar totidem syllabarum; Æones vero singulos instar singularum litterarum, ex quibus mysticum Pleromatis nomen coalesceret, exhibebat. Litteras vero viginti quatuor Græcorum, velut ἀποῤῥοίας, *effluvia* quædam esse contendebat, tres eas Virtutes, quibus universus superorum elementorum numerus continetur, adumbrantia. Sic mutas novem litteras, Patris et Veritatis imagines esse dicebat : quod videlicet muti ipsi sint, hoc est, ejusmodi, qui nullis verbis exprimi possint; semivocales autem, quæ octo sunt, Verbi et Vitæ; quod inter vocales et consonantes velut mediæ interjectæ sint, atque ut a superioribus defluant, ita vicissim inferiora ad eas referantur : vocales porro, quæ ipsæ quoque septem sunt, Hominis et Ecclesiæ; quando quidem vox per Hominem progressa, omnia informavit. Fuit itaque hæc Marci sententia, singulos Æones in Pleromate peculiares suos habuisse characteres et sonos, ad quorum imaginem litteræ Græcorum expressæ sint.

89. De Jesu Christo eadem pene, ac cæteri Valentiniani, effutiebat : eum scilicet a rerum omnium parente, Verbi opera electum, ut ipsum hominibus notum faceret, ad supernæ Virtutis imaginem dispensatum fuisse : quamobrem ab iis Virtutibus, quæ a Verbo et Vita, Homine et Ecclesia profluxerant, productum fuisse, ad id tamen operam suam conferentibus et quatuor illis supremis Virtutibus, non quidem immediate et per seipsas, sed per angelum Gabrielem, qui Verbi; Spiritum sanctum, qui Vitæ; Altissimi virtutem, quæ Hominis; Virginem denique, quæ Ecclesiæ locum suppleret. Sic autem a Maria in lucem editum fuisse, ut per uterum ejus, ceu aqua per tubum transiens, nihil ex ea sumpserit. In eum vero, cum ad aquam venisset, columbæ instar descendisse supernum Salvatorem, qui cum Æonum omnium fetus esset, omnium in se virtutem complectebatur : huncque esse qui per os Jesu verba fecerit, seque Filium hominis confessus fuerit, quod supernum Hominem patrem haberet.

90. Mitto quas de mundi hujus aspectabilis ortu nugas venditabant. Hunc ad imaginem supernorum sic conditum volebant, ut in singulis fere partibus Pleroma referret. Platonicum id dogma fuisse a nugatoribus istis recoctum superius ostendimus. Ut autem confirmandis, si superis [LII] placet, tot et tantis emotæ mentis deliramentis sacrarum Scripturarum auctoritas non deesset, stupendum quantas admoverent machinas, ut eas tam impie quam ridicule discerperent, consuerent, et obtorto collo in alienos ineptosque sensus traherent. Parum fuisset, nisi innumeras propemodum finxissent apocryphas spuriasque Scripturas, quibus fucum facerent imperitis. Quos libros supposuissent, Irenæo nostro sigillatim edisserere non placuit. Id tantum constat, ridiculam illam, quam de Christo puero fabellam enarrant cap. 20 occurrere in pseudo-Evangelio infantiæ Christi, quod Arabice cum Latina interpretatione edidit Henricus Sikius, et in aliis quibusdam ejusdem furfuris scriptis, quorum meminimus in notis ad hunc locum.

91. Quibus sacrilegiis venerandum Eucharistiæ mysterium, et Ordinationis sacramentum contaminassent, ac funditus evertissent, jam vidimus. Mirum si aliis sacramentis pepercisset impietas. Baptismo profanum quoddam et a Satana suggestum initiationis genus, ad sacri illius lavacri, per quod ad Deum regeneramur, eversionem, totiusque adeo fidei abjectionem, substituerant. Redemptionem vocabant illi, hancque iis, qui perfectam γνῶσιν consecuti fuerant, necessariam esse dicebant, ut in Virtutem, quæ super omnia eminet, regenerarentur. Aliter enim fieri non posse, ut cuiquam aditus ad Pleroma pateret : quippe cum ea esset, quæ usque ad intimum Bythi sinum eos eveheret. Eam porro redemptionem, vulgarem Christianorum baptismum infinito superare intervallo non pudebat asserere. Hic siquidem animalis, illa spiritalis; hic a conspicuo Jesu institutus, illa ab eo qui in eum descendit, *Salvatore*; hic ad pœnitentiam annuntiatus, nec eo, quem conferebat Joannes, virtute superior; illa consequendæ perfectionis causa desuper allata. Hæc inter Marcosios conveniebant. At vero de Redemptionis modo dis-

Digitized by Google

sentiebant : *Quoniam*, inquit Irenæus[98], *unusquisque illorum, quemadmodum ipsi volunt, tradunt eam. Quanti enim sunt hujusmodi sententiæ mystici antistites, tot sunt et redemptiones.*

92. Alii apparato nuptiali cubiculo, mysticis quibusdam ritibus, profanisque verborum formulis initiandos suos consecrabant. Hæ spiritales ipsorum nuptiæ, ad supernorum conjugiorum similitudinem. Alii baptismi cæremonias adumbrabant. Nam ad aquam ducentes eos, inter baptizandum hæc verba proferebant : *In nomen incogniti Patris omnium; in Veritatem matrem omnium : in descendentem in Jesum, ad unitionem et redemptionem et communionem virtutum.* Alii ut terrorem miseris inculterent, insulsam et sensu vacuam grandiorum Hebraicarum vocum congestum efferebant. Tum Catholicorum unctiones æmulati, initiatos suos opobalsamo ungebant. Quidam spreto aquæ baptismo, oleum et aquam una permiscebant, ac in eorum, quos initiabant, caput injiciebant, verba quædam ab iis quæ diximus haud dissimilia proferentes. Atque ipsi quoque balsamum adhibebant. Alii hæc omnia improbantes et repudiantes, divina mysteria, quæ nec sensibus, nec mente percipi possunt, per res sensiles et corporeas peragenda esse negabant. Perfectamque redemptionem spiritalem esse, non corporalem, et in ineffabilis magnitudinis agnitione positam esse censebant. Ex his specialem quamdam hæreticorum sectam fecit Theodoretus[99], quam Ascodrutarum, seu Ascodrupitarum vocat; a quibus et apud quos nullum celebrari baptismatis mysterium asserit. An iidem sint cum Ascodrobis, quibus Ancyram Galatiæ suo tempore infestari, alibi vero terrarum ignorari scribebat Hieronymus *in Epist. ad Galat.*, affirmare non ausim.

93. Alii denique redemptionem in vitæ finem rejiciebant. Cum quis igitur ex hac vita excessurus erat, hujus capiti oleum et aquam injicientes, ridiculis cæterorum Marcosiorum adhibitis invocationibus, insuper jubebant, ut cum ad Principatus, ac Potestates, et Demiurgum venisset, certis quibusdam verbis, quæ refert Irenæus, eos compellaret, quibus manus eorum effugeret. Nec illorum nomen expressit Irenæus. Sed ex Epiphanio [1] discimus, Heracleonitas fuisse, ab Heracleone sic dictos. Hunc Colorbase successisse putat; Tertullianus vero Colorbasum inter et Heracleonem interserit Ptolemæum. Ex Irenæo colligi posse videtur Marci discipulum fuisse : cum illius placita inter varia Marcosiorum dogmata referat. Augustinus, cui consentire videtur et Damascenus, utriusque, Marci videlicet et Colorbasi, discipulum fuisse putat. Ex Origene[2], Valentini discipulus dictus est; ex Clemente Alexandrino[3], maxima illius in Valentini schola fuit existimatio. Sed hæc omnia nullam certam temporum notam designant : et ut ex posterioribus inferatur Heracleonem Valentini dogmata amplexum fuisse, ipsi tamen Valentino cœvum exstitisse concludi posse non puto. Quare malim illius ætatem in incerto relinquere, quam quidquam temere definire. Scripserat Heracleon Commentarios, saltem in Joannis Evangelium. Nam Origenes in suis, plures illius diversorum locorum expositiones refert et confutat. Quin etiam merito redarguit, quod his Joannis verbis, χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, *sine ipso factum est nihil*, impudenter addere ausus fuisset, τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ τῇ κτίσει, *eorum quæ in mundo sunt, et creatione;* ut nimirum hinc cum cæteris Valentinianis conficeret, non omnia per Verbum condita fuisse : Æonum quidem inferiorum, ac mundi ipsius, interpositu Demiurgi, auctorem esse; at non superiorum quatuor Æonum. Illos Heracleonis in Joannis Evangelium *Commentarios*, si non præ oculis, saltem in mente habuisse videtur Photius, ut scite notat cl. Grabius in *Spicileg.*[4], quando epist. 134 ad Joannem Protospatharium (apud Grabium male omnino *Aspatharium;* nempe littera α hic numeralis est) scripsit : Οὐδὲ γὰρ ἐφ' ὕδρει καὶ διαβολῇ τοῦ νόμου τὸ, « Ἡ χάρις δὲ καὶ ἀλήθεια δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο· » τοῖς εὐαγγελικοῖς θεσμοῖς περιήρμοσεν. Ἡρακλέων γὰρ ἂν οὕτως εἶπει, καὶ οἱ παῖδες Ἡρακλέωνος. *Non enim in contumeliam et criminationem Legis dictum illud : « Gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est, » evangelicis sanctis adaptabatur. Heracleon ita diceret, et Heracleonis filii.* Quibus innuit Heracleonem in suis Commentariis hæc Evangelii verba in contumeliam legis detorsisse. Aliud etiam Heracleonis Fragmentum de martyrio refert Clemens Alexand. loco mox laudato, quod ex aliquibus in Lucam Commentariis exscriptum videtur. Ubi enim præmisit Clemens hunc Evangelii Lucæ XII, 11, locum : *Cum autem induxerint vos in synagogas*, etc., subjungit : Τοῦτον ἐξηγούμενος τὸν τόπον Ἡρακλέων.... κατὰ λέξιν φησίν, etc. *Hunc locum exponens* [LIII] *Heracleon... his verbis dicit*, etc. In *Eclogis propheticis* ad calcem ejusdem Clementis, occasione horum Joannis Baptistæ verborum, Luc. III, 16 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*, citatur altera Heracleonis sententia dicentis, quosdam igne signasse aures eorum, qui baptismatis sigillum acceperant, ita intelligentes illud apostolicum. Tum proxime subnectitur ℣. 17 : *Cujus ventilabrum in manus ejus*, etc. Quibus firmari videtur eorum conjectura, qui existimant ab Heracleone elucubratos etiam in Lucam Commentarios. Cæterum *cum Valentino paria sensisse, sed novitate quadam pronuntiationis voluisse videri alia sentire*, tradit Tertullianus, vel alius quivis cap. 49 lib. *De præscript.*, cui consentiunt Epiphanius et alii omnes. Hoc duntaxat a Ptolemaicis differebat, quod supremum omnium parentem, quem ἢ Bythum nomina-

[98] Lib. I, cap. 21, n. 4. [99] Lib. I, c. 9 et 10. [1] Hær. XXXVI. [2] In Joan., p. 60, edit. Huet. [3] Clem. Alex., lib. IV Strom., p. 502. [4] Spicileg. Patr. et Hær. II sæc., p. 117.

Digitized by Google

bant, ille Hominem appellaret, ut auctor est Epiphanius. Eidem insuper ascribit Origenes[5], quod animam natura immortalem esse non existimaret, sed corruptibilem. At ea erat communis Valentinianorum omnium de anima animali sententia, quam vel perire vel servari putabant, prout meliora vel deteriora elegisset.

94. Sed ut ad id revertamur, unde digressi sumus, quilibet, etiam tacentibus nobis, perspicit, superius expositas hæreticorum redemptiones manasse ab impuris ethnicorum initiamentis, quæ tanti fecere Platonici, tetris magorum artibus præ cæteris mancipati. Ut enim certis quibusdam ritibus ac cæremoniis gentilium mystæ secretiorum quorumque sacrorum participes effecti, perfectionis apicem attigisse censebantur: sic et apud Marcosios qui redemptionis ritibus semel defunctus arcanorum sectæ conscius factus fuerat, ad perfectionis culmen evectus existimabatur. Hinc initiationes ethnicis dictæ τελεταὶ, quia perfectionem afferre credebantur; Marcosiis vero ἀπολυτρώσεις, quod hominem ab omni mortalitatis fæce, et imperfectionum radice ignorantia, liberarent. Easdem suis frequenter inculcabant Platonici, ceu ad animæ purgationem apprime necessarias: quatenus religiosis ritibus, ut vocabant, expurgata anima, apta evaderet ad deos suscipiendos fatidicæque eorum potestatis particeps fieret. Legatur Jamblichus, sect. III, v et x. Sed sicuti ex hæreticis aliqui divina mysteria per res sensiles et corporeas peragenda esse negabant; sic etiam ex Platonicis quidam, ut Porphyrius, existimabant usum rerum materialium, in sacris, haud congruum esse diis, qui a materia omnino secreti exsistunt. Id vero sibi de sua redemptione spondebant Marcosii, ut eum perfectionis gradum, perfectissimam videlicet et numeris omnibus absolutam, qua sola stat salus, cognitionem ineffabilis Virtutis, quo ne quidem Petro et Paulo, aut alii cuivis apostolorum (sic blasphemabant) pervenire fas fuit, assecuti; nec hinc, quandiu viverent, excidere, nec quavis mundana potestate post mortem retardari possent, quin destinatas sibi in Pleromate sedes statim capesserent. Redemptionis enim beneficio effici, ut, quidquid egissent in hac vita, a judice nec prehendi, nec conspici possent. Eapropter omnia sibi licere arbitrati, facinorum omnium ac libidinum cœno volutari non erubescebant. Hæc erant exitiosi dogmatis necessaria consectaria, ut jam exposuimus. Quod vero barbaris quibusdam vocibus, peregrinisque ac insolitis verborum formulis hæretici suos initiantes uterentur, Pythagoricum etiam et Platonicum erat. Quid et quantum ejusmodi vocabulis in gentilium sacris adhibitis tribuerent Pythagoræ et Platonis discipuli, notum est ex Porphyrii epistola ad Anebonem, et Jamblicho, sect. VII, cap. 4 et 5, ut alios taceam. Ea licet mortalibus ignota, sensu plerumque vacua, et significatione cassa, præ cæteris tamen convenire divinis existimabant: tum quod in Assyria et Ægypto pridem usurpata, ubi primum deorum cultus efflоruit, hisque majus ac frequentius cum mortalibus intercessit commercium, ea cæteris omnibus antiquiora, diisque notiora ac familiariora esse viderentur. Quibus iisdem rationibus permoti Marcosii, Hebraica, Chaldaica et Syriaca vocabula aliis omnibus anteponebant; quod iis omnium primis et antiquissimis, oracula sua fudisset Deus, eaque soni insolentia incutiendo imperitorum pectoribus terrori aptiora essent.

95. Hactenus recensitis quam accurate fieri potuit, iis quos Irenæus Valentino tribuit discipulis, ad utrorumque magistros sermo cum eodem conferendus. Nihil quippe efficacius, et merito quidem, ipsi visum est ad Valentinianorum insaniam retundendam, quam ut infamem eorum originem proderet, seu, ut verbis illius utar, *referret* spurcissimum *fontem et radicem eorum, uti intelligeretur arbor, de qua defluxerant tales fructus*[6]. Veros siquidem stirpis suæ auctores, Simonem et Menandrum, erubescebant Valentiniani, et tam probrosos magistros omni, quo poterant, conatu repudiabant. Hos tamen germanos eorum parentes exstitisse, vellent, nollent, invicte demonstrabat tum dogmatum consensio, tum continua nec interrupta a Simone ad Valentinum scholarum hæreticarum successio, a quibus et in quibus hic quidquid postmodum blateravit, mutuatus est.

ARTICULUS III.

DE VALENTINI MAGISTRIS.

I. *De Simone Mago.*

96. Simon, *pater omnium hæreticorum*, a quo Gnostici *omnes initia sumentes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam*, Gitthis olim oppido, Epiphanii ætate vico Samariæ, oriundus fuit[7]. Tantum apud populares suos magicis artibus, in quibus æqualem nullum habebat, valuit, ut dementantes eum pro magna Dei Virtute, id est supremo omnium Patre, haberent. A vero simili non abhorret, eum in liberalibus disciplinis, ac Platonica præsertim philosophia, quæ tum apud Judæos inoleverat, non pœnitendam operam posuisse. Id suadent tum auctoritas ac dicendi fiducia, quibus ementitam potestatem venditans plebis animos ad se pellexerat,

[5] T. XVIII, in Joan., p. 255. [6] Lib. I, c. 22, n. 2. [7] Vide Iren., lib. III, Præf; Id., lib. II, Præf.; Justin. M., Apol. I; Epiph., Hær. XXI; Theodoret., lib. I, c. 1.

Digitized by Google

tum ea quæ vulgavit dogmata, Platonicis haud dissimilia, tum denique magia ipsa quam exercebat, Platonicis eo tempore familiaris, et in laude posita: itaque Platonismum cum Samaritanorum ac Judæorum [LIV] religione miscuisse videtur. Cum vero anno Christi 34, lux Evangelii in Samaria coruscare cœpisset, veraque Philippi diaconi miracula Simonis præstigias discutere; errore deposito Samaritæ Christo nomen dedere. [8] Stupens et ipse Simon dedit, sed non ex animo. Quam enim in apostolis suspiciebat eximiam patrandi miracula virtutem, præsenti pecunia mercari volens a Petro pro merito increpatus, ad vomitum rediit canis impurus [9], artemque magicam studiosius quam antea colere cœpit. Sic autem Christianam fidem abjecit, ut retenta nonnulla ejusdem umbra, hac utendum sibi statuit, ut pro eo quo exæstuabat in apostolos odio ac livore, iis verbum Dei disseminantibus obices, quoscunque posset, objiceret.

97. Ascita igitur in societatem pristinæ Platonicæ, Judaicæque misturæ hac Christianitatis larva, relicta Samaria hac illac circumcursare cœpit: ut gentes et provincias, ad quas nondum pervenisset Evangelium, præoccuparet, erroribusque suis inficeret. Tyrum Phœniciæ cum devenisset, ibi vile scortum, mulierem quæstuariam, nomine Helenam emit, sibique eam adjunxit, itinerum deinceps ac scelerum sociam; ridicula plura palam de ea fabulatus, turpiora cum ea clam patraturus. Peragratis Orientis provinciis Romam venit sub Claudio Cæsare, circiter annum Christi 41. Ibi tantum nomen sibi præstigiis ac imposturis fecit, ut statuam, ceu numini cuidam, ei positam in insula Tiberina, inter duos pontes, ferant, cum Latina inscriptione: *Simoni Deo sancto*. Primus enim omnium Justinus Martyr in ea quæ vere prior est, secundum tamen in editis locum tenet, *Apologia* ad Antoninum Pium, id memoravit. In cujus fide idem, sed aliquantulum dubius, asseruisse videtur Irenæus: *Statua honoratus fuisse dicitur propter magicam*, inquit. At fidenter asseverarunt Tertullianus, *Apolog.* cap. 13; Euseb., lib. II *Hist.*, cap. 14; Cyril. Hierosol., *Catech.* 6, Theodoretus, Augustinus, et alii. Non defuere tamen posterioribus hisce sæculis doctissimi viri, qui Justinum seu Latinæ linguæ imperitia, seu nominis similitudine deceptum putarint; utpote qui statuam Semoni sanco, vel sancto, qui deus erat apud Sabinos, positam, Simoni Mago sacratam fuisse existimaverit. Centum circiter abhinc annis effossa est in insula Tiberina statua cum hac inscriptione, quæ ad illam Justini proxime accedit: *Semoni deo sanco* (vel *sango*) *Deo Fidio sacrum;* adeo ut ea ipsa esse videatur, quam olim in eadem insula viderat Justinus; cujus eo proclivior lapsus esse potuit, quo veteribus Latinis commutatione litterarum *e* et *i* frequentius nihil exstitit, et Semo ille minorum gentium deus, sanctus, sancus, aut sangus promiscue diceretur. Quorum doctissimorum virorum rationes expendit clarissimus Tillemontius ὁ μακαρίτης, ac pro ea qua valet eximia eruditione et acri judicio confutat, in suis in tom. II *Commentariorum in Hist. eccles.* observationibus, nota 2, in Simonem Magum, pag. 482, ubi probat vix ac ne vix quidem fieri potuisse, ut tot antiqui Patres ea in re lapsi fuerint, quæ oculis omnium pateret, quamque Justinus, dum Romæ ageret, et *Apologiam* conscriberet, non semel aut bis, sed quotiescunque Tiberinos pontes trajecerat, propriis oculis explorare potuerat. Ecquis enim sobrius sibi persuadeat, sanctissimum martyrem tam incogitantem atque imprudentem fuisse, ut in ipsa urbe Roma scribens ad imperatores, ea confidenter, nondum satis explorata veritate, bis in eadem *Apologia* asseverare ausus fuerit, quorum falsitatem vel ipsi pueri, scriptorem temerarium arguentes, deprehendere potuissent? Tam immanem hallucinationem vix ferat quisque in scriptore longa terrarum intercapedine ab ipsa statua dissito: quanto minus in eo qui in ipsa urbe Roma, et, ut ita dicam, ad ipsius statuæ pedes scripserit. Sed ne actum agamus, consule citatum eruditissimi Tillemontii locum. Nec iis contentus impurus homo, seipsum sub Jovis, Helenam vero suam sub Minervæ habitu effingi curavit; et utramque imaginem discipulis colendam tradidit.

98. Vulgata apud veteres opinio est, apostolorum Principem Romam venisse anno Christi 42, ut Magi fraudes ac malas artes discuteret: cumque hunc fama jam desereret, collectis viribus enixum esse mirabilem Christi ascensum in cœlos æmulari; sed ei tam male cessisse volatum, ut divina virtute apostolorum precibus sollicitata præceps actus, fractis cruribus misere postea interierit, eo anno qui Petri et Pauli martyrium proxime antecesserit, id est Christi 65. Hæc omnia strictim attingo; obvia siquidem sunt et omnibus nota. Plures edidisse fertur seu libros, seu sermones. Quasdam ex altero eorum blasphemias recitat Hieronymus *in Matth.* cap. XXIV. Alios memorat auctor libri *De divin. nom.*, cap. 6, quorum titulus, Ἀντιῤῥητικοί, *Contradictorii*. Si *Constitutionibus apostolicis* fides, lib. VI, c. 8, Simon ejusque socius Cleobius plures Christo ejusque discipulis libros supponere ausi fuerant. Ex discipulorum officina prodierat Evangelium, quod librum *De quatuor mundi angulis* inscripserant (quia in quatuor partes sectus erat), ut et apocryphus liber, *De prædicatione sancti Pauli*.

99. Quod ad Simonis errores spectat, superius de Valentino agentes ostendimus eum primæ Valentinianorum ogdoadis auctorem et inventorem fuisse. Nempe, Theodoreto teste, infinitam quamdam statuit potestatem, quam et radicem universorum appellavit; Bythus est, cui et Ἔννοιαν copulabat. Istam vero duplicem esse fingebat: alteram primam, quam Matrem omnium appellabat, quam-

[8] Act. VIII, 9 et seqq. [9] Prov. XXVI, 11.

Digitized by Google

que in Helena sua conspicuam esse dicebat; alteram quam cum Φωνῇ, *Voce*, conjugabat. Eam autem infinitam potestatem ignem esse dicebat, id est Virtutem maxime actuosam, cujus duplex foret operatio, altera conspicua, altera latens. Ex illa quidem genitum esse mundum; ex hac vero productas primum esse tres conjugationes, quas etiam radices nominavit; quarum primam appellavit Νοῦν καὶ Ἐπίνοιαν, *Mentem et Notionem*; secundam Φονὴν καὶ Ἔννοιαν, *Vocem et Intelligentiam*; tertiam Λογισμὸν καὶ Ἐνθύμησιν, *Rationem et Cogitationem*. In hac ogdoade Valentinianam quisque deprehendit. Nomina quidem apud Theodoretum, quem hic exscribimus, aliquantulum dissimilia; at apud Eliam Cretensem et Nicetam supra laudatos, eadem prorsus: adeo ut constare videatur πολυώνυμον fuisse, ac modo his, modo illis nominibus a Simonis discipulis significatam. Sed rem eamdem utrobique exstitisse demonstrat veterum consensus, ac imprimis Irenæi, ut alibi diximus. De his ergo Simonianis Æonibus idem sentiendum, quod de [LV] prioribus octo Valentinianis. Utrique e Platonicorum lacunis educti, Christiano amictu utcunque induti hæreticorum illorum arte prodierunt.

100. Seipsum porro Simon *esse sublimissimam Dei virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater* [10], blasphemabat. Summa hic fuerit veteratoris dementia et impudentia, eo tamen usque insaniisse non putem, ut semetipsum re, essentia ac natura supremum esse Patrem crederet jactaretve. Id de seipso sensisse videtur, quod de Helena sua, quam primam mentis suæ *conceptionem* aiebat esse, per quam Angelos et Archangelos fecisset. At, auctore Theodoreto, hunc mundum, cujus prima et nobilior pars angeli erant, conditum asserebat per eam supremæ Virtutis operationem, quæ conspicua esset, vel, ut loquitur Irenæus, per Ennoiam quæ *exsiliisset* ex summo Patre, *et ad inferiora digressa fuisset*, id est, quæ seipsam exterius prodidisset. Quemadmodum igitur Helenam primam summi Patris Ennoiam esse censebat, non re et natura, sed operatione duntaxat; sic seipsum supremum esse Patrem non aliter existimare potuit, quam ἐνεργείᾳ et efficientia tenus, non substantia, aut unione personali (id enim unitionis genus nunquam agnovit): quatenus eum præ cæteris mortalibus elegisset Pater, in quo inhabitaret, in quem divinitatis suæ radiationem quamdam, non solidam, aut substantivam, sed transeuntem derivaret, et per quem velut per instrumentum sibi moraliter conjunctum operaretur. Uno verbo id de se opinatus est, quod discipuli ejus de Christo, quem etiam se esse dicebat. Constat vero eos, Christum non alia ratione Deum esse censuisse, quam, sicuti postea delirarunt Noetus, Sabellius et Paulus Samosatenus, efficientia duntaxat et operatione, non substantia aut unitione substantiva. [11] Accedit denique quod Menander Simonis discipulus, qui verbis, non re a magistro dissidebat, primam se Virtutem non nominaret; ignotam enim eam aiebat esse; sed ab illa se missum jactitans, Servatorem seipsum appellaret. Quidquid ergo discriminis inter utrumque fingi potest, eo redit, ut alter paulo modestior seipsum Servatorem diceret, quod a prima Virtute ad hominum salutem missus esset; alter impudenter seipsum primam esse Virtutem blateraret, quatenus ista per eum operaretur, eo operationis genere quod externum et conspicuum esset; non eo quod latens, et per quod Æones produxerat. Hinc Judæis quidem, qui Messiam exspectabant (quem Dei Filium esse ab apostolis didicerat), tanquam Filium apparuisse se jactitabat; ad Samaritanos vero, quorum obscurior de Messia fides erat, tanquam Patrem descendisse; ad alias denique gentes, quas Spiritus sancti virtute cooptandas in Ecclesiam noverat, tanquam Spiritum sanctum advenisse: ac denique, ut ait Irenæus, *sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines:* hoc est, pro diversis quas edidit primæ Virtutis operationibus, diversis etiam diversarum gentium affectibus, diversa sibi nomina tribui sivisse, Patris, Filii et Spiritus sancti, imo etiam quandoque Jovis; nam et sub hoc schemate statuas et imagines, quas adorarent, ei posuerant discipuli. Ex quibus certissime colligitur Patrem, Filium et Spiritum sanctum tres, ex ejus sententia, subsistentes personas non fuisse, sed tria duntaxat unius personæ nomina et officia.

101. Helenam suam (quam interdum etiam Spiritum sanctum appellabat) dicebat [12] *esse primam mentis suæ conceptionem, Matrem omnium, per quam initio mente conceperit Angelos facere et Archangelos: hanc vero Ennoiam*, seu conceptionem, *exsilientem ex eo, cognoscentem quæ vult Pater ejus, digredi ad inferiora, et generare Angelos et Potestates*, quibus tamen nulla Patris indita notitia. Ab istis *mundum hunc factum dixit.* In Ennoia illa, omnium matre, per quam initio mente concepti Angeli et Archangeli, Platonis mundus idealis seipsum manifeste prodit; mundus scilicet idearum omnium, formarum et archetyporum apotheca, ad quorum normam et exemplar conditi primum Angeli et Archangeli mundum hunc aspectabilem, ex supernarum idearum præscripto, fecerunt. Primus enim e Christianis Simon summum Deum mundi hujus creatione, regimine et administratione abdicandum ratus, creatorem ab eo cum Platonicis distinxit, ne mala quibus labefactatur orbis in primum Deum summe bonum refunderentur; qui cum insuper ignotus semper manserit, nec ullo visibili signo seipsum usquam manifestaverit, nullas in mundi fabricatione et administratione partes habere potuit. Cætera quæ impostor addebat de Ennoia per invidiam detenta ab Angelis, et inique habita, ne

[10] Iren., loc. cit. [11] Id., n. 5; Theod., c. 2; Epiph., Hær. XXII, § 1. [12] Iren. l. 1.

Digitized by Google

recurreret ad Patrem, ac in varia corpora tum humana tum belluina revoluta, donec in fornice publice prostantis misertus Simon, ovem hanc perditam liberaturus venisset, hominibus simul salutem præstiturus per agnitionem suam mundumque ab Angelorum, de principatu ambitiose contendentium, tyrannide vindicaturus et emendaturus; hæc, inquam, omnia, Christianismum olent, sed fabulis misere deformatum. Angelorum et hominum lapsum sub his symbolis adumbrare voluit. Priores superbiæ typho excæcati, Deoque auctori suo subesse renuentes, *quoniam nollent progenies alterius cujusaam putari esse* [13], ipsius Ennoiam, ne recurreret ad suum principium, detinuere; dum videlicet quidquid splendoris, potestatis ac perfectionis acceperunt, sibi ipsis inique arrogantes, supremi tantorum beneficiorum auctoris ideam, ne gloria ad eum rediret, in seipsis primum, tum in hominibus exstinguere conati sunt. His quippe auctores fuerunt, ut Dei imaginem mentibus eorum insculptam, superbia sua fœde deformarent; ac paulatim oblitterata veri numinis notione, comparati jumentis insipientibus, et belluino vivendi more similes illis facti, in turpissimorum quorumque vitiorum barathrum sese in dies profundius immergentes, contumeliis semper novis afficerent. Hæc sunt quæ Ennoiæ captivitate, calamitatibus, miserisque casibus suo modo significabat Simon. Nec dissimile vero est quod ait Tertullianus lib. *De anim.*, c. 35: Pythagoricam metempsychosin, Simoni *hanc fabulam* de Helena in alia atque alia corpora volutata, ex parte saltem *instruxisse*; cum utrumque discipulis ejus constiterit; et animas divinæ mentis portiones esse, et eas in varia successive corpora detrudi. Ejusdem generis sunt quæ de suo in hunc mundum adventu, ut perditam ovem liberaret, eumque ab Angelorum tyrannide vindicatum instauraret, effutiebat. In his inter ipsas commentorum nebulas relucet evangelica doctrina de veri Servatoris adventu; quo vitiis oblitterata Dei imago innovata, excitata [LVI] in animis veri Dei notitia, homines excusso tenebricosarum Potestatum jugo in libertatem asserti, omnia denique instaurata, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt. Nam ejus professione fundamentum Christianæ religionis, cui consultum aliquatenus volebat, niti animadvertit hæresiarcha. Sic tamen in hunc mundum descendisse se jactabat, ut alienam speciem induens, per quam ementita similitudine Angelos et Potestates deciperet, ne ab eis teneretur, inter homines homo apparuerit, cum tamen non esset homo, et pati in Judæa visus fuerit, cum non sit passus. Hæc prima Docetarum sectæ, cui deinceps nomen dedere tot impuri homines, initia: primus hujus auctor hominum omnium perditissimus. Necessaria tamen male susceptæ hypotheseos consectaria erant. Si enim, ut supponebat, malorum omnium quæ in mundo sunt, auctores Angeli, si materiæ et corporibus ab iis conditis turpissima inspersa labes, manifestum est eum qui a bono Deo missus est, ut mundi fabricatores debellet, orbemque malis purget, mundanum, ac verum corpus asciscere sibi non potuisse: tum ne malis ipse contaminaretur, tum ne sub angelorum, qui materiæ dominantur, imperium concedens, ab iis opprimeretur. Necesse erat igitur phantasticum duntaxat et umbratile corpus indueret, quo hominibus, quorum dux et doctor futurus erat, conspiciendum se præberet, Angelisque tutius bellum inferret. Ex quo fluebat, nec vere nasci aut pati potuisse, et, ut recte concludit martyr Ignatius, Eucharistiam verum Christi corpus non esse, cum verum nunquam habuerit.

102. Addebat Magus, legem non a Deo (invisibilis quippe et ignotus usque ad Novi Testamenti tempora permansit), sed a sinistra quadam intelligentia latam fuisse. Prophetas a mundi fabricatoribus, istos ab his, illos ab illis inspiratos vaticinia fudisse. Ea ab illis contemnenda esse, qui vero Deo semel agnito, in Simonem et Helenam ejus legatos et interpretes spem collocant: iis quippe jam libertate donatis, quæ per supremi Patris cognitionem acquiritur, liberum esse quodcunque velint peragere: salutem uni gratiæ, γνώσει videlicet, non operibus justis acceptam referendam esse: natura siquidem nullas actiones bonas esse aut malas, sed ex accidenti; ex arbitrio nimirum Angelorum, qui mundum condiderunt, et ejusmodi præceptorum vinculis in servitutem homines abduxerunt. Quam postremam sententiam ab Archelao philosopho accepisse videtur, cujus hoc fuit effatum, *Nihil natura justum aut injustum esse, sed lege.* Nefaria certe dogmata, uberrimaque scelerum omnium seminaria, quæ tamen ex constitutis principiis necessario fluebant. Si enim summus Deus ignotus mansit, nec ullo sensibili signo deprehendendum se præbere dignatus, mundi curam et administrationem Angelis commisit: ergo legis et prophetiarum, quæ ad mundi regimen spectabant, ii soli auctores exstiterunt; ergo qui homines adepta veri et summi Dei notitia ex eorum potestate eruti sunt, et in libertatem asserti, legis præceptis non tenentur. Si ab una Dei hactenus ignoti, nunc vero se revelantis, cognitione pendet salus: ergo ad comparandam salutem opera supervacanea sunt. Si opera ideo duntaxat bona aut mala sunt, quia a lege quam tulerunt Angeli, præcepta vel prohibita: ergo natura indifferentia sunt; excusso proinde legis jugo, nec bona, nec mala. Jam quid mirum si homines hisce principiis imbuti, fractis omnibus tum naturæ, tum pudoris repagulis, effrenem spurcissimamque vivendi rationem inierint? Eo siquidem, velut naturali consecutione deducebat exitiosa doctrina. Absit ut ea commemorem iniqui-

[13] Iren. l. l.

Digitized by Google

tatis mysteria, Bacchanalium instar instituta, quæ in scelestis conventibus ab iis patrata refert Epiphanius : nolim his scelerum portentis lectorum oculos defœdari. In cumulum accessere magicæ artes, quarum teterrima quæque genera, Simonis et Platonicorum exemplo, exercere veriti non sunt. Et hinc manavit vulgata gentilibus calumnia, qua dudum Christianam religionem vexaverunt, Christianos omnes magicis artibus deditos esse, eorumque cœtus, omni pudoris exstincto discrimine, accedente noctis licentia corruptelarum omnis generis officinam esse. Sic in Christianam religionem redundabat pseudo-Christianorum istorum profligata vita. Resurrectionem carnis negabant : non negare qui potuissent? Si enim caro Angelorum mundi conditorum opus fuit; a Christo Servatore, qui Angelos debellaturus venerat, nec suscipi, nec salvari debuit. Animarum duntaxat cura ipsi fuit. [14] Gentilium idolis, quotiescunque se daret occasio, thus adolere non dubitabant, nec supremum cultum, ut pœnas negantibus illatas declinarent, iis adhibere renuebant : hæc enim inter ἀδιάφορα numerabant. Imo gentiles in partes suas cessuros putans Simon, si illis ingeneraret opinionem, se Jovem esse, quem summum Numen patremque deorum venerabantur; Helenam vero suam Minervam, quam ex cerebro Jovis natam esse fabulantur poetæ; seipsum sub Jovis, Helenam sub Minervæ habitu pingi et adorari a discipulis voluerat : ut sic gentilismum cum Christianæ religionis professione consociaret. Sed mirum, eum qui tota doctrinæ serie inimicitias Angelis denuntiare videbatur, iis tamen divinos honores tribui voluisse. Negabat enim salutem consequi ullum hominem aliter posse, quam si Universitatis parenti abominanda sacrificia, quæ vel nominare pudet, per Principatus et Potestates obtulerit : non quidem ut præsidium ferrent, sed ut placati damnum non inferrent, neu hominibus sive in vita, sive post mortem obessent. Quæ etiam Platonicorum doctrina fuit superius a nobis exposita.

103. Hactenus dicta perspicue demonstrant Simonem ejusque discipulos inter gentiles potius, quam inter Christianos recensendos esse. Nam etsi Christianum nomen ore profiterentur, vix tamen vel unius Christiani dogmatis fidem integram servaverant. Trium quidem sanctissimæ Trinitatis personarum nomen proferebant, rem non tenebant : una et eadem persona, pro diversis officiis, Patris, Filii et Spiritus sancti nomine gaudebat. Mysterium Incarnationis iis penitus ignotum : Christus nec verus Deus, cujus nulla fuerit hypostatica cum Deo unio ; nec verus homo, cujus fuerit umbratilis tantum et phantastica humanitas; sed quoddam veluti simulacrum, quod hinc humanam naturam oculis exhiberet, illinc Divinitatis radios exciperet. Quibus omnis Christi nativitatis, vitæ et mortis mysteriorum fides pessum ibat. Si aliquod baptismi genus retinuerint, ludicrum certe, quod a Christiano procul recederet. Vetus auctor qui contra Cyprianum scripsit, [LVII] inter SS. martyris opera, refert quosdam hæreticos e Simone prognatos, dum baptismum conferrent, emicantem ex aquis ignem intuentium oculis exhibuisse, quo simulata Spiritus sancti præsentia initiandos suos ludificarentur. Ecquam de Eucharistia fidem habere potuissent, qui verum Christo corpus denegabant? Sua quidem iis erant mysteria, sed exsecranda prorsus, quæ vel commemorare pudet. Cætera sacramenta flocci fecisse homines impuros, unique γνώσει, cæteris omnibus spretis, salutem ascribendo, bonorum operum necessitatem, et evangelicarum legum observationem funditus evertisse, quisquis asseruerit, haud temere conjecerit.

104. Plures reliquit Simon errorum et scelerum successores, *a principe impiissimæ sententiæ vocatos Simonianos*. Ab his *falsi nominis scientiam*, Gnosticorum videlicet hæresim, *accepisse initia, ex ipsis assertionibus eorum adest discere* [15]. Revera enim eadem pene Gnosticis omnibus fuere cum Simone dogmata. Si quid discriminis interfuerit, in eo positum fuit, quod eadem principia, et Platonicæ philosophiæ capita ab his paulo pressius, ab illis explicatius ac fusius tradita, et ad res fidei diversimode pro cujusque captu et ingenio accommodata fuerint, sed inconcusso manente fundamento. Tria fuere præcipua Gnosticæ hæreseos capita, 1° Summum Deum alterum esse a mundi conditore; 2° Opera nihil ad salutem juvare, sed eam ab una supernarum rerum cognitione pendere; 3° Christum verum hominem non fuisse, sed vana hominis specie oculos delusisse. Hæc ab omnibus propugnata, quippe qui scirent iis totam niti hypothesim; cætera vel ad majorem explicationem addita, vel consectaria quædam fuere, quæ quisque, prout ingenio valebat, ex principiis ducebat, amplificabatque. Id ea conferenti quæ de Valentiniana hæresi jam diximus, observare proclive fuit, nec difficilius observabitur in iis, quæ de veteribus Gnosticis dicenda supersunt.

II. *De Menandro.*

105. [16] Simonis successor et discipulus fuit Menander, præceptori moribus et doctrina respondens. Genere Samarites et ipse fuit, e vico Capparetaja, ut vocat Justinus M. [17], vel Chabrai, ut Theodoretus appellat, oriundus. Ubi ad summum præstigiarum fastigium pervenit, ut facile non tantum cum magistro contenderet, sed etiam primas sibi vindicaret, majoribus portentis nomen sibi fecit. Antiochiam, Orientis caput, elegit, ceu publicum theatrum in quo circulatorem ageret, et unde venenatas merces facilius per Orientem spargeret. Ibi misere plures fascinavit. Si Tertulliano [18], vel auctori additamenti quod ad calcem libri *De præscript.* legitur,

[14] Origen., in Cels., lib. VI. [15] Iren. [16] Iren., lib. I. c. 23, n. 5. [17] Apol. I. [18] De Præsc. c. 46, et de An., c. 50.

Digitized by Google

credimus, eadem dixit quæ Simon ipse. Quidquid Simon se esse dixerat, hoc se Menander esse dicebat. Quod tamen sobrie intelligendum. Nam Simon se esse supremam Dei Virtutem impudentius jactabat; tantum sibi non tribuebat Menander, quoniam *primam Virtutem incognitam omnibus* esse aiebat; *se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus* (hoc est, ut explicat Eusebius[19], ab invisibilibus Æonibus), *Salvatorem pro salute hominum*. Sed discrimen in verbis hærere, et in eo positum esse quod alter altero vesanior esset, superius ostendimus. Neque enim Simon supremam Dei Virtutem substantia et natura se esse contendebat, sed missione duntaxat et ἐνεργείᾳ, in quo cum Menandro consentiebat. Nec quod alter eam Virtutem omnibus ignotam esse diceret, alter ut ejus copiam faceret, venisse se jactaret, ulla inter eos pugna intercedit. Si enim cum Theodoreto duplicem summæ Virtutis operationem distinguamus, occultam et manifestam, lis facile dirimitur. Nam Simon operationem occultam respicit; Menander de manifesta loquitur. Hic etiam explicandus, ne secum vel cum Irenæo pugnet, Epiphanius[20] scribens, Menandrum a Simonis dogmate non dissedisse, nisi quod majorem se antecessore et præceptore suo prædicabat. Nempe hic majorem se prædicabat, non dignitate et missione; nam uterque a summa Virtute missum se esse Servatorem ad hominum salutem nugabatur; sed magicæ artis peritia, qua magistrum vincere se gloriabatur.

106. Mundum ab Angelis, quos produxit Ennoia, conditum similiter ut Simon docebat. Memoria igitur lapsus videtur Damascenus scribens lib. *De hær.* hoc differre Menandrianos a Simonianis, quod hi mundi molitionem ab angelis factam assererent, illi negarent; nam eadem erat utrorumque ea de re sententia. Neminem vero ex Angelorum illorum dominatu erui posse contendebat Menander, nisi per eam, quam docebat, magicam scientiam. Salutem itaque hominis positam esse volebat in redemptione ab Angelorum servitute; medium autem salutis in magica scientia. Quæ omnia Simoniaca, imo et Platonica. Quæ enim hæretici magicæ scientiæ ascribebant; eadem et Platonici μαντικῇ, divinationi et Theurgiæ suæ tribuebant. Nam duplicem magiam distinguebant, aliam quam Theurgiam vocabant, hoc est, artem divina operandi, bonam et laudabilem, qua certis quibusdam hostiis et sacrificiis, munditia quadam animæ et corporis, aliisque sacris cæremoniis, bonos et beneficos dæmones invocabant, quorum afflatu et auxilio, et occulta manifestabant, et futura prænuntiabant, et mira edebant opera: alteram Goeticam, et Necromantiam, artem videlicet præstigiosam et fallacem, quæ mortuos evocat et consulit, et eorum ac malorum dæmonum ope responsa de rebus occultis et futuris reddit. Ut posteriorem probro, sic priorem honori sibi vertebant, laudibusque ad cœlum extollebant, ut passim apud Jamblichum et alios videre est. *A Theurgis*, inquit ille sect. III, cap. 31, *omnis spiritus malus fugit, penitusque subvertitur. Exscinditur prorsus omnis malitia et passio; bonorum vero pura communicatio ad puros defertur, ignisque divinus desuper eos veritate replet. His mali spiritus impedimenti nihil afferre possunt, neque ad animæ bona avertenda obstaculi*, etc. Et sect. IX, cap. 4: *Sola divina* μαντικὴ *diis connectens, nos vere participes facit vitæ divinæ: cumque ipsa præscientiam, divinasque notiones in se contineat, nos quoque vere divinos facit. Hæc bonum pure nobis exhibet; est enim beatissima deorum cognitio bonis omnibus plena.* Et cap. 5 ait hominem olim visioni Dei conjunctum, postea aliam subingressum animam; eam nimirum quæ ad humanæ formæ speciem aptata est, propterea venisse sub fati et necessitatis jugum; ab his vero vinculis aliter solvi non posse quam per deorum cognitionem; hanc esse quæ [LVIII] veram vitam servat, quoniam ad Patrem sua sorte contentum et *superessentialem* reducit: sacram hanc et Theurgicam felicitatis donationem appellari januam ad ipsum omnium opificem Deum, vel sedem et aulam boni. Tum demum cap. sequenti concludit Theurgiam opifici universali animam sistere, et apud eum deponere, liberamque ab omni materia cum solo æterno Verbo connectere: ipsi Dei Virtuti a se genitæ, seipsam moventi, omnia sustentanti, intellectuali, omnia exornanti, ad veritatem intelligibilem revocanti, perfectæ et perficienti, cæterisque Dei Virtutibus opificibus ita consociare, ut in actionibus earum, intelligentiisque efficacibus anima Theurgica perfecte confirmetur. Plura alia ejusmodi apud Jamblichum citatis sect. occurrunt. In his, puto, Simonis, Menandri Gnosticorumque omnium doctrinæ fundamenta lector eruditus nullo negotio deprehendit; adeo ut ex impuris hisce fontibus palam hausta videantur tum γνῶσις ipsa, tum operosum illud quod in colendam magiam studium conferebant, tum denique quidquid utrique tam procaciter ascribebant.

107. Quoddam baptismi genus suis impertiebatur Menander, quo qui dignati essent resurrectionem adipiscerentur, jamque deinceps immortalitatem consecuti perseverarent, nulli senio aut morti obnoxii. Tum vero baptismum in nomine suo conferebat; quo quidem insaniæ Simon devenisse non videtur. Quem vero immortalitatis effectum baptismati suo impudenter asserebat, Tertullianus[22] et Eusebius[23] de corporis immortalitate etiam in hac præsenti vita intelligere videntur. Mirum autem homines, cæteroquin acutos, sic animum induxisse suum. Nam præterquam quod extra dubium omne positum videtur, Menandri mentem explicandam esse ex præceptoris sententia, qui corpora docebat interire penitus, nec resurgere, solam autem ani-

[19] L. III Hist., c. 26. [20] L. I, c. 2 et seqq. [21] Hær. XXXII. [22] De An., c. 50. [23] L. III Hist., c. 26.

Digitized by Google

mam immortalem esse : perspicue docet Irenæus lib. II, cap. 31, n. 2, quid Gnostici omnes per resurrectionem a mortuis, quam interdum prædicabant, intelligerent, nempe *agnitionem ejus quæ ab eis dicitur, veritatis.* Quod ipse Tertullianus ag. oscens, paulo enucleatius explicat lib. *De resurrect. carn.*, cap. 19, ubi Gnosticorum fraudes retegens scribit : *Nacti quidam solemnissimam eloquii prophetici formam, allegorici et figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum manifeste annuntiatam, in imaginariam significationem distorquent, asseverantes ipsam etium mortem spiritaliter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio, discidium corporis et animæ, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore jacuerit quam in sepulcro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis eruperit : quia et Dominus Scribas et Pharisæos sepulcris dealbatis adæquaverit. Exinde ergo resurrectionem fide consecutos cum Domino esse, cum eum in baptismate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis sæpe nostros decipere consueverunt : quasi et ipsi resurrectionem admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit ; ne statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacite autem secundum conscientiam suam hoc sentiunt : væ, qui non, dum in hac carne est, cognoverit arcana hæretica, hoc est enim apud illos resurrectio. Sed et plerique ab excessu animæ resurrectionem vindicantes, de sepulcro exire, de sæculo evadere interpretantur, quia et sæculum mortuorum sit habitaculum, id est ignorantium Deum ; vel etiam de ipso corpore, quia et corpus vice sepulcri conclusam animam in sæcularis vitæ morte detinet.* Quibus palam fit, eam, quam Menander aliique similes, resurrectionem mortuorum mendaciter venditabant, mystice et allegorice intelligendam esse; nihilque aliud esse, præter ignoti Dei, arcanorumque hæreticorum notitiam, qua quisquis fictitium illud, quod conferebant, baptisma consecutus fuerit, nefariisque eorum mysteriis initiatus, *ignorantiæ morte discussa, velut de sepulcro veteris hominis erumpit.* Menandrum proinde in his ne latum quidem unguem a Simonis aliorumque Gnosticorum sententia recessisse, nisi quod ænigmatis involverit quod illi planius efferebant.

III. *De Saturnino.*

108. Venenata quædam bestia bilinguis et biceps, ait Eusebius[24], e Menandro orta, duos duarum sectarum inter se discrepantium auctores et duces edidit, Saturninum, vel Saturnilum (utrumque enim promiscue scribunt auctores[25]),genere Antiochenum, et Basilidem Alexandrinum, ambos Menandri discipulos, ac coævos ; quorum ille in Syria, hic vero in Ægypto scholas errorum Deo et pietati repugnantium instituit. Ambos Adriano imperante vixisse tradit Theodoretus[26]; nec repugnat Eusebius, qui eorum meminit Adriani temporum historiam conscribens : quanquam tamen probabile censeat cl. Tillemontius, Saturninum jam a Trajani temporibus, paulo ante Basilidem cœpisse[27]. Sed de his postea. Ille eadem fere cum Menandro deliramenta loquebatur. Unum esse summum Patrem, et innascibilem Virtutem, id est Deum, in summis illis et infinitis partibus, et in superioribus manentem, ac prorsus ignotum prædicabat, qui longe a se distantes Virtutes, Principatus, Potestates et Angelos creaverit. Illis omnibus a Patre desciscentibus, septem ex iis mundum condiderunt, *præter conscientiam Dei Patris*[28], ejusque suam quisque partem sortiti sunt. Unum ex iis mundi conditoribus Angelis fuisse Judæorum Deum dicebat. Satanam ipsum angelum esse, repugnantem angelis mundi fabricatoribus, maxime vero Judæorum Deo; qui perinde atque hic atque illi prophetiarum auctor fuerit. Omnia hæc Simoniana et Gnostica, partim ex Platonicorum lacunis, partim ex corruptis ac depravatis Scripturarum oraculis hausta, ut ex hactenus dictis constat.

109. Hominis etiam originem Saturninus ascribebat Angelis. Creationis vero hæc occasio fuit. Cum desuper a summa Potestate lucida imago emicuisset, cœlestis illius lucis amore capti, summaque cupiditate ac voluptate perfusi, hanc apud se tenere viribus omnibus contenderunt ; non valentibus vero, eo quod repente sursum evolarit, et ex eorum oculis evanuerit, id in animos incidit, ut evanidæ imaginis jacturam resarciendi desiderio, aliquam ejus similitudinem exprimerent, hominemque, qui eam referret, conderent. Quare convenientes in unum, communi consilio [LIX] dixerunt : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem.* Sic, inquit Epiphanius, impostor particulam, *nostram*, quam in Genesi[29] Deus usurpat, ideo decurtavit, ut errori fidem astrueret; quasi alii sint operis artifices, imago vero ipsa ad alium referatur. Editus est igitur in lucem homo, sed præ Angelorum imbecillitate admodum imperfectus. Jacebat namque in solo reptantis instar vermiculi, neque erigere se, neque aliud quidquam agere valens, donec ei miserta Virtus suprema, ob imaginem suam atque effigiem, sui scintillam immisit, qua et illum erexit, et vitam impertivit. Eam vero scintillam vocat animam humanam, quam, utpote decisam ab essentia divina particulam, dissoluto animali servari ait, et evolare sursum ad ea quæ sunt ejusdem generis; pereunte reliquo homine, resoluto in sua principia. Non tamen homines omnes in scintillæ illius partem vocabat Saturninus, sed eos solos, qui sectæ suæ nomen dedissent. Duos quippe homines principio

[24] L. IV Hist., c. 7. [25] Iren., lib. I. c. 24; Epiph., Hær XXIII. [26] Lib. I, c. 2 et 3. [27] Tertull. De præsc. c. 46. [28] Aug., Hær. III. [29] Gen. I,26.

Digitized by Google

factos asserebat, bonum unum, scintillæ participem, alterum malum, ejusdem expertem; a quibus duplex item hominum genus, natura scilicet bonum, ac natura malum in mundo proseminatum esse primus hominum finxit.

110. Platonica hæc omnia sunt, sed varie interpolata, novisque fabulis aucta. Quod hic fingitur de imagine desuper emicante, ad cujus similitudinem conditus homo, purum putumque Platonicorum dogma est de rerum omnium ideis ac formis a supremo rerum omnium parente effictis : quas quidem in Angelorum, quibus creandi et administrandi mundi provinciam demandavit, mente recondidit, ut cœlestia archetypa præ oculis habentes, ea in fabricandis rebus imitarentur. Communis itidem Platonicorum omnium sententia, superiorem animæ partem, ejusdemque velut apicem, quam mentem vocabant, esse velut essentiæ divinæ particulam, ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ, *a primo intelligibili*, ut loquitur Jamblichus, decisam, quæ homini desuper inspirata rationem impertitur, eumque a communi brutorum animantium sorte eximit; fabula de scintilla reptanti homini et in solo jacenti, a superna Virtute, qua erigeretur et ageret quæ sunt hominis, immissa, fundamentum præbuit. Ut scintilla, dissoluto animali, ad principium suum, ex Saturnino, revolabat; sic et mens post mortem, ex Platonicis, ad Deum ejus auctorem revertebatur. Hactenus quadrant sententiæ; discrepant vero in explicatione scintillæ, seu particulæ divinæ essentiæ. Per eam, Platonici mentem qua rationalis fit homo; Saturniniani vero γνῶσιν, seu supremi Patris notitiam, qua fit spiritalis, et ab animalibus hominibus in ignorantiæ tenebris agentibus, distinctus, intelligebant. Idque ipsum est quod deinceps semen spiritale Valentinianis vocitare placuit; quod quidem non omnibus, sed certis quibusdam hominibus concessum esse, ut Saturninus scintillam suam, jactabant. Unde quemadmodum hic duplicis generis homines, natura bonos scintillæ participes, et natura malos, ejusdem expertes distinguebat; sic et illi quosdam homines natura bonos, eos scilicet qui semine fecundati erant; quosdam natura malos, qui seminis exsortes, statuebant. Adeo ut idem utrobique commentum sit, sub variarum nugarum involucris propositum. Quod alter per hominem erectum et reptantem; alii per homines spiritales et animales significant. Quod denique Saturninus prophetarum oracula modo opificibus Angelis; modo Satanæ accepta referret, a Platonicis etiam mutuatus fuerat, qui, ut supra ex Jamblicho vidimus, vaticiniorum causam refundebant modo in bonos, modo in malos dæmones.

111. Simonis vestigia relegens Saturninus, Servatorem de communi supernarum Virtutum sententia missum aiebat, ut Angelos rebelles, et maxime Judæorum Deum in ordinem redigeret, et iis qui vitæ scintillam accepissent, salutem afferret, malos vero cum dæmonibus, qui ipsis opitulabantur, profligaret. Hoc ipsum erat quod aliis verbis exprimebat Simon, venisse Christum ut homines a legis, quam tulerat Judæorum Deus, vinculis eximeret, solisque credentium seu spiritalium animabus salutem impertiretur. Servatorem autem modo a supremo Patre genitum, modo ingenitum dicebat Saturninus : ingenitum quidem, si generationis proprie dictæ habeatur ratio, cujus terminus fuerit persona a principio suo distincta; genitum vero, si generatio pro simplici productione, qualiscunque sit, latius accipiatur. Unde patet huic, sicut et Simoni, aliisque multis Gnosticis, Servatorem fuisse meram divinitatis ἐνέργειαν, functionem temporariam, et radium, non personam subsistentem, et a Patre distinctam. Eum vero corporis (terreni videlicet et materialis) expertem, et sine figura, hominis tamen simulacrum atque effigiem sensibus objecisse, omniaque ab eo specie tenus perfecta; cujusmodi fuit nasci, ambulare, videri, pati. Uno verbo phantasma fuisse, quod divina ἐνεργείᾳ motum, sensibus humanis fucum faceret. Jam uxores ducere, liberosque gignere a Satana esse, primus omnium circulator idem pronuntiavit : non quod castitatem coleret; sed ut solutus matrimonii legibus, turpissimis quibusque voluptatibus effrenatius indulgeret. Multi etiam ex ejus discipulis, Pythagoreos imitati, animatis omnibus abstinebant, ut affectato illo sanctioris vitæ genere nonnullos suum in errorem pellicerent.

IV. *De Basilide.*

112. Basilides Alexandrinus [19], Saturnini condiscipulus, a Matthia apostolo doctrinam suam accepisse se falso jactitabat, atque Glauciam quemdam, quem Petri interpretem fuisse ferebant, præceptorem habuisse gloriabatur. Inanis forte, quod ad Glauciam, obscuri nominis hominem, attinet, vesani hominis gloriatio, ut ex magistri persona auctoritatem dogmatibus suis conciliaret. Ex ea tamen (ut et ex simili Valentini gloriatione supra concludebamus) inferre licet Basilidem, si non apostolis ipsis coævus fuerit, ad eorum saltem ætatem proxime accessisse, ipsorumque discipulis convixisse. Certe Hieronymus disputans contra Luciferianos, Basilidem inter hæreticos apostolicorum temporum numerat : *Sed quid de posterioribus*, inquit, *adhuc loquor? Apostolis adhuc in sæculo superstitibus, apud Judæam, Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur. Galatas ad observationem legis traductos Apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes, pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus, et Menander discipulus ejus, Dei* [LX] *se asseruere Virtutes : tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Æonibus commentatus est.* Nec dissentit Epiphanius

[19] Clem. Alex., Strom. lib. VII, p. 768.

Digitized by Google

qui Hær. XXXI, § 2, scribit *Valentinum quidem Basilide ac Saturnilo, Ebione, Cerintho ac Merintho, eorumque sociis, tempore esse posteriorem; omnes tamen uno tempore ad humani generis exitium profusos esse; quanquam*, inquit, *Cerinthus ac Merinthus et Ebion paululum antegressi sunt.* Si non multum temporis intercessit inter Cerinthum, hæreticum in Asia agnitum antequam S. Joannes Evangelium scripsisset, et Basilidem; hic igitur Joannis ætate vixerit necesse est. Deinde Valentinus et Basilides *uno tempore ad humani generis exitium profusi sunt*, ita tamen ut hic prior, ille posterior sit. At superius de Valentini ætate disserentes ostendimus, eum ineunte circiter secundo sæculo dogmata sua spargere cœpisse; ex quo sequitur, Basilidem (a fortiori Saturninum qui huic aliquantulum præivit) saltem ad Joannis apostoli tempora attigisse.

113. Non desunt tamen qui Basilidem juniorem faciant, ejusque hæresim non nisi Adriani temporibus in lucem prodiisse contendant. Nituntur in primis auctoritate Clementis Alexandrini lib. VII *Strom.*, pag. 764; Eusebii, lib. IV *Hist.*, cap. 7, et in *Chronico*, ac Theodoreti, lib. I *Hær. fab.*, cap. 2, qui Basilidis hæresim conferunt in Adriani tempora. At ex Clementis, Eusebii in *Chronico*, et Theodoreti verbis id tantum inferri posse puto, Basilidem sub Adriani imperio fuisse, scholam habuisse, et audacius hæresim disseminasse; non vero hæresim inchoasse, aut tum primum docuisse. Nec ex eo quod Eusebius in *Historia* circa Adriani tempora narrationem instituat de Saturnini et Basilidis hæresi, magis concludi potest, eos sub illius imperio cœpisse, quam ex eo quod de Ebionæis, Cerinthianis et Nicolaitis disserat sub Trajano, inferri posset eorum originem anteriorem non esse. Neque expressiora sunt, ut figatur Basilidiani erroris exordium, Firmiliani verba, apud Cyprian. epist. 75: *Sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi post apostolos, et post longam ætatem adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint.* Nam hæc longa ætas, ut bene animadvertit Cotelerius [21], dubio procul oratoria exaggeratio haberi debet; quia inter finem Joannis apostoli, et initium Adriani imperatoris, non intercedunt anni viginti. Deinde loquitur Firmilianus de aperta Basilidis adversus Ecclesiam rebellione, non de hæreseos ejus initio. Certum est, viventibus apostolis, hæreticos velut serpentes in antris delitescentes, sanctissimorum hominum metu repressos, nonnisi clam et timidius venenum erroris evomuisse; at audaciam addente apostolorum morte, jam caput attollere, liberius dogmata sua propagare, unitatemque palam violata, scholas sibi constituere cœpisse. Ex quo sequitur verissimum esse quod scribit Irenæus lib. V, c. 20, n. 1: *Omnes hæreticos valde posteriores esse, quam episcopos, quibus apostoli tradiderunt Ecclesias.* Hæc siquidem necesse ad tempus referamus, quo Ecclesias apostoli commiserunt apostolicis viris, non ad illud quo vivere desierunt illi episcopi. Nam certum est tum ex ipso Irenæo lib. III, c. 3, n. 4, tum ex aliis veteribus, Polycarpum, ab apostolis Smyrnæ ordinatum episcopum, Basilidi, Valentino, Marcioni aliisque hæreticis coævum exstitisse. Verius a fortiori quod proxime citato cap. n. 3, scribit auctor noster, epistolam Clementis ad Corinthios vetustiorem esse hæreticis *qui nunc falso docent, et alterum Deum super Demiurgum et factorem horum omnium commentiuntur.* Verba hæc *qui nunc falso docent*, aperte demonstrant eum intelligere, non Gnosticos quoslibet, sed Valentinianos duntaxat, quos confutabat.

114. Quo anno excesserit e vivis Basilides, non satis constat. In *Catalogo* Hieronymi, voce *Agrippa*, legitur: *Mortuus est autem Basilides, a quo Gnostici, in Alexandria temporibus Adriani; qua tempestate et Cochebas dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecavit.* Quæ si sincera sunt, dicendum erit obiisse Basilidem anno circiter 135, quo Judæa bello ardebat, quod excitarat Cochebæ adversus Romanos rebellio. Sed utrum apud Hieronymum legendum sit *mortuus est*, an *moratus est*, necdum extra omne dubium positum existimo; sua enim utrique lectioni constant argumenta. Pro *moratus est* pugnat auctoritas vetustissimi omnium codicis nostri ms. San-Germanensis, Merovingicis characteribus exarati, sæculo circiter septimo. Quam eamdem lectionem exhibent mss. quinque, quos vidisse se testatur Vossius, et plures alii quos contulit doctissimus Martianæus noster. Facit et pro eadem lectione perfectissima consensio *Chronici* Hieronymiani, cum ejus *Catalogo*. Nam in priori illo ad annum 134 habetur: *Basilides hæresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici. Cochebas dux Judaicæ factionis nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium omnimodis cruciatibus necat.* Eadem pene utrobique verba sunt: et quod in priori legitur, *commoratur*, suadere videtur in posteriori legendum esse, *moratus est*. Illinc vero repugnant huic lectioni editi omnes, cum mss. plerisque codicibus, qui præferunt, *mortuus est*. Sed quod majus videtur, Græca interpretatio, quæ Sophronio tribuitur, quæque si vere Sophronii est, codicibus omnibus Latinis, qui nunc exstant, sine dubio antiquior est, hanc vulgatam lectionem repræsentat: Τελευτῶντος Βασιλείδου, Γνωστικοὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκλήθησαν, ἐν τοῖς χρόνοις Ἀδριανοῦ. *Mortuo Basilide, Gnostici in Alexandria vocati sunt, temporibus Adriani.* Deinde neque usque adeo certum est legendum esse in *Chronico*, *commoratur*. Quamvis enim Pontacus in aliquibus mss. *commoratur* legi doceat, ut in uno Cantabrigiensi codice scriptum etiam reperisse se dicit Pearsonius [22], idem tamen in pluribus *commemoratur* ha-

[21] Patr. Apost., t. II, p. 470, edit. Paris. 1672. [22] In addend. ad Vind. epist. Ignat.

Digitized by Google

beri innuit; quæ vox si obtineat, similitudo locorum perit. Sed quidquid sit de lectione, nihil repugnat Basilidem aut vitam finiisse sub Adriani finem, aut prorogasse usque ad Antonini Pii exordia. Vixerit quinquennio aut sexennio plus aut minus, parum omnino refert.

115. Primus omnium Basilidis errores, subtilesque præstigias et detexisse et confutasse, occultaque illius et nefanda manifesto prodidisse mysteria, videtur Agrippa Castor, qui sub Adriano eruditionis laude florebat. Valentissimam fuisse illius refutationem memorat Eusebius [33], et ad sua usque tempora pervenisse : dudum est quod tam luculentum opus edax rerum tempus misere consumpsit, ne eo fruerentur. Auctor fuit, Eusebio teste, Basilidem quatuor et viginti libros in Evangelium scripsisse : vicesimi tertii meminit Clemens Alex., lib. IV *Strom.*, p. 506; Archelaus vero [LXI] decimi tertii. Sed utrum in vera Christi Evangelia elucubrati essent, an in ipsius Basilidis, incertum. Nam eam fuisse hominis impudentiam, ut et ipse novum Evangelium scribere ausus fuisset, docet Origenes [34]. Vetus Testamentum cum cæteris Gnosticis rejiciebat. Novum autem, Hieronymo teste [35] *in Epist. ad Tit.* principio, fœde mutilabat, resectis non modo pluribus locis, sed integris etiam Epistolis, ad Hebræos, ad Titum, et utraque ad Timotheum, quas Paulo abjudicabat; resecandi vero aut abjudicandi sola ratio fuit, quod his configerentur ejus errores. At repudiatis veris prophetis, novos, ut errori fidem conciliaret, supposuerat, eisque barbara nomina Barcabam et Barcoph imposuerat, quibus terrorem simplicioribus injiceret. Forte fictitius ille Barcoph, is est Parchor propheta, in quem expositionum libros scripserat Isidorus Basilidis filius et discipulus. Fragmentum quoddam ex primo desumptum exscripsit Clemens Alexandrinus [36], ex quo discimus familiarem fuisse Basilidianis librum alterum, quem Chami prophetiam appellabant.

116. A Simone, Menandro et Saturnino erroris argumenta mutuatus est Basilides; quæ tamen, ut nomen sibi faceret, alia ratione tractare, et majore cum pompa enarrare instituit, novis quibusdam additis fabularum portentis. Ea duntaxat hic commemorare satis erit, quæ a magistrorum doctrina dissidebant. Ab innato Patre Nun derivabat, tum ab hoc Logon, deinde a Logo Phronesin, seu Prudentiam, vel, ut apud Tertullianum legitur, Providentiam; a Phronesi autem Sophiam et Dynamin, hoc est Sapientiam et Potentiam. Ita Irenæus [37], Epiphanius [38], Theodoretus [39], et Tertullianus [40]. At Basilidis genealogiam integram non referunt. Nam ex Clemente Alex. lib. IV *Strom.*, p. 539: Βασιλείδης ἀποστατήσας (sic lego, non ὑποστατὰς), Δικαιοσύνην δὲ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν Εἰρήνην, ὑπολαμβάνει ἐν ὀγδοάδι μένειν ἐνδιατεταγμένας· *Basilides autem qui defecit, Justitiam et ejus filiam, Pacem, putat in ogdoade manere dispositas.* Nec dubium quin in prima sua conjugatione Ἔννοιαν seu Σιγὴν habuerit, masculosque cum feminis in ogdoade copulaverit, cum id disertis verbis asserant Gregorius Naz., Nicetas, et Elias Cretensis alibi citati; et magistrorum sententiam non conciderit, sed potius *in immensum extenderit*, ut loquitur Irenæus. Virtutes, Principes et Angelos in 365 classes, juxta cœlorum numerum, distribuebat (cœlos enim 365 fingebat: sic nimirum appellare placuerat orbes quos motu diurno sol percurrere videtur). Primam classem a Sophia et Dynami productam dicebat, quæ deinde primum cœlum et alios Angelos condiderit; a quibus factum secundum cœlum, et alios Angelos: ab his tertium cœlum, et alios itidem Angelos: et sic gradatim alios ab aliis productos Angelos et cœlos usque ad 365 et ultimum, quod nobis proximum est, cœlum. Ab Angelis vero qui posteriori præsunt cœlo (quorum princeps is qui Judæorum Deus dicitur), conditum inferiorem hunc mundum cujus regimen et imperium inter se partiti fuerint. Angelis porro illis omnibus barbara quædam nomina, quæ terrerent imperitos, imposuerat. Principem autem eorum ac supremum ducem Ἀβράξας, vel, ut scribit Epiphanius, Ἀβρασὰξ vocabat; de quo nomine vide quid in notis nostris diximus. At nusquam, quod sciam, Angelos illos appellavit Æones, unde mirari subit Hieronymum in supra citato *Dialogo* contra Luciferianos, scripsisse Basilidem, 365 *Æones commentatum esse:* Angelos enim ab Æonibus distinguebant.

117. Hæc fere sunt in quibus a magistrorum semitis declinaverat Basilides. Cætera perfecte consentiebant. Eadem utrisque de Christi adventu, ejusque causa, effectis, ac modo, sententia. Addebat tantum, non Christum ipsum, cujus phantasticum erat corpus, sed Simonem Cyrenæum, commutata cum Christo forma ac specie, ei suppositum, in crucem sublatum esse: quapropter eos solos ab Angelorum mundi conditorum potestate liberandos, qui alterum ab altero apprime distinguentes, crucifixum negaverint, illumque confessi fuerint, non qui crucifixus sit, sed qui crucifigi visus sit; eos proinde insanos esse, qui pro crucifixo martyrium subierint; utpote quibus nulla mortis quam in hominis gratiam obierint, merces futura sit. Ad eam distinctionem, impiis istis familiarem, haud satis attendisse videtur Clemens Alex. dum scripsit lib. IV *Strom.*, quod Basilides *hominem peccandi potestate præditum ausus esset dicere Dominum:* quod falsum videtur, si ad verum Christum referatur, quem ne hominem quidem esse fatebatur : utcunque ferri potest si de mentito Christo, nempe Simone Cyrenæo intelligatur, qui sub Christi specie ac figura cruci affixus fuit. Eadem etiam utrisque effrenata

[33] L. IV Hist., c. 7. [34] Hom. I in Luc. [35] Euseb., loc. cit., et Hieronym., in Catal. [36] Lib. VI Strom., p. 641. [37] Lib. I, c. 24, n. 3 et seqq [38] Hær. XXIV. [39] Lib. I, c. 5. [40] Præsc., c. 46, August., de Hær., et alii.

Digitized by Google

quidvis agendi licentia, morum corruptio, in flagitia quælibet præceps libido, et magicarum artium studia, imo et idololatriæ scelera; nam certis quibusdam imaginibus nefarium cultum adhibebant. Sed in nectendis dolis peritior cæteris, dissimulandi artem suis sedulo commendabat, neu sectæ suæ arcana, nisi paucissimis, iisque fidis ac certis usquam proderent, frequenter inculcabat : non multos siquidem ad hæc excipienda comparatos esse, sed vix unum e mille, et duo e decem millibus. *Date operam*, crebro ingeminabat, *ut omnia cognoscatis, nemo vero vos cognoscat* [61]. Quare ut tacere tutius discerent, Pythagoreorum more et instituto, his qui se in ipsius disciplinam tradebant, quinquennii silentium præcipiebat. Hinc negare fidem, quotiescunque se dabat occasio, minime dubitabant. Interrogati vero, Judæos quidem se esse negabant, Christianos vero nondum fuisse. Si cui martyrium obire contingeret, tantum abest ut id in singulari beneficio deputaret Basilides, quin potius pœnam esse contenderet, quam lueret ejus anima ob peccatum in alia vita patratum : honorificentiorem quidem iis quas pendunt aliæ animæ, domesticis suppliciis puniendæ; at pœnam tamen [62]. Nam animas ideo in hanc vitam detrudi censebat, quod in altera peccassent : imo belluarum aut avium corporibus prius interdum illigari, quam humanis. Quæ Platonis sententiam de animarum præexsistentia, peccato, et supplicio in corporibus luendo satis clare produnt, ut et μετεμψυχώσεως commentum, cujus primus auctor fuit Pythagoras, si Laertio [63] fides. *Primus* enim *sensit animam circulum necessitatis immutantem, aliis alias illigari animantibus.* At id ab Ægyptiis acceperat. Nam Herodotus, in *Euterpe*, Ægyptios primos hanc sententiam tradidisse ait. Consentiuntque Jamblicus, lib. I *De vita Pythagoræ*, cap. 5, et Photius, in *Bibliotheca*, p. 1004.

118. [LXII] Duas quoque in nobis animas statuisse Basilidem, sicut et Pythagoreos, testatum facit Clemens [64], alteram belluinam, alteram rationalem. Sed quis huicce dogmati subsit sensus, aperuimus de Valentino disserentes, scilicet duas animæ nostræ partes esse, sensum, quem nobiscum participant belluæ, et mentem, per quam ab iis differimus. Quæ Pythagoreorum sententia et explicatio erat, ut apud Laertium videre est p. 512, 513. Paulo obscurius quod ibidem scribit Clemens, Basilidis sectatoribus visum, perturbationes animi, quas προσαρτήματα vocabant, id est appendices, quosdam esse spiritus secundum substantiam appensos animæ rationali, habita ratione perturbationis cujusdam principalis; alias autem adulterinas, et diversi generis, spirituum naturas iis adnasci, ut lupi, simiæ, leonis, ursi, quibus anima proprietates brutorum animantium proprietatibus similes induit. His vero lucem affert trita veteribus non paucis Patribus sententia, vitia totidem esse dæmonia, quæ animam movent, perturbant, et ad malum impellunt. Audiendus Origenes, hom. 15 in Jesum Nave : *Unde mihi videtur* inquit, *esse infinitus quidam numerus contrariarum virtutum, pro eo quod per singulos homines sunt spiritus aliqui, diversa in iis peccatorum genera molientes. Verbi causa, est aliquis fornicationis spiritus, est iræ spiritus alius, est avaritiæ spiritus, alius vero superbiæ. Et si invenias esse aliquem hominem, qui his omnibus malis, aut etiam pluribus agitatur; omnes hos, vel etiam plures in se habere inimicos putandus est spiritus. Unde et per singulos plures esse credendi sunt; quia non habent singula singuli homines vitia, vel peccata committunt; sed plura ab unoquoque videntur admitti. Et iterum non est putandum, quod unus fornicationis spiritus seducat eum, qui, v. g., in Britanniis fornicatur, et illum qui in India, et in aliis locis : neque unum esse spiritum iræ, qui diversis in locis diversos homines agitet; sed puto magis principem quidem fornicationis unum esse; innumeros vero esse, qui in hoc ei officio pareant et per singulos quosque homines diversi spiritus, sub eo principe militantes, ad hujuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter et iracundiæ spiritum principem unum esse arbitror; innumeros vero esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines hujusmodi vitii peccata succendant. Similiter et avaritiæ unum esse principem; sic et superbiæ, et cæterorum malorum*, etc. Eadem habet ad Joannem VIII, 49. Plura alia eam in rem veterum Patrum testimonia refert Cotelerius in notis ad Hermæ *Past.* lib II, cap. 2. Jam, ni fallor, haud adeo operosum erit explicare, quid sibi vellent Basilidiani, cum animæ perturbationes definiebant, *spiritus quosdam secundum substantiam appensos animæ rationali, habita ratione perturbationis cujusdam principalis* : Πνεύματά τινα κατ' οὐσίαν προσηρτημένα τῇ λογικῇ ψυχῇ, κατά τινα τάραχον καὶ σύγχυσιν ἀρχικήν. Eamdem ipsis cum Origene sententiam fuisse puto: nempe spiritus malos seu dæmonia, quibus anima velut obsidetur, propositis inescantibus ac fallacibus objectis varias in ea perturbationes ciere; unum tamen esse in unoquoque homine ut principem dæmonem, cui cæteri famulentur, sic et affectum dominantem a quo reliqui pendeant, et a quo referantur. Hancque fuisse Basilidianorum mentem confirmat ipsummet Valentini testimonium, quod e quadam ejus epistola decerptum ibidem refert Clemens. Ille enim Basilidianorum appendices explicans, ait cor nostrum esse diversorio simile, in quo multi habitantes spiritus, id mundum esse non sinant; unumquemque autem eorum propria efficere opera, indecoris sæpe insultantem cupiditatibus. Quia vero duplicis generis affectus distingui possunt, alii magis spiritales, et, ut ita dicam, defæcatiores, quorum objecta a materia haud ita pendeant; alii crassiores, qui cæco ac prope belluino impetu ferantur in ea quæ materiæ

[61] Agrippa Cast. apud Euseb., l. IV Hist., c. 7. [62] Clem. Alex., Strom. lib. IV, p. 506; Origen., in Rom. v. [63] In Pythag., p. 499. [64] Clem. Alex., l. II Strom., p. 408, 409.

Digitized by Google

altius immersa, belluis magis quam hominibus congruant : idcirco Basilidiani sentiebant, affectibus humanis alios spirituum adnasci naturas ; quibus anima sui ipsius velut oblita, brutorum animantium proprietates induit.

V. *De Carpocrate.*

119. [45] Carpocrates, seu Carpocras, genere Alexandrinus, uxorem duxit nomine *Alexandriam*, gente Cephaleniam, ex qua filium suscepit Epiphanem, mali corvi malum ovum, novæ sectæ conditorem, de quo jam disseruimus. Tradit Eusebius [46], quasi ex Irenæo, Carpocratem iisdem cum Basilide vixisse temporibus. Quamvis apud Irenæum ne verbum quidem de Carpocratis ætate occurrat, non ideo tamen male ab Eusebio constitutam existimem. Cum hoc enim apprime consentit Epiphanius [47], nec repugnat Theodoretus [48], sub Adriano vixisse scribens. Ille vero affirmat Basilidis, Saturnini, Valentini, Colorbasi, Ptolemæi, Secundi et Carpocratis sectas eodem tempore prodiisse ; tantum Valentinianam aliis paulo recentiorem esse. Atqui Basilidem Joanni saltem apostolo supparem, nec Valentinum multo juniorem fuisse probavimus. Si igitur iisdem cum utroque temporibus scholam instituerit Carpocrates, Adriani initiis fecerit necesse est. Longe citius proinde in Orientis, quam in Occidentis partibus innotuit ejus hæresis : eam quippe huc detulit Marcellina quædam, quæ Romam, Irenæo teste [49], venit sub Aniceto pontifice, anno circiter 160.

120. [50] Platonicæ disciplinæ scientissimum fuisse Carpocratem, vel ex eo liquet, quod filii Epiphanis ab illo instituti magnum nomen inter Platonicos fuerit. Sed si forte plures hæresiarchas scientiæ laude, omnes certe morum pravitate superavit. Supremum quidem unum Principium, atque etiam Parentem omnium et incognitum, nec ullo nomine significatum, perinde ut cæteri, affirmabat : mundum vero, et quæ mundo continentur, ab Angelis esse facta, qui incognito illo parente longe inferiorem dignitatis gradum teneant, et ab eo defecerint. Jesum porro Dominum nostrum e Joseph et Mariæ consortio genitum, similem quidem natura reliquis hominibus exstitisse ; vitæ autem instituto, temperantia, virtute ac justitia præstitisse. Nempe cum firmiorem vegetioremque quam alii homines animam sortitus esset, tenacius ei adhærente pristina cum ingenito Deo περιφορᾷ, *circumlatione*, immissa in eam fuit ab eodem supremo Parente Virtus, quæ memoriam ante visorum refricaret, ut sic supernorum recordatione corroborata, conditores [LXIII] orbis Angelos effugeret, immissæque Virtutis beneficio actionibus omnibus quæ ab hominibus suscipi possunt, turpissimis etiam quibuscunque (horrendum!) ac scelestissimis defuncta, jam libera, solutis omnibus humanæ naturæ debitis, ad supremum Patrem evolaret. Neque vero animam Jesu duntaxat, sed et aliam quamcunque, quæ tantum valeat ut mundi fabricatores Angelos contemnere possit, vires desuper accipere, ut per easdem actiones progressione facta, functionibusque omnibus obitis quas Jesus obierit, et ipsa super opifices Angelos efferri possit, et ab universis expedita, sursum ad incognitum Patrem pervenire. Imo ea erat impudentissimorum hominum arrogantia, ut gloriarentur quidam non modo apostolis Petro et Paulo, et reliquis, sed et ipsi Jesu præcellere se, tum excellentia cognitionis, tum quod progressiones varias ac decursus cumulatius obiissent. Animas quippe omnes ex eadem περιφορᾷ esse ; et ideo eumdem, quem Jesus, contemptum Angelorum suscipientes, eadem vi ac virtute instrui qua per actionum omnium genera traducantur. Quod si reperiri aliqua possit quæ majorem quam Jesus contemptum suscipiat, ea ipsi demum antecellet.

121. Hoc igitur, hominum dicam an ferarum ? principium fuit, animas corporibus præexsistentes perfectionis culmen attingere non posse, nisi dissolutiori vita, nefandis turpitudinibus, omnique scelerum ac facinorum genere mundi conditores Angelos, audacius conculcatis omnibus eorum legibus, præceptis et operibus, spreverint : quo excusso jugo cœlestem libertatem obtineant, et sursum aspirare et evolare possint. Nihil quippe natura bonum aut malum esse, sed sola hominum opinione, qui ea esse bona aut mala censent, quæ legi vel repugnent, vel consentiant : sublata proinde lege, ab Angelis inique lata, omnia suapte natura promiscua haberi : solam vero fidem et charitatem ad salutem esse necessarias, reliqua omnia nihil conferre : eaque esse quæ Jesus apostolos suos et discipulos clam docuerit, mandavitque ut iis crederent, qui digni essent. Hinc conficta nova μετεμψυχώσεως species, ut anima quæ vel unicum flagitii genus in hac una præsenti vita prætermiserit, in aliud corpus detrudatur ; et si ne tunc quidem omnia perfecerit, vicissim in aliud, donec omni actionum genere perfuncta, nullinsque in hoc mundo debito actionis obligata, jam libera abscedat. Animas siquidem hinc migrantes, simul ac corporis vinculis exsolutæ fuerint, apprehendit unus ex mundi fabricatoribus Angelis, cui id muneris demandatum, et ad judicem deducit ; ubi si nondum omnia præstitisse convictæ fuerint, ab Angelorum Principe traduntur alteri Angelo sibi ministranti, qui eas in alia corpora retrudat.

122. Quid jam mirum si homines abominandis iis principiis imbuti, pecudum more viventes in infinita sese flagitiorum genera præcipites dederint, ac quidquid in arte magica teterrimum erat, impudenter exercuerint ? Parum fuisset, nisi Christianum sibi nomen assumentes, scelestissimæ suæ vitæ infamia Ecclesiam Dei respersissent. Nam ex

[45] Id., Strom., l. III, p. 428 ; Theod. I, 5. [46] L. IV, Hist., c. 7. [47] Hær. XXXI, § 1 et 2. [48] Lib. I, c. 5. [49] Lib. I, c. 25, n. 6. [50] Epiph., hær. XXVII, § 1 ; Ibid., § 2 ; Iren., lib. I, c. 25 ; Theod., l. I, c. 5.

Digitized by Google

profligata eorum vita similes esse Christianorum omnium mores judicantes ethnici, ab omnibus nullo discrimine habito abhorrebant, et ne quidem nomen ferre poterant. Alii tamen ab aliis non fide duntaxat et moribus, sed et signis quibusdam externis discriminari facile potuissent. Solebant enim Carpocratiani iis quos ad suam sectam fraudulenter pellexissent, candente ferro, vel novacula, vel acu notam quamdam ad imam auriculam imprimere. Ne vero a gentilium superstitionibus longius recederent, habebant imagines quasdam tum pictas, tum cælatas, quas Jesu effigies esse affirmabant a Pilato effictas, quo tempore ille inter homines agebat. His porro admiscebant celebriorum philosophorum, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, et aliorum imagines; omnes vero simul, servatis gentilium ritibus, adorabant.

123. Ex eo cultu confirmatur quod jam multoties diximus, summo apud Gnosticos in loco fuisse Pythagoram et Platonem, eorumque placita. Ea licet maximis impietatum monstris auxissent et interpolassent Carpocratiani, inter nebulas tamen identidem relucent. De mundi creationis hypothesi, de ignoto Deo, et abroganda lege per Angelos lata, nihil dicam : ipsissima siquidem Simonis doctrina est, Pythagoræ et Platonis institutis non male respondens. Quæ vero de anima humana comminiscebatur Carpocrates, Platonicam scholam per omnia fere sapiunt. Quemadmodum Platonici, auctore Jamblicho [81], duplicem uniculque homini tribuebant animam, alteram *a primo intelligibili, quæ participat de potentia opificis*, ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ μετέχουσαν καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως· alteram quæ nobis advenit ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ ψυχή, *ex circuitione cœlestium mundorum, in quam anima Dei speculatrix se inserit;* sic et Carpocrates duas uniuscujusque, justi saltem, hominis velut animas distinguebat; alteram quæ ex περιφορᾶς, *circumlatione* incogniti Dei, id est, nisi me fallit conjectura, ex supremo orbe seu cœlo, aut Pleromate in quo summus Deus inhabitat, descenderit; alteram, quæ in hanc sese insinuaverit; supernam videlicet virtutem ei immissam, ut corroboretur, et incogniti Dei recordari valeat. [82] Ex Platonicis, prior anima mundorum obtemperat motibus, et fato subjacet; ex Carpocratianis, Angelorum mundi opificum, si sola sit, imperium subit : ex illis posterior γενεσιουργοῦ motioni supereminet, quia habet in se principium proprium τῆς εἰς τὸ νοητὸν περιαγωγῆς, quo possit ad intelligibile convertere seipsam, et a rebus factis eximere, ac ordinem mundanum supergredi. Ex his, Angelorum mundi conditorum jugum excutit, rebus omnibus factis dominatur, ac demum vinculis exsoluta ad supremum Patrem evolat. Hæc tam apte sibi respondent, ut gutta guttæ similior non sit. Platonis in *Phædro*, *Timone*, *Epinomide*, et alibi, doctrina est, animas nostras diu antequam corpora ingrederentur, convivio deorum assedisse, divinasque dapes gustasse; videlicet veritatis contemplatione nutritas fuisse, verorumque entium conspectu recreatas : tum confractis binis alis, quibus ad supera ferebantur, fatiscente nimirum intellectus et voluntatis propensione in veritatem et bonitatem divinam; illius vero, qui in corpora generanda et animanda inclinat, instinctus pondere abreptas, in ea delabi : ubi ratiocinationis ope fractas recuperant alas, paulatim scilicet recordatæ eorum quæ olim viderunt Deo junctæ; et tunc hæc inferiora [LXIV] despicientes, reflecti ad vera entia quæ sunt sursum. Quæ si jugi rerum cœlestium meditatione, laudabilique rationis usu supernorum olim sibi visorum memoriam redintegraverint, solutis demum corporis vinculis sursum evolare, astrum aliquod recturas, beatamque vitam acturas. Si vero corporibus altius immersæ, rationem elanguescere, et pravorum affectuum nebulis obrui siverint, ad superna nusquam respicientes; has in peccatorum pœnam in muliebria corpora primum, tum in belluina, si non resipiscant, detrudi : donec excitata ratione, pravisque affectibus purgatæ, cœlestium memores ad primum optimumque sui habitum jam redierint. Eamdem porro Carpocratis sententiam esse, cuilibet alteram cum altera conferenti perspicuum evadet. Eadem apparet utrobique animarum origo cœlestis; eadem præexsistentia, rerumque superarum contemplatio, corporum ingressu antiquior; eadem animarum purgatio, pristinorumque memoriæ recuperatio per rerum inferiorum contemptum; eadem revolutio per diversa corpora, ac tandem in pristinum statum restitutio. Tantum Carpocrates sub nomine Christiano longe deterior Platone ethnico, rerum inferiorum contemptum eo modo interpretatur, quem erubuisset Plato; causamque iteratæ revolutionis animarum refundit in turpissimi alicujus facinoris omissionem, quam ille in pravos affectus et perversum rationis usum rejicit.

124. Pythagoreum etiam erat quod fingebat Carpocrates, Angelo cuidam id muneris demandatum fuisse, ut animas hinc migrantes ad Principem deducat, ab eo, si quidpiam prætermiserint, puniendas. Nam, Laertio teste [83], hoc ipsum officium erat quod Mercurio tribuebat Pythagoras : adeo ut eamdem omnino fabulam, mutatis duntaxat nominibus, recoxerit Carpocrates. Aiebat ille, Mercurium animarum ταμίαν, quæstorem esse, atque adeo ductorem dici, quod is ex corporibus animas, puras quidem ac purgatas in excelsum ducat, impuras vero Furiis tradat, infractis nexibus vinciendas. Hinc Horatius 1, Od. 10:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coercens
Aurea turbam.

[81] Sect. VIII, c. 6. [82] Idem, c. 7. [83] In Pythag., p. 514.

Digitized by Google

VI. *De Cerintho.*

125. Cerinthus si non natione, saltem religione Judæus, apostolorum temporibus, imo ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, si Epiphanio [54] fides, erupit. Eum enim fuisse putat, qui fideles adversus S. Petrum, quod Cornelium Centurionem baptismo dignatus fuisset, concitavit; eumdem illum, qui perperam commendata veteri lege Ecclesiam Antiochenam turbavit. Cerinthianos denique fuisse qui præpostero legis studio, toties apostolis, præsertim D. Paulo, invidiam conflarunt, quos in Epistolis suis hic sæpius perstringit. Verum repugnare videtur Irenæus scribens [55], *multo prius inseminatum* fuisse Nicolaitarum quam Cerinthianorum errorem: nec sibi ipsi satis consentit Epiphanius, Cerinthum Carpocrate posteriorem fuisse significans, qui, ut paulo ante vidimus, non nisi Adriani imperii initiis prodiit. At antiquiorem esse Cerinthum, et sub Domitiano suam hæresim condidisse, vel illud demonstrat, quod a Polycarpo traditum accepisse se testatur Irenæus [56] et post eum Eusebius [57], Epiphanius [58], Hieronymus [59], Theodoretus [60] et alii, Joannem apostolum Ephesi in balneum lavandi causa ingressum, cum certior factus esset Cerinthum intus esse, actutum ex eo loco se propipuisse: ne balneum, inquiebat, in quo Cerinthus veritatis hostis commoratur, subito concidens, nos opprimat.

126. Eum in Ægypto primum diutius versatum, philosophiæ (Platonicæ certe, quæ ibi tum temporis florebat) operam dedisse, deinde in Asiam venisse, ibique longe lateque impietatem suam propagasse, auctor est Theodoretus [61], cui consentit et Epiphanius [62]. Nova ex eo secta prorupit, dicta Cerinthianorum, vel Merinthianorum; sive quod Cerinthus pariter et Merinthus vocaretur; sive quod Merinthum quemdam adjutorem et socium habuerit: quod dubium et soli Deo notum esse fatetur Epiphanius [63]. Scriptum fuisse a Joanne Evangelium, partim ut Cerinthi errores refelleret, tradit Irenæus. Hominum igitur insulsissimi, qui, Philastrio teste, Evangelii hujus auctorem Cerinthum ipsum fuisse autumabant. Solum enim Matthæi Evangelium, idque Christi genealogia decurtatum, repudiatis tribus aliis, rejectis etiam Actis apostolorum, omnibusque Pauli Epistolis, probabant, si Philastrio [64] et Epiphanio [65] fides est. Nonnihil tamen vereor, ut uterque Cerinthianos cum Ebionitis confuderit. Soli siquidem ex veteribus id illis ascribunt, quod his constanter tribuunt alii; nec videtur id ab Irenæo Cerinthi errores referente omissum iri, quod Ebionitarum dogmata recensens adnotare non neglexit. Accedit quod Epiphanius secum ipse pugnare videatur. Nam hær. XXX, § 14, conceptis verbis asserit, Carpocratem et Cerinthum Matthæi Evangelio fretos, ex ejus initio, Christique genealogia probare niti, Christum ex Josephi et Mariæ semine procreatum fuisse. Ebionæos econtrario omni illa genealogia amputata, ab aliis verbis Evangelii initium deduxisse. Igitur Matthæi Evangelium genealogia non decurtabant Cerinthiani, e qua argumenta contra virginitatem Mariæ petere se posse sibi persuadebant. Ac proinde aut hic aut illic memoria defecerit Epiphanium necesse est. Illic potius quam hic defecisse crediderim. Testatum facit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium [66], quosdam fuisse qui Cerinthum auctorem esse existimarent Apocalypsis, quam Joannis esse certissime credit Ecclesia. Haud dubie quia et ipse apostolum sese venditans, spuriam Apocalypsin scribere ausus fuerat: id quippe disertis verbis asserit Theodoretus [67]; huncque sensum facile admittunt Caii presbyteri verba apud eumdem Eusebium [68]. Ediderat etiam, Theodoreto teste, ἀπειλῶν τινων διδασκαλίας, *quarumdam minarum doctrinas;* qui liber an ab Apocalypsi diversus esset, non satis constat. Illud certius, Cerinthum in sua Apocalypsi prima Chiliastarum seu Millenariorum erroris fundamenta jecisse: quo fingebat post humanæ carnis resurrectionem, futurum terrenum Christi regnum, et Hierosolymis homines carnis cupiditatibus et voluptatum illecebris servituros, milleque annos in nuptiarum festis et celebritate [LXV] consumpturos. Cui quidem errori occasionem præbuisse videntur (ut nihil de Joannis Apocalypsi dicam) prophetarum de Messiæ regno vaticinia; quæ cum ad litteram intelligenda, cum Judæorum vulgo mundanum regnum exspectante, sibi fingeret homo pinguiori Minerva, et ita nondum impleta, in eam successit opinionem, implenda illa esse post resurrectionem. Forte etiam materiam subministravit Platonis commentum de magno anno. Vult enim, post 36 annorum millia innovandum esse mundum; tuncque fore sæculum aureum. In eumdem errorem, sed corporearum voluptatum fæcibus expurgatum, cum imprudens incidisset Papias Joannis auditor, aliis postmodum e SS. Patribus non paucis lapsus occasionem ministravit. Sed de his alias.

127. Eadem fere Cerinthi, quæ Simonis, Menandri et aliorum Gnosticorum somnia fuere. Deum summum a Creatore mundi ita distinguit et natura et sede, ut hic Virtus sit infinite ab illo distans, ejusque prorsus ignara. Unde sequitur Deum nullam hujus mundi curam egisse, nec legem dedisse; sed Angelum ut mundi conditorem, sic et legis auctorem, et Judæorum Dominum fuisse: quæ Simonis, Menandri et Carpocratis deliria fuerunt, quæ Tertullianus [69], vel alius quivis, et Epiphanius [70] diserte Cerintho tribuunt. Et tamen vult Epipha-

[54] Hær. XXVIII, § 2. [55] L. III, c. 11, n. 1. [56] L. III, c. 3, n. 4. [57] Lib. III, c. 28. [58] § 2, 4. [59] In Cat., c. 9. [60] L. II, c. 3. [61] Id., ibid. [62] § 6. [63] § 8. [64] Lib. de Hær. [65] § 5. [66] Lib. VII, c. 25. [67] Lib. II, c. 3. [68] Lib. III, c. 28. [69] De Præscr., c. 48. [70] § 1.

Digitized by Google

nius, Cerinthum tam incenso veteris legis promovendæ studio flagrasse, ut apostolis passim et ubique restiterit, insusurrataque Christianorum auribus circumcisionis, adeoque et Judaicorum rituum necessitate, gentilium Ecclesias conturbarit. Hæc certe secum aperte pugnant; ipseque agnoscit Epiphanius. Quare et hic vereor ut memoria lapsus, aut inconsiderantia offenderit, et Augustino ipsi offendiculum præbuerit; res dissociabiles, Ebionitarum videlicet et Cerinthianorum hæreses miscendo. Irenæus siquidem, Tertullianus et Theodoretus, accuratissimi scriptores, Cerinthi errorum catalogum texentes, intempestivi illius in veterem legem studii ne verbo quidem meminere; cujus tamen Ebionæos arguere non omiserunt. Fateor equidem, nihil mirum esse si hæretici imprudentes a seipsis dissideant. Veritas cum una et eadem sit, sola sibi constat; sed quod tam aperte secum pugnent, ut scientes et volentes una manu dissipent, quod altera strùxerint, illiusque legis necessitatem urgeant, cujus jugum ab iniquis Angelis, et in Deum rebellibus contra fas impositum, excutiendum esse palam et ubique docent, vix fidem apud sobrios obtinet. Eam autem esse debuisse patet Cerinthi hypothesim, ut ex consequenti veterem legem spreverit, illiusque observantiam omnem procul a veris Gnosticis amandandam esse censuerit, ex quo Simonis et Carpocratis vestigia relegens cum ipsis asserit, hanc ab inferioribus Angelis supremi Patris ignaris positam esse, et ad unam ignoti Dei cognitionem salutem retulit. Nec omittendum, apud Tertullianum hoc ipsum Ebionæis ascribi, quod Epiphanius Cerinthianis tribuit, scilicet quod his Christi verbis apud Matthæum [71]: *Nemo discipulus super magistrum, nec servus super dominum: sufficit discipulo si sit sicut magister ejus;* illi abuterentur, ut circumcisionis ac veteris legis necessitatem ex Jesu Christi exemplo commendarent: quippe qui utrique seipsum subdiderit. Adeo ut hinc suspicio firmetur, Epiphanium inter Cerinthianos et Ebionæos non satis accurate distinxisse.

128. Suum fuisse Cerintho, sicut et Nicolaitis, aliisque Gnosticis Pleroma, supremi Patris ac Sigæ, aliarumque Virtutum *invisibilium et innominabilium* sedem, asseverant Irenæus [72] et Gregorius Nazianzenus [73]. Ab illo Patre Monogenem, ab hoc Logon derivabat: adeo ut dubitare fas non sit, quin primam ogdoada cum cæteris Gnosticis admiserit [74]. Jesum vero mundi conditoris Filium, eumque purum hominem, ex Josephi et Mariæ satu natum, more cæterorum hominum, dicebat; cum hoc tantum discrimine, quod justitia, sapientia et prudentia aliis hominibus præcelluerit. In hunc vero, cum baptismum suscepit, delapsum a summo Deo esse Christum, sub columbæ specie; qui ei incognitum Patrem, et per eum reliquis hominibus patefecerit, ac miraculorum, quæ patravit, auctor fuerit. Tempore autem passionis recessisse Christum, et eo revolasse unde venerat; Jesum vero solum et obiisse mortem, et a mortuis excitatum fuisse; Christo, utpote spiritali, pœnæ omnis experte. Carpocratiana hæc omnia; a Simonianis vero in eo recedunt, quod Jesu verum corpus humanum attribuatur; sed purus homo cum statuatur, quem transiens duntaxat divinitatis radius illustravit; utrobique meritum omne Christi passionis et mortis evanescit. Sed ex modo dictis facile deprehendes quo sensu Epiphanius [75] ex Cerinthi mente scripserit, passum ac crucifixum esse Christum. Nisi mendum in textum irrepserit, ac pro Χριστόν legendum sit Ἰησοῦν, palam est hic *Christi* vocem non Cerinthianorum sensu usurpari, qui Christum a Jesu distinguebant, sed Catholicorum qui promiscue utramque vocem accipiunt, quod unus et idem sit, unaque et eadem persona Christus et Jesus. Sed quod addit Epiphanius [76], (cui consentiunt Philastrius et Augustinus), nondum a mortuis excitatum esse Jesum, sed tum demum, cum mortui resurgent omnes, excitandum; vix stare potest cum iis quæ modo ex Irenæo, imo ex ipso Epiphanio retulimus, mortuum esse Jesum, et a mortuis suscitatum. Nisi forte dicamus, hanc, non Cerinthi ipsius, sed quorumdam e discipulis sententiam fuisse; qui Millenariorum errore a magistro imbuti, nulla præ cæteris singulari prærogativa Jesum donatum vellent; sed tum tantum a mortuis excitandum, cum alii omnes suscitandi essent. Idque innuere videtur Epiphanius, ut et Cerinthianos aliquos mortuorum resurrectionem funditus negasse; quos proinde de terreno Christi regno secus ac magistrum sensisse consequens videtur. Quod Judam proditorem honoraverit Cerinthus, solus memorat Philastrius, e veteribus nemo alius.

VII. *De Ebionæis.*

129. Sentire videntur Origenes [77] et Eusebius [78], Ebionæorum nomen, ab Ebione quodam sectæ principe derivatum esse, ut plurimi asserunt, sed merum cognomen esse iis hæreticis inditum, qui merum hominem esse Christum arbitrati, humiliter admodum atque abjecte de eo sentiebant, *Cujus rei causa*, inquit Eusebius, *Ebionæorum nomen sortiti sunt, quo intelligentiæ illorum inopia satis indicatur. Sic enim mendici apud Hebræos vocantur.* Eadem fere Origenis verba sunt. Alii tamen [LXVI] vulgo, sed his recentiores, quorum dux Epiphanius, repugnant, affirmantque tenebricosum quemdam Ebionem exstitisse qui cognominis sectæ auctor fuerit. Mirum tamen, Irenæum nostrum, qui veterum omnium sectarum Gnosticarum principes, ubi certi fuerunt et noti, nominare nusquam neglexit; Ebionis illius, ubi Ebionæorum errores refert, ne

[71] Cap. x, 24. [72] Lib. III, c. 11. n. 1. [73] Orat. 23. [74] Iren., lib. I, c. 26, n. 1; Epiph. § 1; Theod., lib. II, c. 3, etc. [75] § 6. [76] Id., § 1. [77] Origen., lib. IV De princ. [78] Euseb., lib. III, c. 27.

Digitized by Google

meminisse quidem. Quidquid sit, veteri fama ad se perlatum scribit Epiphanius [79], Ebionem post excidium Hierosolymitanum, cum Christiani trans Jordanem in urbem Pellam, vicinasque regiones sese recepissent, in vico Cocabe male concepta dogmata propagare cœpisse; indeque in Asia, Romæ etiam et in insula Cypro disseminasse [80]. Vulgata apud veteres sententia est, Joannem scripsisse Evangelium, ut hydram nascentem suffocaret: quod cum anno circiter 97 scriptum fuerit, necesse est antea erupisse e latebris Ebionem.

130. [81] Si Cerinthi auditor fuerit, a magistri sententia longius discessit. Error ejus præcipuus fuit, quod veteris legis studiosus observator, hanc, sed pluribus superstitionibus, Samaritanorumque ritibus intermistam, cum Christiana fide consociandam esse pertinaciter assereret. Mundum a Deo conditum non negabat. De Jesu Christo autem non una erat Ebionitarum opinio. Purum hominem fuisse, non Deum, consentiebant omnes. Alii quippe fatebantur eum e Virgine natum esse; sed negabant ante hanc nativitatem exstitisse Deum, ac Dei Verbum et Sapientiam. Alii cum Ebione dicebant, eum ex Josephi et Mariæ consortio, more cæterorum hominum, esse genitum, sanctitatemque bonis operibus acquisivisse sibi. Et hæc communior erat Ebionæorum sententia, quam ipsis tribuunt Irenæus [82] et Tertullianus [83], Eusebius [84] et Theodoretus [85]. Indeque eruendam esse puto explicationem istorum Irenæi verborum: *Ea autem quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur;* si tamen genuina sit lectio, nec expungenda sit particula negativa. Ut enim hic omittam quod in notis ad hunc locum observavi; quamvis Cerinthus et Carpocrates Jesum ex Josepho et Maria more aliorum hominum genitum esse vellent, non tamen opinabantur eum bonis operibus sanctitatem, sanctitudinisque conferendæ vim acquisivisse sibi; sed delapsam in eum supernam Virtutem a Deo, sanctitatem ipsi ac per ipsum aliis impertiisse, vimque patrandi miracula. Ebionæi vero nihil simile commenti, nec fictitium illum Christum desuper accersentes, simplicius statuerunt Jesum merum hominem fuisse, cujus una fuerit præ cæteris hæc prærogativa, quod bonis operibus studiosius incumbens, majorem sibi sanctitatem comparaverit. Sic inter utrosque non leve stat discrimen, ut merito scribere potuerit Irenæus, *non similiter opinari.*

131. [86] Ex Novi Fœderis libris nullum, præter Evangelium Matthæi, illud videlicet quod Hebraice scriptum, secundum Hebræos dicebatur, idque primis duobus capitibus mutilatum, ac pluribus in locis depravatum, recipiebant. Cætera Evangelia non magni faciebant, τῶν λοιπῶν σμικρὸν ἐποιοῦντο λόγον, ait Eusebius [87]. Si [88] tamen Mario Mercatori fides, Marci et Lucæ auctoritate interdum usi sunt; cum videlicet id e re sua esse existimabant, ut Catholicos, si possent, propriis armis debellarent. Non tantum Pauli Epistolas respuebant, sed varia in ipsum convicia jaciebant. E Veteri Testamento *quæcunque prophetica erant*, cæteris *curiosius exponere nitebantur*, inquit Irenæus; id est, si bene conjiciam, in varias vanasque allegorias, pro hæreticorum more, trahebant. Plura apostolis supponere veriti non fuerant adulterina scripta. Alia apostolorum Acta circumferebant, et *Petri Circuitus*, seu libros *Recognitionum*, quibus falso inscriptum Clementis Romani nomen, fœde corruperant. Circumcisionis, legaliumque necessitatem sic urgebant, ut sine illis cum sola fide Christiana salutem obtineri non posse contenderent; sed legalia, ut dixi, variis, iisque ridiculis superstitionibus miscebant. Ii sunt potissimum quorum fervidius, imo sæpe et furens studium, passim perstringunt ac coercent apostoli, Paulus præsertim in Epistolis. Baptismo suos initiabant, quem, Hieronymi [89] saltem ævo, catholica non improbat Ecclesia. Mysteria vero quotannis celebrabant, in quibus panes azymos, et ad alteram mysterii partem aquam adhibebant. Significare tamen videtur Eusebius [90], ea mysteria, non quotannis, sed singulis Dominicis diebus ab iis fuisse celebrata. Nam, inquit, Sabbatum et reliquam Judaicam institutionem similiter cum Judæis observant; dies vero Dominicos pari nobiscum ratione in resurrectionis Salvatoris nostri memoriam recolunt. Plura alia de Ebionitarum erroribus, pravisque consuetudinibus ac moribus videre est apud Epiphanium, quæ cum nihil aut parum ad scopum nostrum conferant, nullaque expositione indigeant, consulto prætermitto. Observet tantum studiosus lector, Epiphanium non satis accurate distinxisse inter priorum et posteriorum Ebionitarum errores, eosque permistim omnibus tribuisse, qui tamen in priores non conveniant, sed in posteriores duntaxat: ab his siquidem illorum hypothesim novorum dogmatum et superstitionum accessione interpolatam fuisse puto: et in eo fere solo priores peccasse, quod Judaicis cæremoniis, ritibus ac superstitionibus ultra modum addicti essent, et de Christi persona humilius sentirent. Et ea ratione eos Gnosticorum catalogo inserit Irenæus; non quod Æonum chimæris mentem pasti fuerint; sed quod in Christo Jesu nihil nisi humanum, nihil substantia divinum agnoscentes, Verbi Incarnationem e medio tollerent, Christique passionis meritum omne funditus everterent.

[79] Hær. xxx, § 2. [80] Id., § 18; Hieron., de Vir. ill. [81] Philastr. Iren., l. I, c. 26, n. 2; Euseb., l. III, c. 27; Origen., in Cels., l. V; Euseb., loc. cit. [82] Epiph., § 3; Iren., l. III, cap. 21, n. 1. [83] Lib. de car. Chr., c. 14. [84] Lib. VI, c. 17. [85] Lib. II, c. 1. [86] Iren., lib. I, c. 26. n. 2. [87] Lib. III, c. 27. [88] Theod., loc. cit.; Epiph. § 5, 13, 16. [89] In Lucif., c. 9. [90] Lib. III, c. 27.

Digitized by Google

VIII. *De Nicolaitis.*

132. Nicolaitas a Nicolao, uno e septem prioribus diaconis, quorum mentio fit in Actis apostolorum [91], nomen traxisse, communis omnium sententia est; si unus excipiatur Cassianus [92], qui nulla veterum auctoritate fretus existimat, eos ab alio quodam Nicolao et nomen et originem accepisse. An vero Nicolaus ille diaconus propudiosæ Nicolaitarum sectæ fundamenta jecerit, jam in diversa scinduntur opiniones. Alii eum culpa teneri, alii vacare sentiunt. Et quidem Nicolaum primum erroris auctorem et magistrum exstitisse, diserte asserunt Irenæus [93], vetus auctor Additamenti quod ad calcem Tertulliani libri *De præscript.* [94] legitur, Hippolytus apud Photium [95], Hilarius [96], [LXVII] Gregorius Nyss. [97], Philastrius, Hieronymus [98] et Gregorius Magnus [99]. Lapsus occasio fuit, si Epiphanium audiamus [1], hominis intemperantia, continentiæ propositi, quod susceperat, minime tenax. Cum enim uxorem haberet, eleganti specie mulierem, a qua aliquandiu sibi temperasset; continentiæ longioris impatiens, ad pristinos amplexus rediit. Ut autem probrosum facinus quæsitis coloribus obduceret, libidinem procacitate cumulans, docuit : *Nisi quis singulis diebus luxuriæ vacet, sempiternam salutem consequi non posse.* Tum zelotypia incensus, et inde in nova scelera prolapsus, Nicolaitarum ac Gnosticorum sectæ initium dedit, e quibus plures aliæ, quarum obscura vel prorsus ignota nomina, novis additis errorum ac spurcitiarum monstris, scaturiere. Qui vero Nicolaum a culpa liberant, nec ipsi pauci sunt, nec infimi in Ecclesia nominis. Agmen ducit Clemens Alexandrinus [2], quem sequuntur Eusebius [3], Theodoretus [4], Augustinus [5], Victorinus Petavionensis [6] et alii : inter quos recenseri posset Ignatius in epistolis ad Trallianos et Philadelphienses, si ea quæ in Nicolai gratiam adducuntur testimonia, ex genuinis, non vero ex interpolatis epistolis depromerentur. Illi omnes censent, hæreticos Simonianos, ut auctoritatem sibi ex magno nomine conciliarent, Nicolao calumniatos, eo auctore gloriatos fuisse, arrepta perperam occasione ex facto quod Clemens Alexand. [7] longe aliter atque Epiphanius narrat. Ait nempe, audiisse se, Nicolaum, ut ab objecta sibi ab apostolis zelotypia purgaret sese, uxore, quæ formosa erat, in medium adducta, permisisse cui vellet ei nubere. Inde vero, quasi uxorem publice prostituisset, ejusque promiscuum usum quibuscunque permisisset, occasionem captasse hæreticos laxandi frena libidini. Nicolai vero hunc unum fuisse scopum, ut a se amoliretur suspicionem A zelotypiæ, palamque faceret se ita affectum esse, ut, si fas esset, abdicata uxore, cuivis eam ducendi potestatem largiri paratus esset. Quod quidem vel ex eo demonstratur, quod a conjugali fide nunquam resiluerit, et ex ejus liberis filiæ consenuerint virgines, filius autem cælebs vitam egerit. Alio Nicolai apophthegmate abutebantur hæretici, scilicet, *Carne abutendum esse :* quo tamen id unum significare animus fuerat, carni haudquaquam indulgendum esse, sed eam perdomandam, et assidua virtutis exercitatione frangendam. Sua stat utrique parti auctoritas, graviaque utrinque militant rationum momenta. Nicolaum damnat Irenæus vir apostolicus, absolvit Clemens hujus coævus; uterque ex iis quæ ab apostolorum discipulis auditu percipere potuerat; adeo ut hic alterutrius fides elevari non debeat. Tutius igitur, ne temere definiamus, rem in medio relinquere. Illud vero certissimum est, Dei ipsius ore damnatos fuisse Nicolaitas. Sic enim in Apocalypsi [8] Christus episcopum Ephesinum alloquitur : *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Ac proinde tum temporis Ecclesiam devastabat ea secta. Cito exstinctam putat Eusebius [9]. Probabilius, non ipsam sectam exstinctam, sed sectæ nomen duntaxat exstinctum esse. Cum enim scelestissimum quid, adeoque et exsecrandum, catholicis auribus sonaret; eo deposito novus excogitatus Gnosticorum titulus, qui ementita scientiæ laude fucum faceret imperitis.

133. Dogmata Nicolaitarum theoretica recensere supervacaneum duxit Irenæus : eadem quippe fuisse quæ cæterorum Gnosticorum perspicue innuit lib. III, cap. 11, ut jam de Cerintho agentes observavimus. Ea fusiori stylo prosecutus est Epiphanius [10], compendio vero retulerunt Augustinus [11] et Pseudo-Tertullianus [12]. Sed quæ ii Nicolaitis ascribunt, ipsa sunt quæ paulo post tribuit Irenæus Gnosticis in genere. Cum autem eo nomine præ cæteris gloriarentur Nicolaitæ, illudque forte primi omnium sibi vindicassent, non dubitem quin in eos potissimum conveniant quæ in Gnosticos illic refert auctor noster. Sed de his suo loco. Practica vero dogmata paucissimis verbis, sed efficacissimis perstrinxit idem Irenæus : *Indiscrete vivunt,* inquit, id est promiscua eis sunt omnia : quod ad Carpocratis principium redit : nihil suapte natura bonum esse aut malum, sed indifferentia omnia. Nihil mirum itaque si idolothytis vesci, et fornicari (quibus characteribus designat eam sectam Christus [13], nulla eis religio esset. Uno verbo tam effrenis fuit in omni intemperantiæ genere eo-

[91] Cap. VI, 3, 5. [92] Coll. 18, c. 16. [93] Lib. I, c. 26, n. 3. [94] C. 47. [95] Cod. 232. [96] In Matth. c. 25. [97] L. XI, ep. 1. Eunom. [98] In epist. ad Heliod. et Sabinian. Diac. [99] Hom. 38 in Evang. [1] Hær. XXV, § 1. [2] L. III Strom., p. 436. [3] L. III, c. 29. [4] L. III, c. 1. [5] Hær. V. [6] In Apoc. in Biblioth. PP. [7] L. II Strom., p. 411. [8] Cap. II, 6. [9] Lib. III, c. 29. [10] Hær. XXV. [11] Hær. V. [12] De præsc., c. 47. [13] Apoc. II, 14.

Digitized by Google

rum libido, ut Pseudo-Tertulliano pudor fuerit dicere.

IX. *De Cerdone.*

134.[14] Cerdon Marcionis præceptor e Syria oriundus fuisse videtur. Nam e Syria Romam venisse, Hygino Romanam Ecclesiam regente, eodem pene tempore quo Valentinum, id est circa annum Christi 141, constanter affirmant omnes antiqui. Ibi dolos erroribus miscens, modo catholicam fidem professus, modo abjiciens, modo pœnitens, modo apostata, sic Prothei instar mutata sæpius forma, nullius tenax, Ecclesiam diu fatigavit; donec tandem iteratorum lapsuum pertæsa impostorem sacris fidelium cœtibus in perpetuum arcuit. Illic, Irenæo teste, erroris materiam ab iis qui sunt erga Simonem, id est a Simone, Menandro, Saturnino, aliisque Gnosticorum coryphæis accepit, cui tamen, ut novum quid proferre videretur, paulo diversam formam induxit. Duo rerum principia, duosque deos statuit; Bonum alterum, et ignotum omnibus, quem et Patrem Jesu nominavit; alterum mundi Conditorem, justum, immitem et cognitum, Mosaicæ legis auctorem, qui et prophetis apparuit, ac se videndum sæpenumero præbuit. Hæc si quid a Simonis dogmatibus discrepant, in verbis tantum hæret pugna. Nam quamvis ille ab angelis conditum mundum, veteremque legem sancitam asseruerit; tamen ejus successores peculiarem creatorem et legis auctorem introduxerunt, quem alii Demiurgum, alii Jaldabaoth vocabant; omnes Deum esse, suo modo, dicebant, tum quod sæpius eo nomine venisset in Veteri Testamento, tum quod supremum sibi in res inferiores vindicasset imperium. At verum Deum, nisi in apertam insaniam prolapsi insitam mortalibus omnibus divinitatis ideam exstinxissent, fateri non poterant, ex quo creatum, a summo Deo debellatum, et imperio, quod sibi male usurpaverat, exturbatum esse aiebant. Idem igitur re fuit Simoni et Cerdoni mundi fabricator, Angelus videlicet, isque iniquus ac tyrannidem exercens; idem summus Deus et Pater, qui usque ad Christi Domini tempora ignotus manserit. Eadem proinde ejusdem hypothesis consectaria, scilicet rejectaneam [LXVIII] esse veterem legem, ut a vero Deo alienam; mortuorum resurrectionem nullam esse; Christum Mariæ Filium non esse, sed ementita carnis specie vestitum e cœlo descendisse, ut mundi opificis imperium ac tyrannidem everteret. Quæ dogmata utrique ex æquo tribuunt auctores.

X. *De Marcione.*

135. Quotquot ex antiquis Marcionis meminere, eum et Cerdonis discipulum ac successorem, et Ponticum genere fuisse tradunt. Addit Epiphanius[15], frequentem de eo famam percrebuisse, ex ea Ponti parte quæ Hellespontus dicitur, urbe Sinope oriundum fuisse, ac parente natum catholicæ communionis episcopo. Nautam vocat Rhodon apud Eusebium[16], nauclerum Tertullianus[17]: an quod artem nauticam primitus exercuerit? an quod uterque ludens in voce *Pontus*, Marcionis patriæ nomine, quæ et Asiæ regionem, et mare significat, illum nautam aut nauclerum vocet, quasi marinum hominem, in mari natum? Forte hanc fuisse Tertulliani, ejusmodi argutiarum amantissimi, mentem deprehendet quisquis libri primi *contra Marcionem* initia attente legerit[18]. In virginitate primum, hominum contubernium fugiens, μονάζων (non monachorum instituta, quæ nondum nota, professus, ut minus attentus vertit Petavius), laudabiliter vixit. Sed cum postea ob stuprum virgini illatum, Ecclesia ab ipso patre, episcopo cum primis religioso, ac veritatis et sanctitatis amore flagrantissimo pulsus, veniam et pacem eblandiri nullis precibus posset (procul dubio quia sincerus ex delicto dolor non erat), Romam se post Hygini papæ obitum contulit. Cumque nihilo magis illic quod cupiebat obtineret a presbyteris, vacante tum, uti conjicio, sede, quod inscio Patre facere istud Ecclesiæ leges non sinerent; superbia et invidia fractus, quod nec principem illic locum, nec Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad Cerdonem se adjunxit. Quem principem locum, προεδρίαν, in Ecclesia Romana ambiret Marcion, incertum omnino. Nisi forte jam inter clericos ascriptus, reumque se stupri præfracte negans, ad primum inter æquales gradum aspiraret. Neque enim probabile est, hominem externum, vixque notum, sacris omnibus interdictum, ac proinde gravi saltem perpetrati criminis suspicione laborantem, adeo desipuisse, ut ad episcopatum ipsum animum adjiceret. Vult quidem Optatus Milevitanus[19] Marcionem ex episcopo apostatam factum; sed qui episcopus is esse potuit, qui solitariam vitam usque ad lapsum egit?

136. Certum est Marcionem, cum Romam venit, catholica fide nondum excidisse. Id ex iis quæ modo ex Epiphanio diximus liquido patet; clarius adhuc ex Tertulliano[20], qui diserte asserit, *in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem. Non negabunt*, ait alibi[21], *discipuli ejus, primam illi fidem nobiscum fuisse, ipsius litteris testibus: ut hinc jam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat.* Desertionem autem hanc accidisse constat, tum cum a presbyteris Romanis repulsam passus, ad Cerdonem, tunc Romæ commorantem, confugit. Neque enim ulla ratione defendi posse puto quod doctissimus conjicit Petavius[22], duo distinguenda esse Marcionis tempora:

[14] Epiph., hær. XLI, § 1; Philastr., cap. 44; Iren., lib. I, c. 17, n. 1; lib. III, c. 4, n. 3; Idem, lib. I, c. 27, n. 1; Epiph. § 1; Tertull., De præsc., c. 51; Theodoret., lib. I, c. 24; Aug., hær. 21. [15] Hær. XLII, § 1. [16] L. V, c. 13. [17] De præsc., c. 30. [18] Epiph., § 1. [19] L. III, p. 79, edit. Paris. 1631. [20] De præsc., c. 30. [21] Id., lib. I cont. Marc., c. 1. [22] In Animadv. ad hær. XLVI, t. II Epiphan.

Digitized by Google

ita ut sub Adriano primum in Ponto et Asia duntaxat nefarium dogma prædicaverit : postea vero sub Antonino majores trahens spiritus, vehementius in eosdem illos errores cœperit incumbere. Qui enim in Ponto et Asia nefarium dogma prædicare potuerit sub Adriano, quem e Ponto catholicum profectum Antonino imperante, Romæ catholicum aliquandiu vixisse asserunt Tertullianus [25] et Epiphanius, non video : minus adhuc qua ratione Tertullianus Marcionem plus semel Antonianum hæreticum appellare, et sub Antonini principatu emersisse tam confidenter affirmare potuerit, qui dudum antea sub Adriano prodiisset. Deinde quicunque fere e veteribus Marcionis mentionem injecerunt, hunc Cerdonis et discipulum et successorem exstitisse asseverant; quod profecto stare non potest cum Petavii hypothesi; nam ex superius dictis certum est, Cerdonem e latebris prius caput non extulisse, quam Romam advenisset Hygino Ecclesiam, Antonino Pio imperium regente. Vel ergo veterum omnium, nulla adigente necessitate, elevanda fides ; vel dicendum, Marcionem a catholica fide prius non defecisse, quam communionis spe dejectus Cerdonem Romæ et videre et audire potuerit. Nec quemplam morari debet una Philastrii [26] auctoritas, qui Marcionem a Josnne in Asia devictum, Epheso pulsum esse scribit : tam immaniter lapsus est, ut hujus sententiæ calculum adjicere voluisse Petavium non putem. Non morabor etiam Clementem Alexandrinum [27], cujus verba Marcionem non modo Basilidi, sed etiam Simoni Mago ætate præivisse præ se ferunt. In hæc quidem explicanda desudant eruditi, sed frustra : mss. codicum ope sananda sunt, non explicanda. Unus Justinus martyr eruditissimum Petavium in eas ambages conjecit : alios Petavio minus peritos conjicere potest. Ille enim in *Apologia* priori nedum Marcionis meminit, sed et ejus hæresim jam longe lateque propagatam esse supponit. At non adeo premit, imo penitus evanescit ea difficultas, si dicamus, quod de Valentino disserentes probare conati sumus, scriptam hanc *Apologiam* fuisse circiter annum reparatæ salutis 145, Antonini vero Pii 8. Quinquennio tardius scriptam volunt ipse Petavius et cl. Tillemontius. Si jam, ut certum est, Romam venerit Marcion, mortuo Hygino, sedeque tum vacante, hoc est ex nostris rationibus, anno 142, brevique postea animum despondens Cerdonis hæresim amplexus fuerit; exinde usque ad annum 145, quo scribebat Justinus, satis superque spatii fuerit ut *per omne hominum genus, dæmonum fretus auxilio, plurimis auctor* esse potuerit, *ut blasphema dicerent*, quemadmodum loquitur Justinus. Idque eo similius vero videtur, quo Romæ non diu commoratus, Cerdonis doctrina jam plus satis imbutus, inde discessisse videtur eodem anno 142, vel sequenti, ut provincias peragraret. Nam scribit Hieronymus [28], Marcionem, cum iter Romam suscepturus esset, illuc *præmisisse mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet;* quod cum certe de prima ejusdem peregrinatione intelligi non possit, ad secundam aliqnam referendum est, qua Romam reversus sit, ut ibi latius errorem [LXIX] disseminaret, quem in prima satis pro votis prædicare non potuerat. Et in secundum illum Marcionis in Urbem adventum, quo jam apertius ibidem prodire cœpit ejus error, utcunque quadrare potest quod ait Tertullianus [29] : *A Tiberio usque ad Antoninum anni fere* CXV, *et dimidium anni cum dimidio mensis : tantumdem temporis ponunt inter Christum et Marcionem ,..... qui sub Antonino primum processit.* Qui a Tiberio usque ad Antoninum annos tantum 115 numeraverit Septimius, haud facile divinabit quisquam, nisi forte Tiberii imperium pluribus annis decurtaverit. Si tamen ab anno decimo quinto imperii ejus, quo Christus palam docere cœpit, numerare velimus; non multum decedet de summa 115, tuncque Marcionem Romam esse reversum, et bellum aperte cum Ecclesia Romana gerere cœpisse, nihil repugnat.

137. Ut ut sit, ex hactenus dictis perspicuum est falli auctorem Carminis contra Marcionem [30], dum asserit hunc sub Aniceto pontifice Romam primum venisse et innotuisse. Dudum certe jam innotuerat, qui, Irenæo teste [31], sub eo pontifice *invaluit*, id est summum nequitiæ verticem adeptus est. Idque liquido probat id quod idem Irenæus refert [32], sanctissimum martyrem Polycarpum, Romæ tum degentem : *Marcioni occurrenti sibi, et dicenti : Cognoscis nos? respondisse : Cognosco te primogenitum Satanæ ; multosque* Marcionitas *convertisse in Ecclesiam Dei.* Ex ipso autem Irenæo certum est, Polycarpum in Urbem non advenisse nisi sub Aniceto. Fallitur proinde et Tertullianus scribens [33], Valentinum et Marcionem, *neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem; donec sub episcopatu Eleutherii benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis quæ Ecclesiæ intulerat; novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni sibi datæ occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est.* Hæc apprime consentiunt cum iis quæ de Cerdone refert Irenæus [34], *qui sæpe in Ecclesiam veniens, et exhomologesin fa-*

[25] De præsc., c. 30, et l. I cont. Marc. c. 19. [26] Hær. 45. [27] L. VII Strom., p. 764. [28] Ep. 43, t. IV nov. edit. [29] L. I cont. Marc., c. 19. [30] L. III, in fine, ad calcem Tertull. [31] L. III, c. 4, n. 3. [32] C. 3, n. 4. [33] De præsc. c. 30. [34] Lib. III, c. 4, n. 3.

Digitized by Google

ciens, sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exhomologesin faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quæ docebat male, et abstentus est a religiosorum hominum conventu; at in Valentinum et Marcionem nequaquam conveniunt. Quæ jam ea de re ad Valentini hæresim diximus, hic repetere nihil juvat; sed Marcionem usque ad Eleutherii tempora vitam prorogasse non crediderim; id enim non siluisset Irenæus qui tunc librum suum tertium scribebat. Cum igitur illum *invaluisse sub Aniceto* ibidem asserat, nec ipsius quasi tum viventis meminerit, significare videtur jam sub Aniceto vivendi finem fecisse. Deinde non obscure innuit Tertullianus, Marcionem tandiu *in catholicam doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutherii benedicti novissime in perpetuum discidium relegatus, venena doctrinæ suæ disseminaverit;* et tamen hunc sæpe vocat hæreticum Antoniniani temporis, cujus hæresis Antonino imperante prodierit; quæ secum aperte pugnant : nam Antonini Pii mors annis saltem quatuordecim prævertit Eleutherii episcopatui. Et qui is catholicus usque ad Eleutherium vixisse potuit, qui jam post Hygini mortem a fide defecerat, invalescebat vero sub Aniceto? Denique tota hæc Tertulliani narratio de iteratis lapsibus, repetitaque Marcionis pœnitentia, conciliari nulla ratione potest cum iis quæ alii omnes scripserunt, illum spe communionis dejectum statim in Cerdonis castra convolasse, ac deinceps mundum erroribus inficere non destitisse. Et absurda prorsus videtur ea oblatæ Marcioni pacis conditio, *si cæteros quoque quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret.* Neque enim Marcioni integrum adhuc erat, toto orbe jam erroribus imbuto, tantam hominum multitudinem ex omnibus mundi partibus colligere, et Ecclesiæ restituere. Itaque Tertullianus memoria lapsus Marcionem pro Cerdone, discipulum pro magistro scripserit necesse est.

138. Marcionem Stoicæ philosophiæ potissimum studuisse, et tum ab ea, tum etiam ab Epicurea errorum argumenta petiisse tradit Tertullianus [33]. Clemens autem Alexandrinus censet [34] *Marcionem externorum alienorumque dogmatum occasiones ingrate et indocte accepisse a Platone.* Sed præcipuus illius error, caput cæterorum, de duplici Deo, altero bono et Christi Patre, altero veteris legis auctore et malorum effectore, fluxit tum a doctrina Platonis qui mundi conditorem a supremo Deo distinguit, ut alibi ostendimus; duasque mundi animas comminiscitur lib. x *De legib.*, beneficam scilicet, et eam quæ potest efficere contraria; tum maxime a vetustiorum illorum philosophorum opinione, a nobis Plutarchi verbis explicata, duplicem Deum fingentium, alterum bonum et bonorum, alterum malum et malorum effectorem. Hunc quidem errorem a Cerdone traditum acceperat Marcion; ille vero, ut superius observavimus, ab aliis Gnosticis, a quibus verbis tantum, non rebus discrepabat. Et hinc Gregorius Nazianzenus [35], et post eum Elias Cretensis, Marcioni tribuit Simonis Magi, cæterorumque Gnosticorum delirta, Bythum videlicet, Sigen, uno verbo triginta Valentini Æones. Nec immerito : Irenæus [36] siquidem eum recenset inter illos, qui Dei *Logo tertiam prolationem a Patre donabant, unde et ignorat magnitudinem ejus;* quique *porro et longe Logon a Deo separabant, et ex cogitatione et sensu, id est* Ennœa et Nu emitti dicebant : qui garriebant, summum Deum [37] *extra se habere subjacens aliquid, quod vacuum et umbram vocant, in quo fabricatum est hoc quod est Universum, infra spiritale Pleroma : secundum quos erat et aliud quid, quod quidem extra Pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur :* qui denique *nituntur docere super fabricatorem cœli et terræ esse aliquod Pleroma aut Deum.* Quæ omnia cum sint ipsissima Valentini commenta, manifeste demonstrant Marcionem, qui Valentino coævus, paulo posterior tamen fuit, totam Valentiniani systematis fabulam ingeminasse. Quod etiam ex iis patet quæ alii auctores Marcioni ascribunt. Sua erat, Tertulliano teste [38], summo seu bono Marcionis Deo *conditio, et suus mundus, et suum cælum;* mundus nostro *superior* et *super Creatorem. Creatorem in loco fecit, utique eadem conditione censendo, et materiam ei subjecit.* Clarius Valentini Pleroma, ejusdemque Demiurgus designari non poterat. Dionysius Alexandrinus apud Athanasium [39], et post eum Cyrillus Hierosolymitanus [40] et Epiphanius [41] asseverant, Marcionem tria principia constituisse; [LXX] quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi possit, quem et bonum Deum appellat, a quo nihil sit eorum quæ in mundo sunt, conditum; alterum vero Deum dicit esse aspectabilem ac creatorem; tertium denique diabolum inter ambos illos, aspectabilem scilicet, et eum qui aspici nequit, interjectum; ex iis, qui creator est et opifex, videriique potest, Judæorum esse Deum, eumdemque judicem : bonum Deum (addit auctor *Dialogi* contra Marcionitas, Origeni falso ascripti) imperare Christianis; diabolum gentilibus. His addit Theodoretus materiam quæ mala sit, et alii malo subsit, quæque, Tertulliano teste, æterna sit et infecta. Quamvis Justinus, Irenæus, et Rhodon apud Eusebium, duorum tantum Marcionis deorum seu principiorum, tertii ne verbo quidem, meminerint; imo ab errore triplicis Divinitatis Augustinus [42] Marcionem absolvat; Rhodon [43] primum hujus auctorem fuisse Syneron Marcionis discipulum scribat; nihil repugnat Marcionem Valentini vestigiis insistentem, præter summum Deum invisibilem,

[33] De præsc., c. 7 et 30; et l. v cont. Marc., c. 19. [34] L. III Strom., p. 434. [35] Orat. 23 et 44. El. Cret. in orat. 23. [36] Lib. II, cap. 28, n. 5, 6. [37] Id., c. 1, n. 3, 4. [38] L. I cont. Marc., c. 15. [39] De decret. Nic. [40] Hær. XLII, § 3. [41] Catech. 16. [42] Hær. 22. [43] Apud Euseb., l. v, c. 13.

Digitized by Google

et Demiurgum Universi conditorem, diabolum statuisse Cosmocratorem, id est inferioris mundi Principem; et materiam, *erraticæ virtutis*, seu Sophiæ, vel Enthymeseos emanationem æternam dixisse : quanquam tamen non constet, an Valentinus materiam æternam esse crediderit; imo longe probabilius videatur eum in tempore conditam illam affirmasse. Et ea ratione facile consentient, qui inter se pugnare videntur auctores. Nihil ergo Marcion a Valentino differebat : uterque docebat duos esse deos, nempe Bythum caput Pleromatis spiritalis, et Demiurgum extra Pleroma illud exsistentem. Hoc tantum Marcioni proprium erat, quod ipse primus Demiurgum, sive mundi conditorem, aperta petere blasphemia ausus fuerit, dicendo ipsum esse malum, malique auctorem. Cerdon quidem cum Deum legis et prophetarum bonum esse negavit, justum tamen confessus est; at Marcion, ut cum Irenæo [44] loquar, magistri *doctrinam adampliavit, malorum factorem, et bellorum concupiscentem, et inconstantem quoque sententia, et contrarium sibi ipsum dicens.* Valentiniani quidem nominibus honestius utebantur, ut observat idem Irenæus [45]; Deum enim malorum effectorem aperte profiteri religio erat. At certe ejusdem sceleris erat Deum ignorantem, atque Deum malum et malorum effectorem statuere : imo illud eo gravius, quo ignorantia ipsa refunditur in ipsum supremum Deum, Demiurgi causam saltem remotam, ut ad Valentini hæresim probavimus. Et Deum ignorantem, cæco impetu agentem, et animalem, id est omnibus animi perturbationibus, quas ciet appetitus sentiens, obnoxium inducere; quid aliud est, quam malorum omnium, quibus labefactatur orbis, culpam in ipsum conferre? Unde, etsi prima fronte impudentius blasphemare videatur Marcion, sua emollire verba haudquaquam satagens : non minus exsecranda Valentini blasphemia erat, licet *nominibus honestius uti* videretur. Quid sit autem utrique Deus ille, seu ignorans, seu malorum effector, jam non semel diximus, et paulo ante ad Cerdonis hæresim iteravimus; merus scilicet Angelus, quem Dei titulo ac nomine cohonestare placuit; sed qui revera a vero Deo immensum distaret, et eadem conditione cum cæteris rebus creatis censeretur, ut ait mox citatus Tertullianus.

139. Porro Tertullianus [46] auctor est, hanc Marcioni fuisse occasionem duplicis rerum Principii comminiscendi. *Passus est*, inquit, *infelix hujus præsumptionis instinctum, de simplici capitulo Dominicæ pronuntiationis, in homines, non in deos disponentis exempla illa bonæ et malæ arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus* [47]; *id est neque mens vel fides bona malas edat operas, neque mala bonas. Languens enim (quod et nunc multi, et maxime hæretici) circa mali quæstionem; Unde malum? et obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis inveniens Creatorem pronuntiantem : « Ego sum qui condo mala* [48]; » *quanto ipsum præsumpserat mali auctorem, et ex aliis argumentis, quæ ita persuadent perverso cuique; tanto in Creatorem interpretatus, malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala, alium deum præsumpsit esse debere in partem bonæ arboris bonos fructus* (supple *condentem*). *Et ita in Christo quasi aliam inveniens dispositionem solius et puræ benignitatis, ut diversæ a Creatore, facile novam et hospitam argumentatus est divinitatem in Christo suo revelatam : modicoque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore decepit.* Ex eo venenato fonte fluunt omnia pene errorum portenta quibus miser ille deludi se passus est. Totum Vetus Testamentum repudiabat [49], utpote quod originem ducere existimaret a malo Deo, quem ideo *inconstantem sententia et contrarium sibi ipsi* blasphemabat, quod plura esse veteris legis testimonia contenderet, quæ secum aperte pugnarent; quæ quidem studiose colligens librum *Antitheseon*, seu *contradictionum* edidit [50], in quo sententias sententiis opponebat. Quamvis autem bonum Deum Novi Testamenti auctorem esse crederet, non omnia tamen amplectebatur ejusdem Testamenti scripta, quæ catholica recipit Ecclesia. Nam ex quatuor Evangeliis, repudiatis tribus, solum Lucæ, imo ejus partem duntaxat probabat [51]; suppresso tamen auctoris nomine, nullum enim huic inscribi voluit. Discipuli vero ejus sic ipsi Christo ascribebant, ut tamen pluribus auctum, ut historia passionis, a D. Paulo fuisse garrirent. Quin et tanta erat eorum audacia, ut id quotidie interpolare, pluribus additis, vel resectis, prout a Catholicis urgebantur, non vererentur. Abscissis quæcunque ex Veteri Testamento citantur testimoniis, iisque omnibus locis, in quibus Christus mundi conditorem Patrem suum esse confitetur; amputato toto initio, quod ibi Salvatoris in utero generatio, et ejusdem adventus cum corpore perspicue commemoretur; et nec ex initio modo, sed et e medio sublatis pluribus sententiis, aliisque pro illis substitutis, non jam Evangelium, sed adulterinam Evangelii speciem suis obtrudebat Marcion. Quousque processerit sacrilegum hominis facinus, sigillatim explicat Epiphanius Hær. XLII. Decem duntaxat Pauli Epistolas admittebat [52], easque non integras, sed alia ex illis capita detrahebat, alia commutabat; respuebat vero utramque Epistolam ad Timotheum, eam quæ est ad Titum et ad Hebræos, cum Apocalypsi, cæterisque canonicis Epistolis.

140. Eadem erant Marcionis, quæ cæterorum

[44] Lib. I, c. 27, n. 2. [45] Lib. III, c. 12, n. 13. [46] L. I cont. Marc., c. 2. [47] Luc. VI, 43, 44. [48] Isai. XLV, 7. [49] Iren., lib. I, cap. 27, n. 2. [50] Tertull., l. IV cont. Marc., c. 1. [51] Iren., loc. cit.; Tertul., c. 2. Auctor. Dial. cont. Marc.; Tertull., c. 5. [52] Iren., loc. cit., Epiph., hær. XLII, § 9.

Digitized by Google

Gnosticorum, de Christo deliria; missum scilicet a Patre fuisse ementita carnis specie indutum, ut mundi opificis opera et leges dissolveret [58], animabusque solis salutem impertiret; corporibus proinde æterno interitui obnoxiis manentibus [54]. [LXXI] Duos tamen, si Tertulliano credimus [55], Christos finxisse videtur, *alium qui Tiberianis temporibus a Deo quodam igneto revelatus sit, in salutem omnium gentium; alium, qui a Deo creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus, quandoque venturus.* Quæ Cerinthi fabulas de terreno Christi regno sapere videntur, ansamque Gennadio dedisse Marcionitas inter Millenarios recensendi. Animas ab aliis in alia corpora migraturas ac transituras statuebat: quod ad eos quidem homines attinet, qui in ignoratione versantur. De quibus hanc fabulam commentus erat: Redire videlicet animam, ac se in unumquodque animantium induere, donec purgationem adepta sit, atque ita purgata, dissolutaque in cœlestia loca commigret. Marcionitarum vero animas [56], seu eorum *qui Marcionis doctrinam didicissent*, adeo purgari et a corporea fæce liberari, ut post mortem immediate æterna salute fruantur. Quæ omnia Platonica et Carpocratiana sunt. Et in id Marcionis dogma procul dubio digitum intendebat Origenes [57], cum scribebat animas omnes, ex Marcionis sententia, non esse unius et ejusdem generis, sed alias ab aliis natura differre. Ex quo etiam fluxit altera impostoris blasphemia, *Cain, et eos qui similes sunt ei, et Sodomitas, et omnes omnino gentes, quæ in omni permistione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, cum descendisset ad inferos, et occurrissent ei.* Quandiu enim damnatorum animæ cognitionis istius Marcionitice exsortes fuerunt, pœnas luere debuerunt; ex quo vero ea illustratæ fuerunt, Christo viso in inferis, mundatæ ab ipso fuerunt, et assumptæ in regnum ejus. Iisdem principiis innixus addebat, Abelem, Enoch, Noe, et reliquos justos, Abrahamum cum omnibus prophetis, et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem; quoniam suspicati se tentari a mundi conditore, ut solebat, Jesum audire ac verbis ejus credere renuerunt.

141. Odium quod in Creatorem conceperat Marcion, eo usque eruperat [58], ut nuptias damnaret, neminemque ad baptismi gratiam admittendum censeret, nisi virginem, vel conjuge orbum, aut continentem. Nam carnem, quæ generatione nascitur, mali opificis opus esse contendebat. Hunc errorem, si Clementi Alexandrino fides [59], hauserat e Platonicorum Pythagoreorumque lacunis, qui malam esse generationem existimabant, quanquam non eadem ratione atque Marcionitæ [60]. Hi generationi calumniabantur, quod *malam esse naturam, ex mala materia, et a justo Opifice ac Creatore factam effutirent; qua quidem ratione nolentes implere mundum qui factus est a Creatore, abstinebant a nuptiis, resistentes suo Creatori. Philosophi autem, quorum mentionem fecimus, a quibus cum malam esse generationem impie didicissent Marcionitæ, tanquam suo dogmate gloriantur, non eam volunt esse natura malam;* sed quod ea, anima quæ divina est, detrudatur in corpus, tanquam in locum supplicii. In ejusdem Creatoris odium mortem sibi interdum consciscebant Marcionitæ [61], oblatam non detrectabant: et hinc sectam suam martyribus non paucis decorari gloriabantur. Sabbato jejunabant, quod ea die mundi fabricator requievisset. Animatis vesci prohibebant, ac reos esse judicio, ait Epiphanius, putabant illos qui carnes degustarent, tanquam animas comederent. Fidem tamen facit Tertullianus, piscibus usos fuisse, *imo sanctiorem cibum deputasse.* Addit Epiphanius, baptismum apud illos usque tertio repeti, baptizandique potestatem mulierculis concedi: mysteria catechumenis cernentibus celebrari; ad hæc vero aquam adhiberi, solam quidem, ut videtur; qui Aquariorum error fuit.

XI. *De Tatiano.*

142. Tatianus seipse natione Assyrium fuisse testatur [62]. Syrum exstitisse scribunt Theodoretus et Epiphanius [63]: quanquam hic alibi in Mesopotamia natum asserat. Quæ tamen facile conciliari possunt; nam interdum Assyriæ, Syriæ et Mesopotamiæ nomina promiscue usurpantur. Sic Gen. XXVIII, 5, qui Jacob *profectus venit in Mesopotamiam Syriæ*, ℣ 7, *ivisse in Syriam* dicitur. Sic etiam Arrianus scribit [64], Euphrate et Tigri mediam Assyriam contineri: *unde*, inquit, *et ab indigenis Mesopotamia vocatur.* Græcorum artibus ac studiis non mediocriter excultus Romam venit; ubi cum in sacras Scripturas incidisset, iis quos præ se ferunt, divinitatis characteribus permotus, Christi fidem amplexus est. Justini Martyris primum auditor [65], quandiu cum eo vitam egit, illibatam fidem servavit; at illo pro fide cæso circa annum 167, cum jam solus scholæ a Justino institutæ præesset, magisterio elatus, in exitium ruit. Prius tamen quam a catholica fide desciscaret, post Justini mortem, suam adversus Græcos orationem, opus certe catholicum, edidisse certum est. Sed non multo post Roma profectus in Orientem, in absurdas Gnosticorum opiniones incidit, novamque sectam condidit circa annum XII M. Aurelii (non *Antonini Pii*, ut perperam apud Epiphanium legitur), Christi vero 172, quæ Tatianorum, Encratita-

[53] Tertull., c. 5. Iren., loc. cit., Tertull., l. I, c. 6. [54] Epiph., § 4; Theod., l. I, c. 24. [55] Lib. IV, c. 6. [56] Iren., loc. cit. [57] Hom. 2 in Ep. ad Rom.; Iren. n. 3. [58] Iren., cap. 28. [59] L. III Strom., p. 431, 432. [60] Tertull., in Marc., lib. I, c. 14; Epiph., § 3. [61] Clem. Al., l. IV Strom., p. 481; Euseb., l. V, c. 16; Epiph., § 3, 12; Tertull., l. I in Marc., c. 14; Epiph., § 3. [62] Orat. cont. Gr. in fi. [63] Theodoret., lib. I, c. 20; Epiph., hær. XLVI, 5, 1; Id., in Indice, lib. I. [64] Lib. VII Exped. Alexand. [65] Tatian., p. 165, 170, edit. 1636, ad calc. Just.; Iren., l. I, c. 28, n. 1; Epiph. § 1; Tatian.,

Digitized by Google

rum seu Continentium, et Hydroparastarum seu Aquariorum dicta est.

143. Dogmata eadem fuere quæ Saturnini, Valentini et Marcionis. Ubique recantata ridicula Æonum fabula, duplicisque principii, ac ementitæ Christi carnis commenta. Unum adjecit Tatianus, scilicet Adamum salutem consecutum non fuisse, sed ob lapsum æterna damnatione punitum. Cæterum nuptias cum Marcione damnabat : animatis et vino abstinendum censebat, aquamque solam in mysteriis offerebat. Ut vero legi veteri invidiam conflaret, *Problematum*, seu *Quæstionum* librum edidit, ut obscurissimam esse ac imperviam probaret, ac proinde a malo Deo profectam. Plures alios scripsit, de quibus cum nihil speciale dicendum habeamus, consule eruditissimum Tillemontium, tom. II *Comment. in Hist. Eccles.*, in Encratitis.

XII. *De aliis quibusdam hæreticis.*

144. Tatiano subjungit alios hæreticos Irenæus[66.67]; quos a Basilide et Carpocrate occasiones accepisse dicit. Nomen suppressit, sed scire parum refert : nihil quippe a magistris differebant, nisi quod eorum spurcitias atque flagitia minus erubescerent, promiscuos videlicet et plus quam ferinos concubitus, polygamiam, indifferentem idolothytorum esum, et alia ejusmodi. His enim Deum minime tangi blasphemabant, utpote quem otio torpentem, inferiorumque rerum haudquaquam sollicitum fingerent.

XIII. *De variis Gnosticorum sectis.*

[LXXII] 145. Postquam de Simonianis, variisque Simonianorum classibus sigillatim disseruit Irenæus, tum de diversis hæreticis agit, quos nullo speciali, sed generali duntaxat Gnosticorum nomine designat. Omnes quidem tum Simonis, tum Valentini asseclæ, Gnosticorum titulo se insolentius efferebant, scientiæ excellentiam jactantes. Γνῶσις enim *scientiam*, et γνωστικός *scientem* vel *scientia præditum* significat. Eo nomine eximiam et singularem, qua præ cæteris pollere sibi videbantur, rerum divinarum notitiam imperitis venditabant. Cum enim alii Christiani suæ sortis probe conscii divina mysteria a sæculo abscondita, de Trinitate, de Christo, de creatione, etc., curiosius perscrutari sibi non licere, sed ea simplici et humili fide venerari sibi satis esse merito persuaderent : hæretici econtrario temeraria curiositate ultra evangelicæ simplicitatis metas longius abrepti, illa ex Platonica philosophia eruere et demonstrare, et cum ea conciliare tentarunt. Quod quidem licet infelicissimo conatu, et cum ipsius fidei naufragio factum sit, miseris tamen variæ gloriationis ansam præbuit ; quasi sibi solis, si superis placet, Christianæ religionis penetralia, intimaque viscera reserare datum esset. Et hinc eo insaniæ prolapsi, ut nedum alios Christianos despicerent, sed etiam apostolos ipsos scientia superare se audacter affirmarent.

146. Quis primus superbum Gnostici nomen sibi suæve sectæ indiderit, non constat. Si quidem de ipsius hæreseos origine quæstio esset, facile dirimeretur ; nam a Simonianis *falsi nominis scientiam accepisse initia* diserte tradit Irenæus[68]. Alibi tamen *vocari Gnosticos a Menandro Simonis discipulo* ; et Carpocratianos, *Gnosticos se vocare* pronuntiat. Hieronymus[69] vero Gnosticos derivat a Basilide : Epiphanius, Philastrius et Augustinus a Nicolaitis deducunt. Quæ omnia vera sunt ; nam isti omnes hæretici Gnosticorum nomen sibi vindicabant. Sed qui ex iis illud primum sibi tribuerint, non adeo certum. Id fecisse priores Simonis aut Menandri discipulos facile crediderim, ut invidiam, quam sibi fecerat probrosum magistrorum nomen, a se amolirentur : quam enim illud exhorrescerent Christiani omnes, non eos latebat. Quare deposita Simonianorum aut Menandrianorum, indita sibi speciosa Gnosticorum appellatione, sub ea larva et tutius latere et latius serpere se posse crediderunt. Quippe deinceps in resarcienda, amplianda aut propaganda Simonis hæresi operam posuerunt, quanquam suis peculiaribus nominibus noti essent, Gnostici tamen dici maluerunt. Certe Gnosticos notare videtur Paulus[70], ubi Timotheum hortatur devitare ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *oppositiones falsi nominis scientiæ*. Sic saltem Apostolum intelligunt Clemens Alexandrinus, et Chrysostomus : quorum sententia eo probabilior, quo Irenæus iis omnino verbis, τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, Gnosticorum hæresim passim designat ; imo et libris suis titulum inscripsit, Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

147. Gnosticorum itaque nomen, non peculiaris alicujus sectæ aut hæreseos, sed communis omnium, quotquot Simonis ac Menandri deliriis illudi sibi siverant, appellatio fuit. Quamobrem nec Theodoretus, nec Pseudo-Tertullianus Gnosticæ hæreseos tanquam specialis atque a cæteris distinctæ meminerunt. Cur vero Irenæus econtrario, Epiphanius, Augustinus et alii, certam quamdam ac specialem, atque a Simonianis, Menandrianis, Basilidianis, Valentinianis, etc., distinctam sectam constituant, in promptu hæc ratio est. Duplicis generis Gnostici erant. Alii non modo ex peculiaribus sibi dogmatis, sed etiam ex famosis quibusdam sectæ suæ coryphæis ac ducibus noti erant ; alii vero licet erroribus sibi propriis insignes, vel obscuri nominis duces habebant, vel nullos certos et singulares agnoscebant. Priores non tantum communi Gnosticorum titulo noti, sed magistrorum, sectæque con-

p. 158 ; Epiph., § 1 ; Euseb., Chron. ; Iren., loc cit. ; Epiph., § 2 ; Clem. Alex., Strom., lib. III, p. 365, et Excerpt. p. 806 ; Tertull., de præsc., c. 52 ; Hieron., in Gal. v ; Theod., loc. cit. [66-67] Lib. I, c. 28, n. 2. [68] Lib. I, c. 23, n. 4 ; lib. III, c. 4, n. 3 ; lib. I, c. 25, n. 5. [69] In Cat. et Ep. ad Ctesiph. ; Epiph., hær. XXV, XXVII ; Philast. et August., De hær. [70] I Tim. VI, 20.

Digitized by Google

ditorum singulari nomine notiores fuere, dictique Simoniani, Basilidiani, Valentiniani, etc., seu Gnostici Simoniani, Gnostici Valentiniani, etc., ut sic variæ sub eodem generali nomine scholarum species, a se invicem distingui et discerni possent. Posteriòribus autem, quod nulla peculiaris esset appellatio, quæ ex auctoribus derivata tribui posset, indita communis Gnosticorum. Et ita Gnosticorum nomen vel commune est, quod omnibus Simonis discipulis convenit ; vel speciale, quod certis quibusdam duntaxat Simonianorum classibus usus proprium fecit. Et ii sunt quorum ineptias, descriptis jam celebriorum Simonis asseclarum erroribus, sigillatim refert Irenæus, lib. I, c. 29 et seqq., et post eum Epiphanius, hær. XXVI. *Super hos autem*, inquit ille, *ex his qui prædicti sunt Simoniani, multitudo Gnosticorum, Barbelo exsurrexit, et velut a terra fungi manifestati sunt.* Recte quidem. Cum enim, ut capite præcedenti monuit, *multi ex iis* qui Gnosticorum titulo superbiebant, *imo omnes vellent doctores esse, et abscedere quidem ab hæresi in qua fuerant, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes nove docere insisterent, semetipsos adinventores sententiæ, quamcunque compegissent, enarrantes ;* innumeræ propemodum, quas vix ac ne vix quidem nominare esset, *propagines multarum hæresum factæ fuerant.* Omnes quidem Ennœam venerabantur ; sed quæ aliis Helena, aliis Sige aut Charis ; aliis, quos nova dicendi mala prurigo exedebat, Barbelo dicta fuit[71]. Inde dicti a quibusdam Barbeliotæ, a barbaro nomine quod ipsi confinxerant ; ab aliis Borboriani, vel Coddiani. Borboriani quidem, hoc est cœnosi, a sordidissima atque flagitiis omnibus lutulenta vivendi ratione : Coddiani vero a voce *Codda*, quæ, ait Epiphanius, idem est Syriace quod paropsis, aut catinus : quod tanta esset eorum spurcitia, ut nemo communi cum illis uti cibo vellet, sed separatim contaminatis illis apponi soleret. Iidem in Ægypto Stratiotici seu Militares, aliis in locis Floriani, Phibionitæ, et Zachæi vocati sunt. Quanquam tamen, si Epiphanium audiamus, Stratiotici et Phibionitæ, quibus adjungit Levitas, tres tantum essent in una et eadem secta hominum classes, quarum prima esset incipientium, secunda proficientium, tertia denique consummatorum in omni nequitiæ et abominandæ fœditatis genere. Illos hæreticos a Nicolaitis prognatos vult idem Epiphanius ; a Valentinianis Theodoretus[72]. Utrumque forte verum ; nam ab his Æonum deliria, ab illis plus quam porcinum vivendi morem mutuari potuerunt.

[LXXIII] 148. Dogmata speculativa eadem fere erant, quæ Valentinianorum[73] ; sed Æonum appellationes, series, atque conjugationes paulo diversæ. *Patrem innominabilem* primo loco statuebant, eumque ab omni conjugatione solutum ; quæ et aliorum plurimorum sententia fuit. Huic vero subjiciebant *Æonem quemdam nunquam senescentem in virginali spiritu*, quem Barbelon, Ennœam, omnium Matrem, et magnum Æona κατ' ἐξοχήν nominabant. Isti Logon copulabant. Hanc conjugationem excipiebant tres aliæ, Aphtharsiæ, id est incorruptelæ, et Christi ; Zoes et Thelematis, hoc est vitæ et voluntatis ; Prognoseos et Nu, hoc est providentiæ et mentis. Christum autem lumen esse dicebant, quod Pater unxerat sua benignitate, ut perfectum fieret : male scilicet alludentes tum ad nominis etymologiam, quod Græce *unctum* significat, tum ad ea Evangelii loca in quibus Christus seipsum appellat *lucem mundi*, tum ad illa Patris Filium compellantis verba : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*[74]. Hæc prima istorum ogdoas, quam fusius explicare nihil juvat, facile intelligitur ex iis quæ de Valentiniana diximus. Ab Ennoia et Logo Autogenem seu Monogenem, id est, per se genitum, seu unigenitum derivabant. Autogenem et Monogenem appellabant, quia eum singulari prærogativa genitum asserebant ; utpote magni luminis, Ennoiæ scilicet, effigiem et imaginem, summis proinde honoribus, omniumque rerum præfectura decoratum. Hujus conjux Alethia sive veritas. A lumine, quod est Christus, et incorruptela, quatuor emissa luminaria, hoc est quatuor angelos fingebant, qui Autogenem quasi satellites stiparent, quorum nomina erant Harmogenes, seu Soter vel Servator, Raguel, David et Eleleth ; quibus itidem quatuor conjuges assignabant, Charin, Thelesin, Synesin et Phronesin, hoc est Gratiam, Voluntatem, Intelligentiam et Prudentiam. Autogenes autem produxit alterum Æonum par, videlicet Hominem perfectum et verum, quem Adamantem, ob invictam virtutem, appellabant, et Gnosin seu agnitionem perfectam ; unde illi datum ut supremum Patrem cognosceret. Sic manifestatum summum Patrem, Matrem, et Filium dicebant nugatores isti. Ex Anthropo autem et Gnosi natum lignum dicebant, quod et ipsum Gnosim appellabant, alludentes ad lignum scientiæ boni et mali, de quo Genes. II, 9. Deinde ex primo Angelo Autogenis satellite, genitum Spiritum sanctum, quem et Sophiam et Prunicum appellabant ; qui quidem cum videret cæteros Æones conjugibus suis copulatos, se autem conjuge destitutum, anxie quæsivit cui conjungi posset ; temerarioque impetu, inconsulto Patre, latus primum versus superiores partes, tum versus inferiores, nullamque quæ sibi conveniret, inveniens ; tædio affectus, ab incepto revocatus, destitit. Sed ex tædio ejus natum opus, in quo erat ignorantia et audacia. Hoc autem opus, Proarchontem, mundi hujus principem, conditorem et fabricatorem appellabant ; qui virtutem magnam a matre furatus, ad inferiora digressus, condiderit firmamentum cœli, in quo inhabitaret, Potestates, Angelos, cœlos et

[71] Epiph., § 3. [72] Epiph., § 1 ; Theod., l. I, c. 13. [73] Iren., lib. c. 29. [74] Matth. XVII, 5.

Digitized by Google

terrena omnia; omniumque malorum, rixarum, contentionum, etc., auctor fuerit. His contristata mater Sophia ab eo secessit, sedemque sibi supra firmamentum seu septimum cœlum delegit : ut sic inferioris ogdoadis caput evaderet. In his totam Valentinianorum fabulam, paululum duntaxat immutatis nominibus, recoctam quisque videt. Cætera de Christo Jesu, resurrectione, bonis operibus, etc., dogmata, eadem erant quæ Valentinianorum. Gnosticos sæpe in suis epistolis perstringunt Joannes apostolus, Judas, Jacobus, Ignatius et Polycarpus, maxime quod Incarnationis mysterii veritatem negarent.

149. E Gnosticis quidam Veteri pariter et Novo Testamento utebantur, sed mutilis [75]. Quæ enim sibi favere putabant, hæc amplectebantur, eaque a Spiritu veritatis pronuntiata dictitabant; quæ vero sibi adversa, rejiciebant, et a mundi hujus Principe profecta pronuntiabant. Pauli Epistolas ad Timotheum repudiabant, quod in iis nominatim damnarentur. Sed alii omnes Gnostici legem et prophetas spernebant [76] : imo nec multos dicere pudebat, Servatorem nostrum primum spurcitiarum suarum atque impietatum auctorem fuisse. Quamplurimi penes illos apocryphi, anilibusque fabulis, obscenitatibus et blasphemiis referti libri erant, quorum catalogum reperies apud Epiphanium, hær. xxvi. De perditissimis eorum moribus nihil dicam : porcos et canes putares, non homines; adeo abhorrent ab humana natura quæ de iis refert mox laudatus Epiphanius. Hæc vix fidem obtinere possent, nisi aliunde constaret necessaria principiorum ab iis statutorum consectaria esse; ipseque Epiphanius [77] ea tum ex libris eorum, tum ex proprio ore duarum mulierum hujus sectæ χορυφαίων, quæ juvenem adhuc tentaverant retibus suis illaqueare, didicisse se contestaretur. Castiganda proinde recentiorum quorumdam audacia et temeritas, qui ut Gnosticos, futilibus ducti conjecturis, ab immanibus, quibus accusantur, sceleribus vindicent, Epiphanii, antiquorumque omnium fidem elevare non verentur, quasi hæc ab hominibus male religiosis, in odium ipsius sectæ conficta essent. Quasi potior habenda fides esset vanis neotericorum illorum obscuri nominis ratiunculis, quam Epiphanii, testis non tantum auriti, sed etiam oculati, aliorumque veterum Gnosticis coævorum testimoniis, qui hæreticos ipsos viderunt, audierunt, eorumque libros evolverunt. At, inquiunt, nemo apologistarum, dum Ecclesiam Christianam a calumniis OEdipodeorum concubituum, et Thyestearum epularum, quibus eam aspergebant gentiles, purgat, tanta scelera meminit a pseudo-Christianis perpetrata : quod tamen e re eorum fuisset non omittere, maxime cum ementitorum illorum flagitia calumniis, quibus veri Christi fideles onerabantur immemiti, ansam præbuissent. Imo Justinus Martyr in *Apologia* sua priori, et Ecclesiæ Lugdunensis et Viennensis in epistola sua, apud Eusebium lib. v, cap. 2, disertis verbis asserunt, aut nescire se, aut non credere flagitia hæc ab hæreticis, aut a quoquam mortalium usquam esse patrata. Sed facilis responsio. Ipsæ istæ calumniæ quæ Christianis struebantur, ostendunt gentiles aliquid saltem de turpissima Gnosticorum vita inaudisse; quod calumniarum occasio fuit. Cum enim eos a cæteris Christianis non distinguerent, omnibus indiscriminatim tribuerunt, quod larvatorum duntaxat scelus fuit. Hinc de Carpocratianis agens Irenæus [78], conqueritur *ipsos ad detractionem divini Ecclesiæ nominis a Satana præmissos : uti secundum* [LXXIV] *alium et alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a præconio veritatis ; aut et videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement.* Et Eusebius lib. IV *Hist.*, cap. 7, similiter scribit, miserorum illorum flagitia gentilibus ansam præbuisse sacrosancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi : eo plane consilio, ut fama de scelesta ipsorum vitæ ratione passim dissipata, turpem ignominiæ notam universæ Christianorum multitudini inureret. Unde certe accidit, inquit, ut nefaria quædam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longe lateque pervaderet : quod videlicet tum nefando concubitu matres et sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere tuti non vereremur. Unde vero tam immania scelerum portenta in Christianorum omnium caput intorquendi ansam captare potuissent ethnici, nisi saltem eorum aliquid vel ex verorum Christi fidelium querelis, vel ex ementitorum confessione, vel ex fama percepissent ? Tam insolens criminatio fidem nunquam apud infensissimos Christianorum hostes obtinuisset, nisi huic aliquam veri speciem obduxisset flagitiosa quorumdam vita. Nec quemquam movere debet laudatorum Apologistarum silentium, aut Justini, et Ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis ignoratio. Id eos latere potuit, quod occulte, et clam, non certe palam et publice perpetrabatur; nec mirum si credere refugerint, quod immane quantum abhorret ab humana natura, vixque porcinæ congruit. Deinde id agebant apologistæ, ut Christianos, quorum causam tuebantur, purgarent a criminibus quibus perperam infamabantur; quod et præstiterunt in Apologiis suis. Nihil autem attinebat hac occasione Gnosticorum obscenitates, æterno silentio sepeliendas, commemorare : cum veris Christianis nihil cum larvatis istis, nisi solum nomen, commune esset, ut Justinus observat; illique his, ut citatus Irenæus ait, *in nullo communicarent, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione.* Satis erat si eorum, quorum vindicias susceperant, innocentia demonstraretur; alios accusare non decebat, et in capitis periculum adducere.

[75] Epiph., § 6. [76] Clem. Alex., Strom., lib. II, p. 383; Epiph., § 8. [77] Epiph., § 17. [78] Lib. I, c. 25, a. 3.

Digitized by Google

XIV. *De Ophitis et Sethianis.*

150. Aliud Gnosticorum genus memorat Irenæus[78], quos alii, ut Theodoretus, Ophitas et Sethianos promiscue vocant : quamvis alii, ut Epiphanius, inter utrosque distinguant, diversasque ex eis hæreticorum sectas constituant; sed præter Irenæi mentem, qui alios ab aliis haudquaquam distinguit, unique et eidem sectæ, eadem quæ alii partiuntur, dogmata attribuit. Ophitæ seu Anguinei dicebantur, ab *angue* seu *serpente*, quem numinis instar venerabantur, quod hominibus scientiæ omnis auctorem exstitisse crederent; Sethiani vero, quod Seth Adami filium virtutem quamdam divinam fuisse arbitrarentur. Eorum hæresis ex male compacta placitorum Nicolaitarum et Valentinianorum farragine condita est : et eapropter a Pseudo-Tertulliano cum illa Nicolaitarum confunditur; ab Irenæo vero[79], Epiphanio et Theodoreto a Valentiniana schola derivatur[80], quod Valentinianum quidpiam admistum habeat. Natam proinde post Valentinum necesse est. Primo loco statuebant *quoddam primum lumen in virtute Bythi, beatum et incorruptibile, et interminatum*, quod *Patrem omnium et primum hominem* vocabant. Progressam ab hoc Ennœam, filium emittentis, filium hominis et secundum hominem dicebant. Infra utrumque positum volebant Spiritum sanctum, quem primam feminam et matrem viventium vocabant; qui quidem super segregata elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos ferretur. Ex conjunctione primi et secundi hominis Spiritus sanctus, radiis supremi luminis imprægnatus, novum lumen incorruptibile profudit, tertium masculum, Christum, filium primi et secundi hominis, et Spiritus sancti, primæ feminæ. Verum cum universa luminis Spiritui sancto infusi plenitudo capi ab eo non posset, magna ejus copia superebulliens secundum sinistras partes deorsum decidit; Christo interim secundum dextras sursum cum matre sua conscendente, et in incorruptibilem Æonem recepto. Hæc prima Æonum tetras, adunatio videlicet Patris omnium primi hominis, Filii secundi hominis, Spiritus sancti primæ feminæ, et Christi filii eorum, vera et sancta Ecclesia ab insanis illis, Scripturam pro more depravantibus, appellabatur.

151. Virtus vero illa exsuperans quæ in inferiora delapsa est, quamque Sinistram, Prunicum, Sophiam et masculo-feminam appellant, cum in aquas hactenus immobiles descendisset, movere cœpit eas ab imo ad summum, assumpsitque ex eis corpus. Cum autem ad hujus lumen accurrissent omnia, eique adhæsissent, tanta mole gravata, et tantum non absorpta, frustra nitebatur aquarum complexus excutere, et ad matris sinum remeare. Interim superni luminis reliquias abscondere pro viribus conabatur; miseram enim angebat timor ne ab elementis læderetur. At novi luminis accessu roborata, emersit tandem, sursumque se extulit : ubi dilatato ac expanso corpore suo, produxit cœlum hoc quod apparet, sub quo remansit; servans adhuc aquatilis corporis formam. Sed superni luminis desiderio semper stimulata, viribus omnibus contendens, superstitibus corporis reliquiis demum expedivit sese. Corpus autem quod exuit, feminam a femina nominant. Habuit et filium nomine Jaldabaoth, quem in ignorantia peperit, cui tamen infudit aspirationem quamdam incorruptelæ; qua vegetatus, inconsulta matre, Angelos, Archangelos et Virtutes, insuper et filium ex aquis produxit; a quo genitus et alter filius, ab hoc tertius, et sic consequenter usque ad septimum, unoquoque cœlum sibi proprium condente ac regente; ut sic fieret hebdomas, octavum Matre tenente locum.

152. Hæc fabulæ prima pars, in qua Platonismus non obscure se prodit. Ibi primum apparet materia prima sub nominibus elementorum, aquæ, tenebrarum, abyssi, chaos, quibus designari solet a Platonicis, ut alibi diximus; eaque æterna, ut videtur, Deoque ipsi coæva; quæ si non Platonis ipsius, saltem discipulorum ejus non paucorum opinio fuit. Duo itaque principia coæterna statuunt hæretici; alterum activum, Deum scilicet, sive lumen primum et incorruptibile; alterum passivum, hoc est materiam informem. Ab illo lumine seu Patre progressa Ennoia, [LXXV] mens est Patris rerum omnium ideas efformans, et in se continens, æternaque rerum exemplaria, ad quorum normam omnia conduntur. Spiritus sanctus, est spiritus Universi, seu anima mundi. Primam feminam et matrem viventium vocant hæretici, quia prima generationem omnium ac motuum causa est. Hujus spiritus pars sursum effertur, pars ad ima descendit, aquasque movet; quia materiæ subtilioris, quæ spiritus Universi est, partes aliæ aliis subtiliores; aliæ aliis, pro variis subtilitatis gradibus, superiores. Quæ pars in aquas descendit, ea est quæ materiæ primæ motum impressit, ac in ea ceu fermentum abdita, peneque primum ejus mole obruta, paulatim demum vires exseruit, fractisque, quibus detinebatur, repagulis, sese extricans, ei varias formas, figuras ac motus indidit. Sic vulgata tria Platonicæ philosophiæ principia, Deum, mentem et animam mundi, primamque rerum genesim sub mysticis Patris, Filii et Spiritus sancti nominibus, non sine sacrilego religionis abusu, tradebant male feriati homines. Cætera de Æonibus deliria non moror; facile intelliguntur ex iis quæ de Valentinianis diximus.

153. Longiora sunt quæ de hominis origine, ejus casu, malique ortu (qui scopulus fuit ad quem allisi sunt omnes fere priorum sæculorum hæretici) texunt commenta. Summa huc redit : Jaldabaoth, spreta matre, principatum arripibat; reluctabantur ab eo geniti liberi : unde stomachi ple-

[78] Lib. I, c. 30; Theodoret., lib. I, c. 14; Epiph., hær. XXXVII. [79] Tertull., De præs., c. 47. [80] Iren., n. 1; Epiph., § 3; Theod., loc. cit.

Digitized by Google

nus ad materiæ fæcem demisit oculos, et Virtutem quamdam, serpentis specie, quem ejus Filium et Nun vocant; dehinc et spiritum, et animam, et omnia quæ in mundo sunt, genuit : indeque nata omnis oblivio, malitia, zelus, invidia et mors. Hinc insulsæ gloriationis ansam captans, Patrem se vocavit et Deum, et supremum rerum omnium principium. Ut vero insaniam ejus castigaret Mater, ipsi sexque reliquis Virtutibus, ut hominem conderent, mentem injecit; ut sic ablata a Jaldabaoth vi illa, quam eidem impertierat, in hominem transfunderet. Formatus igitur ab illis homo, longitudine et latitudine immensus, et humi repens, id est informis. Huic Jaldabaoth afflat spiritum vitæ, et cum eo lumen, seu, ut vocabant, *humectationem luminis*, Nun videlicet et Enthymesin, quam a Matre acceperat; sed dum sibi demit, quod alteri tribuit, tantum proprias vires labefactat; quod callidæ Matris intentum erat. Homo autem Nu et Enthymesi, hoc est mente, et cœlestium desiderio locupletatus, quæ sola, secundum Gnosticos, salutem percipiunt, statim primo homini, seu supremo Patri, relictis fabricatoribus, gratias egit. At Jaldabaoth ægre ferens ea quæ supra se erant, ad alicujus notitiam pervenisse, feminam condidit, vocatam Evam, cujus formam mirati cæteri genuerunt ex ea Angelos. Sed ab ea cœlestis Mater virtutem a Jaldabaoth inspiratam clam abstulit : nec his contenta, tantum artibus effecit, ut serpens ei primum, tum per eam Adamo rebellionis auctor fieret, vetitum fructum manducare suadens; per quem uterque supremæ Virtutis, divinorumque mysteriorum scientiam adeptus, a mundi opificibus abscessit. Iratus Jaldabaoth, rebelles divina substantia vacuos, et maledictos, e cœlo et paradiso in hunc mundum dejecit : ubi corpora illorum levia, pellucida et spiritualia, in tardius, obscurius et crassius mutata sunt, debilitata etiam et languore fracta anima. Simili ratione serpens Nus, seductionis instrumentum, in hunc mundum detrusus, angelos illius sibi subjecit, sexque filios, dæmones mundanos, genuit, ad imitationem supernæ hebdomadis : hominibus semper infestos, quoniam paterno lapsui et infortunio occasionem præbuerant. Ubi vero Prunicus hominum calamitate Jaldabaothi arrogantiam jam satis pro votis ulta est, ad miserationem versa, amissi luminis sensum quemdam eis concessit, per quem pristini status memores, præsentisque conscii, animum receperunt, intellexeruntque mortalis corporis mole se tandem aliquando liberandos : unde cibis jam refecti, generationi operam dederunt, ex qua natus primum Cain, tum deinde Abel, quos serpens cum filiis suis statim evertit, et in omnem nequitiam præcipites egit. Nec mirum : iis clam adversabatur Mater, ad id unum attenta, ut quod sibi proprium erat, supernum videlicet lumen, salvum fieret. Hinc irato hominibus Jaldabaoth, quod se non colerent, diluvioque humanum genus perdere volente; luminis quod infuderat sollicita, Noe servavit in arca, a quo nata nova hominum progenies mundum supplevit. Ex iis Abrahamum sibi delegit Jaldabaoth, cum quo fœdus iniit; per Moysen Israelitas eduxit ex Ægypto, legemque sanxit; ac tum ipse, tum filii ejus e Judæorum gente suos sibi quisque prophetas asciverunt, per quos vaticinia sua funderent.

154. In his omnibus dogmata Platonica ad Christianæ religionis genium, et communem Gnosticorum hypothesim, non sine insigni Scripturarum corruptione, utcunque accommodata deprehendere est. Ibi superna animarum origo, ceu scintillarum ab igne divino emicantium, sive portionum quarumdam a divina substantia deciduarum, cum Platone fingitur. Eæ propter inditi luminis abusum, corporum carceri squalido et tenebricoso includuntur, liberandæ suo tempore, et pristina luce recreandæ : quod Platonicum commentum est de animabus, ob amissas, quibus sursum ferebantur, contemplationis pennas, in corpora præcipites; ubi refricata paulatim supernorum memoria pristinam felicitatem gradatim recuperant. Ibi etiam mundi fabricatio angelis, non ipsi Deo summo ascribitur; quod itidem Platonicum est. Illis quidem fabulis multiplicem ornatum suppeditat religio Christiana; sed fundamentum præbet Platonica philosophia, ut sigillatim ostendere proclive foret, nisi attendentibus, et quæ jam multoties diximus recolentibus res facile pateret. Cætera quæ de rebellione Jaldabaoth, de duplici anima, altera quæ spiritus vitæ sit, seu animalis, insufflata per Jaldabaoth; altera quæ spiritalis sit, seu *humectatio* luminis, quæ clam eo, ejus tamen interpositu, per Matrem afflatur, quam solam cum emiserit Mater, solam servat in hominibus, solam salute donandam, corpore proinde æternum perituro; de lege Mosaica sancita per Jaldabaoth, etc., garriunt hæretici Gnostica sunt et Valentiniana.

155. Ejusdem generis sunt quæ de Jesu Christi ortu, morte, ac beneficiis per eum præstitis comminiscebantur [81]; nisi quod Jesum e Virgine natum esse faterentur, et Christum non solum, sed simul cum Sophia sorore sua in eum descendisse vellent. Jesu quidem corpus a mortuis excitatum [LXXVI] dicebant; non illud terrenum quod caro et sanguis est (hæc enim, inquiebant, regnum Dei possidere non possunt : unde quidquid mundanum acceperat, mundo dimisit); sed illud corpus quod animale et spiritale vocabant, partem videlicet corporis subtiliorem et aeream; seu potius ipsam animam tum animalem, tum spiritualem, quam utramque corpoream esse finxerint, qua-

[81] Iren., n. 11, 12, 13.

Digitized by Google

rum tamen altera purior et subtilior dicta fuerit spiritalis, comparatione alterius crassioris. Quidquid sit, ludicrum est illud resurrectionis genus, quod hic admittebant, et ab eo quod catholica fides docet, procul diversum. Addebant, per Jesu resurrectionem spoliatum fuisse Jaldabaoth dominio quod sibi vindicarat in animas sanctas; jamque deinceps penes ipsum non fore, ut spiritales rursus demittat in sæculum purgandas, sed eas tantum quas insufflaverat, id est animales. Quæ Platonicam metempsychoseos fabulam olent.

156. Ex Ophitis quidam, Irenæo teste [82], ipsam Sophiam serpentem factam esse dicebant, ut Adæ conditorem debellaret, hominibusque scientiam importaret; et eapropter dictum serpentem omnium animantium sapientissimum. Sed sive Sophiam, sive Nun serpentem induisse vellent Ophitæ, huic summos honores deferebant, ob eam quam ab illo accepisse se scientiam existimabant. Testatum faciunt Epiphanius, Theodoretus, et Augustinus [83], impuros illos homines verum serpentem in cista vel spelunca nutrivisse, quem mysteriorum tempore evocabant. Is aperto foramine et latebris erumpens, mensam conscendebat, et circum panes implicabatur. Id Eucharistiam, et absolutissimum esse sacrificium censebant. Panes vero, quibus circumvolutus fuerat serpens, non modo frangebant, et distribuebant; sed etiam quilibet admoto ore serpentem ipsum exosculabatur : sive cantionibus quibusdam ad mansuetudinem bestia molliretur, sive alio dæmonis artificio innocua redderetur. Ac demum supremum Parentem per illum, ut aiebant, celebrantes, mysteria sua perficiebant.

XV. *De Caianis seu Cainistis.*

157. A Caianis seu Cainistis Gnosticorum catalogum, ac librum suum primum claudit Irenæus. Eos e Valentiniana schola, ceu novum Lernææ hydræ caput, pullulasse scribit; Epiphanius vero et Theodoretus [84] ex impuro Gnosticorum Nicolaitarum, Valentinianorum, et Carpocratianorum fonte impietatem suam actionesque nefandas hausisse volunt. Utrumque simul verum esse potest; nec repugnabit Irenæus, qui paulo post subjicit Caianos fœdam Carpocratianorum vivendi rationem imitatos fuisse. Sic dicti fuerunt, quod Cainum prædicare, parentemque suum appellare eos non puduerit. Duplicem quippe Virtutem fingebant, aliam superiorem, quam Sophiam, aliam inferiorem et posteriorem, quam Ὑστέραν, *Hysteram*, vocabant. Huic cœli et terræ fabricationem ascribebant. Adamum vero atque Evam ab iis Virtutibus, sive Angelis, originem traxisse; quos autem genuere liberos, non item [85]. Nam ambas Virtutes cum Eva congressas Cainum et Abelem genuisse sic affirmabant, ut superioris et fortioris fuerit Cainus, Abelus inferioris : propterea secum invicem rixatos, qui fortiori a Virtute propagatus fuerat, inferioris imbecillioris que sobolem occidisse. Ad eamdem cum Caino prosapiam pertinere volebant Esau, Core, Sodomitas, et omnes qui in Veteri Testamento scelerum infamia laborant [86], quos opinione sua laudandos, ac secum generis cognatione conjunctos, utpote perfecta, cæterisque sublimiori scientia decoratos, asserebant nequissimi illi. Ideo mundi Opifici invisos, continuisque insidiis appetitos, nihil tamen ab eo detrimenti accipere potuisse : quod semine suo imprægnatos tutata fuerit mater Sophia, et in supernum Æonem commutatos ad sese tandem rapuerit. Judam, quem etiam affinem suum esse jactitabant, cuique soli præ cæteris mortalibus veritatis notitiam attribuebant, accurate omnia hæc perspecta habuisse : quamobrem Virtute potentiore divina instigatus Christum Jesum prodidit, sive quod, ut alii blasphemabant, malus esset, veritatique bellum indiceret [87]; sive, ut, quemadmodum alii volebant, saluti nostræ consuleret, et Jesu Christi cruce ac morte cœlestium rerum cognitionem nobis procuraret. Noverant enim mundi principes, si is in crucem tolleretur, ipsorum exhaustum iri potentiam omnem; quare veritus Judas ne mortem ejus impediret, maturavit, omnemque lapidem movit, ut eum Judæis traderet. Hanc enim fuisse causam volunt cur e cœlo delapsus sit; ut fortis in ipso solidiorque Virtus perficeretur, ostenderetur que, ac de infirmiore triumphum referre doceret. Exsecrandum certe triumphum, in eo situm, ut unusquisque per nefanda omnia flagitiorum genera volitaret : neminem quippe perfectam cognitionem, ipsamque proinde salutem adipisci posse, nisi turpissima quæque expertus fuerit. Quæ Carpocratis blasphemia fuit. Hoc unum addebant, unicuique flagitiosæ actioni præesse Angelum aliquem, quem huic operam dantes invocabant. Plures apocryphos libros confinxerant [88], ut Evangelium Judæ, Anabaticum Pauli, seu de assumptione Pauli in tertium cœlum, et alios quosdam, næniis et impietatum monstris refertos. Porro si quid a cæteris Gnosticis discreparint belluæ istæ, discrimen in eo tantum fuit, quod superni seminis copiam reprobis quibusdam ac scelestis hominibus facerent, quam iisdem alii negabant. Sed idem omnibus fundamentum erroris exstitit, salutem videlicet uni divino semini, seu rerum cœlestium scientiæ acceptam referendam esse, mundique conditorem a supremo Deo diversum esse; alterum bonum esse, alterum malum : hujus conculcanda opera, violandasque leges; illius comparandam notitiam.

158. Hæc sunt quæ de hæresibus ab Irenæo recensitis dicenda erant. Eas pro modulo nostro explicare, densamque iis offusam caliginem dispel-

[82] Iren., n. 14. [83] Epiph., § 5; Theod., loc. cit.; Aug., Hær. XVII. [84] Iren., lib. I, c. 31; Epiph., Hær. XXXVIII; Theod., lib. I, c. 15. [85] Epiph., § 2. [86] Iren., n. 1; Epiph., § 1; Tertull., De præscr., c. 47; Theod., loc. cit. [87] Epiph., § 3; Tertull., loc. cit. [88] Iren., n. 1, 2; Epiph., § 2.

Digitized by Google

lere conati sumus, ipsas ad genuinos fontes, Platonica nimirum philosophemata revocando. Plerasque Gnosticorum fabulas, quæ hactenus inextricabiles visæ sunt, purum putumque Platonismum esse, laceris ac fœde mutilatis Scripturarum tegumentis Christianæque religionis dogmatibus pessime vestitum nobis constat; forte et aliis, si ad hactenus dicta attendere dignati fuerint, remque penitius adhuc investigare, constabit. Neque enim latius ut in eo campo exspatiemur sinunt præscripti nobis limites; voluissemus, si licuisset, paulo minus exspatiari.

DISSERTATIO SECUNDA.

De sancti Irenæi vita et rebus gestis; de ejus libris quinque adversus hæreses et aliis scriptis deperditis.

ARTICULUS PRIMUS.

SANCTI IRENÆI VITA ET RES GESTÆ.

[LXXVII.] Quæ fuerit Irenæi patria, quod genus, quove anno in lucem editus, nullibi apud veteres, quorum exstant opera, scriptum legitur. Id tamen certum videtur, Græcum exstitisse; quod ipsum nomen plane Græcum, et ejus institutio suadet. Narrat enim vir sanctus in epistola ad Florinum, cujus fragmentum recitat Eusebius [89], se *puerum adhuc*, παῖς ὢν ἔτι, vel, ut loquitur in opere adversus Hæreses [90], *in prima sua ætate*, ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ, Polycarpum jam valde senem, πάνυ γηραλέον, audiisse, et ab eo primis Christianæ religionis præceptis imbutum fuisse. Quin Polycarpus tunc Smyrnæ, cujus episcopus erat, ageret, dubitari non potest, innuereque videtur Irenæus loco proxime citato. Ex quo inferre licet, hunc non procul ab ea urbe, ac proinde ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ, *in inferiore Asia*, ut habet in epistola laudata, ortum accepisse. Fidem quippe superat, teneræ ætatis puerum e longinquis regionibus illuc missum fuisse. Non tamen adeo teneræ ætatis puer fuit Irenæus, quin Polycarpum studiose, ut ipse scribit, audierit, et ea quæ ab illo docebantur alte in corde suo consignaverit, semperque studiosa mente revolverit. [91] Annos itaque plus minus duodecim natus tunc fuerit necesse est: vix enim in duodenni, aut decenni minorem mox dicta caderent. Sed absit ut cum cl. Dodwello [92] credam, vicesimum annum tunc eum excessisse, ac tricesimo proximum fuisse, cum Polycarpum audiret. Monstro prorsus simile, *puerum et in prima ætate* eum dici, qui vicesimum quintum annum attigerit. Nec Dodwellum juvat, quod Irenæus [93] hominum ætates enumerans, infantium, parvulorum, puerorum, juvenum et seniorum meminerit, puerosque proximos juvenibus faciat, medios inter hos et parvulos: juventutis vero senectutisque limites ita definiat, ut a tricenario juventutem inchoet, extendatque ad quadragenarium; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinare dicat hominem in seniorem ætatem. Palam est enim ibi juventutem pro virili ætate accipi, utpote quam proxime senectus excipiat. Quod vero pueros juvenibus, omissis adolescentibus, immediate præponat, nihil est. Irenæo animus non fuit ibi omnes hominum ætates sigillatim recensere, et exacte definire: probare satis pro instituto fuit, Christum sanctitatem omnibus ætatibus, singulas decurrendo, contulisse, ut inde conficeret (qui scopus fuit) et ad senilem ætatem pervenisse, ac proinde quadragesimum annum excessisse. Hinc memoratis infantibus, parvulis, pueris, juvenibus et senioribus, subdit: *Ideo per omnem venit ætatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.... in juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens, et sanctificans Domino. Sic et senior in senioribus*, etc. Ubi pueros ante memoratos omittit, quod a parvulis haudquaquam distinguantur. At quamvis pueros hic pro adolescentibus accepisset Irenæus, quod paradoxi genus nulli sobrio persuadebit unquam Dodwellus, certe hinc concludi non posset, eum vicesimo majorem fuisse, cum Polycarpum audiret: neque enim puerum tantum se tunc exstitisse dicit, sed *in prima ætate*, ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ. Quis vero ferat primam ætatem usque ad annum vicesimum quintum extendi? Si tantum ætate processisset Irenæus, non est quod commentitia Dodwello videantur omnia quæ de

[89] Lib. v, c. 20. [90] L. III, c. 3, n. 4. [91] In epist. ad Flor. [92] Diss. 3, in Iren., § 6 et seqq. [93] Iren., lib. II, c. 22, n. 4.

Digitized by Google

Irenæi presbyteratu, diaconatu, aliisque Ecclesiæ officiis a Polycarpo acceptis, tradidit Halloixius. Puerumne, inquit ille, Polycarpus, et in prima ætate constitutum, ad presbyteratum usque fuerat evecturus? Non certe. Sed si *puer* ille annum XXV ætatis attigisset, ad diaconatum saltem evehi potuisset.

2. Constat itaque Irenæum tum cum Polycarpum audiret, duodenni majorem esse non potuisse. Cum vero Polycarpus jam tunc πάνυ γηραλέος, valde senex esset, ac proinde martyrio propior, diutius sub tanti magistri disciplina versari non potuit : is quippe gloriosa morte vitam finiisse creditur anno Christi 166. Non procul igitur a vero aberraverimus, si natum Irenæum dicamus anno circiter 140, sub Antonini Pii imperii initia. Toto vicennio citius natum volunt alii, ac in primis doctissimus Tillemontius [94] : sed vereor ut Polycarpus anno circiter 132, quo Irenæum docere debuisset, valde senex dici potuerit; quem non nisi post quatuor et triginta abhinc annos obiisse fatetur ipse vir clarissimus. Quod a fortiori contra Dodwellum [95] militat, qui ortum Irenæi sub Trajano collocandum censet, et quidem illum a Trajani initio fortasse repetendum. Quod si verum sit, Polycarpum audierit Irenæus anno plus minus 125, quod ultro fatetur vir cl. Sed futili, inter alias plurimas, nititur conjectura : quod nempe Irenæus ad Florinum scribens, vidisse se eum asseveret in inferiore Asia apud Polycarpum, cum in imperatoria aula splendide ageret, λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ. Ex quo consequens Dodwello videtur, adfuisse eodem tempore, quo Polycarpum audivit Irenæus puer, in Asia proconsulari imperatorem, in cujus aula versatus fuerit Florinus; non alium certe quam Adrianum, qui circa annum 122 in Asiam profectus est. Sed qui ex Irenæi verbis erui possit, imperatorem tunc in Asia commoratum fuisse, solus viderit Dodwellus ; alter quivis hinc tantum intulerit, Florinum aulicum quempiam fuisse, qui summa apud imperatorem gratia valuerit, nec quidquam amplius. Sunt qui Irenæum Joannis apostoli discipulum faciant, ut Paradinus [96], et Severtius [97], una diplomatis cujusdam auctoritate freti, cui subscripsisse dicuntur Gregorius papa V, Henricus rex Burgundiæ, et Hugo Lugdunensis archiepiscopus. Sed quidquid sit de diplomate, repugnant veteres omnes, qui Irenæum Polycarpi, [LXXVIII] non Joannis discipulum fuisse asserunt; repugnat Irenæus ipse [98], qui quidem non semel a senioribus, qui apostolos eorumque discipulos viderunt et audierunt, plura didicisse se gloriatur, at nusquam ab apostolis ipsis ; quod nunquam, si factum fuisset, omisisset, non leve argumentis contra hæreticos allatis pondus hinc additurus. Et de Joannis Apocalypsi agens, scribit, *non ante multum temporis visam esse, sed pene sub suo sæculo*, σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, *ad finem Domitiani imperii*. Quibus verbis non longe quidem a Joannis temporibus vixisse se agnoscit, ei vero coævum exstitisse se negat.

3. Sed etsi Joannem ipsum non audierit vir sanctus, Joannis tamen lectiones excepisse dicendus est, qui a discipulis ejus institutus, tantum in eorum schola profecit, ut inter apostolicos viros, apostolicæ doctrinæ testes, primosque canales, a veteribus omnibus merito recenseatur. Cum enim per Polycarpi mortem sanctissimi senis scholam diu frequentare non licuisset, Papiam alterum Joannis discipulum adiit, ejusque disciplinæ se tradidit, ut auctor est Hieronymus [99]. Seniores alios, apostolorum, apostolicorumque virorum discipulos, et inter eos eximium quemdam, audiisse se non semel affirmat in libris adversus hæreses. Quis sit autem ille senior tam frequenter ab eo laudatus, an ipse Papias, an alter, hactenus incompertum. A talibus tantisque viris sanctioris doctrinæ purissimos latices, profundioremque sacrarum litterarum intelligentiam, simul et vitæ sanctimoniam, ac incensum tuendæ fidei, quam una cum nutricis lacte suxisse verosimile est, studium hausit medullitus, atque deinceps in scriptis suis ubertim effudit. Nec enim segnis et otiosus auscultator, quæ acceperat, e memoria elabi sinebat : quin potius ab ipsa pueritia, cum vix aliis per teneram ætatem seriis attendere licet, Irenæus quæcunque sanctissimorum illorum, primorumque Christianæ religionis magistrorum ore promebantur, ceu pretiosas Evangelii margaritas studiose colligens, sibique, spretis omnibus aliis, comparans, in intimo cordis sinu recondebat, suo tempore proferenda. Ita se affectum fuisse, cum sub Polycarpi disciplina degeret, pro jure suo gloriatur, Florinoque, suo quondam sub tanto præceptore condiscipulo, sed deinde misere in hæresim prolapso, ob oculos ponit : ut colendi utrique magistri memoria devium ad pristinam fidem revocaret. Verba tum Græce, tum Latine ad calcem operis retulimus inter fragmenta. Et ut Polycarpi præsertim memoria cordi altius infixa hæreret, sibi ipse exscripsisse creditur Ecclesiæ Smyrnensis epistolam, in qua martyrii ejus historia refertur; ut inferre licet ex adnotatione quam ad calcem illius epistolæ reperit in mss. codicibus Usserius.

4. Non adeo tamen ad sacras litteras animum intendit, ut humaniores negligendas sibi putaret. Probe noverat vir perspicacissimus, ejusmodi studia non tantum ad ingenium excolendum, firmandumque judicium haud parum conducere ; sed et iis apprime necessaria esse, qui ethnicos, hæreticosque confutaturi, vanæ theologiæ, profanæque superstitionis intelligentiam ex ipsis fontibus, poetarum

[94] T. II Hist. eccles., p. 79. [95] Diss. III in Iren., § 3, 10 seqq. [96] Lib. II Hist. Lugd., c. 30. [97] De Lugd. archiep., I part., c. 2. [98] Lib. V, c. 30, n. 4. [99] In Catal. et ep. 53, al. 29, ad Theod

Digitized by Google

præsertim ac philosophorum libris, haurire debent[1]: *Ut æmuli persecutoresque Christianæ veritatis de suo proprio instrumento, et erroris in se, et iniquitatis in nos revincantur.* Hinc in evolvendos profanorum auctorum libros indefessus incubuit : quod ex iis quæ passim citat poetarum ac philosophorum veterum testimoniis luculenter patet : ut non immerito eum Tertullianus[2] *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* vocaverit. Nec vero intempestive, et, ut a plurimis fit, ut multiplicis litteraturæ laudem aucupetur, e veteribus decerptos flores operibus inspergit, sed quotiescunque facit, opportune et apposite ad argumentum facit ; vel ut ridicula hæreticorum deliria festivis salibus perfricet ; vel ut impuras, e quibus acceperant, lacunas aperiat ; vel ut Ecclesiæ hostes propriis mucronibus configat. Et eapropter Hieronymus[3] studii philosophici vindicias agens, utilitatemque demonstrans, argumentum ab Irenæi et aliorum quorumdam exemplo petit, *qui origines hæreseon singularum, et ex quibus philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt.* Minus ergo sibi æquus humillimus, modestissimusque Pater, dum amico persuadere conatur, se *nec verborum artificium didicisse, nec in comparanda vi conscriptoris elaborasse; ac dictionum ornamenti, persuadendique facultatis expertem se ac ignarum esse.* Minus etiam Irenæo[4] æqui, qui paulo humiliorem ejus stylum conqueruntur. Secus sensere æquissimi rerum æstimatores Tertullianus paulo ante laudatus, et Hieronymus, qui ipsos *libros adversus omnes hæreses doctissimo et eloquentissimo sermone compositos* asserere non dubitat : quod facile animadvertit quisquis eos attentus legit, probantque, quæ inter ipsas male sani textus Græci, barbaræque versionis Latinæ salebras identidem emicat sublimis perspicacisque ingenii acies, acerrimi judicii firmitas, mira in excogitandis argumentis ubertas, in deligendis solertia, in proponendis facilitas, in refellendis adversariis vis ac dexteritas; quæque demum hirsutas molestissimi argumenti spinas emolliunt, et obscurioribus locis lucem afferunt elegantes et e re nata petitæ similitudines, lectorisque animum jucunde recreat condita interdum sale et facetiis oratio.

5. Quantum temporis in Oriente versatus fuerit, postquam ex ephebis excessit Irenæus, quidve ibidem gesserit, an sacras functiones obierit, vel docendi munus susceperit, tacentibus veteribus dici non potest. Halloixius[5] quidem eum inter sacros ministros allectum, et diaconi, imo et presbyteri munere decoratum a Polycarpo fuisse asserit ; sed nullo antiquitatis testimonio fretus. Qui puer Polycarpum jam valde senem audiit, diu satis cum eo commorari non potuisse videtur, ut in sacris Ecclesiæ gradibus collocari ab illo potuerit. Si quis tamen contenderet Irenæum prius ab episcopo quopiam orientali diaconum fuisse ordinatum, quam in Gallias mitteretur, haud adeo repugnarem ; vix enim crediderim laicum eo destinatum fuisse, qui illas regiones Evangelii luce collustraret. At intra conjecturæ metas sisto, nihil sine historicorum monumentorum fide temere affirmandum ratus. Illud certum, Irenæum in Gallias profectum, Lugdunum venisse : quando vero, a quo, et qua occasione missus fuerit, incertum prorsus. A S. Polycarpo missus fuisse scribit Gregorius Turonensis[6] : quod factum putat Halloixius[7] circa annum 157, tum cum Romæ degeret Polycarpus, quo venerat Aniceti temporibus. Sed junior tunc fuisse videtur Irenæus, [LXXIX] ut mitti potuerit. Tardius igitur missum puto, quamvis quo anno, et a quo, definire nec ausim, nec possim.

6. A S. Pothino Lugdunensi episcopo ordinatum fuisse presbyterum, ex Hieronymi[8] verbis inferre licet ; eum enim *Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyterum* vocat. Quæ significare videntur, Pothinum, pro more qui dudum in Ecclesia viguit, per impositionem manuum sibi et Ecclesiæ suæ vindicasse ac mancipasse Irenæum; quem eam ob rem Eusebius[9] appellat *presbyterum Ecclesiæ Lugdunensis.* Quæ vanam esse ostendunt recentiorum quorumdam conjecturam, Irenæum angelum illum esse, sive episcopum Ecclesiæ Thyatirensis, in Apocalypsi Joannis designatum ; ne repetam, quod superius probavi, eum nonnisi post multos a scripta Apocalypsi et ipsa morte Joannis annos natum esse. Quam præclare sese in presbyteratus munere gesserit, satis probant ea quibus pietatem ejus, ardentissimumque Christianæ legis tuendæ atque amplificandæ studium commendant martyrum Lugdunensium verba, brevia quidem, sed efficacissima, in iis quas ad Eleutherum papam scribunt epistolis, quas perferendas Irenæo tradiderant[10]. *Te per omnia ac perpetuo optamus in Domino valere, Pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi. Quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi in primis commendassemus.* Sic illi. Has quidem epistolas a martyribus ipsis scriptas fuisse negat Blondellus[11], sed potius a clero Lugdunensi, quia, inquit, anno 7 imperii Marci, Christi 167, quo martyrium Pothini ac Lugdunensium contigit, Soter Romanam Ecclesiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id assequatur, prius Eusebii fidem elevet necesse est, qui eas epistolas

[1] Tertull., De Test. an. c. 1. [2] In Val., c. 5. [3] Ep. 83, al. 84, ad Mag. [4] Præf. lib. 1. [5] Vit. Iren., c. 3. [6] Hist. Franc., lib. 1, c. 29. [7] Loc. cit. [8] In Catal. [9] L. v Hist., c. 4. [10] Id., ibid. [11] Apol. pro sent. Hieron., c. 8.

Digitized by Google

a martyribus adhuc in carcere positis scriptas, eosque sub Eleuthero, anno 17 Marci Aurelii passos esse affirmat. Hinc ergo potius concludere debebat Blondellus, eos saltem anno 170, quo pontificatum iniisse vult Eleutherum (tardius ego iniisse putem), martyrium subiisse, quam id vanis conjecturis nixus ad an. 167 referre. Certe post annum 167, imo et 170, exaratas fuisse illas epistolas, demonstrat scribendi occasio.

7. Præter externas quibus Ecclesia, M. Aurelio in Christianos sæviente, jactabatur procellas, motibus intestinis quassata Christi sponsa gemebat, civilibusque discordiis, quas pepererat animorum dissensio, flagrabat. [12] Exorti circa annum 170 Cataphryges, Montano, Alcibiade ac Theodoto ducibus, afflante et instigante dæmone, novis quibusdam præstigiis, falsisque vaticiniis incautos decipiebant plurimos. Eo proclivior erat in errorem lapsus, quo, Irenæo teste [13], verorum miraculorum gloria coruscabat adhuc Ecclesia, cœlestiumque gratiarum dona multis in locis frequenter emicabant. Hinc animorum dissensio; aliis, quibus fucum faciebat pseudo-prophetarum simulata sanctitatis species, et austerum vivendi genus ab omni lautitia et deliciis temperans, Montanum et asseclas prophetiæ spiritu præfulgere opinantibus, eosque ut prophetas suscipientibus atque mirantibus; aliis, ut erat, a cacodæmone afflatos credentibus, et ut præstigiatores ac diaboli organa damnantibus et profligantibus. Interea persecutionis æstus Lugduni et Viennæ in Galliis effervescebat, plurimique e fidelibus tum laicis, tum clericis, cum Pothino Lugdunensi comprehensi, et in tetros carceres conjecti, egregium multiplexque Christianæ constantiæ in perferendis tormentis specimen ediderant. Consulti in hoc temporum miserrimo statu Lugdunenses et Viennenses ab Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ, quid de novis prophetis sentirent, peculiari epistola significarunt. Ipsi martyres in carcere constituti, quos Ecclesiarum Orientalium perturbatio magis, quam propria calamitas angebat, sententiam rogati privatis epistolis dixerunt, quas suis adjecit clerus, ut martyrum auctoritate judicium suum firmaret. *Religiosum in primis, et cum recta fide consentiens* fuisse, ac proinde pseudoprophetis, ut par erat, adversum, asserit is qui omnium epistolas legerat Eusebius [14]. Certe a Montanistarum, qui peccatoribus Ecclesiæ fores occludebant, immanitate probanda procul aberant ii, qui *neque fastu et arrogantia intumescentes adversus lapsos, neque dolorem matri, aut fratribus discidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam, charitatemque omnibus relinquentes, gratificati sunt iis qui fidem negaverant, mortuaque jam Ecclesiæ membra ad vitam revocaverant;* quique uni e sociis, S. Alcibiadi, persuaserant, ut a duro illo et squalido vivendi genere, quod affectabant novi prophetæ, temperaret; quia Attalo Deus revelaverat, *non recte, neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret.* Quia vero in omnibus ecclesiasticis negotiis primæ sunt episcopi Romani partes, nihil in re tanti momenti, ipso inconsulto, definiendum esse merito censuerunt clerus et martyres. Quare *pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes*, litteras ad Eleutherum scripserunt; rogantes, ut pro summa, qua valebat in Ecclesia auctoritate, in sedandos ortos in Asia motus, pacemque restituendam, pro virili parte incumberet.

8. Alia scribendi ad Eleutherum causa esse potuit. Forte inclinabat ad novos prophetas deceptus eorum artibus pontificis animus, imo et præpropere eis litteras pacis jam dederat. Si enim verum sit quod scribit Tertullianus initio libri *adversus Praxean*, *idem* Praxeas, cum Romam venisset, *tunc episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis et Ecclesiis eorum asseverando* (sic ille Montanistarum laqueis jam irretitus), *et præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.* Eum quidem episcopum Romanum proprio nomine designare Tertulliano non placuit; unde alii Anicetum, alii Victorem, alii alium intelligunt. At in Eleutherum magis quadrare videntur omnia; et quæ hic narrantur apprime consentiunt cum epistolarum Lugdunensium et Viennensium circumstantiis. Hæc contigisse certum est ipsismet Montanistarum initiis, cum necdum in apertum schisma eruperant, et Ecclesiæ catholicæ episcopos, Romanum in primis circumvenire nitebantur, ut hujus auctoritate pseudo-prophetias munirent, et tutius effunderent. Audierant Lugdunenses et Viennenses, [LXXX] ab Asianis forte moniti, deceptum Eleutherum intempestivam pacem fanaticis dedisse; inde turbari fideles, ac Ecclesiarum dissensiones augeri. E re sua arbitrati ex animo pontificis conceptam opinionem evellere, ad eum scribunt, martyrumque epistolas mittunt; hortati ut ad invictorum Christi athletarum sententiam, cujus tantum in Ecclesia pondus, suam componeret; ac id quod præpropere gesserat revocando, dissensiones ortas sedaret, pacemque in Ecclesia judicii sui auctoritate restitueret. Interea commodum accidit ut Praxeas ab Oriente Romam veniens, Montanistarum fraudes sibi probe notas Eleuthero aperuerit, ipsumque monuerit jam a decessoribus suis, Sotere videlicet, repudiatam esse prophetiam. Ita cum Lugdunensium epistolis accedente rerum notitia, Eleutherus mutata sententia *litteras pacis revocat jam emissas*, ortamque discordiam compescit.

9. Omnia hæc apte simul cohærent, mutuamque

[12] Euseb., lib. v, c. 3. [13] Lib. II, c. 31, n. 2, et c. 32, n. 4, 5; l. v, c. 5, n. 1. [14] L. v, c. 2 et 3.

Digitized by Google

sibi lucem inde afferunt Tertullianus et Eusebius. Hæc conjectura omnium certe probabilior. Eam dudum proposuerat Henricus Valesius [15], in illamque satis propendebat bonæ memoriæ Tillemontius [16]; ne tamen tueretur vir doctissimus unum obstitit. Nimirum, inquit, Tertullianus quam narrat historiam mutatæ a summo pontifice, monente Praxea, sententiæ, tam arcte cum ejusdem Praxeæ hæresi colligat, ut utrumque eodem tempore contigisse videatur. At certum est Praxean non emersisse, nisi post utrumque Theodotum, quorum antiquior sub Victore primum visus est. Alium igitur quam Victorem episcopum Romanum monere non potuit Praxeas. Ita vir clarissimus. Verum quidem est illa consequenter a Tertulliano referri : non tamen hinc inferri posse putem eodem prorsus tempore contigisse; imo contrarium suadet tota narrationis Tertullianicæ series [17]. Constat siquidem Praxean, cum ex Asia Romam advenit, Romanoque episcopo auctor fuit ut litteras pacis datas Montanistis revocaret, catholicam fidem, si non animo tenuisse, saltem adhuc simulasse, nec nisi post aliquot annos deprehensum fuisse hæreticum. Neque enim fidem tam facile apud pontificem obtinuisset perfidus hæresiarcha, quem turbis in Ecclesia ciendis studere compertum fuisset. Sed ne quidpiam hic conjecturis indulgere videar, Tertullianum ipsum audiamus : *Fruticaverant*, inquit, *avenæ Praxeanæ, hic quoque superseminatæ, dormientibus multis in simplicitate doctrinæ : traductæ dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsæ videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua; et manet chirographum apud Psychicos, apud quos gesta res est; exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracleti, atque defensio, disjunxit a Psychicis.* Itaque primum steriles avenas, ut eum Virgilio loquitur Tertullianus, seu falsam doctrinam seminavit Praxeas, non palam quidem, sed clam, *dormientibus multis in simplicitate doctrinæ*, nec infelix lolium advertentibus. Tam parum sibi ab eo cavebant fideles, ut jam fruticarent avenæ, id est, prava dogmata multorum animos occuparent inficerentque; donec tandem patefactum sit malum semen, *per quem Deus voluit*, nempe, ut videtur, per Tertullianum ipsum, qui nondum a Catholicis defecerat, ut ipse ait; et Praxeas palinodiam recantaverit. Hæc omnia simul et eodem tempore contigisse nemo sibi persuaserit; plures annos inter avenarum seminationem, fruticationem, patefactionem, et Praxeæ palinodiam intercessisse necesse est. Jam ergo si dicamus Praxean Eleuthero malas artes Montanistarum aperuisse anno 177, quo passi sunt martyres Lugdunenses; tum per viginti circiter annos catholicam fidem simulantem, hæresin clanculum disseminasse, eamque jam maturescentem latiusque serpentem sub hujus sæculi finem agnitam fuisse, ac tandem evulsam, auctore recantante, cum Victor Ecclesiam regeret, et uterque Theodotus emersisset; nihil, puto, affirmaverimus quod repugnet vel Tertulliano, vel certis historiæ ecclesiasticæ monumentis, vel temporum rationibus. Viderint tamen eruditi, quorum judicio conjecturas nostras libenter permittimus. Sed ad Lugdunensium et Viennensium epistolas redeamus.

10. [18] Cum clerus et martyres varias partim in Asiam et Phrygiam ad fratres, partim Romam ad Eleutherum papam litteras scripsissent; Irenæum rogaverunt, ut eas quæ ad Eleutherum dirigebantur, perferre non dedignaretur, et pacem inter Ecclesias pro virili sollicitaret. Provinciam cum libens suscepisset sanctissimus presbyter, profecturum martyres commandarunt pontifici, ut superius vidimus. Quæ vero causa fuerit ut Irenæum præ cæteris delegerint cum clerus, tum martyres, qui litteras eorum Romam perferret, obscurum in primis. Prima siquidem fronte intempestiva prorsus ea legatio videtur. Esto, permagni fuisset momenti de pace Ecclesiarum apud summum pontificem agere; at alteri demandari negotium poterat; saltem non adeo urgere videbatur, quin in aliud tempus commodius differri potuisset. Neque enim in tam adversa temporum conditione, sæviente in Christi gregem persecutione, clericis omnibus vel in vincula conjectis, vel latebras quærere coactis, opportunum erat ut Irenæus Ecclesiæ decus ac columen, cujus præsentia suis tantopere necessaria erat, tam procul mitteretur. His rationibus permotus cl. Henricus Valesius fatetur [19] quidem tum a Pothino Lugdunensi episcopo, tum a clero, tum a martyribus designatum fuisse Irenæum qui legatione apud summum Pontificem perfungeretur, et a martyribus commendatum fuisse; expletam vero legationem negat, sed superveniente Pothini morte alteri fuisse demandatam, ne in tanta rerum difficultate suo præcipuo lumine privaretur viduata mox suo pastore Ecclesia. Franciscus Feuardentius [20] et Halloixius [21] putant Irenæum, nedum ad Eleutherum, sed et ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ legationem obiisse : cum hoc tamen discrimine, quod prior velit eum Pothino adhuc in vivis agente, alter post ejus ac cæterorum martyrum necem profectum fuisse. Baronius denique censet Irenæum missum esse ad Eleutherum papam, et eam reipsa legationem obiisse; de Asiana autem profectione silet prorsus. Istius sententiam amplectitur is qui novam editionem operum S. Leonis papæ procuravit vir doctissimus [22], Irenæumque ante Pothini martyrumque mortem profectum esse probabilius existimat. Quid ipsi ea de re sentiamus, proferre liceat.

11. Et quidem Irenæum in Asiam et Phrygiam

[15] In Adnot. in lib. v Euseb., c. 3. [16] T. II Hist. eccl., not. 4, in Montan. [17] Adv. Prax. cap. 1. [18] Euseb., l. v, c. 3. [19] In Not. ad lib. v Hist. Eus., c. 4. [20] In Vit. S. Iren. operib. ejus præfixa. [21] In Vit., c. 7. [22] T. II nov. edit. S. Leon. Paris. an. 1675; diss. v, c. 13.

Digitized by Google

a Lugdunensibus et Viennensibus missum fuisse, [LXXXI] vel in eas regiones usquam migrasse, gratis omnino, nullaque monumentorum historicorum fide asseritur. Affirmat quidem Eusebius [25] varias a martyribus, cum adhuc tenerentur in vinculis, de pace Ecclesiarum scriptas fuisse epistolas, tum ad fratres qui erant in Asia et Phrygia, tum ad Eleutherum papam; mortuis vero martyribus, qui superstites erant fideles, eas longiori illi ac insigni epistolæ, quam ab ipso Irenæo Græco idiomate scriptam fuisse arbitrantur multi (haud certe indignus est fetus qui tanto viro tribuatur), in qua martyrum certamina describebantur, et ad cujus calcem judicium de novis prophetis ferebant, adjecisse; sed illas Irenæo traditas fuisse, vel rogatum eum usquam fuisse, ut in Orientem perferret, nec Eusebius, nec alius quisquam e veteribus memorat. Longe aliud sentiendum de iis, quæ ad Eleutherum papam scribebantur, epistolis. Has, ut Romam ferret, Irenæum rogasse se disertis verbis testantur martyres in scriptis ad eumdem Eleutherum in Irenæi gratiam commendatitiis litteris. Morem vero gessisse Irenæum, litterasque Romam pertulisse expresse asserit Hieronymus [26]: cui eo major hac in parte fides tribuenda, quo Romæ diutissime commoratus, ut probe notat doctissimus Leonis editor, scriniorumque apostolicorum particeps factus, hoc partim ex traditione urbis, partim ex monumentis adhuc superstitibus potuit edi-
C scere. Nec dissentit Eusebius: imo demandatam legationem expletam fuisse satis silentio suo significat; si effectum sortita non fuisset, id procul dubio non omissurus. Non committendum autem putem, ut a tantæ auctoritatis scriptorum sententia discedamus, nisi gravissimis momentis ac rationibus, quæ hic certe desunt, abducti. At, inquit Valesius, credibile non est Irenæum Ecclesiam Lugdunensem persecutionis acerbitate fatiscentem, suoque viduatam pastore, deserere aut voluisse, aut potuisse. Sed si credibile sit in iis temporum circumstantiis tum a clero, tum a martyribus jam in vincula conjectis, quibus propediem denuntianda esset capitalis adversus eos lata sententia, Pothino vel comprehenso vel mortuo, cæterisque clericis aut captis, aut fugatis, Irenæum, metu perculsæ
D et afflictæ Ecclesiæ tam necessarium, delectum fuisse, qui Romam litteras perferret; cur revera pertulisse fidem superabit? Quod impedimento fuisse supponitur quominus legatio expleretur; idem et esse debuit quominus decerneretur. Cum igitur hanc in ipso persecutionis æstu decreverint clerus et martyres; quin ea perfunctus fuerit Irenæus, pro summo quo invictos Christi athletas colebat obsequio, sæviente licet persecutione, dubitari non potest.

12. Si quidem de sollicitanda apud summum pontificem Ecclesiarum Orientalium pace, eaque A quam de Montani vaticiniis Lugdunenses atque Viennenses tulerant sententia Romam perferenda, quæstio duntaxat fuisset, ut supponit Valesius, nonnihil ponderis forsitan haberet ejus ratio. Non enim tanti momenti fuisse videtur, aut adeo urgebat negotium, quin in aliud tempus commodius differri, aut saltem alteri quam Irenæo facile committi potuisset. Unde quod in tam difficilibus Ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis temporibus rogatus fuerit talis et tantus vir, ut Eleutherum papam adiret, illud procul dubio demonstrat, longe aliam atque majoris momenti fuisse causam adeundi; præsensque aliquod ab istis Ecclesiis propulsandum discrimen maturasse profectionem. Quidnam vero rei fuerit, haud obscure, ni fallor, tum ex historia
B martyrum, tum ex Eusebio [28] ipso et Hieronymo colligitur. Ipsis persecutionis initiis comprehensus Pothinus episcopus Lugdunensis, atque a militibus immaniter raptatus, innumerisque plagis affectus, pene exanimis conjectus in carcerem, biduo post ex vulneribus acceptis nonagenario major animam exhalaverat. Si diutius antistite orba in iis temporum angustiis relicta fuisset Ecclesia, periculum fuisset ne Christianæ res in Galliis, jam persecutorum furore non parum labefactatæ, funditus ruerent. Quare communis tum cleri, tum martyrum votis delectus Irenæus Pothino sufficitur. Quia vero aut rarissimi, aut nullidum erant in Galliis episcopi (nullum saltem iis temporibus memorat Eusebius [29], ne quidem apud Viennenses) qui electo manus possent imponere, necesse fuit Romani pontificis opem implorare, tum propter vicinitatem, tum propter potiorem, ut loquitur Irenæus, principalitatem; ut viduatæ suo pastore Ecclesiæ per ejusdem Irenæi consecrationem suppetias ferret. Illic ergo Romam mittendus fuit, et, ut ferebant Ecclesiæ leges, ejus fides, pietas, merita denique Eleuthero probanda. Hucque spectant epistolæ commendatitiæ quas ad pontificem scripsere martyres, quibus Irenæi *singulare pro Christi testamento studium* prædicant, hortanturque *ut ipsum cæteris anteponat*, ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει: ne minus notum presbyterum ad dignitatem episcopalem evehere dubitaret. Sic Eusebium [27] cum
D cl. Leonis editore interpretor; a quo tamen in eo dissentio, quod probabilius putet ante Pothini martyrumque mortem ad Eleutherum profectum esse Irenæum. Neque enim obtinere a me possum ut credam, martyres suo adhuc in vivis agente episcopo Romam misisse, qui necdum vacuam sedem capesseret. Nam, præterquam quod id Ecclesiæ legibus repugnabat, ipsa martyrum Acta, quæ refert Eusebius [28], ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ missa, testantur Pothinum ineunte fere persecutione comprehensum, martyrio vitam finiisse; idque tota Eusebianæ narrationis series satis insinuat; adeo ut de mittendo Romam Irenæo consi-

[25] Lib. v, c. 3. [26] In Catal. [28] Lib. v, c. 1. [29] Lib. v, c. 6. [27] Ibid. c. 4. [28] Ib., cap. 1.

Digitized by Google

hum cepisse martyres referantur, post memoratam jam episcopi sui mortem, ut hæc illi prævisse demonstretur. Si vero Eusebius post commemoratam, cap. 4, Irenæi legationem, iterum de Pothini morte, Irenæique in ejus locum substitutione agat; argumento non est eam morte priorem fuisse; sed cum Eusebius cleri et martyrum epistolas, in quibus omnia hæc eodem, quo dixi, ordine referuntur, exscribendas sibi proposuisset, quod primis quatuor libri quinti capitibus exsequitur; quæ de Irenæo jam suis verbis dicturus erat, debuit, ne narrationis filum abrumperet, in caput sextum rejicere. Ab Eusebio non discedit Hieronymus, qui in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, de Irenæo ita loquitur: *Irenæus Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo* (id est, nomini ejus, quod *pacificum* sonat, respondentes) *ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur.* [LXXXII] Quibus verbis non obscure significat duplicem fuisse legationis Irenæi finem: alterum, eumque minus præcipuum, quem jam memoravimus, ut de quibusdam Ecclesiæ quæstionibus, iis nimirum quæ ad novas prophetias spectabant, apud pontificem ageret; alterum longe potiorem, ut in Pothini defuncti locum substitueretur; et eam ob rem honorificas super nomine suo pertulisse litteras. Priori legationis officio perfunctus Irenæus, *postea* secundum obiit, in Pothini ob Christum martyrio coronati locum substitutus. A quo? nisi ab Eleuthero, ad quem honorificas super nomine suo pertulerat litteras. Illud igitur, *postea*, non longiorem aliquam temporis moram, quasi Irenæus litteris Romam perlatis, in Gallias redux in Pothini locum substitutus fuisset; sed rerum seriem significat, quarum aliæ alias paucis diebus præcesserint: nimirum Irenæum primum Ecclesiarum pacem apud Eleutherum sollicitasse, tum demum consecratum ab eo fuisse episcopum, in locum Pothini defuncti.

13. Unum superest quod forte scrupulum cuipiam injicere queat: id videlicet quod dixi, rarissimos tunc temporis, aut forte nullosdum in Galliis fuisse episcopos, a quibus manuum impositionem accipere potuisset Irenæus. Non quidem hic celeberrimam de primis Galliarum apostolis quæstionem ad novum examen revocare mihi in animo est: illud tantum asserere liceat, quod ex certis indubitatisque monumentis exploratum videtur, M. Aurelii temporibus Christianam religionem nondum altas firmasque radices in Galliis egisse, paucissimasque ibi Pothini et Irenæi ætate constitutas fuisse episcopales sedes. Certum est, nec negant acerrimi *Missionum* apostolicarum in Galliis patroni, Ecclesiæ Lugdunensis exordia deberi Pothino episcopo, qui primus in ea urbe Evangelii fundamenta jecit. Si autem religio Christiana longe lateque diffusa tunc fuisset in Galliis, pluresque jam a Petri et Pauli temporibus constitutæ in iis regionibus episcopales sedes; qui fieri potuit ut Lugdunum, unam e primariis Galliæ civitatibus, metropolitica dignitate conspicuam, mercatura, populi frequentia, primorum magistratuum Romanorum habitatione ac domicilio celeberrimam, Italiæque vicinam, nullus adierit Evangelii minister, nullus ibi fundarit Ecclesiam, episcopumque instituerit, qui amplissimæ urbis conversioni operam navaret? Non procul adeo distant a Lugduno Vienna, Narbona, Arelate, Tolosa, etc. Si igitur eæ urbes jam ante Pothinum evangelica luce, suisque præsulibus gavisæ fuissent; prima istorum cura esse debuisset, si quod amplificandæ religionis studium pectora incessisset, Lugdunum coloniam Christianam deducere, e qua tanta utilitas in Ecclesiam manasset; nec necesse fuisset Pothinum, Irenæum, aliosque Evangelii ministros ex Oriente mittere, qui eam urbem vicinasque regiones ad Christum converterent. Certe si quæ urbs Pothini ætate proprium episcopum habere debuisset, maxime Vienna, in qua constitutam fuisse Ecclesiam ex citata martyrum epistola liquido patet. Mirum autem in tota ea epistola, Viennensium perinde atque Lugdunensium nomine scripta, Lugdunensis episcopi honorificam, Viennensis vero ne levissimam quidem fieri mentionem. Et tamen non omittitur unus e martyrum numero Sanctus, Viennensis diaconus. De episcopo autem Viennensi altissimum ubique silentium. Scribunt Lugdunenses et Viennenses, *quod ex utraque Ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore et industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur.* Si præstantissimi quique ex utraque Ecclesia simul omnes tenerentur, comprehendi debuit cum Pothino et Viennensis episcopus, nec nomen ejus prætermitti. Dum tamen præstantissimorum illorum nomina recensent, Lugdunensem episcopum non silent, Viennensis ne verbo quidem meminerunt. Hunc implicite saltem contineri vult doctissimus Tillemontius inter præstantissimos illos, quos ex utraque Ecclesia comprehensos narrat epistola. At id miror etiam atque etiam, tam accuratam Lugdunensium et Viennensium diligentiam fuisse erga Lugdunensem episcopum, ut implicita mentione haudquaquam contenti, eum proprio nomine appellandum censuerint; sic vero eos defecisse diligentiam, ut diaconi Viennensis explicita mentione facta, episcopi implicite meminisse satis fuerit, tacito prorsus ejus nomine et gradu, quasi vel obscuri nominis homo fuisset, vel res nullius momenti. Gregorius Turonensis [29] pariter, et Ado Viennensis [30], qui epistolam integram legerant, præci-

[29] De Gl. Mart., c. 49. [30] 2 Jun.

Digitized by Google

puorum quorumque martyrum nomina haud impigre recensent, numerumque definiunt : de Viennensi episcopo ne verbum quidem. Quod autem addit vir cl. post Valesium, Viennæ tunc temporis constitutam fuisse Ecclesiam, eamque jam perfectam et formatam, non urget. Si enim perfectæ et formatæ Ecclesiæ nomine eam intelligat, quæ proprium habet episcopum, talem fuisse Viennensem negabimus, aut saltem dubitabimus. Si vero quemlibet fidelium cœtum intelligat, nihil obtinebit : cum in pluribus locis fuerint Ecclesiæ eo sensu, quæ tamen episcopales non erant. Certum quippe est ex Athanasio in *Apologet.* II, in Maræotide regione plures fuisse Ecclesias ; et tamen *nec ullus unquam in ea fuit episcopus, ac ne chorepiscopus quidem ; sed universæ ejus regionis Ecclesiæ*, inquit, *subjectæ sunt episcopo Alexandrino. Singuli autem presbyteri proprios habent pagos, eosque maximos, aut plures.* Quid si ergo tam radicus apud Viennam tum fuerit fidelium numerus, ut pusillo gregi regendo satis superque fuerit unus Lugdunensis episcopus, illi urbi vicinus; cum maxime tanta esset adhuc virorum episcopalium penuria, ut singuli singulis urbibus præfici non possent? Eamque forte ob causam qui Viennæ comprehensi sunt fideles, Lugdunum abducti, coram præside Lugdunensi judicio sistuntur, ab eo interrogantur, extremisque suppliciis addicuntur. Certe Lugdunum et Vienna ad diversas provincias pertinebant, hæc ad Narbonensem, illa ad Celticam, cujus caput erat. Suus erat unicuique provinciæ præfectus, et quidem alter ab altero genere diversus. Celticam, quæ juris imperatoris erat, regebat proprætor; Narbonensem, quæ juris senatus, proconsul. Cum itaque Lugdunensis proprætor nihil in Viennam jurisdictionis exercere posset, fidelium Viennensium causæ cognitionem pro jure sibi vindicare non poterat. Quid ergo eos coram proprio tribunali Lugduni sisti jubet, eorumque causam disceptari? Hoc unum mihi in mentem venit, proprætorem in mandatis habuisse, Lugdunensem Ecclesiam stirpitus delere. Et quia audierat Viennenses ad Lugdunensem Ecclesiam pertinere, [LXXXIII] et a Lugdunensi episcopo regi; idcirco eos pro mandatis comprehendi jubet, et coram se sisti. Hunc nodum hactenus aliter secari posse non puto. Nec enim audiendus videtur doctissimus Valesius, qui Lugdunum et Viennam uni et eidem Romano præsidi tunc paruisse censet; gratis quippe asserit, nec probat.

14. Si vero contendat quis Viennensem episcopum persequentium furori sese subduxisse, nec inter Ecclesiæ suæ præstantissimos comprehensum fuisse (mirum si subducere se potuerit; tanta erat eorum in perquirendis Christianorum ducibus diligentia!), saltem exhiberetur vel ab Eusebio, vel a martyribus pro Christi grege sollicitus, afflictæque Ecclesiæ curam gerens : et in eorum capite qui utriusque Ecclesiæ nomine, tum ad Eleutherum papam, tum ad Orientales scribunt, pro merito dignitatis appareret. Nullibi tamen hunc videas: ubique desideratur. Quæ epistola ad fratres in Asia et Phrygia degentes mittitur, hanc præ se fert inscriptionem : *Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum Galliæ degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis*, etc., nulla Viennensis episcopi mentione facta. An vero Viennenses inconsulto proprio episcopo de martyrum suorum certaminibus scribere, judiciumque suum de novis Montanistarum prophetiis interponere voluissent? De Lugdunensibus nihil mirum si fecerint; vacabat tum Lugdunensis sedes. At quod adhuc in vivis superstite Viennensi episcopo, ejus ne verbo quidem meminerint sui, in rebus tanti momenti, vix credat qui ad totius Ecclesiæ consuetudinem et leges attenderit.

15. Deinde notissimum est quod scribit Sulpicius Severus [21], quod sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata : ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione susceptа. Notissimum item quod legitur in sinceris, optimæque notæ Actis sancti Saturnini martyris, primi Tolosatium apostoli, quæ vidit citavitque Gregorius Turonensis [22], publici juris factis et emendatis a doctissimo Ruinartio nostro [22*]: Decio et Grato consulibus, id est anno Christi 250, *raras in aliquibus civitatibus* (Galliæ) *Ecclesias paucorum Christianorum devotione consurgere, et crebra miserabili errore gentilium nidoribus fetidis in omnibus locis templa fumare.* Si serius trans Alpes Dei religio suscepta fuerit; si anno Christi 250 raræ adhuc et in quibusdam duntaxat Galliæ civitatibus Ecclesiæ consurgerent, eæque paucorum Christianorum; si crebra in omnibus locis gentilium templa nidoribus fetidis fumarent; tardius in Galliis fundatas fuisse episcopales sedes, rarissimasque anno 250 esse debuisse judicabit prudens quivis rerum æstimator. Si autem is esset tum temporis trans Alpes Christianæ rei status, si paucissimi in Galliis episcopi; is multo deterior, et simul etiam multo minor episcoporum numerus ibi esse debuit anno 177, quo passus est Pothinus Lugdunensis episcopus. Si enim tunc et antea floruisset pluribus in Galliæ locis religio, si jam multis in urbibus constitutæ Ecclesiæ, quæ a propriis regerentur episcopis; *sub Aurelio Antonini filio tum primum intra Gallias martyria videri* non debuissent, sed dudum antea; nec Lugduni modo, sed et Viennæ, Arelatæ, Narbonæ, Lutetiæ Parisiorum, et si quæ aliæ civitates Ecclesias et proprios episcopos habuissent, videri debuissent. Cur enim Ecclesiis nostris plus pepercissent Trajanus et Adrianus, quam Orientalibus et Italis; et cur in Lugdunensem duntaxat sævierit M. Aurelius, non in alias, non video; nec, puto,

[21] Lib. II Hist. sacr. [22] L. I Hist., § 28, nov. edit. [22*] Act. mart. sinc. et sel., p. 110.

Digitized by Google

videbit quisquis spretis spuriis dubiisque monumentis, nihil nisi certum exploratumque proferre voluerit. Huic nulla tutior, qua ab his sese difficultatum laqueis expediat, apparebit via, quam ut affirmet cum Sulpicio Severo, et antiquo auctore Actorum S. Saturnini martyris, viris omni exceptione majoribus, serius trans Alpes, et in Galliis, vix ante Pothini adventum, Dei religionem susceptam esse : et ideo sub M. Aurelio tum primum intra Gallias, nec alibi prius quam Lugduni, martyria visa esse : *quia sensim et gradatim in omnem terram sono Evangeliorum exeunte, purique* (vel ut alii legunt, *tardoque*) *processu in regionibus nostris apostolorum prædicatione coruscante*, religio Christiana nondum longe lateque diffusa erat, Lugduno et Vienna conclusa. Ex quibus aperte sequitur paucissimos M. Aurelii anno 17 episcopos in Galliis, vixque alibi quam Lugduni esse potuisse.

16. Nec multo plures illic episcopos exstitisse, Irenæo ipso post Pothini mortem Ecclesiam Lugdunensem regente, ex Eusebio colligi posse videtur. Nam quotiescunque de rebus in Gallia gestis, sive cum de Ecclesiarum fundatione, sive cum de vexatione gentilium, sive cum de controversiis in Ecclesia exortis, et in Gallia disceptatis sermonem habet, unius episcopi Lugdunensis, alterius nusquam meminit. Imo disputationem enarrans, quæ de Paschate celebrando inter Victorem papam et Asiaticos efferbuit, Irenæum bis exhibet quasi solum, qui Galliarum Ecclesias episcopali jure tunc regeret [33]. Inter eos qui Victorem objurgant, quod Asiaticas Ecclesias a sua communione abscidisset, Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστεῖλας, etc.: *Irenæus expersona fratrum in Gallia commorantium, quibus præerat, ad eumdem scripsit*, etc. Alio jure fratribus in Gallia degentibus præesse non poterat Irenæus, quam episcopali, non certe metropolitico, longe minus exarchico aut patriarchico. Neque enim, ut erudite arguit cl. auctor novæ editionis operum S. Leonis papæ, dissertatione laudata [34], secundo Ecclesiæ sæculo, quo Christianæ fidei fundamenta trans Alpes vix erant posita, quo nascenti Ecclesiæ ne mutire quidem licebat in iis regionibus, quo denique ea Galliæ civitas quæ prima fidem suscepisse videtur, vix alterum antistitem a Pothino habebat, eam hierarchiæ formam jam in paucis quæ illic exsurgebant Ecclesiis introductam esse, quæ et episcopos metropolitanis, et metropolitanos exarchis subjiceret, a quoquam demonstrari posse putem. Sane si ipso medio tertio sæculo, quo Tolosam advenit Saturninus, tam raræ adhuc essent in nostris regionibus Ecclesiæ, cæque paucorum Christianorum; quis credat secundo desinente sæculo tam frequentes fuisse, ut pluribus episcopis metropolitico aut exarchico jure præesset Irenæus? His adde quod *Fratrum* nomine episcopos designare non soleant veteres, sed Christianam plebem. Sed si cui anceps appareat iste Eusebii locus, clariora forte videbuntur quæ antea præmisit. Nempe recensens *varias synodos, episcoporumque conventus*, συνόδους δὴ καὶ συγκροτήσεις ἐπισκόπων, qui adversus Asiaticos coacti sunt, Romanam, Palæstinam, Ponticam, [LXXXIV] Osrhoenam et Corinthiam memorat. Has omnes, una excepta Osrhoena, diserte appellat synodos episcoporum, et quæ in iis definita sunt, decreta episcoporum; nec omittit episcopos qui iis synodis præfuerint. Ubi vero decretum ab Ecclesiis Galliæ de eadem controversia editum refert, jam non synodos episcoporum commemorat, sed decretum τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει, *parochiarum Galliæ, quarum Irenæus episcopus erat*, seu *quas ut episcopus administrabat*. Quibus Irenæum unicum Galliæ episcopum designat. Si enim illud decretum in concilio plurium Galliæ episcoporum editum fuisse censuisset Eusebius, id non minus observandum sibi putasset, quam observandum putavit, decretum Palæstinorum ab iis episcopis emissum fuisse quibus præerant Theophilus Cæsariensis et Narcissus Hierosolymitanus; Italorum, ab iis quibus præfuit Victor; Ponticorum, ab iis quibus præfuit Palmas; Achaicorum denique, ab iis quibus præfuit Bacchylus. Cum igitur non eodem modo de Galliæ Ecclesiis loquatur, atque de aliis, sed procul diverso; haud obscure innuit, longe aliam fuisse tunc Ecclesiarum nostrarum conditionem, easque adhuc in cunabulis, nec latius diffusas, vix alium episcopum habuisse quam Irenæum. Nullum saltem alium proferri posse, aut ex indubitatis ecclesiasticæ historiæ monumentis erui, fatetur ipse qui nobis hic adversatur peritissimus ecclesiasticæ antiquitatis indagator Tillemontius [35]. Nec enim Synodicon moror [36], in quo duplex concilium sub Irenæo celebratum exhibetur; alterum duodecim, alterum tredecim episcoporum; illius quippe sublesta admodum fides in rebus tantæ antiquitatis. Sed de his jam plus satis pro instituto nostro.

17. Roma reversus Irenæus in resarciendam ingentem illam, quam gentilium furor Ecclesiæ Lugdunensi mox intulerat, vastitatem totus incubuit. Quam feliciter autem id præstiterit, docet Gregorius Turonensis. *Beatissimus Irenæus*, inquit, *hujus successor martyris* (Pothini) *qui a beato Polycarpo ad hanc urbem* (Lugdunum) *directus est, admirabili virtute enituit : qui in modici temporis spatio, prædicatione sua maxime in integro civitatem reddidit Christianam.* Unde in altera persecutione quæ sub Severo contigit, quæque Irenæum cœlo transmisit, asserit idem Gregorius *tantam* cum Irenæo *multitudinem Christianorum ob confessionem Dominici nominis esse jugulatam, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano, quorum*, ait, *nec*

[33] Euseb., l. v, c. 24. [34] Diss. v, pro S. Hil. Arel., c. 13; t. II nov. edit. S. Leon. [35] T. III Hist eccl., not. 3, in Ireu. [36] T. I Concil. Lab., p. 599-601.

Digitized by Google

numerum, nec nomina colligere potuimus. Quod et confirmant Usuardus aliique Martyrologiorum scriptores, dum narrant Irenæum *cum omni fere civitatis suæ populo coronatum esse glorioso martyrio.* Eximia hæc sunt argumenta illius, quo ardebat sanctissimus episcopus, Christianæ religionis apud suos promovendæ studii. Sed et majus fuit, quam ut angustioribus Lugdunensis urbis limitibus concludi potuerit : in totam Galliam, imo et totam Ecclesiam sese diffudit. Id enim ipsi curæ fuit, ut discipulos Christianæ vitæ atque doctrinæ præceptis excoleret, qui deinceps de tota Ecclesia verbis, scriptis et exemplis bene mererentur. Talis fuit, Photio teste [37], S. Hippolytus episcopus et martyr, qui inter tertii sæculi Patres sanctitatis et eruditionis laude floruit. Talis etiam Caius presbyter, ejusdem sæculi scriptor haud ignobilis, saltem si quæ fides iis, quæ in mss. codd. scripta leguntur ad calcem Actorum S. Polycarpi martyris, quæ a Caio, *qui cum Irenæo conversatus est*, συνεπολιτεύσατο, descripta dicuntur, ex ipsius Irenæi, Polycarpi discipuli, apographo.

18. Sed cum in Galliis apostoli munere fungeretur, eamque vineæ Domini partem sibi colendam suscepisset, ibi majora zeli sui specimina edere parerat. Quare nihil antiquius habuit, quam ut in eas partes quæ novis cultoribus indigerent, operas mitteret necessarias. Ex Actis SS. martyrum Ferreoli presbyteri, et Ferutionis diaconi, Felicis presbyteri, ac Fortunati et Achillei diaconorum, S. Irenæi discipulorum, discimus priores duos Vesuntionem, posteriores tres Valentiam ab eo missos fuisse, ut per ea loca divini cultus fundamenta jacerent. Quamvis autem non usque adeo sincera videantur hæc acta, ut iis plenam et indubitatam fidem in omnibus tribuere possimus, nihil tamen est quod de missione sanctorum illorum dubitationem movere queat, cum maxime consentientem habeamus earum Ecclesiarum traditionem. Et eapropter a veteribus, Galliarum apostolus, *lumen Gallorum Occidentalium*, jure merito dictus fuit Irenæus; utpote qui *Celticas gentes excoluit et illuminavit* [38]. Et hinc non parum confirmatur quod paulo ante diximus, raras tum fuisse in Galliis Ecclesias Christianas, rariores episcopos : cum Valentia et Vesuntio, civitates haud obscuri nominis et infimi gradus, nec a Lugduno procul adeo dissitæ, Christi fidem nondum audiissent, quarum etiam priores apostolos episcopali dignitate insignes fuisse non legimus. Ea vero omnia cum nullis chronologicis notis signata legamus apud auctores, quo anno contigerint definire non possumus. At illud certum, Eleuthero adhuc pontifice, scriptos saltem tres priores libros, ex quinque, adversus Gnosticorum fabulas [39]. Neque enim Irenæo satis erat Christi imperii fines quam longe lateque posset proferre, nisi pacem in eo tueri, hostiumque domesticorum malas artes, et impetus frangere pro virili parte conaretur. Dudum emerserant in Oriente Valentiniani, quos brevi post exceperant Marcosii, Simonis Magi aliorumque Gnosticorum mala progenies; qui sub nomine Christiano animum plus quam ethnicum gerentes, incredibilibus errorum monstris, horrendisque flagitiis Christianæ religionis sanctitati summam infamiæ labem aspergebant. Eo periculosius serpebat venenum, quo occultius : jamque Lugdunensem regionem pervaserat, pluresque, mulieres præsertim, infecerat, quorum animos non a fide modo, sed et ab omni rationis sensu prope abduxerat. Irenæus [40] excubias agens pro Christi grege, ubi malum sensit, satisque totam ejus gravitatem ex hæreticorum tum libris, tum sermonibus exploratam habuit, ad scribendum se contulit, ut sceleratas eorum nugas, dolos et mores in propatulo poneret et funditus everteret. Sed de S. episcopi libris et scriptis postea fusius et accuratius disseremus. Valentinianos, Marcionitas, aliosque veteres hæreticos damnatos ab Irenæo fuisse in synodo quam Lugduni habuit, cuique duodecim adfuerint episcopi, tradit jam citatus Libellus synodicus; sed in hujusmodi rebus nullæ fidei esse posse hunc libellum, nono sæculo editum, jam monuimus.

19. Quam tuendæ ac fovendæ in Ecclesia pacis studiosus fuerit Irenæus, nusquam manifestius [LXXXV] patuit, quam in ea quæ inter Victorem papam et Asiaticos efferbuit controversia. Hactenus non una et eadem fuerat Ecclesiarum omnium in celebrando Paschate disciplina. Asiæ Minoris Ecclesiæ agendum Paschatis et resurrectionis Dominicæ diem festum, jejuniisque finem imponendum esse contendebant, ipsa decima quarta luna post æquinoctium vernum, in quamcunque hebdomadæ feriam incideret. Romana vero, ne Judaicos ritus imitari videretur, celebrandum esse censebat die Dominica, quæ decimam quartam lunam proxime sequeretur, et eo usque protrahenda esse jejunia. Romanæ consentiebant præter Occidentales omnes, Alexandrina, Phœniciæ, Ponti, Achaiæ, et Osrhoenæ Ecclesiæ. An etiam Syriæ, Ciliciæ et Mesopotamiæ? dubitandi locus est. Hinc siquidem constat ex Athanasio in libro *De synodis*, quod ante Nicænum concilium, οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Συρίας, καὶ Κιλικίας, καὶ Μεσοποταμίας, ἐχώλευον περὶ τὴν ἑορτὴν, καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐποιοῦντο Πάσχα, *Syri, Cilices et Mesopotamiani circa festum claudicabant, et cum Judæis Pascha celebrabant.* Tradit etiam epistola synodica ipsius concilii, πάντας τοὺς τῆς Ἑῴας ἀδελφοὺς, *omnes Orientis fratres*, qui prius a Romanis, Alexandrinis, et aliis nationibus in festo Paschatis dissentiebant, jam cum illis consensisse [41]. Porro Orientis ac Syriæ caput Antiochia. Quin saltem in ea urbe Asianarum Ecclesiarum de Paschate disciplina olim obtineret, donec concilium Nicænum Ecclesias omnes ad concordiam revocasset, dubi-

[37] Cod. 121. [38] Theodoret., dial. 1. Immut. [39] Id., Compend. Hær. fab. [40] Lib. I, c. 13, n. 7.
[41] Apud Theodoret., lib. I Hist., c. 9.

Digitized by Google

tare nos non sinit S. Joannis Chrysostomi [42], Antiocheni civis ac presbyteri, expressa auctoritas, in oratione quam adversus quosdam e suis habuit, qui veteris ritus memores, Pascha etiam post Nicænam synodum luna 14 celebrare non destiterant. Fatetur hunc quidem fuisse ante synodum Antiochenorum morem, deinceps autem observationi temporum concordiam fuisse prælatam. Illinc vero Eusebii moratur auctoritas. Nam disertis verbis asserit [43], præter Asianas aliasque finitimas Ecclesias, ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην Ἐκκλησίαις, *cæteris per reliquum orbem terrarum dispersis Ecclesiis*, de Pascha cum Romana convenisse. Quibus complecti videtur Ecclesias Syriæ, Ciliciæ et Mesopotamiæ, perinde atque alias plures, quarum disertam mentionem non facit. Nodum hunc scidit, non solvit, eruditissimus Tillemontius [44], scribens eas quidem Victoris ætate Pascha, more Romano, die Dominica celebrasse, postea vero a pristino ritu sic defecisse, ut Nicæni concilii temporibus Pascha cum Judæis agerent luna ipsa 14. Quod quidem Ecclesiæ quædam quæ Victori papæ acrius restiterant, saniori postea suscepto consilio, a pristinis ritibus desciscentes, ad communes aliarum fere omnium Ecclesiarum redierint, nihil adeo mirum videbitur. Et ita fecisse plures Asiæ Ecclesias satis probabile; cum Constantinus imperator [45] inter eas quæ Nicæni concilii temporibus Pascha cum Romana agebant, diœcesim Asiæ recenseat; et Anatolius, qui circiter an. 276 scribebat, ait [46], quod *ad hanc usque diem* episcopi Asiæ Pascha celebrabant 14 luna post æquinoctium; quibus innuere videtur, tunc celebrare destitisse. Sed qui et cur Ecclesiæ, quæ per ducentos ferme annos Pascha die Dominica non tantum observassent, sed et sub sæculi secundi finem, dum acrior erat ea de re disputatio, ita observandum esse vehementer contendebant; mutata disciplina pro qua decertaverant, centum circiter abhinc annis alterius, quam impugnaverant, quamque pene totius orbis moribus repugnare non nesciebant, tenaces reperirentur, nemo facile dixerit, nec causam tam inopinatæ mutationis assignaverit. At, inquit vir clarissimus, haud dubium quin Mesopotamia quarto ineunte sæculo veterem ritum deseruisset. Nam secundo desinente Osrhoena cum Romana Ecclesia consentiebat. Osrhoena autem in sermone quotidiano pro Mesopotamia accipitur. Sed quod velut certum assumit vir doctissimus, Mesopotamiam et Osrhoenam promiscue usurpare solere ab auctoribus, aliis dubium saltem videbitur. Certe alteram ab altera distinguit Ammianus Marcellinus [47]: *Et quia*, inquit, *Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis et stationibus servabantur agrariis, lævorsum flexo itinere Osrhoenæ subsederat extimas partes*, etc. Distinguit et Procopius [48]: *Oppida*, inquit in Alamundari oratione, Μεσοποταμίας καὶ τῆς Ὀσροηνῆς καλουμένης χώρας· *Mesopotamiæ, et regionis quæ Osrhoene vocatur*. In Notitiis etiam imperii et Ecclesiæ distinguuntur ab invicem Osrhoene et Mesopotamia proprie dicta, et hujus caput Amida, illius Edessa statuitur. Denique Anthemusia, quæ fere Osrhoena est, Strabone auctore, est τῆς Μεσοποταμίας, *Mesopotamiæ ipsius* portio, scilicet Mesopotamiæ latius acceptæ. Quæ probant Osrhoenam apud auctores passim a Mesopotamia distingui, vel ut partem a toto, vel ut partem ab altera parte. Sed etsi quidam utramque promiscue usurparint, nullo tamen, ni fallor, argumento demonstrari potest Eusebium ita accepisse. Sive ergo Mesopotamiam accipiamus pro ingenti terrarum tractu, qui plures provincias complectitur, sive pro certa ejusdem tractus provincia, longe probabilius videtur alios fuisse semper Osrhoenæ, alios cæterarum Mesopotamiæ Ecclesiarum mores. Itaque cum Eusebius Asianis Ecclesiis finitimas quasdam in disciplina Paschatis consensisse dicat, verbis ejus vim illaturum eum esse non crediderim, qui illis Ciliciæ, Seleucidis (cujus caput Antiochia) et Mesopotamiæ saltem provinciæ Ecclesias adjunxerit. De Cilicia vix ulla difficultas, cum inter Asiæ Minoris provincias tum numeretur; nec major de Seleucide huic contermina. Ciliciam tamen numerat Constantinus [49] inter eas Ecclesias quæ, Nicæni concilii ætate, Pascha cum Romana celebrabant. Sed ne cum Athanasio supra laudato aperte pugnet, necessario explicandus est de Ciliciæ parte aliqua. Ut ut est.

20. Eo gravior inter litigantes exstitit contentio, quo graviora quique pro se momenta proferebant. Utrique enim traditione apostolica nitebantur: non quod, inquit Socrates [50], apostolorum quisquam legem ea de re tulisset; sed quod exemplum eorum, tanquam legem sibi positam venerarentur discipuli [50]. Asiani afferebant instituti sui auctores Joannem apostolum, Philippum unum e septem primis diaconis, Polycarpum martyrem, Melitonem, aliosque præstantissimos viros, qui, cum apud eos degerent, Pascha eorum more celebrabant die 14 lunæ. Romani e contrario asserebant Petrum et Paulum, Romæ cum essent, Pascha nunquam nisi die Dominica egisse. Et quidem ante Victorem papam pax inter Ecclesias, quamvis sibi invicem ea in re dissimiles, semper constiterat: unaquæque suo more vivens, aliam suo more vivere sinebat. Id tantum [LXXXVI] curaverant alii pontifices, ne sanam et sinceram Ecclesiæ suæ consuetudinem peregrinis Asianorum moribus depravarent inquieta ingenia [51]. Cumque id agere præsumpsisset Blastus quidam Romanæ Ecclesiæ presbyter, temeritatem

[42] T. V. Hom. 55, p. 608 et seqq. [43] Euseb., lib. v, c. 23. [44] Hist. eccl., t. III, not. 1, in Vict. pap. [45] Euseb., lib. III De Vit. Const., c. 19 [46] Apud Bucher., de Cycl. Vict., p. 444, ed. Antuerp., 1633. [47] L. XIV, c. 3. [48] Procop., lib. I Bel. Pers., c. 17. [49] Euseb., lib. III De Vit. Const., c. 19. [50] L. V, c. 21. [50] Euseb., l. V, c. 24, 25. [51] Id., l. V, c. 20; Tertull., De præsc., c. 53.

Digitized by Google

ejus coercuit Irenæus, cui haud minor erat tuendæ pacis quam antiquitatis ac traditionis Ecclesiarum cura, scripta adversus eum epistola, quam inscripsit *De schismate*. Illi vero pontifices, Anicetus videlicet, Pius, Hyginus, Telesphorus atque Sixtus, eodem Irenæo teste [83], quamvis Pascha eadem cum Asianis die neque celebrarent, neque celebrari a suis permitterent, cum iis tamen pacem et communionem studiose colebant, et sacram Eucharistiam pro more illorum temporum iisdem mittebant. Imo cum Polycarpus Romam Aniceti temporibus venisset, levis aliis de rebus, levior de Paschate inter utrumque disputatio fuit. Anicetus quidem Polycarpo persuadere conatus est ut Romanos ritus, Polycarpus Aniceto ut Asianos amplecteretur; sed neutro alteri cedente, pax cito coaluit, adeo ut pontifex Romanus Eucharistiæ celebrandæ munus Smyrnensi, reverentiæ causa, concesserit.

21. Eo loco res erant, cum Victor Ecclesiæ regimen suscepit. Hic decessoribus suis paulo fervidior, eam rituum diversitatem impatienter ferens, ut omnem Ecclesiam ad unum et eumdem revocaret, ardentiori studio elaboravit. Id sub Severo imperatore contigisse scribit Hieronymus in Catalogo [84]; in Chronico vero assignat annum 4 ejus imperii, Christi 196 [85]. Scripsit itaque Victor ad præcipuos totius Ecclesiæ episcopos, ut provinciæ suæ synodos cogerent, et in iis quæstionem disceptarent, ac pro Ecclesiæ Romanæ votis atque disciplina definirent; Asiaticis, nisi consentirent, excommunicationem denuntians. Habita Romæ, in Palæstina, in Ponto, in Osrhoena, in Achaia, pluribusque aliis in locis concilia, uno consensu atque judicio ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas synodicas tradiderunt; ne videlicet alia die quam Dominica mysterium resurrectionis Domini a mortuis unquam celebraretur. Eadem fuit etiam sententia Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat episcopus. At Polycrates Ephesinus episcopus, coacto Asianorum episcoporum concilio, minacibus Victoris litteris minime commotus, ab antiqua Ecclesiæ suæ consuetudine discedendum sibi non putavit. Rescripsit igitur concilii sui nomine ad pontificem; traditionem Ecclesiarum Asiæ exposuit; ostendit a Joannis evangelistæ temporibus ad suam usque ætatem Pascha non alia die quam 14 luna celebratum fuisse ab omnibus, quotquot in Asia sanctitate et doctrina floruerant; a quorum proinde moribus recedere nefas: his quæ sibi ad terrorem objiciebantur, minime conturbari, cum a majoribus didicisset, Deo magis quam hominibus obtemperandum esse. Accepta hac epistola Victor ἄμετρα τερμανθείς, ait Socrates [86], *supra modum iracundia inflammatus*, omnes Asiæ Ecclesias, quæ Pascha decima quarta die mensis celebrabant, a communione rescidit, ἀκοινωνησίαν ἐν τῇ Ἀσίᾳ Τεσσαρεσκαιδεκατήταις ἀπέστειλε. Consentit Eusebius [87], additque Victorem non totius Asiæ modo, sed et alias finitimas Ecclesias, Ciliciæ videlicet, Syriæ, Seleucidis et Mesopotamiæ proprie dictæ, velut a catholica sententia dissentientes, simul omnes a communi unitate Ecclesiæ amputare conatum fuisse, iisque per litteras notatis, fratres omnes, qui eas regiones incolebant, excommunicatos edixisse, ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης, ἅμα ταῖς ὁμόροις Ἐκκλησίαις, τὰς παροικίας ἀποτέμνειν, ὡς ἑτεροδοξούσας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται, καὶ στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἅρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς. Hinc Epiphanius [87] dissensionem Ecclesiarum exaggerans, tantam fuisse scribit, ut Orientales ab Occidentalibus divisi nullas a se invicem pacificas acciperent litteras.

22. Laudata quidem Eusebii verba sic interpretatur Valesius, ut jactatas excommunicationis minas, non autem vibratam excommunicationem ipsam ex iis erui posse putet. Sed verentur alii ut satis adverterit vir clarissimus, minas quidem ante concilium Ephesinum intentasse pontificem, sed telum continuisse: accepto autem concilii decreto exasperatum, illud emisisse. Nec obstat, inquiunt, quod ait idem Eusebius, Victorem conatum fuisse Asiæ Ecclesias a communi unitate amputare. Aliud enim erat eas Ecclesias a propria pontificis communione, aliud a communi totius Ecclesiæ unitate rescindi. Prius quidem fecit Victor, idque apertissime ab Eusebio significatum contendunt; posterius autem ut obtineret, scriptis litteris notavit Asianos, sacrisque interdictos edixit, ut ab eorum communione abstinerent cæteri. Sed in ea sententia, scribit Hieronymus [88], *hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus*; ejusque severitas, Eusebio teste [89], οὐ πᾶσί γε τοῖς ἐπισκόποις ἠρέσκετο; *non omnibus placuit episcopis*, imo pluribus displicuit. Quamvis enim Asiaticorum sententiam et disciplinam minime comprobarent, molestius tamen ferebant tot Ecclesias, ob quæstionem quæ nihil ad fidem attineret, ab Ecclesiæ corpore discindi; ex ardentiori papæ zelo eruptura ipsa consuetudinum diversitate pejus schismatis malum prævidentes. Quare plures epistolis eum *acerbius perstrinxerunt*, serioque monuerunt ut fovendæ pacis, charitatis et concordiæ studiosus, temperaret ab immodica severitate, ex qua emolumenti parum, detrimenti plurimum in totam Ecclesiam redundaret. Sed præ cæteris Irenæus nominis sui appellationi pulchre respondens (εἰρηναῖος enim Græce, Latine *studiosum pacis* significat), nihil potius habuit, quam ut sua agendi ratione se pacis auctorem probaret. Scripto itaque Victorem convenit, ac nomine fratrum, quibus præerat in Gallia fervidiorem ejus æstum fortiter et graviter

[83] Epist. ad Vict. pap. ad calcem hujus Op. [84] C. 43, 45. [85] Euseb., l. v, c. 23, 24. [86] L. v Hist., c. 22. [87] L. v, c. 24. [87] Hær. LXX, § 9. [88] In Catal. [89] C. 24.

Digitized by Google

increpavit [60]. Plures alias de eodem argumento scripsit epistolas ad varios episcopos, quibus eos ad instaurandam turbatam Ecclesiæ pacem hortaretur, quæ injuria temporum interiere; sed epistolæ ad Victorem haud pœnitendum fragmentum conservavit Eusebius [61], quod ad calcem hujus operis excudi curavimus. Hortatur in eo pontificem, ut more decessorum, quos enumerat, pacem cum Asiaticis tueatur, nec gravate ferat eos antiquis consuetudinibus firmiter adhærere, quas a Joanne evangelista, virisque apostolicis ac sanctissimis hominibus acceperant, quasque tanti momenti esse non duxerant Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus et Sixtus, ut propter eas miscendus Ecclesiæ status videretur.

23. Docet præterea, eam esse quæstionem, quæ plures alias inducat, nec cito, nec facile dirimendas, sicque altius immergendam totam Ecclesiam infinitarum propemodum rixarum barathro, [LXXXVII] e quibus vix emersura sit. Nam si ii sollicitandi sunt, qui de festo Paschali ab Ecclesia Romana dissentiunt, litem etiam consequenter iis movendam qui jejunium, quod festo præmittitur, secus atque Romani observant. Sed præstat ipsum audire, ac difficultates nec paucas, nec leves, hic, cum occasio opportune se offerat, elucidare. Οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα. Ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. *Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim unico die sibi jejunandum esse existimant, alii duobus, alii insuper pluribus, alii vero quadraginta. Diurnis pariter ac nocturnis horis computatis diem suum commetiuntur.* Verba hæc doctissimos homines secum invicem commiserunt, nec de lectione, nec de sensu consentientes. H. Valesius [62], cum Grabio et pluribus aliis, deleta distinctionis nota post vocem τεσσαράκοντα, uno et eodem tenore legendum censet: οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. *Nonnulli vero quadraginta horis, diurnis ac nocturnis computatis, diem suum commetiuntur.* Sed cum animadverteret Valesius, *diem quadraginta horarum* absurdi quidpiam præ se ferre, id ut averteret, Iremæi verba commutare aggressus est, ac pro ἡμέραν substituere νηστείαν, licet refragentur codices omnes tum editi, tum mss., ut sit sensus, quosdam quadragesimale jejunium sic commetiri, ut per quadraginta horas continuas jejunent. Nempe, inquit, antiquarii, vocabulo ex superiore linea huc translato, locum corruperunt. Alii vero quibus nullam distinctionis notam inter τεσσαράκοντα et ὥρας reponere placet, et ἡμέραν retinent, diem illum XL horarum interpretantur de tempore quod effluxit a morte Christi usque ad ejus resurrectionem (id est, ab hora tertia post meridiem Parasceves, usque ad horam circiter sextam Dominicæ sequentis), quod ἄσιτοι ducebant plures, nihil quidquam cibi aut potus degustantes. Sed alii tum lectioni, tum explicationi merito repugnant. Dies enim LX horarum quoquo modo explicetur, portentum est in tota antiquitate ecclesiastica inauditum, cujus nec vola, nec vestigium apud omnes retro auctores occurrit, eos etiam quibus familior fuit vel Eusebius, vec Irenæus: nulliique homini, si sanus fuerit, in mentem usquam venire potuit diem suum ex XL horis conficere. Sed fac Irenæi ætate aliqui exstiterint, qui privatam sibi, et a communi omnium hominum et gentium usu, alienam temporum rationem sibi constituentes, diem suum ita commensi fuerint, utquid addidit Irenæus eos diurnas pariter ac nocturnas horas computasse? Puerile istud et insulsum prorsus. Quasi vero dies aliqua XL horis constare posset, quin nocturnæ pariter ac diurnæ computarentur? Deinde si, ut quidam volunt, Christiani aliqui fuerint, qui novissimas duntaxat XL horas, quæ Christi resurrectionem immediate præcesserunt, ἄσιτοι duxerint, necesse est diei Parasceves, qua crucifixus est Dominus, jejunium non ante ipsum crucifixionis tempus inchoaverint. Id vero Tertulliano repugnat, qui in fine libri *De oratione*, quem adhuc Catholicus scripsit, diserte asserit, *die Paschæ*, quo nomine crucifixionis diem, fatentibus omnibus, intelligit, *quasi publicam jejunii religionem esse.* An vero ea die publica jejunii religio fuisset, si horæ tantum tertia post meridiem jejunium aliqui inchoassent, reliqua autem diei parte epulis indulgere liberum sibi putassent? Nullos certe reperias ex iis qui a Quartodecimanorum disciplina discedebant, qui jejunium ea die solvere ante solis occasum fas sibi esse crederent. Imo Dionysius Alexandrinus, *Constitutiones apostolicæ*, Epiphanius et alii, testatum faciunt, non modo Parasceves, sed et quinque aliorum majoris hebdomadæ dierum jejunium tanta religione a Christianis observatum fuisse, ut nonnulli biduum, vel triduum, vel quatriduum, alii etiam totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium, pro suis quisque viribus ac pietate, sine cibo transmitterent; omnes vero, sex illis diebus, aliis cibis quam xerophagiis, hoc est pane duntaxat, cum sale et aqua vesci, idque prius quam sub vesperam, nefas ducerent.

24. Absurda hæc ut declinaret cl. Grabius, aliam a Valesio viam iniit, sed non feliciori successu. Irenæi quidem verbis pepercit, sed sensui vim intulit. Nempe vocem ἡμέραν, *diem*, in fine secundæ periodi retinet; sed non hic modo, verum etiam in primo fragmenti versu, οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας, etc., per ἡμέραν *tempus*, et quidem jejunii interpretatur: *cujus significationis usum*, addit, *pluribus exemplis probatum lege, si placet, in Psochenii*

[60] Socrat., l. v, c. 19. [61] Lib. v, c. 24. [62] Not. in lib. v Hist. Euseb., c. 24

Digitized by Google

Diatriba de stylo Novi Testamenti, num. 31, *et Vorstii dissert.* 3, *illi opposita.* Psochenii Diatribam et Vorstii Dissertationem hactenus non legi; sed pro comperto habeo ea omnia quæ proferunt exempla, etsi sexcenta essent, ad rem præsentem nihil quidquam facere, nec iis stabiliri posse Grabii expositionem. Si enim valeat, turpissimo laboret æquivoco necesse est Irenæi oratio. Voce ἡμέρα quinquies utitur duabus in periodis, iisque brevissimis, ter videlicet expressa, et bis subintellecta. Certissimum est autem in his verbis : Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο (supple ἡμέρας), οἱ δὲ πλείονας (supp. ἡμέρας), vocem ἡμέρα non de alio, quam de XXIV horarum spatio, intelligi. Debuit igitur Irenæus, nisi fucum lectoribus facere voluerit, eamdem vocem, quæ proxime præcedit, subsequiturque, eodem prorsus sensu accipere. Næ! scriptor insulsus sit, qui in una et eadem voce ludens, hanc primum a communi significatione, lectore haud præmonito, detorqueat; mox ad communem significationem redeat, ab hac statim transiturus ad alienam. Eam fuisse Irenæi scribendi rationem si culpiam persuaserit Grabius, nulli certe sobrio. Quod addit vir eruditus, ut XL horarum nocturnarum una cum diurnis computatarum absurdum devitet, mirum quomodo in mentem venire potuerit. *Qui vero,* inquit, *quadraginta horarum nocturnarum una cum diurnis mentionem hic incommode factam objiciunt; idem quoque contra Matth.* IV, 2, *objiciant necesse est, ubi Servator quadraginta non modo dies, sed et noctes jejunasse dicitur.* Christus cum XL dies, totidemque noctes jejunus egerit, factum referens sacer scriptor noctes omittere non debuit, ex quibus tantopere commendatur Christi jejunii asperitas. Aliud quippe est XL dies duntaxat jejunare, aliud noctes diebus addere; alterum altero longe durius ac molestius, nec qui unum egisse dicitur, intelligitur egisse et aliud, nisi expressa fiat ejusdem mentio. Tantum abest igitur ut nocturnarum horarum mentio sit hic [LXXXVIII] incommode facta; quin potius necessario fieri debuerit. At quid hoc exemplum affine habeat cum jejunio XL horarum, non certe video, nec alius quivis forte videbit. Cum quis quadraginta horas cibi expers traduxisse dicitur, satis intelligitur alteram istius temporis partem, horas esse diurnas, alteram nocturnas. Horarum ergo nocturnarum una cum diurnis non tantum incommode, sed et ridicule omnino ac pueriliter hic injiceretur mentio.

25. Mirum in quantas ambages sese conjiciant eruditi viri, quas devitare nullo negotio potuissent. Irenæi verba legendo ac distinguendo eo modo quo superius exscripsimus, jam nihil offensionis habet ejus oratio. Nempe interposita una distinctionis notula inter τεσσαράκοντα, *quadraginta*, et ὥρας, *horas*, amovet offendiculum, quod ex duabus vocibus male junctis exsurgit. Sic legerunt, distinxeruntque Christophorsonus et Savilius. At, inquit Valesius, refragantur mss. codices, in quibus nulla inter ambas voces interscribitur distinctionis nota. Sed manuscriptos codices diutius et accuratius versaverat vir doctissimus, ut nesciret, nullam aut parvam omnino fiduciam esse posse in iis quas plerumque vel exhibent, vel omittunt, distinctionum notis; ut pote quas librarii, vel pro suo quisque arbitrio, vel ex imperitia, aut incogitantia sæpe addidere aut omisere, repugnante tum auctore, tum sensu. Si ad codd. mss. provocare fas sit, ut eos omittam quibus usi sunt Christophorsonus et Savilius; vetustiores iis omnibus, qui modo exstant, fuere illi quos præ oculis habebat Rufinus, dum Latinam Eusebii versionem adornabat. In iis autem occurrisse, quam diximus, distinctionis notam palam colligitur ex ejusdem interpretatione, quæ sic habet : *Quidam enim putant uno tantum die observari debere jejunium, alii duobus, alii vero pluribus; nonnulli etiam quadraginta : ita ut horas diurnas nocturnasque computantes diem statuant.* Equidem scio boni interpretis officio sæpe defuisse Rufinum; sed accuratum hic fuisse probat perfecta Græcarum vocum cum Latinis consensio.

26. Textu vero ita distincto, sibi pariter et eorum temporum historiæ aptissime cohærent omnia. Eam fuisse quæstionem inter Asianos et Romanos diximus, an decima quarta luna primi mensis celebrandum esset Pascha, seu jejuniis solemnibus imponendus finis; an vero ea proroganda essent in Dominicam proxime sequentem. Qui posterius asserebat Victor papa, in Asianos negantes excommunicationis fulmen vibraverat, aut vibrare paratus erat. Indignatus Irenæus sacris excludi tot et tantas Ecclesias, ob quæstionem quæ nihil ad fidei dogmata pertineret, a præcipiti sententia revocare pontificem nititur. Monet in primis satius esse quæstionem prudenti silentio premere, quam tanto cum tumultu agitare, ne forte una controversia pluribus aliis fomitem subministret. *Neque enim*, inquit, *de die solum*, quo jejuniis imponendus est finis, *controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii.* Observa, quæso, non de ipso jejunio, neque etiam de ipso jejuniorum numero controversiam fuisse. Constabat siquidem eo tempore inter Orientales et Occidentales, adeoque inter omnes istius sæculi Ecclesias, plures saltem jejunii dies Paschali festo præmittendos esse : alioquin tanta de eorum fine contentio inter Ecclesias esse non potuisset, si unus vel alter jejunii dies suffecisset; nec adeo *indecorum* visum fuisset, *ut iisdem diebus alii jejuniis vacarent, alii agitarent convivia; ac post dies Paschatis alii in festis et animorum remissione versarentur, alii præscriptis jejuniis se dederent* [63]; ut omittam, quod ex Dionysio Alexandrino, qui non plus sexaginta annis post Irenæum florebat, et Constitutionibus apostolicis [64] supra laudatis liquet,

[63] Ep. Const. Mag. apud Euseb., l. III De Vit. [64] C. 18.

Digitized by Google

totos sex majoris hebdomadæ dies non modo jejunio, sed rigidiori cæteris abstinentiæ dicatos fuisse: ne dicam etiam Origenis [66] Irenæo fere æqualis ætate, *habitos* jam *Quadragesimæ dies jejuniis* consecratos. Et quamvis de numero jejuniorum antepaschalium nondum sub sæculi secundi finem apud omnes constaret, nec adeo etiam Socratis [66] et Sozomeni [67] ævo constiterit, quin apud quosdam minor, apud alios major exstiterit; nullam tamen iis temporibus motam ea de re controversiam legimus. Certum est itaque eam, de qua hic loquitur Irenæus, controversiam, ne minimum quidem spectasse vel ad ipsum jejunium, quasi servandum aliqui negassent; vel ad jejuniorum numerum (quæ tamen plurimorum falsissima sententia est), quasi aliqui unico die sibi simpliciter jejunandum esse existimassent, alii duobus duntaxat, alii pluribus, alii quadraginta. Hæc in quæstionem nunquam eo tempore vocata. Longe minus disceptari potuit de jejunio quod vocant ὑπερθέσεως, seu *superpositionis* (ad quod Irenæi verba perperam detorquent Valesius et Grabius), quod qui servarent, ne vespera quidem cibum caperent, sed penitus abstinerent, sive una, sive pluribus diebus, usque ad terminum jejunii, Paschale scilicet mane, quod a galli cantu incipit. Ea enim jejunii species, ut a veteribus commendata, et a piis pluribus servata; nulla tamen ecclesiastica lege, aut consuetudine, quæ vim legis haberet, sancita fuit; sed uniuscujusque arbitrio ac pietati, ut par erat, permissa; adeo ut absurdum sit, pace virorum doctissimorum dixerim, controversiam ea de re inter Ecclesias fingere.

27. Sed quid nodus in scirpo quæritur, cum asseveret Irenæus controversiam fuisse, περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας, *de ipsa forma jejunii*, id est de specie, modo atque ratione jejunii; quo pacto, quove ritu servandum esset jejunium? Quis, inquis, hujusce controversiæ status? Paulo post aperit Irenæus ipse. Nempe, quamvis fideles omnes plurimis diebus ante Pascha jejunium observarent, non una tamen apud omnes observandi ratio fuit. Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων, τὴν καθ' ἁπλότητα, καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Quæ quidem verba paululum intricata, sic Latine reddenda puto. *Atque hæc quidem inter eos, qui jejunia observant, varietas non nostra primum ætate nata est, sed longe antea apud majores nostros ortum cepit; qui non accurate, ut verisimile est, retinentes (jejunii formam) eam, quæ ex simplicitate et imperitia ortum habuit, consuetudinem in posterum induxerunt.* Vocem κρατούντων Musculus et H. Valesius male omnino reddiderunt per *rerum habenis potitos*, vel *præsidentes*. Nam, ut optime advertit Cl. Beveregius [68], verbum κρατέω simpliciter positum, nunquam *præsidere* significat, vel *dominari*, nisi saltem res illa adjiciatur, cui quis dominari [LXXXIX] dicitur, ut κρατεῖν τῆς θαλάσσης, κρατεῖν τῶν θηρίων. Irenæus vero hoc in loco non de præsidentibus vel præsulibus Ecclesiæ (qui nunquam κρατούντες vocantur), sed περὶ τοῦ εἴδους τῆς νηστείας, de forma jejunii loquitur, quam dicit nonnullos *ex simplicitate et ignorantia*, rudiores proinde ac privatos homines, ἰδιώτας, non certe ἄρχοντας, παρὰ τὸ ἀκριβὲς κρατῆσαι, *non accurate observasse*, vel *retinuisse*. Inde ergo controversia, seu multorum querela, quod multi remissiorem jejunandi formam tenentes, quam nonnullorum imperitia invexerat, ab accurata recessissent. Quænam vero accurata esset jejunandi forma, non quidem ab Irenæo ipso discere possumus, sed ex jam citatis veteribus eruere licet. Dionysius Alexandrinus in sua ad Basilidem epistola scribit sex postremos jejuniorum ante-paschalium dies, quamvis non eodem modo ab omnibus transigerentur, a pluribus tamen sua ætate sic transmissos fuisse, ut alii totos sex impasti ducerent, alii quatuor, alii tres, alii duos. Quæ quidem piorum hominum jejunandi forma, licet in legem omnibus communem trahi non possit, ex ea tamen perspicue colligitur, eam jam obtinuisse in Ecclesia consuetudinem, ut sex illorum dierum jejunium rigidius cæteris servaretur. Epiphanius [69] eamdem Ecclesiæ consuetudinem paulo enucleatius aperit, simulque innuit sua ætate non recens invectam, sed pervetustam habitam fuisse, utpote quæ altas in tota Ecclesia radices egisset. Τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν, τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου Πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν Ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα· τὰς δὲ Κυριακὰς οὐδ' ὅλως, οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρακοστῇ. Τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί· φημὶ δὲ ἄρτῳ, καὶ ἅλι, καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. Ἀλλὰ καὶ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης. *Eam vero Quadragesimæ partem, quæ præcedit septem dies Paschatis, similiter observare, in jejuniis perseverando, eadem consuevit Ecclesia. Dominicis autem nullis, ne quidem in ipsa Quadragesima, jejunare solet. Præterea sex Paschatis dies in xerophagiis transmittunt populi omnes; hoc est, pane duntaxat, cum sale et aqua tunc sub vesperam vescentes. Sed et pietatem studiose colentes, ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant; quidam etiam totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transigunt.* Triplicem hic jejunii formam clare distinguit Epiphanius: alteram illius Quadragesimæ partis, quæ septem dies Paschatis, seu majorem hebdomadam præcedit: hæc mitior erat, utpote a xerophagiorum lege libera, alteram majoris hebdomadæ, prima strictiorem et xerophagiis astrictam; alte-

[66] L. VIII cont. Cels., et homil. X in Levit. [66] L. V Hist., c. 22. [67] Lib. VII, c. 19. [68] Cod. Can. Eccl. prim., l. III, c. 7, § 4. [69] Exp. fid., § 22.

Digitized by Google

ram denique ambabus severiorem, qua hujus hebdomadæ pars, imo et tota sine cibo transmittebatur. Prima et secunda toti Ecclesiæ, populis omnibus in more posita fuit; ac proinde vim legis habuit: postrema iis duntaxat, qui præ cæteris pietatem studiose colebant; merumque consilium, non præceptum fuit. Hinc idem Epiphanius [70] majorem hebdomadam, τῆς ξηροφαγίας ἑβδομάδα, *xerophagiæ hebdomadam* vocat. Et eapropter Aerianos merito perstringit, quod *diebus Paschatis*, quo tempore, inquit, catholici humi cubando, castimoniam servando, precibus, vigiliis, jejuniis, aridorum ciborum usu, aliisque id genus afflictationibus corpus et animam vexare solebant; ipsi carnibus vesci, agitare convivia, et effuse lætari non erubescerent. Epiphanio consentiunt Constitutiones apostolorum [71], falso quidem ita nuncupatæ, Epiphanio tamen antiquiores: Ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ Πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς, καὶ Σαββάτου, ἓξ ἡμέρας μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ, καὶ ἁλὶ, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι. Οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις· ἡμέραι γάρ εἰσι πένθους, ἀλλ' οὐχ ἑορτῆς. *In diebus igitur Paschæ jejunate, incipientes a feria secunda usque ad Parasceven et Sabbatum, per sex dies solo utentes pane et sale, et oleribus, et aquæ potu. Abstinete autem vino et carne istis diebus: Dies enim sunt luctus, et non festi.*

28. Hæc igitur accurata fuit prioribus sæculis apud maximam Ecclesiarum partem jejunii forma, ut prima Quadragesimæ pars jejunio quidem, sed paulo remissiori, posterior longe asperiori consecraretur. Si quæ proinde Irenæi ætate de jejunii forma controversia fuit, si quæ inter Ecclesias discrepantia, in eo fuisse videtur, quod quædam postremis sex Quadragesimæ diebus mollius quam par esset, ac ferret communior Ecclesiarum consuetudo, jejunarent, nec xerophagiis vescerentur. Et idipsum est quod hic repræsentat Irenæus. *Quidam enim*, inquit, *unico die sibi jejunandum esse*, videlicet secundum accuratam jejunii formam, *existimant; alii duobus, alii insuper pluribus; alii vero*, quorum pietas major, longius progressi totos *quadraginta* dies in xerophagiis agunt. Omnibus autem hoc commune fuit, ut *horis diurnis pariter ac nocturnis computatis, diem suum metirentur*, id est dies illi quos jejunio deputabant, non artificiales erant; sed naturales, sive civiles, quibus nocturnæ pariter ac diurnæ continentur horæ. Quod quidem non frustra; sed prudenter omnino addidit Irenæus, ne quis sibi fingeret jejunantes illos, dum quidem sol luceret, tenui cibo usos fuisse, noctu vero lautioribus epulis, more Judæorum, indulsisse. Porro verissima hæc omnia, et cum veteribus monumentis apprime consentanea. Nam concilium Laodicænum, can. 50, statuit, Δεῖν πᾶσαν τὴν Τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, *Oportere totam Quadragesimam jejunare aridis cibis vescentes*. Ex quo palam fit quarumdam Ecclesiarum consuetudinem fuisse non modo per sex postremos, sed et per totos quadraginta dies aridis cibis vesci. Aliunde vero testatum facit Socrates [72], fideles ante-paschalia jejunia servantes, *non in numero dierum duntaxat, verum etiam in ciborum abstinentia inter se discrepasse. Nam alii quidem*, inquit, *ab animatis penitus abstinent; alii ex animantibus pisces solos comedunt. Nonnulli cum piscibus etiam avibus vescuntur; ex aquis, ut est apud Moysen* [73], *eas quoque conditas esse affirmantes. Quidam ab omni arborum fructu et ab ovis abstinent. Quidam solo vescuntur pane; alii ne hoc quidem utuntur. Nonnulli usque ad horam nonam jejunantes, quovis posthac ciborum genere utuntur absque discrimine. Alii alia ratione jejunant*, etc. Quibus maxime illustrantur Irenæi verba, et confirmantur quæ jam diximus, quosdam videlicet ab accurata jejunii forma sic recessisse, ut alii unico die, alii duobus duntaxat, etc., eo quo par erat modo, aridis cibis vescentes jejunarent.

29. Monet autem Victorem papam Irenæus, istos omnes pacem semper inter se coluisse. *Et nos*, inquit, *eam retinemus; sicque discrepans jejunii ratio concordiam fidei commendat*. Unde concludere in [XC] promptu erat, quod si iis qui præscriptam ab Ecclesia Romana jejunandi formam non tenebant, lis nulla movebatur; neque etiam moveri debebat iis, qui cum ea de Paschatis die dissentiebant; quia utrumque ad disciplinam, quæ pro locis et temporibus varia esse potest; neutrum ad fidem, quæ eadem et inconcussa manebat in omnibus Ecclesiis, spectabat. Maximi ponderis esse argumenta hæc omnia, Irenæique pietate, prudentia et eruditione dignissima, nemo negaverit. Tantum apud Victorem valuisse, ut his victus nimium præcipitem gradum revocaverit, Ecclesiisque Orientalibus pacem restituerit, ex eo colligitur, quod Firmilianus [74] sexaginta circiter post hæc annis scripserit, inter diversas Romanæ Ecclesiæ aliarumque regionum consuetudines, illæsam semper constitisse catholicæ Ecclesiæ pacem et unitatem. Sed disertis verbis asserit Anatolius [75], qui annis plus minus XX post Firmilianum scribebat, Irenæo sequestro pacis et conciliatore, sic compositas adversantium controversias, ut uniculque avitos mores retinere tutum fuerit et liberum. Et revera, quamvis ab ea, quam a majoribus acceperant, celebrandi Paschatis ratione non discesserint Orientales, vexatos tamen deinceps a Victoris successoribus non legimus: donec concilii Nicæni decreto sancita Romanæ Ecclesiæ consuetudo, communi omnium aliarum gentium consensu recepta et probata fuerit. Hæc proinde Irenæi laus fuit, quod dissidentes Ecclesias, moxque fractis fœderibus sacris discindendas, reconciliaverit; inde apud utrasque nunquam satis pro merito

[70] Hær. LXX, § 12, et hær. LXV, § 3. [71] L. V, c. 18. [72] L. V Hist., c. 22. [73] Gen. I, 20, 21. [74] Apud Cyprian. ep. 75, edit. Oxon. [75] Ap. Bucher., p. 445.

Digitized by Google

commendandus, quod schismatis malum utrisque funestum averterit.

30. Præclaro huic facinori diu superstes non fuit Irenæus. Vixdum intestina, quibus agitabantur Ecclesiæ, bella restinxerat, cum externis acerbius vastatas ingemuit. Sævum illud ac truculentum dico bellum, quod rei Christianæ intulit Severus anno decimo imperii, Christi vero 202, nulli Ecclesiæ infestius quam Lugdunensi. Quam immani fidelium strage eam vastaverit, pastorisque cum grege pro Christo fortiter dimicantis sanguine resperserit, docet Gregorius Turonensis [76]. *Veniente*, ait, *persecutione talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano; quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum, diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit.* Gregorio consentiunt Ado et Notkerus, dum narrant Irenæum *cum omni fere civitatis suæ populo coronatum esse glorioso martyrio.* Alias tam pretiosæ mortis circumstantias non novimus. Quas enim ex vetustis quibusdam Ecclesiæ Lugdunensis codicibus mss. eruisse se dicunt Severius [77], Halloixius [78] et Theophilus Raynaldus [79], parum tutas esse existimo. In eo duntaxat antiquis hisce monumentis habenda fides, quod Irenæum inter Christi martyres recenseant. Nam in hoc sibi consentientes habent Hieronymum [80], et auctorem *Quæstionum ad Orthodoxos* [81], inter opera Justini Martyris, qui Irenæum disertis verbis *martyrem* appellant, ac vetustissimos quosque Martyrologiorum codices cum editos, tum mss., Hieronymianum vulgo dictum, a Florentinio editum [82], Bedæ, Usuardi, etc., et ipsorum Menæorum Græcorum [83]. Exstat in Bibliotheca nostra [84] San-Germanensi membranaceus codex in-4°, n. 264, plures continens Tractatus Isidori, Joannis Chrysostomi, Gregorii Mag., etc., quem antiquissimum esse et annorum plus quam mille probat ipsa scripturæ forma. In medio siquidem duos quaterniones videre est, eadem si non manu, saltem ætate descriptos, quorum pars vulgaribus, pars Merovingicis characteribus exarata est, ita ut in uno et eodem opusculo, imo et folio utrosque characteres legere sit : quod summam codicis antiquitatem demonstrat. Porro initio præmittitur brevissimum Kalendarium, eadem manu atque reliquum opus descriptum, in quo ita legitur : IV KAL. JUL. LUGDUNO GALLEA PAS. S. HERENEI EP. Dolendum quod passionis ejus Acta sincera et sana exciderint [85]. Dudum est quod interiere : nam Gregorius Mag. [86] conqueritur quod beati Irenæi *gesta et scripta* A a se diu conquisita reperire non potuerit. Eorum fragmentum a se repertum fuisse affirmat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, et in *Annal. eccles.* ad annum 205, n. 28, idem forte quod e veteri codice Lugdunensi erutum descripsit Severtius laudatus : quam enim Irenæi mortis historiam narrat Baronius, ad Severtianam satis accedit. Sed Acta ipsa, quæ sublata una pagina mutila nactus fuerat Em. cardinalis, integra invenit doctissimus noster D. Theodericus Ruinart, in cod. ms. archicœnobii Cisterciensis; verum cum ad Irenæi ætatem accedere non videantur, ea proferre operæ pretium non duxit. Ut ut est de actis, quæ ex veteribus monumentis testimonia deprompsimus, palam faciunt jam saltem a quinto sæculo eam in omnes gentes B manasse sententiam, Irenæum martyrio vitam finiisse.

31. Sed ecce, nuperus scriptor Dodwellus [87] adversus receptam hactenus et traditam a tot veteribus sententiam insurgit, et ex Irenæi capite martyrii lauream avellere nititur. Mirum si martyrum multitudini a teneris unguiculis infensissimus, Galliarum sideri pepercisset. At, quibus argumentis Lugdunensem episcopum ex albo martyrum expungit? Iis videlicet, quibus plus æquo delectatur, vanis infinitisque conjecturis, ac negantibus argumentis; quæ si quid hic valeant, nihil in tota antiquitate ecclesiastica adeo certum erit, quin audaculorum manibus facile concutiatur. Ac primo quidem C eos confutat, qui putant eo anno trucidatum Irenæum, quo Albinum prælio ad urbem Lugdunensem commisso superavit Severus; capta nimirum eodem impetu urbe, et in cives ejus, præsertim Christianos, cæde edita immanissima. Annus is erat Christi 197, Severi 5. Sed si excipias auctorem Actorum S. Irenæi, quorum dubia omnino fides, paucissimi sunt qui ita sentiant. Eo siquidem anno, teste Hieronymo in *Chronico*, tum primum emergebat, aut saltem invalescebat Paschalis inter Victorem papam et Asianos controversia, quæ deinceps Irenæo conciliatore composita est. Ultro igitur concedunt eruditi, episcopum Lugdunensem tandiu vitam prorogasse, donec *veniens persecutio*, ut loquitur Gregorius Turonensis, ea nimirum quam quinquennio D post suscitavit Severus, pastorem cum maxima gregis parte demessuerit. Quo anno martyrii coronam adepti fuerint, non liquet; non nisi post annum 202 adipisci potuisse constat, nec [XCI] improbabilis Raynaldi [88] conjectura, differendam esse usque ad annum 208, quo Severus Galliis peragratis in Majorem Britanniam profectus est. Hæc ne leviter quidem attingit Dodwellus; imo nec auctores primæ sententiæ valde premunt ea quæ profert in eos argumenta.

[76] Lib. I Hist. Franc., § 27. [77] De Lugd. archiep., p. 1, num. 3, § 2. [78] Not. in cap. 12 Vitæ Iren. [79] T. VIII, pag. 22, 23. [80] In cap. LXIV Isa., tom. III nov. edit. [81] Respons. ad Quæst. 115 ad Orthod. [82] P. 629, 632. [83] 22 Aug. [84] Biblioth. Cæs., p. 208, Lambec., tom. VIII. [85] Act. Mart. sinc. et sel., p. 706. [86] L. XI, ep. 56, ad Æther. Lugd. episc. tom. II nov. edit. [87] Dissert. 5, in Iren., § 31 et seqq. [88] Theoph. Rayn., tom. VIII, p. 37.

Digitized by Google

32. « At, inquit, tanta cum fuerit martyrum apud veteres auctoritas, ut martyrum nunquam sine martyrii encomio mentionem faciendam existimarent; quid est quod Irenæum nemo e veteribus, etiam ubi testis adducitur, etiam ubi cum aliis testibus martyribus junctus legitur, martyrem tamen appellavit? » Id confidentius asserit Dodwellus. An e veterum catalogo expunget Hieronymum, auctorem *Quæstionum et Responsionum ad Orthodoxos*, et Gregorium Turonensem? Atqui illi disertis verbis Irenæum martyrem appellant, ac priores quidem duo ubi testem adducunt. Eorum quidem vel fidem elevare, vel testimonium infirmare nititur, sed vanis cavillationibus, quas postea discutiemus. His adjungendi vetustissimi Martyrologiorum et Kalendariorum scriptores [89], qui Irenæum in martyrum fastos constantissime retulerunt; idque non propria auctoritate, non futilibus conjecturis, aut temere divinando, sed ex veteribus Ecclesiarum monumentis quæ consulebant, et præ oculis habebant. Hos si fabulatores iterum appellet Dodwellus, meminerit, iis verbis ejusmodi criminationes dudum excepisse doctissimum nostrum ac piæ memoriæ D. Theodericum Ruinart, ut ad incitas redactus desperatam causam tueri hactenus non potuerit. « Etsi enim, inquit ille, ejusmodi libros ab omni penitus mendo immunes esse affirmare nemo possit (hæc quippe est singularis sacrorum codicum prærogativa), non tamen hinc inferre licet, eos mala fide, aut temere, aut leviter conscriptos fuisse; imo vero certum est Martyrologia a viris gravibus, ex antiquioribus monumentis, et peculiarium Ecclesiarum Kalendariis collecta fuisse: quæ cum ab episcopis approbata fuissent, publice in ecclesiasticis conventibus lecta fuerunt; ut si omnium sanctorum festivitates celebrari non possent, eorum saltem aliqua commemoratio fieret, tum in tesseram communionis, quæ inter Ecclesias catholicas haberi debet; tum ut ea ratione aliquis saltem cultus exteris martyribus exhiberetur. Cæterum falso confictas martyrum historias igni tradi jubent Trullani concilii Patres can. 63, vetantque ne in Ecclesia legantur; eos autem qui eos admitterent, anathemati subjiciunt. » Quod ostendit quanta cautione ac religione nomen alicujus a majoribus nostris in album martyrum referretur, nec cuivis ita referre pro libito licuisse. Editus est ea de re canon secundus concilii I Carthaginensis sub Grato, tempore Julii papæ. Nec latet quempiam, Lucillam factiosam illam feminam, quæ schismati Donatistarum initium præbuit, quod homini cuidam mortuo, *etsi martyri, sed necdum vindicato* [90], aliquos honores exhibuisset, ab Ecclesiæ ministris *correptam* fuisse. Adeo certum est, ut alia multa, quæ proferri possent, argumenta prætermittam, sollicitos semper fuisse Ecclesiarum rectores, ne quis temere martyrum numero ascriberetur.

33. Verum ut ad Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, et alios quos in causæ suæ defensionem citat Dodwellus, pedem referamus; illi quidem Irenæum nusquam appellant martyrem; sed nihil aliud ad summum ex eorum silentio colligi potest, nisi quod ad eorum notitiam Acta martyrii non pervenerint, aut martyrem fuisse nescierint. Ex eo vero quod ad Tertulliani, Eusebii, Epiphanii et aliorum quorumdam Orientalium scriptorum notitiam martyris alicujus Occidentalis Acta non pervenerint, martyrem fuisse confidenter negare a ratione prorsus alienum videtur. Ut enim sic inferri jure possit, supponatur necesse est martyres omnes Occidentales iis apprime cognitos fuisse nec ullam eos latere potuisse martyrii historiam; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Et si quidem iis in regionibus, vel non procul ab iis passus fuisset Irenæus, in quibus vitam egere scriptores laudati, quidpiam ponderis habere posset argumentum ab eorum silentio repetitum. Sed quod martyrem fuisse nescierunt episcopum, qui in remotissimis Occidentis partibus, et in Ecclesia nascente, necdum magni nominis, aut longe lateque diffusa, sanguinem fuderit, non est quod adeo miremur. Certe martyres fuisse Saturninum Tolosanum, Dionysium Parisinum episcopum, cum sociis Rustico et Eleutherio, Patroclum Trecensem, Fructuosum Tarraconensem, et alios complures, qui varias Occidentis partes sanguine suo purpurarunt, adeo constat ut ne ii quidem inficias ierint quos acrius exagitat martyrum numerum contrahendi prurigo. Illorum autem mentionem frustra requiras apud Eusebium, Epiphanium, Theodoretum et alios rerum Orientalium scriptores. Sed ut causæ jugulum propius adhuc petam, Eusebius [91], cujus silentium adeo urget Dodwellus, Hippolyti non semel meminit, catalogum ejus operum texit, episcopum fuisse dicit; martyrem nuspiam. Martyrio tamen vitam finiisse certissimum esse debet vel ipsi Dodwello; nam in iis ipsis quæ profert Theodoreti [92], adversus Irenæi martyrium locis, martyr appellatur. Appellatur et ab Hieronymo non semel [92*]. Quid jam respondere posset Dodwellus, si quis martyrem fuisse Hippolytum negans, verba ejus in ipsum retorquens diceret: non id procul dubio taciturum Eusebium, si vere nosset; nec ignoraturum, si qua reperisset illius martyrii monumenta, in sua martyrum collectione inferenda? Nihil aliud, si saperet, respondendum occurreret, nisi istud: Eusebium quidem non nosse Hippolytum martyrem fuisse, nec reperisse illius martyrii monumenta; ipsius tamen silentium præponderare nec posse, nec debere disertis aliorum veterum testimoniis, qui martyrem fuisse asseverant. Boni ergo consulat, si eadem reponentes contendamus, diserta Hieronymi, Eusebio supparis, Epiphanio coævi, Theodoreto et Cyrillo Alexandrino antiquioris; auctoris *Quæstionum et Responsionum ad Orthodoxos*, qui ad posteriorum

[89] Act. Mart. sinc. et sel. Præf., § 3 fin. [90] Optat., lib. I. [91] Lib. VI, cap. 20, 22. [92] Dial. 1, 2, 3. [92*] Hier. Prol. in Matth. et Ep. 11, al. 125, tom. II nov. edit.

Digitized by Google

ætatem accessit; Gregorii Turonensis, aliorumque rerum Occidentalium scriptorum testimonia, longe majoris esse ponderis, Eusebii cæterorumque Orientalium silentio. Certe si regula est omnium gentium consensione firmata, in rebus historicis patrios testes præ exteris audiendos esse; tum potissimum, aut nusquam valere debet, cum illi loquuntur, isti tacent. Ecquis enim sobrius sibi persuadeat, historica regionis alicujus monumenta, exteris notiora esse posse, quam incolis ipsis? An ferret vir clariss. Italum qui tantam sibi rerum Britannicarum scientiam [XCII] arrogaret, quantam Angli ipsi; vel contenderet hos aliis non instructos esse monumentis, in iis quæ ad rerum Anglicarum historiam attinent, quam Italos?

34. Argumenti vim sensit Dodwellus; ne tamen victus succumberet, auctoris *Quæstionum ad Orthodoxos*, Hieronymi et Gregorii Turonensis testimoniorum fidem infirmare nititur. *Certum est*, ait, *auctorem* Quæstionum ad Orthodoxos, *quicunque tandem is fuerit, recepti in imperio Christianismi temporibus esse juniorem; ut proinde in causis historicis, etiam quarti quintive sæculi, non sit, nisi interposito genuinorum auctorum testimonio, tuto audiendus.* Egregiam certe responsionem! quæ id habet commodi, ut molestam veterum quorumlibet, si de trium priorum sæculorum rebus testimonium ferant, auctoritatem ab imis fundamentis facile succutiat. Ergone ii duntaxat tuto audiendi, qui recepti in imperio Christianismi temporibus aut antiquiores, aut saltem æquales exstitere; et alii omnes quarti desinentis, vel quinti sæculi auctores rejiciendi? Si ita sit, cur in causæ suæ patrocinium adducit Dodwellus Epiphanium, Theodoretum, Augustinum et Cyrillum Alexandrinum? Omnes quippe recepti in imperio Christianismi temporibus juniores fuerunt. Quas aliis imponere vult leges; adeo sensui communi adversantur, ut ne ipse quidem jugum ferre possit. Si quidem auctor sæculi quinti, scriptoribus quarti negantibus, quidpiam affirmaret; ille, fateor, tuto audiendus non esset; sed si ille tuto audiendus non sit, dum his tacentibus aliquid affirmat, quod alii ante et post eum affirmarunt, et ii quidem quibus perspecta et explorata magis esse debuerunt rei monumenta, antiquandæ sunt communes historiæ leges.

35. Nec felicius Dodwello cedunt ii, quibus Hieronymum concutere molitur, conatus. *Vereor*, ait, *ne* quod apud eum de martyrio Irenæi legitur, *e margine* (*quod sæpe evenire solebat*) *a studioso aliquo recentiore notatum, in textum irrepserit.* Sic sagacissimi viri in salebra nunquam hærent. Si quid apud auctores molestum occurrat, quod facile detorqueri non possit; in cæteris fidentiori, hic timidiori animo, verentur ne e margine in textum irrepserit. Sed quis hic pertimescendi locus? Ecce enim, in omnibus cum editis, tum mss. codd. Hieronymus in cap. LXIV Isaiæ, Irenæum diserte appellat episcopum et martyrem: hæc ne minimum quidem repugnant antecedentibus et consequentibus, sensum non perturbant, nec orationis seriem abrumpunt; certissima textus sinceri nec interpolati argumenta. Veretur tamen Dodwellus ne verba hæc, *Et martyr*, e margine in textum irrepserint: imo parum abest quin excusso metu fidenter pronuntiet, *adeo hæc non scripsisse Hieronymum, ut ne quidem scribere potuerit.* Cur ita? Quia *si martyrem Irenæum nosset Hieronymus, cur, quæso, nullam habemus in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam mentionem? Cur aliis, quoties testem adducit, ornat encomiis, prætermisso illo martyrii omnium dignissimo?* Hoc Dodwelli argumentum, quod in ipsum auctoris caput facile retorserit alius quispiam Dodwelliano more pavidus. Vereor, inquiet ille, ut Irenæi martyrium e Catalogi textu librariorum negligentia, quod sæpe evenire solebat, exciderit; sunt enim alia quæ merito faciant ut suspicemur verba illa *et martyr*, adeo non omisisse Hieronymum, ut ne quidem omittere potuerit. Ecquis sibi persuadeat eum, cui martyrem fuisse Irenæum certissime constitisse patet ex Commentariis in Isaiam, nullam in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam fecisse mentionem? etc. Pares utrinque timendi rationes cum sint, vel metum suum inanem, vel alterius gravem esse fateatur Dodwellus necesse est. Certe Hippolytum martyrem fuisse, et ab Hieronymo martyrem agnitum et appellatum fuisse, negare nec potest, nec audet. Hieronymus tamen, qui in sua ad Damasum epistola scripta ante annum 384, ut probat eruditus Martianæus noster in suis in tomum II Hieronymianæ editionis Prolegomenis, dudum antequam Catalogus ederetur, Hippolytum martyrem appellaverat, appellavit et postea cum in Matthæum præfaretur; nullam in Catalogo, ubi exspectanda erat, martyrii vel levissimam injicit mentionem. An ergo hinc inferre liceat, id quod de Hippolyti martyrio legitur tum in citata ad Damasum epistola, tum in Prologo in Matthæum, e margine in textum irrepsisse, hæcque adeo non scripsisse Hieronymum, ut ne quidem scribere potuerit? Inferat Dodwellus, si lubet, sed alius nemo. Scripta quæ ab illustribus viris in lucem emissa fuissent, accurate recensere Hieronymo animus erat, sed non eorum gesta. Nihil proinde ex silentio Catalogi contra Irenæi martyrium colligi potest, quod non et contra Hippolyti martyrium meliori jure colligatur. Sed etsi martyrium Irenæi, dum Catalogum scriberet Hieronymus, prudens omiserit, vel tunc nescierit; dispendium resarcivit jam forte doctior factus, cum lectis martyrii monumentis, Isaiæ prophetiam exposuit. Quos enim in eam edidit commentarios, viginti circiter annis post scriptum Catalogum editi sunt. Hic quippe scriptus est, si Hieronymo ipsi credimus, *anno Theodosii principis decimo quarto*, Christi 392, illi vero *annis triginta* postquam *Constantinopoli apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis episcopum, sanctarum*

Digitized by Google

Scripturarum studiis eruditus fuisset; ac proinde circiter annum Christi 410. Nam Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanam regebat Ecclesiam anno 380 et 381.

36. Postremus e tribus Irenæi martyrii testibus a Dodwello exagitatis superest Gregorius Turonensis; cui, quia cæteris eo molestior videtur, quo trita de verbis e margine in textum temere conjectis fabula decantari hic non potest, ut auctoritatem omnem ac fidem deroget suam omnem conjecturalem industriam confert. Contendit Gregorium Turonensem ita Irenæum martyrem credidisse, ut non alia quam Lugdunensium Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et illum quoque coronatum crediderit. Unde vero tam immanem errorem hauserit Gregorius, a Dodwello si quæras; respondebit, ex eodem fonte hausisse, ex quo imperite e Latinis Eusebii Rufiniani verbis numerum XLVIII martyrum, quos persecutio Lugdunensis cœlo transmiserit, collegerunt recentiores martyrologi; conjectis temere in censum quæcunque occurrebant in Viennensium Lugdunensiumque epistolis, nominibus. Qua quidem temeritate factum est, ait, ut Zacharias presbyter in martyrum numerum relatus sit. Πρεσβύτην nempe Ζαχαρίαν, *presbyterum Zachariam* verterat Rufinus, non animadvertens de Zacharia Joannis Baptistæ [XCIII] patre, non de alio nescio quo, qui martyr fuerit, Zacharia presbytero locutos Viennenses atque Lugdunenses. Simili errore, addit Dodwellus, Irenæum martyribus accensuit Gregorius, quod in eadem persecutionis historia Irenæi mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum. Erant enim præterea in eadem epistola, quæ a lectoribus, quales illi erant impostores, parum attentis possent in eam sententiam intelligi. Irenæum martyres ἀδελφὸν καὶ κοινωνὸν appellant. Proclive erat ut eam κοινωνίαν de tolerandis, Christi causa, passionibus intelligerent, qui novos eruendi martyres quaslibet occasiones avide captarent. Et quamvis sanguinem pro Christo non fuderit Irenæus, ea tamen παθημάτων κοινωνία, *passionum communio*, sufficere potuit ad titulum martyrii, quo sensu vocem illam intelligebant illius ævi veteres. Sic omnino Dodwellus, semper sibi similis, ingentemque, quo catholica gloriatur Ecclesia, martyrum numerum arietare frivolis conjecturis studens; licet eam ob rem sic a Ruinartio nostro dudum exceptus fuerit, ut primo congressu fractus victusque cesserit.

37. Ille vero plura hic supponit, quæ cum recta ratione e diametro pugnant. Ac primo quidem inane commentum est, quod asserit, numerum XLVIII martyrum e Latinis Eusebii Rufiniani collectum a recentioribus, ut vocat, martyrologis fuisse. Qui enim ii ex Rufiniana Eusebii interpretatione eum numerum colligere potuerunt, cujus nec vola, nec vestigium ibidem apparet? Paulo liberior sit Rufiniana interpretatio; alia tamen Lugdunensium martyrum nomina, aliumve numerum non exhibet, quam Christophorsoniana, Valesiana et aliæ. Ex illa proinde, quascunque rationes ducat Dodwellus, aut alius quivis, geminato etiam numero, aut temere conjectis in censum quæcunque occurrerint nominibus, XLVIII nunquam eruet. Hallucinatus quidem Rufinus Zachariam, Joannis Baptistæ patrem, presbyterum Christianum perperam arbitratus est; sed hunc martyrem fuisse ne verbo quidem dixit. Qui ergo designato Zachariæ presbyteri supplicio securi percussum asserunt, et XLVII Lugdunensibus martyribus adjungunt, Gregorius Turonensis, Ado, Notkerus, et alii; necesse est et Zachariæ illius, quem presbyterum nuncupant, martyrium, et XLVII sociorum nomina ac numerum aliunde collegerint, quam ex Rufiniana Lugdunensium et Viennensium epistolarum interpretatione. Unde vero, nisi ex ipsis epistolis, quarum non Eusebiana modo fragmenta, sed et integra exemplaria legerant? In iis quippe accurate recensita fuisse et martyrum nomina, et varia quibus interiere suppliciorum genera certum est ex Eusebio. *Quid opus est*, inquit, *expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt?* Atqui laudati auctores non tantum martyrum catalogum recensent, sed etiam qui securi percussi, qui feris objecti, qui in carcere exanimati sunt, accurate distinguunt, et eodem prorsus modo et ordine, atque epistolas fecisse narrat Eusebius. Ut vel cæcis ipsis hinc appareat, ex eo solo fonte, non ex Rufino, apud quem ea frustra requiras, manare potuisse quæ de martyrum nominibus et suppliciis referunt illi.

38. Graviter quidem in iis omnibus offendit Dodwellus; sed longe gravius in eo quod confidenter asseverat, Gregorium Turonensem *non alia quam Lugdunensium illa Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et nostrum quoque coronatum credidisse Irenæum*. Si Gregorium usquam legerit, caligantibus oculis legerit. Is enim eam persecutionem quæ Pothinum absumpsit, ab ea qua coronatus est Irenæus, clarius secernere non poterat. *In Galliis*, ait [93], *multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati; quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur. Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus* (sic scribit) *episcopus fuit, qui plenus dierum diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit; qui in modici temporis spatio, prædicatione sua maxime in integro civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Chri-*

[93] Lib. I Hist. Fr., c. 26, 27. edit.

Digitized by Google

stianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano; quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit. Nec eo loci duntaxat ita loquitur Gregorius, sed et alibi, semper sibi constans, post recensita XLVIII martyrum nomina, et supplicia postremumque omnium memoratum Pothinum, paucis interjectis de eorum reliquiis et sepultura, subjungit [94]: *Igitur martyrio consummatus gloriosus Photinus, qui Lugdunensi præfuit urbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est cœlo. Cui et merito et sanctitate condignus Irenæus successit episcopus, per martyrium et ipse finitus.* Clarissima hæc, nec Dodwelli conjecturarum nebulis usquam obscuranda. In ea persecutione, qua *multi in Galliis pro Christi nomine sunt per martyrium coronati, Lugdunensis episcopus Photinus passus est. Beatissimum vero Irenæum hujus successorem martyris* factum fuisse tradit Gregorius. Qui igitur credere potuit eadem persecutione, quæ si Lugduni multos dies, non certe menses efferbuit, coronatum utrumque fuisse? Nisi forte fingat Dodwellus, eam fuisse Gregorii sententiam, Irenæum paucis admodum diebus Lugdunensem Ecclesiam rexisse. At ita sentire non potuit Gregorius, qui Irenæum asserit tam naviter pastorali functum officio, ut *in modici temporis spatio, prædicatione sua in integro civitatem reddiderit Christianam?* Tantum igitur temporis spatium Pothino superstitem fuisse Irenæum existimavit, quantum saltem necessarium erat ut illata per primam persecutionem Ecclesiæ Lugdunensi dispendia resarciret. Dum vero hæc ageret Irenæus, *veniens persecutio*, addit Gregorius, quæ tot et tantorum martyrum sanguine Lugduni plateas inundavit, ut nec nomina, nec numerus colligi potuerit, sanctissimum occupat episcopum, ac *Christo Domino per martyrium dedicat*. An clarius exprimi et designari potuisset nova persecutio, a priori et tempore et circumstantiis procul diversa? In priori *tantam multitudinem Christianorum ob confessionem Dominici nominis Lugduni jugulatam esse, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano*, nullibi legimus; sed nec scribere unquam potuit Gregorius, se *nec numerum, nec nomina martyrum*, qui in priori passi sunt Lugduni, *colligere* potuisse; qui alibi et numerum [XCIV] et nomina tam accurate collegit, ut recenseat, et quo quisque supplicii genere affectus sit referre non omittat. Hæc Dodwello legenda erant, aut si quæ fides, dissimulanda non fuerant. Id si fecisset, nunquam certe commisisset, ut scripsisset, proclive Gregorio Turonensi fuisse Irenæum inter martyres Lugdunenses recensere, quod in eadem persecutionis historia Irenæi mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum; et quidem eo magis, quo Irenæum martyres ἀδελφὸν et κοινωνὸν appellant. Itane, quæso, plumbeus et hebes exstiterit Gregorius, ut in Lugdunensium et Viennensium martyrum historiis, quas apud suam cæterasque Gallicanas Ecclesias *fideliter usque hodie retineri* dicit; et in iis tum cleri, tum Lugdunensium et Viennensium martyrum epistolis, quas legisse cum fatetur Dodwellus, ea distinguere non potuerit, quæ vel Londinensium bajulorum aut nautarum stupidissimus quisque nunquam permisceret? Ecce, martyres in sua ad Eleutherum epistola scribunt Irenæum Romam se mittere, qui litteras eorum perferat; hunc profecturum pontifici commendant, debitisque ornant encomiis; hunc fratrem laborumque consortem vocant, quem Christianum et presbyterum esse, martyresque in carcere detentos consilio, monitis, eleemosynis, pro virili sua, non certe citra capitis discrimen, sublevasse, constabat; et Gregorius imprudens hinc arrepta turpissimæ hallucinationis occasione, eum ipsum quem itineri sese committentem, aut mox commissurum legebat, inter illos recensuerit, qui in ea persecutione, quæ delegationi ansam præbuit, vitam pro Christo profuderint? Quis credat?

39. Sed, inquit Dodwellus, descripto Irenæi martyrio statim addit Gregorius: *Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum.* Constat autem illos XLVIII martyres, quorum primus fuerit Vettius Epagatus, non in alia persecutione passos fuisse, quam illa Lugdunensium Viennensiumque, qua coronatus est Pothinus. Si ergo post Irenæum passos fuisse crediderit Gregorius, illum in eadem persecutione coronatum fuisse existimaverit necesse est. Ita quidem scriptum legi in hodierno Gregorii textu non diffiteor. Sed fidentior hic evasit Dodwellus. Quin hic contigisse vereatur, quod supra Hieronymiano textui accidisse inanis suadebat timor; ne videlicet mox citata verba e margine (quod sæpe evenire solet) a studioso aliquo recentiore e libro I *De gloria martyrum* collecta, in textum, sed incommodo loco irrepserint, vel ab imperito aliquo aut festinante scriba loco perperam mota, in capitis finem male translata fuerint? Quin addat, esse alioqui alia quæ merito faciant ut suspicemur, verba illa adeo non scripsisse Gregorium, ut ne quidem scribere potuerit? Fortasse non ab re veritus, suspicatusve fuisset. Quomodo enim fieri potuit, ut is qui Lugdunensium ac Viennensium Martyrum *passionum historias* in ipsis fontibus legerat, et apud Gallos fideliter ad suam usque ætatem retineri dicit; qui Irenæum Pothino, quem XLVIII martyribus alibi annumerat, successisse scribit, dinque post eum, et in alia longe diversa persecutione martyrium subiisse diserte asserit; sui

[94] Greg. Tur., l. I De glor. mart., c. 49, 50, p. 779, 780.

Digitized by Google

ipsius eo usque oblitum fuisse, ut ipsos XLVIII martyres, e quorum numero Pothinus Irenæi decessor erat, post hunc coronatos esse velit? Hoc rectæ rationi tam immaniter adversatur, ut gravissimo, qualis erat Gregorius, scriptori tribui nullo modo possit. Certe male interpolatum fuisse textum legitima, si quæ unquam, suspicio est, dum ea apud auctorem aliquem leguntur, quæ ab ejus sententia aliunde nota abhorrent, clarissimisque ac perspicuis ejusdem verbis aperte repugnant; quod hic occurrit. Quisquis enim æquus rerum æstimator, sepositis tantisper omnibus præjudiciis, posteriora hæc capitis 27 (nov. edit.) verba, *Post hunc et quadraginta octo martyres*, etc., cum prioribus, et iis quæ lib. I *De gloria mart.*, cap. 49 et 50, leguntur, conferre voluerit, nulla ratione conciliare poterit. Haud spernenda proinde eorum conjectura, qui ea quæ de posterioribus istis martyribus apud Gregorium leguntur, perperam translocata esse censentes, jungenda esse opinantur cum iis quæ initio capitis scribuntur de Pothino, in hunc modum: *Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris*, etc. Sic conjicit is qui novam Leonis Magni operum editionem adornavit vir clarissimus; at quod idem resecandum vellet totum capitis finem, ab his verbis, *Beatissimus vero Irenæus*, etc., eo quod totum ipsum caput in mss. quibusdam codicibus desit; in ejus sententiam concedere non possum. Ne tamen actum agam, legat is quem ea de re scrupulus incesserit, Præfationem novæ Gregorii Turonensis editioni præfixam, art. 3, in qua hujusmodi scrupulos facile, pro ea qua præstabat eruditione, exemit noster piæ memoriæ Theodericus Ruinart. Sed ut ut sit de proposita modo conjectura, esto Gregorius ea scripserit quæ de XLVIII martyribus post Irenæi martyrium leguntur, memoriæ lapsus erit, et hic gravis quidem. An vero quia memoria lapsus est in aliquo scriptor aliquis, huic affingenda statim aliena sententia quam ipse diserte respuit? An quia in capitis fine paucula quædam et intricata verba subtexuit Gregorius, alia quæ perspicua sunt et aperta, ex obscuris illis explicanda, et ad ea, invito ac reluctante auctore, violenter detorquenda? Si ita sit, novas critices regulas, veteribus antiquatis statuat Dodwellus.

40. Hactenus dicta demonstrant, eam jam a sæculo quinto toto orbe invaluisse sententiam, Irenæum pro Christiana fide dimicantem necatum fuisse, eamque haud parum tutis niti fundamentis, quæ non nisi futilibus argumentis, frivolisque conjecturis peti possit. Martyrii hujus memoriæ diem 28 Junii solemnem consecrant Latini omnes, Græci vero 23 Augusti. Corpus ejus Gregorii Turonensis [95] ætate miraculis celeberrimum *in crypta basilicæ Beati Joannis sub altari sepultum* quiescebat; *ab uno quidem latere Epipodium, ab alio vero Alexandrum martyrem tumulatum habens.* Sed Calvinistæ anno 1562, capto Lugduno, amenti furore perciti S. martyris sepulcrum fœde violaverunt; ossibusque dissipatis, capitis cranium, postquam diutius ludibrio fuit, in media platea turpiter projectum tandiu jacuit, donec hinc ereptum hodie Lugduni religiose asservatur.

ARTICULUS II.

DE IRENÆI LIBRIS QUINQUE ADVERSUS HÆRESES

[XCV] 41. His, quo potuimus studio, collectis et explicatis quæ ad Irenæi nostri vitam et gesta pertinent, operæ pretium est de ejus scriptis, quam accurate fieri poterit, disserere. Plura reliquit vir apostolicus ingenii, pietatis ac zeli, quo pro tuenda catholica fide fervebat monimenta. Sed nullum antiquis omnibus majori in pretio, sæpiusque ab iis citatum fuit, quam eximium illud opus in quinque libros divisum, quod adversus Gnosticorum hæreses elucubravit, quodque solum a temporum edacitate tutum hactenus mansit. Primum hunc Irenæi fetum esse vulgata opinio est; nam ipse in Præfatione libri primi testatur, se scribendi usu exercitatum non esse, nec dicendi artem coluisse; quod hominem arguit qui nihil, aut pauca in lucem adhuc emiserit. Colligi tamen cum Cl. Grabio, in Prolegomenis, posse videtur ex lib. III, cap. 7, n. 1, quidpiam aliud antea scripsisse Irenæum. Ait enim se *ex multis et alibi ostendisse* Pauli consuetudinem esse hyperbatis uti. De eo autem frequenti Paulinorum hyperbatorum usu ne verbo quidem tractat in duobus præcedentibus libris, imo nec in sequentibus. Quempiam igitur alium tractatum prius edidisse videtur, in quo de his ex professo egerit.

42. [96] Scribendi vero dicti operis contra hæreses duplex causa fuit. Altera ut morem gereret amico cuidam, qui precibus eum eo egerat, ut abstrusa Valentini discipulorum mysteria, necdum a quoquam satis explicata, manifesta sibi faceret, ac

[95] Lib. I De glor. mart., c. 50. [96] Iren., Præf. lib. I.

Digitized by Google

simul arma ministraret, quibus hæc errorum portenta confoderentur. Quis fuerit amicus ille, tacente Irenæo, dici non potest. Græcum tamen hominem fuisse ex eo conjicio, quod Græce scripserit. Irenæus, ut inferius probabo; alias Latine scripturus, si in Latini gratiam scripsisset. Adde quod Græcis regionibus longe infestior, quam Latinis semper fuerit Valentini, cæterorumque Gnosticorum lues. Episcopum etiam fuisse suspicor, aut aliquem in clero conspicuum, qui plebem curæ suæ concreditam haberet. Huc saltem trahi posse videtur quod ait Irenæus [97], ideo se morem amico gessisse, ut et ipse quoque *portentuosissima et altissima mysteria cognoscens, ea omnibus his qui cum eo erant*, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ, *manifesta faceret, et præciperet eis observare se a profundo insensationis, et ejus quæ est in Deum blasphemationis.* Hinc postea eumdem monet, ut pro ea qua valet eruditione, *quæ invalide relata sunt, potenter asserat iis qui secum sunt; subministrationemque sibi datam efficaciter reliquis ministret, secundum gratiam quæ ipsi a Domino data est; ut jam non abstrahantur homines a Valentinianorum suadela.* Et in Præfatione libri IV, spondet se amico *undique* ministraturum *occasiones ad confutandos omnes hæreticos, ut eos omnimodo retusos non longius sinat in erroris procidere profundum, neque ignorantiæ præfocari pelago, sed convertens eos in veritatis portum, faciat suam percipere salutem.* Quæ vix in alium quam in episcopum conveniunt, qui scribendi procurationem, ut lib. II, cap. 17, n. 1, loquitur auctor noster, amico suo Irenæo crediderit. Sunt qui amicum illum putent fuisse Turibium Toletanum episcopum, Patruini cujusdam successorem; auctoritate freti Pseudo-Dextri, ad an. Christi 185, istud asseverantis; sed nulla huic fabulatori fides. Altera scribendi causa fuit, ut Marcosiorum hæresi, Valentinianæ germini, quæ in Celticam, seu *Rhodanenses regiones* clam irruperat [98], occurreret, malumque in ipso ortu suffocaret. Eo periculosius erat, quo majores mulierum præsertim cupiditati et curiositati illecebras objiciebat, difficiliusque imperitis erat oves a lupis discernere; cum illarum vocem et pellem passim æmularentur. [99] *Maxime enim circa mulieres vacabant* veteratores illi, circa *ditissimas* potissimum, quarum non paucas jam seduxerant, vana prophetiæ sublimiorisque scientiæ spe delusas. [1] Veritus ergo sanctissimus vir, *ne forte et cum suo delicto abriperetur* sexus suapte natura imbecillior, ac innata sibi indole curiosior, et cum eo et per eum *simpliciores quidam quasi oves a lupis; ignorantes eos, propter exterius ovilis pellis superindumentum, a quibus cavere denuntiavit nobis Dominus, similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes; necessarium duxit* larvam personatis ovibus detrahere, ut retecta lupina facies horrorem veris inculeret.

43. Arduum quidem opus ab Irenæo [2] susceptum, quod tentaverant hactenus plures, sed parum feliciter. Vel enim indiligentius ei incumbentes, vel labore fracti, vel ingenii acie destituti, *portentuosissima et altissima* iniquitatis *mysteria* pervadere non potuerant, hæserant fere in ipso limine. *Eum*, inquit ille [3], *qui velit* hæreticos *convertere, oportet diligenter scire regulas, sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum.* Nec mirum: obscurissima erat, iisque solis pervia, quibus ea ingenii acies, ut ancipiti verborum cortice tectum errorem deprehendere possent. Irenæus [4] vero ad id operis accessit ea diligentia, sagacitate, dogmatum hæreticorum notitia, cæterisque dotibus instructus, quibus illud ad exitum feliciter perduceret. Nam, perquisitis Valentini discipulorum commentariis ac libris, eos accurate evolvit, et cum nonnullis eorum pedem contulit, tantumque improbo labore et indefesso studio effecit, ut, dissipatis tenebris, quas artificio simulationis eruditi homines, pestiferæ sententiæ offuderant, ut incautos deciperet, eam perceperit, perceptamque demum in lucem protulerit. Satis erat ad illam funditus evertendam. Nam, ut ipse ait [5], amicum alloquens, *adversus eos victoria est sententiæ eorum manifestatio. Quapropter conati sumus nos universum male compositæ vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum, manifestam omnibus factam.* Quod egregia similitudine illustrat (*a*). *Quemadmodum bestiæ alicujus in silva absconditæ, et inde impetum facientis, et multos vastantis, qui segregat et denudat silvam, et ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera fera est; ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus, et jaculari undique, et vulnerare et interficere vastatricem* [XCVI] *illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita et apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam.* His tamen non contentus S. doctor eam fusiori stylo exagitavit, penitusque subvertit. Oppressit vero argumentis undequaque conquisitis, ac petitis sive a ratione ipsa, sive a divina auctoritate: eo successu cui satis pro merito plaudere se non posse putarunt veteres, putant et recentiores, quicunque Irenæum ea qua par est animi attentione, atque æquitate legunt. Ubique enim suspiciunt hominem ingenio præstanti, atque eruditione perfecta,

[97] Id., ibid. [98] Lib. I, c. 13, n. 3. [99] Id., ibid., n. 3. [1] Præf. lib. I. [2] Id., ibid. [3] Id., Præf., lib. IV. [4] Id., ibid., lib. I. [5] Id., lib. I, cap. ult., n. 4.

(*a*) Vide quæ notavimus in hunc locum.

Digitized by Google

Scripturarum sacrarum scientia, ac venerandæ traditionis notitia nulli secundum, *virum*, ut ait Epiphanius [6], *omnino Spiritus sancti donis instructissimum, ac cœlestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctum, qui sinceræ fidei ac scientiæ præsidiis omnia hæreticorum prostravit, evertitque mendacia;* uno verbo, virum apostolicum, apostolorum spiritu, fide et charitate plenum, qui quos ex ipsis pene fontibus hauserat puros sacræ doctrinæ latices, puros in scriptis effudit; et quidem ea copia, ut mirum sit tot et tanta, tamque multiplici eruditione conspersa, non adeo magno volumine comprehendi potuisse.

44. Accidit tamen, fateor, ut, dum sententias premit Irenæus, obscurus interdum evadat. Sed sic a natura comparata sunt ingenia fecunda : cum parere festinant quod ubertim animo concepere, verba conceptibus sæpe non respondent. Accedit altera obscuritatis causa, eaque fere præcipua, rerum videlicet, de quibus disserebat, difficultas et sublimitas. Totus est in rimandis Gnosticorum arcanis, reconditioribusque eorum sensibus eruendis; totus est in dissipandis vanissimis quibusque luxuriantium et captiosissimorum ingeniorum argutiis, rebusque divinis explicandis; quo nihil abstrusius et sublimius cogitari potest. Vix autem fieri poterat, ut qui versabatur in ejusmodi salebrosis argumentis, a nullo hactenus nisi parum feliciter tentatis, ea sic pertractaret, quin lectoribus insuetis laborem crearet ipsa argumenti novitas, reique innata difficultas. Ut nihil hic dicam de barbara Latina interpretatione, quæ perspicuis ex se sententiis densissimas sæpe sæpius offundit tenebras, imperiti interpretis, non auctoris ipsius, vitio. Si quis tamen libri primi spinis haudquaquam deterritus, eum accurate legerit, ibique exposita Gnosticorum dogmata attente meditatus fuerit (difficultatem forte levabunt tum nostræ in hunc librum notæ, tum ea quam in lucem emittimus de Gnosticorum hypothesi dissertatio), is huic constabit laboris fructus, ut fere nullum, aut longe minorem in evolvendis et intelligendis cæteris experiatur : imo ex sententiarum gravitate, argumentorum vi et efficacia, totque tamque præclare dictorum sublimitate et pietate voluptatem non modicam, operæ pretium habeat. Id enim plures fallit, quod libri primi lectione, quod tædium pariat tot absurdissimorum dogmatum expositio, facile abstinere posse putantes, alios hoc omisso legere præfestinent : sicubi vero, quod sæpe evenit, hæreant, culpam in auctorem conferunt, cum tota penes ipsos sit. Ecqui libri polemici sensus planus ac facilis evadere possit ei, quem eorum, quos confutandos sibi suscepit auctor, sententiam et hypothesim delibare piguerit ? Cum enim ad eam perpetuo alludat, jamque notam supponat; non mirum si ipsa luce clariora verba totidem ænigmata lectoribus in hoc argumento peregrinis videantur. Quisquis Irenæum assequi cupit, Irenæi vestigia premat, ejusque libros eo ordine quo conscripti sunt, legat necesse est.

45. Ut enim in debellandis hæreticis, adversus quos arma capessebat S. doctor, ordine procederet, necessarium sibi putavit, et merito quidem, sententiam eorum accuratius quam antea fuerat, exponere. A Valentinianis autem exordium sumpsit, et in id potissimum incubuit, ut eorum hypothesim majori cæteris cura explicatam daret, tum quia ea erant amici sui vota, tum quia in eam hæresim, velut in sentinam, confluxerant aliarum omnium sordes; et ideo in hanc omnes fere vires convertit, ratus ea semel probe nota et prostrata, cæteras stare non posse. Cum vero inter Valentinianos omnes primas facile tenerent et asseclarum numero, et indigesta dogmatum omnigenum male sibi cohærentium farragine, et projecta propugnantium audacia et temeritate Ptolemaitæ et Marcosii, hique Lugdunensem tractum, cui præerat Irenæus, infestare cœpissent; in eorum explicanda hypothesi diutius immoratus est, utpote in quam tota belli moles incumbere debebat. Sed quia Valentiniani omnes callide dissimulatis probrosis avorum nominibus, illud Gnosticorum sibi superbius arrogabant; ut eorum impudentiam castigaret Irenæus, ac simul hæresim a radicibus imis convelleret, ostendit communem omnium parentem esse Simonem Magum, illud impietatis monstrum potius quam hominem, a cujus vel nomine abhorrebant Christiani omnes; idque invicte demonstrat ex continua Magi illius discipulorum ad Valentinianos usque successione, omniumque in iisdem dogmatibus corruptissimisque moribus consensione : cum hoc tantum discrimine, quod ad explicanda veterum commenta secum pugnantes posteriores, alia aliis absurdiora finxissent. *Cum sit igitur*, inquit [7], *adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est omnibus iis secundum ipsorum characterа contradicere; necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem, de qua defluxerunt tales fructus.* Tum explicata Simonis hæresi concludit [8], *a Simonianis falsi nominis scientiam accepisse initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere.* Et in fine libri primi, post recensita veterum Gnosticorum dogmata, addit [9] : *A talibus matribus, et patribus, et proavis eos qui a Valentino sint, sicut ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere, et in medium afferre dogmata ipsorum.*

46. Eapropter cum per Valentinianorum latus Gnosticos omnes transfigere vellet, operi titulum inscripsit, Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *Detectio et eversio falso cognominatæ agnitionis.* Id ipse conceptis verbis testatur in Præfa-

[6] Hær. xxxi, § 33. [7] Iren., lib. i, c. 22, n. 2. [8] Cap. 23. [9] Cap. 31, n. 3.

Digitized by Google

tione libri secundi : *In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse falsiloquium ; etiam sententias exposuimus eorum qui priores exstiterunt*, etc. In hoc autem *libro instruemus quæ nobis apta sunt, et quæ permittit tempus, et* [XCVII] *evertemus per magna capitula omnem regulam ipsorum. Quapropter quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus.* Et in Præfatione libri IV : *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi operis quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis*, etc. Et in ejusdem libri fine : *Reliquos igitur sermones Domini quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem Epistolarum beati Apostoli in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis, præstante Deo, præbebimus.* Denique in Præfatione libri quinti, librum *hunc vocat librum quintum operis universi, quod est De traductione et eversione falso cognominatæ agnitionis.* Hic *traductionem* dixit interpres, quod paulo ante *exprobrationem*, alibi vero *detectionem* vertit, quia vox ἔλεγχος, qua usus est Irenæus, iis omnibus significatis gaudet ; sed auctoris scopo magis congruit, *Detectio*, ut ex iis patet quæ jam diximus. Quin igitur is sit genuinus librorum Irenæi titulus, quem modo dicebamus, quemque initio operis restituimus, dubitari non potest. Sub hoc titulo libros Irenæi citat Eusebius, lib. v *Historiæ*, cap. 7, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ; citant et Andreas Cæsariensis in Apocalypsin serm. 6, cap. 18 ; Damascenus in *Parallelis* mss. passim ; Photius in Bibliotheca cod. 120 ; Œcumenius, in II Epist. Petri III, et in epistolam Judæ. Quin et vetustiores mss. codd., ut Claromont., vetus ille Feuard., Vossii, et Arundel., licet in fronte præfixam ferant recentiorem inscriptionem, *Contra hæreticos*, vel *hæreses ;* veterem tamen retinent, dum exhibent argumenta capitum secundi et quarti libri. Sic enim habent : *Hæc insunt in secundo libro redargutionis et eversionis falso cognominatæ agnitionis. Hæc sunt in* IV *libro exprobrationis et eversionis falsæ agnitionis.* Ex quibus evidenter demonstratur eam esse inscriptionem quæ legebatur in ipsis autographis, vel in prioribus codicibus, ex quibus descripti sunt posteriores ; sed a recentioribus scribis brevitati studentibus male omissam. Omissioni vero occasionem dedisse videtur Eusebius ipse, qui Irenæi libros compendii causa interdum vocat, *Libros adversus hæreses ;* quem sic imitati sunt Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, et alii plures cum veteres, tum recentiores, ut omisso prorsus genuino titulo (qui certe neutiquam omittendus fuerat), compendiosum istum solum retinuerint, et aliis retinendi ansam præbuerint. Photius vero, quem imitari satius esse duximus, quod utramque inscriptionem passim usitatam animadverteret, utramque proposuit retinuitque. Posteriori occasionem etiam dedisse videntur ea Irenæi verba, quæ mox retulimus : *Cum sit igitur adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est iis omnibus secundum ipsorum characterα contradicere*, etc. Et ea quibus librum IV claudit : *Et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.* Et hinc in mss. quibusdam codd., ut Vossii et Feuardentii, præfixus Irenæi libris legitur hic titulus : *Contra omnes hæreticos*, vel *hæreses.* Sed hunc titulum, qui apud recentiores obtinuit, libris suis nunquam præfixit Irenæus ; illum duntaxat, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, scripsit : isque ad auctoris scopum longe melius quadrat. Duo enim, ut ipse monet in librorum suorum præfationibus, præstanda sibi proponebat : alterum Valentinianorum Gnosticorumque omnium sententias hactenus abditas ἐλέγχειν, *detegere ;* alterum eas ἀνατρέπειν, *evertere.* Prius quidem libro primo præstitit, in quo Valentinianorum Gnosticorumque omnium dogmata accurate recenset ; posterius libris sequentibus. Et quidem libro secundo ea rationibus subvertit ; tertio, Scripturas et Traditionem adhibuit ; quarto ex Veteri Testamento præcipue disputavit ; quinto ex reliquis doctrinis Domini nostri, et ex apostolicis epistolis, ut ipse in Præfationibus facturum se spondet.

47. Quamvis quo tempore scripti sint dicti quinque libri, accurate definire difficillimum sit ; a vero tamen haud procul discesserit, qui sub finem Eleutheri pontificatus, vel partim sub Eleuthero, partim sub Victore editos asseruerit. Et quidem librum primum ante annum 172 scribi non potuisse manifestum est ; nam in eo Tatiani et Encratitarum fit mentio ; qui, si Eusebii Chronico fides, anno XII M. Aurelii, Christi vero 172 emerserunt : quamvis paulo citius erupisse probabile sit. Librum tertium Eleuthero jam Ecclesiam regente prodiisse constat : in eo siquidem Irenæus [10] Romanorum pontificum catalogum texens, hunc ad Eleutherum usque perducit, quem tum Romæ sedisse perspicue dicit, Νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος, *Nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherus.* Ejusdem libri cap. 11, n. 8, satis aperte, tacito licet nomine, Montanistas perstringit, qui Irenæo vix ante annum 177 noti esse potuerunt. Sed quod eum Librum non nisi sub Eleutheri pontificatus finem scriptum esse demonstrare videtur, illud est, quod in eo meminerit Irenæus [11] Theodotionis interpretationis. Hic enim, testibus Epiphanio [12] et auctore Chronici Alexandrini, sacra Biblia vertit Commodo jam imperatore, Marullo (sic enim legendum puto, non Marcello),

[10] Iren., lib. I, c. 28. [11] L. III, c. 21, n. 1. [12] De Pond. et Mens., § 17.

Digitized by Google

et Æliano coss., id est anno Christi 184. Igitur post aliquot annos a publicata Theodotionis interpretatione scripserit Irenæus necesse est, nec proinde procul ab anno 192, quo vita cessit Eleutherus, qui anno circiter 177 Ecclesiæ regimen susceperat.

48. Nec hic moror Dodwelli conjecturas, qui, ut citius quam dixi, scilicet circa annum Christi 177, scriptos Irenæi libros probet, contendit in Dissertatione singulari de pontificum Romanorum successione, cap. 14, § 17, ea quæ apud Irenæum de Theodotione leguntur, a priori ejus exemplari *forte* abfuisse, ac postea ab ipso inserta fuisse. Sic conjectando, molestissimos quoscunque nodos facile secat vir subtilissimus. Sed pueris *forte* placeant ejusmodi nugæ; quas certe adulti rideant. Aliam in suis in Irenæum *Dissertationibus* viam iniit. Ut id quocunque tandem modo assequatur, Theodotionis interpretationem Commodo imperatore antiquiorem esse, ac sub Marco Aurelio concinnatam fuisse, Chronici Alexandrini auctoritatem elevare conatur. Nempe, ait, Chronici illius auctor tempus Theodotionis collegit ex Epiphanio *De ponderibus et mensuris*, cujus ratiocinia chronologica de Scripturarum interpretibus et sibi ægre constant, et sunt tamen, ubi constant, admodum vitiosa. Breve quidem effatum, quod Dodwelli [12a] sollus auctoritate nititur, [XCVIII] quæ tamen nondum satis apud eruditos obtinuit, ut in talis magistri verba juremus. Mirum certe auctorem Chronici Alexandrini certam temporum epocham ex Epiphanio collegisse, quæ nulla apud eum apparet. Neque enim, ipso fatente Dodwello, consules designat Epiphanius, uti designat Chronici auctor. Hic ergo aliunde collegerit necesse est. At, inquit Dodwellus, ratiociniis collegit falsissimis. Falsissima quidem sunt ratiocinia quæ auctori Chronici affingere placuit; sed ea fuisse hujus ratiocinia, aliis argumentis quam frigidis conjecturis, ab ipso limine probandum erat. Donec id præstiterit Dodwellus, nobis, quibus non licet esse tam perspicacibus, per ejus humanitatem licebit cum auctore Chronici sentire.

49. Alio argumento, quo fere persuasum se dicit, probare nititur cl. Grabius in suis in Irenæum Prolegomenis, eum adhuc presbyterum, ante annum 177, quo Romam a martyribus Lugdunensibus missus est, hæreticorum refutationem integram edidisse. Id deducitur ex ortu sectæ Cataphrygum, quæ Phrygiæ Asiæque Ecclesias vexavit; quem Eusebius in Chronico anno XVII Marci, Christi 171, ascripsit. Duos sane, inquit, priores Irenæi libros præcessisse, inde colligitur, quod in his nullam hujus sectæ, sed hæreseos Tatiani tanquam novissimæ fecerit mentionem: illam non omissurus, si Asiam, in quam hos mittebat libros, jam tum turbare cœpisset. Contra libro III et IV pseudoprophetas istos leviter perstringit; unde illos post excitatas ab iis turbas scripserit necesse est; neque enim longum inter priores et posteriores libros intercessit intervallum. Sed tantum abest hæc Grabii causam juvent, quin potius omnino evertant. Nam si Cataphrygas lib. III et IV perstringat Irenæus, et si inter priores et posteriores Irenæi libros non longum intercesserit intervallum; scribi posteriores cum non potuerint ante annum 177, vix et priores potuisse, fateatur necesse est Grabius. Quamvis enim jam ab anno 171 emersissent Cataphryges; non tamen ante annum 177, quo martyres jam in carcerem conjecti erant, eorum sectæ fama ad Lugdunensium aures pervenit. Certe si prius pervenisset, citius quid de novis prophetis sentiebant, martyres scripsissent; commodiori, quam omnium difficillimo, tempore id acturi. Quod vero Irenæus libro primo Cataphrygum mentionem nullam fecerit, nihil mirum. Huic animus erat Valentini discipulorum sententiam exponere, et ut rem a capite repeteret, *referre fontem et radicem eorum; arguere* videlicet a Simone veteribusque Gnosticis, ceu *patribus et proavis*, ortum accepisse Valentinianos, *et in medium afferre dogmata ipsorum*, ut superius vidimus. Quid autem ad hoc Irenæi consilium conducebat Cataphrygum mentio? Nihil quidquam a Gnosticis et Valentinianis acceperant; nullum tunc temporis catholicum dogma oppugnabant, solam Ecclesiæ unitatem scindebant. Immerito proinde Irenæus inter Gnosticos et Valentinianos recensuisset homines, qui nihil affine habebant cum ea *falsi nominis scientia*, quam detegendam et evertendam sibi proposuerat. Nec opportuniora Grabii causæ ea, quibus Irenæus Procemium libri III incipit, verba: *Tu quidem, dilectissime, præceperas nobis*, etc., nec non quæ in Procemio libri V exstant: *Quoniam postulasti a nobis, obedientibus tuo præcepto; quoniam in administratione sermonis positi sumus:* ex quibus eruere se posse putat, Irenæum tunc presbyterum, necdum episcopum fuisse: neminem quippe episcopo præcepturum, ut calamum in hæreticos acueret; vix etiam Irenæum se præcepto obedientem professurum, etc. Ut enim omittam, quod inter amicos ipsa consilia et preces, præcepta habentur; plus æquo urget vir doctissimus verbum *præcipio*, quo usus est Irenæi interpres. Irenæum quippe Græco verbo παραινέω usum fuisse ex eo colligo, quod in Procemio libri primi amicum monens, ut, cum Valentinianorum mysteria ex se didicerit, omnibus iis, qui secum versantur, patefaciat, addit, καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας, quæ vertit interpres: *et præcipias eis observare se a profundo insensationis.* Ubi παραινέσῃς vertit, *præcipias*; cum tamen παραινέω Latine, non proprie *præcipio*, sed *hortor, suadeo, consilium do*, etc., significet. Ex quo conjicere licet, idem verbum locis citatis usurpatum ab Irenæo, eodem modo

[12a] Dissert. 4, in Iren., § 49.

Digitized by Google

ab imperito interprete redditum fuisse. Sed quocunque verbo, aut quacunque voce usus fuerit Irenæus ; quo sensu præcepisset amicus, et quo sensu obediret ipse, perspicue declarat in eodem Proœmio, cum ait, *dilectione se adhortante* conaturum et amico et omnibus, qui cum eo sunt, Valentinianorum doctrinam exponere. Et postea : *Quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies.* Qui ideo se morem amico gerere dicit, quia dilectio adhortatur et impellit, sola charitatis lege constrictum se aperte significat. Et certe si superiorem agnovisset Irenæus eum in cujus gratiam scribebat, nunquam commissurus fuisset, ut illum *dilectissimi* nomine compellaret, uti compellat semper, ac tam familiariter eo uteretur, atque usum fuisse librorum præfationes demonstrant. Eo modo simplices presbyteros cum episcopis egisse, nullis exemplis probabitur. Eccui, quæso, potiori ac meliori jure, quam episcopo, conveniunt ea verba Præfationis libri v, quibus abutitur Grabius : *quoniam in administratione sermonis positi sumus?* At, inquit vir doctissimus, in προστασίᾳ Ecclesiæ potius quam *in administratione sermonis*, se positum dixisset Irenæus, si jam tum summus Ecclesiæ Lugdunensis sacerdos fuisset. Imo in προστασίᾳ Ecclesiæ positum se manifeste dicebat iis temporibus, qui in administratione sermonis constitutum se significabat. Nullis enim aliis quam episcopis, quatuor prioribus sæculis, creditam fuisse administrationem sermonis in Occidente, invicte demonstratur ex Cypriani epistola 56, ex Optato sub finem operis contra Donatistas, ex Vita D. Hilarii Arelatensis a Cypriano ejus discipulo conscripta, ex Possidio in Vita S. Augustini ; multisque aliis eorum temporum monumentis facile probari posset, si quod operæ pretium foret.

50. Certum igitur ac probatum manere debet, quidquid dicant Dodwellus et Grabius, ab Irenæo jam episcopo conscriptos fuisse quinque libros *Detectionis et eversionis falso cognominatæ agnitionis.* An vero simul et eodem tempore omnes, an per intervalla prodierint ? Alia difficultas est, quam paucis sic explico. Primo quidem breve quoddam opus scribere, quo retectis Valentinianorum dogmatibus, argumenta quædam ad ea evertenda opportuna subjungeret, animo sibi constituerat, rei difficultate laborisque magnitudine nondum satis explorata, Irenæus. *Quantum nobis* [XCIX] *virtutis adest*, inquit in Præfatione libri primi, *sententiam ipsorum, qui nunc aliud docent, dico autem eorum, qui sunt circa Ptolemæum, compendiose et manifeste ostendemus, et aliis occasiones dabimus, secundum nostram mediocritatem, ad evertendum eam.* Hinc postea amicum hortatur, ut *quæ simpliciter, et vere, et idiotice ad se scripta sunt, ipse augeat penes se, ut magis idoneus, quasi semen et initia accipiens ; et in latitudine sensus sui in multum fructificet ea, quæ in paucis dicta sunt.* At vixdum labori incubuerat, cum latiori, quam existimaverat, sese aperiente disputandi campo, mutato proposito, ad majoris moliminis opus se contulit. Id in fine libri primi significat, cum ait : *Cum igitur hæc sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro ; enarratio enim in longum pergit, ut vides.* Spes enim prima fuisse videtur eversionem detectioni in eodem libro subjungere. Eapropter in *Proœmio* libri III, amico præter exspectationem id eventurum esse dicit, ut crescente operis mole, majora et ampliora quam speraverat, postulaveratque ad evertendos hæreticos argumenta sit accepturus. *In hoc autem tertio* (libro) ait, *ex Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his quæ præceperas desit a nobis ; sed et, præterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias. Quæ enim est in Deo charitas, dives et sine invidia exsistens, plura donat, quam postulet quis ab ea.* Itaque suscepto majoris operis consilio, quo quinque libris plenius et uberius confutarentur vanæ omnes hæreticorum argutiæ, priores duos absolvere festinavit ; utpote quibus satis pro tempore et pro amici votis, falsi nominis scientiam retegeret, everteretque. Absolutos confestim ad amicum misit, dum interea tres alios, quos jam in animo habebat, ad umbilicum perduceret ; qui singuli, statim atque unicuique summa manus imposita, haud exspectato sequenti, missi sunt. Omnia hæc constant tum ex Præfationibus, tribus posterioribus libris præfixis, tum ex uniuscujusque libri fine, tum ex lib. II, cap. 2, n. 6 ; cap. 8, n. 3 ; cap. 11, n. 2, et cap. 28, n. 4, in quibus sequentes libros expresse pollicetur. His omnibus maxime probabile fit, quod jam dixi, totum opus partim sub Eleuthero pontifice, partim sub Victore scriptum fuisse.

51. Græco idiomate exaratum fuisse adeo certa demonstrant argumenta ut mirum sit aliquam ea de re dubitationem Erasmi et aliorum quorumdam eruditorum mentem subire potuisse. Eusebius plura Irenæi fragmenta Historiæ suæ inserta Græce refert : nusquam tamen monet, uti Tertullianum et alios quosdam auctores Latinos citans se fecisse dicit, ea e Latino in Græcum sermonem a se conversa fuisse. Et quotquot e scriptoribus Græcis Irenæum citant (frequenter vero citant), Græce certe legerunt ; nec alio sermone conscriptos ejus libros legisse se satis aperte significat Photius, qui vix alios quam Græcos auctores in Bibliotheca sua recenset. Hieronymus etiam [13], licet Latinus, qui Irenæi libros accurate legerat, et quo proinde sermone scripti fuissent probe noverat, eum tamen e Latinorum numero perspicue excludit, ut inter Græcos annumeret. Nam auctores commemorans qui Chiliastarum errori faverant : *Latinorum*, inquit, *Ter-*

[13] In Prologo lib. XVIII in Isa., t. III, nov. edit.

Digitized by Google

Scripturarum studiis eruditus fuisset; ac proinde circiter annum Christi 410. Nam Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanam regebat Ecclesiam anno 380 et 381.

36. Postremus e tribus Irenæi martyrii testibus a Dodwello exagitatis superest Gregorius Turonensis; cui, quia cæteris eo molestior videtur, quo trita de verbis e margine in textum temere conjectis fabula decantari hic non potest, ut auctoritatem omnem ac fidem deroget suam omnem conjecturalem industriam confert. Contendit Gregorium Turonensem ita Irenæum martyrem credidisse, ut non alia quam Lugdunensium Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et illum quoque coronatum crediderit. Unde vero tam immanem errorem hauserit Gregorius, a Dodwello si quæras; respondebit, ex eodem fonte hausisse, ex quo imperite e Latinis Eusebii Rufiniani verbis numerum XLVIII martyrum, quos persecutio Lugdunensis cœlo transmiserit, collegerunt recentiores martyrologi; conjectis temere in censum quæcunque occurrebant in Viennensium Lugdunensiumque epistolis, nominibus. Qua quidem temeritate factum est, ait, ut Zacharias presbyter in martyrum numerum relatus sit. Πρεσβύτην nempe Ζαχαρίαν, *presbyterum Zachariam* verterat Rufinus, non animadvertens de Zacharia Joannis Baptistæ [XCIII] patre, non de alio nescio quo, qui martyr fuerit, Zacharia presbytero locutos Viennenses atque Lugdunenses. Simili errore, addit Dodwellus, Irenæum martyribus accensuit Gregorius, quod in eadem persecutionis historia Irenæi mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum. Erant enim præterea in eadem epistola, quæ a lectoribus, quales illi erant impostores, parum attentis possent in eam sententiam intelligi. Irenæum martyres ἀδελφὸν καὶ κοινωνὸν appellant. Proclive erat ut eam κοινωνίαν de tolerandis, Christi causa, passionibus intelligerent, qui novos eruendi martyres quaslibet occasiones avide captarent. Et quamvis sanguinem pro Christo non fuderit Irenæus, ea tamen παθημάτων κοινωνία, *passionum communio*, sufficere potuit ad titulum martyrii, quo sensu vocem illam intelligebant illius ævi veteres. Sic omnino Dodwellus, semper sibi similis, ingentemque, quo catholica gloriatur Ecclesia, martyrum numerum arietare frivolis conjecturis studens; licet eam ob rem sic a Ruinartio nostro dudum exceptus fuerit, ut primo congressu fractus victusque cesserit.

37. Ille vero plura hic supponit, quæ cum recta ratione e diametro pugnant. Ac primo quidem inane commentum est, quod asserit, numerum XLVIII martyrum e Latinis Eusebii Rufiniani collectum a recentioribus, ut vocat, martyrologis fuisse. Qui enim ii ex Rufiniana Eusebii interpretatione eum numerum colligere potuerunt, cujus nec vola, nec vestigium ibidem apparet? Paulo liberior sit Rufiniana interpretatio; alia tamen Lugdunensium martyrum nomina, aliumve numerum non exhibet, quam Christophorsoniana, Valesiana et aliæ. Ex illa proinde, quascunque rationes ducat Dodwellus, aut alius quivis, geminato etiam numero, aut temere conjectis in censum quæcunque occurrerint nominibus, XLVIII nunquam eruet. Hallucinatus quidem Rufinus Zachariam, Joannis Baptistæ patrem, presbyterum Christianum perperam arbitratus est; sed hunc martyrem fuisse ne verbo quidem dixit. Qui ergo designato Zachariæ presbyteri supplicio securi percussum asserunt, et XLVII Lugdunensibus martyribus adjungunt, Gregorius Turonensis, Ado, Notkerus, et alii; necesse est et Zachariæ illius, quem presbyterum nuncupant, martyrium, et XLVII sociorum nomina ac numerum aliunde collegerint, quam ex Rufiniana Lugdunensium et Viennensium epistolarum interpretatione. Unde vero, nisi ex ipsis epistolis, quarum non Eusebiana modo fragmenta, sed et integra exemplaria legerant? In iis quippe accurate recensita fuisse et martyrum nomina, et varia quibus interiere suppliciorum genera certum est ex Eusebio. *Quid opus est*, inquit, *expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt?* Atqui laudati auctores non tantum martyrum catalogum recensent, sed etiam qui securi percussi, qui feris objecti, qui in carcere exanimati sunt, accurate distinguunt, et eodem prorsus modo et ordine, atque epistolas fecisse narrat Eusebius. Ut vel cæcis ipsis hinc appareat, ex eo solo fonte, non ex Rufino, apud quem ea frustra requiras, manare potuisse quæ de martyrum nominibus et suppliciis referunt illi.

38. Graviter quidem in iis omnibus offendit Dodwellus; sed longe gravius in eo quod confidenter asseverat, Gregorium Turonensem *non alia quam Lugdunensium illa Viennensiumque persecutione, qua coronatus est Pothinus, et nostrum quoque coronatum credidisse Irenæum.* Si Gregorius usquam legerit, caligantibus oculis legerit. Is enim eam persecutionem quæ Pothinum absumpsit, ab ea qua coronatus est Irenæus, clarius secernere non poterat. *In Galliis*, ait [93], *multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati; quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur. Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus* (sic scribit) *episcopus fuit, qui plenus dierum diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit; qui in modici temporis spatio, prædicatione sua maxime in integro civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Chri-*

[93] Lib. I Hist. Fr., c. 26, 27. edit.

Digitized by Google

stianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano; quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit. Nec eo loci duntaxat ita loquitur Gregorius, sed et alibi, semper sibi constans, post recensita XLVIII martyrum nomina, et supplicia postremumque omnium memoratum Pothinum, paucis interjectis de eorum reliquiis et sepultura, subjungit [94] : *Igitur martyrio consummatus gloriosus Photinus, qui Lugdunensi præfuit urbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est cœlo. Cui et merito et sanctitate condignus Irenæus successit episcopus, per martyrium et ipse finitus.* Clarissima hæc, nec Dodwelli conjecturarum nebulis usquam obscuranda. In ea persecutione, qua *multi in Galliis pro Christi nomine sunt per martyrium coronati, Lugdunensis episcopus Photinus passus est. Beatissimum vero Irenæum hujus successorem martyris* factum fuisse tradit Gregorius. Qui igitur credere potuit eadem persecutione, quæ si Lugduni multos dies, non certe menses efferbuit, coronatum utrumque fuisse? Nisi forte fingat Dodwellus, eam fuisse Gregorii sententiam, Irenæum paucis admodum diebus Lugdunensem Ecclesiam rexisse. At ita sentire non potuit Gregorius, qui Irenæum asserit tam naviter pastorali functum officio, ut *in modici temporis spatio, prædicatione sua in integro civitatem reddiderit Christianam?* Tantum igitur temporis spatium Pothino superstitem fuisse Irenæum existimavit, quantum saltem necessarium erat ut illata per primam persecutionem Ecclesiæ Lugdunensi dispendia resarciret. Dum vero hæc ageret Irenæus, *veniens persecutio*, addit Gregorius, quæ tot et tantorum martyrum sanguine Lugduni plateas inundavit, ut nec nomina, nec numerus colligi potuerit, sanctissimum occupat episcopum, ac *Christo Domino per martyrium dedicat.* An clarius exprimi et designari potuisset nova persecutio, a priori et tempore et circumstantiis procul diversa? In priori *tantam multitudinem Christianorum ob confessionem Dominici nominis Lugduni jugulatam esse, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano*, nullibi legimus; sed nec scribere unquam potuit Gregorius, se *nec numerum, nec nomina martyrum*, qui in priori passi sunt Lugduni, *colligere* potuisse; qui alibi et numerum [XCIV] et nomina tam accurate collegit, ut recenseat, et quo quisque supplicii genere affectus sit referre non omittat. Hæc Dodwello legenda erant, aut si quæ fides, dissimulanda non fuerant. Id si fecisset, nunquam certe commisisset, ut scripsisset, proclive Gregorio Turonensi fuisse Irenæum inter martyres Lugdunenses recensere, quod in eadem persecutionis historia Irenæi mentionem reperisset in epistola martyrum ad Eleutherum; et quidem eo magis, quo Irenæum martyres ἀδελφὸν et κοινωνὸν appellant. Itane, quæso, plumbeus et hebes exstiterit Gregorius, ut in Lugdunensium et Viennensium martyrum historiis, quas apud suam cæterasque Gallicanas Ecclesias *fideliter usque hodie retineri* dicit; et in iis tum cleri, tum Lugdunensium et Viennensium martyrum epistolis, quas legisse eum fatetur Dodwellus, ea distinguere non potuerit, quæ vel Londinensium bajulorum aut nautarum stupidissimus quisque nunquam permisceret? Ecce, martyres in sua ad Eleutherum epistola scribunt Irenæum Romam se mittere, qui litteras eorum perferat; hunc profecturum pontifici commendant, debitisque ornant encomiis; hunc fratrem laborumque consortem vocant, quem Christianum et presbyterum esse, martyresque in carcere detentos consilio, monitis, eleemosynis, pro virili sua, non certe citra capitis discrimen, sublevasse, constabat; et Gregorius imprudens hinc arrepta turpissimæ hallucinationis occasione, eum ipsum quem itineri sese committentem, aut mox commissurum legebat, inter illos recensuerit, qui in ea persecutione, quæ delegationi ansam præbuit, vitam pro Christo profuderint? Quis credat?

39. Sed, inquit Dodwellus, descripto Irenæi martyrio statim addit Gregorius : *Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum.* Constat autem illos XLVIII martyres, quorum primus fuerit Vettius Epagatus, non in alia persecutione passos fuisse, quam illa Lugdunensium Viennensiumque, qua coronatus est Pothinus. Si ergo post Irenæum passos fuisse crediderit Gregorius, illum in eadem persecutione coronatum fuisse existimaverit necesse est. Ita quidem scriptum legi in hodierno Gregorii textu non diffiteor. Sed fidentior hic evasit Dodwellus. Quin hic contigisse vereatur, quod supra Hieronymiano textui accidisse inanis suadebat timor; ne videlicet mox citata verba e margine (quod sæpe evenire solet) a studioso aliquo recentiore e libro I *De gloria martyrum* collecta, in textum, sed incommodo loco irrepserint, vel ab imperito aliquo aut festinante scriba loco perperam mota, in capitis finem male translata fuerint? Quin addat, esse alioqui alia quæ merito faciant ut suspicemur, verba illa adeo non scripsisse Gregorium, ut ne quidem scribere potuerit? Fortasse non abs re veritus, suspicatusve fuisset. Quomodo enim fieri potuit, ut is qui Lugdunensium ac Viennensium Martyrum *passionum historias* in ipsis fontibus legerat, et apud Gallos fideliter ad suam usque ætatem retineri dicit; qui Irenæum Pothino, quem XLVIII martyribus alibi annumerat, successisse scribit, dinque post eum, et in alia longe diversa persecutione martyrium subiisse diserte asserit; sui

[94] Greg. Tur., l. I De glor. mart., c. 49, 50, p. 779, 780.

Digitized by Google

ipsius eo usque oblitum fuisse, ut ipsos XLVIII martyres, e quorum numero Pothinus Irenæi decessor erat, post hunc coronatos esse velit? Hoc rectæ rationi tam immaniter adversatur, ut gravissimo, qualis erat Gregorius, scriptori tribui nullo modo possit. Certe male interpolatum fuisse textum legitima, si quæ unquam, suspicio est, dum ea apud auctorem aliquem leguntur, quæ ab ejus sententia aliunde nota abhorrent, clarissimisque ac perspicuis ejusdem verbis aperte repugnant; quod hic occurrit. Quisquis enim æquus rerum æstimator, sepositis tantisper omnibus præjudiciis, posteriora hæc capitis 27 (nov. edit.) verba, *Post hunc et quadraginta octo martyres*, etc., cum prioribus, et iis quæ lib. I *De gloria mart.*, cap. 49 et 50, leguntur, conferre voluerit, nulla ratione conciliare poterit. Haud spernenda proinde eorum conjectura, qui ea quæ de posterioribus istis martyribus apud Gregorium leguntur, perperam translocata esse censentes, jungenda esse opinantur cum iis quæ initio capitis scribuntur de Pothino, in hunc modum: *Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagatum. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris*, etc. Sic conjicit is qui novam Leonis Magni operum editionem adornavit vir clarissimus; at quod idem resecandum vellet totum capitis finem, ab his verbis, *Beatissimus vero Irenæus*, etc., eo quod totum ipsum caput in mss. quibusdam codicibus desit; in ejus sententiam concedere non possum. Ne tamen actum agam, legat is quem ea de re scrupulus incesserit, Præfationem novæ Gregorii Turonensis editioni præfixam, art. 3, in qua hujusmodi scrupulos facile, pro ea qua præstabat eruditione, exemit noster piæ memoriæ Theodericus Ruinart. Sed ut ut sit de proposita modo conjectura, esto Gregorius ea scripserit quæ de XLVIII martyribus post Irenæi martyrium leguntur, memoriæ lapsus erit, et hic gravis quidem. An vero quia memoria lapsus est in aliquo scriptor aliquis, huic affingenda statim aliena sententia quam ipse diserte respuit? An quia in capitis fine paucula quædam et intricata verba subtexuit Gregorius, alia quæ perspicua sunt et aperta, ex obscuris illis explicanda, et ad ea, invito ac reluctante auctore, violenter detorquenda? Si ita sit, novas critices regulas, veteribus antiquatis statuat Dodwellus.

40. Hactenus dicta demonstrant, eam jam a sæculo quinto toto orbe invaluisse sententiam, Irenæum pro Christiana fide dimicantem necatum fuisse, eamque haud parum tutis niti fundamentis, quæ non nisi futilibus argumentis, frivolisque conjecturis peti possit. Martyrii hujus memoriæ diem 28 Junii solemnem consecrant Latini omnes, Græci vero 23 Augusti. Corpus ejus Gregorii Turonensis [98] ætate miraculis celeberrimum *in crypta basilicæ Beati Joannis sub altari sepultum* quiescebat; *ab uno quidem latere Epipodium, ab alio vero Alexandrum martyrem tumulatum habens*. Sed Calvinistæ anno 1562, capto Lugduno, amenti furore perciti S. martyris sepulcrum fœde violaverunt; ossibusque dissipatis, capitis cranium, postquam diutius ludibrio fuit, in media platea turpiter projectum tandiu jacuit, donec hinc ereptum hodie Lugduni religiose asservatur.

ARTICULUS II.

DE IRENÆI LIBRIS QUINQUE ADVERSUS HÆRESES

[XCV] 41. His, quo potuimus studio, collectis et explicatis quæ ad Irenæi nostri vitam et gesta pertinent, operæ pretium est de ejus scriptis, quam accurate fieri poterit, disserere. Plura reliquit vir apostolicus ingenii, pietatis ac zeli, quo pro tuenda catholica fide fervebat monimenta. Sed nullum antiquis omnibus majori in pretio, sæpiusque ab iis citatum fuit, quam eximium illud opus in quinque libros divisum, quod adversus Gnosticorum hæreses elucubravit, quodque solum a temporum edacitate tutum hactenus mansit. Primum hunc Irenæi fetum esse vulgata opinio est; nam ipse in Præfatione libri primi testatur, se scribendi usu exercitatum non esse, nec dicendi artem coluisse; quod hominem arguit qui nihil, aut pauca in lucem adhuc emiserit. Colligi tamen cum Cl. Grabio, in Prolegomenis, posse videtur ex lib. III, cap. 7, n. 1, quidpiam aliud antea scripsisse Irenæum. Ait enim se *ex multis et alibi ostendisse* Pauli consuetudinem esse hyperbatis uti. De eo autem frequenti Paulinorum hyperbatorum usu ne verbo quidem tractat in duobus præcedentibus libris, imo nec in sequentibus. Quempiam igitur alium tractatum prius edidisse videtur, in quo de his ex professo egerit.

42. [99] Scribendi vero dicti operis contra hæreses duplex causa fuit. Altera ut morem gereret amico cuidam, qui precibus eum eo egerat, ut abstrusa Valentini discipulorum mysteria, necdum a quoquam satis explicata, manifesta sibi faceret, ac

[98] Lib. I De glor. mart., c. 50. [99] Iren., Præf. lib. I.

Digitized by Google

simul arma ministraret, quibus hæc errorum portenta confoderentur. Quis fuerit amicus ille, tacente Irenæo, dici non potest. Græcum tamen hominem fuisse ex eo conjicio, quod Græce scripserit Irenæus, ut inferius probabo; alias Latine scripturus, si in Latini gratiam scripsisset. Adde quod Græcis regionibus longe infestior, quam Latinis semper fuerit Valentini, cæterorumque Gnosticorum lues. Episcopum etiam fuisse suspicor, aut aliquem in clero conspicuum, qui plebem curæ suæ concreditam haberet. Huc saltem trahi posse videtur quod ait Irenæus [97], ideo se morem amico gessisse, ut et ipse quoque *portentuosissima et altissima mysteria cognoscens, ea omnibus his qui cum eo erant, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ, manifesta faceret, et præciperet eis observare se a profundo insensationis, et ejus quæ est in Deum blasphemationis.* Hinc postea eumdem monet, ut pro ea qua valet eruditione, *quæ invalide relata sunt, potenter asserat iis qui secum sunt; subministrationemque sibi datam efficaciter reliquis ministret, secundum gratiam quæ ipsi a Domino data est; ut jam non abstrahantur homines a Valentinianorum suadela.* Et in Præfatione libri IV, spondet se amico *undique* ministraturum *occasiones ad confutandos omnes hæreticos, ut eos omnimodo retusos non longius sinat in erroris procidere profundum, neque ignorantiæ præfocari pelago, sed convertens eos in veritatis portum, faciat suam percipere salutem.* Quæ vix in alium quam in episcopum conveniunt, qui scribendi procurationem, ut lib. II, cap. 17, n. 1, loquitur auctor noster, amico suo Irenæo crediderit. Sunt qui amicum illum putent fuisse Turibium Toletanum episcopum, Patruini cujusdam successorem; auctoritate freti Pseudo-Dextri, ad an. Christi 185, istud asseverantis; sed nulla huic fabulatori fides. Altera scribendi causa fuit, ut Marcosiorum hæresi, Valentinianæ germini, quæ in Celticam, seu *Rhodanenses regiones* clam irruperat [98], occurreret, malumque in ipso ortu suffocaret. Eo periculosius erat, quo majores mulierum præsertim cupiditati et curiositati illecebras objiciebat, difficiliusque imperitis erat oves a lupis discernere; cum illarum vocem et pellem passim æmularentur. [99] *Maxime enim circa mulieres vacabant* veteratores illi, circa *ditissimas* potissimum, quarum non paucas jam seduxerant, vana prophetiæ sublimiorisque scientiæ spe delusas. [1] Veritus ergo sanctissimus vir, *ne forte et cum suo delicto abriperetur* sexus suapte natura imbecillior, ac innata sibi indole curiosior, et cum eo et per eum *simpliciores quidam quasi oves a lupis; ignorantes eos, propter exterius ovilis pellis superindumentum, a quibus cavere denuntiavit nobis Dominus, similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes; necessarium duxit* larvam personatis ovibus detrahere, ut retecta lupina facies horrorem veris inceteret.

43. Arduum quidem opus ab Irenæo [2] susceptum, quod tentaverant hactenus plures, sed parum feliciter. Vel enim indiligentius ei incumbentes, vel labore fracti, vel ingenii acie destituti, *portentuosissima et altissima* iniquitatis *mysteria* pervadere non potuerant, hæserant fere in ipso limine. *Eum*, inquit ille [3], *qui velit* hæreticos *convertere, oportet diligenter scire regulas, sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum.* Nec mirum: obscurissima erat, iisque solis pervia, quibus ea ingenii acies, ut ancipiti verborum cortice tectum errorem deprehendere possent. Irenæus [4] vero ad id operis accessit ea diligentia, sagacitate, dogmatum hæreticorum notitia, cæterisque dotibus instructus, quibus illud ad exitum feliciter perduceret. Nam, perquisitis Valentini discipulorum commentariis ac libris, eos accurate evolvit, et cum nonnullis eorum pedem contulit, tantumque improbo labore et indefesso studio effecit, ut, dissipatis tenebris, quas artificio simulationis eruditi homines, pestiferæ sententiæ offuderant, ut incautos deciperet, eam perceperit, perceptamque demum in lucem protulerit. Satis erat ad illam funditus evertendam. Nam, ut ipse ait [5], amicum alloquens, *adversus eos victoria est sententiæ eorum manifestatio. Quapropter conati sumus nos universum male compositæ vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum, manifestam omnibus factam.* Quod egregia similitudine illustrat (a). *Quemadmodum bestiæ alicujus in silva absconditæ, et inde impetum facientis, et multos vastantis, qui segregat et denudat silvam, et ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera fera est; ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus, et jaculari undique, et vulnerare et interficere vastatricem* [XCVI] *illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita et apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam.* His tamen non contentus S. doctor eam fusiori stylo exagitavit, penitusque subvertit. Oppressit vero argumentis undequaque conquisitis, ac petitis sive a ratione ipsa, sive a divina auctoritate: eo successu cui satis pro merito plaudere se non posse putarunt veteres, putant et recentiores, quicunque Irenæum ea qua par est animi attentione, atque æquitate legunt. Ubique enim suspiciunt hominem ingenio præstanti, atque eruditione perfecta,

[97] Id., ibid. [98] Lib. I, c. 13, n. 3. [99] Id., ibid., n. 3. [1] Præf. lib. I. [2] Id., ibid. [3] Id., Præf., lib. IV. [4] Id., ibid., lib. I. [5] Id., lib. I, cap. ult., n. 4.

(a) Vide quæ notavimus in hunc locum.

Digitized by Google

Scripturarum sacrarum scientia, ac venerandæ traditionis notitia nulli secundum, *virum*, ut ait Epiphanius [6], *omnino Spiritus sancti donis instructissimum, ac cœlestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctum, qui sinceræ fidei ac scientiæ præsidiis omnia hæreticorum prostravit, evertitque mendacia*; uno verbo, virum apostolicum, apostolorum spiritu, fide et charitate plenum, qui quos ex ipsis pene fontibus hauserat puros sacræ doctrinæ latices, puros in scriptis effudit; et quidem ea copia, ut mirum sit tot et tanta, tamque multiplici eruditione conspersa, non adeo magno volumine comprehendi potuisse.

44. Accidit tamen, fateor, ut, dum sententias premit Irenæus, obscurus interdum evadat. Sed sic a natura comparata sunt ingenia fecunda : cum parere festinant quod ubertim animo concepere, verba conceptibus sæpe non respondent. Accedit altera obscuritatis causa, eaque fere præcipua, rerum videlicet, de quibus disserebat, difficultas et sublimitas. Totus est in rimandis Gnosticorum arcanis, reconditioribusque eorum sensibus eruendis ; totus est in dissipandis vanissimis quibusque luxuriantium et captiosissimorum ingeniorum argutiis, rebusque divinis explicandis ; quo nihil abstrusius et sublimius cogitari potest. Vix autem fieri poterat, ut qui versabatur in ejusmodi salebrosis argumentis, a nullo hactenus nisi parum feliciter tentatis, ea sic pertractaret, quin lectoribus insuetis laborem crearet ipsa argumenti novitas, reique innata difficultas. Ut nihil hic dicam de barbara Latina interpretatione, quæ perspicuis ex se sententiis densissimas sæpe sæpius offundit tenebras, imperiti interpretis, non auctoris ipsius, vitio. Si quis tamen libri primi spinis haudquaquam deterritus, eum accurate legerit, ibique exposita Gnosticorum dogmata attente meditatus fuerit (difficultatem forte levabunt tum nostræ in hunc librum notæ, tum ea quam in lucem emittimus de Gnosticorum hypothesi dissertatio), is huic constabit laboris fructus, ut fere nullum, aut longe minorem in evolvendis et intelligendis cæteris experiatur : imo ex sententiarum gravitate, argumentorum vi et efficacia, totque tamque præclare dictorum sublimitate et pietate voluptatem non modicam, operæ pretium habeat. Id enim plures fallit, quod libri primi lectione, quod tædium pariat tot absurdissimorum dogmatum expositio, facile abstinere posse putantes, alios hoc omisso legere præfestinent : sicubi vero, quod sæpe evenit, hæreant, culpam in auctorem conferunt, cum tota penes ipsos sit. Ecqui libri polemici sensus planus ac facilis evadere possit ei, quem eorum, quos confutandos sibi suscepit auctor, sententiam et hypothesim delibare piguerit ? Cum enim ad eam perpetuo alludat, jamque notam supponat ; non mirum si ipsa luce clariora verba totidem ænigmata lectoribus in hoc argumento peregrinis videantur. Quisquis Irenæum assequi cupit, Irenæi vestigia premat, ejusque libros eo ordine quo conscripti sunt, legat necesse est.

45. Ut enim in debellandis hæreticis, adversus quos arma capessebat S. doctor, ordine procederet, necessarium sibi putavit, et merito quidem, sententiam eorum accuratius quam antea fuerat, exponere. A Valentinianis autem exordium sumpsit, et in id potissimum incubuit, ut eorum hypothesim majori cæteris cura explicatam daret, tum quia ea erant amici sui vota, tum quia in eam hæresim, velut in sentinam, confluxerant aliarum omnium sordes ; et ideo in hanc omnes fere vires convertit, ratus ea semel probe nota et prostrata, cæteras stare non posse. Cum vero inter Valentinianos omnes primas facile tenerent et asseclarum numero, et indigesta dogmatum omnigenum male sibi cohærentium farragine, et projecta propugnantium audacia et temeritate Ptolemaitæ et Marcosii, hique Lugdunensem tractum, cui præerat Irenæus, infestare cœpissent ; in eorum explicanda hypothesi diutius immoratus est, utpote in quam tota belli moles incumbere debebat. Sed quia Valentiniani omnes callide dissimulatis probrosis avorum nominibus, illud Gnosticorum sibi superbius arrogabant ; ut eorum impudentiam castigaret Irenæus, ac simul hæresim a radicibus imis convelleret, ostendit communem omnium parentem esse Simonem Magum, illud impietatis monstrum potius quam hominem, a cujus vel nomine abhorrebant Christiani omnes ; idque invicte demonstrat ex continua Magi illius discipulorum ad Valentinianos usque successione, omniumque in iisdem dogmatibus corruptissimisque moribus consensione : cum hoc tantum discrimine, quod ad explicanda veterum commenta secum pugnantes posteriores, alia aliis absurdiora finxissent. *Cum sit igitur*, inquit [7], *adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est omnibus iis secundum ipsorum charactera contradicere ; necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem, de qua defluxerunt tales fructus.* Tum explicata Simonis hæresi concludit [8], *a Simonianis falsi nominis scientiam accepisse initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere.* Et in fine libri primi, post recensita veterum Gnosticorum dogmata, addit [9] : *A talibus matribus, et patribus, et proavis eos qui a Valentino sint, sicut ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere, et in medium afferre dogmata ipsorum.*

46. Eapropter cum per Valentinianorum latus Gnosticos omnes transfigere vellet, operi titulum inscripsit, Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *Detectio et eversio falso cognominatæ agnitionis.* Id ipse conceptis verbis testatur in Præfa-

[6] Hær. XXXI, § 33. [7] Iren., lib. I, c. 22, n. 2. [8] Cap. 23. [9] Cap. 31, n. 3.

Digitized by Google

tione libri secundi: *In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse falsiloquium; etiam sententias exposuimus eorum qui priores exstiterunt*, etc. In hoc autem *libro instruemus quæ nobis apta sunt, et quæ permittit tempus, et* [XCVII] *evertemus per magna capitula omnem regulam ipsorum. Quapropter quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus.* Et in Præfatione libri IV: *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi operis quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis*, etc. Et in ejusdem libri fine: *Reliquos igitur sermones Domini quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem Epistolarum beati Apostoli in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis, præstante Deo, præbebimus.* Denique in Præfatione libri quinti, librum *hunc vocat librum quintum operis universi, quod est De traductione et eversione falso cognominatæ agnitionis.* Hic *traductionem* dixit interpres, quod paulo ante *exprobrationem*, alibi vero *detectionem* vertit, quia vox ἔλεγχος, qua usus est Irenæus, iis omnibus significatis gaudet; sed auctoris scopo magis congruit, *Detectio*, ut ex iis patet quæ jam diximus. Quin igitur is sit genuinus librorum Irenæi titulus, quem modo dicebamus, quemque initio operis restituimus, dubitari non potest. Sub hoc titulo libros Irenæi citat Eusebius, lib. v *Historiæ*, cap. 7, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως; citant et Andreas Cæsariensis in Apocalypsin serm. 6, cap. 18; Damascenus in *Parallelis* mss. passim; Photius in Bibliotheca cod. 120; Œcumenius, in II Epist. Petri III, et in epistolam Judæ. Quin et vetustiores mss. codd., ut Claromont., vetus ille Feuard., Vossii, et Arundel., licet in fronte præfixam ferant recentiorem inscriptionem, *Contra hæreticos*, vel *hæreses*; veterem tamen retinent, dum exhibent argumenta capitum secundi et quarti libri. Sic enim habent: *Hæc insunt in secundo libro redargutionis et eversionis falso cognominatæ agnitionis. Hæc sunt in* IV *libro exprobrationis et eversionis falsæ agnitionis.* Ex quibus evidenter demonstratur eam esse inscriptionem quæ legebatur in ipsis autographis, vel in prioribus codicibus, ex quibus descripti sunt posteriores; sed a recentioribus scribis brevitati studentibus male omissam. Omissioni vero occasionem dedisse videtur Eusebius ipse, qui Irenæi libros compendii causa interdum vocat, *Libros adversus hæreses*; quem sic imitati sunt Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, et alii plures cum veteres, tum recentiores, ut omisso prorsus genuino titulo (qui certe neutiquam omittendus fuerat), compendiosum istum solum retinuerint, et aliis retinendi ansam præbuerint. Photius vero, quem imitari satius esse duximus, quod utramque inscriptionem passim usitatam animadverteret, utramque proposuit retinuitque. Posteriori occasionem etiam dedisse videntur ea Irenæi verba, quæ mox retulimus: *Cum sit igitur adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est iis omnibus secundum ipsorum characterem contradicere*, etc. Et ea quibus librum IV claudit: *Et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.* Et hinc in mss. quibusdam codd., ut Vossii et Feuardentii, præfixus Irenæi libris legitur hic titulus: *Contra omnes hæreticos*, vel *hæreses.* Sed hunc titulum, qui apud recentiores obtinuit, libris suis nunquam præfixit Irenæus; illum duntaxat, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, scripsit: isque ad auctoris scopum longe melius quadrat. Duo enim, ut ipse monet in librorum suorum præfationibus, præstanda sibi proponebat: alterum Valentinianorum Gnosticorumque omnium sententias hactenus abditas ἐλέγχειν, *detegere*; alterum eas ἀνατρέπειν, *evertere.* Prius quidem libro primo præstitit, in quo Valentinianorum Gnosticorumque omnium dogmata accurate recenset; posterius libris sequentibus. Et quidem libro secundo ea rationibus subvertit; tertio, Scripturas et Traditionem adhibuit; quarto ex Veteri Testamento præcipue disputavit; quinto ex reliquis doctrinis Domini nostri, et ex apostolicis epistolis, ut ipse in Præfationibus facturum se spondet.

47. Quamvis quo tempore scripti sint dicti quinque libri, accurate definire difficillimum sit; a vero tamen haud procul discesserit, qui sub finem Eleutheri pontificatus, vel partim sub Eleuthero, partim sub Victore editos asseruerit. Et quidem librum primum ante annum 172 scribi non potuisse manifestum est; nam in eo Tatiani et Encratitarum fit mentio; qui, si Eusebii Chronico fides, anno XII M. Aurelii, Christi vero 172 emerserunt: quamvis paulo citius erupisse probabile sit. Librum tertium Eleuthero jam Ecclesiam regente prodiisse constat: in eo siquidem Irenæus [10] Romanorum pontificum catalogum texens, hunc ad Eleutherum usque perducit, quem tum Romæ sedisse perspicue dicit, Νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος, *Nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherus.* Ejusdem libri cap. 11, n. 8, satis aperte, tacito licet nomine, Montanistas perstringit, qui Irenæo vix ante annum 177 noti esse potuerunt. Sed quod eum Librum non nisi sub Eleutheri pontificatus finem scriptum esse demonstrare videtur, illud est, quod in eo meminerit Irenæus [11] Theodotionis interpretationis. Hic enim, testibus Epiphanio [12] et auctore Chronici Alexandrini, sacra Biblia vertit Commodo jam imperatore, Marullo (sic enim legendum puto, non Marcello),

[10] Iren., lib. I, c. 28. [11] L. III, c. 21, n. 1. [12] De Pond. et Mens., § 17.

Digitized by Google

et Ælliano coss., id est anno Christi 184. Igitur post aliquot annos a publicata Theodotionis interpretatione scripserit Irenæus necesse est, nec proinde procul ab anno 192, quo vita cessit Eleutherus, qui anno circiter 177 Ecclesiæ regimen susceperat.

48. Nec hic moror Dodwelli conjecturas, qui, ut citius quam dixi, scilicet circa annum Christi 177, scriptos Irenæi libros probet, contendit in Dissertatione singulari de pontificum Romanorum successione, cap. 14, § 17, ea quæ apud Irenæum de Theodotione leguntur, a priori ejus exemplari *forte* abfuisse, ac postea ab ipso inserta fuisse. Sic conjectando, molestissimos quoscunque nodos facile secat vir subtilissimus. Sed pueris *forte* placeant ejusmodi nugæ; quas certe adulti rideant. Aliam in suis in Irenæum *Dissertationibus* viam iniit. Ut id quocunque tandem modo assequatur, Theodotionis interpretationem Commodo imperatore antiquiorem esse, ac sub Marco Aurelio concinnatam fuisse, Chronici Alexandrini auctoritatem elevare conatur. Nempe, ait, Chronici illius auctor tempus Theodotionis collegit ex Epiphanio *De ponderibus et mensuris*, cujus ratiocinia chronologica de Scripturarum interpretibus et sibi ægre constant, et sunt tamen, ubi constant, admodum vitiosa. Breve quidem effatum, quod Dodwelli [12a] sollus auctoritate nititur, [XCVIII] quæ tamen nondum satis apud eruditos obtinuit, ut in talis magistri verba juremus. Mirum certe auctorem Chronici Alexandrini certam temporum epocham ex Epiphanio collegisse, quæ nulla apud eum apparet. Neque enim, ipso fatente Dodwello, consules designat Epiphanius, uti designat Chronici auctor. Hic ergo aliunde collegerit necesse est. At, inquit Dodwellus, ratiocinils collegit falsissimis. Falsissima quidem sunt ratiocinia quæ auctori Chronici affingere placuit; sed ea fuisse hujus ratiocinia, aliis argumentis quam frigidis conjecturis, ab ipso limine probandum erat. Donec id præstiterit Dodwellus, nobis, quibus non licet esse tam perspicacibus, per ejus humanitatem licebit cum auctore Chronici sentire.

49. Alio argumento, quo fere persuasum se dicit, probare nititur cl. Grabius in suis in Irenæum Prolegomenis, eum adhuc presbyterum, ante annum 177, quo Romam a martyribus Lugdunensibus missus est, hæreticorum refutationem integram edidisse. Id deducitur ex ortu sectæ Cataphrygum, quæ Phrygiæ Asiæque Ecclesias vexavit; quem Eusebius in Chronico anno XVII Marci, Christi 171, ascripsit. Duos sane, inquit, priores Irenæi libros præcessisse, inde colligitur, quod in his nullam hujus sectæ, sed hæreseos Tatiani tanquam novissimæ fecerit mentionem: illam non omissurus, si Asiam, in quam hos mittebat libros, jam tum turbare cœpisset. Contra libro III et IV pseudoprophetas istos leviter perstringit; unde illos post excitatas ab iis turbas scripserit necesse est; neque enim longum inter priores et posteriores libros intercessit intervallum. Sed tantum abest hæc Grabii causam juvent, quin potius omnino evertant. Nam si Cataphrygas lib. III et IV perstringat Irenæus, et si inter priores et posteriores Irenæi libros non longum intercesserit intervallum; scribi posteriores cum non potuerint ante annum 177, vix et priores potuisse, fateatur necesse est Grabius. Quamvis enim jam ab anno 171 emersissent Cataphryges; non tamen ante annum 177, quo martyres jam in carcerem conjecti erant, eorum sectæ fama ad Lugdunensium aures pervenit. Certe si prius pervenisset, citius quid de novis prophetis sentiebant, martyres scripsissent; commodiori, quam omnium difficillimo, tempore id acturi. Quod vero Irenæus libro primo Cataphrygum mentionem nullam fecerit, nihil mirum. Huic animus erat Valentini discipulorum sententiam exponere, et ut rem a capite repeteret, *referre fontem et radicem eorum; arguere* videlicet a Simone veteribusque Gnosticis, ceu *patribus et proavis*, ortum accepisse Valentinianos, *et in medium afferre dogmata ipsorum*, ut superius vidimus. Quid autem ad hoc Irenæi consilium conducebat Cataphrygum mentio? Nihil quidquam a Gnosticis et Valentinianis acceperant; nullum tunc temporis catholicum dogma oppugnabant, solam Ecclesiæ unitatem scindebant. Immerito proinde Irenæus inter Gnosticos et Valentinianos recensuisset homines, qui nihil affine habebant cum ea *falsi nominis scientia*, quam detegendam et evertendam sibi proposuerat. Nec opportuniora Grabii causæ ea, quibus Irenæus Procemium libri III incipit, verba: *Tu quidem, dilectissime, præceperas nobis*, etc., nec non quæ in Procemio libri V exstant: *Quoniam postulasti a nobis, obedientibus tuo præcepto; quoniam in administratione sermonis positi sumus:* ex quibus eruere se posse putat, Irenæum tunc presbyterum, necdum episcopum fuisse: neminem quippe episcopo præcepturum, ut calamum in hæreticos acueret; vix etiam Irenæum se præcepto obedientem professurum, etc. Ut enim omittam, quod inter amicos ipsa consilia et preces, præcepta habentur; plus æquo urget vir doctissimus verbum *præcipio*, quo usus est Irenæi interpres. Irenæum quippe Græco verbo παραινέω usum fuisse ex eo colligo, quod in Procemio libri primi amicum monens, ut, cum Valentinianorum mysteria ex se didicerit, omnibus iis, qui secum versantur, patefaciat, addit, καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας, quæ vertit interpres: *et præcipias eis observare se a profundo insensationis.* Ubi παραινέσῃς vertit, *præcipias*; cum tamen παραινέω Latine, non proprie *præcipio*, sed *hortor, suadeo, consilium do*, etc., significet. Ex quo conjicere licet, idem verbum locis citatis usurpatum ab Irenæo, eodem modo

[12a] Dissert. 4, in Iren., § 49.

Digitized by Google

ab imperito interprete redditum fuisse. Sed quocunque verbo, aut quacunque voce usus fuerit Irenæus ; quo sensu præcepisset amicus, et quo sensu obediret ipse, perspicue declarat in eodem Proœmio, cum ait, *dilectione se adhortante* conaturum et amico et omnibus, qui cum eo sunt, Valentinianorum doctrinam exponere. Et postea : *Quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies.* Qui ideo se morem amico gerere dicit, quia dilectio adhortatur et impellit, sola charitatis lege constrictum se aperte significat. Et certe si superiorem agnovisset Irenæus eum in cujus gratiam scribebat, nunquam commissurus fuisset, ut illum *dilectissimi* nomine compellaret, uti compellat semper, ac tam familiariter eo uteretur, atque usum fuisse librorum præfationes demonstrant. Eo modo simplices presbyteros cum episcopis egisse, nullis exemplis probabitur. Eccui, quæso, potiori ac meliori jure, quam episcopo, conveniunt ea verba Præfationis libri v, quibus abutitur Grabius : *quoniam in administratione sermonis positi sumus?* At, inquit vir doctissimus, in προστασίᾳ Ecclesiæ potius quam *in administratione sermonis*, se positum dixisset Irenæus, si jam tum summus Ecclesiæ Lugdunensis sacerdos fuisset. Imo in προστασίᾳ Ecclesiæ positum se manifeste dicebat iis temporibus, qui in administratione sermonis constitutum se significabat. Nullis enim aliis quam episcopis, quatuor prioribus sæculis, creditam fuisse administrationem sermonis in Occidente, invicte demonstratur ex Cypriani epistola 56, ex Optato sub finem operis contra Donatistas, ex Vita D. Hilarii Arelatensis a Cypriano ejus discipulo conscripta, ex Possidio in Vita S. Augustini ; multisque aliis eorum temporum monumentis facile probari posset, si quod operæ pretium foret.

50. Certum igitur ac probatum manere debet, quidquid dicant Dodwellus et Grabius, ab Irenæo jam episcopo conscriptos fuisse quinque libros *Detectionis et eversionis falso cognominatæ agnitionis.* An vero simul et eodem tempore omnes, an per intervalla prodierint ? Alia difficultas est, quam paucis sic explico. Primo quidem breve quoddam opus scribere, quo retectis Valentinianorum dogmatibus, argumenta quædam ad ea evertenda opportuna subjungeret, animo sibi constituerat, rei difficultate laborisque magnitudine nondum satis explorata, Irenæus. *Quantum nobis* [XCIX] *virtutis adest*, inquit in Præfatione libri primi, *sententiam ipsorum, qui nunc aliud docent, dico autem eorum, qui sunt circa Ptolemæum, compendiose et manifeste ostendemus, et aliis occasiones dabimus, secundum nostram mediocritatem, ad evertendum eam.* Hinc postea amicum hortatur, ut *quæ simpliciter, et vere, et idiotice ad se scripta sunt, ipse augeat penes se, ut magis idoneus, quasi semen et initia accipiens ; et in latitudine sensus sui in multum fructificet ea, quæ in paucis dicta sunt.* At vixdum labori incubuerat, cum latiori, quam existimaverat, sese aperiente disputandi campo, mutato proposito, ad majoris moliminis opus se contulit. Id in fine libri primi significat, cum ait : *Cum igitur hæc sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro ; enarratio enim in longum pergit, ut vides.* Spes enim prima fuisse videtur eversionem detectioni in eodem libro subjungere. Eapropter in *Proœmio* libri III, amico præter exspectationem id eventurum esse dicit, ut crescente operis mole, majora et ampliora quam speraverat, postulaveratque ad evertendos hæreticos argumenta sit accepturus. *In hoc autem tertio* (libro) ait, *ex Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his quæ præceperas desit a nobis ; sed et, præterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias. Quæ enim est in Deo charitas, dives et sine invidia exsistens, plura donat, quam postulet quis ab ea.* Itaque suscepto majoris operis consilio, quo quinque libris plenius et uberius confutarentur vanæ omnes hæreticorum argutiæ, priores duos absolvere festinavit ; utpote quibus satis pro tempore et pro amici votis, falsi nominis scientiam retegeret, everteretque. Absolutos confestim ad amicum misit, dum interea tres alios, quos jam in animo habebat, ad umbilicum perduceret ; qui singuli, statim atque unicuique summa manus imposita, haud exspectato sequenti, missi sunt. Omnia hæc constant tum ex Præfationibus, tribus posterioribus libris præfixis, tum ex uniuscujusque libri fine, tum ex lib. II, cap. 2, n. 6 ; cap. 8, n. 3 ; cap. 11, n. 2, et cap. 28, n. 4, in quibus sequentes libros expresse pollicetur. His omnibus maxime probabile fit, quod jam dixi, totum opus partim sub Eleuthero pontifice, partim sub Victore scriptum fuisse.

51. Græco idiomate exaratum fuisse adeo certa demonstrant argumenta ut mirum sit aliquam ea de re dubitationem Erasmi et aliorum quorumdam eruditorum mentem subire potuisse. Eusebius plura Irenæi fragmenta Historiæ suæ inserta Græce refert : nusquam tamen monet, uti Tertullianum et alios quosdam auctores Latinos citans se fecisse dicit, ea e Latino in Græcum sermonem a se conversa fuisse. Et quotquot e scriptoribus Græcis Irenæum citant (frequenter vero citant), Græce certe legerunt ; nec alio sermone conscriptos ejus libros legisse se satis aperte significat Photius, qui vix alios quam Græcos auctores in Bibliotheca sua recenset. Hieronymus etiam [13], licet Latinus, qui Irenæi libros accurate legerat, et quo proinde sermone scripti fuissent probe noverat, eum tamen e Latinorum numero perspicue excludit, ut inter Græcos annumeret. Nam auctores commemorans qui Chiliastarum errori faverant : *Latinorum*, inquit, *Ter-*

[13] In Prologo lib. XVIII in Isa., t. III, nov. edit.

Digitized by Google

tulliani, Victorini, Lactantii; Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunensis episcopi faciam mentionem. Et alibi ejusdem erroris fautores recensens, nominatis Tertulliano, Lactantio, Victorino Petavionensi et Severo : *Et ut Græcos nominem*, addit, *et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius.* At, inquit Erasmus, in sua epistola nuncupatoria, quam Irenæi a se adornatæ editioni præmisit, *dubitare licet, utrumne nationi Græcum dixerit* Hieronymus, *an scriptorem Græcum.* Imo dubitandi locus nullus est, quin Hieronymus eodem sensu atque eadem prorsus ratione Græcum dixerit Irenæum, atque Græcum dixit Apollinarium, et Latinos Tertullianum, Victorinum, Lactantium, ad quorum certe nationem haudquaquam, sed ad scripta duntaxat attendebat. Ecquid hic nationes ad Hieronymi scopum faciebant? Animus non erat nationes a nationibus secernere, sed scriptores a scriptoribus, et eos recensere ac distinguere qui tum ex iis qui Latine scripserant, tum ex iis qui Græce, in Chiliastarum sententiam abierant. Deinde vel ipse titulus Irenæi libris præfixus Græce scriptos fuisse probat. Genuinum hunc esse : *De detectione et eversione falso cognominatæ agnitionis*, supra ostendimus. Qui quidem ut Græce, qualem repræsentant Eusebius et Photius, non inelegans; sic Latine quidpiam adeo barbarum et obscurum sonat, ut hunc nusquam, sed alium quemvis et commodiorem, et clariorem, et magis Latinum operi suo facile præfixisset quisquis Latine scribens prima Latinæ linguæ rudimenta delibasset. Sed et e Græco in Latinum conversum esse demonstrat ipsa scribendi diversitas; interdum enim scribitur, *de detectione*, interdum *de redargutione, de exprobratione*, vel *traductione falso cognominatæ agnitionis*, aut *falsæ agnitionis, falso dictæ scientiæ*, etc., quæ scribendi varietas procul dubio orta est ex diversa interpretatione vocum, ἐλέγχου et ψευδωνύμου γνώσεως. Nullam autem ejusmodi varietatem apud Græcos reperies. Titulum prorsus eodem modo scribunt Eusebius, Photius et Damascenus, Περὶ ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Certo argumento Græce scriptum fuisse, non Latine. 3° Hieronymus, optimus styli æstimator, testatur in sua ad Theodoram viduam epistola, Irenæi libros adversus hæreses *doctissimo et eloquentissimo sermone compositos esse.* At nisi in lingua Latina rudis omnino fuerit Hieronymus, id de Latinis Irenæi libris nec cogitare, nec asserere potuit. Stylus siquidem barbarus est, incomptus, asper et salebrosus, solœcismis scatens, auctorisque mentem multis in locis, aut non satis, aut male omnino exprimens. Econtrario vero Græcus textus, qui superest, elegans est, nitidus et gravis, verbisque constat propriis, significantibus, ac tum ad res ipsas, tum ad Irenæi mentem et scopum accommodatissimis. Quis autem credat hinc Irenæum Græce doctissimum, acerrimique judicii virum, patrio neglecto idiomate, eo scripturum, quod male adeo calluisset, ut hoc animi sensa eloqui non valeret; illinc vero Græcum interpretem lectis barbare omnino et obscurissime scriptis Latinis libris, auctoris sensum facilius ac felicius assecuturum quam auctor verbis explicare potuerit? Sed, inquies, Irenæus ipse in Præfatione libri primi stylum simplicem ac vulgarem, omni verborum artificio, ac dictionum ornamento destitutum, hac excusatione deprecatur, quod *apud Celtas commoratus, in barbarum sermonem plerumque vacaret.* Ita est; sed tantum abest [C] hinc infirmentur argumenta nostra, quin potius iis novum robur accedat. Si enim Latine scripsisset Irenæus, haud magis ferenda videretur Celtici sermonis excusatio, quam si Gallus quivis apud Batavos vel Anglos Latine scribens, inelegantem et impolitam orationem hac excusatione deprecaretur; quod *apud Batavos vel Anglos commoratus, in peregrinum sermonem plerumque vacaret.* Valeret quidem Galli hujus excusatio, si patria lingua scribens desuetudinem causaretur : at inepta prorsus, si de Latina sermo sit, quæ Batavis et Anglis æque familiaris est, ac Gallis. Sic licet Irenæus apud Celtas degeret, et Celtica lingua interdum loqueretur; haud tamen excusandus foret, quod Latine scribens, inculte et indiserte id faceret; quia lingua Latina tunc temporis Lugdunensibus familiaris erat, et multo familior quam nobis. 4° Quisquis vel mediocriter Græce peritus in textum Irenæi Latinum oculos injecerit, facile deprehendet, revera Græcum sermonem esse in quo identidem aliqua Latini species animadvertitur. Nam orationis modus, dictio, verborum constructio, phrasis, syntaxis, etc., hominem arguunt qui Græca præ oculis habens, in Latinum converterit; sed ita imperite et serviliter, ut verbum pro verbo reddiderit, servato Græcorum ordine, genere et regimine. Græcus fuerit Irenæus, Latini sermonis rudis; an tamen adeo hebes, Latinarumque vocum inops, ut ignoratis iis quæ passim obvia sunt, faciles, omnibus notæ et vel pueris ipsis tritæ, iis Hellenismos longe petitos, obscuros et difficiles, Latinis auribus asperrimos, mentibusque fere impervios substitueret? An difficilioris erat operæ scribere, *Nus* vel *a Nu geniti, Valentinus, Ptolemæus*, vel *Valentini*, aut *Ptolemæi discipuli;* quam *qui sunt circa* vel *erga Nun, Ptolemæum, Valentinum; ostendere posse*, quam *habere ostendere; creatio* vel *creatura*, quam *conditio; principium*, quam *initium;* ablativos absolutos, quam genitivos, et sexcenta ejusmodi, quæ propriis locis notare non omisimus? Græcus erat Ammianus Marcellinus, Græce longe magis quam Latine doctus, et ideo in iis quæ Latine scripsit interdum obscurus; durioribus tamen ejusmodi Hellenismis abstinuit. Quid, quod Latinis vocibus ea significata tribuuntur, quæ quidem Græce iis respondentes facile admittunt, ipsæ vero Latinæ prorsus respuunt? *Pertransiens* alicubi scribitur pro *legendo percurrens*,

Digitized by Google

perexivimus pro *enarravimus*, *incipio hoc facere* pas- A sim pro *hoc facturus sum*, *principalis* pro *antiquus*, *aliquid* pro *partim*, etc. Quis in his et aliis ejusmodi vocibus non paucis Latinum auctorem deprehendat? Quis potius hic non agnoscat Latinum interpretem, sed imperitum et nullius judicii, qui præ oculis habens textum Græcum, et in eo voces διερχόμενος, διεξήλθομεν, μέλλω τοῦτο ποιεῖν, ἀρχαῖος, τί, etc., lexicaque puerili modo consulens, e variis cuicunque voci subjunctis significationibus eam, quæ prius obvia fuerit, imprudenter acceperit? Quid demum, quod Latini textus auctor Irenæi sensum haud assecutus, alienos sæpe affingit? An de propria mente ipsi Irenæo non constabat? Certe erroris alia causa esse non potuit, quam quod interpres aut vitioso codice Græco usus, aut B similitudine vocum deceptus male legerit, vel a Græcorum sensu aberrans alienum supposuerit. Sexcenta ejusmodi exempla observavimus in notis nostris. Sic interdum pro φυτὰ legit φύλλα, γένεσιν pro φύσιν, ἔτι pro ὅτι, ἑκάστου pro ἐσχάτου, τρόπῳ pro τόπῳ, ϡ pro ῆ, ἐξ ἧς pro ἐξῆς, 888 pro Ἰησοῦς, quasi singulæ hujus vocis litteræ totidem. notæ arithmeticæ essent, et alia ejusmodi multa. Sed Latini illius hallucinatio in nomine Ἐπιφανὴς hic omitti non debet. Arbitratus appellativum esse, vertit *clarus*; cum certum sit hæretici nomen proprium esse, cujus sententiam refert Irenæus lib 1, c. 11, n. 3. Tam immanis error in Irenæum ipsum conferri non potest, cui certe de nomine illius C quem perstringebat, probe constabat, cum maxime Græce et Latine idem sit. In imperitum igitur interpretem refundatur necesse est. 5° Si Latine et in gratiam Latinorum scripsisset Irenæus, Latinos potius quam Græcos auctores citasset; nullos tamen sive sacros, sive profanos ab eo laudatos reperias, nisi Græcos. Sic, ut multa sileam, lib. 1, cap. 9, centonem ex Homeri versibus contexit. Certe quisquis Latine scripsisset, Virgilium potius, aut aliquem alium poetam Latinis familiorem elegisset, ut ex eo centonem conficeret. Denique lib. v, cap. 30, de Antichristi nominibus disputans, quibus continebitur numerus 666, ea duntaxat exempli causa profert quæ adeo Græca sunt, ut nisi Græce scribantur, summa non occurrat. Talia sunt D ΕΥΑΝΘΑΣ, ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ΤΕΙΤΑΝ, quæ si Latine scribas, jam numerus ad nomen non quadrabit. Quis putet Latine scribentem Græca nomina longe quæsiturum, cum Latina plura tam facile fingi potuissent, ex quibus idem numerus colligi potuisset?

52. Duas Erasmi objectiunculas non moror, quod nimirum versus aliquot Græcos admistos videamus Irenæi libris, et quod nullus indicaverit interpretis nomen. Liberum siquidem est interpretibus, si quos offendant poetarum versus Græcos, eos vel Latine duntaxat, vel majoris ἐνεργείας causa Græce et Latine referre, præsertim si pauci sint et elegantes. Exempla obvia sunt. Eodem modo A se gessit Irenæi interpres. Si plures occurrerint versus, Latine tantum; si unus aut alter, Græce et Latine, idque duobus in locis duntaxat, scripsit. Quod attinet ad interpretis nomen, haud advertit Erasmus, objectionem eos ex æquo petere, qui censent Græcum textum meram interpretationem esse; neque enim iis facilius est indicare Græci interpretis nomen, quam aliis Latini. Sed cum paulo majoris difficultatis specie ab eruditissimis quibusdam viris objectum audivi, vix credibile esse Irenæum qui Lugduni degebat, ubi nullus linguæ Græcæ usus erat, quique in gratiam Lugdunensium suorum scribebat, quorum fines jam subierat Marcosia lues, eo sermone scripturum quem nullus intellexisset. At illi supponunt quod B ab ipso limine probandum incumbit, videlicet potissimum hoc Irenæo consilium fuisse, ut in gratiam Lugdunensium scriberet. Scripsisse ut amici cujusdam precibus obsequeretur, singulæ cuique libro præfixæ præfationes demonstrant. Porro amicum illum Græcum exstitisse, non Lugdunensem, longe probabilius videtur. Neque enim hic ab Irenæo quærebat quænam esset Marcosiorum, qui soli Gallias infestabant, sed Ptolemaitarum sententia, ut ex libri primi Præfatione constat. Certum est autem Ptolemaitarum, Valentinianorum, imo et ipsorum Marcosiorum, cæterorumque Gnosticorum hæresi, quam explanandam et confutandam sibi susceperat Irenæus, longe acerbius vexatas fuisse Orientales, [CI] quam Occidentales provincias : C adeo ut his scripti remedio consulere voluerit Irenæus, potius quam illis, quibus ipse coram et viva voce facile mederi poterat. Sed esto, amicus ille apud Latinos egerit, non id tamen adversariorum causæ profuturum puto. Quid enim si ille, licet apud Latinos degens, Græcus aliquis exstiterit ex eorum numero, qui cum Pothino vel Irenæo in Occidentem venerant? Jam ruit omnis, quæ fingitur, necessitas scribendi Latine. Quippe id unum sibi primo proposuerat Irenæus, ut ipse declarat in Præfatione libri primi, ut breves ad eum commentarios et veluti memorialem quemdam libellum mitteret, in quo paucis explicata Valentinianorum sententia, argumenta quædam ad hanc evertendam D opportuna suggereret : *ut et ille cognoscens portentuosissima et altissima* hæreticorum *mysteria, ea omnibus, qui cum eo erant, manifesta faceret, et præciperet eis observare se a profundo insensationis, et ejus, quæ est in Deum, blasphemationis.* Hinc postea hortatur eum, ut pro ea, qua præstabat, eruditione accepta semina et initia amplificaret, et quæ paucis et invalide dicta erant, uberius explicaret, et patentius assereret iis *qui cum eo erant.* Et in fine libri primi, de eadem hæresi agens : *Conati sumus nos*, inquit, *universum male compositæ vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum manifestam omnibus factam..... Adest enim et*

Digitized by Google

tibi, et omnibus qui tecum sunt, ad hæc quæ prædicta sunt exerceri, et evertere nequam ipsorum doctrinas inconditas, et apta veritati ostendere dogmata. Ex quibus colligere licet quod dixi, hoc primum Irenæo consilium fuisse, non tam scriptis publicis Valentinianam hæresim confutare, quam commentariis privatim ad amicum missis ἐφόδια δοῦναι, ut ipse ait, πρὸς τὸ ἐπιδεικνύειν αὐτὴν ψευδῆ, *subministrationem*, vel, ut alibi loquitur, *occasiones* seu argumenta *suppeditare ad falsitatem ipsius commonstrandam; ut et ille efficaciter reliquis ministraret, secundum gratiam quæ ei a Domino data erat.* Quo supposito, jam nihil necesse fuerit Irenæum, licet in Galliis scribentem, et in gratiam amici apud Latinos degentis, Latine scripsisse. Satis erat hunc ea quæ sibi instar memorialis cujusdam libri destinabantur, intelligere; eadem deinceps uberiori sermone, pro data occasione, aliis explicaturum. Propositum quidem, ut superius dictum est, postea mutavit Irenæus, et pro brevibus commentariis, ad majoris opus molis animum appulit; sed quod Græce scribere cœperat, non propterea Græce scribere destitit: continuavit potius, ratus amicum Latine explicaturum, aut etiam conversurum quæ sibi Græca mittebantur. Erit forte qui me diutius in his, quam par sit, immoratum esse conqueratur, cum jam communior sit inter eruditos sententia, Irenæum Græce scripsisse. Sed cum plures offenderim viros Græce et Latine doctissimos, qui id adhuc in dubium vocent, operæ pretium visum est quæstionem paulo accuratius pertractare; ut vel eximerentur, qui superesse videbantur, scrupuli; vel saltem lector pensitatis æqua lance utriusque partis rationibus, iis calculum adjicere tutus possit, quas ponderosiores esse perspexerit.

53. Dolendum sane quod textus Irenæi Græcus, qui antiquis Patribus tanto in pretio fuit, nullaque vetustate consumendus videbatur, integer tamen sic exciderit, ut ea duntaxat temporum edacitati subduci potuerint fragmenta, quæ scriptis suis inseruere auctores Græci. Sed eadem fuit aliorum plurimorum eximiorum operum pessima sors. Constat Hermæ *Pastorem*, ut alios similes libros taceam, Græce scriptum fuisse, tantumque apud Græcos auctoritate valuisse, ut apud quosdam, imo et apud Irenæum, vix canonicis libris concederet. Hujus tamen, ut et Irenæi, Græca sic interierunt, ut sola supersint fragmenta quæ proferunt antiqui, cum integra interpretatione Latina. Irenæi quidem interpretationis auctor quis fuerit, hactenus incompertum. Sunt qui putant Irenæum ipsum Græce primum scripsisse, tum eadem Latine convertisse. Sed parum S. doctoris honori consulunt illi. Irenæus enim Irenæi sensum saltem assecutus fuisset, nec perperam accepisset expressissetque, uti sæpissime accepit expressitque interpres. Græculus quispiam potius exstiterit, Latini sermonis plane rudis nec admodum acri judicio, qui e Græcis bonis Latina mala fecerit, alienosque sensus auctori suo non semel affinxerit. At quisquis ille fuerit, antiquissimam esse versionem Latinam, et Irenæo ipso vel adhuc in vivis superstite, vel nuper erepto, editam constat. Quin enim Tertullianus qui paulo post scripsit, eam præ oculis habuerit, dum suum adversus Valentinianos librum elucubravit, negari non potest, nisi a solo Dodwello [14]. Quisquis alius Irenæum Latinum cum Tertulliano contulerit, statim deprehendet adeo hunc vestigia illius premere, adeo verbis ipsis, verborumque figuris et ordini adhærere, ut id unum sibi proposuisse videatur, paucioribus contrahere, iisdem sæpe servatis verbis, immistis tamen pro more dicteriis, quæ ille fusioribus exsecutus est. Sic Irenæus lib. I, cap. 11, n. 3, Epiphanis sententiam referens, scribit: *Est quidem ante omnes Proarche, proanennoetos, et inenarrabilis, et innominabilis, quam ego monotetem voco. Cum hac monotete est virtus, quam et ipsam voco henotetem. Hæc henotes et monotes, cum sint unum, emiserunt, cum nihil emiserint, principium omnium noeton, et agenneton, et aoraton, quam archem sermo monada vocat. Cum hæc monade est virtus ejusdem substantiæ ei, quam et eam voco hen. Hæ autem virtutes, id est monotes et henotes, et monas, et hen, emiserunt reliquas emissiones Æonum.* Tertullianus vero cap. 37. *Est*, inquit, *ante omnia Proarche, inexcogitabile et inenarrabile, quod ego nomino monoteta. Cum hac erat alia virtus, quam et ipsam appello henoteta. Monotes et henotes, id est solitas et unitas, cum unum essent, protuleruni, non proferentes, initium omnium intellectuale, innascibile, invisibile quod sermo monada vocavit. Huic adest consubstantiva virtus, quam appellat unio. Hæ igitur virtutes, solitas, singularitas, unitas, unio, cæteras prolationes Æonum propagarunt.* Ubi eadem verba (nisi quod Græca quædam Latine vertuntur), eadem styli barbaries, atque apud Irenæi interpretem occurrunt. Hic n. 5: *Alii rursus ipsorum primam et archegonon octonationem his nominibus nominaverunt: primum Proarchen, deinde Anennoeton, tertiam autem Arrheton, et quartam Aoraton. Et de prima quidem Proarche emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, et de Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, de Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton.* Tertullianus cap. 25, totidem verbis. *Primo enim constituunt Proarchen, secundo Anonnoeton, tertio Arrheton, quarto Aoraton. Ex Proarche itaque processisse primo et quinto* [CII] *loco Archen: ex Anennoeto, secundo et sexto loco Acatalepton; ex Arretho tertio et septimo loco Anonomaston; ex Invisibili, quarto et octavo loco Agenneton.* Certe si e Græco immediate exscripsisset om-

[14] Diss. 5, in Iren., § 6.

Digitized by Google

nia hæc Tertullianus, tot nomina Græca Latine vertisset; nec fortuito et casu fieri potuit ut hoc illi cum Irenæi interprete convenerit. Hic cap. 12, n. 3, Colorbaseorum hypothesim sic exponit: *Quando cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatus est; at ubi quæ emisit, vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Cum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quos autem præcogitaverat posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoe, et sic prima octonatio completa est.* Ille cap. 36: *Cum, inquiunt, cogitavit proferre, hoc Pater dictus est. Cum protulit, quia vera protulit, hic Veritas appellata est. Cum semetipsum voluit probari, hoc Homo pronuntiatus est. Quos autem præcogitavit, cum protulit, tunc Ecclesia nuncupata est. Sonuit Homo Sermonem, et hic est primogenitus Filius, et Sermoni accessit Vita; et ogdoas prima conclusa est.* Plura alia similia passim occurrunt apud Tertullianum. Sed quod demum ostendit hunc non e Græco, sed ex interprete Irenæi sumpsisse quæ refert, illud est, quod ubi lapsus est interpres Græca perperam reddens, lapsus est et Tertullianus. Ille, ut jam dixi, nomen Ἐπιφανὴς appellativum esse putans, male omnino vertit *clarus*. Tertullianus similiter errantem secutus scripsit, *insignior*. Irenæus cap. 2, n. 3, Sophiæ perturbationem enarrans, scribit eam, fetum informem cum peperisset, *primo quidem contristatam propter inconsummationem generationis, post deinde,* φοβηθῆναι μὴ καὶ αὐτὸ τέλος ἔχῃ. Sic saltem legit interpres; vertit enim, *timuisse ne hoc ipsum finem habeat;* ubi τέλος *perfectionem*, non *finem* vertendum erat, ut in notis ad hunc locum diximus. Nec melius Tertullianus cap. 10: *primo quidem contristari propter inconsummationem generationis, et metuere postremo, ne finis quoque insisteret.* Ubi similiter τὸ ἀτελὲς τῆς γεννήσεως vertit *inconsummationem generationis;* et relicto Irenæo Græco, Latinum interpretem secutus, scripsit, *ne quoque finis insisteret.* Eodem cap. n. 4, refert Irenæus, quod Pater per Monogenem emiserit Horon in imagine sua, ἀσύζυγον, ἀθήλυντον, ubi interpres perperam legens ἀσυζύγῳ, ἀθηλύντῳ, vel, ut alii volunt, ἀῤῥενοθήλει, perperam et vertit, *sine conjuge masculo-femina.* Eadem culpa tenetur et Tertullianus cap. cit.: *Pater per Monogenem Nun, quem supra diximus Horon in hæc promit in imagine sua femina-mare.* Nempe uterque id ad imaginem refert, quod Horo soli convenire posse recta ratio demonstrat. Culpam hanc non sustineret Tertullianus, si textum Græcum hic potius quam interpretem consuluisset. Paulo post, Sophian ab Horo mundatam et confirmatam, ac suæ restitutam conjugationi cum dixisset Irenæus, addit: Χωρισθείσης γὰρ τῆς ἐνθυμήσεως ἀπ' αὐτῆς σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει, αὐτὴν μὲν ἐντὸς Πληρώματος μεῖναι· τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς σὺν τῷ πάθει ὑπὸ τοῦ Ὅρου ἀφορισθῆναι καὶ ἀποσταυρωθῆναι. Quæ sic reddidit interpres: *Separata enim intentione ab ea, cum appendice passione, ipsam quidem infra Pleroma perseverasse; concupiscentiam vero ejus cum passione ab Horo separatam, et crucifixam, et extra eum factam esse,* etc., ubi duo peccat, primum quod, σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει, vertit, *cum appendice passione;* vertendum erat, *cum passione quæ supervenerat.* Secundum, quod ἀποσταυρωθῆναι vertit, *crucifixam;* hic significat, quasi *vallo cinctam et disjunctam* a Pleromate. Eadem omnino peccat et Tertullianus, scribens: *Enthymesin ejus et illam appendicem passionem ab Horo relegatam et crucifixam.* Hæc et plura alia, quæ identidem in notis observavi, invicte, ni fallor, probant, Tertullianum, ut Græcum Irenæum legerit (quod non nego), ab eo tamen sæpe defecisse, ut Latini interpretis, et quidem interdum errantis vestigia sectaretur.

54. Eamdem Latinam interpretationem, sed jam vitiosam, præ oculis habuisse videtur Cyprianus, dum epist. 74 (edit. Oxon.), ad Pompeium, de Cerdone et Marcione scribit: *Cujus* (Marcionis) *magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in Urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius cæteris et abruptius in Deum Patrem creatorem blasphemare instituit.* Quæ iisdem pene verbis habentur lib. I, c. 27, n. 1 et 2, nisi quod mendoso codice usus Cyprianus, *nonus* legerit pro *octavus*. Cyprianum autem Græce doctum fuisse, nullo argumento constat: adeo ut probabilius sit Latinum interpretem legisse, uti et legerat magister ejus Tertullianus. Legit et Augustinus: ex eo quippe testimonia duo deprompsit, citavitque contra Julianum Pelagianum, lib. I, c. 3 et 7, quæ etiamnum totidem fere verbis exstant apud Irenæum Latinum lib. IV, cap. 2, n. 7, et lib. V, c. 19, n. 1. Paucos deinceps e Latinis reperias, ex iis etiam qui veterum Patrum testimoniis studiose collectis, veluti centones ac catenas, ut vocant, contexuerunt, qui Irenæum allegaverint. Faciebat exemplarium Latinorum penuria, tanta jam ab ipso septimo aut sexto desinente sæculo, ut cum Ætherius Lugdunensis episcopus nulla apud Lugdunenses ipsos nancisci posset, litteris Gregorium Magnum adierit, ut *gesta vel scripta B. Irenæi* ab eo acciperet. Cui respondet Gregorius [18]: *Gesta vel scripta B. Irenæi jam diu est quod sollicite quæsivimus; sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit.* Ea vero tantæ penuriæ fuisse videtur causa, quod exstinctis jam hæresibus ab Irenæo confutatis, aliisque in dies emergentibus, quæ nihil cum veteribus illis affine haberent; ac tum styli barbarie, tum argumenti difficultate deterritis et lectoribus et librariis, his ne exscriberent, illis ne legerent, eximii operis usus pene exsoleverit. Hujus tamen superfuere semper exemplaria aliqua; sed quæ

[18] Lib. II, ep. 56, ad Æther. Lugdun. episc., tom. II nov. edit.

Digitized by Google

Gregorii M. ætate in forulis bibliothecarum delitescebant, inde demum novissimis hisce sæculis, Dei beneficio, extracta novam lucem aspexerunt. Sed fecit ea, quam dixi, styli barbaries et argumenti difficultas, ut librariis scribendorum sensum sæpe minus assequentibus, non admodum sana ad nos pervenerint. Ea etiam fuit audaculorum quorumdam temeritas, ut resectis postremis libri quinti capitibus, quibus Millenariorum error asseritur, mutilum ediderint : adeo ut paucissimos codices mss. reperire sit, in quibus integer appareat, ut in Præfatione dixi. Imo existimat clariss. Grabius in suis in Irenæum Prolegomenis, sect. II, § 6, librum V adhuc in fine magna parte mutilum esse. Id autem ex eo probare se posse putat, quod Irenæus tum in fine libri IV, tum in Præfatione libri V, pollicetur se *ex reliquis doctrinæ Domini, et ex apostolicis epistolis conaturum ostensiones facere*, videlicet *unum et eumdem* [CIII] *esse Patrem, factorem mundi hujus, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas præmiserit, qui Filium suum miserit, salutem suo plasmati donans, quod est carnis substantia.* — *Atqui*, inquit Grabius, *ut carnis resurrectionem multis argumentis probaverit Irenæus, ut etiam promissam ex verbis Christi, citra parabolarum involucrum prolatis, demonstrationem de uno Deo mundi creatore, eodemque Patre Servatoris nostri cap 21 demum aggressus fuerit; eo tamen confestim longius inde digresso, reliquæ ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis petitæ demonstrationes unius et ejusdem in Veteri et Novo Testamento Dei perierunt; quod librarii exosam sequiori ætate millenarii regni doctrinam ulterius describere nollent, ideoque filum abruperint.* Sic ille. Sed mirari subit, quod post descriptam exosam illam millenarii regni doctrinam, prolixamque ea de re Irenæi argumentationem, quæ jam absoluta videbatur, præposterus librarios omnes incessere cœperit scrupulus, idque ulterius describere noluerint quod ad eam doctrinam nihil aut parum spectare videbatur. Haud certe attendit vir doctissimus, Irenæi scopum in hoc libro V nec fuisse, nec esse potuisse, ex verbis Christi et apostoli Pauli scriptis generatim demonstrare, unum esse Deum mundi creatorem, eumdemque Patrem Servatoris nostri, ne actum superioribus libris ageret. Id ipse declarat in fine libri IV : *Quoniam*, inquit, *multi quidem Domini sermones, unum autem et eumdem annuntiant Patrem, factorem mundi hujus ; oportebat et nos propter eos, qui in multis erroribus continentur, per multa confutare, si quo modo possent per multa confutati ad veritatem converti, et salvari.* Quæ igitur agenda supererant ? Duo hæc : 1° *post Domini sermones subjungere quoque Pauli doctrinam, et examinare sententiam ejus, et Apostolum exponere, et quæcunque ab hæreticis in totum non intelligentibus quæ a Paulo dicta sunt, alias accreperunt interpretationes, explanare, et dementiam insensationis eorum ostendere : et ab eodem Paulo, ex quo nobis quæstiones inferunt, manifestare illos quidem mendaces, Apostolum vero prædicatorem esse veritatis, et omnia consonantia veritatis præconio docuisse, unum Deum Patrem, eum qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas præmiserit, qui novissimis temporibus Filium suum misit, et salutem suo plasmati donat, quod est carnis substantia.* Id ergo primum sibi proponebat Irenæus, pravas, quas Apostoli verbis hæretici subjiciebant, explicationes confutare : nec hoc tantum, sed et ostendere Apostolum docuisse, non quidem, ut perperam existimavit Grabius, unum esse Deum Patrem qui locutus sit ad Abraham, etc., id enim abunde præstiterat libro tertio, ubi, ut ipse ait in Præfatione libri V, *apostolorum doctrina explanata* fuerat; sed unum et eumdem Deum Patrem, eum quem ad Abraham locutum fuisse, et legisdationem fecisse jam demonstratum fuerat, *novissimis temporibus Filium suum misisse, ut salutem suo plasmati donaret, quod est carnis substantia.* Hoc enim argumentum, cum nondum satis hactenus edisseruisset, uberius libro V pertractandum reservaverat. Fuse vero pertractavit ab initio usque ad caput 17. Alterum erat quod Irenæo agendum restabat, scilicet *reliquos sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, disponere.* Quod præstitit a cap. 17 usque ad 25, a quo de Antichristo, tum de millenario Christi regno usque ad libri finem disserere incipit. Scopum igitur cum attigerit Irenæus, fidemque liberaverit, frustra librum quintum magna parte mutilum esse contendit Grabius.

55. De Latinis qui supersunt Irenæi codicibus mss. in Præfatione disserui. De Græcis nihil est quod dicam; nulli enim, qui saltem noti sint, hodie supersunt. *Testantur*, ait Feuardentius in Commonitione ad lectores suæ editioni præfixa, *nonnulli pii et docti viri, se Græcum exemplar in Venetiana bibliotheca legisse; alii quoque in Vaticana visum ferunt ; quæ tamen*, addit, *ibi postea frustra quæsita sunt.* In bibliotheca quidem Vaticana nullum exstare ms. Irenæi codicem Græcum, imo nec jam Latinum, constat. In Veneta vero si quis forsitan esset, quod non puto, suo pulvere sepultus æternum jaceret. Neque enim istius bibliothecæ codicibus lucem aspicere permittitur. Sic factum est, ut archetypus ille Græcus textus, longe elegantior et majori in pretio apud veteres quam Latinus, longe sæpius, diutius, et a pluribus Græcis transcriptus, tritus et citatus, quam usquam fuerit a Latinis interpretatio Latina, quæ Gregorii M. ætate adeo rara erat, ut nulli ejusdem codices reperiri potuerint, hac tamen salva et superstite perierit. Illius enim non tantum Gregorii ævo, sed diu post, frequentes exstitere codices, ut patet ex Germano Constantinopolitano, Photio, Joanne Damasceno et aliis pluribus, qui hunc allegarunt : quanquam tamen non existimem ea om-

Digitized by Google

nia Græca Irenæi fragmenta quæ in Joannis Damasceni ms. cod. Claromontano inserta leguntur, ab ipso Joanne Damasceno exscripta fuisse. A Græco recentiori collecta fuisse videntur. Sed de hoc fusius disserit is qui novam editionem operum S. Joannis Damasceni adornavit, vir eruditione singulari, nec minori humanitate conspicuus, R. P. Michael Lequien, ordinis Prædicatorum, t. II ejusdem editionis. Sunt qui putant, nec improbabiliter, præter Latinam quinque Irenæi librorum interpretationem, alteram Syriacam exstitisse. Nam Ephrem diaconus Edessenus, qui Græce nesciebat, integrum ex lib. I, c. 8, n. 1, locum exscripsit, inseruitque capitulo 8 Tractatus *De virtute;* qui quidem Tractatus ei vulgo ascribitur, nec, quin ascribatur, quidquam repugnat.

56. Id vero utrique textui, tum Græco, tum Latino commune fuit, ut divisus quidem in libros quinque, nullis vero capitibus, aut capitum argumentis distinctus prodierit. Divisionem in libros quinque indicat ipse Irenæus in fine et initio cujusque libri, ubi insuper summatim repetitis iis quæ præcedenti libro pertractaverat, sequentis argumentum dilucide ac breviter aperit. Sed deinceps continuum procedit orationis filum, sicque contexitum, ut nulla partitionis cujuscunque se prodant vestigia, nullæ transitiones, aut aliud quidpiam quod capitis unius finem et initium, aut stylum interruptum probet. Hinc qui e veteribus Irenæum allegarunt, Eusebius, Epiphanius, Theodoretus, Augustinus et alii librum sæpe designant, caput vero aut quodvis alius divisionis genus, nusquam. Hinc etiam in omnibus mss. codicibus Latinis liber quintus continuo nec interrupto stylo ab initio ad finem usque procedit, nullaque apparent capita, capitumque argumenta. [CIV] Primi omnium hunc in capita secuerunt Gallasius et Feuardentius, quanquam nec eodem modo, præfixo unicuique capiti suo argumento. Nam antea Erasmus et Grynæus librum hunc ediderant, qualem mss. codices exhibebant. Hinc denique nec in aliis libris, in secundo præsertim, secum invicem consentiunt mss. codices, in quibus alia atque alia divisio occurrit; in his longiora capita, in illis breviora; in istis major capitum numerus, in illis minor. Quam etiam in suos codices invexere divisionem recentiores Græci, a Latina procul discedebat; minutiora quippe illius quam hujus capita, ut solerter colligit doctissimus Grabius ex Procopii Gazæi *Comment. in cap.* III *Geneseos*, ubi ea quæ Irenæus lib. III, cap. 23 (alias 38), n. 5, de pelliceo Adami vestimento docet, tanquam ex cap. 59 et 65 allegat. Quibus omnibus id conficitur, Irenæum de textu in certa capita dividendo ne cogitasse quidem, imo nec veterem interpretem. Divisionis hujus auctores, recentiores quipiam, seu librarii, seu alii quivis; sed adeo imperiti, judicioque destituti, ut omnia susque deque miscentes, orationisque filum temere ac perperam abrumpentes, ea plerumque secuerint, quæ continua esse debebant, et sæpissime ab iis verbis novum caput inceperint, quæ vix colo distinguenda erant a præcedentibus. Uno verbo textum misere lacerarunt, potius quam diviserunt. Hujus rei experimentum fieri potest in omnibus quæ hactenus prodierunt Irenæi editionibus. Eadem judicii maturitate atque solertia concinnata, quæ singulis quatuor priorum librorum capitibus præfixa leguntur argumenta. Ex veteris quidem interpretis verbis plerumque condita sunt, novis tamen non raro fabricatis, quasi de barbarie sermonis contentio fuisset; sed adeo insulse atque inepte disposita, ut sæpissime vel nihil minus quam subjecti capitis scopum atque consilium, vel id perperam, vel levissimam duntaxat ejusdem particulam, eamque minus præcipuam, lectoribus exhibeant. Antiquissima quidem ea esse non negaverim, utpote quæ in vetustioribus quibusque mss. codicibus, quanquam alia atque alia ratione collocata, occurrant. Sed quamtumvis antiqua sint, ex quo certum est Irenæum ipsum auctorem non habere, lectoribusque incommodo potius quam levamento esse, haud aliter spectanda quam ut imperiti cujuspiam opus illi Irenæi perperam additum.

57. Utrique malo, ineptæ videlicet Irenæi textus divisioni, et ineptioribus adhuc argumentis consulendum esse dudum censent eruditi. Posteriori jam consuluerat Joannes Jacobus Grynæus in sua Irenæi editione; nam veteribus maxima ex parte sublatis, novas, easque aptiores capitum περιοχὰς adjecit. Displicuit consilium Feuardentio, nam veteres summulas restituit; eo nomine, ut puto, quod antiquæ essent: quasi rebus absurdis auctoritatem et pretium adderet antiquitas. Displicuit et Grabio, qui male a Grynæo factum palam pronuntiat. An vero melius a Grabio ipso? Judicium penes lectores esto. Sic enim vetera argumenta restituit, ut spreta codicum auctoritate, qua tamen sola fretus retinenda ea esse censuit, proprio arbitratu disposuerit, transposueritque, interdum uno et eodem in plura dissecto, interdum pluribus in unum congestis. Ex quo factum, ut pluribus capitibus aliquando idem, aliquando etiam nullum omnino, aliquando quod nihil aut parum conveniat, argumentum præfigatur. Tutius forte ab omnibus iis incommodis sese expediret, qui rem ad Irenæi institutum revocans, textum ejus nullis capitibus et argumentis distinctum ederet. Hæcque fuit doctorum aliquot hominum, quos consuluimus, sed paucorum, sententia. Alii vero, iique multo plures, secus sensere; eorumque judicium prævaluit, hac potissimum ratione nixum, quod lector divisioni et argumentis jam assuetus non modicam ex iis, si modo recte fiant, utilitatem colligere possit. Quare nova et commodiori capitum instituta divisione, nova singulis argumenta præfiximus, quibus uniuscujusque scopus et consilium lectoris oculis summatim exhibetur, ut jam in Præfatione diximus.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE ALIIS IRENÆI SCRIPTIS.

58. Pluribus aliis, iisque egregiis operibus Christianam et catholicam fidem illustravit Irenæus; sed quæ temporum injuria sic excidere, ut ea duntaxat supersint fragmenta, quæ suis in scriptis servaverunt antiqui Patres. Scripsit adversus Florinum epistolam, cujus insigne fragmentum transcripsit Eusebius [16], et nos ex ipso ad calcem hujus operis edidimus. Florinus vero, Irenæo teste, *in imperatoris aula splendide agens*, munus aliquod gesserat *in inferiore Asia*, cum ibi sanctitatis et doctrinæ laude floreret Polycarpus. Tanti viri fama permotus, se in ejus disciplinam tradidit, nihilque non egit ut sese ipsi probaret. [17]. Factus postea Romanæ Ecclesiæ presbyter, tum in errorem lapsus, aliorumque fidem sollicitans ut ejusdem erroris reos faceret, gradu dejectus est. Condiscipuli, quem apud Polycarpum viderat noveratque, casum dolens Irenæus [18], eumque ab errore revocare cupiens, scripsit adversus eum epistolam Περὶ τῆς μοναρχίας, ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν, *De monarchia, sive quod Deus non sit conditor malorum.* Ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης, addit Eusebius, οὗτος ἐδόκει προασπίζειν, *eam enim opinionem hic defendere videbatur.* Quæ quidem sic explicat H. Valesius, quasi Florinus, Marcionis et Cerdonis dogmatibus adhærens, duo principia invexisset, alterum bonorum, alterum malorum auctorem. Sed repugnat Irenæus scribens, Florini *dogmata ne quidem hæreticos extra Ecclesiam positos proferre unquam ausos fuisse.* Gravior igitur quam Cerdonis ac Marcionis erat Florini error : ac proinde in eo positus fuisse videtur, quod non, ut illi, duplicem Deum, alterum boni, alterum mali auctorem fingeret ; sed in unum et eumdem Deum, tanquam in causam, mala omnia ac peccata refunderet : quod revera nullus hactenus hæreticus proferre ausus fuerat. Unde licet pro μοναρχίᾳ, seu principii unitate contra Marcionitas cum Catholicis decertaret, hanc tamen pejus illis violabat, dum malis omnibus contaminabat. Irenæus vero retinendam esse μοναρχίαν, nec tamen malorum labe aspergendam esse, tam vere quam pie contendebat. Quam vero a pestifera Florini doctrina alienus exstitisset, quamque nefarium [CV] dogma exhorruisset Polycarpus, quem dudum præceptorem audierat, ei ob oculos ponit : ut tanti præceptoris memoria devium in catholicæ veritatis viam efficacius reduceret. Philastrius [19] Florianorum quorumdam hæreticorum meminit; sed quos Carpocratianorum surculum esse dicit. Gennadius [20] vero Florianum, seu Florinum culpat, quod carnem mali causam esse crediderit. Quæ quidem, si uterque Florinum nostrum intellexerit, non omnino cum Eusebio et Irenæo, quibus potior fides, consentiunt. Quidquid sit, Florinus Irenæi rationibus et argumentis victus, non tamen convictus, ne hinc Deum ipsum auctorem mali faceret, illinc vero a μοναρχίᾳ, quam hactenus propugnaverat, deficiens, cum Cerdone et Marcione duplicem Deum induceret; mediam, ut sibi videbatur, inter utrumque extremum Valentini sententiam amplexus, cum eo insanire maluit quam cum Catholicis sapere. Quare Irenæus illius salutis semper sollicitus, eumque e novo illo, in quod præceps sese dederat, barathro extrahere studens, scripsit librum *Περὶ ὀγδοάδος, De ogdoade*, vel, ut habet Hieronymus in Catalogo, *De octava*, cujus clausulam duntaxat refert Eusebius [21]. Utinam saltem opusculi, seu, ut vocat, *σχουδάσματος* illius argumentum exhibuisset. Id fuisse videtur, ut famosam Valentinianorum ogdoada, seu primigenum illum Æonum octonarium, cæterorum omnium radicem, brevi scripto selectisque rationibus convelleret; quem fusiori stylo vel jam exagitaverat, vel tum exagitabat in longiori illo *De detectione et eversione falso cognominatæ agnitionis.* Nec enim mihi constat, an jam ad umbilicum perductum esset hoc opus. Scribit quidem Theodoretus [22], non affirmat tamen (*ferunt*, inquit), Irenæum Florini morbum deplorantem, scripsisse adversus Valentinum. Sed incertum an quinque *Detectionis et eversionis* libros, an breve illud *Περὶ ὀγδοάδος* opusculum intellexerit. Utrumque enim adversus Valentinum scriptum fuisse videtur.

59. [23] Scripsit Irenæus alteram epistolam adversus Blastum, quam inscripsit *Περὶ σχίσματος, De schismate.* Hic quoque presbyter Romanæ Ecclesiæ σὺν τούτῳ (Φλωρίνῳ) παραπλησίῳ πτώματι κατεσχημένος, non simili errore cum Florino implicatus fuerat, ut perperam vertit Valesius, sed similem cum illo depositionis sententiam exceperat. Utrique quidem hoc commune fuit, quod multos ab Ecclesiæ gremio abstrahentes, in suam sententiam perducerent, et τὸν ὑγιῆ τῆς Ἐκκλησίας θεσμὸν, sinceram Ecclesiæ legem adulterarent; sed præterea θάτερος, *alter*, Florinus videlicet, non *uterque*, ut hic etiam male reddidit Valesius, seorsim novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laborabat. Utrumque in Valentini hæresim incidisse

[16] Lib. v, c. 20. [17] Ibid., c. 15. Ibid., c. 20. [19] Cap. 57. [20] Dogm., c. 76. [21] C. 20. [22] L. I, c. 23. [23] Euseb., c. 15 et 20.

Digitized by Google

significat Theodoretus citatus, postea vero Blastum inter Marcionis discipulos annumerat; sed præter Eusebii et Irenæi mentem: una schismatis culpa tenebatur Blastus; unde et inscripta adversus eum epistola, *De schismate*. Quæ vero schismatis hujus causa fuerit, docet antiquus auctor Additamenti quod ad calcem libri *De præscriptionibus* exstat apud Tertullianum [28]: quod nimirum *Blastus latenter Judaismum vellet introducere: Pascha enim dicebat non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi*, XIV *mensis*. Quæ etiam Florini culpa fuit: idque significat Eusebius, dum ait sinceram Ecclesiæ (non dicit, *fidem*, sed) *legem* adulteratam ab utroque fuisse. Cum enim alter Polycarpi discipulus fuisset, alter, Paciano teste [29], Græcus esset, Asianum Paschatis celebrandi morem Romam inducere satagebant: sicque Pascha præter hujus Ecclesiæ consuetudinem celebrantes, eam scindebant turbabantque. Merito proinde Pacianus Blastum Montanistis adhæsisse scribit; non quod novis prophetis fidem adhiberet, sed quod et ipsi Montanistæ Pascha luna XIV primi mensis celebrandum esse vellent. Porro utraque Irenæi tum adversus Florinum, tum adversus Blastum epistola eodem tempore scripta videtur. Quo vero anno, incertum. Cum tamen Eusebius utramque ad Commodi imperium et Eleutheri pontificatum referat, sub utriusque finem scriptam fuisse probabilius videtur.

60. De aliis, quas tum ad Victorem papam, tum ad alios scripsit Irenæus, epistolis de festo Paschatis, disseruimus in ejus Vita. Ex aliqua istarum epistolarum depromptum videtur, quod ex Irenæo citat auctor *Quæstionum et Resp. ad Orthod.* inter opera Justini, quæst. 115, non flectendum esse genu, neque Dominico die, neque 50 illis quæ sequuntur Pascha. Editum ab eodem Irenæo πρὸς Ἕλληνας λόγον συντομώτατον καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαιότατον, περὶ ἐπιστήμης ἐπιγεγραμμένον, brevissimum et in primis necessarium librum, seu potius Sermonem, vel Orationem adversus Græcos, vel, ut vertunt alii, *adversus gentes*, qui *De scientia* inscribebatur, memorat Eusebius [30]: cujus mentem perperam accepit, aliisque perperam accipiendi ansam dedit Hieronymus, dum ait in *Catalogo*, scriptum ab Irenæo *contra gentes volumen breve, et de disciplina aliud:* quasi opusculum contra gentes ab illo de disciplina seu scientia diversum fuisset. Meminit uterque alterius Irenæi Sermonis Marciano fratri nuncupati, qui demonstrationem continebat apostolicæ prædicationis, et libelli Διαλέξεων διαφόρων, *Variarum disputationum*, vel, ut vertit Hieronymus, *Variorum tractatuum*, in quo Epistolæ ad Hebræos et Sapientiæ Salomonis mentionem faciebat, et quasdam sententias ex istis libris adducebat. Quis vero esset auctoris in his omnibus opusculis seu libris scopus, quodve consilium, tacentibus veteribus, dici non potest: soli sagacissimo Dodwello dicere licet, qui plura de iis pro more disputat, nec verbis et conjecturis parcit; sed Dodwellianæ conjecturæ sunt, quas qui legerit, miratur et dissertatorem multa dixisse ut nihil diceret, lectorem vero multa legisse ut nihil disceret. Pollicitus est Irenæus [27], nec semel, Marcionem speciatim se confutaturum, hujusque promissi meminit Eusebius [28]. At liberatam ab Irenæo fidem satis significat idem Eusebius [29], cum eum recenset inter illos qui Marcionem egregiis operibus confutarunt. Citat Maximus abbas et confessor [30] quosdam Irenæi episcopi Lugdunensis *Sermones de Fide*, ad Demetrium Viennensem diaconum, quorum etiam initium et sententias aliquas Græce refert. Aliud fragmentum ex sermone *ad Demetrium* edidit Feuardentius, sed Latine duntaxat: quod quidem a N. Fabro accepisse se dicit; sed unde hic acceperit, dicere omisit. Si Græca adessent, emendatius forte prodire posset. At cum ejusmodi sermones Eusebio et Hieronymo ignoti fuerint, dubium est an genuini sint Irenæi fetus. Paulo aliter sentiendum puto de iis quæ Irenæo tribuit [CVI] verbis Œcumenius in *Comment. ad I Petri Epist. cap.* III. Haud dubitem quin deprompta sint ex celebri Lugdunensium et Viennensium de martyribus suis epistola, quam ab Irenæo ipso scriptam fuisse valde probabile esse diximus, confirmatque is Œcumenii locus. Hic enim ea desumpsisse se dicit ex iis quæ scripsit Irenæus *Περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης, De Sancto et Blandina;* non quidem verbo ad verbum, sed compendium verborum faciens: ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθέσθαι ἔστι ταῦτα. Et revera quæ ibi de Sancto et Blandina recitat Œcumenius, ad ea quæ in citata Lugdunensium epistola referuntur, satis quadrant: adeo ut aliunde accipi potuisse non videantur.

61. Explicatam ab Irenæo Joannis Apocalypsin tradit Hieronymus in *Catalogo* [31]: *quam*, inquit, *interpretantur Justinus Martyr et Irenæus.* Hinc tamen colligi posse non puto integros ab Irenæo editos fuisse *Commentarios in Apocalypsin;* nec ea Hieronymi mens fuisse videtur. Respiciebat Hieronymus ad varia Apocalypseos loca, quæ in suis quinque libris explicat Irenæus, et præsertim in quinto, sub cujus finem de millenario Christi regno, et de Antichristo disserens, plura sacri hujusce libri testimonia interpretatur, et ad institutum accommodat. Quidam, Photio teste [32], Irenæo ascribebant librum cui titulus, *De Universo* seu *De substantia mundi.* Sed Caii presbyteri Romani, et Irenæi discipuli, opus esse verisimilius est. De aliis quæ ad calcem edidimus Irenæi fragmentis, proprio loco diximus. Hæc sunt quæ de tanti viri scriptis dicenda nobis erant. Jam de variis doctrinæ ejus capitibus sermo instituendus est.

[28] De præscr., c. 53. [29] Ep. 1. [30] Lib. v, c. 26. [27] Lib. I, cap. 27, n. 4, et lib. III, c. 12, n. 13. [28] Lib. v, c. 8. [29] Lib. IV, cap. 25. [30] T. II, p. 152. [31] C. 19. [32] Cod. 48.

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA.

DE IRENÆI DOCTRINA.

1. Solius supremi numinis est nec falli, nec fallere posse : mortalium omnium, nisi singulari Dei beneficio, solis scriptoribus sacris concesso, eximantur, ea est sors et conditio, ut eos a vero devios error interdum decipiat. Nullum igitur opus adeo castigatum, numerisque omnibus absolutum, quin nævis quibusdam inspergatur, pluribus aut paucioribus, majoribusque vel minoribus, pro majori aut minori scriptoris diligentia et eruditione. Neutra quidem Irenæo defuit ; ita tamen sibi semper non cavit, ut aliquando non offenderit, sed plerumque levius ; sicubi vero paulo gravius, eo magis error condonandus, quo nondum satis ad liquidum exploratis certis quibusdam doctrinæ Christianæ capitibus, vix fieri poterat ut attentioribus etiam animis nebulas non offunderent præconceptæ quædam ac communes priorum sæculorum opiniones. Ut vero excusandus non est Irenæus, ubi lapsus est ; sic nec temere culpandus, ubi culpa vacat, nec aliena ei affingenda dogmata quæ respuit. Sunt enim homines, quibus omnia auctorum dicta excusanda videntur ; sunt et alii qui infesto dente carpunt quidquid minus intelligunt ; sunt alii denique qui apud veteres Ecclesiæ Patres videre se putant quod videre cupiunt, ut erroris consortes habeant. Ne ad eosdem scopulos appellamus, visum est præcipua quæque doctrinæ Irenæi capita, quam breviter fieri poterit, percurrere ; et si quid lapsus est, id adnotare ; si quid vero alienum affingitur, id ab eo depellere.

2. Observat Photius, *in aliquibus* Irenæi *scriptis ecclesiasticorum dogmatum certam veritatem spuriis rationibus fucari.* Sic saltem Græca hæc interpretor : Εἰ καὶ ἔν τισιν αὐτῶν (συγγραμμάτων καὶ ἐπιστολῶν) ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται. In quæ Irenæi scripta scriptorumque loca digitum intenderit Photius incertum. Sed si is sit Photii verborum sensus, infirma interdum argumenta, ad probandas certas fidei veritates, ab Irenæo adhiberi, levissimum vitii genus est, omnibus fere scriptoribus commune, quodque eo difficilius cavere quis potest, quo adversarios studiosius insectatur, ac omnigenis argumentis obruere nititur. Quis enim auctor tantum valeat, ut ea omnia, quibus adversarios refellit, argumenta, totidem demonstrationes sint ? Vix fieri potest quin, si præsertim de una et eadem re multa sint, alia aliis efficaciora vel infirmiora sint. Deinde ut de rationum quarumcunque pondere et efficacia judicium feramus, æquitatis ratio postulat, ut ad id attendamus in quod potissimum intendebat auctor. Si quidem plures Irenæi ratiocinationes in seipsis et a scopo auctoris præcisæ spectentur, infirmæ videbuntur ; secus vero si consilii ejus habeatur ratio. Quia in apertis Scripturarum verbis nulla erant vanissimis hæreticorum dogmatibus præsidia, alia sibi in parabolis et allegoriis, quas pro libito interpretabantur, comparare sibi studebant. Cassa et futilia esse merito contendit Irenæus. *Nam*, inquit [33], *parabolæ debent non ambiguis adaptari.* Absurdissimum quippe est ea *quæ non aperte dicta sunt, neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque prout vult adinvenit.* Ne tamen hoc, infirmo licet, præsidio gloriarentur hæretici, fucumque facerent imperitis, id sibi libro quarto præsertim probandum suscipit, desperatam eorum causam parabolis nihil juvari, et si quid valeat id argumenti genus, totum in pravorum dogmatum ruinam cedere. Quisquis ergo queritur, ea interdum a parabolis et allegoriis ad probandas fidei veritates argumenta ab Irenæo duci, quæ parum roboris habere videntur, meminerit et S. doctorem non nescium fuisse quid quantumque valerent ejusmodi argumenta secundum se spectata ; ab eo tamen pro jure suo usurpari, quia usurpandi exemplum primi dederant ii quos refellebat. Unde argumenta erant velut ad hominem, et ex adversariorum principiis et confesso petita, quæ efficaciam ab iis ipsis sortiebantur. Ex quo enim parabolis et allegoriis utebantur adversus Catholicos, eo minus argumentorum inde petitorum pondus declinare poterant, quo iis ad dirimendam litem sibi utendum esse primi censuerant. Id si advertisset Gallasius, ab insulsa et inepta censura temperasset, qua Irenæum vexat, quod hac Christi parabola : *Propterea omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias,* [CVII] *qui profert de thesauro suo nova et vetera* [34], utatur ut probet, unum et eumdem Deum utriusque Testamenti auctorem esse. Nam præterquam quod Irenæi [35] expositionem secuti sunt Chrysostomus, Theophylactus, Hilarius, Hieronymus et alii plures, ut recte adnotat Feuardentius ; ut forte adversus alios hæreticos non valuisset ejusmodi argumentum, maxime valebat adversus Valentinianos,

[33] Iren., lib. II, c. 27, n. 1. [34] Matth. XIII, 52. [35] Lib. IV, c. 9, n. 1.

Digitized by Google

qui e parabolis efficacia peti posse censebant : ad quos proinde retundendos sufficiebat parabolam eo sensu explicari, qui cum Christi verbis et instituto non pugnaret. Alia esse clariora Christi dicta, e quibus argumenta duci poterant, probe sciebat Irenæus ; sed hæc libro quinto reservabat, ut ipse profitetur initio hujus libri et in fine quarti. Idem dici velim de variis numerorum copulationibus, quibus interdum plus æquo delectari videtur auctor noster. Ejusmodi quidem argutias fastidivit posterior ætas ; non ita vero ea, qua scripsit Irenæus, et hujus mores nostris metiri sana ratio non sinit. Allegoricum hoc philosophandi genus, a Pythagoricis et Platonicis acceptum, maximo apud ethnicos, imo et Judæos ipsos, in pretio erat : ad quod conformare sese antiquos Patres necesse fuit, tum ut superbos animos sibi facilius conciliarent, semel persuasos Christianam religionem a recta philosophandi ratione non abhorrere ; tum ut eos propriis mucronibus, ubi sese occasio daret, configerent. Et id quidem ab Irenæo, eo potiori jure usurpatum, quo Gnostici, ut alibi ostendi, Pythagoreorum Platonicorumque principiis imbuti, plurimum numeris tribuerent, et in variis eorum copulationibus haud exiguum causæ suæ præsidium constituerent. Ad quorum proinde philosophemata eo se consilio componit, ut ea in auctorum ipsorum caput retorqueat. Quare quid et quantum valeant ejusmodi rationes, ut æqua lance pensitetur, proponentis ætas, scopus, adversarii, ac litigantium hypothesis præ oculis semper habere debet : ad quæ quisquis æquus attenderit, fateri non dubitabit id egisse SS. Patres quod in iis temporum disputationumque circumstantiis recta ratio ab iis exigebat. Sed quam parum tribueret Irenæus ejusmodi numerorum rationibus et copulationibus, luculenter patet ex iis quæ lib. II, cap. 25 et 26, disserit. Ibi enim ex professo probat, Dei opera, res divinas, rationem, ac veritatis argumenta ad numeros exigi non debere ; sed potius numeros ad res divinas, rationem et veritatis argumenta exigendos esse ; curiosamque illam numerorum inquisitionem, et ex iis ducta argumenta infirma esse ac plerumque vana et periculosa. Non tamen hactenus dictis negaverim, quin apud Irenæum spuriæ quædam occurrant rationes, quibus revera ecclesiasticorum dogmatum veritas fucetur potius quam illustretur ; quales sunt eæ quas a Christi ætate, et millenario regno petit ; sed iis et aliis quibusdam paucis exceptis, cæteris omnibus, si æquitatis ponderibus examinentur, et ad auctoris scopum atque consilium exigantur, pretium constabit et robur. Sed quid et quantum ex ejus doctrina juvari possit catholica fides, jam videamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Scripturarum sacrarum divinitate, canone et versionibus.

5. Scripturas sacras Deum ipsum auctorem habere, ejusque Spiritu afflante exaratas esse, tam aperte tamque frequenter profitetur Irenæus [36], ut id observare operam fere ludere sit. *Scripturæ*, inquit, *perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ*. Et ne diutius quam par sit immorer in re tam manifesta, totus est Irenæus libro tertio et quarto, ut probet unum et eumdem Deum et Patrem, utriusque Testamenti, Novi videlicet et Veteris, auctorem esse ; ipsoque, nec alio, per Verbum et Spiritum suum scriptoribus sacris, tum prophetis, tum apostolis et evangelistis afflante, ea omnia quæ in Canonem retulit Ecclesia, exarata fuisse.

4. Sed quam late Irenæo pateret sacer hic Canon, quosve libros complecteretur, haud ita facile dictu est. Certum quidem est sequentes Veteris Testamenti libros velut sacros et canonicos a S. Doctore haberi, et plura ex iis, tanquam ex libris divinæ auctoritatis, allegari : Pentateuchum Moysis, Josue, Judices ; libros quatuor Regum ; Psalmos, Proverbia Salomonis ; prophetias Isaiæ, Jeremiæ Ezechielis, Danielis, Oseæ, Joelis, Amos, Jonæ, Michææ, Habacuc, Zachariæ et Malachiæ. Quæ ex iis libris testimonia proferat, demonstrat Index locorum Scripturæ sacræ a nobis concinnatus, ad calcem hujus operis. Hoc semel tanquam ex Isaiæ, multoties vero tanquam ex Jeremiæ prophetia depromptum allegat : *Et commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis : et descendit ad eos evangelizare salutem, quæ est ab eo, ut salvaret eos.* Idem allegavit et Justinus martyr in *Dialogo cum Tryphone*, velut ex Jeremia, conquestus insuper, Judæos, odio Christianorum, sententiam hanc et plures alias e sacris Bibliis erasisse. Ex quibus colligitur eam

[36] Lib. II, c. 18, n. 2.

Digitized by Google

tunc in quibusdam Bibliorum Christianorum codicibus exstitisse, sed paucissimis; vix enim alios, præter Justinum et Irenæum reperias, a quibus citetur. Jam nullibi librorum sacrorum occurrit. Quin Jeremiæ *Threnos* seu *Lamentationes* inter canonicas Scripturas recensuerit Irenæus, dubitari non potest. Ut enim ex iisdem Scripturis probet, Christum Filium Dei, *et salutem, et Salvatorem, et salutare vere et dici, et esse*, verba hæc Thren. IV, 20: *Spiritus faciei nostræ Christus Dominus*, inter alia e libris sacris petita profert, non nominato tamen libro e quo petuntur, sed generatim duntaxat indicata, ut sæpe solet, Scriptura, hoc verbo, *inquit. Spiritus enim, inquit, faciei nostræ Christus Dominus.* Idem dicendum de Baruchi libro, quem ut propheticum et sacrum laudat, non tamen sub Baruchi, sed vel sub generali prophetæ, vel sub Jeremiæ nomine. Libro IV, cap 20, n. 4, probans, unum esse Deum, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia, qui secundum magnitudinem quidem ignotus est omnibus qui ab eo facti sunt, secundum dilectionem autem cognoscitur semper per eum per quem constituit omnia; scilicet per Verbum ejus, Dominum nostrum Jesum Christum, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est hominem Deo; ait: *Et propterea prophetæ, ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus secundum carnem adventum, per quem* [CVIII] *commistio et communio Dei et hominis secundum placitum Patris facta est, ab initio prænuntiante Verbo Dei, quoniam videbitur Deus ab hominibus, et conversabitur cum eis super terram*, etc. Quibus postremis verbis manifeste alludit ad ea Baruch III, 38: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Sed libro V, cap. 35, n. 1, finem capitis quarti et totum caput quintum ejusdem Baruch clare et ipsis verbis refert, velut ex Jeremia propheta: *Significavit*, inquit, *Jeremias propheta, Circumspice, dicens, ad orientem Hierusalem, et vide lætitiam*, etc. Ex qua Irenæi aliorumque Patrum citatione libri Baruch, canonicam ejus auctoritatem recte omnino colligit Feuardentius in notis ad hunc Irenæi locum. Ecce tamen, in Feuardentium insurgit cl. Grabius in notis suis, eumque hallucinari graviter pronuntiat. *Quis enim nescit*, inquit, *apocrypha scripta subinde a Patribus allegari?* Hocque apophthegmate contentus adversarium prostratum iri confidit. Ergone quia apocrypha scripta subinde a Patribus allegantur, statim pronuntiandum, eum hallucinari, qui ex eorum citatione colliget librum aliquem canonicum esse? Si ita sit, jam adversus Grabium prodeat impius aliquis, qui aliquod e quatuor Evangeliis, vel aliquas ex Epistolis Pauli, aliorumve apostolorum, ex albo Scripturarum expungat; quo argumento hunc confutabit vir clarissimus? An ex continua Patrum et Conciliorum citatione probare se posse putabit, sacra hæc scripta ab omnibus Ecclesiis, aut maxima saltem Ecclesiarum, earumque insigniorum parte, tanquam canonica habita semper fuisse? Invictum quidem cæteris est argumentum, sed Grabio prorsus infirmum et inutile. Nam statim occurret impius, hacque unica Grabiana responsione, *apocrypha scripta subinde a Patribus allegari*, totam vim argumenti facile infringet, Grabiumque ipsum ad incitas rediget. Non igitur ex eo quod quidam Patres apocrypha interdum scripta allegaverint, eorum illico elevanda fides est, cum librum aliquem velut canonicum citant. Si quidem tot et tanti, tam diu, tamque continuata serie apocryphum quoddam scriptum citarent, quanti, quamque diu librum canonicum allegant, premeret forte Grabiana difficultas. At multum abest ut paria sint utrinque momenta. Qui librum apocryphum velut sacrum citarunt, pauci sunt, nec obtinuit eorum sententia; imo potius, majori Ecclesiarum parte prævalente, successu temporis prorsus obsolevit. E contrario vero dum liber aliquis, quem sacrum deinceps agnovit Ecclesia, a Patribus allegatus est, quamvis initio dubitarent multi, quia paulo obscurior erat ea de re traditio apostolica; ea tamen, successu temporis, accuratiori rei examine, consultisque iis Ecclesiis, in quibus notissima erat et continuata episcoporum successio ab apostolis, patefacta, demum ad liquidum explorata veritate, calculum veteribus adjecit universa Ecclesia. Tam immensum tamque apertum discrimen facile animadvertere potuisset Grabius, nisi anticipatæ Calvinianorum Lutheranorumque opiniones fucum fecissent. Sed de vana ejus objectiuncula, toties a Catholicis contrita, jam satis. Id tantum, ut ad Irenæum revertar, addiderim: si Baruchi prophetiam sub Jeremiæ nomine laudaverit, non solum ita laudavisse. Eodem quippe modo allegavere Clemens Alexandrinus lib. I *Pædag.*, c. 2, et lib. II, c. 3; Cyprianus, lib. II *Testimon. ad Quirin.* et in lib. *De oratione Domin.*; Eusebius, in libris *De demonst. evang.*; Basilius, lib. IV *cont. Eunom.*, et alii tum Græci, tum Latini. Ratio omnibus nota est, quia nimirum Baruch Jeremiæ discipulus fuit, illiusque prophetia magistri libro juncta erat.

5. Librorum Tobiæ, Judith, Esther, Paralipomenon, Ecclesiastæ, Cantici canticorum, Ecclesiastici, Job, Abdiæ, Nahum, Sophoniæ, Aggæi, et Machabæorum, nuspiam, nisi me fallit memoria, in iis qui exstant Irenæi libris, occurrit mentio. Tobiam tamen jam tum in pluribus Ecclesiis inter prophetas eodem jure locum habuisse, quo Moysen, Jesum Nave, Amos, Habacuc, Joel, Zachariam, Isaiam, Ezechielem, Jeremiam, Danielem, Aggæum, Michæam, Nahum, Esdram et Sophoniam, ex eo colligi posse videtur, quod Irenæus, libro I, cap. 30, Sethianorum et Ophitarum deliria describens, ait n. 10, sic eos inter septem Angelos mundi rectores, prophetas partitos fuisse, qui illorum nomine et afflatu vaticinia funderent, ut suo *Elœi Tobiam et Aggæum* ascriberent. Susannæ et Belis historias,

Digitized by Google

quales Danielis cap. XIII et XIV referuntur, non tantum in suis Bibliorum codicibus descriptas legit Irenæus, sed et ut certas et indubitatas, sacras et canonicas, ac a Daniele propheta scriptas agnoscit, et citat lib. IV, c. 5, n. 2, et cap. 26, n. 3. Observat Eusebius [37], Irenæum in eo quem scripserat libello *Διαλέξεων διαφόρων*, Epistolæ ad Hebræos et Sapientiæ Salomonis mentionem fecisse. Et antea de libris *Contra hæreses* agens, ait [38]: Καὶ ῥητοῖς δέ τισιν ἐκ τῆς Σολομῶντος Σοφίας κέχρηται, μονονουχὶ φάσκων· Ὅρασις δὲ Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. *Utitur etiam sententiis ex Salomonis Sapientia depromptis, ita fere dicens: Visio Dei parit incorruptionem, incorruptio autem proximos Deo facit.* Qua quidem Sapientiæ sententia, prout hic allegatur ab Eusebio, utitur Irenæus libro IV, cap. 38, n. 3, ita tamen, ut neque librum nominatim citet, nec verbotenus indicet e Scriptura petitam esse: imo Sapientiæ verba sic propria sibi faciat, ut partim sensum, partim ipsa verba referat. Nam Sap. VI, 18, 19, quem locum præ oculis habebat Irenæus, non legitur: Ὅρασις δὲ Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας, etc., sed, προσοχὴ δὲ νόμων, βεβαίωσις ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. *Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Quatuor Esdræ libros agnovisse videtur S. doctor; nec enim alio ex fonte, quam ex libri IV cap. 14, hausta videntur quæ de corruptis tempore captivitatis Babylonicæ sacris codicibus, et postea ab Esdra, Deo aspirante, instauratis, scribit lib. III, c. 21, n. 2. Hæc de Veteris Testamenti libris ab Irenæo memoratis et citatis.

6. Quod attinet ad sacros Novi Testamenti codices, quid de quatuor Evangeliis sentiat, ab initio libri tertii [39] statim aperit. Postquam ostendit evangelistas jam *indutos supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, ac de omnibus adimpletos, et habentes perfectam agnitionem*, ad scribendum Evangelium mentem appulisse, addit: *Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent, et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas* [CIX] *autem sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiæ commorans.* Plures in his verbis occurrunt difficultates, quas cum expenderimus in notis ad hunc locum, illuc lectorem remittere satius est, quam hic diutius detinere. Adeo vero de numero quatuor Evangeliorum constabat Irenæo [40], ut, secundum ipsum, *neque plura numero quam hæc sunt, neque rursus pauciora capiat esse Evangelia.* Quæ tamen verba non ita urgenda sunt, quasi sic necesse fuerit quatuor esse Evangelia, ut huic numero Deus nihil addere aut detrahere potuerit. Non is est S. doctoris sensus; id tantum vult, sapientissima Dei providentia constitutum, ut quatuor essent Evangelia, nec plura, nec pauciora. Cujus quidem providentiæ multas affert rationes, petitas a quatuor mundi regionibus et cardinibus, quatuor ventis principalibus, quatuor præcipuis, quibus ædificium quodque fulcitur, columnis, quatuor Ezechielis animalibus, etc., mysticas certe rationes, non demonstrationes, quibus probare contendat rem ita fieri debuisse, nec aliter potuisse (tam absurda cogitatio mentem Irenæi subire nusquam potuit), sed quibus rem jam factam explicet, ostendatque sapientissimo Dei consilio ordinatam fuisse. Eo autem vergebat tota Irenæi oratio, ut insanam Gnosticorum audaciam castigaret, qui Evangeliorum numerum, nulla habita ratione Dei consiliorum, quorum sapientiam tam multa probant, arbitrio suo augebant vel minuebant. *His igitur sic se habentibus*, inquit [41], *vani omnes, et inducti, et insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii, et vel plures quam dictæ sunt vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii; quidam, ut plus videantur, quam est veritatis adinvenisse; quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei.* Vanos etiam et indoctos dicere liceat eos qui, ut Gallasius et Scultetus, Irenæi mentem ne minimum quidem assecuti, quas de numero Evangeliorum mysticas profert rationes, ceu futiles et infirmas aspernantur. Næ! fastidii delicatissimi homines, quos ejus rei satietas cepit, quæ Anastasio Sinaitæ [42], Germano Constantinopolitano [43], Hieronymo [44], aliisque pluribus adeo probata fuit, ut primi totum hunc Irenæi locum exscripserint, cæteri rationes amplexi fuerint. Præstat, ut Irenæi verbis utar, cum hujusmodi *idiotis religiosis* desipere, quam cum *blasphemis et impudentibus sophistis* sapere.

7. De aliis Novi Testamenti partibus hæc tantum observanda veniunt, in omnibus, quæ exstant, Irenæi scriptis nullam Epistolæ D. Pauli ad Philemonem mentionem occurrere; quod non adeo mirum, quia totum hujus Epistolæ argumentum nihil ad Irenæi scopum faciebat. Ad Epistolam vero ad Hebræos interdum alludit, nec ipsa tamen, nec auctore ejus nominatim citatis [45]. Sic lib. II, cap. 30, n. 9, ait, solum Deum Patrem omnia fecisse *Verbo virtutis suæ;* quibus alludit ad illud Hebr. I, 3, *portans omnia Verbo virtutis suæ.* Et lib. IV, c. 11, n. 4, dicit *munditias exteriores* Legis *in figuram futurorum traditas fuisse, velut umbræ cujusdam descriptionem faciente Lege:* quæ desumpta videntur ex illo Hebr. X, 1: *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Nec

[37] Lib. V, c. 2, 6. [38] Ibid., c. 8. [39] C. 1, n. 1. [40] Ibid., c. 11, n. 7. [41] Ibid., n. 8. [42] Q. 144. [43] Theor. rerum Eccles., tom. II Auctar. Bibliot. PP [44] Prol. in Matth. [45] Cap. VII, 14.

Digitized by Google

aliter citat Epistolas Catholicas Jacobi et Judæ, et secundam Petri, nisi verba quædam suis inserendo, tacendo locum et auctorem unde deprompta sunt, ut ei constabit qui loca in Indice designata consulere dignabitur. Secus dicendum de Epistola secunda Joannis, quam ut Epistolam *Joannis discipuli Domini* agnoscit et allegat lib. I, c. 16, n. 3, et lib. III, c. 16, n. 8. Apocalypsim etiam Joanni discipulo Domini nominatim ascribit, et sub ejus nomine citat lib. IV, c. 20, n. 11; lib. V, c. 35, n. 2, et alibi. Illud etiam non omittendum, quod Hermæ *Pastorem* velut Canonicam Scripturam laudet Irenæus lib. IV, c. 20, n. 2. *Bene ergo*, inquit, *pronuntiavit scriptura, quæ dicit : Primo omnium crede, quoniam unus est Deus*, etc., quæ verba desumuntur ex lib. II *Pastoris*, Mand. I. Sed eodem modo citavere plures alii Patres Græci, quorum testimonia collegit doctissimus Cotelerius, librisque *Pastoris* a se editis præmisit. Latinis vero tanti non fuit iste Hermæ *Pastor :* unde postea ab omnibus Ecclesiis e numero librorum sacrorum expunctus est.

8. Inter omnes, quibus usa est Ecclesia, sacræ Scripturæ versiones, nulla Irenæo venerabilior visa est ea quæ dicitur Septuaginta Interpretum. Hanc ipsi fonti Hebræo auctoritate pene parem existimavit, utpote quam *per aspirationem Dei* factam credidit. In eam vero sententiam abiit, quod Septuaginta, qui dicuntur, Interpretes, quasi prophetas habuerit, qui afflante atque dirigente Spiritu sancto versionem suam concinnaverint. Censet igitur Irenæus, *Ptolemæum Lagi filium*, cum eam, quam Alexandriæ construxerat, bibliothecam omnigenis codicibus ornare in votis haberet, misisse legatos qui a Hierosolymitis tum *Scripturas eorum*, tum Hebraici et Græci sermonis peritos exposcerent, qui easdem ex Hebræo in Græcum converterent. Hierosolymitæ, qui tum Macedonibus parebant, regi morem gerentes, delectos septuaginta seniores, Scripturarum et utriusque linguæ peritiores, miserunt. Veritus Ptolemæus ne interpretes ex compacto Scripturarum arcana prodere nolentes, fucum spuria et adulterina interpretatione facerent, *separans eos ab invicem, jussit omnes eamdem interpretari Scripturam; et hoc in omnibus libris fecit;* id est, jussit ut omnes simul eumdem Scripturæ librum interpretarentur. *Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemæum, et comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, et Scripturæ vere divinæ creditæ sunt, omnibus eadem, et eisdem verbis, et eisdem nominibus, recitantibus ab initio usque ad finem : uti et præsentes gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ.* Ut autem res habeat fidem, addit Irenæus nihil mirum esse, si idem Deus qui olim Esdræ Scripturas sacras instauranti aspiravit, aspiraverit et LXX Interpretibus easdem in Græcum sermonem convertentibus. Corruptis siquidem Babylonicæ captivitatis tempore Scripturis, Deum, ea demum soluta, Judæisque in patriam reducibus, *temporibus Artaxerxis Persarum regis, inspirasse Esdræ sacerdoti tribus Levi* veterum prophetarum *sermones omnes* instaurare, *et restituere populo eam legem, quæ data est per Moysen.* Ex quibus omnibus concludit (qui scopus erat), *vere impudoratos et audaces* esse hæreticos, qui, ut hæresim suam Scripturarum auctoritate muniant, alias, præter antiquissimam illam, quæ miris adeo modis facta est, Scripturæ interpretationes proferre audent : apostolos enim, hæreticis omnibus vetustiores, *consonare prædictæ interpretationi, et interpretationem consonare* [CX] *apostolorum traditioni*; cum hi *prophetica omnia ita annuntiaverint, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* Sic argumentabatur Irenæus, ut probaret hæc Isaiæ verba [49], *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, a Theodotione et Aquila corrupta esse, dum vocem עלמה, *Virgo*, verterunt νεᾶνις, *adolescentula*; ne scilicet ex eo Isaiæ loco inferretur Christum ex Virgine natum esse.

9. Vulgatam versionis LXX Interpretum historiam hic examinare nostri non est instituti : cum maxime id actum sit a pluribus, iisque doctissimis hominibus. Pauca duntaxat circa Irenæi nostri narrationem observare sufficiat. Primo non Irenæum solum tanti fecisse versionem LXX Interpretum : eodem in honore fuit apud omnes quatuor priorum sæculorum Patres, apud quos obtinuerat ea sententia, Interpretes prophetarum vices et officia peregisse. Fons autem ex quo profluxit communis ea veterum existimatio, fuit Aristææ historia, sive vera, sive falsa; testis, ut ipse credi amat, oculati, quam Josephus lib. XII *Antiquitatum*, cap. 2, et Philo lib. II *De vita Mosis*, compendio retulerunt, quamque omnes, tum veteres Judæi, tum priores Christiani unanimi consensu receperunt; tum pervagata opinio, Septuaginta Interpretes in totidem cellulis a Ptolemæo inclusos, sic a Deo inspiratos fuisse, ut collatis inter se versionibus singulis, omnes in iisdem sententiis, verbis et nominibus convenisse reperti fuerint. Hujus quidem circumstantiæ non meminit Aristæas : primus ante Irenæum meminit Justinus Martyr in *Exhortatione ad gentes;* uterque vero traditam accepit partim a Philone, partim a cæteris Judæis, quibus Aristææ historiam novis miraculis ornare placuit. 2° Ptolemæum illum, quo regnante atque jubente, ex Hebræo in Græcum sermonem conversæ sunt Scripturæ, fuisse, ex Irenæi sententia, non Philadelphum, ut sentiunt Aristæas, Josephus, Philo, Tertullianus in *Apologetico*, et alii plerique e Patribus, sed Lagi filium; quæ et eadem sententia fuit Clementis Alexandrini lib. I *Strom.*, pag. 341 et seqq. Gravibus quidem hæc premitur difficultatibus, vixque ac ne vix quidem cum historia Aristææ, ubi huic semel sua constiterit auctoritas, conciliari poterit. Conciliare tamen utcunque student, qui Anatolio episcopo Laodicæno duce, cujus fragmentum recitat Euse-

Digitized by Google

bius lib. VII *Hist.*, c. 32, putant, versionem LXX Interpretum, si non factam, saltem decretam fuisse, legationemque ad Judæos, comparandorum sacrorum codicum causa, missam eo tempore, quo Ptolemæus filius Lagi Philadelphum filium in regni societatem asciverat; adeo ut utrique ascribi potuerit. Sed vereor ut hanc conciliandi rationem admittat Aristæas. Nodum, meo quidem judicio secant, qui excussa auctoritate Aristææ illius, censent, ut certum sit Scripturas Ptolemæo sive Lagi, sive Philadelpho, forte etiam utroque regnante atque jubente, in Græcum conversas fuisse a selectis quibusdam peritisque Judæis, cætera omnia ab Aristæa, Judæo Hellenista, aliisque recentioribus Judæis, pro gentis genio, ut res admirationem haberet, conficta fuisse. Sed hæc ad criticos remittimus: satis est nobis si vanæ credulitatis argui non possit Irenæus; utpote qui sententiam amplexus fuerit, quam suo tempore, re nondum ad criticæ leges exacta, Christiani omnes eo fidentius tuebantur, quo Judæis tunc temporis versioni LXX Interpretum, quæ Ecclesiæ Christianæ arma contra eos ministrabat, maligne detrahentibus, sanctis Patribus in suspicionem venire non poterat Aristææ librum a Judæo fuisse confictum. 3° Non modicam apud Christianos auctoritatem versioni τῶν Ο' conciliavit ea persuasio, Christum Dominum in citandis Veteris Instrumenti testimoniis, neglecto Hebraico textu, solius dictæ versionis rationem habuisse. Sic quidem sensere plures e Patribus: non tamen Irenæus. Saltem id e verbis ejus erui posse non putem, ut in notis ad hunc locum ostendi. Ex eo tantum auctoritatem huic versioni conciliare videtur (quod genuinum auctoritatis ejus fundamentum est), quod in omnibus, quæ protulerunt apostoli. Veteris Instrumenti testimoniis, nihil occurrat quod versioni τῶν Ο' repugnet: imo *consonent* apostolica omnia *prædictæ interpretationi, et interpretatio consonet apostolicæ prædicationi; propheticaque omnia ita annuntiaverint apostoli, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* Quod quidem argumentum ut valeat, necesse non est ea omnia, quæ ab apostolis prolata sunt, testimonia Græcis τῶν Ο' respondere; sed horum satis probata manet sinceritas et fides, si cum apostolicis quoad sensum conveniant. 4° Sentire videtur Irenæus, non Pentateuchum duntaxat, sed et canonicas omnes Judæorum Scripturas in Græcum sermonem, Ptolemæi regis jussu, conversas fuisse. Utitur enim semper voce indefinita, *Scripturas*, nec quidquam addit quod eam ad Pentateuchum coerceat. Imo quod scribit, tum Ptolemæum *petiisse a Hierosolymitis interpretatas habere Scripturas eorum*; tum eumdem *separatis ab invicem* interpretibus *jussisse, ut omnes eamdem interpretarentur Scripturam; hocque in omnibus libris fecisse*: satis indicat libros omnes, qui Judæis sacri essent, conversos fuisse. Cum enim existimaret Irenæus, Ptolemæum bibliothecam suam *omnium hominum dignis conscriptionibus ornare cupiisse*, credere consequenter debuit, neglecta ab eo non fuisse prophetarum oracula; *dignas* certe *conscriptiones*, quæ et ipsæ bibliothecam regiam ornarent. Denique si, Irenæo teste, *prophetica omnia ita annuntiaverunt apostoli quemadmodum Seniorum interpretatio continet*: ergo *prophetica omnia*, non solum Pentateuchum, interpretati sunt Seniores, ex auctoris nostri sententia, quæ et eadem fuit Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, et aliorum. 5° Demum, quod cum pluribus ex mox laudatis Patribus censet Irenæus, corruptas fuisse, tempore captivitatis Babylonicæ, Scripturas sacras, et ab Esdra postmodum aspirante Spiritu sancto instauratas, haustum videtur, ut jam dixi, ex apocrypho libro IV Esdræ, cap. 14, ubi narrat auctor, quinque viros, Esdra, quæ sibi revelata erant, dictante, plures scripsisse libros. Ut ut sit, ex verbis Irenæi inferri posse non putem, Scripturas tempore captivitatis prorsus interiisse. Non enim ait deperditas fuisse Scripturas, sed *corruptas;* nec easdem, Deo Esdræ afflante, de integro suscitatas in lucem iterum prodiisse; sed Deum inspirasse Esdræ sacerdoti, τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωϋσέως νομοθεσίαν, *veterum prophetarum sermones omnes in ordinem digerere, et restituere populo eam legem quæ data est per Moysen.* Id igitur vult duntaxat Irenæus, corruptas tum ignorantia, tum negligentia Judæorum Scripturas; ab Esdra, Deo inspirante, recensitas, [CXI] atque recognitas, a mendis quæ irrepserant, purgatas fuisse; confusosque et perturbato ordine jacentes prophetarum libros, in pristinum ordinem digestos fuisse, ac denique legem longa oblivione veluti sepultam, de novo promulgatam et propositam populo fuisse. Sic Irenæus a communi cæterorum Patrum atque interpretum sententia non recedit.

10. Duarum aliarum Veteris Testamenti versionum meminit eodem loco Irenæus, Theodotionis videlicet Ephesii, et Aquilæ Pontici, utriusque Judæi proselyti; sed obiter tantum, et occasione illius Isaiæ testimonii: *Ecce virgo concipiet*, quem ab illis corruptum prava interpretatione merito conqueritur. Et hinc accepta occasione, versionis LXX Interpretum fidem et auctoritatem commendat, eo modo quo diximus, eamque cæteris omnibus longe præfert. Hanc in citandis Veteris Testamenti locis plerumque sequitur. Si vero interdum ab ea discedere videatur, triplex hujus rei causa afferri potest: 1ª Quod aliquando non ex codice, sed ex memoria citet; idque ex eo patet quod eadem testimonia diversis in locis sæpe proferens, non tamen eodem modo semper scribat, sed hic verbis quibusdam aucta, illic decurtata, prout memoria suggerebat et occasio ferebat. 2ª Quod non omnes τῶν Ο' codices secum invicem in omnibus consentirent. Quanta inter eos codices, Origenis ætate, diversitas intercesset, quamque desudandum Origeni fuerit, ut eos

Digitized by Google

secum invicem conciliaret, vel iis resectis quæ negligentia vel audacia librariorum perperam addita fuerant, vel iis additis quæ male omissa fuerant, docet ipse t. xv *Commentar. in Matthæum.* Cum igitur non iidem essent ubique versionis τῶν Ο' codices, non mirum si ea, quæ ex ea profert Irenæus, non semper cum nostris exacte conveniant. Qui enim supersunt nobis, pauciores numero sunt; longe plures Irenæi ætate circumferebantur; qui si adhuc exstarent, certius de iis, quibus usus est, judicare possemus. 3ª Quod Latinus Irenæi interpres ea, quæ S. doctor Scripturæ testimonia allegat, interdum vel minus accurate verterit, vel non ex ipso Græco verterit, sed labori parcens, prout ea in vulgatis Latinorum versionibus legebantur, Irenæi textui inseruerit. Eædemque rationes valent, non pro Veteris duntaxat, sed et pro Novi Testamenti locis quæ citavit Irenæus. Nec enim ea semper ex codice protulit, sed interdum ex memoria; nec minor fuit inter Novi quam inter Veteris Testamenti codices diversitas, ut sæpe conquestus est Hieronymus, et satis patet ex iis omnibus Græcis, qui etiamnum supersunt: nec minor fuit in iis vertendis Irenæi interpretis incuria. Hæc ex eo potissimum deprehenditur, quod veterem vulgatam Italicam versionem ad verbum non raro sequatur, ut pluribus in locis observavi. Nihil vero necesse est moneam, tantam nusquam exstitisse varietatem inter omnes sive Veteris, sive Novi Testamenti codices, quibus usa est Ecclesia, quosque legit Irenæus, ut quidpiam dispendii pertulerit sensus: res ipsa per se loquitur, et ei qui loca omnia sive ab auctore nostro, sive a veteribus Patribus allegata cum hodiernis nostris sacræ Scripturæ exemplaribus conferre voluerit, palam illico fiet totum discrimen in verbis quibusdam, illæso semper manente sensu, hærere. Id tantum ex hactenus dictis colligi velim, vix quidquam certi statui posse de iis, quibus usus est Irenæus, Novi præsertim Testamenti codicibus: adeo ut ex iis quæ allegat Scripturæ locis, ut quid certum et indubitatum concludi non possit, sic vel sic omnino habuisse Irenæi codices; sed ejusmodi argumenta sobrie proponenda sint, et intra conjecturarum limites manere debeant. Ad hæc si attendisset cl. Grabius, non ita fidenter pronuntiasset, hæc vel illa exstitisse in veteribus Ecclesiæ codicibus, vel ab iis abfuisse. Quisquis prudens est, et in lectione Patrum tantillum versatus, abstinet ab ejusmodi judiciis, ne temeritatis notam incurrat.

ARTICULUS II.

De Scripturarum perspicuitate et obscuritate.

11. Claras et perspicuas esse Scripturas sacras, earumque sensum cuilibet attento et studioso lectori facilem et obvium esse, vulgatus Protestantium error est, quem mirum, si Irenæo tantæ auctoritatis Patri non affinxissent. Hunc quamvis in notis suis paulo parcius insinuet cl. Grabius, in Indice generali ad vocem *Scriptura* sollicitius inculcat. *Scriptura sacra*, inquit, *omnia quæ scire debemus, aperte et citra parabolarum involucrum proponit. Judæis cum legitur, obscura et fabulæ similis, Christianis vero perspicua.* Sed si ea quæ ibi indicantur loca conferas, miraberis nihil minus, quam quod spondet Index, occurrere. Nec accuratior, ne dicam sincerior, fuit vir cl. in notula, quam lib. II, cap. 46, suæ editionis pag. 172 (nostræ vero cap. 27, n. 2, p. 155), subtexuit. Nimirum occasione istorum Irenæi verborum: *Cum itaque universæ Scripturæ, et Prophetiæ, et Evangelia, in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint*, etc., tam scite quam vere sic monuerat Fenardentius: *Non vult*, ait, *omnes Scripturas adeo apertas, et cuivis obvias esse, ut nulla sit in eis obscuritas; cum hoc alibi frequenter affirmet*, etc. *Sed eas adeo perspicue et constanter unum et solum Deum mundi creatorem et rectorem prædicare, ut nemo, qui his attenderit, ignorare possit.* Recte omnino. Subjungit vero Grabius: *Attamen præcedenti pagina* aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus in Scripturis posita *dicit universe*, quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ, *prout ibidem loquitur: id est, quæ Deus a nobis sciri, vel credi voluit.* Verum quidem est Irenæum initio capitis asserere, quædam *esse aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita in Scripturis;* sed hanc Irenæi propositionem universalem esse, hacque S. doctorem complecti voluisse ea omnia *quæ Deus a nobis sciri, vel credi voluit*, Grabii commentaria sunt cum ipso textu e diametro pugnantia. Nimirum postquam Irenæus capite præcedenti insanam Gnosticorum curiositatem redarguit, qui Scripturas temere scrutati, insulsisque de Deo rebusque divinis quæstionibus atque commentationibus delectati, vano scientiæ nomine superbius efferebantur: tum initio capitis sequentis (in quo demonstrandum sibi proponit, ex parabolis, quibus multiplex subesse potest sensus, obscura explicanda non esse, sed ex iis quæ clare et aperte posita sunt in [CXII] Scripturis) subjungit, *sensum sanum, et qui sine periculo est, et religiosum, et amantem verum, quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus,*

Digitized by Google

et subdidit nostræ scientiæ, hæc prompte meditari, et in ipsis proficere, diuturno studio facilem scientiam eorum efficientem. Quænam vero ea sint, *quæ dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ*, statim indicat: *Sunt autem hæc*, addit, *quæ ante oculos nostros occurrunt, et quæcunque aperte, et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis.* An vero, quisquis ita loquitur, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus in Scripturis posita dicit universe, quæ dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ; id est, quæ Deus a nobis sciri vel credi voluit? Lippis oculis Irenæum legerit, qui sic concludat. Id vult S. doctor, quædam esse, quorum investigationem permisit nobis Deus, quæque subdidit nostræ scientiæ; ea vero esse 1° *Quæ ante oculos nostros occurrunt*, res naturales videlicet; non certe ea omnia, quæ in Scripturis habentur, utpote quæ ante oculos nostros occurrere, nemo sanæ mentis dixerit. 2° Quæcunque aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis. Ut ergo quæcunque aperte et sine ambiguo posita sunt in Scripturis, scientiæ nostræ atque investigationi permiserit Deus; non hinc tamen, nisi puerili sophismate, concludi potest, ea omnia, quæ Deus a nobis sciri vel credi voluit, aperte et sine ambiguo posita esse in Scripturis. Alias eodem jure concludi posset, ea omnia quæ Deus a nobis sciri, vel credi voluit, *ante oculos nostros occurrere*, id est sub conspectum nostrum cadere; alterum enim ab altero non separat Irenæus; quæ tamen conclusio absurdissima foret. Longe quippe diversæ sunt hæ propositiones: *Quæcunque ante oculos nostros occurrunt, et aperte et sine ambiguo in Scripturis posita sunt, ea omnia dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ;* et: *Ea omnia quæ Deus a nobis sciri vel credi voluit, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis.* Prima propositio Irenæi est; secunda Grabii solius, non certe S. doctoris.

12. Tantum abest hic dicat, ea omnia, quæ in Scripturis habentur, aperte et sine ambiguo, ipsis dictionibus posita esse; quin potius, postquam ostendit ex parabolis obscuris clara et perspicua Scripturæ verba explicanda non esse, subjungit, stultum esse et absurdum, *quæ non aperte dicta sunt* in Scripturis, *neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque, prout vult, adinvenit.* Igitur præter parabolas, quibus multiplex subesse potest sensus, alia in Scripturis occurrunt, *quæ non aperte dicta sunt*; obscura proinde, nec unicuique facile pervia, sed quæ explicatione et interprete indigeant. Ea vero licet obscura, si non a nobis sciri, certe credi Deus voluit. Si autem ab Irenæo quæras, quænam ea sint quæ aperte et sine ambiguo posita sint in Scripturis, respondebit: non *universe*, ut perperam fingit Grabius, sed singulariter, et quantum ad argumentum præsens pertinebat, unum esse et solum Deum, mundi conditorem et rectorem. Cum itaque, inquit, *universæ Scripturæ, et Prophetiæ, et Evangelia in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt, unum et solum Deum, ad excludendos alios, prædicent omnia fecisse per Verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia*, etc., *et ipsa autem creatura, in qua sumus, per ea quæ in aspectum veniunt, hoc ipsum testante, unum esse, qui eam fecerit et regat: valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos*, etc. Quam multa autem sint in Scripturis obscurissima, quæ explicari a nobis non possunt, fusius docet cap. sequenti, ubi probat plures in iis occurrere difficultates, quæ solvi a nobis non possint, sed quarum solutio Deo soli humili fide committi debeat: Scripturas quidem perfectas esse, utpote a Verbo Dei et Spiritu ejus inspiratas; sed tantis mysteriis abundare, ut ad ea intelligenda revelatione opus sit: adeo siquidem angustos esse mentis nostræ limites, ut in ipsis rebus naturalibus, quarum assiduus nobis est usus, quasque quotidie videmus et contrectamus, cæcutiat. Legi verba apud auctorem possunt n. 2 et 3, longiora siquidem loca sunt, quam ut hic exscribantur. Et lib. IV, cap. 26, n. 1 (quo etiam loco abutitur Grabius), docet, Christum esse thesaurum in Scripturis absconditum, ejusdem Christi adventu et cruce revelatum. Prophetias omnes, *priusquam habeant efficaciam, ænigmata et ambiguitates esse hominibus: cum autem venerit tempus, et evenerit quod prophetatum est, tunc prophetias habere liquidam et certam expositionem. Et propter hoc quidem Judæis, cum legitur Lex in hoc nunc tempore, fabulæ similem esse; non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui est secundum hominem; a Christianis vero cum legitur, thesaurum esse absconsum in agro, cruce vero Christi revelatum esse et explanatum.* Ratio est, quia Christiani habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii. A quo vero habent? [66] Ab *eis qui in Ecclesia sunt presbyteris*, quibus proinde *obaudire oportet, his nimirum qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt.* [67] *Nam ubi charismata Domini sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt; et eam, quæ est in Filium Dei, dilectionem adaugent... et Scripturæ sine periculo nobis exponunt* [68]. *Reliqui*

[66] Lib. IV, n. 2. [67] Ibid., n. 5. [68] Ibid., n. 2.

Digitized by Google

vero qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspecti habendi, vel quasi hæretici et malæ sententiæ; vel quasi scindentes, et elati, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritæ, quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate.

13. Videat jam cl. Grabius utrum hæc Irenæi verba, ad quæ ipse remittit, causæ suæ faveant. Videat utrum ex S. doctoris sententia, Scripturæ adeo perspicuæ sint et apertæ, ut interprete non indigeant. Videat utrum earum interpretatio cujusvis privati hominis judicio permittatur. Videat demum, et serio perpendat, utrum ea societas, vel in qua natus est, vel cui se adjunxit, *tales presbyteros nutriat*, quales hic describit Irenæus, *qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt; qui et apostolorum doctrinam custodiunt; et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa præstant, ad confirmationem et correptionem reliquorum*, etc. *Edat*, ut cum Tertulliano [80] loquar, *origines Ecclesiarum suarum;* [CXIII] *evolvat ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Confingat* quidquid libuerit; si candide et sincere agere voluerit, cum devenerit ad Matthæum Parkerum in Anglia, Lutherum in Germania, Calvinum in Gallia, aliosque ejusmodi recentiores sectarum duces et conditores; deprehendet eos successionem apostolicam vel ludicra et sacrilega ordinatione invertisse, vel spreta omni ordinatione funditus evertisse. Sed de his po

ARTICULUS III.

De Traditionis auctoritate et fundamento.

14. Scripturas quidem sacras Dei sermones esse, et regulam veritatis certam et immutabilem, cui nihil addere vel detrahere liceat, rectissime docet Irenæus [81]. Iis tamen omnia Dei verba expresse non contineri, sed apostolos, ut Christi legatos atque præcones, plura docuisse, quæ scriptis haudquaquam consignarunt, non minus aperte prædicat [82]. Traditionis siquidem auctoritate impugnaturus hæreticos, jam ab initio libri tertii [83] ostendit, eam esse impiorum hominum proteriam, ut *cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertantur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem; non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem... Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesia custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem .. Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.* Ex quibus hæc liquido sequuntur, 1° ipsos omnium hæreticorum pessimos agnovisse et confessos fuisse, *Scripturas varie dictas esse*, id est interdum obscuras esse, variosque iis subesse sensus. 2° Obscurorum locorum sensum a traditione petendum esse, non ea, quæ *per litteras tradita sit, sed per vivam vocem.* Hæc non reprehendit Irenæus, imo in sequentibus probat, ut mox videbitur. 3° Traditionem latius patere Scripturis, et ab iis distingui, utpote quæ earum sit interpres; quod et hæc Irenæi conclusio demonstrat: *Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.* Et postquam de traditione apostolica fusius disseruit, jam argumento finem imponens, et ad illud, quod e Scripturis petitum cœperat, reversurus, sic caput 5 orditur: *Traditione igitur, quæ est ab apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis ostensionem, eorum qui Evangelium conscripserunt, apostolorum*, etc. Ubi traditionem apostolorum ab eorum scriptis perspicue distinguit. Sed non possum quin hic obiter malam Gallasii fidem castigem, qui cum clara hæc Irenæi verba adulterare in textu non potuisset, ea in summulis suis corrumpere ausus est, *Traditio*, inquit, *apostolorum convenit cum eorum scriptis, ad quæ semper est nobis redeundum.* An is sit Irenæi verborum sensus, judicet quisquis oculos habet, nec deinceps ejusmodi novarum editionum auctoribus fidat. Illud igitur Irenæi ævo certum erat, non satis esse ad catholicam fidem, ut quis Scripturis consentiret, nisi insuper consentiret et traditioni, ei *quæ per vivam vocem, non per litteras tradita* fuit ab apostolis, quæque *per successiones presbyterorum*, id est episcoporum, *in Ecclesia custoditur.* Et hinc etiam in confesso erat apud omnes, non Scripturas tantum, sed traditionem etiam, regulam esse fidei nostræ; neque enim ad Scripturas duntaxat *provocabantur* hæretici, uti provocari vellent recentiores heterodoxi, sed et ad traditionem, tanquam ad certissimam Christianæ

[80] De præscrip. [81] Lib. IV, c. 35, n. 4. [82] Lib. V, cap. 30, n. 2. [83] C. 2.

Digitized by Google

et catholicæ veritatis regulam : hacque *confundebantur*, ut ait auctor noster capite sequenti, *omnes ii, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligebant*. Si qui autem traditioni non consentirent, *adversus eos certamen erat, et undique resistendum esse illis* censebant Ecclesiæ Patres.

15. Cur vero tanta esse in traditione, ad catholicam fidem tuendam, momenta vellent SS. doctores, ratio, ex Irenæo, in promptu est : quia *traditio est ab apostolis*. Nimirum, non omnia quæ docuerunt apostoli, hæc scriptis mandarunt, sed plura vivæ vocis oraculo tradiderunt, iis maxime quibus Ecclesias committebant; quæ per successiones episcoporum pervenerunt usque ad nos. *Traditionem itaque apostolorum*, inquit cap. 3, n. 1, *in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quæ seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.* Firmissimum itaque et ineluctabile illud argumentum est. Cum dogma quidpiam in Ecclesia proponitur, quod Scripturis aut fulciri aut impugnari satis non potest, illud ad Ecclesiarum traditionem exigendum est; si cum ea consentiat, id apostolis ipsis acceptum referendum est; si dissentiat, illico rejiciendum et damnandum. Cum enim Ecclesiæ omnes vel ab apostolis ipsis, vel ab eorum discipulis aut successoribus fundatæ sint; qui primi ad eas Ecclesias regendas ordinati sunt episcopi, eorum omnium quæ a Christo tradita et accepta docuerant, vel explicuerant apostoli, notitia probe instructi accesserunt : *valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse* apostoli, *quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes*. Ii vero apostolorum successores quæ ab apostolis acceperunt, suis vicissim successoribus tradiderunt et crediderunt, hi aliis, donec *per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos traditionem* et doctrinam apostolicam ipsi acceperimus. Ex quibus evidenter patet, eam quam Irenæus, aliique SS. Patres traditionem apostolorum dicunt, ipsissimam esse apostolorum doctrinam, quam viva voce tum Ecclesiis a se fundatis, [CXIV] tum iis quos instituerunt episcopis, tradiderunt et crediderunt; hanc enim, ut jam dixi, Irenæus a Scripturis aperte distinguit. Non minoris proinde auctoritatis est, quam ipsa apostolica scripta, cum utraque Dei et Christi ipsius sermones sint. Nam sive viva voce, sive scripto docuerint apostoli quidpiam, quod ad fidem aut mores necessario pertineat, Christi doctrina est, et a Christo revelata et accepta, quam afflante atque dirigente Spiritu sancto tradiderunt : Dei proinde verbum est, Deo ipsi acceptum referendum. Eapropter traditionem primis libri tertii capitibus [53], et alibi sæpe, tam sollicite opponit hæreticis auctor noster, meritoque tantum illius pondus esse vult, ut hoc obruantur quicunque male sentiunt. Eapropter hæreticis traditionem aut contemnentibus aut violantibus undique resistendum, eosque ut *fures et latrones* devitandos esse monet. *Oportet*, inquit, *devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem*. Eapropter denique tantum traditioni tribuit, ut *si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, oporteret* tamen *ordinem sequi traditionis*, quam *tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias*. Quod adeo verum est, addit [54], ut *huic ordinationi assentiant multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento* (id est sine scripturis) *scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes, fabricatorem cœli et terræ*, etc. *Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt; quantum autem ad sententiam et consuetudinem, et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia*. Ad hanc unam traditionis normam barbari illi exigentes quæcunque nova ab hæreticis proponerentur, *statim concludentes aures suas, longe longius fugerent, nec audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque hæreticorum portentilcquium est*. En quæ et quanta priscis Ecclesiæ Patribus, apostolicisque viris, traditionis auctoritas erat.

16. Medium autem, ac veluti canalis, quo traditio apostolica ad nos usque fluxit intemerata, successio episcoporum est legitime in Ecclesia catholica ordinatorum. Neque enim quemquam Ecclesiis præfecerunt præficique permiserunt apostoli, nisi prius ea omnia, quæ ad fidem et mores necessario pertinent, apprime calleret, eorumque omnium quæ credenda et agenda Ecclesiæ proposuerant, notitia solerter imbutus fuisset : ut nimirum eamdem notitiam posteris transmitteret. Et hinc eam episcoporum successionem tam acriter tamque frequenter urget adversus hæreticos Irenæus; ratus videlicet, nihil efficacius esse ad retundendam omnem hæreticam pervicaciam. *Non enim*, inquit [55], *oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere : cum apostoli, quasi in*

[53] C. 3, n. 2; c. 2, n. 3; c. 4, n. 1. [54] N. 2. [55] N. 1.

Digitized by Google

depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis; ut omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Porro *depositorii* illius *divitis, in quod plenissime contulerunt* apostoli *omnia quæ sunt veritatis*, custodes sunt ii, quos Deus ipse in Ecclesia sua constituit *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* episcopi videlicet, qui per legitimam impositionem manuum ab apostolis eorumque successoribus in Ecclesia catholica ordinati et consecrati sunt. Propterea, ait auctor noster, *si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, et re liquidum est?* Ratio est quia non tantum in antiquissimis illis Ecclesiis conversati sunt apostoli, et *plenissime in eas contulerunt omnia quæ sunt veritatis* [56]; sed et iisdem præfecerunt episcopos, qui sibi in earum regimine succederent; quos cum valde perfectos, et irreprehensibiles in omnibus vellent esse; si recondita mysteria scissent, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant.

17. Merito igitur ad episcoporum successionem provocat hæreticos Irenæus, quia illa successio certissimum est, indubitatum, omnibusque manifestum apostolicæ traditionis atque doctrinæ argumentum; hæc per illam dignoscitur, vera a falsa secernitur, sinceraque et intemerata ad nos usque transmittitur. *Traditionem itaque apostolorum*, inquit, *in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre.* Cur ita? Quia, addit, *habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis*, traditionis illius custodes atque dispensatores, *et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab hæreticis deliratur.* Quia vero *longum esset*, ut ipse ait [57], *omnium Ecclesiarum enumerare successiones;* satis esse, idque jure merito, putat, si præcipuarum ac celebriorum, ac in primis *maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, et a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, ea, quam habet ab apostolis, traditio, et annuntiata hominibus fides, per successiones episcoporum perveniens usque ad nos, indicetur*, ut confundantur *omnes, qui quoquo modo præterquam oportet colligunt*, id est, præter jus fasque conventus agunt. In ea quippe Ecclesia *semper conservata est ea, quæ est ab apostolis, traditio.* Quod subinde probat ex continua Romanorum episcoporum a Petro ad Eleutherum usque, qui suo tempore Romanam Ecclesiam regebat, successione; qua enumerata, concludit [58]: *Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab apostolis, in Ecclesia traditio, et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc, sit conservata et tradita in veritate.*

18. Romanæ Ecclesiæ traditioni subjungit [59] traditionem Asianarum Ecclesiarum, Smyrnensis inprimis et Ephesinæ, quam pariter probat ex successione episcoporum. *In ea* siquidem, *quæ est Smyrnis, Ecclesia Polycarpus, ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, ab apostolis in Asia constitutus episcopus, hæc docuit semper quæ ab apostolis didicerat, quæ et Ecclesiæ tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia, Ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo... Sed et quæ est Ephesi Ecclesia, a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus apostolorum traditionis.* Et hinc rectissime concludit [60], *eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportere, his qui successionem habent ab apostolis; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris* [CXV] *acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos et malæ sententiæ; vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes.* Et [61], *apud eos discere oportere veritatem, apud quos est ea, quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. His enim et eam, quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt; et eam, quæ est in Filium Dei, dilectionem adaugent; qui tantas dispositiones propter nos fecit: et Scripturas sine periculo nobis exponunt.* Hinc denique merito infert [62], per *successiones episcoporum, quibus apostoli eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, pervenisse usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractationem plenissimam, neque additamentum, neque ablationem recipientem; et lectionem sine falsatione; et secundum Scripturas expositionem legitimam, et diligentem, et sine periculo, et sine blasphemia; et præcipuum dilectionis munus*, etc.

19. Ex iis omnibus sequitur, legitimam episcoporum successionem certissimum esse argumentum, quo demonstratur traditionem apostolicam puram et illibatam semper in Ecclesia conservatam fuisse; eamque intemeratam, per episcopos, qui sibi invicem ab apostolorum temporibus ad nostra usque successerunt, ad nos pervenisse; si modo episcopi legitime et secundum Ecclesiæ leges ordinati sint, et ab unitate Ecclesiæ non defecerint. Nam, ut ait auctor noster [63], vera apostolorum traditio atque doctrina, *Dei munus est Ecclesiæ*

[56] Lib. III, cap. 3, n. 1. [57] N. 2. [58] N. 3, [59] N. 4. [60] Iren., lib. IV, c. 26, n. 2. [61] N. 5. [62] Cap. 33, n. 8. [63] Lib. III, c. 24, n. 1.

Digitized by Google

creditum, quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur. Et ut jam ex eodem Irenæo diximus : *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere : cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis.* Quicunque proinde ab unitate Ecclesiæ desciverunt, a divite illo depositorio Spiritus Dei et veritatis alieni, in ejus partem non veniunt[64]. Ratio est, quia ex quo episcopus aliquis, licet secundum Ecclesiæ catholicæ ritum ordinatus, et successionis ordinem tenens, ab unitate recessit; si in errorem labatur, jam media omnia, quibus ab eodem revocetur, sibi ipse ademit. Potissimum est ad aliarum Ecclesiarum, Romanæ inprimis, quæ centrum est unitatis, traditiones privatam sententiam exigere, et ab eis legitimum Scripturarum sensum petere. Si ergo eas audire renuerit, omnem sibi dubio procul ad veritatem aditum interclusit.

20. Sequitur deinde, in ea sola Ecclesia *conservatam esse eam, quæ est ab apostolis, traditionem,* seu ab iis solis presbyteris *discendam esse veritatem,* ab iis solis *fidem nostram custodiri, et Scripturas sine periculo nobis exponi;* per eos solos *pervenisse usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractationem plenissimam, neque additamentum, neque ablationem recipientem, et lectionem sine falsatione, et secundum Scripturas expositionem legitimam, et diligentem et sine periculo, et sine blasphemia, apud quos est ea, quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio ;* utpote *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt.* Reliquos vero omnes, *qui absistunt a principali successione, et quocunque loco* extra eam Ecclesiam, in qua servatur principalis ea successio, *colligunt,* seu conventus agunt, *suspectos habendos esse;* quippe qui *omnes deciderint a veritate,* quæ in ea sola Ecclesia reperiri potest, in qua successionis apostolicæ ordo reperitur. Porro in sola Ecclesia Romana (quo nomine eas omnes Ecclesias hic intelligo, quæ cum Romana, omnium, Irenæo teste, *maxima, et antiquissima, et omnibus cognita,* unitatisque centro, communionis nexu colligatæ sunt) occurrit legitimus ordo successionis apostolicæ; in eo positus, ut primus cujusque Ecclesiæ episcopus ab apostolis, eorumve discipulis aut successoribus vocatus, ordinatus et constitutus episcopus, missionem ac potestatem acceperit eam Ecclesiam fundandi, regendi, verbi Dei commisso sibi gregi prædicandi, sacramenta administrandi, aliosque ministros tum superiores, tum inferiores ordinandi, qui ministerium ecclesiasticum in Ecclesia perpetuent. Extra Romanam Ecclesiam nullam assignare est ejusmodi legitimam episcoporum successionem, qui missionem ac auctoritatem suam apostolis ipsis per successores intermedios, acceptam referre possint. Frustra igitur extra Romanam Ecclesiam quæsieris eam quæ est ab apostolis traditionem, frustra veritatem, expositionemque Scripturarum legitimam, diligentem, sine periculo et sine blasphemia, etc. Hujus pondere obruere se posse hæreticos omnes ac schismaticos sui temporis merito confidebat Irenæus : eodem posteriores hæreticos oppressere, qui secuti sunt SS. Patres, Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Epiphanius, Augustinus, aliique passim.

21. Quod autem SS. Patribus efficacissimum et ineluctabile visum est ad confundendos omnes sui temporis hæreticos et schismaticos, non minus efficax esse debet ad prosternendos nostri temporis hæreticos, Lutheranos, Calvinianos, aliosque quotquot ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt. Hi quippe cum non minus quam veteres, *a principali successione* abstiterint, hoc ipso non minus quam illi, *decidisse a veritate* convincuntur. Quorum proinde sectæ architectis, ducibus et antesignanis Luthero, Calvino, Zuinglio, aliisque, eodem jure dicere possumus, quo Tertullianus[65] veteribus illis : *Qui estis? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique,* Zuingli, *jure silvam meam cædis? Qua licentia,* Calvine, *fontes meos transvertis? Qua potestate,* Luthere, *limites meos commoves? Mea est possessio : olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres apostolorum. Cupio igitur ostendant mihi.* Lutherus, Calvinus, etc., *ex qua auctoritate prodierunt.... Si* eorum hæreses *audent interserere se ætati apostolicæ... possumus dicere : Edant ergo origines Ecclesiarum suarum : evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt ; sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne collocatum refert : sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit : proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Confingant aliquid tale hæretici* hodierni. Confingere certe non possunt, qui omni apostolicæ successionis ordine susque deque verso, [CXVI] eversa ab imis fundamentis ecclesiastica hierarchia, violata per summum nefas legitima, antiqua et apostolica ordinandi ministros sacros lege, nullaque accepta missione et auctoritate ab iis, qui suam ab apostolis ipsis per legitimam successionem derivabant, assumentes sibi ipsis honorem, nec vocati a Deo tanquam Aaron, ministerium ecclesiasticum usurparunt. Ad quos, æque ad veteres hæreticos, spectant ea ejusdem Tertulliani verba[66] : *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes,*

[64] N. 2. [65] De præsc. [66] Ibid.

Digitized by Google

nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos; nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. Laici siquidem fuere, aut simplices presbyteri, iique apostatæ, ab Ecclesia Romana excommunicati, legitimaque et canonica auctoritate ac potestate destituti, qui prima novæ religionis fundamenta jecerunt, docendique, sacramenta administrandi, aliosque ministros ordinandi munus sibi, fœde conculcatis antiquis omnibus canonibus, arrogarunt: quique, etiamsi episcopi fuissent in Ecclesia catholica canonice ordinati; ex quo tamen ab ea per apostasiam, hæresim et schisma defecissent, legitima, quam accepissent, auctoritate, excidissent; nec proinde alios, quam sibi similes, apostatas videlicet et perditionis filios, non certe veros Ecclesiæ ministros, gignere potuissent.

22. Molestissimum hoc Protestantibus omnibus argumentum, petitum a continua episcoporum, præsertim Romanorum successione, quod fusius prosequi nostri non est instituti, infirmare non uno loco nititur cl. Grabius: *Nunc*, inquit in notis ad cap. 3 libri III, *id argumenti genus minus valet, postquam Romani papæ traditioni ab apostolis acceptæ alios articulos, incertos partim, partim falsos assuerunt; quorum disertam professionem quandiu ab omnibus stricte requirunt, frustra argumentum illud aliis a communione sua divisis opponunt.* Sed si id argumenti genus minus nunc valeat, concludendum ex ipsa Grabii responsione, nunquam valuisse, operamque lusisse veteres Patres, dum illud tam fidenter hæreticis ac schismaticis sui temporis opponunt. Nam si quo jure contendat Grabius, posteriores pontifices Romanos traditioni ab apostolis acceptæ alios articulos, incertos partim, partim falsos assuisse; eodem certe contendere potuerunt veteres hæretici, adulteratam similiter a prioribus pontificibus Romanis fuisse traditionem ab apostolis acceptam. Age, prodeat adversus Irenæum quispiam e Gnosticorum grege, Grabianaque responsione ad infringendam illius argumenti vim utatur: vires jam experiatur Grabius; certus sum Gnosticum vanos hominis conatus irridentem, ab omnibus ejus telis tutum mansurum esse; parum esset nisi iisdem telis adversarium ipsum facile confoderet. Sed quid et quantum contra Gnosticum valeat, si minus experiri Grabio placet, meminerit quam infeliciter hactenus adversus domesticos hæreticos, Socinianos, dimicaverint sui. Vix, ubi de Scripturarum sensu quæstio est, traditionem proferunt, cum hanc solitis Patrum argumentis a continua episcoporum successione petitis munire nec valentes, nec audentes, victi pedem referre statim coguntur. Pndeat igitur cl. Grabium virum alioqui candidum et eruditum vanorum ejusmodi effugiorum, quæ toties, tamque invicte præclusere catholici, quibusque Christiana fides in apertum adducta discrimen perditissimorum quorumque hæreticorum insultationibus facile pateret.

23. Romani papæ, ait ille, traditioni ab apostolis acceptæ alios articulos, incertos partim, partim falsos assuerunt. Cito dictum: sed quam cito et facile asseritur, tam cito et facile negatur. Sed si Grabium urgeas ut dictis fidem astruat, quos, quæso, articulos assignabit? vel falsas catholicæ doctrinæ expositiones, a ministris gratis et per calumniam conflctas, a catholicis vero damnatas; vel quasdam imperitæ plebeculæ superstitiones, a sobriis ac piis quibusque pastoribus improbatas et rejectas; vel privatas theologorum quorumdam opiniones, quibus alii contradicunt; vel articulos qui ad disciplinam, nihil ad fidem attinent; vel si quos proferet articulos, quorum diserta professio ab omnibus stricte requiritur; eos ex continua nec interrupta sæculorum omnium fide ab apostolis ipsis traditos fuisse illico convincetur. Certe mirum esset et portento simile, Romanos pontifices alios articulos tum falsos, tum incertos apostolicæ traditioni admiscuisse, eorumque disertam professionem ab omnibus stricte requisivisse; alias vero Ecclesias, quæ et ipsæ traditionem apostolicam per continuam episcoporum successionem, illibatam apud se conservaverant; et interdum Romanis pontificibus in iis quæ ad disciplinam spectabant, acriter restiterunt, suaque jura peregrinis moribus violari conquestæ fuerunt, fidem tamen et traditionem apostolicam ab iisdem adulteratam conquestas non fuisse, novæque et hactenus inauditæ professionis jugum sibi impositum subire aperte non renuisse. Vix Liberius papa Formulæ Sirmiensi subscripsit, vix Honorius pravis Sergii Constantinopoli artibus delusus, fucum sibi a veteratore illo fieri incautus permisit, cum adversus utrumque universa statim insurrexit Ecclesia, utrumque improbavit et damnavit: nec mitius cum iis egere, qui secuti sunt, Romani pontifices. Qui ergo fieri potuit ut hi deinceps ab avita prædecessorum suorum fide et traditione sic defecerint, ut reclamante nullo, nullo obsistente, totam Ecclesiam secum in ejusdem erroris consensionem et professionem abduxerint? An, inimico homine seminante in agro Christi zizania, sic dormiebant omnes patresfamilias, ut nullus omnino perciperet, nullus evellere zizania niteretur? Ubi igitur Christi promissiones, se nusquam Ecclesiæ suæ defuturum, defecturam nunquam Ecclesiam, nec fore ut adversus eam prævaleant inferni portæ?

24. Sed esto (absit ut concedam), Romana Ecclesia traditionem apostolicam adulteraverit, ejus doctrina ab apostolica defecerit, *si* Protestantes *negant veritatem ejus, debent probare illam quoque hæresim esse eadem forma revictam, qua ipsi revincuntur*, ex traditione et consensu veterum et apostolicarum Ecclesiarum, *et ostendere sima: ubinam*

Digitized by Google

quærenda sit veritas, et ubi vera Christi Ecclesia [66]. Si Romana deserenda fuit, ad aliquam aliam confugiendum fuit, quæ cum apostolica successione traditionem intemeratam conservasset; huic adhærendum, coram ea damnandus, ac rejiciendus [CXVII] error hactenus propugnatus, emittendaque catholicæ fidei professio : hoc enim modo resipiscentes hæretici omni ævo reconciliati sunt, nec aliter reconciliari vera usquam permisit Ecclesia. Jam vero probet Grabius, si possit, Romanæ Ecclesiæ hæresim, ut vocant sui, eadem forma esse revictam, qua ipsi revincuntur : dicat ubinam veritatem et Ecclesiam quæsierint novæ religionis architecti, et ad quam Ecclesiam, a Romana desciscentes, confugerint. Non certe ad Occidentales alias, utpote quæ cum Romana sentirent et communicarent : non ad Orientales, quibuscum nullo communionis nexu juncti usquam fuerunt. Quid ergo? Novam sibi fidem, novam religionem, novam Ecclesiam ipsi a fundamentis exstruxerunt. Immane facinus! cujus atrocitatem prodit ipsa hesternarum pene Ecclesiarum novitas. At, inquit cl. Grabius, in notis ad cap. 26 lib. IV, *ab improbis, ac in conversatione Christiana haud recte se gerentibus recedendum docet Irenæus, atque iis adhærendum, qui cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa præstant.* Verum id quidem; sed dissimulandum non erat improbos illos, ac in conversatione Christiana haud recte se gerentes, eos esse *qui abstiterant a principali successione, et quocunque loco colligebant; hæreticos* videlicet *et malæ sententiæ, scindentes*, seu schismaticos, *et elatos, sibi placentes, et hypocritas, quæstus gratia, et vanæ gloriæ hoc operantes*, qui *omnes a veritate deciderant.* De quibus omnibus postquam sigillatim disseruit Irenæus, ac nominatim de falsis illis pastoribus, *qui creditii quidem sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, et non præponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos, et principalis concessionis tumore elati sunt, et in absconsis agunt mala*; concludit, *ab omnibus talibus absistere oportere; adhærere vero his qui et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa præstant, ad confirmationem et correptionem reliquorum. Ubi vero tales inveniat aliquis*, statim ex apostolo Paulo indicat, in Ecclesia videlicet : *Tales*, ait, *presbyteros nutrit Ecclesia.* Quænam Ecclesia? Ea nimirum in qua *est ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio.* Frustra igitur in alia quavis societate presbyteros, quales descripsit Irenæus, quæras. Frustra proinde apud omnes recentiores sectarios quæsieris; apud quos cum nulli occurrant episcopi ab iis ordinati, qui ordinationem A suam continua successione apostolis ipsis acceptam referunt, non est ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio. Frustra apud ipsam hodiernam Anglicanam Ecclesiam, cui jam se adjungere Grabio placuit, quæsieris. Hæc quidem episcopali ordine et successione gloriatur : sed meram ejusdem umbram et larvam, quæ imperitis fucum faciat, rem certe non tenet. Certum siquidem est, hodiernorum episcoporum Anglorum ordinationem et successionem a Matthæo Parkero, in archiepiscopalem Cantuariensem sedem intruso, tanquam a capite et fonte fluxisse. Tantum igitur valet, quantum valuit Parkeri ordinatio. At ludicram hujus ordinationem fuisse, ab ementito episcopo Joanne Scory (*a*) (quem Eduardi VI temporibus Zwingliani et Puritani B episcopum, secundum novi Ritualis Anglicani formam, ordinaverant), violatis omnibus Ecclesiæ canonibus, spretisque hactenus recepta materia et forma factam, invicte adeo demonstrarunt Catholici; ut eorum argumentis nihil, nisi vanas cavillationes hactenus opponere potuerint heterodoxi. Viderit igitur cl. Grabius, ac serio perpendat, an apud hodiernos Anglicanæ Ecclesiæ ministros sit ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio, certissima veræ Ecclesiæ nota, ac proinde utrum ea Ecclesia apostolorum doctrinam custodire potuerit, sermonemque sanum et conversationem sine offensa exhibere, quæ a principali successione tam procul abstitit. Viderit demum ipse vir doctissimus quid C quæstioni a se propositæ in fine notæ superius citatæ respondendum sit. *Quid vero tunc agendum, quando erroribus, schismatibus, vitiis plena sunt omnia? Id dicere*, inquit, *nec facile, nec hujus loci est.* Imo dicere facillimum erat, chimæram esse e Protestantium cerebro natam; impossibile siquidem esse, erroribus, schismatibus et vitiis plena esse omnia, quandiu, ex Christi promissis, futura est in orbe vera Ecclesia, *depositorii* illius *divitis*, ut cum Irenæo loquar, custos, in quod apostoli plenissime contulerunt omnia, quæ sunt veritatis. Tandiu autem futura est ea Ecclesia, quandiu futuri sunt *presbyteri, qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Tales* certe *presbyteros nutrit Ecclesia* Romana, *in qua per successiones episcoporum semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab apostolis traditio*, et *pervenit usque ad nos* vera Christi doctrina. Tales vero exhibere non potest ulla Protestantium societas; apud quos cum non sit ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio, verumque ministerium, quale Christus instituit, deesse etiam, *id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat.*

[66] Ibid.

(*a*) V. *A Treatise of the vocation of bishops, and other ecclesiastical ministers*, by Antony Champney, etc. Douay, 1616. *A Treatise of the nature of Catholick faith and heresy*, etc., by N. N., 1657. *Nullity of the prelatick clergy and Church of England further discovered*, etc., by N. N., 1659.

Digitized by Google

25. Sequitur denique ex hactenus explicata Irenæi doctrina, descriptisque ejusdem testimoniis, apostolos in iis, quas fundaverunt, Ecclesiis, singulos, qui iis præessent, episcopos instituisse ac successores suos; presbyteris proinde jure divino ac ex ipsa Christi institutione superiores [67]. *Habemus*, inquit, *annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos.* Harum proinde successionum episcoporum, unius post alterum, catalogus, Irenæi ætate, exstabat in archivis omnium Ecclesiarum. Sed quia longius fuisset, ut ipse dicit, eas omnes successiones recensere, illarum specimen in una præbet Romana Ecclesia, quæ cæteris antecellit; aliis summatim tantum memoratis : *Fundantes igitur*, ait [68], *et instruentes beati apostoli* Petrus et Paulus *Ecclesiam* Romanam, *Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens.* Cæteros deinceps enumerat usque ad Eleutherum, *qui*, ait, *nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet.* Romanæ igitur Ecclesiæ, ex apostolica institutione, præfuerunt singuli moderatores et pastores, episcopi nomine ac titulo. Quod tam certum est apud Irenæum, quam ipsa traditio, cujus eo loci auctoritatem adversus hæreticos astruebat. Imo manifestior ac notior esse debuit successio, quam traditio, seu potius, traditio successionis, quam dogmatis et doctrinæ : cum doctrinæ traditio per alteram successionem approbetur : quod si verum est, ac non Romæ tantum, sed in reliquis etiam urbibus, auctoribus apostolis, eadem constituta forma est gubernandarum Ecclesiarum, profecto falsum est Puritanorum commentum, [CXVIII] non nisi post apostolorum obitum, ac secundo medio sæculo, suum unicuique Ecclesiæ præpositum episcopum fuisse; cum hactenus a pluribus, hoc est toto presbyterio sive presbyterorum collegio, pari iure et potestate regerentur. Utquid enim scriberet Irenæus, vir apostolicorum temporum, singulos in singulis Ecclesiis constitutos ab apostolis episcopos fuisse; quibus mortuis alii singuli sic sufficerentur, ut earum successionum series et catalogus in unaquaque Ecclesia servaretur? Utquid unius alteri succedentis memoria scriptis tam studiose mandata est; si presbyteri omnes æquales erant, ut appellatione, ita et dignitate, nullusque aliis jure divino superior fuit? Quamobrem hic potius quam iste, cum omnes sint æquales, catalogo inscribitur? Ubi illud est quod scribit Salmasius, apostolos nullos unquam præfecisse singulares episcopos iis Ecclesiis quas fundarunt; cum Irenæus sigillatim recensere se posse contestetur singularium illorum episcoporum, ab apostolis institutorum, successiones? Nodus est, quem nullus unquam dissolverit, secueritve Blondellus, Dallæus aut Salmasius. Sed cum hoc argumentum solide pertractaverint doctissimi viri, tum catholici, tum Anglicani episcopales, et a Puritanorum tricis munierint, pluribus dicendis supersedeo. Unum duntaxat hic observabo, Irenæum dudum occupasse argumentum illud quod Puritani petunt ab iis Actorum xx, 17, verbis : *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ*, τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας. *Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis.... Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quasi Paulus hic vocet episcopos, quos immediate antea vocaverat majores natu, seu presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ. Eos siquidem presbyteros, quos Paulus Miletum advocaverat, fuisse tum simplices presbyteros, tum episcopos, et utrosque non ab Epheso tantum, sed et a proximis Asiæ civitatibus convocatos, diserte asserit Irenæus [69]. *In Mileto*, inquit, *convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipse festinaret Hierosolymam Pentecosten agere, multa testificans eis, et dicens quæ oporteret ei Hierosolymis evenire, adjecit : Scio quoniam jam non videbitis faciem meam*, etc. Clara sunt hæc, nec ullis Puritanorum nebulis obscuranda. Quos proinde Apostolus episcopos dicit *a Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei*, non erant presbyteri Ephesini, sed ejusdem urbis episcopus, *et reliquarum proximarum civitatum* episcopi.

ARTICULUS IV.

De Ecclesia, ejus notis ac characteribus, et Romanæ primatu atque auctoritate.

26. Cum extra veram Christi Ecclesiam salus obtineri non possit, divinæ bonitati consentaneum erat, ut ea, solis instar, clarissimos undique radios diffunderet, quibus facillime cognosci posset; seu certis quibusdam ac perspicuis notis et characteribus insigniretur, quibus ab omni falsa religione, aliisque spuriis adulterinisque societatibus discerneretur. Multas autem veræ Ecclesiæ notas enumerant, hæreticisque ac schismaticis objiciunt tum SS. Patres, tum theologi catholici. Sed omnes ad quatuor istas facile revocantur, quas Symbolo suo inseruit concilium Constantinopolitanum : « Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. » Quæcunque igitur vera Christi Ecclesia est, his notis dignoscatur necesse est, quod nimirum una sit, sancta, catholica et apostolica. Talis erat

[67] Iren., l. III, c. 3, n. 1. [68] N. 3. [69] L. III, c. 14, n. 2.

Digitized by Google

ea, cujus membrum erat Irenæus, cujus fidem atque doctrinam tuebatur, et a qua perperam secessisse eos, quos impugnabat, hæreticos, invicte demonstrabat. Hisce characteribus eam ipse non semel designavit, et a qualibet alia societate hæretica vel schismatica distingui voluit.

27. Unitatis notam soli Ecclesiæ catholicæ singularem esse ac propriam, qua ab hæreticis omnibus ac schismaticis discernitur, adeo Irenæo constabat, ut in hac arce tutissimum defensionis fidei præsidium constituat, indeque disputandi initium ducat. « Hanc prædicationem, inquit [70], cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, et quidem (Græce, καίπερ, *quamvis*) in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans : et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor : et consonanter hæc prædicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. » Quasi diceret : Hæc veræ Ecclesiæ nota, hic character. Quamvis per totum orbem longe lateque propagata sit, perinde est tamen ad fidei unitatem, ac si unam domum habitaret. Quam enim fidem atque doctrinam ab apostolis sibi creditam accepit, eodem ubique studio et eadem cura conservat; et quasi unam animam, unum cor et unum os haberet, eodem ubique modo credit, prædicat, docet et accepta tradit. Nam, addit, etsi dispares inter se mundi linguæ sunt, una tamen et eadem est ubique vis traditionis; nec eæ quæ in Germania, Hispaniis, Galliis, Oriente, Ægypto, aut alibi gentium constitutæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt aut aliter tradunt; sed sicuti sol a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis prædicatio eadem ubique lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat. Et quamvis non eædem omnium Ecclesiæ antistitum dotes, aliique aliis peritiores et disertiores sint; eadem tamen omnium doctrina est. « Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat; neque is qui minus, deminorat. »—« Eorum, inquit alibi [71], qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eamdem esse fidem, omnibus unum et eumdem Patrem præcipientibus, et eamdem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eamdem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus præcepta, et eamdem figuram ejus, quæ est erga Ecclesiam, ordinationis (id est eamdem regiminis ecclesiastici formam) custodientibus, et eumdem exspectantibus adventum Domini, et eamdem salutem totius hominis, id est animæ et corporis, sustinentibus. Et Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, etc. »

28. Hæc apostolicorum hominum fides, hæc in eorum animis insita, et ab apostolis accepta et quasi consignata veræ Ecclesiæ notio. Apage ergo spuriam illam portentosamque, quam commenti sunt recentiores Protestantium ministri, Ecclesiæ notionem, quæ sectas omnes, tum hæreticas, [CXIX] tum schismaticas complectatur, quæ in iis fidei articulis, quos quidem fundamentales vocare, nusquam vero clare et aperte designare placuit, conveniant, licet in cæteris omnibus dissideant, et quasi civili bello pugnantes, mutuis anathematum vulneribus sese misere conscindant atque lacerent. Nihil ab ea animæ, cordis et oris unitate, quam veræ Ecclesiæ characterem esse dicit Irenæus, alienius fingi potuit. Imo tantum abest ut quaslibet sectas hæreticas sinu suo complectatur Ecclesia, qualem describebat Irenæus, quin potius in hoc ab hæreticis distinctam esse contendat, quod « ejus prædicatio undique constans et æqualiter perseverans » secum ubique terrarum consentiat; illi vero nunquam constantes, semper et ubique secum pugnantes, omni vento doctrinæ moveantur, ac velut alternantibus, sibique succedentibus variarum sententiarum fluctibus jactentur. « Nos, inquit [72], unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes. » Illi vero « non bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes. » Et alibi [73] : « Bene habere putavimus, ostendere primo, in quibus ipsi patres hujus fabulæ discrepant adversus se invicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione (Græce, καὶ πρὸ τῆς ἀποδείξεως, « nullis dum etiam allatis argumentis, » ut melius vertit Billius) eam firmam, quæ ab Ecclesia prædicatur, veritatem, et ab iis quod fingitur falsiloquium. » Tum exposita mira Ecclesiarum omnium in una fide atque doctrina consensione; subjicit [74] : « Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, cum sint duo, vel tres, quemadmodum de iisdem non eadem dicunt, sed et nominibus, et rebus contraria respondent. » Descriptis vero præcipuorum Valentini discipulorum secum pugnantibus sententiis, concludit [75] : « Cum autem discrepent ab invicem, et doctrina, et traditione, et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et fructificare quod nunquam quisquam excogitavit, durum est omnium describere sententias. » Si autem quæras, quæ causa tam effusæ apud hæreticos sentiendi licentiæ; hanc assignabit Irenæus [76] : « quod » nimirum « non fundati super unam petram, sed super arenam habentem in se lapides multos; multi ex

[70] Iren., lib. I, cap. 10, n. 2. [71] Lib. V, c. 20, n. 1. [72] Lib. IV, cap. 35 n. 4. [73] Lib. I, c. 9, n. 3, [74] Cap. 11, n. 1. [75] C. 21, n. 5. [76] Cap. 28, n. 1, et lib. III, c. 24, n. 2.

Digitized by Google

ipsis, imo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem ab hæresi, in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ, quamcunque compegerint, gloriantes. » Nempe excusso semel Ecclesiæ auctoritatis jugo, repudiataque veritatis regula; nullo jam freno coerceri valentes, in obvias quaslibet opiniones facile concedunt [77]. « Arguuntur » proinde « non quidem apostolorum, sed suæ malæ sententiæ esse discipuli. Propter hoc autem et variæ sententiæ sunt uniuscujusque eorum, recipientis errorem, quemadmodum capiebat. » Eapropter rectissime monet [78], « non oportere adhuc quærere apud alios, » videlicet apud hæreticos, veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis: uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. » Igitur apud solam Ecclesiam quærenda veritas: huic soli credita est ab apostolis, huic soli creditum lumen Dei [79], huic soli « creditum Dei munus, » fides, « quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; » ab hac sola sumendus vitæ potus; hæc sola vitæ introitus. Et quæ Ecclesia? Ea nimirum quam jam descripsit Irenæus, quæ per totum orbem propagata habet unam animam, unum cor, unum os, unam et eamdem regiminis ecclesiastici formam, per continuam episcoporum ab apostolis successionem, cujus una fides, doctrina atque docendi ratio. Tantum abest ad hanc Ecclesiam pertinere hæreticos arbitretur, ut potius diserte ab ea excludat, ut fures et latrones, apud quos nulla vita, nulla quærenda veritas sit.

29. Sed, inquiunt, inter illius ipsius Ecclesiæ, quæ unitate tantopere gloriatur, membra, gravissimæ interdum oriuntur contentiones acerrimæque controversiæ. Verum id quidem: at omissis consulto pluribus, quæ responderi possent (nec enim controversiarum campo plus quam Irenæus noster sinat, inferre me velim), id unum duntaxat observabo; eo scilicet veram Christi Ecclesiam a cæteris quibuscunque societatibus discriminari, quod in his nulla sit finiendarum controversiarum regula; in illa vero certus sit quarumcunque contentionum componendarum modus, auctoritas videlicet ejusdem Ecclesiæ per episcopos suos, vel in conciliis generalibus loquentis, judicantis, ac definientis, vel unanimi consensione quidpiam aut probantis aut respuentis. Cum enim episcopis commiserint Ecclesias apostoli, ut toties asserit Irenæus, iisque custodiendum crediderint « depositorium illud dives, » in quod « plenissime contulerunt omnia, quæ sunt veritatis; » impossibile est, quandiu vera stabit Ecclesia, Christusque promissis suis non deerit (defuturum unquam quis Christianus suspicari queat?), episcopos omnes, singulasque ab iis administratas Ecclesias, in errorem conspirare. Quapropter ut quid certum et indubitatum, et a quo religata pendet Ecclesiæ unitas, proponit, ac frequenter inculcat Irenæus [80], « eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportere, » ab iis « discere oportere » veritatem, germanamque Scripturarum expositionem esse quærendam. Ratio est, quia « cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt. » Et quamvis interdum oriantur « crediti quidem a multis presbyteri, » sed « qui serviunt suis voluptatibus, et non præponunt timorem Dei in cordibus suis; » certum est tamen, « tales » semper « presbyteros nutrire Ecclesiam, qui et apostolorum doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa præstant, ad confirmationem et correptionem reliquorum; » quibus proinde « adhærere oportet. »

30. Ut vero unitas inter tot episcopos totque singulares Ecclesias tam longe a se invicem distantes foveri, omniumque consensus facilius explorari posset, nec omnes emergentibus quibuscunque controversiis maximo cum singularum gravamine simul in unum locum convenire cogerentur; necesse erat primam aliquam inter omnes Ecclesiam constitui, quæ cæteris omnibus præesset, cæteris pro jure invigilaret, ac veluti quoddam unitatis centrum esset, in quod omnes confluentes, ejusdem fidei et communionis nexu colligarentur. Cognita igitur hujus primæ Ecclesiæ sententia, cæterarum omnium satis ut plurimum cognita fuerit; una enim omnium cum ea Ecclesia fides atque doctrina; [CXX] hæc cæterarum caput, cui arctissime adhærere tenentur omnes. Porro hoc esse unius Romanæ Ecclesiæ privilegium, ut primum inter cæteras omnes honoris, dignitatis atque auctoritatis gradum obtineat, aliasque omnes sibi inferiores habeat, tam clare et aperte docet Irenæus, ut lubens in meridiana luce cæcutiat, quisquis negare audeat. Argumenta contra hæreticos ducturus ab auctoritate traditionis apostolicæ, et consensu omnium Ecclesiarum; id principii loco statuit, traditionem apostolicam unam et eamdem, puram et illibatam in omnibus Ecclesiis conservatam fuisse, eamque veritatis studiosis omnibus patere. [81] « Traditionem itaque apostolorum in omni mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre. » Hanc vero propositionem ex eo probat, quod cum in singulis ecclesiis apostolicis, a primo, qui ab apostolis institutus est, episcopo continua semper fuerit, nec usquam in-

[77] Lib. III, c. 12, n. 7. [78] Ibid., c. 4, n. 1. [79] Ibid., c. 24, n. 1. [80] Lib. IV, cap. 24, n. 2 et seqq. [81] Lib. III, c. 3, n. 1.

Digitized by Google

terrupta series episcoporum sibi succedentium, qui sibi invicem ac curæ suæ commissis populis veluti per manus tradiderunt, quod ab apostolis traditum fuerat; si in aliquo dogmate consentientes omnes Ecclesiæ inveniantur, invictum est argumentum, illud ab apostolis ipsis manasse. « Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quæ seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant, etc. » Tota vis hujus argumenti pendet a duplici propositione; prima, in singulis Ecclesiis apostolicis continuam semper perseverasse episcoporum ab apostolis successionem; secunda, omnes illas Ecclesias in eamdem sententiam conspirare. Utramque simul ut probaret Irenæus, necesse sibi esse non duxit adire singulas Ecclesias, ut successionis catalogos in archivis earum asservatos evolveret, et singularum sententiam exploraret : longius id fuisset, multisque difficultatibus obnoxium; expeditiori ac breviori via procedit. Unius Ecclesiæ Romanæ traditionem per continuam episcoporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit, ut hæreticos omnes confunderet; ratus jure merito, ea semel cognita, illico aliarum omnium Ecclesiarum traditionem, sententiam atque doctrinam cognosci. Cum enim Ecclesia Romana omnium princeps, caput et prima sit, omnium maxima, antiquissima, et maxime cognita, ab apostolorum principe Petro, ejusque socio Paulo fundata, quæ cæteris omnibus pro jure suo præsit et dominetur, et cum qua omnes omnino fideles unius et ejusdem fidei, et communionis vinculis colligari necesse sit; inde liquido patet, aliam esse non posse aliarum Ecclesiarum traditionem et fidem, a fide et traditione Romanæ Ecclesiæ. Prætermissis itaque totius orbis Ecclesiarum episcoporum catalogis, illius unius continuam episcoporum successionem recensere, ac, quæ per hunc veluti canalem manavit usque ad nos, apostolorum traditionem declarare satis est; ut ex communi omnium Ecclesiarum, quæ cum Romana consentire debent, sententia et traditione devincantur omnes hæretici. « Sed quoniam, inquit [82], valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis, traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter *potiorem principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab apostolis traditio. »

31. In iis verbis plura observanda sunt: 1° Romanam Ecclesiam jam Irenæi sæculo omnium maximam existimatam fuisse, longe minus fidelium numero, de quo tunc temporis cum ea contendere potuissent aliæ quædam Ecclesiæ, quam auctoritatis amplitudine. 2° Omnium antiquissimam; quod si ad fundationis tempus referatur, falsissimum erit; dudum enim antea Hierosolymitanam, Antiochenam et alias fundaverant apostoli. Ad dignitatem igitur necessario referendum est, ut ideo omnium antiquissima dicatur Romana Ecclesia, quia omnium princeps et præcipua. Quare vix dubito quin Græce scripserit Irenæus, ἀρχαιοτάτης, quod male verterit interpres, *antiquissimæ*; cum vertendum hic fuisset, « præcipuæ ac principis. » 3° Omnibus cognitam asserit Irenæus, utpote quam cæteris sublimiorem ac excellentiorem, aliæ omnes ut caput et primam suspicerent, ac venerarentur. 4° A gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam dicit; quo ruit absurdum illud recentiorum quorumdam hæreticorum commentum, qui tota reclamante antiquitate, negare ausi sunt Petrum Romam usquam venisse. 5° Ad hanc Ecclesiam necesse esse omnem Ecclesiam seu omnes omnino fideles per totum orbem dispersos convenire : non quod illuc proficisci tenerentur ii, qui erant undique fideles; id vel cogitare absurdissimum fuisset; sed quod, ut fateri coactus est ipse Salmasius [83], necesse esset « convenire et concordare in rebus fidei cum Ecclesia Romana. Græce quippe, inquit, locutus fuerat Irenæus, συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν · porro συμβαίνειν πρός τινα, æque usitatum Græcis, ac συμβαίνειν τινί; illud vero hic non nisi ad consensum et concordiam referri, ad quamcunque peregrinationem detorqueri, nonnisi insulsissime potest. Ratio autem cur cum Romana Ecclesia necesse sit omnem consentire Ecclesiam, hæc ab Irenæo affertur, « ob potiorem » illius « principalitatem. » Sic scripsisse Latinum interpretem nobiscum merito censet idem Salmasius : Græce vero scriptum ab Irenæo putat, διὰ τὸ ἐξαίρετον αὐτῆς πρωτεῖον; nos probabilius, διὰ τὸ ὑπέρτερον πρωτεῖον. Sed alterutrum scripserit auctor noster, significare voluit, ideo omnes Ecclesias cum Romana consentire teneri; quia licet cæteræ in suis quæque finibus principatus in sibi subditos fideles jure gaudeant, longe tamen potior est in quem obtinet Romana; utpote quæ principatus ac primatus jure omnibus dominetur, omnibus præsit, omnesque sibi subditas habeat. 6° Denique, in ea Ecclesia semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam,

[82] N. 2. [83] De primat. pap., cap. 5, p. 65 edit. Lugd. Bat. 1645.

Digitized by Google

quæ est ab apostolis, traditionem. Cum enim hujus sententiæ atque doctrinæ adhærere teneantur omnes, qui sunt undique, fideles, longe tutius ac facilius conservari in ea potuit apostolica traditio, tot episcopis, presbyteris et clericis, totque fidelium myriadibus credita, [CXXI] imisque pectoribus recondita, quam in aliis Ecclesiis divisim spectatis, quarum jurisdictionis fines non tam longe lateque patebant.

32. Locus hic Irenæi male habet eos omnes, qui « per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet, collegerunt, » id est qui catholicæ fidei simul et obedientiæ, quam exhibere Romanæ tenebantur Ecclesiæ, jugum excusserunt, ut ἀκέφαλα sibi ad arbitrium conventicula constituerent. Quare, ne turpissimam schismatis ac hæreseos labem incurrant Protestantes, nullum lapidem non movent, ut importunissimi loci pondus declinent. Sed tam parum sibi in hoc explicando, quam in fidei dogmatibus consentiunt. Salmasius ad clarissimæ lucis fulgorem oculos claudere non valens, fateri, ut dixi, coactus est, Irenæi verborum sensum esse, « necesse esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei, ac doctrina cum Romana Ecclesia. » Idipsum est quod ex eo Irenæi loco inferunt Catholici omnes. Fateatur igitur necesse est Salmasius, eam omnem Ecclesiam, quæ a Romana discrepabit ac dissentiet in rebus fidei ac doctrina, eo ipso schismatis ac hæreseos culpa teneri. Videant proinde Salmasii asseclæ, Calviniani omnes, et quicunque a Romana Ecclesia in rebus fidei dissentiunt, quo pacto culpam hanc a se amoliantur. Neque enim quod secundo Ecclesiæ sæculo, Salmasio fatente, necesse erat, posterioribus his sæculis minus necesse est. Quod hic addit, « velle Irenæum, Ecclesiam Romanam, ut principalem, id est primam et omnium maxime puram, typum et exemplum cæteris debere esse doctrinæ sinceritatis et apostolicæ traditionis custodiendæ, » in eo verum est quod fatetur, Irenæum velle, Ecclesiam Romanam *principalem et primam* omnium esse. Velit igitur, nolit, sequitur, eam principatus ac primatus jure cæteris omnibus præesse ac dominari; ac proinde eos omnes qui imperium illius detrectant, objectum sibi apertæ rebellionis crimen dissolvere non posse. Si vero eo duntaxat sensu Romanam Ecclesiam primam ac principalem esse velit Salmasius, quod omnium maxime pura, typus et exemplum cæteris esse debeat doctrinæ sinceritatis, et apostolicæ traditionis custodiendæ, nugatur, et nugari secum vult Irenæum. Ut enim taceam hic plura, quæ modo Grabii sententiam expendens dicturus sum; si ea solum ratione principalis ac prima sit Romana Ecclesia, de primatu ac principatu jure merito cum ea contendere potuissent Smyrnensis et Ephesina Ecclesia, quas subinde memorat Irenæus. Et ipsæ enim tunc temporis nec minus puræ erant, quam Romana, nec minori jure ut typus et exemplum doctrinæ sinceritatis et traditionis apostolicæ custodiendæ cæteris proponi potuissent. Frustra ergo et ridicule uni Romanæ Ecclesiæ *potiorem principalitatem* asseruisset Irenæus, quam aliæ eodem jure, ipsæ et ab apostolis pariter fundatæ, et a sanctissimis eorum successoribus gubernatæ, vindicare sibi potuissent. Frustra contendisset, necesse esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrina cum Romana, ob potiorem ejusdem principalitatem. Nisi enim hujus sententiæ in rebus fidei cæteræ Ecclesiæ parere teneantur, nulla potior necessitas cum illa Ecclesia consentire, quam cum Antiochena, Ephesina, Smyrnensi et aliis.

33. Quam male hac sua explicatione Protestantium causam egerit Salmasius, optime sensit cl. Grabius. Quare ea rejecta, aliter sibi sentiendum esse putavit, inclinatamque causam aliis commentariis erigere tentavit: non novis quidem, sed quos ad obscurandum hunc Irenæi locum dudum scripserat Chamierus [84]. Ea quæ Irenæo Græca supponit, ac, prout lubet, fabricatur, non morabor: inanes luxuriantis ingenii conjecturæ sunt, quæ tam facile negantur, quam gratis proponuntur. Id etiam non morabor, quod apud Irenæum Latinum legendum putat, *potentiorem principalitatem*, ut hactenus ferunt omnes editi codices, et plerique mss., non *potiorem*, ut ex ms. Claromontano, omnium antiquissimo, restituimus; quamvis enim posterior hæc lectio ad Irenæi mentem et verba melius quadret; bene tamen quadrat et altera; quare alterutra retineatur, perinde esse ad sensum existimo. Sed ad rem venio. Contendit itaque Grabius, « per conventum omnis Ecclesiæ, id est eorum, qui sunt undique, fidelium, ad Ecclesiam Romanam, propter potentiorem principalitatem, intelligendum esse confluxum eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, quorum potentior erat principalitas, id est suprema potestas. Ob potentiorem itaque principalitatem Romanorum, ait, contingebat, ut ad Romanam urbem, et proinde Ecclesiam, ab omnibus undique Ecclesiis convenirent fideles, defensionem suæ fidei et Ecclesiæ suscepturi. De hoc vero conventu ad locum urbis atque Ecclesiæ Romanæ, non de communione fidei ac charitatis cum ea, multo minus de subjectione obedientiæ Irenæum hoc loco scripsisse. » Sic Grabius.

34. Sed nec ea explicatio ad Irenæi verba, nisi prorsus delirasse supponatur, quadrare ulla ratione potest. 1° Si de confluxu eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, intelligendus sit; sensus erit, necesse fuisse omnem Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, Romam venire, ut causam Christianorum agerent apud imperatores. Atqui tantum abest id necesse fuerit, ut ante Ire-

[84] T. II Panstrat. Cathol. lib. XIII. De œcum. Pont., cap. 22, n. 12 seqq.

Digitized by Google

næi ætatem factum aliquando fuisse ne uno quidem exemplo probare possit Grabius. Plures quidem Christianorum Apologias oblatas imperatoribus, a Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora et Justino legimus; sed eos ab Ecclesiis Romam missos fuisse, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, falsissimum: imo plerosque, ipsum etiam Athenagoram, cujus Apologiæ titulo, quod inscribatur, *Legatio*, abutitur Grabius, e patria pedem extulisse, ut Apologias suas offerrent, nullibi legimus; si qui vero, ut Justinus, Romæ obtulerint, dudum antea ibi degebant, nec huc eo fine venerant. Et, quæso, quæ necessitas Christianis adeundi imperatores ethnicos, a quibus nihil, nisi jus omne fasque violatum sperare poterant? 2° Irenæus scribit necesse esse, fideles convenire ad Romanam, non urbem, sed Ecclesiam. Utquid igitur verbis ejus vim apertam inferendo, per « Ecclesiam » Grabius intelligi vult « urbem? Ad Romanam urbem, et proinde Ecclesiam, » ait, « ab omnibus undique Ecclesiis conveniebant fideles. » Quasi vero Romana urbs et Romana Ecclesia, idem prorsus sic sonent, ut quisquis urbem adibat, illico ad Ecclesiam convenire dicendus esset? Ecce, Romanæ urbis, aulæ, imperatorum, ne verbo quidem hactenus meminit Irenæus, sed solius Ecclesiæ Romanæ; et tamen verba hæc, [CXXII] *ob potentiorem principalitatem*, si Grabio fides, non ad Ecclesiam, de qua ex professo sermonem instituit, sed ad urbem, aulam, imperatores, quorum nulla facta est mentio, referenda sunt? Ecquis stomachus absurda hæc concoquere valeat? Quis non videat *potentiorem* illam *principalitatem*, ut legere amat vir clariss., ad eam Ecclesiam pertinere, ad quam fideles omnes sic convenire debent, ut tota conveniendi ratio sit ipsa potentior ejusdem Ecclesiæ principalitas? 3° Denique (et hic causæ cardo est) negare nec potest, nec audet Grabius, quin Irenæi toto hoc capite scopus sit probare, unam et eamdem in omni Ecclesia traditionem apostolicam, et fidem esse, qua confundantur omnes hæretici; eam vero puram et illibatam per continuam episcoporum successionem ad suam usque ætatem manasse. Quia vero longius et molestius fuisset omnium et singularum Ecclesiarum successiones episcopales enumerare, sufficere si unius Ecclesiæ Romanæ successio, per quam apostolica traditio pervenit usque ad illud ævum, recenseatur; quia eadem est aliarum omnium Ecclesiarum cum Romana fides et traditio. Quamobrem recensita episcoporum Romanorum successione, concludit: « Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab apostolis, in Ecclesia traditio, et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate. » Eamdem autem aliarum Ecclesiarum cum Romana fidem et traditionem esse ex eo probat Irenæus, quod ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse sit omnem Ecclesiam convenire. Si ergo Grabianam explicationem admittamus, ea supposita, sic argumentatum fuisse Irenæum dicendum erit: Illarum Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio, quarum fideles necesse est Romam venire, ut Christianorum causam agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas seu potestas suprema. Atqui necesse est fideles ex omnibus Ecclesiis Romam venire, ut causam Christianorum agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas. Igitur omnium Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio. Grabium ipsum judicem volo, quis, nisi delirus, ita argumentetur? Supponamus econtrario, Irenæum argumentari eo modo, quo argumentari superius demonstravi; sic procedet argumentum. Earum Ecclesiarum una et eadem est cum Romana fides et traditio, quas necesse est cum capite, duce et principe Romana, cæteris regendis a Deo præfecta, consentire in rebus fidei atque doctrina. Atqui necesse est omnes Ecclesias, seu quod idem est, fideles omnes, ex quocunque loco, regione aut gente sint, cum Romana Ecclesia omnium capite, duce ac principe, regendis omnibus a Deo præfecta, consentire. Omnium igitur Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio; ac proinde cum ex traditione hujus Ecclesiæ confundantur hæretici omnes, et schismatici, ex consensu omnium Ecclesiarum confundi necessario consequitur. Judicet quisquis æquus rerum æstimator, et posterius hoc argumentum, quod Irenæi esse merito contendunt Catholici, cum eo conferat, quod sanctissimo martyri Grabius affingit: nisi sponte cæcutire velit, fateatur necesse est, quantum hoc Irenæo repugnat, tantum in illo secum omnia consentire, et ad Irenæi scopum, doctrinam et antecedentia mire quadrare.

35. Sed, inquit Grabius, Ecclesiæ Romanæ tantum abest, ut Irenæus semetipsum, aliosque fideles adeo obstrictos existimaverit, ut publico facto contrarium existimaverit. Cum enim Asianas Ecclesias Victor papa a communione resecuisset, quod Pascha Ecclesiæ Romanæ more celebrare renuerent; non ob id Asianos præsules redarguit Irenæus, quod morem pontifici gerere detrectarent, nec hortatur ut ab Ecclesiæ Romanæ communione se nulla ratione divelli patiantur; sed potius Victorem ipsum increpavit, quod integras Ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscidisset, ut ipsi superius ex Eusebio et aliis retulimus. Dolendum sane quod Grabius futilibus ejusmodi argumentationibus deludi se patiatur. Quæ comparatio institui potest inter res, quæ ad fidem pertinent, et inter eas, quæ ad Ecclesiæ disciplinam spectant? Quis nesciat totam eam de celebrando Paschate quæstionem, ad disciplinam duntaxat, ad fidem nullatenus pertinuisse, et eadem semper inter disputantes, ac illæsa manente fide agitari potuisse? Suam quidem utraque pars sententiam traditione apostolica fulciebat; sed vel tirones non fugit, alias esse traditiones apostolicas, quæ ad

Digitized by Google

quæ est ab apostolis, traditionem. Cum enim hujus sententiæ atque doctrinæ adhærere teneantur omnes, qui sunt undique, fideles, longe tutius ac facilius conservari in ea potuit apostolica traditio, tot episcopis, presbyteris et clericis, totque fidelium myriadibus credita, [CXXI] imisque pectoribus recondita, quam in aliis Ecclesiis divisim spectatis, quarum jurisdictionis fines non tam longe lateque patebant.

32. Locus hic Irenæi male habet eos omnes, qui « per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet, collegerunt, » id est qui catholicæ fidei simul et obedientiæ, quam exhibere Romanæ tenebantur Ecclesiæ, jugum excusserunt, ut ἀκέφαλα sibi ad arbitrium conventicula constituerent. Quare, ne turpissimam schismatis ac hæreseos labem incurrant Protestantes, nullum lapidem non movent, ut importunissimi loci pondus declinent. Sed tam parum sibi in hoc explicando, quam in fidei dogmatibus consentiunt. Salmasius ad clarissimæ lucis fulgorem oculos claudere non valens, fateri, ut dixi, coactus est, Irenæi verborum sensum esse, « necesse esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei, ac doctrina cum Romana Ecclesia. » Idipsum est quod ex eo Irenæi loco inferunt Catholici omnes. Fateatur igitur necesse est Salmasius, eam omnem Ecclesiam, quæ a Romana discrepabit ac dissentiet in rebus fidei ac doctrina, eo ipso schismatis ac hæreseos culpa teneri. Videant proinde Salmasii asseclæ, Calviniani omnes, et quicunque a Romana Ecclesia in rebus fidei dissentiunt, quo pacto culpam hanc a se amoliantur. Neque enim quod secundo Ecclesiæ sæculo, Salmasio fatente, necesse erat, posterioribus his sæculis minus necesse est. Quod hic addit, « velle Irenæum, Ecclesiam Romanam, ut principalem, id est primam et omnium maxime puram, typum et exemplum cæteris debere esse doctrinæ sinceritatis et apostolicæ traditionis custodiendæ, » in eo verum est quod fatetur, Irenæum velle, Ecclesiam Romanam *principalem et primam* omnium esse. Velit igitur, nolit, sequitur, eam principatus ac primatus jure cæteris omnibus præesse ac dominari; ac proinde eos omnes qui imperium illius detrectant, objectum sibi apertæ rebellionis crimen dissolvere non posse. Si vero eo duntaxat sensu Romanam Ecclesiam primam ac principalem esse velit Salmasius, quod omnium maxime pura, typus et exemplum cæteris esse debeat doctrinæ sinceritatis, et apostolicæ traditionis custodiendæ, nugatur, et nugari secum vult Irenæum. Ut enim taceam hic plura, quæ modo Grabii sententiam expendens dicturus sum; si ea solum ratione principalis ac prima sit Romana Ecclesia, de primatu ac principatu jure merito cum ea contendere potuissent Smyrnensis et Ephesina Ecclesia, quas subinde memorat Irenæus. Et ipsæ enim tunc temporis nec minus puræ erant, quam Romana, nec minori jure ut typus et exemplum doctrinæ sinceritatis et traditionis apostolicæ custodiendæ cæteris proponi potuissent. Frustra ergo et ridicule uni Romanæ Ecclesiæ *potiorem principalitatem* asseruisset Irenæus, quam aliæ eodem jure, ipsæ et ab apostolis pariter fundatæ, et a sanctissimis eorum successoribus gubernatæ, vindicare sibi potuissent. Frustra contendisset, necesse esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrina cum Romana, ob potiorem ejusdem principalitatem. Nisi enim hujus sententiæ in rebus fidei cæteræ Ecclesiæ parere teneantur, nulla potior necessitas cum illa Ecclesia consentire, quam cum Antiochena, Ephesina, Smyrnensi et aliis.

33. Quam male hac sua explicatione Protestantium causam egerit Salmasius, optime sensit cl. Grabius. Quare ea rejecta, aliter sibi sentiendum esse putavit, inclinatamque causam aliis commentariis erigere tentavit: non novis quidem, sed quos ad obscurandum hunc Irenæi locum dudum scripserat Chamierus [84]. Ea quæ Irenæo Græca supponit, ac, prout lubet, fabricatur, non morabor: inanes luxuriantis ingenii conjecturæ sunt, quæ tam facile negantur, quam gratis proponuntur. Id etiam non morabor, quod apud Irenæum Latinum legendum putat, *potentiorem principalitatem*, ut hactenus ferunt omnes editi codices, et plerique mss., non *potiorem*, ut ex ms. Claromontano, omnium antiquissimo, restituimus; quamvis enim posterior hæc lectio ad Irenæi mentem et verba melius quadret; bene tamen quadrat et altera; quare alterutra retineatur, perinde esse ad sensum existimo. Sed ad rem venio. Contendit itaque Grabius, « per conventum omnis Ecclesiæ, id est eorum, qui sunt undique, fidelium, ad Ecclesiam Romanam, propter potentiorem principalitatem, intelligendum esse confluxum eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, quorum potentior erat principalitas, id est suprema potestas. Ob potentiorem itaque principalitatem Romanorum, ait, contingebat, ut ad Romanam urbem, et proinde Ecclesiam, ab omnibus undique Ecclesiis convenirent fideles, defensionem suæ fidei et Ecclesiæ suscepturi. De hoc vero conventu ad locum urbis atque Ecclesiæ Romanæ, non de communione fidei ac charitatis cum ea, multo minus de subjectione obedientiæ Irenæum hoc loco scripsisse. » Sic Grabius.

34. Sed nec ea explicatio ad Irenæi verba, nisi prorsus delirasse supponatur, quadrare ulla ratione potest. 1° Si de confluxu eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, intelligendus sit; sensus erit, necesse fuisse omnem Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, Romam venire, ut causam Christianorum agerent apud imperatores. Atqui tantum abest id necesse fuerit, ut ante Ire-

[84] T. II Panstrat. Cathol. lib. XIII. De œcum. Pont., cap. 22, n. 12 seqq.

Digitized by Google

næi ætatem factum aliquando fuisse ne uno quidem exemplo probare possit Grabius. Plures quidem Christianorum Apologias oblatas imperatoribus, » Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora et Justino legimus; sed eos ab Ecclesiis Romam missos fuisse, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, falsissimum: imo plerosque, ipsum etiam Athenagoram, cujus Apologiæ titulo, quod inscribatur, *Legatio*, abutitur Grabius, e patria pedem extulisse, ut Apologias suas offerrent, nullibi legimus; si qui vero, ut Justinus, Romæ obtulerint, dudum antea ibi degebant, nec huc eo fine venerant. Et, quæso, quæ necessitas Christianis adeundi imperatores ethnicos, a quibus nihil, nisi jus omne fasque violatum sperare poterant? 2° Irenæus scribit necesse esse, fideles convenire ad Romanam, non urbem, sed Ecclesiam. Utquid igitur verbis ejus vim apertam inferendo, per « Ecclesiam » Grabius intelligi vult urbem? Ad Romanam urbem, et proinde Ecclesiam, » ait, « ab omnibus undique Ecclesiis conveniebant fideles. » Quasi vero Romana urbs et Romana Ecclesia, idem prorsus sic sonent, ut quisquis urbem adibat, illico ad Ecclesiam convenire dicendus esset? Ecce, Romanæ urbis, aulæ, imperatorum, ne verbo quidem hactenus meminit Irenæus, sed solius Ecclesiæ Romanæ; et tamen verba hæc, [CXXII] *ob potentiorem principalitatem*, si Grabio fides, non ad Ecclesiam, de qua ex professo sermonem instituit, sed ad urbem, aulam, imperatores, quorum nulla facta est mentio, referenda sunt? Ecquis stomachus absurda hæc concoquere valeat? Quis non videat *potentiorem* illam *principalitatem*, ut legere amat vir clariss., ad eam Ecclesiam pertinere, ad quam fideles omnes sic convenire debent, ut tota conveniendi ratio sit ipsa potentior ejusdem Ecclesiæ principalitas? 3° Denique (et hic causæ cardo est) negare nec potest, nec audet Grabius, quin Irenæi toto hoc capite scopus sit probare, unam et eamdem in omni Ecclesia traditionem apostolicam, et fidem esse, qua confundantur omnes hæretici; eam vero puram et illibatam per continuam episcoporum successionem ad suam usque ætatem manasse. Quia vero longius et molestius fuisset omnium et singularum Ecclesiarum successiones episcopales enumerare, sufficere si unius Ecclesiæ Romanæ successio, per quam apostolica traditio pervenit usque ad illud ævum, recenseatur; quia eadem est aliarum omnium Ecclesiarum cum Romana fides et traditio. Quamobrem recensita episcoporum Romanorum successione, concludit: « Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab apostolis, in Ecclesia traditio, et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate. » Eamdem autem aliarum Ecclesiarum cum Romana fidem et traditionem esse ex eo probat Irenæus, quod ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse sit omnem Ecclesiam convenire. Si ergo Grabianam explicationem admittamus, ea supposita, sic argumentatum fuisse Irenæum dicendum erit: Illarum Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio, quarum fideles necesse est Romam venire, ut Christianorum causam agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas seu potestas suprema. Atqui necesse est fideles ex omnibus Ecclesiis Romam venire, ut causam Christianorum agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas. Igitur omnium Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio. Grabium ipsum judicem volo, quis, nisi delirus, ita argumentetur? Supponamus econtrario, Irenæum argumentari eo modo, quo argumentari superius demonstravi; sic procedet argumentum. Earum Ecclesiarum una et eadem est cum Romana fides et traditio, quas necesse est cum capite, duce et principe Romana, cæteris regendis a Deo præfecta, consentire in rebus fidei atque doctrina. Atqui necesse est omnes Ecclesias, seu quod idem est, fideles omnes, ex quocunque loco, regione aut gente sint, cum Romana Ecclesia omnium capite, duce ac principe, regendis omnibus a Deo præfecta, consentire. Omnium igitur Ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio; ac proinde cum ex traditione hujus Ecclesiæ confundantur hæretici omnes, et schismatici, ex consensu omnium Ecclesiarum confundi necessario consequitur. Judicet quisquis æquus rerum æstimator, et posterius hoc argumentum, quod Irenæi esse merito contendunt Catholici, cum eo conferat, quod sanctissimo martyri Grabius affingit: nisi sponte cæcutire velit, fateatur necesse est, quantum hoc Irenæo repugnat, tantum in illo secum omnia consentire, et ad Irenæi scopum, doctrinam et antecedentia mire quadrare.

35. Sed, inquit Grabius, Ecclesiæ Romanæ tantum abest, ut Irenæus semetipsum, aliosque fideles adeo obstrictos existimaverit, ut publico facto contrarium existimaverit. Cum enim Asianas Ecclesias Victor papa a communione resecuisset, quod Pascha Ecclesiæ Romanæ more celebrare renuerent; non ob id Asianos præsules redarguit Irenæus, quod morem pontifici gerere detrectarent, nec hortatur ut ab Ecclesiæ Romanæ communione se nulla ratione divelli patiantur; sed potius Victorem ipsum increpavit, quod integras Ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscidisset, ut ipsi superius ex Eusebio et aliis retulimus. Dolendum sane quod Grabius futilibus ejusmodi argumentationibus deludi se patiatur. Quæ comparatio institui potest inter res, quæ ad fidem pertinent, et inter eas, quæ ad Ecclesiæ disciplinam spectant? Quis nesciat totam eam de celebrando Paschate quæstionem, ad disciplinam duntaxat, ad fidem nullatenus pertinuisse, et eadem semper inter disputantes, ac illæsa manente fide agitari potuisse? Suam quidem utraque pars sententiam traditione apostolica fulciebat; sed vel tirones non fugit, alias esse traditiones apostolicas, quæ ad

Digitized by Google

fidem aut mores pertinent, alias quæ ad disciplinam; priores, easdem semper et ubique, nulli unquam mutationi obnoxias esse; posteriores vero, pro diversitate locorum et temporum, varias esse posse. Posterioris hujus generis fuit de celebrando Paschate traditio apostolica. Potuit enim alia esse in Oriente, alia vero in Occidente apostolorum agendi ratio, ubique prudens, atque charitate nixa; ex utraque autem nata hic et illic varia disciplina, quam sequi tandiu liberum fuit, quandiu contrariam in conciliis suis non invexit universalis Ecclesia. Porro cum dicimus, necesse esse omnem Ecclesiam cum Romana consentire, de rebus fidei loquimur; non contendimus vero, nec contendunt ipsi pontifices Romani, eamdem esse debere omnium Ecclesiarum cum Romana disciplinam. Et in hoc peccasse Victorem papam contendebant multi, quod a prudenti decessorum suorum œconomia desciscens, Asiaticas Ecclesias ad Romanæ morem et disciplinam obstringere voluisset: contra atque senserant fecerantque priores pontifices Romani, aliique totius Occidentis præsules, qui nullam ea de re litem Asiaticis movendam esse hactenus censuerant. Unde decenter ab Irenæo monitus, ut loquitur Eusebius, ab incepto statim destitit, pacem Asianis restituit, nec deinceps sollicitandos esse existimavit. Sed quam infeliciter ab ea historia argumentum petiit Grabius, tam feliciter idem adversus ipsum retorqueri posset. Nisi enim Victori papæ jurisdictio in orientales Ecclesias fuisset, nunquam certe commisisset, ut iis imperaret, ac Ecclesiæ suæ morem sequi juberet. Cur enim Romanus episcopus Ephesinum, et non Ephesinus Romanum hic sibi subditum ac obsequentem habere vult? Cur Romanus episcopus Ephesinum et non Ephesinus Romanum a communione abscindere præsumit? Sed cur ille, si nulla huic auctoritas erat, insanam hominis arrogantiam ac superbiam non deridet? Negat quidem Ephesinus episcopus, negant et Asiatici cæteri, eo usque patere Romani pontificis auctoritatem, ut cæteros ad privatam Ecclesiæ suæ disciplinam obstringere possit; sed tantum abest auctoritatem [CXXIII] ipsam negent, quin potius jubenti ut per totum Orientem synodos habeant episcopi, hi statim morem gerunt, pontificemque eorum, quæ in conciliis suis definierant, ea, qua par erat, reverentia certiorem faciunt. Imo Irenæus ipse, licet paulo fervidiorem Victoris zelum non probaret; non redarguit tamen quod aliquam sibi in Orientales auctoritatem arrogaret: sed monet duntaxat, idque *decenter* ac reverenter, ne ea auctoritate in præsenti occasione abusus, integras Ecclesias immeritas a communione abscinderet. Adeo certum est, ne ipsos quidem, quibuscum Ecclesia Romana gravissimæ intercedebant controversiæ, primatum illius, auctoritatem et jurisdictionem negare ausos fuisse.

36. Nimirum, ut dixi, unam Ecclesiam esse oportuit, dispersasque per orbem singulares Ecclesias secum invicem unius et ejusdem communionis vinculis colligari; quod fieri non potuit, nisi interventu unius Ecclesiæ, quæ instar centri unitatis cæteras omnes et sibi et secum invicem colligaret. Quisquis vere spiritalis est, huic uni Ecclesiæ immobiliter adhærebit, nec ab unitatis centro divelli se ulla unquam ratione patietur: imo, Irenæo teste [85], « judicabit, » damnabitque « eos qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ: et propter modicas et quaslibet causas, magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt, et dividunt, et, quantum in ipsis est, interficiunt: pacem loquentes, et bellum operantes: vere liquantes culicem, et camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies. » Maxime ponderanda sunt postrema hæc verba: « Nulla a » schismaticis, iisve omnibus, qui ab una cathedra secesserunt, « tanta fieri potest correctio, quanta est schismatis pernicies. » Quamcunque ergo *correctionem* fecisse se glorientur *inanes* homines, hæc *schismatis perniciem* adæquare, et eam, quam fecere, charitatis jacturam compensare nunquam potest. [86] Qui enim ab unitate desciscit, a charitate excidit, amittitque «præcipuum» illud « dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius. » Porro pretiosum illud munus unius *corporis Christi*, illius videlicet Ecclesiæ, in qua est una cathedra, unitatisque centrum, *character* est. « Quapropter, » addit Irenæus [87], « Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum, dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem; reliquis omnibus non habentibus hanc rem ostendere apud se... opprobrium enim eorum, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, et omnes pœnas sustinent, et mortificantur propter eam quæ est erga Deum, dilectionem et confessionem Filii ejus, sola Ecclesia pure sustinet. »

37. Ab ea veræ Ecclesiæ nota, unitate, fluit altera, sanctitas videlicet. Sancta enim non esse non potest, quæ in charitate radicata et fundata est, quæ pretiosum illud Dei munus, omnibus reliquis charismatibus supereminentius, proprio jure possidet. Sancta sit necesse est, cujus ipsum Dei Verbum caput est. Nam, ut ait auctor noster [88], « super omnia quidem Pater, et ipse est caput Christi; per omnia autem Verbum, et ipse est caput Ecclesiæ; » siquidem « Verbum homo universa in semetipsum recapitulans est: uti sicut in supercœlestibus, et spiritalibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum principatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa

[85] Lib. IV, c. 33, n. 7. [86] N. 8. [87] N. 9. [88] Lib. V, cap. 18, n. 2; lib. III, c. 16, n. 6.

Digitized by Google

attrahat ad semetipsum apto tempore. » Ecclesia igitur « est synagoga Dei, quam Deus, hoc est, Filius ipse per semetipsum collegit [89], » quamque per Spiritum sanctum sibi univit; cui « creditum est lumen Dei; » quæ « ubique prædicat veritatem: » ἐπτάμυξος « lucerna, Christi bajulans lumen [90]. » Quidquid igitur docet Ecclesia, quidquid credendum proponit, quidquid faciendum jubet, sanctum est; utpote *testimonium habens a prophetis, et ab apostolis, et ab omnibus discipulis*; in ea siquidem manet Spiritus sanctus, luminis, vitæ et sanctitatis fons, qui huic lucem, vitam et sanctitatem omnem infundit. Quare « fides, quam perceptam ab Ecclesia custodimus, semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescit, et juvenescere facit ipsum vas, in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei munus, quemadmodum inspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; et in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum. » *In Ecclesia enim*, inquit, *posuit Deus apostolos, prophetas, doctores* [91], « et universam reliquam operationem Spiritus; cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam, et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas. »

38. Hinc concludit Irenæus 1° nullam extra veram Christi Ecclesiam, qualem hactenus ex ipso descripsimus, veram doctrinæ morumque sanctitatem esse quærendam; eos quippe, qui non currunt ad Ecclesiam, ubi Spiritus Dei, semetipsos fraudare a vita et omni gratia, per sententiam malam, et operationem pessimam; « nec participare Spiritum sanctum; neque a mamillis matris nutriri in vitam, neque percipere de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodere sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de cœno putidam bibere aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur; rejicientes vero Spiritum, ut non eruditantur. Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, et nunquam sententiam stabilitam habentes, sophistæ verborum magis volentes esse, quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam habentem in seipsa lapides multos [92]. »

39. Concludit 2° in sola vera Ecclesia, vera miracula esse posse: extra Ecclesiæ sinum nulla, ad eorum, quæ reprobat, dogmatum confirmationem, nisi falsa et ementita miracula, merasque præstigias, et magicas operationes fieri posse. « [93] Arguentur qui sunt a Simone et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus facientes ea, quæ faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude; plus lædentes, quam utilitatem præstantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant, nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt, etc. » Tum probat adhuc ætate sua, « in fraternitate sæpissime, propter aliquid necessarium ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversum esse spiritum mortui, et [CXXIV] donatum esse hominem orationibus sanctorum; » pluresque mortuos sic resurrexisse, ut « perseveraverint nobiscum, inquit [94], annis multis; » dæmones passim ex obsessorum corporibus expelli, infirmos per manuum impositionem curari, sanosque restitui, ac multos in Ecclesia videri, qui præscientia futurorum, visionibus, dictionibus propheticis et charismatibus, dono linguarum, etc., conspicui essent. « [95] Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu, crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit; neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens..... sed munde et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini Jesu Christi invocans. » Ex quibus omnibus merito infert [96], « ibi » duntaxat « discere oportere veritatem, ubi charismata Domini posita sunt, » nempe « apud quos est ea, quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio. »

40. Quam certum est autem eam, quam agnovit Irenæus, Ecclesiam, unam et sanctam esse, tam certum est eamdem et catholicam et apostolicam esse. Id evidenter demonstrant ea omnia, quæ hactenus protulimus ex ipso loca. Nihil enim efficacius, ut jam diximus, esse arbitratus est ad retundendam hæreticorum, varias in sectas, secumque pugnantes divisorum, pervicaciam, quam ut iis opponeret unanimem totius Ecclesiæ per totum mundum longe lateque propagatæ consensum in rejiciendis, profligandisque nefariis eorum dogmatibus. Hinc perpetuo urget, ut vidimus [97], « Ecclesiam per universum orbem usque ad fines terræ seminatam, in universum mundum disseminatam; : per Germaniam, Hispanias, Gallias, Orientem, Ægyptum, Libyam et Judæam dispersam; apud « multas gentes barbarorum » et « per universum mundum [98] » constitutam, circumeuntem mundum universum; ac denique vineam « non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum [99], » cujus tamen esset una fides, doctrina et traditio,

[89] Cap. 6, n. 1. [90] Lib. III, c. 24, n. 1. [91] I Cor. XII. 28. [92] Iren., lib. III, c. 24, n. 2. [93] Lib. II, cap. 31, n. 2 et 3, et cap. seq. n. 2 et 4. [94] Lib. V, c. 6, n. 1. [95] Lib. II, cap. 23, n. 4. [96] Lib. III, c. 26, n. 5. [97] Lib. I, c. 10, n. 1, 2. [98] Lib. III, c. 4, n. 2, et c. 12, n. 8. [99] Lib. IV, cap. 36, n. 2.

Digitized by Google

una anima, unum cor, unum os, una et eadem prædicatio, ac regiminis ecclesiastici forma. Rideat proinde, vel sui compos non sit necesse est, quisquis Ecclesiam tam longe lateque propagatam, visibilem ac conspicuam esse neget, et ad fictitium quemdam et invisibilem electorum cœtum coerceat. Ecqui latere possit, « cujus lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire[1] ? » Quomodo ignota esse possit, quæ « ubique prædicat veritatem, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur, » quæ « plantata est paradisus in hoc mundo, » quæque « ubique præclara est[2] ? » Qui denique invisibilis esse queat, quæ « est ἀπτάμυξος lucerna, Christi bajulans lumen; cui creditum est lumen Dei; et propter hoc » sapientia « Dei, per quam salvat omnes homines, in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit[3], in summis muris prædicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur[4] ? »

41. Nihil etiam validius ad confundendos eos omnes, qui vel male sentiunt, vel præterquam oportet, colligunt, esse existimavit auctor noster, quam iis Ecclesiam apostolicam objicere. Hinc tam sæpe, tamque constanter inculcat, ut ostendimus, eamdem Ecclesiam ab apostolis ipsis suam accepisse fidem, doctrinam et traditionem, ab iis fundatam esse, et ordinatam, ab iis constitutos fuisse episcopos, penes quos in unaquaque Ecclesia summa rerum esset, a quibus sibi invicem succedentibus perpetuo regeretur et administraretur; hacque continua episcoporum successione, nunquam desitura, unam et eamdem, apostolicam, puram et intemeratam ad nos usque manare fidem et traditionem. Hinc in ea successione certissimum corporis Christi, seu Ecclesiæ characterem positum esse vult, quo ab infidelium, hæreticorum et schismaticorum conventiculis secernatur. « Character, inquit, corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt. » Ubi perperam contendit, nullo certe argumento probat, clariss. Grabius, hic *characterem* non tam signum, sive notam, quam formam, sive figuram Ecclesiæ denotare. Quod etiamsi obtineret, male tamen adhuc causæ suæ consuleret. Id enim, velit, nolit, ex Irenæo constabit, eam *secundum successiones episcoporum* formam in corpore Christi sive Ecclesia, ab apostolis ipsis constitutam esse; ac proinde ea semper nota discriminatum iri veram Christi Ecclesiam, ab apostolis fundatam, a quacunque alia societate; quod in illa forma sit secundum legitimam episcoporum successionem, quæ in hac desit.[5] Hinc « eos qui ab Ecclesia sunt, eamdem figuram ejus, quæ est erga Ecclesiam, ordinationis, » id est eamdem regiminis ecclesiastici formam, quam constituerunt apostoli, semper custodire asserit auctor noster. Hinc demum jure merito infert, sectis quibuscunque hæreticis aut schismaticis antiquiorem esse veram Ecclesiam, utpote quæ originem apostolis, imo ipsi Christo capiti suo acceptam referat[6]: « Omnes vero hæreticos valde posteriores esse, quam episcopos, quibus apostoli tradiderunt Ecclesias. » Apud barbaros siquidem jam obtinebat ea, quam prædicabat Ecclesia, fides; quibus tamen, ne quidem nomine tenus, notæ erant hæreticorum sectæ; longe minus eorum sententiæ: « nequedum enim congregatio » hæreticorum « fuit apud eos, neque doctrina instituta[7]. » Deinde uniuscujusque hæreseos initia, primosque parentes et architectos facile assignari posse; recentioris quippe memoriæ esse: Ecclesiæ vero catholicæ exordia in Christum solum, ejusque apostolos refundi posse. « Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores, et inventores perversitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino vixit.... Marcion autem illi succedens invaluit sub Aniceto... Reliqui vero, qui vocantur Gnostici, a Menandro Simonis discipulo, quemadmodum ostendimus accipientes initia unusquisque eorum, cujus principatus est sententiæ, ejus et pater, et antistes apparuit. Omnes autem hi multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam. »

42. Certissimis hisce characteribus, hactenus explicatis, eam Ecclesiam, cujus fidem et traditionem contra hæreticos propugnabat Irenæus, definit, et a qualibet alia societate discriminat, ac discriminari vult. Quænam vero ea fuerit Ecclesia, haud ambigat quisquis Irenæum dicentem audierit, ad Romanam Ecclesiam necesse esse omnem Ecclesiam, si veræ Ecclesiæ membrum et pars esse velit, convenire, id est, ut superius demonstravimus, in una cum ea fide, traditione atque doctrina consentire, ejusque communioni adhærere: et quisquis meminerit sanctissimum apostolicorum [CXXV] virorum discipulum cum ea semper Ecclesia individua communionis societate vinctum ad mortem usque perseverasse. Porro si Romana Ecclesia ideo fuerit secundo sæculo vera Christi Ecclesia, quia sola prædictis veræ Ecclesiæ characteribus ac notis insigniebatur, necesse est eamdem et solam, nostremis etiam hisce sæculis, veram esse Christi Ecclesiam, cum in eam solam conveniant illi characteres. Quisquis enim sepositis tantisper præjudiciis, sectas omnes, quæ jam corpus Christi misere lacerant, percurrere voluerit, evestigio deprehendet Ecclesiam

[1] Lib. I, c. 10, n. 2. [2] Lib. V, c. 20, n. 1, 2. [3] Prov. I, 20, 21. [4] Lib. IV, cap. 36, n. 2. [5] Lib. V, c. 20. n. 1. [6] Ibid. [7] Lib. III, c. 4, n. 2, 3.

Digitized by Google

Romanam solam esse quæ sit unius fidei, unius doctrinæ, unius oris, ac labii, quæque secum ubique consentiat in rebus fidei ac morum, communi pastorum sententia definitis; aliis omnibus sectis in tot fere sententias, quot capita divisis, alternantibusque variorum dogmatum fluctibus in hæc, vel illa jactatis, pro ratione temporum, affectuum, commodi aut incommodi; solam Romanam Ecclesiam sanctam esse, non quod omnia ejus membra a peccato immunia sint, in agro quippe Dominico paleæ cum frumento permistæ sunt; sed quod, cum sola nihil nisi sanctum doceat, præcipiatque, in ea sola resideat Spiritus sanctus gratiarum omnium et charismatum fons, qui plures, etiam nostris diebus, ad eximium sanctitatis gradum perduxit, verorumque miraculorum gloria illustravit; dum aliæ omnes sectæ, cum a vera sanctitatis laude procul desciverint nullos peccantibus frenos injicere valeant, eaque doceant absurditatis plena dogmata, quibus fidei, morumque sanctitas funditus evertatur; quale est illud, peccatores sola fide veram justitiam consequi posse, neminemque justum a vera quam semel consecutus est, justitia excidere unquam posse; quæ fuerunt ipsissima Gnosticorum exitiosissima principia, quibus latissimum ad scelera omnia aditum pandi alibi ostendimus; solam Ecclesiam Romanam apostolicam esse, ac continua episcoporum pastorumque suorum successione ab apostolis derivatam, fidemque et traditionem, quam ab iis accepit, illibatam custodiisse; cum aliæ omnes sectæ temere abrupta successione apostolica, novas sibi Ecclesias condiderint, quarum novi sunt auctores ac fundatores; solam denique Romanam Ecclesiam catholicam esse et universalem, per totum mundum propagatam, ubique perspicuam et insignem, miraque fecunditate gaudentem, novos sibi et Christo sponso suo in dies filios, per eos, quos ad remotissimas gentes mittit pastores et doctores, parere; aliis omnibus sectis in angulo orbis, et intra certarum regionum fines conclusis, longeque minus sollicitis de novis Christo gignendis filiis, quam de veteribus pervertendis.

43. Hæc, ac potissimum Romanæ Ecclesiæ amplitudinem, cum post Irenæum frequenter in notis suis tam vere quam pie inculcaverit, aliisque Patrum sententiis confirmaverit doctissimus, bonæque memoriæ Feuardentius, molestissima ejus argumenta eludere, propitiosque sibi, si posset, Irenæum et Augustinum, cujus etiam auctoritatem objiciebat Feuardentius, facere pro virili sua conatus est Grabius in notis suis ad Irenæi lib. IV, c. al. LXX, nunc XXXVI. Itaque fatetur Augustinum in certamine cum Donatistis multum in eo fuisse, ut universitatem, ipsumque nomen catholicum, tanquam proprium veræ Ecclesiæ characterem assereret, quo a falsis hæreticorum et schismaticorum cœtibus, in parte mundi hærentibus, et ab ea, vel ab auctoribus suis denominationem indeptis distingueretur. Atque ita plerumque rem ejus ævo et ante se habuisse. Secus vero sentiendum de sequiori ac ultima prope mundi ætate, deque tempore illo (toties a ministris Calvinianis et Lutheranis decantato) meretricis magnæ, cujus mentio Apocal. capp. XVII, XVIII et XIX. « Quæ, inquit, non de S. Joannis solum, sed et ultima mundi ætate ab ipsis pontificiis, et quidem Societatis Jesu theologis plerisque, in sacram Apocalypsin Commentariis, ingenue explicata sunt, nec aliam expositionem admittunt. Tunc sane, addit, qui inductus universitate et amplitudine istius corruptæ Ecclesiæ, ex virgine in meretricem versæ, eam amplexus fuerit, næ is misere semetipsum deceperit. » Sic cl. Grabius. Cui ego : Næ potius is miserrime semetipsum, aliosque decipiat, qui frivolis ejusmodi ratiunculis inductus, apertissimis sanctorum Patrum testimoniis vim inferat, efficacissimaque eorum argumenta sic infirmet, ut ea vel levissimo spiritu diffiare hæretici omnes ac schismatici semper potuerint. Nihil certius, Irenæum, Optatum, Augustinum, aliosque SS. Patres Ecclesiæ amplitudinem et universitatem objecisse. At nisi amplitudo hæc et universitas, essentialis ac perpetuus sit Ecclesiæ character, nihil infirmius argumento ab ea amplitudine petito. Quo enim jure huic respondere se posse putat Grabius, valuisse quidem prioribus sæculis, tum cum virgo adhuc esset Ecclesia, non valere vero postrema mundi ætate, qua virgo illa in meretricem versa est : eodem prorsus reponere potuisset Gnosticus quivis Sabellanius, Arianus, Nestorianus, Donatista, etc. Ecclesiam jam a pristina sanctitate et fide sic defecisse, ut quisquis inductus universitate et amplitudine istius corruptæ Ecclesiæ, ex virgine in meretricem versæ, eam amplecteretur, is misere semetipsum deciperet; ac proinde si hac responsione a Catholicorum telis tutum se esse, ac veræ Christi Ecclesiæ ad angustiores redactæ limites membrum putet vir doctissimus; fateatur necesse est eodem se clypeo munire merito potuisse perditissimos quosvis hæreticos, cum veteres, tum recentiores, ac veræ Ecclesiæ membrorum titulo gloriari. Infelix certe Grabius, qui responsis suis arma ministret hæreticis quibuscunque, quorum ictum nulla arte declinare ipse valeat.

44. Sed ne quod toties a Catholicis feliciter actum est, hic iterum agere cogar, id unum a Grabio quæram; an postrema hac mundi ætate societas quædam in orbe supersit, quæ vera Christi Ecclesia jure dici possit? Superstitem esse non negabit, puto, si prophetarum oraculis, Christique ipsius et Evangelii dictis, quibus perituram nunquam Ecclesiam prænuntiatur, fidem habeat. Porro si vera aliqua Ecclesia nunc in orbe supersit, talem esse necesse est, iisdemque characteribus insignitam, qualem et quibus notis conspicuam esse voluit Christus. At ex Scripturis propheticis et evangelicis certissimum est, universitatem et amplitudinem proprium esse, essentialem, ac proinde perpetuum illius, qualem constituit Christus, Ecclesiæ

Digitized by Google

characterem. Id adeo perspicue, efficaciter et invicte demonstrat Augustinus in libro *De unitate Ecclesiæ*, ne alios proferam, quos scripsit contra Donatistas, ut prorsus obstruatur os loquentium iniqua. Allatis et expensis Scripturarum utriusque Testamenti vocibus concludit S. doctor § 32. « Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. [CXXVI] Hoc in lege, et prophetis, et psalmis esse prænuntiatum ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam a Jerusalem, et per omnes gentes permanaturam esse prædixit; testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judæa, et Samaria, et usque in totam terram, cum jam in cœlum ascenderet, prænuntiavit. Hæc verba facta secuta sunt. Quomodo cœptum sit a Jerusalem, et deinde processum in Judæam, et Samariam, et inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis testibus consequenter ostenditur : quisquis aliud evangelizat, anathema sit. Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse (jam dicendum est, in parte Calvini et Lutheri in sola Anglia, Belgio et Germania remansisse) dicit. Ergo anathema sit. Aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, et non sit anathema. »

45. Respondebunt forte recentiores Donatistæ, quod veteres illi apud Augustinum § 33. « Et ista, inquiunt, credimus, et completa esse confitemur; sed postea orbis terrarum apostatavit, et sola remansit Donati (Calvini et Lutheri) communio. » Sed statim cum Augustino reponemus : « Hoc nobis legant et nihil resistimus. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur; credo illa, quæ in Scripturis sanctis leguntur, non credo ista, quæ ab hæreticis vanis dicuntur. » Æquissima certe conditio ab Augustino proposita. Cum enim apertissima sint, et, ut Augustini verbis, § 56, utar, « nullo interprete indigeant canonicarum Scripturarum testimonia, quæ commendant Ecclesiam in totius orbis communione consistere; » quisquis asserit amplitudinem hanc et universitatem non fore perpetuam veræ Ecclesiæ notam, necesse est tam clara et aperta Scripturarum testimonia proferat quibus assertionem suam probet. Nisi enim Deus fallere nos voluerit, quod absit ut vel cogitemus, commendata ubique et designata Ecclesia sua, velut societate quadam, quæ præ cæteris omnibus amplitudine et universitate insignis foret; debuit pro bonitate sua, alicubi saltem tam disertis verbis monere amplitudinem hanc, temporalem duntaxat Ecclesiæ notam fore, postrema mundi ætate desituram; ac tandem aliquando futurum esse, ut Ecclesia, quæ prioribus sæculis orbem totum obtineret, postrema mundi ætate angustioribus septa limitibus, in nima mundi parte coerceretur. Hinc Augustinus § 72, 73, cujus verba sibi dicta putet Grabius, et quisquis enim ipso misere deceptus tam immaniter errat. « Audistis, inquit, pastoris vocem manifestissimam, non solum per legem ejus, et prophetas et psalmos, sed etiam per os proprium commendantis Ecclesiam suam futuram. Et ea quæ prædixit, quemadmodum ex ordine consecuta sint, in Actibus et Litteris apostolorum, quæ divinarum Scripturarum canonem complent, legendo perspicitis Non est obscura quæstio in qua vos fallant, quos ipse Dominus prædixit futuros atque dicturos : *Ecce hic est Christus, ecce illic, ecce in deserto*, quasi ubi non est frequentia multitudinis; *ecce in cubiculis*[8], quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Habetis Ecclesiam ubique diffundi, (nec tantum, sed) et crescere usque ad messem, id est usque ad extremum judicii diem. Habetis civitatem de qua ipse, qui eam condidit, ait : *Non potest civitas abscondi super montem posita*[9]. Ipsa est ergo, quæ non aliqua parte terrarum, sed ubique notissima est.... Vos autem innitentes tot evidentissimis testimoniis Legis, Prophetarum, Psalmorum, ipsius Domini, et Apostolorum de sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, exigite ab istis, ut ostendant de Africa (jam de Anglia, etc.) quod attinet ad partem Donati (jam Calvini et Lutheri), aliqua manifesta de canonicis libris testimonia. Neque enim, sicut jam dixi, ullo modo fieri posset, ut Ecclesia, sicut dicunt, et quod absit, tam cito ex tot gentibus periitura, tot testimoniis tam sublimiter et tam indubitanter prædicaretur; et de ista, quam volunt, sua, quæ usque in finem, sicut contendunt, permansura fuerat, taceretur. » Proinde Grabius et asseclæ « perscrutentur Scripturas (et hic iterum Augustini verba sunt § 42), et contra tam multa testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Christi toto terrarum orbe diffundi, vel unum proferant tam certum et tam manifestum, quam illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi periisse de cæteris gentibus et in sola « Anglia » remansisse... Sed quam non permittantur saltem quærere aliquid, quo probent esse prædictum, deficientibus a fide Christiana cæteris gentibus, in sola « Anglia » Ecclesiam remansuram : attendant illud quod sæpe commemoravi, *utraque crescere usque ad messem, et agrum esse mundum, messem finem sæculi*[10], non nobis, sed ipse Domino interpretante parabolam suam... Desinant ergo quærere quod invenire non poterunt, non quia occultum est, sed quia non est. Sunt enim adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum est Evangelium prædicatum; necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo et Ecclesia prædicta sunt : oportet ergo et in eis prædicari. »

46. At, inquit Grabius, legimus in Apocalypsi futuram esse meretricem magnam, cum qua fornicabuntur reges terræ, et inebriabuntur qui habitant

[8] Matth. xxiv, 23. [9] Matth. v, 14. [10] Matth. xiii, 30.

Digitized by Google

terram, de vino prostitutionis ejus, etc., quæ de ultima mundi ætate ab ipsis pontificiis explicantur. Sed rursus cum Augustino § 9 respondebo, « illa seponenda esse, quæ obscure posita, et figurarum velaminibus involuta (qualia sunt ea fere omnia, quæ in Apocalypsi leguntur), et secundum nos et secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum dijudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur; sed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea causa, quæ populos tenet, nostram disputationem committere.... Aperta veritas clamet, luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat, nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat. Si quæ ejusmodi Scripturæ loca habeat Grabius, proferat; sed Apocalypseos interpretationem Deo soli committat, memineritque quam infeliciter quibusdam e suis cesserit. Quanquam tamen si sacræ hujus prophetiæ mysteria scrutari liceat, longe facilius quæcunque de meretrice illa magna prænuntiantur, possumus in Protestantes ipsos convertere, et ei quam fidei et moribus intulerunt, corruptelæ accommodare, quam possint in Ecclesiam Romanam transferre. Sed missis hisce « rerum figuris, in quibus, ut rursus ait Augustinus § 10, quia vel interpretem quærunt, nolo nostra ingenia comparentur, » concludamus : cum in Scripturis hac universitatis, amplitudinisque nota designetur ea, quam constituit Christus, Ecclesia, nec aliquando desituram eam notam ullibi appareat; si quæ hodie in orbe vera supersit Ecclesia, eam solam esse quæ cæteris societatibus longius latiusque pateat; ac proinde solam Romanam esse. « [11] Illæ quippe singulæ in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur; hæc autem, quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur. »

ARTICULUS V.

De mysterio sanctissimæ Trinitatis.

[CXXVII] 47. Totam, quam de sacro Trinitatis mysterio tenet Ecclesia catholica, fidem paucissimis comprehensam verbis tradidit Augustinus lib. XI *De Civit. Dei* c. 24 : « Credimus, inquit, et tenemus, et fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, æternus coæternum, summe bonus æqualiter bonum : et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coæternus ambobus : atque hoc totum et Trinitas sit propter Trinitatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam. Ita ut etiam, cum de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus omnipotens esse respondeatur; cum vero de omnibus simul, non tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens : tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari. » Hæc, inquam, catholicæ fidei summa, a qua late recessisse Irenæum calumniantur Sociniani, quorum maxime interfuit tantæ auctoritatis virum in partes suas vel invitum pertrahere. De ea minus recte sensisse, imprudentius quam malignius conquesti sunt e Catholicis quidam. Hunc ab utrorumque criminationibus strenue vindicarunt cl. Georgius Bullus presbyter Anglicanus in sua *Defensione fidei Nicænæ*, et doctissimus noster domnus Nicolaus Le Nourry, in *Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum*, t. II prioris edit., an. 1697, dissert. VI, cap. 6, § 2 et seqq., quorum lucubrationibus si nihil addere potuerim, saltem aliquid lucis forsitan inspersurus sim.

48. Ut Irenæi mens certius exploretur, tutior omnium via est penitus inspicere quis fuerit ejus scopus, quæ adversariorum, quos impugnabat, hypothesis, quid demum adversus eos probandum sibi susceperit? Animo itaque recolat quisquis primam nostram dissertationem, ac potissimum art. I, § 5 et seqq., legere gravatus non fuerit, Gnosticos omnes, et Valentinianos, quos refellebat Irenæus, fidem omnem mysterii SS. Trinitatis profanis, Platonicisque suis commentis funditus evertisse : adeo ut ex impurissimis hisce fontibus fluxerit, quæ deinceps Christianam religionem infecit, Sabelliana et Ariana hæresis. Ad Trinitatem usque divinarum personarum, quarum una eademque esset natura ac substantia divina, animum erigere non valentes, statuebant Deum, quem primum ac supremum Patrem appellabant, immensis sæculorum intervallis solitarium, unumque ut natura, sic et persona fuisse, tacite secum cogitantem, unaque sua cogitatione contentum et occupatum. Cum vero exterius sese prodere, orbem condendo, animo constituisset, in actum erupit, qui rerum omnium seminarium, principium, forma et archetypus esset : hunc que vocabant Nun, Mentem seu sensum, et Filium unigenitum Patris, parentique suo perfecte similem et æqualem esse dice-

[11] August., § 6.

Digitized by Google

bant, atque ita comparatum, ut solus magnitudinem Patris caperet; utpote qui a Patre haudquaquam sive re, sive persona distinctus esset: nihilque aliud esset quam Pater ipse sentiens, ac exterius velut effundere sese incipiens. A Nu productum aiebant Verbum, quod rerum spiritalium, angelorum videlicet superiorum principium, auctor et formator esset, Angelus ipse a Patre, ejusque Nu, substantia et persona longe diversus: nec enim huic, ut Unigenito, datum capere magnitudinem Patris. A Verbo emissi sunt alii Æones, seu angeli, a quibus vicissim alii geniti; ab omnibus vero simul conspirantibus productus Salvator, qui inferiorem angelum mundi hujus aspectabilis conditorem dirigeret. Cum autem novissimus Æon supremi Patris magnitudinem temere scrutatus pene periisset; ne idem casus alios subiret, emissum ab Unigenito alterum par Æonum, seu angelorum, Christus et Spiritus sanctus, a quibus fulciretur munireturque Pleroma. Summa proinde, quod ad rem præsentem attinet, huc redit: Patrem Verbo et Spiritui sancto longis sæculorum myriadibus præexstitisse; Unigenitum illum, quem dicebant, Filium, meram Patris ἐνέργειαν, efficientiam, actum, aut proprietatem ἀνυπόστατον, non personam ab eo distinctam fuisse: Verbum autem, Spiritum sanctum, Christum et Salvatorem totidem spiritales naturas et personas, angelici ordinis, a se invicem distinctas, et in tempore conditas, atque divina seu paterna longe inferiores exstitisse: Demiurgum denique, seu mundi opificem, angelum et ipsum fuisse, sed præcedentibus ignobiliorem; qui nec in Pleromate, aliorum sede, locum haberet, et densioribus ignorantiæ tenebris obvolutus natus esset. Hæc sunt hæreticorum commenta, quæ confutanda sibi suscepit Irenæus, ac toto opere passim confutat.

49. Et primo quidem quia hæretici veriis, quæ passim in Scripturis occurrunt, Christi et Verbi nominibus abusi, male distinguebant inter unigenitum Filium, Verbum, Christum, Jesum, Salvatorem et Demiurgum; qua prava distinctione nitebatur Valentiniani systematis maxima pars: vanam eam esse probat Irenæus, primum auctoritate Evangelii Joannis; quo exposito concludit lib. I, cap. 9, n. 3: « Unum et eumdem ostendi Logon, et Monogenem, et Zoen, et Phos, et Soterem, et Christum Filium Dei, qui incarnatus est pro nobis. » Et lib. II, cap. 13, eam, quam inter Patrem, Nun et Verbum distinctionem interponebant hæretici, cum eo, quem fingebant emissionum ordine, cum recta ratione pugnare multis demonstrat. In primis cum Nus, seu mens sit « ipsum quod est principale, et summum, et velut principium, et fons universi sensus, » et cogitationis, uno verbo mens ipsa essentialis et substantialis Patris, et ipse Pater; emissum dici non nisi absurdissime posse, ne Deus ipse et Pater « a semetipso separetur, et quasi ab alio aliud emittatur [12]. » Deinde si ea emissionum series, qualem comminiscebantur hæretici, in Deo admittitur, ita ut longe prius exstiterit Pater, quam Verbum suum emiserit, hocque ab illo tam procul distet; hominum compositorum natura, et ex corpore et anima subsistentium, affectiones, et intentiones mentis, dum cogitant, in Deum ipsum transferri necessario consequitur. Ea est enim hominum conditio, ut verbum ab eorum mente non emittatur, nisi post aliquam actuum seriem et successionem. « [13] In eo autem, qui sit super omnes Deus, cum simplex et non compositus, et similimembrius, et totus ipse sibi similis, et æqualis sit, totus Nus, et totus Logos cum [CXXVIII] sit, totus sensus, et totus ennœa, et totus ratio; et nec aliud antiquius, nec posterius, aut aliquid alterius habente in se, sed toto æquali, et simili, et uno perseverante, jam non talis hujus ordinationis sequetur emissio. » Et cap. 17, n. 7: « Non enim ut compositum animal quiddam est omnium Pater, præter Nun, quemadmodum præostendimus; sed Nus Pater, et Pater Nus. Necesse est itaque, et eum, qui est ex eo Logos, imo magis autem ipsum Nun, cum sit Logos, perfectum et impassibilem esse; et eas, quæ ex eo sunt emissiones, ejusdem substantiæ cum sint, cujus et ipse, perfectas et impassibiles et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit. »

50. Hæc sunt argumenta, quibus Valentinianos impugnabat Irenæus. 1° Velut certissimum quid, ex catholica fide et Evangelio supponebat, Unigenitum, Verbum, Salvatorem et Christum Filium Dei, qui incarnatus est pro nobis, *unum et eumdem*, seu unam et eamdem esse personam, cujus diversa duntaxat essent nomina. Deinde in hoc assentiebatur hæreticis (quod et catholica fides probabat), non quod Unigenitus mera esset Patris ἐνέργεια, ut illi volebant; sed quod Unigenitus, per quem facta esse omnia cum Joanne asserebat, ipsi Patri consubstantialis esset, ei perfecte similis, et perfecte comprehendens magnitudinem Patris. Ex quo concludebat, et Verbum ipsum Patri consubstantiale esse, huic perfecte simile, et comprehendens ejus magnitudinem. 3° Quia hæretici Verbum procul a Patre, et natura et ordine generationis dissitum, ignorantiæ et passioni obnoxium esse statuebant; eodem fundamento nixus blasphemiam hanc refellit. Nimirum, Logos est ipse Nus, et Nus est Logos: eadem proinde utriusque et substantia, et natura, et perfectio. Præterea necesse est eas, quæ ex Nu sunt emissiones, ejusdem substantiæ esse, cujus et ipse Nus, perfectas et impassibiles et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit. Atqui Nus Patris, ipsis fatentibus hæreticis, Verbum emisit. Necesse est itaque Verbum ejusdem esse substantiæ cum Nu Patris, perfectum et impassibile et semper simile cum eo. 4° « Multum

[12] Iren., lib. II, c. 13, n. 4. [13] N. 3 et 8.

Digitized by Google

distat omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus et passionibus. » Eæ vero sunt hominum affectiones et passiones, ut verbum eorum prolationis initium habeat, et mente cogitante posterius genesim habeat in tempore. Cum ergo Verbum Dei verbum humanum infinito superet intervallo, nec prolationis initium habere potuit, nec genesim in tempore. Denique quidquid in Deo est, Deus ipse est : nec enim aliud antiquius, nec posterius, aut aliud alterius, seu a se diversum habet in se ; sed totus simplex est, et non compositus, totus æqualis, et similis, et unus perseverans. Atqui Verbum et Spiritus sanctus in Deo sunt, et Dei Verbum et Spiritus sanctus sunt ; nam ipse Deus Verbum, totus Spiritus, totus Logos, totus Nus, etc. Igitur Verbum et Spiritus sanctus sunt ejusdem cum Deo substantiæ et naturæ, ejusdem cum eo antiquitatis et æternitatis, huic coævi et consubstantiales ; uno verbo, Deus ipse. Quin hæc ipsissima sint Irenæi argumenta, nullus inficias ierit, qui ad mox citata testimonia, totumque ejusdem scopum attenderit : eadem certe argumenta, quibus deinceps usi sunt SS. Patres contra Arianos et Macedonianos, et utuntur etiamnum theologi ad Socinianorum impietatem refellendam. Eadem proinde in utrisque de mysterio sanctissimæ Trinitatis fides. Nec tamen iis contentus martyr sanctissimus, vel eadem latius explicat, vel alia subinde profert, quibus, quam recte et catholice senserit, magis ac magis demonstretur.

51. Quia, ut dixi, negabant hæretici Verbi Dei æternitatem, fingebantque nec ab ipso Patre, nec a Verbo ejus immediate conditum esse aspectabilem hunc mundum, sed « a Virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem ; » hoc commentum confutans Irenæus lib. II, cap. 2, ostendit n. 4 et 5 homines quidem « inopes » cum sint, « nec possint statim aliquid ex parato fabricare, indigere multis organis ad » rei alicujus « fabricationem. Proprium » autem « esse hoc Dei supereminentiæ, non indigere aliis organis ad conditionem eorum » (ad condenda ea) « quæ fiunt ; neque angelis indigere adjutoribus ad ea, quæ fiunt, neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem ; sed idoneum esse et sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, quemadmodum et Joannes Domini discipulus ait de eo : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [14]. In omnibus autem est et hic qui est secundum nos, mundus. Et hic ergo a Verbo factus est, » etc. Eadem summatim repetens cap. 30, n. 9 : « Deum ipsum a semetipso fecisse libere et ex sua potestate, et disposuisse, et perfecisse omnia, et esse substantiam omnium voluntatem ejus : Solus, addit, unus Deus fabricator, hic qui est super omnem Principalitatem, et Potestatem, et Dominationem, et Virtutem : hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum et Sapientiam suam, cœlum, et terram, et maria, et omnia quæ in eis sunt : hic justus, hic bonus, etc., hic Deus Abraham, et Deus Isaac, etc., hic Pater Domini nostri Jesu Christi per Verbum suum, qui est Filius ejus, per eum revelatur et manifestatur omnibus, » etc. Hæc igitur apud Irenæum certa et demonstrata, unum Deum omnia prorsus, tam visibilia quam invisibilia condidisse, eumque esse, qui sit super omnem Principalitatem, Potestatem, Dominationem, uno verbo supra omnes angelos, et omnium Pater ; condidisse, inquam, non per organa et instrumenta a se diversa, et alterius a se naturæ, sed per semetipsum, hoc est per Verbum, Filium suum, et Sapientiam suam, id est Spiritum sanctum, ut ipse explicat lib. IV, c. 20, n. 1 : « Nec enim, ait, horum (angelorum) indigebat Deus ad faciendum quæ ipse apud se prædefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [15] ; ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens. » Eapropter Verbum et Spiritum sanctum vocat *Dei manus*, non hic modo, sed et in ejusdem libri Præfatione, et lib. III, c. 21, n. 10. Eas vero manus cum opponat *aliis organis*, et *Virtuti inferiori*, hinc manifeste sequitur, Verbum et Spiritum sanctum a Patre quidem distingui, utpote quibuscum consilium habeat, dum ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ; non tamen inferioris, et alterius ab eo naturæ esse : sicuti proportione servata, manus hominis a corpore, cujus sunt manus, natura et substantia non differunt. Imo manifeste se ipse explicat Irenæus, cum ait, unum Deum omnia fecisse *per semetipsum*, hoc est, addit, *per Verbum et Sapientiam suam*. Verbum igitur et Spiritus sanctus sunt unus et idem cum Patre Deus, una et eadem cum eo substantia et natura.

[CXXIX] 52. Ex iis concludit Irenæus, Verbum seu Filium, et Spiritum sanctum, nedum rebus omnibus creatis præexstitisse, sed et ipsi Patri semper coexstitisse, ac coæternos fuisse. Deus siquidem « suas semper habuit manus : adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus. » Et lib. II, cap. 30, n. 9. « Semper autem coexsistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem, et angelis, et archangelis, et Potestatibus, et Virtutibus, et omnibus, quibus vult revelare Deus. » Et cap 25, n. 8, rationem afferens cur plurima sint, quæ mentis humanæ captum superant, quæque proinde curiosius et sollicitius a nobis investiganda non sint ; docet Dei solius, a quo facta sunt omnia,

[14] Joan. I, 3. [15] Gen. I, 26.

Digitized by Google

proprium esse omnia nosse; hominem vero « esse in infinitum minorem Deo; » et « in quantum minor est ab eo qui factus non est, et qui semper idem est, in tantum secundum scientiam, et ad investigandum causas omnium, minorem esse eo qui fecit. » Non enim, ait, « infectus es, o homo, neque semper coexsistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum; sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit. » Ideo ergo finita est, angustisque coarctata limitibus hominis scientia, quia « initium facturæ accepit, » et « in infinitum minor est Deo; » ideo vero Verbi Dei scientia infinita, quia *infectum* est, Deoque semper coexstitit. Eadem ratio est, quam affert lib. IV, c. 13, n. 4, ut probet, Verbum divinum, quod hominum saluti semper consuluerit, et Abrahæ amicitiam conciliare sibi veluti studuerit, non indigentia fecisse. « Sed neque Abrahæ amicitiam propter indigentiam assumpsit Dei Verbum, exsistens ab initio perfectus : *Antequam Abraham esset, ego sum*, inquit [16]; sed ut ipsi Abrahæ donaret æternam vitam, exsistens ab initio bonus, quoniam amicitia Dei immortalitatis est condonatrix his qui aggrediuntur eam. » Nullius igitur rei indigum Dei Verbum, quia exsistit ab initio perfectum, et bonum, ac fons omnium bonorum; Deusque natura cum sit, amicis suis donat æternam vitam et immortalitatem. Et hinc infert Irenæus principio capitis sequentis, « initio non quasi indigentem Deum hominis, plasmavisse Adam, sed ut haberet in quem collocaret beneficia sua. Non enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo; et ipse a Patre clarificabatur, quemadmodum ipse ait : *Pater, clarifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret* [17]. » Denique cap. 20, n. 3, probans quod n. 1 dixerat, « Adesse Patri semper Verbum et Sapientiam, Filium et Spiritum, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit; » hæc habet : « Et quoniam Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait : *Deus sapientia fundavit terram, paravit autem cœlum prudentia* [18], etc. Et rursus : *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua* [19], etc. Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit, et aptavit omnia, » etc. Filius igitur et Spiritus sanctus sic apud Deum Patrem fuerunt ante omnem, non visibilium modo, sed et invisibilium, et Æonum, quam fingebant hæretici, constitutionem, ut Patri semper adfuerint, ipsi coæterni, ac coævi, Verbum, Sapientia, et manus Patris, quibus carere nunquam potuit, quamvis Angelis aut Virtutibus inferioribus quibusvis facile semper carere potuerit.

53. Nec vero Irenæo satis fuit probasse divini Verbi et Spiritus sancti æternitatem, sed causæ jugulum petens passim asserit et demonstrat utrumque Patri consubstantialem esse, ejusdem cum eo naturæ et substantiæ : quamvis id satis aperte consequatur ex hactenus dictis. Nam ex S. doctoris principiis, quodcunque infectum est, et sine initio, vere et substantialiter Deus est. Quo certissimo principio probat lib. III, cap. 8, n. 2 et 3, « nihil quidquam ex his quæ constituta, et in subjectione sunt, » nec proinde Angelos, Archangelos, etc., a Deo constitutos et factos per Verbum ejus, et per Spiritum oris ejus, per quem cœli firmati sunt, et omnis virtus eorum, auctori suo comparari posse. Infinite enim distant « quæ constituta sunt ab eo qui constituit, et quæ facta sunt ab eo qui fecit. Ipse enim infectus, et sine initio, et sine fine, et nullius indigens, ipse sibi sufficiens, et adhuc reliquis omnibus, ut sint, præstans; quæ vero ab eo sunt facta, initium sumpserunt. Quæcunque autem initium sumpserunt, et dissolutionem possunt percipere, et subjecta sunt, et indigent ejus qui se fecit : necesse est omnimodo, uti differens vocabulum habeant, apud eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo talia habent : ita ut is quidem qui omnia fecerit, cum Verbo suo juste dicatur Deus et Dominus solus; quæ autem facta sunt, non jam ejusdem vocabuli participabilia esse, neque juste id vocabulum sumere debere, quod est Creatoris. » Hæc igitur apud Irenæum certissima : Qui infectus est, et sine initio, et sine fine, nullius indigens, et ipse sibi sufficiens, vere, proprie ac juste dicitur Deus et Dominus solus : qui rerum omnium auctor, conditor et fabricator est, infectus est et sine initio. Atqui nec minus certum apud Irenæum, Verbum et Spiritum sanctum initium non habuisse, Patri semper adfuisse, eique coexstitisse; Verbum et Spiritum sanctum cum Patre, omnia condidisse; unde necessario concludendum, Verbum et Spiritum sanctum, ex Irenæo, cum Patre juste dici et esse unum Deum ac Dominum, unamque trium esse naturam et substantiam. Sed ad institutum redeo.

54. Hæretici, uti dixi, comminiscebantur, alium esse supremum Patrem, alium Demiurgum, seu rerum omnium inferiorum, et aspectabilium conditorem : hunc veteris legis auctorem fuisse, solum in ea celebratum, et solum a Judæis agnitum et adoratum; illum vero incognitum mansisse semper, donec Evangelio lucescente, Jesuque (afflante, qui in eum descendit, Christo) revelante, notus fieret, novam legem conderet et promulgaret. Exitiosissimum dogma, malorum omnium scaturiginem, eversurus Irenæus toto libro III probat, unum esse Deum factorem cœli et terræ, et utriusque legis auctorem, hunc esse ipsum summum Patrem, et Verbum ejus, ac Spiritum sanctum, nec alium

[16] Joan. VIII, 58. [17] Joan. XVII, 5. [18] Prov. III, 19, 20. [19] Prov. VIII, 22.

Digitized by Google

unquam a lege et prophetis annuntiatum fuisse, aut ab ipso Christo, ejusque apostolis et discipulis agnitum et celebratum. Quia vero respondebant Gnostici, eum, quem mundi conditorem identidem confitetur Jesus, quemque tum ipse, tum apostoli et discipuli ejus Deum Patrem ac Dominum, rerum omnium fabricatorem passim appellant, ipsum Demiurgum esse; qui quidem licet Deus natura non sit, quod tamen rerum omnium inferiorum rex, dominus et conditor constitutus sit, Dei appellationem sortitur, et eam ob rem tum ab iis, tum a prophetis et veteri lege Deus vocatur; id confutaturus Irenæus, probat cap. 6, n. 1, quod, « Neque Dominus, » (veritas [CXXX] cum sit, nec mentiatur, ut cap. præcedenti [20] dixit) « neque Spiritus sanctus, neque apostoli eum qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium: si quando vero Scriptura eos, qui non sunt dii, nominat, non in totum ostendere illos deos; sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse dii. » Hoc igitur Irenæi principium, verissimum atque certissimum. Quem Dominus, Spiritus sanctus aut apostoli in Scripturis definitive et absolute Deum nominant, is est vere Deus; quem Dominum appellant ex sua persona, is est qui dominatur omnium. At, inquit idem Irenæus [21], Dominus, Spiritus sanctus, et apostoli definitive et absolute Deum nominant, Dominumque appellant ex sua persona « Deum Patrem, et Filium ejus, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis, » id est rerum omnium conditarum; et « nemo alius » in Scripturis « Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus et Dominus, qui et Moysi dixit [22]: *Ego sum qui sum. Et sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos;* et hujus Filius Jesus Christus Dominus noster, qui filios Dei facit credentes in nomen suum; » quod subinde plurimis Scripturarum utriusque Testamenti testimoniis demonstrat. Ex quibus evidenter concludere est, ex Irenæi sententia, solum Patrem, et Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum vere Deum esse, et iis qui interdum in Scripturis nominantur dii, nec sunt tamen, infinite præcellere; ac proinde veram esse, unam et eamdem in utroque naturam divinam et essentiam. Hinc ex iis, quæ ubertim profert, Scripturarum locis passim infert [23]: « Unus igitur et idem Deus, qui a Prophetis prædicatus est, et ab Evangelio annuntiatus, et hujus Filius, qui ex fructu ventris David, id est ex David Virgine, et Emmanuel. » Tum istiusmodi argumentis e Scripturarum auctoritate petitis coronidem imponens cap. 15, n. 3, concludit: « Cum declaratum sit manifeste, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt prædicatores, et apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem et Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet; manifeste est ostensum, factorem cœli et terræ, qui locutus sit cum Moyse, et Legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit Patres, Dominum Deum confiteri eos, et alterum neminem nosse. » Quid clarius? Pater et Verbum, Pater et hujus Filius, sunt unus et idem Deus a prophetis prædicatus, et ab Evangelio annuntiatus; solus verus Deus ac Dominus, factor cœli et terræ, qui locutus sit cum Moyse et legis dispositionem ei dederit, etc.

55. Idem argumentum instaurans Irenæus toto fere libro IV, et propius adhuc ad causam accedens, probat ex Scripturis, et ipsis præsertim Domini nostri sermonibus, unum et eumdem esse Deum utriusque legis auctorem, qui res omnes condiderit, qui legem veterem dederit, cum Moyse, cæterisque Patribus ac prophetis locutus fuerit, quique per Verbum suum, non fictitium illud hæreticorum, sed Filium suum unigenitum, unumque ac verum cum eo Deum, perfectissimum et omniscium, notum sese fecerit in utroque Testamento. Eam in rem profert cap. 5, n. 2, ea Christi verba Matth. XXII, 29 seqq. ad Sadducæos: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione enim mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? et adjecit: Non est Deus mortuorum, sed viventium: omnes enim ei vivunt.* Tum subdit Irenæus: « Per hæc utique manifestum fecit, quoniam is, qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum Patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est Deus, super quem alius non est Deus? Quem et Daniel propheta [24], cum dixisset ei Cyrus rex Persarum: *Quare non adoras Bel?* annuntiavit dicens: *Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit cœlum et terram, et habet omnis carnis dominationem* [25]. Iterum dixit: *Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus vivus* [26]. Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi, qui et Sadducæos redarguit, qui et resurrectionem donavit: utraque his, qui cæcutiunt, ostendens, id est resurrectionem et Deum. » Quo demonstrato concludit: « Ipse igitur Christus, cum Patre, vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est. » Sic uno et eodem telo duplicem simul Gnosticorum errorem configit Irenæus, tum quod comminiscebantur, Verbum Patre inferius esse, nec ipsi pervium esse Patrem; tum quod fingebant, eum qui prophetis loquebatur, Demiurgum ipsum esse, a supremo Patre longe alium atque diversum. Nempe, is qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum patrum, quem

[20] N. 3. [21] N. 2. [22] Exod. III 14. [23] Cap. 9, n. 2. [24] Cap. 14. [25] Ibid. 4. [26] Ibid. 24.

Digitized by Google

prophetæ Deum vivum appellant, et Deum vivum adorabant, hic est viventium Deus, Deus super quem alius Deus non est, uno verbo summus Deus. Atqui Pater et Verbum ejus, Christus cum Patre is est qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est, et a prophetis adoratus, et appellatus Deus vivus. Igitur Christus cum Patre est Deus vivorum, Deus super quem alius non est Deus, et supremus Deus. Quid, quæso, manifestius afferri potest ad vindicandam Irenæi fidem, stabiliendamque Verbi cum Patre consubstantialitatem? Ne quidem apud Athanasium ipsum apertius quidquam et expressius occurret. Alia consimilia testimonia et argumenta occurrent toto libro IV et alibi passim.

56. Quia vero Valentiniani abutebantur Christi verbis Matth. XI, 27, et Luc. X, 22, eaque sic describebant : *Nemo cognovit Patrem, nisi Filius, nec Filium, nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare;* sic vero « interpretabantur, » inquit Irenæus cap. 6, n. 1, « quasi a nullo cognitus sit verus Deus ante Domini nostri adventum : et eum Deum, qui a prophetis sit annuntiatus, dicebant non esse Patrem Christi ; » demonstrat sanctus martyr toto illo capite, et adulterinam esse verborum lectionem, et falsissimam eorumdem explicationem. Cum enim ait Dominus : *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem, nisi Filius, et quibuscunque Filius revelaverit;* quæ genuina verborum lectio est [27] : « *Revelaverit,* non solum in futurum dictum est, quasi tunc inceperit Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater. » Nam [28] bonum placitum Patris-Filius perficit : mittit enim Pater, mittitur autem et venit Filius. » Hinc omni ævo et semper, multisque modis Verbum revelavit seipsum, ut simul revelaret et Patrem. Ratio est, quia « [29] invisibile Filii, Pater; visibile autem Patris, Filius. » Et licet [30] « Pater invisibilis sit, et indeterminabilis, quantum ad nos est; agnitio » tamen « Patris [CXXXI] est Filii manifestatio : omnia enim per Verbum manifestantur. Agnitio Patris, Filius; agnitio autem Filii in Patre, et per Filium revelata. » Ex iis omnibus sic concludit Irenæus[31]. « Non ergo alius erat qui cognoscebatur, et alius qui dicebat : *Nemo cognoscit Patrem;* sed unus et idem, omnia subjiciente ei Patre, et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus, a Patre, a Spiritu, ab angelis, etc. Et propter hoc in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum Filius, et unus Spiritus; et una salus omnibus credentibus in eum. » Pater igitur et Verbum, Irenæo teste, non sunt alius et alius Deus : invisibile Filii, Pater; visibile autem Patris, Filius, id est, quod in Patre divinum est, quæ natura divina et invisibilis Patris, eadem est et Filii; per quod autem videtur et cognoscitur Filius, per idem cognoscitur et Pater, quia Filius imago Patris est, et figura seu character substantiæ ejus : *Verbum caro factum,* ut vere homo, sic et vere Deus : denique in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, unum Verbum, et unus Spiritus; unitas in tribus, una in tribus natura. Quid clarius? Quod autem dicit Irenæus, agnitionem Patris, Filium esse, et agnitionem Filii in Patre esse, et per Filium revelatam esse, idipsum est quod dixerat lib. III, c. 6, n. 2 : « Filium esse in Patre, et habere in se Patrem. » Idipsum est etiam, quod dixerat lib. IV, c. 4, n. 2. Nempe respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse Veteris, alium Novi Testamenti auctorem et Deum; ostendit et Hierosolymæ, et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse; utramque, adveniente nova lege, desinere debuisse; idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. « Omnia enim, inquit, mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. » Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet, laudat veterem aliquem aut coævum scriptorem ecclesiasticum, cujus nomen tacet, sed verba probat : « Et bene ait qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum. » Quibus ostendit, Deum adeo ordinis, proportionis et mensuræ amantem esse, ut neque suam ipse sib. mensuram deesse voluerit; Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet, ac veluti circumscribit. Ea divinarum personarum περιχώρησις, *circumincessio* est, ex qua tam frequenter, tamque feliciter argumenta deprompserunt adversus Arianos sancti Patres, ut Filium Patri ὁμοούσιον esse probarent. Nempe in se invicem sunt Pater et Filius, nec minus in Filio, quam in se ipso est Pater, nec minus in Patre est Filius, quam in se ipso; adeo ut mutuo exsistant in se, et, ut ita loquar, immeent invicem, atque penetrent, ac proinde et a se invicem distinguantur, et tamen in una et eadem natura et substantia sine ullo discrimine conveniant.

57. Sed ex modo dictis habes, cur et quo sensu tam sæpe et sollicite inculcet Irenæus toto libro IV, et alibi (quod et aliis ante et post eum Patribus infrequens non fuit), Patrem invisibilem semper mansisse, neque a quoquam, ne specie quidem externa ac sensibili forma dissimulatum visum esse; neque videri omnino posse; sed ex divinis personis solum in Veteri Testamento divinum Verbum veteribus patriarchis ac prophetis apparuisse, ut ho-

[27] N. 7. [28] N. 5. [29] N. 6. [30] N. 3. [31] N. 7.

Digitized by Google

minibus Dei ac Patris notitiam importaret, qua vitam illorum tueretur; quæ sine Dei cognitione esse non potest; Filium esse qui Adamo, Noe, Abrahæ, aliisque videndum se præbuerit, qui cum Moyse locutus sit, « qui » denique, ut loquitur Irenæus[34], « et visiones propheticas, et divisiones charismatum, et ministeria sua, et Patris glorificationem consequenter et composite ostenderit humano generi, apto tempore ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones; invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et semper haberet ad quod proficeret; visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum ne in totum deficiens homo a Deo cessaret esse[35]. » Uno verbo, « ipse est qui dicit Moysi : *Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto, et descendi ut eruam eos*[36]; ab initio assuetus Verbum Dei ascendere et descendere, propter salutem eorum, qui male haberent. » De his fuse disserit Irenæus fere a cap. 5 usque ad 20, sed hoc præsertim. Hæc omnia eodem collimant. Nempe cum probandum sibi suscepisset sanctus doctor, unum et eumdem esse utriusque Testamenti auctorem, ostendit unum et eumdem Deum hominum semper saluti consuluisse ac providisse: unum et eumdem Deum a veteribus et nobis adoratum fuisse, eamdem fuisse veterum fidem et nostram; omnes Veteris Testamenti prophetias et figuras in unum et eumdem Christum Novi Testamenti mediatorem conspirasse, ac proinde unum et eumdem esse Deum et Patrem, quem ipse annuntiavit, et notum hominibus fecit, nec alterum et diversum ab eo quem annuntiabant prophetæ, qui adventum ejus præcinebant : hinc quidem Patrem invisibilem semper fuisse, nec cuiquam mortalium datum unquam fuisse videre magnitudinem ejus et mirabilem gloriam; « incapabilis » enim, « et incomprehensibilis, et invisibilis[38]; » at male inde ab hæreticis inferri, ignotum semper fuisse donec adveniret Christus. « Quoniam qui omnia in omnibus operatur, Deus est, qualis et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus, quæ ab eo facta sunt; incognitus nequaquam. » Ratio est, quia « omnia per Verbum ejus discunt, quia est unus Deus Pater, qui continet omnia, et omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est : *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris : ipse enarravit*[37]. « Enarrat ergo ab initio Filius Patris, quippe qui ab initio est cum Patre[38]. » Cur autem uni Verbo provinciam hanc demandat Irenæus, ut se et Patrem suum notum faceret? Cur unum Verbum videndum se præbuisse, Patre semper invisibili manente, tam constanter affirmat? An quod vel inferiorem Patre crediderit Filium, vel natura sua hunc aspectabilem, potius quam illum, arbitratus sit? Atqui id diserte refellit. « Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum; et cum sit inenarrabilis, ipse enarrat nobis; rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater. » Non minus ergo invisibile, et indeterminabile, et inenarrabile est, « quantum ad nos est, » ipsum Verbum quam Pater, cum a solo Patre quantum est, cognoscatur : « invisibile etenim, » ut paulo post ait, « Filii Pater; » nam quæ natura Patris est, eadem et Filii; utriusque secundum se invisibilis est. Et cap. 24, n. 2, aperte docet, « esse unum Deum, qui est super omnem principatum, et dominationem et potestatem, [CXXXII] et omne nomen quod nominatur : et hujus Verbum, naturaliter quidem invisibilem, palpabilem et visibilem in hominibus, et usque ad mortem descendisse, mortem autem crucis. » Si igitur videndum se præbuit divinum Verbum, non certe in ipsa natura sua divina et invisibili, sed tantum in alienis et assumptis formis et speciebus. Id fuse probat cap. 20, n. 9 et seqq., ubi expendens ea divini Verbi ad Moysen, cum quo loquebatur, verba : *Sta in loco alto petræ, et manu mea contegam super te. Quando vero transierit claritas mea, tunc videbis quæ sunt posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi; non enim videt homo faciem meam, et vivet*[39]; ait, utraque his significari, « quoniam et impossibilis est homo videre Deum, et quoniam per Sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum homo in altitudine petræ, hoc est in eo qui est secundum hominem ejus adventu. » Tunc ergo duntaxat divinum Verbum facie ad faciem visum esse putat, cum humanam sibi naturam assumpsit, propriamque sibi fecit. Hinc concludit, « non manifeste ipsam faciem Dei vidisse prophetas, sed dispositiones et mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum, » ut iis paulatim assuesceret homo ad videndum eum carnem factum. Et postea : « Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiæ futurorum : manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis est, de quo et Dominus dixit : *Deum nemo vidit unquam*[40]: Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem credentium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat..... non in una figura, nec in uno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum ejus causas et efficaciam. » Quasi diceret : Si neque Moyses, neque Elias, neque Ezechiel, neque prophetæ, quibuscum familiariter agebat, divinum Verbum, non tamen ipsam Dei essentiam viderunt, sed similitudines duntaxat claritatis Domini; manifestum est, quoniam nec Pater secundum naturam suam visibilis est in hac mortali vita; nec Verbum ejus in essentia sua conspicien-

[34] Lib. IV, c. 20, n. 7. [35] Cap. 12, n. 4. [36] Exod. III, 7, 8. [37] Cap. 20, n. 5 [38] N. 6. [39] Joan. I, 18. [40] N. 7. [41] Exod. XXXIII, 19, 20. [42] Joan. I, 18.

Digitized by Google

dum se præbuit, sed in varia figura, nec in uno A
charactere, secundum dispensationum ejus causas
et efficaciam.

58. Id ergo vult Irenæus (et hic ejus, aliorumque Patrum eadem cum ipso asserentium, et sentientium scopus), Patrem cum sit origo et fons totius sanctissimæ Trinitatis, a quo manant et mittuntur aliæ personæ, ipsum a nemine missum, minus decuisse frequentes illas, quæ olim factæ sunt, Dei ἐπιφανείας. Dei quidem bonitatem semper decuit notum se ipsum hominibus facere, ac, quantum ipsi capere queunt, conspiciendum præbere; quia « vita hominis visio Dei[61]. » At id muneris in se suscipere Filium potius quam Patrem congruebat. Ea enim hominum animis inspergenda Dei notitia, frequentesque illæ Dei visiones ad οἰκονομίαν B spectabant, et ad utilitatem hominum lapsorum fiebant, totidemque futuræ incarnationis veluti præludia erant. Porro sicuti Filium, quod a Patre necessariam et æternam originem habeat, quod a Patre natus sit, a Patre mittatur, ejusque imago, figura substantiæ ejus, et, ut loquitur Irenæus, *agnitio sit*, carnem suscipere decuit potius quam Patrem, qui, cum prima persona sit, a nulla alia vel oritur, vel mittitur; sic Filium magis quam Patrem decuit frequentibus illis apparitionibus futuræ incarnationi suæ præludere, hominumque, quos deinceps sanguine suo redempturus erat, salutis ab initio curam gerere. Neque enim hanc tum primum suscepit, cum in carne mortali advenit, ut non se- C mel Irenæum dicentem audivimus, sed ab initio et ab hominis lapsu. Ideo vero ab initio de hominum salute sollicitus fuit Filius, ac toties in publicum manifestandi tum Patris, tum sui ipsius causa, veluti prodiit, quia ea erat voluntas Patris. « Omnia autem Filius administrans Patri perficit ab initio usque ad finem, et sine illo nemo potest cognoscere Deum; » et « bonumplacitum Patris Filius perficit[62]. » Si autem ab Irenæo quæras, cur omnia administrans Patri, bonumque placitum Patris Filius perficiat, rationem hanc cum Catholicis omnibus afferet: « Mittit enim Pater, mittitur autem et venit Filius. » Filium vero mittit Pater, quia Filii principium est, eumque gignit; mittitur autem Filius, D
quia a Patre tanquam a principio procedit, et ab eo gignitur. Porro sicut honorificum est Patri Filium gignere et mittere; sic nec minus honorificum Filio mitti et gigni; nullamque in utroque substantiæ disparitatem arguit hæc missio. « Non enim genitorem (ait Augustinus lib. III *cont. Maxim*, c. 14) ab eo quem genuit, sed genitum a genitore mitti oportebat; verum hæc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero. »

59. Ex dictis etiam facile colliges quo sensu plus semel dixerit Irenæus[63], Patrem Verbo suo præcepisse ut mundum crearet, Filium et Spiritum sanctum in rebus condendis Patri ministrasse; hominem factum esse, Patre quidem bene sentiente et jubente, Filio vero ministrante et jubente; Spiritu autem nutriente, et augente, et alia ejusmodi. Nempe Pater Filio et Spiritui sancto jubet ac præcipit, non tanquam superior ac Dominus inferioribus ac subditis, sed tanquam æqualis æqualibus, consubstantialis consubstantialibus, coæternus coæternis, sine quibus facere nihil potest; imo Filio et Spiritui sancto imperat Pater, tanquam sibi ipsi. Neque enim alias Filium et Spiritum sanctum a Patre distinguit, quam persona et subsistentia, non certe natura et substantia, quam unam et eamdem in tribus agnoscit et confitetur. Id clare et absque ambagibus demonstrat lib. II, c. 30, n. 9, aliisque locis jam a nobis citatis. Illud vero ministerium quod Patri præstitere Filius et Spiritus sanctus, quam immensum ab eo distet, quod vel minimam subjectionis ac servitutis umbram adjunctam habeat, demonstrat S. doctor lib. IV, c. 7, n. 4, ubi illud vocat « copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei, » addit, « progenies et figuratio sua, id est Filius et Spiritus sanctus, Verbum et Sapientia, quibus serviunt, et subjecti sunt omnes angeli. » Sic ergo ministrant Patri Filius et Spiritus sanctus, ut ministerium illud inenarrabile sit, et infinito a se removeat intervallo ideas omnes, quas in humanis adjunctas secum habet. Sic ministrant, ut alter sit ipsa progenies Patris, alter figuratio et imago Filii (hanc enim vocem, *figuratio sua*, ad Filium refero, ut in notis in hunc locum explicui); non ergo tanquam servi hero, sed tanquam progenies principio a quo procedit, et ejusdem cum eo dignitatis. Sic denique ministrant, ut iis serviant et subditi sint angeli. Atqui eo nomine Filio et Spiritui sancto serviunt angeli, quod hi ab iis conditi sint, ut explicat auctor lib. III, c. 8, n. 3, iis proinde infinite minores.

[CXXXIII] 60. Sed his et similibus loquendi modis Gnosticorum vesaniam retundit Irenæus. Hi enim mundum hunc aspectabilem ab inferioribus angelis, vel a Virtute aliqua longe absistente a Patre universorum, ipso Patre vel inscio, vel invito, conditum esse blasphemabant, ut ex toto lib. I, et initio libri II constat. Hinc ad profligandum illud impietatis monstrum tam sæpe urget, omnia, præcipiente ac jubente Patre, per Filium et Spiritum sanctum condita esse: ut nimirum inde conficiat, nec inscio, nec invito Patre condita esse. Hinc tam frequenter inculcat, Verbum et Spiritum sanctum Patri ministrasse, ut inde concludat, nec Angelis, nec Virtutibus inferioribus ab ejus natura et sententia alienis et remotis indiguisse: utpote qui habeat ex sese copiosum et inenarrabile ministerium, progeniem et figurationem suam; habuerit semper suas manus, Verbum et Sapientiam, Filium et Spiritum sanctum, per quos sibi coex-

[61] Iren., c. 20, n. 7. [62] Cap. 6, n. 7 et 3. [63] Lib. III, c. 8, n. 3; lib. IV, c. 7, n. 4; Ibid., c. 38, n. 3.

Digitized by Google

sistentes, coæternos et consubstantiales, et in quibus, non invitus, nulla necessitate coactus, sed sciens et volens, omnia libere et sponte fecit; non aliunde, non extra semetipsum, sed ipse a semetipso, in voluntate sua, in Verbo et Sapientia sua, substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens, ut loquitur lib. IV, c. 20, n. 1. Ea omnia satis patent ex hactenus allegatis Irenæi testimoniis, adeo ut eadem hic repetere nihil necesse sit.

61. Unum superest expendendum, an Irenæus extremi judicii ignorationem Filio Dei tribuerit. Et id enim sanctissimo martyri ascribitur; sed perperam omnino. Gnosticos quidem perstringens scribit lib. II, c. 28, n. 6. « Irrationabiliter autem inflati, audaciter Dei mysteria scire vos dicitis: quandoquidem et Dominus, ipse Filius Dei, ipsum judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens: *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus* [45]. Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est; neque nos erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est [46]. » Ubi ipsi Dei Filio ignorantiam ascribere prima fronte videtur auctor: adeo ut vana sit Georgii Bulli [47] solutio, qua contendit Christo homini tantum ignorantiam tribuisse Irenæum: hic enim de Filio Dei diserte agit. Quanquam et dum Christo homini ignorationem ascribi posse cum Protestantibus multis tuetur Bullus, in eumque sensum Irenæum explicare satagit, aliam ei labem aspergit. Sed missa hacce controversia, quæ extra institutum est, illud fidenter assevero, quod quisquis præsens, quod nunc versamus, caput ea, qua par est, animi attentione legerit, totiusque Irenæi argumentationis seriem et scopum adverterit, e vestigio deprehendet, nullam prorsus ignorantiam hic affingi Christo Domino.

62. Scilicet Irenæus, ut dixi, Gnosticorum impudentiam castigat, qui vanæ scientiæ laudem captantes, insanam sibi de rebus omnibus, ipsis etiam profundioribus Christianæ religionis mysteriis, quale est divini Verbi generatio, disserendi, novaque rerum tum divinarum, tum humanarum systemata pro arbitrio condendi licentiam sumebant. Ubi vero probavit certam esse in Scripturis divinis veritatis regulam, ad quam sic exigi debeant quæstiones, quas de rebus divinis agitare sinit religio, ut ab illa nusquam deflectere liceat; ostendit plura tamen esse in Scripturis, licet ex sese perfectis, quæ angustos mentis nostræ limites longissime superant, quæque proinde, cum sciri a nobis non possint, Deo humiliter committenda sunt, nec temere scrutanda. Nec mirum esse, si in spiritalibus, et cœlestibus, quæ sola fide percipi possunt, cæcutiamus: cum ipsæ res naturales, ob oculos positæ, scientiam nostram plerumque fugiant. Hinc concludit insanos esse hæreticos, qui æternam divini Verbi generationem, aliaque ejusmodi profundissima mysteria investigare et explicare moliebantur: in eoque tam graviter labi, quod superbiæ typho elati, nihil Deo reservarent, sed omnia temere scrutari vellent. Tum ut hæreticorum vesaniam magis ac magis confundat, ab ipsius Christi Filii Dei exemplo argumentum a majori ad minus petit. Si, inquit Dominus, ipse Filius Dei judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, scientiamque diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem: cur nos, Dei Filio infinite minores, erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo? Nemo enim super magistrum est. Qua quidem argumentandi ratione id unum conficere vult sanctus doctor, Christum, œconomiæ causa, judicii diem et horam concessisse scire solum Patrem: non quod ipse nesciret, sed quod ejusmodi scientiam ad Patrem, a quo ipse eam cum ipsa divinitate acceperat, referendam esse vellet, ab eoque duntaxat exspectandam esse diei illius notitiam. Quamvis enim eam ipse haberet, cum aliis tamen communicare nolebat, idve explicare, quod Pater (a quo loquebatur, et a quo mandatum acceperat, quid diceret, et quid loqueretur, ut ait Joan. XII, 49) taceri voluerat: ut nimirum exemplo suo doceret quædam esse Deo humiliter reservanda, nec ea temere a nobis explicanda esse, quæ Deus abdita esse voluit. Sic mentem paulo post, nempe n. 8, explicat auctor noster: « Si quis, ait, exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam et diem a Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram, quam hanc, inveniat in præsenti (quoniam enim solus verax magister est Dominus): ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim *Pater*, ait, *major me est* [47]. Et secundum agnitionem itaque præpositus esse Pater annuntiatus est a Domino nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura hujus mundi sumus, perfectam scientiam, et tales quæstiones concedamus Deo: et ne forte quærentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, uti quæramus, an super Deum alter sit Deus. » Observa 1° nusquam Irenæum simpliciter asserere, solum Patrem scire diem et horam, sed *solum scire diem et horam a Domino manifestatum esse;* Dominum judicii diem et horam concessisse scire solum Patrem, etc. 2° S. doctorem palam profiteri, *in omnibus Patrem communicare Filio.* Qui *in omnibus* communicare dicit, nihil prorsus excipit, ne quidem scientiam diei et horæ extremi judicii. 3° Auctori nostro propositum non fuisse quæstionem hanc ex professo pertractare, an revera solus Pater sciret diem et horam extremi judicii, Filius vero

[45] Marc. XIII, 32. [46] Matth. X, 24. [47] Def. fid. Nic., sect. II, c. V, § 8. [47] Joan. XIV, 28.

Digitized by Google

absolute nesciret; sed de ea agere duntaxat, quantum sufficeret *in præsenti* seu quantum ad argumentum præsens conduceret. Atqui argumentum præsens erat, exquirere causam, [CXXXIV] propter quam in omnibus, et in ipsa rerum omnium, ac diei judicii scientia, Pater communicans Filio, solus tamen scire horam et diem a Domino manifestatus est. Quomodo enim « verax magister Dominus, verum dicens, » id referre potuit ad solum Patrem, quod tamen commune habeat cum Patre? Cui quæstioni respondet, meliorem nullam « in præsenti » rationem afferri posse, quam id œconomiæ et exempli causa factum esse a Christo, « ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem, perfectamque scientiam, et tales quæstiones concedendas esse Deo, ne forte quærentes altitudinem Patris investigare, in periculum incidamus. » Etenim *Pater*, ait ipse Christus, *major me est*; et secundum agnitionem præpositus esse Pater a Domino annuntiatus est: non quod Pater major natura sit, aut minor sit agnitio Filii; *Spiritus* siquidem Salvatoris, qui in eo est, *scrutatur omnia*, et altitudines *Dei* [48]; semperque coexsistens Deo proprium ejus Verbum, omnium experientiam et cogitationem, infinitamque scientiam habet, ut Deus ipse, ac Patrem suum perfecte cognoscit, ejusque mensura est, quoniam et capit, ut Irenæum supra dicentem audivimus; sed quod Pater ordine et origine prior sit, primum omnium, ipsiusque Filii principium; cui omnia, ut naturam, sic et scientiam, accepta refert Filius; cui denique omnia, ut auctori suo concedit, nihil quidquam sive agere, sive loqui et revelare præter ejus voluntatem volens: ad hoc ut et nos, Deo in infinitum minores, Christi exemplo discamus perfectam scientiam, abstrusasque quæstiones Deo concedere, nec ea temere scrutari quæ latere nos voluit. Uno verbo totius Irenæi argumentationis summa huc redit: Si ipse Dominus, Dei Filius, Verbum Patris, cui in omnibus communicat Pater, cujus *Spiritus* qui in eo est id est, divinus intellectus, *scrutatur omnia*, ipsas etiam altitudines Dei, quem proinde latere non potest quod de die et hora extremi judicii statuit Pater; illius tamen diei scientiam retulit ad Patrem, eique concessit, nec id explicare et reserare voluit, quod reserare non sinebat voluntas Patris: a fortiori nos qui *super terram* degimus, quibus *divisiones* duntaxat gratiarum sunt, et divisiones *ministeriorum et divisiones operationum*, quique *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; de universis quæstionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis præstat gratiam*, ut paulo ante dixit [49], nec id explicare aut investigare niti, quod in sapientiæ suæ thesauris delitescere voluit Deus. Quod quidem argumenti genus quam catholicum, et ab Ariana impietate remotum, quisquis æquus rerum æstimator facile videt.

63. Jam, puto, nullus, nisi quis perfrictæ frontis Socinianus, negabit, quin Irenæi de Verbi et Spiritus sancti divinitate et cum Patre consubstantialitate fides cum Nicæna et Constantinopolitana ad apicem consentiat. Nemo etiam deinceps sine stomacho leget apud Centuriatores Magdeburgenses [50], « ita obscure et perplexe non raro vocabulo Verbi, seu τοῦ Λόγου uti Irenæum: ut videatur non perspicue inter Verbum substantiale, et verbum vocale, seu oris distinguere. » Profecto qui hæc scribebant, Irenæi libros vel nunquam, vel lippis oculis legerant. Huic refutandæ calumniæ Irenæique fidei vindicandæ plus quam sufficiunt ea omnia quæ hactenus diximus. Paulo latius adhuc exspatiari potuissemus, et argumenta multa ab iis petere, quæ fuse disserit auctor noster lib. III, c. 16, et seqq. In iis enim totus est ut probet contra Gnosticos, unum et eumdem esse Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem, ubi cum primis ad id conficiendum utitur eo Apostoli testimonio, Rom. IX, 5: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in sæcula.* Sed forte cum lectorum fastidio factum fuisset: quare maluimus Irenæum ipsum legi. Aliud est quod conqueruntur citati Centuriatores, « de Spiritu sancto rarius loqui » Irenæum. Paulo quidem rarius de Spiritu sancto, quam de Verbo loquitur: ratus videlicet satis esse, ut ipse profitetur lib. I, c. 9, si funditus eversa prava distinctione, quam inter Unigenitum, Verbum, Salvatorem, Christum, etc., interponebant Valentiniani, prima eorum ogdoas, a qua veluti religata pendebat tota Pleromatis Valentiniani moles, dirueretur; hac enim eversa ruere totam hypothesim necessum esse. Unde in hanc concutiendam distinctionem, statuendamque Verbi cum Unigenito ταυτότητα, eamdemque illius cum Patre naturam et divinitatem, salva distinctione personarum, tota fere argumentorum moles incumbit. Non tamen adeo raro de Spiritu sancto loquitur, quin ex iis, quæ identidem disserit, liquido pateat, verum Deum, Patri et Filio coæqualem, coæternum et consubstantialem ab eo censeri. Id perspicue demonstrant ea, quæ supra retulimus, sanctissimi martyris loca et argumenta. Hinc eum Dei manum appellat, indeque concludit Patri semper coexstitisse, et ante res omnes conditas fuisse; quod et ex libro Proverbiorum probat. Hinc eum in opere creationis cum Patre et Filio consociat. Creationis autem opus ita divinum esse, Deique solius proprium jure merito credit, ut ex eo quod per Verbum constituta sint omnia, inferat, non tantum a Verbo infinite distare angelos, archangelos, aliasque res creatas; sed et illud infectum esse, sine initio, sine fine, solumque cum Patre juste dici Deum ac Dominum: cætera omnia, ex eo quod creata sint, initium habuisse. dissolvi

[48] I Cor. II, 10. [49] I Cor. XII, 5. [50] Centur. II, cap. 10, in fin.

Digitized by Google

posse, subjecta esse, neque juste Dei vocabulum A in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum : afflatum [CXXXV] autem communiter in conditionem, et facturam ostendens illum. Aliud autem est quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis ; Spiritus autem sempiternus, » etc. Hic ex Isaiæ verbis probat Irenæus, latissimum discrimen Spiritum inter et afflatum interponendum esse : « Spiritum quidem » ab Isaia « proprie in Deum deputari, » τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τάξας, τοῦ ἐκχέοντος αὐτό, id est in eodem ordine, gradu, dignitate et natura constitui, cujus est is, qui effudit eum, Deus : « afflatum autem communiter in conditionem » ab eo deputari, « et facturam ostendi ; » tantumque differre afflatum a Spiritu, quantum differt quod factum est, ab eo qui fecit ; ac proinde afflatum *temporalem* esse, initium habuisse, creatumque fuisse ; Spiritum vero sempiternum esse, sine initio, conditorem ac verum Deum. Erit forte qui minus feliciter Isaiæ loca ab Irenæo explicata esse obtendat ; sed hic de genuino Isaiæ sensu non disputamus ; id tantum jure merito contendimus, sic ab auctore nostro expositum esse prophetam, ut ex verbis ejus intulerit, Spiritum sanctum verum esse Deum, ei consubstantialem a quo in humanum genus effusus est.

posse, subjecta esse, neque juste Dei vocabulum sumere posse, quod est Creatoris. Quod argumentum vel nihil omnino probat, vel invicte probat Spiritum sanctum, ex Irenæi sententia, non minus verum Deum esse, infectum, sine initio, sine fine, nulli subjectum, etc., quam ipsum Verbum : utpote qui non minus manus Patris fuerit, nec minus ad res creandas operam contulerit, quam ipsum Verbum. Sed cui prædicta omnia sufficere non videbuntur, legat quod Irenæus lib. v, c. 12, n. 2, scribit. Hoc omne exceptionis genus præclusum iri confido. Ibi distinguit Irenæus inter « afflatum vitæ, qui et animalem efficit hominem, et Spiritum vivificantem, qui et spiritalem efficit hominem. » « Et propter hoc, inquit, Isaias [81] ait : *Sic dicit Dominus, qui fecit cœlum, et fixit illud, qui firmavit* B *terram, et quæ in ea sunt ; et dedit afflatum populo, qui super eam est, et spiritum his qui calcant illam.* Afflatum quidem communiter omni, qui super terram est, populo dicens datum : Spiritum autem proprie his, qui inculcant (id est conculcant) terrenas concupiscentias. Propter quod rursus ipse Isaias [82] distinguens quæ prædicta sunt, ait : *Spiritus enim a me exiet, et afflatum omnem ego feci.* Spiritum quidem proprie in Deo (ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, hic verti debuisset, *in Deum*) deputans quem

ARTICULUS VI.

De mysterio Incarnationis, Christi nativitate, baptismo, et descensu ad inferos, ac B. Mariæ Virginis dignitate et intercessione.

64. Operam, mea quidem sententia, luderet, qui C sanam esse et orthodoxam Irenæi de mysterio Incarnationis doctrinam longa dissertatione demonstrandum sibi putaret. Scripta siquidem per se loquuntur, et quisquis ea legerit, quæ auctor libro præsertim tertio, a cap. 16 usque ad 24 disputat, non minus accurate scripsisse fatebitur, quam si post Pauli Samosateni, Photini, Nestorii et Eutychetis tempora vixisset. Hæretici quibuscum conflictabatur, Jesum Christum Dominum nostrum verum Deum et verum hominem esse negabant ; sed Jesum a Christo impie dividentes, alii illum meram hominis larvam exstitisse, quæ per Mariam, velut per canalem transierat ; alii, more cæterorum hominum, ex Josephi et Mariæ satu genitum esse : hunc vero in eum, tum cum baptismo tingendus D esset, devolasse, mox revolaturum, cum crucifigendus esset, blasphemabant. Hæc errorum monstra citatis capitibus ut profliget Irenæus, totus est, ut probet unum et eumdem esse Jesum Christum, Verbum Dei, Deum super omnia, Unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem : verum Deum, qui « [83] in principio Verbum exsistens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, » quique « in novissimis temporibus, secundum præfinitum tempus a Patre, unitus suo plasmati, passibilis homo factus fuerit : » adeo ut « exclusa sit omnis contradictio dicentium : Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus ; non » enim « tunc cœpit Filius Dei exsistens semper apud Patrem ; sed quando incarnatus est, et homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. » Verum Deum « [84] Christum Filium Dei vivi, » eumdem esse « et filium hominis. Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adæ, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie præter omnes, qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et Rex æternus, et unigenitus, et Verbum incarnatum prædicatur et a prophetis, et apostolis, et ab ipso

[81] Cap. 42, 5. [82] Cap. 57, 16. [83] Cap. 18, n. 1. [84] Cap. 19, n. 2.

Digitized by Google

Spiritu, adest videre omnibus, qui vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non testificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam, quæ est ab altissimo Patre, genituram, præclara autem functus est et ea, quæ est ex Virgine, generatione, utraque Scripturæ divinæ de eo testificantur; et quoniam homo indecorus, et passibilis, et super pullum asinæ sedens, aceto et felle potatur, et spernebatur in populo, et usque ad mortem descendit : et quoniam Dominus sanctus, et mirabilis consiliarius, et decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens universorum judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant... Hic igitur Filius Dei Dominus noster, exsistens Verbum Patris, et filius hominis : quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis. » Clara sunt hæc, nullisque vanis hæreticorum suffugiis eludenda. Christus et verus Dei Filius, et verus hominis filius : verus Deus, propter æternam « ab altissimo Patre genituram, » verus homo, propter temporalem, sed « præclaram ex Virgine genituram ; » in quo proinde duplex natura fuerit, duplici *genituræ* respondens, unica vero persona utramque naturam sic afficiens et copulans, ut unus et idem sit Filius Dei et filius hominis, unum Verbum incarnatum. Hinc naturarum unionem adeo urget contra hæreticos, ut interdum asserat [55], « Verbum, qui semper humano generi adest, unitum fuisse et consparsum suo plasmati, et carnem factum ; hominem vero commistum Verbo Dei. » Quæ tamen catholice, et salva semper naturarum distinctione, dicta esse propriis locis ostendimus.

65. Et hinc etiam Mariæ dignitatem commendat Irenæus [56], quod virgo permanens, verum Emmanuel, qui substantia Deus est, peperorit, et ut verum hominem, sic et verum Deum genuerit; vanosque Theodotionis, Aquilæ, aliorumque impiorum conatus dissipat, qui pravis Scripturarum interpretationibus Mariæ virginitatem oppugnabant. Hinc a præcipuo illo Mariæ decore et illud accersit, quod Mater Dei facta, nostræ salutis prima post Filium mediatrix evaserit : ac per ejus fidem et obedientiam, salutem ac redemptionem adeptos nos esse asserit; quæ mediatricis conciliatricisque cum Deo partes sunt. « [57] Quemadmodum illa (Eva) virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exsistens..... inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis : sic et Maria prædestinatum habens virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis. » Et postea : « Quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc solvit virgo Maria per fidem. » Et lib. v, c. 19 : « Quemadmodum illa (Eva) per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus : ita hæc (Maria) per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem : æqua lance [CXXXVI] disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quæ alligati eramus morti. » Quæ posteriora verba, « et quemadmodum astrictum est morti, » etc., descripsit Augustinus lib. I *cont. Julian.* cap. 3.

66. Hæc male habent hagiomachos omnes. Incommode dicta putant Magdeburgenses [58]. His petulantior Gallasius, in suis ad postremum Irenæi locum adnotationibus, in Irenæum ipsum et cæteros Patres, totamque Ecclesiam catholicam furit. Moderatior cl. Grabius Irenæi quidem personæ parcit, verbis duntaxat vim inferre nititur. « Licet, inquit, advocata hic patronam, « quæ pro altera intercedat, significaret, nihil tamen de B. Maria jam defuncta eam accipere cogeret. » Quidni? Si Maria in terris degens, pro ea qua in humanum genus charitate flagrabat, mediatricis ac patronæ munere functa est, ac pro hominibus intercessit; an mortuam, sed Deo viventem, cum Deo regnantem, Deo ipsi charitatis fonti altius velut immersam, charitas, quæ, Apostolo teste, nunquam excidit, sic defecit, ut eorum, quorum antea miserebatur, prorsus oblita, nullas pro ipsis preces fundere dignetur? Certe secus longe sensisse veteres omnes Patres, et Ecclesias, probat, ut alia taceam, Liturgiarum omnium antiquissimarum Græcarum, Latinarumque, quas ipse Grabius veneratione dignas existimat, consensus; in quibus B. Mariæ auxilium exposcit, ejusque meritis ac precibus veniam peccatorum, et beneficia cætera impetrare studet Ecclesia. Quare hujusce ratiunculæ vanitatem sentiens vir clariss. addit : « Etsi concedatur, illam nunc pro fidelibus vivis universe consideratis intercedere, id quod moderatiores Protestantium doctores merito admittunt, ne inde quidem ejus invocatio a singulis facta probari posset; quod incertum, ne dicam, falsum sit, audiat, vel possitne audire simul tot mille hominum compellationes. » Sed si moderatiores Protestantium doctores, teste Grabio, merito admittunt, Mariam, cæterosque sanctos nunc pro fidelibus vivis universe consideratis intercedere; admittant proinde necesse est, nulla uni Dei et hominum mediatori facta injuria, alios præter Christum secundarios,

[55] Cap. 16, n. 6 : cap. 19, n. 2. [56] Cap. 21, n. 4, et alibi passim. [57] Cap. 22, n. 4. [58] Cent. II, cap. 4.

Digitized by Google

ipsique subjectos mediatores esse posse, quorum proinde de salute nostra sollicitorum præsidium implorare liceat, ut per eos ad principalem Mediatorem pateat accessus.

67. Sed, ait Grabius, beata Virgo audire non potest simul tot mille hominum compellationes. Sagacem virum, cujus ea sit mentis acies, ut beatorum intimos animi sensus altissime pervadens, certos limites eorum audiendi ac cognoscendi facultati præfinire valeat! Tanta non fuit Ecclesiæ per totum orbem, perque omnia tempora diffusæ sagacitas, quæ sanctos et orare pro nobis, et a nobis invocari posse duxit; rata videlicet preces nostras ab iis audiri et percipi. Tantum ingenii acumine non valuerunt veteres Patres, qui plurima quæ hic geruntur, beatis explorata esse confidenter asseruerunt. Certe recens non est Grabii, imo Calvini et Petri Molinæi objectio. Hanc dudum sibi proposuit, solvitque Severianus Gabalitanus, in serm. 6 *De mundi opificio*, tom. VI Operum Chrysost., p. 639. Nempe cum dixisset, verissime id de se affirmasse S. Mariam, *Beatam me dicent omnes generationes*, subinde hoc opponit sibi : « Et quid illam juvat istud, inquies, cum non audiat? » Cui sic respondet : « Imo vero maxime audit, eo quod in loco est splendido Mater salutis, fons sensibilis lucis. » Basilius lib. *De vera virginit.* virginem Deo consecratam admonet, ut non tantum angelos vereatur, sed etiam hominum sanctorum, ac Patrum spiritus. « Et quid singula commemoro, inquit, angelorum innumerabiles multitudines, eumque iis sanctos Patrum spiritus? Nullus enim eorum est, qui non ubique prospiciat : cum ipse quidem corporis oculis non conspectus, incorporeo tamen visu ad notitiam cuncta complectatur. » Augustinus serm. 316, al. 94, *De diversis*, loquens de Paulo et Stephano : « Ambo, ait, ibi vos videtis, ambo modo sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate. » Theodoretus lib. VIII, *De curandis Græcorum affectionibus*, ubi de martyribus agit, eorum refellit errorem, qui martyres credebant, « nullum sensum eorum habere, quæ in terris geruntur; » quod ex eo refutat, « quod divina quadam et beatissima in sorte constituti sint. » Denique, ut citandis Patribus finem faciam, eumdem errorem refellens Gregorius Magn. lib. XII *Moral.* cap. 19, eodem argumento probat, animas divinæ lucis ac felicitatis compotes, rerum humanarum, quas scire ipsarum interest, scientiam non fugere; « quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. » Sic sentiebant boni illi idiotæ, Christiana simplicitate et humilitate rudes, sic credebant, sic aliis persuadere nitebantur. Si vero imperitiam eorum arguat Grabius, meminerit ab Irenæo [49] dictum : « Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum pre-

A sbyterorum arguunt; non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, et qui se plus aliquid præter veritatem invenire putant.. semper quærentes, et nunquam verum invenientes. » Tutius igitur cum religiosis illis idiotis imperitum esse, nec curiosius inquirere, quemadmodum fiat, uti preces nostras audiant sancti; quam cum vanis sophistis semper quærentibus, et nunquam verum invenientibus sapere. Sufficiat rem certam esse, et in Ecclesia semper constitisse; explicandi modus Deo committendus: quanquam tamen consuli ea de re possit Augustinus lib. *De cura pro mortuis gerenda*, cap. 15 et 16, cujus modestiam in
B solvendis ejusmodi quæstionibus laudabit et imitabitur probus et prudens quisque.

68. Quam parum tuta sint ea, quæ mox præclusimus effugia, probe sentiens cl. Grabius, aliud sibi parare studuit, cæteris tamen nec melius, nec tutius. *Advocata*, ait, ex Græco παράκλητος, *consolandi*, non *intercedendi* significationem hoc loco manifeste habet; quod ex quibusdam, non Irenæi ipsius, sed Tertulliani testimoniis probare nititur. Unde concludit, *advocatam*, id est consolatricem Evæ et totius humani generis ab Irenæo dici B. Virginem, quia hæc Deo obediens, secundum Adam, Salvatorem mundo peperit; sicut illa diabolo aures præbens, primum Adamum seduxit, indeque posteris exitii causa fuit. Sed quid tam fi-
C denter supponit Grabius, Irenæum Græce scripsisse, παράκλητος? Παράκλητος, inquit, *consolandi*, non *intercedendi* significationem hoc loco manifeste habet. Diceres, hominem Græca Irenæi præ oculis habuisse. Quid si contendam, aliud quidvis scripsisse Irenæum, quod *deprecatricem, mediatricem ac sequestrem* significet? Quo argumento conjecturam hanc [CXXXVII] confutabit Grabius? At scripserit Irenæus, παράκλητος, haud repugnabo. Sed cur vocis hujus significationem a Tertulliano, et non potius ab Irenæo ipso petit? Si quidem semel duntaxat ea voce usus esset martyr sanctissimus, ferri utcunque posset. At cum eamdem aliis
D in locis usurpaverit, cur ea non conferebat ejus editor, ut genuinum vocis sensum ab Irenæo ipso peteret, Irenæumque ex Irenæo explicaret? Lib. III, c. 18, n. 7, scribit Gnosticos existimantes Christum specie tenus hominem exstitisse, adhuc esse sub veteri damnatione, « advocationem præbentes peccato, » id est « tutelam, patrocinium, defensionem. » Eodem sensu ait lib. IV, c. 34, n. 4 : « Si aliquis Judæis advocationem præstans, erectionem templi, quæ posteaquam in Babylonem transmigraverint, facta est sub Zorobabel, et discessionem populi, quæ facta est post septuaginta annos, dicat hoc esse novum Testamentum, cognoscat, » etc. Sic et lib. III, c. 23, n. 8 : « Qui contradicunt saluti Adæ... advocatos se serpentis et mortis osten-

[49] Iren., lib. V, c. 20, n. 2.

Digitized by Google

dunt. » Igitur *advocationem* alicui *præstare*, seu, quod idem est, alicujus *advocatum esse*, Irenæo est alicujus non tantum consolatorem esse, ut perperam interpretatur Grabius, sed ejus patrocinium ac defensionem suscipere, hunc in clientelam accipere, huic præsidio esse atque opitulari. Quæ proinde B. Virgo Evæ ac totius humani generis advocata apud Deum ab eodem dicitur; non alias eo munere fungitur, quam Deum fide et obedientia placando, humanum genus in gratiam cum Deo reducendo, hunc precibus sollicitando, pro susceptis in tutelam clientibus interpellando, deprecando, preces fundendo, ut Dei accersat opem, ac beneficentiam eliciat. Hæ illius, qui apud Deum pro aliis advocatum agit, partes, hoc munus; quod pluribus confirmari posset, si necesse videretur; sed dicta sufficiunt ad Grabianæ adnotationis vanitatem demonstrandam.

69. Antequam tamen a B. Virgine discedam, operæ pretium est et hic iniquam Grabii criminationem confutem, qua et Mariæ sanctitati, et Irenæi doctrinæ labem adspergere molitur. Iste lib. III, c. 16, n. 7 ostendens, Christum omnia suo tempore, ut a Patre præfinita erant, peregisse, subdit: « Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum (*in nuptiis Cana Galilææ*) et ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit: *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea;* exspectans eam horam, quæ a Patre erat præcognita. » Hinc avidissime captata occasione concludit Grabius, imperfectionem humanæ naturæ, peccatorum venialium matrem, in B. Virgine Maria agnovisse Irenæum. Iniqua ex omni parte observatio. Quisquis æquus rerum æstimator est, id unum ex Irenæi verbis exsculpserit, B. Virginem horæ a Patre præcognitæ et prædestinatæ, qua Christus miracula palam et publice patraturus erat, ignaram, unum a Filio *ante tempus* obtinere voluisse. Sciebat quidem Filium tandem aliquando palam prodeuntem, vitæ sanctitate, doctrina et miraculis orbem illustraturum: jam publico munere fungi, discipulosque colligere cœpisse viderat; quare et publicorum miraculorum tempus et horam advenisse putans, de vini penuria monet, ut laborantibus divinitus consulat. Et hoc est quod Irenæus *intempestivam festinationem* vocat; non quod Mariæ animus præceps, aut inani gloria stimulatus fuerit: sed quod ipsam horam a Patre præfinitam nesciens, advenisse tamen existimans, pauperum egestate commota, miraculum eo loco et tempore fieri cupierit, quibus publica et omnibus manifesta omnipotentiæ suæ signa edere Christum sinebat Patris voluntas. Quare miraculum absolute non detrectat Christus, sed veluti clam et occulte patrat. Divinorum igitur decretorum ignara si fuerit Maria, non certe ullius imperfectionis moralis rea.

70. Sed si hactenus probandus sit Irenæus, haud certe excusandus videtur in eo quod scribit lib II, c. 22, Christum jam seniorem, id est ut ipse explicat, quadragenario majorem, imo prope quinquagenarium passum ac mortuum fuisse. Idque eo magis mireris, quod e veteribus plerique Salvatorem longe juniorem, quam revera fuerit, et exhibeat Evangelium, exstitisse velint, cum passus est. Plurimi enim ad baptismum venisse statuunt anno ætatis circiter 29, tum anno sequenti mortem obiisse: adeo ut inter baptismum et mortem vix plus quam anni unius spatium interponant: cum tamen ex Evangelio tria saltem a baptismo Paschata celebrasse Christum, eaque gessisse compertum sit, quæ trium saltem annorum intervallum probent. Sed multos hac in occasione minus, quam par esset, attentos Evangeliis fecerant ea Isaiæ [60] verba: *Annum acceptum Domino prædicare misit me*, etc., de Christo recte quidem intellecta, sed minus feliciter explicata, quasi inde consequeretur fore ut Christus uno duntaxat anno prædicaret. Unus Chrysostomus homil. 54, in cap. IX S. Joannis, propius ad Irenæi sententiam accessisse videtur. Nempe in iis Judæorum ad Christum verbis, quæ etiam ad confirmandam opinionem suam trahere nititur Irenæus: « Quinquaginta annos nondum habes, » etc., « quadraginta » pro « quinquaginta, » legendum esse putans, concludit, « prope jam Christum quadraginta annorum fuisse. »

71. Quod vero veteres non paucos in transversum egit perperam explicatum Isaiæ testimonium, idem et Gnosticis errandi, seu potius præconceptum errorem confirmandi ansam præbuit. Ut enim Æonum suorum commenta quoquo modo fulcirent, fingebant [61], « ob hoc Salvatorem triginta annorum exsistentem venisse ad baptismum, ut ostenderet tacitos Æones eorum triginta..... Duodecimo autem mense dicebant eum passum, ut fuerit anno uno post baptismum prædicans: et ex Propheta tentabant hoc ipsum confirmare; scriptum est enim [62]: *Vocare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* » Hunc errorem confutaturus auctor noster recte quidem probat, eum non esse verborum Isaiæ sensum. Tum statuit, Christum « triginta annorum exsistentem venisse ad baptismum [63]; » ac demum ter « secundum tempus Paschæ Dominum post baptisma ascendisse in Hierusalem, et illic diem festum Paschæ celebrasse [64]. » Quilibet ex iis conficeret, Christum anno ætatis 33, aut 34 passum esse. Nihil tamen minus infert Irenæus; sed pluribus argumentis, quæ apud ipsum legi possunt, probare nititur Salvatorem jam in senium declinantem mortuum fuisse, et ultra quadragesimum annum ac quinquagesimo proximum docuisse. Quæ quidem argumenta infirma esse, legenti statim patebit. Nec illud cæteris validius, quod ab auctoritate seniorum, qui apostolos viderant, repetit. Nam præ-

[60] Cap. 61, 2. [61] Iren., l. II, c. 22, n. 1. [62] Luc. IV, 19. [63] N. 4. [64] N. 3.

Digitized by Google

terquam quod de nomine et auctoritate seniorum illorum non constat, et ab uno forte Papia, homine, ut ait Eusebius, pertenuis ingenii, [CXXXVIII] nec eorum quæ ab apostolis audierat, sensum semper assecuti, cujus tamen fidei plus æquo tribuebat Irenæus, id accipere potuit, quod narrat; illud tantum a senioribus illis, quicunque tandem sint, audierat, non Christum anno ætatis fere quinquagesimo passum esse, sed declinantem jam in seniorem ætatem mortuum esse; quam senilem ætatem ex arbitrio, et disputationis æstu paulo longius, quam par fuisset, ab hæreticorum sententia discedens, postmodum interpretatus est.

72. Id ergo verissimum, quod observat Augustinus lib. II *De doct. Christ.* cap. 28, forte in Irenæum nostrum digitum intendens, « ignorantiam consulatus quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegisse errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum. » Mirari tamen subit, qui Irenæus, cui constitit Christum anno ætatis 30 baptismum suscepisse, et ex Evangeliis compertum fuit tria duntaxat a baptismo Paschata celebrata ab eodem fuisse, id sibi in animum inducere potuit, eum tum passum fuisse, cum jam annum quadragesimum excessisset, et quinquagesimum prope attingeret. Illud enim si verum, necesse est existimaverit Christum non ter tantum, sed plus quam duodecies a baptismo Pascha peregisse. Id unum responderi posse videtur, Irenæum credidisse, Christum non statim a baptismo docendi munus suscepisse, sed tandiu delitescere, privatamque vitam degere perseverasse, donec magistri ætatem perfectam assecutus esset; tum vero palam prodire ac magistrum agere cœpisse, cum annum ætatis quadragesimum tertium aut quartum attigisset. Is esse videtur verborum istorum sensus: « Triginta quidem annorum exsistens, cum veniret ad baptismum, deinde magistri ætatem perfectam habens venit Hierusalem, ita ut ab omnibus juste audiret magister. » Ibi quippe inter baptismi et docendi tempus distinguere videtur, alterumque ab altero non paucorum annorum spatio dirimere. Venit quidem Jesus ad baptismum triginta annorum exsistens, id est, Irenæi sensu, adhuc juvenis; nam « triginta annorum ætas, » ut ipse ait, « prima indolis est juvenis: » prius autem non venit Hierusalem, ibi Pascha primum, non ex quo baptismum susceperat, sed ex quo palam docere cœperat, celebraturus, quam magistri ætatem perfectam haberet, et in senium jam declinaret, id est, ut postea explicat, annum ætatis quadragesimum excederet. Tria proinde, quæ Christum baptizatum Paschata peregisse probat ex Evangeliis, non ab ipso baptismo numerat Irenæus, sed ab eo duntaxat tempore, quo magistri munere fungi cœpit. Quid vero Irenæum in tam insolitam, et cum Evangeliis e diametro pugnantem opinionem adduxerit, ut Christi prædicationis tempus a baptismo tanto annorum spatio dirimeret, non video, nec quidquam occurrit, quo sententia tam procul aberrans a vero emolliri possit. Nodum hunc scindere, non solvere tentavit doctissimus Antonius Pagius, t. I *Criticæ Historico-Chronologicæ* in Annales Baronii, p. 24, edit. Antuerp. 1705, sed infeliciter. Existimat enim, ea omnia quæ apud Irenæum de seniori Christi ætate leguntur, *corrupta* esse *et insititia*. Sed id aliis argumentis, quam meris conjecturis, iisque admodum infirmis probandum esset. Nam præterquam quod tota oratio adeo sibi cohæret, ut nulla pars avelli possit, quin tota dissolvatur; et stylus, qui certe Irenæi est, et verba quæ ex eo refert Eusebius lib. III *Hist.* cap. 23 (ea nimirum, quibus sententiam suam a Joannis discipulis accepisse se profitetur Irenæus) omnem interpolationis suspicionem eximunt.

73. Laudem vero meretur quod scribit auctor noster, lib. V, c. 31, n. 1, Christum post mortem suam tribus diebus conversatum esse « ubi erant mortui, quemadmodum, inquit, Propheta ait de eo: Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terra sepelitionis, et descendit ad eos, extrahere eos et salvare eos. » Nec minus clare l. IV, c. 27, n. 2: « Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis » (veteribus, qui jam e vivis excesserant) « adventum suum; remissione peccatorum exsistente his qui credunt in eum, id est qui adventum ejus prænuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi et prophetæ, et patriarchæ: quibus similiter ut nobis remisit peccata, quæ non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei. » Denique ejusdem libri c. 22, n. 1: « passionem Christi expergefactionem esse dormientium discipulorum, propter quos et descendit in inferiora terræ, id quod erat inoperatum conditionis visurum oculis, de quibus et dicebat discipulis: Multi prophetæ et justi cupierunt videre et audire, quæ vos videtis et auditis. » Ubi diserte docet Christum ad infera descendisse, ut sanctorum ac justorum animabus agentibus in subterraneis locis, donec per Salvatoris mortem reseraretur cœlum, annuntiaret adventum suum, et solutum a se redemptionis nostræ pretium, easque illinc extraheret, ac sempiterna felicitate donaret

ARTICULUS VII.

De Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis

74. Antiquissimum esse in Ecclesia confessionis illius usum, qua quis omnia et singula post baptis-

Digitized by Google

mum admissa peccata lethalia distincte et sigillatim coram eis, qui Ecclesiæ præsunt, enuntiat, fateri coguntur ipsi Protestantes, fatetur et cl. Grabius in suis in cap. 13, al. 9, lib. I, Irenæi observationibus. Et si quis negaret, errorem illico revinceret Irenæus, suisque verbis demonstraret, et confessionem sacramentalem, et piaculares pœnas, pro delictorum gravitate majores aut minores, publicas aut privatas, a delinquentibus repetitas, jam ab ipso ævo apostolico, ex Christi proinde lege atque instituto, tanquam necessaria ad eluenda peccata remedia usitari cœpisse. Lib. I, c. 6, n. 3 refert, quosdam e Valentinianis « clam eas mulieres, quæ discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpere : quemadmodum, ait, multæ sæpe ab eis suasæ, post conversæ mulieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore et hoc confessæ sunt. » Ecce, mulieres ab hæreticis, non palam, sed *clam*, nullisque mortalibus, nisi reis solis, testibus et consciis, corruptas, quarum proinde crimen, si quod aliud, occultum erat : hoc tamen ad Ecclesiam conversæ, cum reliquo errore confitentur. Cur ita? Nisi quia ex Ecclesiæ fide atque doctrina intelligebant, ejusmodi confessionem sibi necessariam esse ad eluendam peccatorum maculam? Id quidem ex Irenæi verbis colligi posse negat Grabius, sed perperam et gratis omnino negat. Quid enim aliud mulieres, quas præ cæteris afficit verecundia, ad retegenda occulta crimina [CXXXIX] tanto cum famæ et honoris dispendio, impulisset? An sola confessionis utilitas? At certe levius incitamentum est, quam ut eo rumpi possint illi, quos opponit insitus a natura pudor, obices; si maxime aliqua alia minusque molesta ratione elui crimina tuto possint. Testem ipsum appello Grabium, iis in regionibus degentem, in quibus excusso gravi, ut vocant, confessionis jugo, illius duntaxat utilitas commendatur, necessitas vero negatur : an unquam audivit, aliquas suæ sectæ mulieres clanculum corruptas, adiisse ministros, ut coram eis occultum illud scelus nullique notum, retegerent ac confiterentur? Ne unum quidem, si quod res est candide fateri velit, exemplum proferre poterit. Breviorem forte et expeditiorem viam hanc dicant ministri ad obtinendam noxarum veniam; ex quo semel aliam aperiunt, qua quis famæ simul et saluti tuto consulat, hac, ut sunt homines, incedent quique, priori nulli.

75. Quod autem forsitan ne semel quidem apud Protestantes factum est, Irenæi temporibus passim in Ecclesia fiebat. Invictum certe argumentum, aliam fuisse causam, quæ homines ad occultorum criminum confessionem impelleret, quam solam illius utilitatem. Narrat siquidem eodem lib. c. 13, n. 5, sanctus doctor, Marcum præstigiatorem philtris, aliisque veteratoriis artibus, mulieribus insidias struxisse, pluriumque demum « corporibus contumeliam irrogasse. Hæ vero sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo, velut cupidine, et inflammatas valde illum se dilexisse; ut et diaconus quidam eorum, qui sunt in Asia nostri, suscipiens eum in domum suam, inciderit in hujusmodi calamitatem. Nam cum uxor ejus esset speciosa, et sententia et corpore corrupta esset a mago isto, et secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exhomologesi consummavit, plangens et lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam. » Mulieres illæ non tantum abditum crimen confitentur, sed et occultissimas ejusdem criminis circumstantias aperiunt, scilicet quod Marcum deperiissent, illudque pœnitentia publica sibi a sacerdotibus imposita eluere satagunt. Hoc ipsum confirmatur ex iis, quæ addit Irenæus n. 7, Marci discipulos « multas » in regione Lugdunensi « seduxisse mulieres, quæ cauterizatas conscientias habentes, quædam quidem in manifesto exomologesin faciunt, quædam vero reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei; quædam quidem in totum abcesserunt; quædam autem inter utrumque dubitant, et quod est proverbii passæ sunt, neque intus, neque foris exsistentes, hunc fructum habentes seminis filiorum agnitionis. » Ex hoc loco pœnitentiam publicam in prisca Ecclesia usitatam fuisse, merito colligunt doctissimi ac bonæ memoriæ viri Billius et Feuardentius. Ego vero, ait cl. Grabius, et confessionem publicam quandoque factam exinde demonstrari puto. Putaverant et alii, et recte quidem; hæc enim ad illam referebatur, ut norunt omnes; sed utrique præibat confessio privata, qua quis coram legitimo pastore vel sacerdote huic muneri præfecto, peccatorum tum occultorum, tum publicorum, si quæ erant, enumeratione facta, ea postmodum publice confitebatur, quæ palam evulgari posse ac debere, nullo cum confitentis discrimine, servatisque prudentiæ ac charitatis legibus, censuerat sacerdos. Utraque vero confessio, seu privata, seu publica, sacramentalis erat : utramque excipiebat imposita delinquentibus canonica pœnitentia, hanc absolutio a peccatis, et corporis Christi suscipiendi facultas. Hæc leviter perstringo, quia trita et omnibus perspecta. Sed adeo liberum non erat peccatoribus seu privatim, seu publice confiteri, ut, Irenæo teste, e mulieribus illis « cauterizatas habentibus conscientias » quædam, cum puderet latens ulcus retegere, terreretque pœnitentiæ seu exhomologeseos remedium, animum misere despondentes ab Ecclesia deficerent, vel inter spem et metum animo pendentes, neque intus, neque foris exsisterent. Certe si quo alio sibi ipsæ opitulari posse remedio existimassent eæ mulieres; si uni Deo facta confessio, privataque sponte suscepta pœnitentia sceleribus expiandis satis fuisset, quid ambigebant? quid ab Ecclesia deficiebant, vel animo dubiæ inter defectionem et reconciliationem hærebant? Quin potius tam facili remedio sibi ipsæ consulebant?

Digitized by Google

Nodum hunc solvat, si possit, Grabius, videatque num apud suos ejusmodi pudor, aut anxietas, peccatorum mentes usquam torserit. Ne ejusmodi ambagibus unquam implicarentur, abscissa penitusque resecta tot molestiarum causa, sollicite caverunt. Sed tam expeditum salutis iter necdum Irenæi ætate notum erat.

76. De Eucharistiæ sacramento quid senserit Irenæus, pluribus in locis mox memorandis dilucide aperit. Ac primo quidem illud recolendum, quod in dissert. 1 de Marci præstigiis agentes ostendimus, tam alte eorum omnium qui Christiano nomine utcunque gloriarentur, pectoribus infixum fuisse, Eucharistiam verum esse corpus et sanguinem Christi, et panem ac vinum per invocationem Spiritus sancti, et sacra verba vere converti, eo conversionis genere, quod *transsubstantiatio* dicitur, in ipsum Christi corpus et sanguinem, ut profligatissimi omnium hæreticorum Marcosii hanc oculis ipsis exhibere præstigiis suis conarentur. Cum enim probe conscius esset Marcus, nullam sibi offerendi sacrificii Eucharistici potestatem esse, hancque ad eos duntaxat pertinere, qui per legitimam manuum impositionem consecrati sunt sacerdotes; ut tamen ea se divinitus ab Achamoth, seminum electionis matre, donatum esse suis persuaderet, id efficere se magicis artibus, ac visibili ratione tam impie quam ridicule simulabat, quod re et vere, invisibili tamen modo peragebant veri Christi sacerdotes. Nam pocula albo vino mista fusis precibus consecrare se fingens, in *purpureum et rubicundum colorem* sic transmutabat, ut sanguinem oculis exhiberet, quem supremæ virtutis sanguinem esse jactabat; quemque ideo degustare astantes a veteratore delusi gestiebant. Marcus ab apostolica Eucharistiam conficiendi formula longe abierit, et propria protulerit deliria, ut vult Grabius, quid inde colligi possit præsentiens, non abnuo; id tamen certissimum esse fatebitur, quisquis sepositis tantisper præjudiciis omnia circumspexerit, nullum hominem id sibi in animum inducere unquam potuisse, ut tam insolenti portento aliis fucum faceret, nisi ex præconcepta præsentiæ realis et transubstantiationis doctrina, ut loco citato probavimus.

77. Nec Marcosiorum duntaxat, sed et Gnosticorum omnium eam fuisse sententiam, omnesque cum Catholicis hac in parte consensisse, Eucharistiam verum esse corpus et sanguinem Christi, nisi [CXL] quod ea quæ hæretici ore astruebant, exitiosis aliis, quæ statuebant, principiis imprudentes everterent, perspicue ex Irenæo liquet. Hic enim cum lib. IV, c. 9 et seqq., latissime probasset unum et eumdem Deum utriusque legis, Mosaicæ et evangelicæ, auctorem fuisse, nec veterem ideo abrogatam fuisse, quod mala esset, sed quod ad tempus duntaxat data fuisset, ut viam sterneret novæ legi, veræque sanctitati, quam per se ipsa præstare non poterat; tum demum cap. 17 et 18, ostendit, Deum vetera sacrificia offerri sibi a Judæis præcepisse, non quod iis indigeret, sed quod eorum infirmitati hæc indulgenda esse censuisset, ne in idololatriam declinarent; non quod per ea veram justitiam offerentibus impertiri, sed quod Novum Testamentum, verumque ac purum ejusdem Testamenti sacrificium et oblationem significari vellet. Sic igitur abroganda fuisse vetera sacrificia, ut genus integrum servaretur, species duntaxat immutaretur. Sua siquidem utrique Testamento sacrificia esse debuerunt, sed alia umbræ et figuræ, alia ipsa veritas; alia servorum, alia liberorum propria; alia crassa, et vera sanctitate vacua, alia munda et pura, quibus in spiritu et veritate colitur Deus, veramque justitiam consequitur homo. Cum itaque jam Deus per Malachiæ prophetiam, cap. 1, 10, 11, « manifestissime significasset, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum [65]; » implens hanc prophetiam Christus, Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. » Nimirum « suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens : *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. » Et hæc « Ecclesiæ oblatio » est « quam Dominus docuit offerri in universo mundo [66]; » hoc purum sacrificium, » quod « cum simplicitate Ecclesia offert. Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura, et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quæ sunt ejus, creaturarum offerentes. » Ipsum ergo quod pridie quam pateretur Christus Deo Patri sacrificium obtulit, panem et vinum consecrando, alterum suum esse sanguinem confitendo; illud idem Ecclesia in universo mundo, Christi magistri sui exemplo, fabricatori Deo offert. Hoc ejus sacrificium, hæc oblatio, sacrificium purum, oblatio munda et illibata. Sic Irenæi ætate sentiebat Ecclesia, sic agebat, sic credebat : panem et vinum, veluti primitias earum, quæ sunt Dei, creaturarum offerebat, benedicebat et consecrabat; consecratione vero facta, jam non communem esse panem et commune vinum existimabat, ut mox explicabit Irenæus, sed ipsum Christi corpus et sanguinem esse confitebatur. Hæc, inquam, Ecclesiæ catholicæ secundi sæculi toto orbe fides.

78. Quæ vero hostium ejus tunc temporis sententia? An ejus de sacrificio Eucharistiæ fidem impugnabant, vel eo contineri et offerri verum Christi corpus et sanguinem negabant? Judæi quidem, aut

[65] Iren., lib. IV, c. 17, n. 5. [66] Cap. 18, n. 1 et 4.

Digitized by Google

Irenæus[67], Eucharistiæ sacrificium spernunt, nec puram oblationem offerunt : « Manus enim eorum » divini Verbi carne induti, quod crucifixerunt, « sanguine plenæ sunt. » Cum ergo « non receperint Verbum » incarnatum, « quod offertur Deo » Patri in sacrificio Eucharistiæ; quid ea repudiata vera novæ legis hostia miseris jam superesse potest, præter vanam et impuram sacrificii umbram? Hæretici vero offerebant quidem Eucharistiam; sed quia non « in sententia pura, et fide sine hypocrisi, » eorum oblatio pura esse non poterat : « Nec enim » ipsi « receperunt Verbum quod offertur Deo. » Et quamvis Eucharistiam « corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, » ore prædicarent, id tamen eis constare non poterat. « Quomodo, » ait Irenæus, « constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus?... Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. » Offerebant igitur hæretici panem et vinum, utrumque consecrabant, et corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus fatebantur. Nec in hoc male sentiebant. Sed in hoc duntaxat peccabant, quod secum ipsi pugnantes, id de Verbo Dei sentirent, quod Eucharistiæ fidem funditus evertebat. Ex quo fiebat, ut quamvis « eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui » palam asserereut, id tamen eis « constare » nulla ratione poterat.

79. Id ut facilius percipiat lector, advertat, quæso, Marcionitas et Valentinianos hic, et postea fusius lib. v, cap. 11, argumentis ab Eucharistiæ mysterio petitis ab Irenæo confutari. Porro utrumque is error erat, ut explicuimus dissert. 1, de eorum hæresi agentes, mundum hunc aspectabilem a supremo Deo et Patre conditum non esse; sed vel ab altera quadam potestate, ut blasphemabat Marcion; vel labis et ignorantiæ passi Æonis fructum esse, ut delirabant Valentiniani. Hinc duplex alter manabat error, 1° carnem, vel mali principii opus, vel ignorantiæ fructum, interitui sic obnoxiam esse, ut semel dissoluta nunquam resurgat; 2° Christum Jesum veram carnem a Maria non accepisse; ea enim duntaxat sibi sumpsit, quæ servaturus erat : carni autem salutem impertire non poterat. Ut ergo materiale quoddam corpus gestaverit, non humanum certe ac carneum, sed ita ab omni crassiori materia defæcatum et purum, ac tam solerti arte concinnatum, ut nihil cum illa commune haberet, sed spiritale quodammodo præ ea esset. Et hinc etiam fluxit altera eorum blasphemia, Verbum divinum nec mundi opificis filium fuisse, nec vere hominem factum fuisse, sed Christo Jesu ad tempus duntaxat unitum fuisse, idque efficientia tenus, et eo unitionis genere, quod ab hypostatico et substantivo procul abesset. Hæc sunt vesanorum hominum deliria, quæ tum hic, tum lib. v, cit. Irenæus, et cum Eucharistiæ fide, quam profitebantur, pugnare ostendit.

80. Ac primo quidem id principii loco statuit, in « sola Ecclesia » catholica eucharisticam « oblationem puram offerri fabricatori; » quia sola « in sententia pura, et fide sine hypocrisi offert ei cum gratiarum actione ex creatura ejus; » id est sola Deum Patrem mundi hujus opificem esse credens, munera quæ vere sunt ejus et ad eum jure creationis pertinent, panem videlicet et vinum, ex rebus creatis desumpta, ei cum gratiarum actione, et acceptorum ab eo beneficiorum memor offert et consecrat. Tum infert, nullam a Judæis puram oblationem offerri; tum quod « manus eorum sanguine plenæ sint; » tum quod « non receperint Verbum » incarnatum, « quod offertur Deo » in Christianorum sacrificiis, quodque abrogatis [CXLI] veteris legis sacrificiis, sola jam et unica novæ legis hostia est. Addit, « neque omnes hæreticorum synagogas » puram oblationem offerre. Quamvis enim Eucharistiam ex pane et vino conficiant, impura tamen eorum oblatio est, Deumque probro magis, quam honore afficit. Quod duplici probat argumento, pro duplici hæreticorum errore, quem confutat. Primum ex eo desumitur, quod hæretici Deum Patrem mundi hujus opificem esse negantes, « ea quæ secundum nos creata sunt, offerentes ei, » vel « cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem; » vel « ignorantiæ, passionis et defectionis fructus offerentes, peccant in eum, » ac proinde contumeliam ei inferunt. Quisquis enim fingit, Deum Patrem, ea quæ ipse non condidit, nec ad eum creationis jure pertinent, offerri sibi velle, is Patrem alicui cupidum esse ostendit : et quisquis Deo Patri labis et ignorantiæ fructus offerre audet, is pollutis et impuris hisce muneribus « contumeliam facit ei magis, quam gratias agit. » Alterum argumentum ex eo repetitur, quod hæreticis negantibus Dominum nostrum Jesum Christum esse ipsius « mundi fabricatoris filium, id est Verbum ejus » unigenitum, constare non poterat, « eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, et calicem esse calicem sanguinis ejus. » Qui enim hæretici negabant Dominum nostrum esse mundi fabricatoris filium, et Verbum Patris unigenitum, ii consequenter negabant Verbum incarnatum ac verum hominem factum fuisse, et Dominum nostrum veram carnem et verum corpus assumpsisse. At ei qui negat Verbum assumpsisse verum corpus, jam constare non potest Eucharistiam esse corpus Domini nostri. Quia qui negat Dominum nostrum habuisse verum corpus humanum, nostro consubstantiale, et ex materia a mundi opifice condita conflatum; is proinde neget necesse est, Dominum nostrum in Eucharistia verum habere et conficere sibi corpus. Is siquidem panem et vinum, res a mundi opifice conditas, in veram ac propriam corporis sui substantiam convertere non potest, qui nullum ex materiali sub-

[67] N. 4.

Digitized by Google

stantia, a mundi fabricatore creata, corpus assumere sibi potuit, ne materiam vel natura sua malam, vel a malo opifice creatam sibi asciscerel. « Quomodo » enim, ait inferius auctor noster, c. 33, n. 2, « juste Dominus, si alterius Patris exsistit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit? » Iis igitur, qui negant Dominum nostrum esse mundi fabricatoris Filium, et Verbum Patris unigenitum, constare non potest, Eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini nostri. Ecqui id eis constaret, qui Domino nostro verum corpus et sanguinem adimunt?

81. Sic adversus hæreticos, velint nolint recentiores hæretici, argumentatur Irenæus, vel certe nihil prorsus efficit. Itaque tum hæreticis impugnatis, tum Irenæo impugnanti, utrinque certum erat, in Eucharistia contineri verum ac substantiale corpus et sanguinem Domini nostri, et panem ac vinum in ea vere converti et transmutari. Nisi enim id certum et exploratum utrique parti fuisset, frustra et ridicule argumentum ab Eucharistia petiisset Irenæus, eoque argumentandi genere insulsius nihil fuisset. Nam si tum Irenæus, tum Marcionitæ et Valentiniani nihil aliud in Eucharistia agnoverint, præter meram corporis et sanguinis Christi figuram, aut efficacem illam, quam commenti sunt recentiores ministri, virtutem e corpore et sanguine Christi manantem; sic procedat necesse est Irenæi argumentum: Negantibus hæreticis Dominum nostrum esse mundi fabricatoris Filium, id est Verbum ejus unigenitum, constare non potest Eucharistiam esse figuram, aut virtutem corporis ejus et sanguinis. Si enim Dei Filius veram carnem, verumque humanum corpus ex materia a mundi opifice condita conflatum non suscepit, nec hylicum quidquam sibi ascivit, sed « a dispositione circumdedit » sibi « corpus » quoddam « paratum inenarrabili arte, » ut asserebant Valentiniani [68]; nullam sui corporis figuram aut virtutem in Eucharistia exhibere potest. Hæreticis igitur Christo materiale corpus adimentibus constare non potest, Eucharistiam esse figuram aut virtutem corporis ejus. Sic argumentatum fuisse Irenæum fingant necesse est Protestantes. Atqui ejusmodi argumentum delirantis hominis esse, nec proinde Irenæo, sine gravi injuria, tribui posse, sobrius quisque fatebitur. Quasi vero, quod Christus hylicum nihil susceperit, et materiale corpus non assumpserit, inde consequatur nullam spiritalioris illius corporis, « parati inenarrabili arte, » quod sibi circumdedit, figuram aut virtutem in Eucharistiæ mysterio exhibere posse? Imo potius hæreticis hinc maxime constitisset, Eucharistiam esse figuram aut virtutem corporis Domini sui. Ex quo enim ambo hæc hæreticis constitissent, ut constare sibi contendebant: 1° Christum, nullum ex inferiori materia conflatum corpus assumpsisse; 2° Christum tamen panem et vinum, corpus et sanguinem suum esse dixisse; iisdem illico veluti quiddam ex ambobus necessario consequens constitisset, panem et vinum non alia ratione Christi corpus et sanguinem esse posse, quam quia Christi corporis et sanguinis aut figura sunt, aut virtutem continent. Frustraque id negasset Irenæus; nam statim reposuissent adversarii, nihil repugnare, eum qui nullum sibi ex rebus inferioribus creatis corpus ascivit, in iisdem spiritalioris illius, quod gestavit, corporis figuram et virtutem repræsentare. Unde tantum abest ut hoc argumento ab Eucharistia petito catholicam causam juvasset S. doctor, quin potius arma hæreticis ministrasset, quibus catholicos ipsos confodissent. Argumentum enim invicte retorquentes dixissent: Si quod corpus humanum et materiale ex rebus inferioribus creatis assumere sibi potuisset Dei Filius, ex iis maxime sibi confecisset, quæ ipse corpus et sanguinem suum esse dixit: atqui tamen, ipsis fatentibus catholicis, ea ipsa quæ consecrando corpus et sanguinem suum esse dixit, panis videlicet et vinum, non fiunt verum ejusdem corpus verusque sanguis, sed meram corporis et sanguinis figuram et virtutem exhibent et continent: ergo Christus verum corpus humanum non assumpsit, sed meram corporis humani figuram et virtutem, qua in hominum sensus ageret, idque efficeret, quod verum corpus humanum efficere potuisset. Econtrario vero si suppouamus, quod verissimum est, et Irenæo et adversariis ejus certum et indubitatum fuisse, panem et vinum in Eucharistia converti in verum Domini nostri corpus et sanguinem; argumento ab Eucharistia petito nihil ad opprimendos hæreticos validius erit. Qui enim, dixerit Irenæus, panem et vinum, res materiales creatas, in veram proprii corporis et sanguinis substantiam convertit, et verum corpus et sanguinem suum esse palam asseruit; is, si verax est, et vera loquitur, verum corpus humanum, ex inferiori [CXLII] materia, perinde atque nostrum, compositum habuerit necesse est; « sanguis enim, » ut recte advertit lib. v, c. II, n. 2, « non est nisi a venis et carnibus, et a reliqua, quæ est secundum hominem, substantia. » Atqui, ut ipsimet fatentur adversarii, Dominus noster, ipsa veritas, panem et vinum, res materiales creatas, in veram proprii corporis et sanguinis substantiam convertit, ac convertisse se dixit: ergo verum corpus humanum ex inferiori materia compositum, nostroque consubstantiale habuit: ergo mundi creatoris Filius est, et Verbum ejus.

82. Erit forte e Calvinianis quispiam, qui respondeat, Irenæo satis fuisse probare Eucharistiam esse corporis et sanguinis Christi figuram, ut inde conficeret Dominum nostrum verum corpus et sanguinem assumpsisse; nam, ut ait Tertullianus, lib. IV

[68] Iren., lib. I, c. 6, n. 1.

Digitized by Google

cont. Marcion. c. 4, « vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. » Sed vanissimam responsionem jam occupavimus. Nec enim Irenæo probandum duntaxat erat, Christum verum habuisse corpus; id quippe non absolute negabant ii, quos hic refellit, hæretici; sed id præsertim demonstrandum erat, Dominum nostrum corpus sibi ex inferiori materia a mundi fabricatore condita sumpsisse, nostro consubstantiale. Atqui id certe hoc argumento non demonstrasset. Statim enim regessisset Valentinianus, ideo Christum assumpsisse panem et vinum, ut iis corporis et sanguinis, quæ mortalium sensibus objecerat, figuram constitueret; ac proinde sicuti eo corpore quod, in terris agens, hominum sensus affecerat, meram corporis humani speciem, non verum corpus humanum objecerat; sic pane et vino non verum corpus, sed corporis materialis phantasma significare voluisse: imo eo demonstrare voluisse, nullam sibi veram corporis humani materiam et substantiam, sed speciem duntaxat inesse. Quod autem addidisset Irenæus, omni figuræ veritatem aliquam respondere debere, illico dissolvisset Valentinianus, reponens, utrique figuræ, naturali scilicet et Eucharisticæ, respondere verum illud corpus paratum inenarrabili arte, quod a dispositione sibi circumdedit Christus, sed quod ex inferiori materia concretum non sit. Sicque cito ruisset tota Irenæi argumentatio.

83. Idem argumentum ab Eucharistia petitum confirmat et instaurat Irenæus, ut alterum hæreticorum, carnis resurrectionem negantium, errorem configat. Verba Latine recitabo; iis duntaxat ex Græco additis, quæ in interpretatione Latina omissa sunt [69]. « Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem (Græce κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν, communionem et unionem) prædicantes (suppl. Verbi divini cum corpore et sanguine Domini; tum adde, juxta Græcum, καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, et confitentes resurrectionem carnis et spiritus). Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti: sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. » Hic carnis nostræ resurrectionem ex duplici propositione infert Irenæus, nimirum: Ea caro in corruptionem devenire non potest, quæ percipit vitam; ea caro percipit vitam, quæ corpore et sanguine Domini alitur. Nam addita altera propositione: Atqui caro nostra corpore et sanguine Domini alitur, fluit hinc ex se conclusio: ergo caro nostra in corruptionem devenire non potest. Priores propositiones probare supervacaneum fuisset; patent quippe ex ipsis Christi verbis Joan. VI, 54, 55: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Assumptionem vero, quamvis et ipsa satis aperte ex iis Domini verbis: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, demonstraretur, explicat, probat et confirmat Irenæus. Ac primo quidem observat, hæreticorum sententiam cum ipsa sacrificii eucharistici fide, quam tamen eamdem cum catholicis profitebantur, sic repugnare, ut ab offerendo sacrificio abstinendum eis esset, aut mutanda sententia: catholicorum vero sententiam cum Eucharistia mire adeo consentire, ut hinc novum ei robur accederet. Offerimus enim, inquit, Deo quæ sunt ejus, propria ipsius bona, ab eo condita et creata, panem videlicet et vinum, quæ consecratione ac benedictione ministrorum Ecclesiæ fiunt Christi Domini, Filii Dei unigeniti ac Verbi corpus et sanguis, ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, concinne prædicantes communionem et unionem; quarum rerum, nisi earum, de quibus paulo ante sermonem fecit, Verbi scilicet divini cum humano Christi corpore et sanguine, tum naturali, tum sacramentali? καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, et confitentes resurrectionem carnis et spiritus. Tum demum ad causam propius accedens, addit: « Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, » etc., quibus manifeste alludit (nec diffitetur Grabius) ad solemnem illam verborum formulam, quæ in antiquis omnibus liturgiis Orientalibus occurrit, quamque Græci cum Irenæo κατ' ἐξοχὴν vocant ἐπίκλησιν, *invocationem*. Ea est qua Deus oratur ut mittat Spiritum sanctum, qui suo in dona proposita illapsu, efficacissimaque operatione faciat ea corpus et sanguinem Christi; simulque fidelibus ea suscipientibus ita per gratiam suam superveniat, et illabatur eorum cordibus, ut eadem mysteria prosint illis ad remissionem peccatorum, gratiæ augmentum, et vitam æternam. Ad eamdem ἐπίκλησιν, *invocationem*, ipso fatente Grabio [70], pariter respiciebat Cyrillus Hierosolymitanus, ut plures alios omittam Græcos Patres, scribens Catech. 1, « ἐπικλήσεως γενομένης, invocatione facta, panem fieri corpus Christi. » Et Catech. 5: « Rogamus, inquit, Deum misericordem, ut sanctum Spiritum mittat super proposita, et faciat panem quidem corpus Christi, vinum autem sanguinem Christi. » Sic autem ad eam allusisse

[69] Iren., lib. IV. c. 18, n. 5. [70] Not. in lib. V, cap. 2.

Digitized by Google

Cyrillum, ut proposita dona Spiritus sancti illapsu, et efficacissima operatione transmutari vellet, non moraliter tantum, sed vere, realiter et substantialiter in ipsum Christi corpus et sanguinem, aperte confitetur Grabius, ut postea dicemus; confitebitur et alius quisquis ex æquo et bono agere voluerit. Eodem proinde spectare Irenæi allusionem fateatur necesse est. Et certe ea *invocatio* liturgica, quam tum Irenæus, tum Cyrillus, tum alii Patres tam sæpe memorant, cujuscunque alterius sacrorum donorum transmutationis, quam realis [CXLIII] et substantialis in ipsum Christi corpus et sanguinem, sensum procul excludit. Rogatur quippe Spiritus sanctus ut descendat, non tantum in fidelium corda, ea sanctificaturus; sed et in ipsa sacra dona, divina sua et efficacissima operatione in ea immediate acturus, et insigne aliquod miraculum editurus. Quid vero aliud miraculi plenum in ipsa sacra dona agere potest Spiritus sanctus, nisi vera transmutatione efficere ea aliquid esse quod prius non erant, corpus videlicet et sanguinem Christi, ut in omnibus Liturgiis legitur, μεταβαλὼν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ut habent Basilii et Chrysostomi Liturgiæ? Tropos, figuras et virtutem, nescio quam, hic comminiscantur Protestantes: perspicuam verborum sententiam falsis interpretationibus circumvenire nunquam poterunt. Duplex enim aperte distinguitur Spiritus sancti illapsus, duplexque utriusque finis, alter ab altero diversus: alter in ipsam materiam, id est in sacra dona, ut fiant aliquid, quod prius non erant, nimirum corpus et sanguis Christi; alter in corda fidelium, ut omnes qui sacramentum percepturi sunt, fructum remissionis peccatorum, gratiæque augmentum consequantur. Cum igitur negant Protestantes aliam transmutationem invocatione postulari, quam moralem: hoc est, ut in ipsa sacramenti perceptione fidelibus sacra dona cum fide percipientibus fiant corpus et sanguis Christi, negent consequenter alium longe ante communionem postulari Spiritus sancti illapsum in ipsa sacra dona, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi, sicque duplicem eum illapsum confundant, perspicuis verbis vim apertam inferentes, necesse est. Et, quæso, si is sit invocationis sensus; cur Ecclesia Spiritum sanctum precata quidem, ut suo in aquam baptismalem, vel chrisma illapsu, virtutem suam, vimque sanctificandi iis impertiat, Christi sanguinis virtute ea repleat ac fecundet, etc., nunquam tamen eum rogavit, ut efficacissima sua operatione ea efficeret ipsum Christi sanguinem, aut Spiritum sanctum? Nodum hunc solvere, quidquid rhetoricentur Protestantes, nunquam poterunt. Ex ea ergo invocatione quæ fit super terrenum panem, recte concludit Irenæus carnem nostram corpore Domini et sanguine ali: quia qui est a terra panis, ex quo semel percepit invocationem Dei, desinit esse panis communis, sed fit Eucharistia, id est ipsius Verbi incarnati verum corpus, verusque sanguis. Hoc ipsum est quod paulo enucleatius explicare vult, cum statim addit, « Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et cœlesti. » Perspicua quidem verba, nisi tricis suis caliginem iis offundere studuissent Calviniani.

84. Hanc tamen facile discutiet qui tum ad hæreticorum, qui hic refelluntur, hypothesim, tum ad totius argumentationis Irenæi seriem attendere voluerit. Paulo ante dixit S. doctor, alium esse, ex hæreticorum sententia, a supremo Patre fabricatorem mundi; Dominum vero nostrum non esse Filium, nec Verbum ejus, quia verum corpus humanum ex terrena substantia a mundi opifice creata conflatum non assumpsit, nec sibi univit Verbum divinum. Eumdem vero errorem hic summatim perstringens, ac simul resurrectionem carnis probans, ostendit terrenum panem ideo, post invocationem Dei, communem panem esse desinere, quia fit « Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti. » Quæ autem res illa terrena, ex qua constat Eucharistia, nisi corpus et sanguis Domini, quibus ali carnem nostram mox dixerat Irenæus? Ea vero rem terrenam vocat, ut hinc hæreticos confutet, negantes Christum quidquam sibi terreni corporis ascivisse: terrenam, inquam, quia ex terreno pane et vino, in Christi corporis et sanguinis substantiam vere conversis et transmutatis fit verum Domini corpus, verusque sanguis. Ex quo sequitur, Christum sibi corpus ex terrena materia concretum et factum, veramque carnem ac verum sanguinem assumpsisse; quod inficiabantur hæretici. Quæ vero res illa cœlestis, ex qua etiam constare Eucharistia dicitur, nisi ea, cujus paulo ante facta mentio est, Verbum scilicet divinum, Filius Patris unigenitus, quem creatæ Jesu Domini nostri naturæ vere ac substantialiter unitum fuisse nolebant hæretici? Recte igitur asserit Irenæus, Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et cœlesti; his enim catholicam sententiam adversus hæreticorum blasphemias egregie munit; probatque ex Eucharistia, quam corpus et sanguinem esse Domini fatebantur illi, Christum Dominum ut verum hominem, sic et verum Deum, Filium Dei et Verbum Patris unigenitum exstitisse; Verbumque humanam Christi naturam, corpus et sanguinem vere ac substantialiter univisse sibi. Perinde est ac si dixisset: Quod corpus, qui sanguis carni nostræ vitam impertiuntur, eamque a corruptione vindicant, ut sint terrenum corpus, terrenusque sanguis, ex terrenis rebus concreta et facta, esse tamen non possunt merum terrenum corpus, merus terrenus sanguis, seu meri hominis corpus et sanguis; nam merum corpus humanum suapte natura mortale, et corruptioni obnoxium, vitam aliis præstare non potest. Atqui Domini nostri corpus et sanguis in Eucharistia, ex terrenis rebus, pane et vino, per veram eorumdem conversionem facta, carni nostræ vitam impertiuntur. Igitur non sunt mera res terrena, merique hominis corpus et san-

Digitized by Google

guis, sed his unita sit necesse est res cœlestis, sempiterna et immortalis, ipsa vita, uno verbo Filius Dei unigenitus et Verbum Patris. Simili prorsus argumento Nestorianos non semel impugnavere tum Cyrillus Alexandrinus, tum alii Patres qui adversus eos scripserunt, probaveruntque Christi corpus, quo pascimur in Eucharistia, non puri hominis corpus esse, sed ipsius Verbi incarnati; quod puri hominis caro vitam impertire non possit. Hoc vero eo felicius adversus Gnosticos utitur Irenæus, quo simul et unionem hypostaticam Verbi divini cum vera Christi humana natura, et carnis nostræ resurrectionem astruit. Pascimur, inquit, in Eucharistia, corpore et sanguine Domini; et hinc vitam percipit caro nostra. Neque enim is, qui nobis in Eucharistia porrigitur, sacer cibus, spectandus est ut panis communis; erat quidem ante invocationem Dei; sed semel prolatis super eum consecrationis verbis, desinit esse panis communis, et fit Eucharistia. Porro Eucharistia constat ex duabus rebus, terrena et cœlesti, corpore videlicet et sanguine Domini, e terrena materia concretis; nec iis solis, sed et ex ipso Verbo divino huic corpori et sanguini hypostatice unito. Ex quo sequitur « corpora nostra percipientia Eucharistiam, » eaque pasta et nutrita, non nuda meri hominis carne terrena, sed ipsius Verbi divini incarnati, ipsius proinde vitæ, corpore et sanguine, « jam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia; » nec æternum perire [CXLIV] posse, quæ tam cœlesti cibo recreantur. Sic fit, ait Irenæus, ut sententia nostra mire consonet Eucharistiæ, et Eucharistia vicissim confirmet sententiam nostram. Offerimus siquidem Deo Patri, non aliena, non res ab alio creatas, sed quæ sunt ejus, quæque ipse condidit, panem videlicet et vinum, quæ percipientia invocationem Dei fiunt verum ac proprium ipsius Filii Dei corpus et sanguis; congruenter communionem et unionem Verbi divini cum carne prædicantes, et confitentes nostræ carnis resurrectionem.

85. Hic Irenæo nihil alienum affingimus, sed Irenæum ex Irenæo, et ipsius Irenæi verbis, scopo, consilio et argumento explicamus. Frustra vero hic solitam Christi corporis figuram ac virtutem opponent Protestantes: nisi prius Irenæum penitus insaniisse probent, nulli sobrio persuadebunt, eum mera corporis Christi figura, vel virtute, Gnosticorum errores hic confutare aut potuisse aut voluisse. Næ, præclarum argumentum, quod a figura aut virtute duxisset! Ea caro, dixisset, percipit vitam, nec proinde in corruptionem devenire potest, quæ Domini nostri corporis et sanguinis figura aut virtute alitur. Eccui, nisi deliranti, in mentem venire unquam potuit, carnem nostram ali et nutriri, vel, ut alibi loquitur Irenæus, membra nostra augeri figura, similitudine, imagine aut virtute? Quid, quæso, Christi corporis figura, nisi mera *relatio*, ut loquuntur in Scholis, panis ad Christi corpus? Quid ea virtus, nisi, ut explicat cl. Grabius, Spiritus sancti gratia? Ergone alitur et nutritur caro nostra, augenturque membra nostra *relationibus*, aut Spiritus sancti gratia? Quin similiter tum Irenæus, tum alii Patres, qui carnis resurrectionem probantes, argumenta petierunt ab Eucharistia; ea ducentes a manna, a petra deserti, ab agno paschali, etc., quæ et ipsa Christi corporis figuræ erant, hinc confecerint, tam efficacia fuisse veteri populo remedia corruptionis, quam novo? Nullos tamen reperias qui sic argumentati fuerint. Quin potius, et forte etiam consultius, dixissent carnem nostram æternum perire non posse, quæ salutari baptismatis lavacro abluta et regenerata, ac sacro chrismate uncta et roborata fuerit? Hæc enim (nec minus pane et vino in Eucharistia, si vera sit Calvinianorum sententia) Spiritus sancti gratia et virtute, imo Christi ipsius sanguine fecundata et repleta esse sæpe asseruerunt. Nullus tamen occurrit, qui ejusmodi argumento carnis resurrectionem astruxerit. Quod quidem vel solum demonstrat, Patres aliud quidpiam in Eucharistiæ mysterio agnovisse, præter nudam Christi corporis et sanguinis figuram, aut virtutem. Sed cæteras argumenti Irenæi propositiones expendamus. Igitur, si Calvinianos audiamus, ex eo contenderit Irenæus carnem nostram percipere vitam, nec proinde in corruptionem abire posse, quod Christi corporis et sanguinis figura aut virtute alatur. Hanc vero propositionem ex eo probaverit, quod is, qui est a terra, panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis sit. Quid ergo, si quidem in Christi corpus non convertitur, nec substantiam mutat? Eucharistia est ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti. Si vero quæras a Calvinianis quæ sint res illæ, terrena et cœlestis; consentiunt quidem omnes, terrenæ rei nomine panem intelligi: de re vero cœlesti dissentiunt. Alii quippe intelligunt virtutem, nescio quam, a corpore Christi manantem, ab eo tamen separatam, et pani inditam. Alii fictitiam ejusmodi virtutem merito deridentes, rem per panem significatam intelligunt, nimirum Christi corpus, absens utique. Sed utraque explicatio tot absurdis scatet, ut mirum sit ab aliquo proponi potuisse. Non omnia hic prosequi animus est: id abunde præstitere eruditissimi auctores libri *De perpetuitate fidei Ecclesiæ catholicæ circa Eucharistiam*, tom. III, lib. I, c. 2, et tom. II, lib. V, c. 10, 11 et seqq. Pauca duntaxat observare pro instituto sufficiat. Ac ut a posteriori exordiar, pari jure dici poterit agnum paschalem duabus rebus constare, animali quodam et transitu, seu si mavis, Christi corpore; petram deserti, lapide constare et Christo; marmoream Cæsaris imaginem constare marmore et Cæsare, etc. Nempe insulsus sit quisquis asseruerit totum illud, quod *connotativum* vocant, rem videlicet in se unam, quæ tamen ad aliam refertur, eamque significat, duabus constare partibus, quarum una sit res significans, altera res significata. Nulla res, quæ to-

Digitized by Google

tum *collectivum* non sit, quod certe Eucharistia non est, altera re tanquam parte constare dicitur, quæ absens, et extra ipsam sit.

86. Nec minus absurda altera explicatio, quam asciscere sibi cl. Grabio placuit. Præterquam quod enim commentitia illa virtus, a recentioribus excogitata ministris, toti retro antiquitati ignota semper fuit, ac ne vel levissimum quidem habet fundamentum in Scriptura et Patribus; præterquam quod absurdum est asserere corpora nostra alli, nutriri et augeri virtute quadam a Christi corpore separata; ea stare nulla ratione potest cum Irenæi scopo et argumento, superius expositis; nec hinc inferre unquam potuit S. doctor tum unionem hypostaticam Verbi divini cum humana Christi natura, tum corporum nostrorum resurrectionem. « Nostra, inquit, sententia consonans est Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim Deo quæ sunt ejus, » res videlicet ab eo conditas, « congruenter communionem et unionem prædicantes; » quarum rerum, quæso? An spiritus, seu animæ humanæ cum carne? Sed harum rerum unionem et communionem non negabant Gnostici. An virtutis Christi corporis cum pane? Sed quid hæc ad Irenæi scopum, ex Eucharistiæ fide confirmantis, quod antea probaverat, Christum esse ipsius mundi fabricatoris filium, id est Verbum ejus? Ergone quia virtus Christi corporis unitur cum pane, hinc confici potest Verbum cum corporea Christi natura substantialiter unitum fuisse? Imo potius contrarium intulerit Gnosticus, et dixerit: quemadmodum Christi corpus in Eucharistia cum pane unitur efficacia tenus, non re, sic Verbum divinum cum Domino nostro unitum fuisse efficientia tenus et virtute, non substantia; quæ ipsa erat impiorum hominum sententia, quam bene cum Eucharistiæ fide consentire merito contendissent. Igitur nisi hæc fuisset Irenæi et catholicorum omnium fides, Verbum divinum in Eucharistia substantialiter uniri cum iis quæ a Deo condita sunt, pane scilicet et vino, non quidem in propria substantia panis et vini remanentibus, sed vere transmutatis in Christi corpus et sanguinem, pessime catholicorum causam egisset Irenæus. Sic, addit vir sanctus, offerimus Deo quæ sunt ejus, ut etiam resurrectionem carnis et spiritus confiteamur, hæcque nostra sententia ex Eucharistia [CXLV] confirmetur. Cur ita? An quod Christus corporis sui virtutem pani, qui nobis in Eucharistia porrigitur, impertiat? Sed tantum abest ut hinc probetur carnis nostræ resurrectio, ut potius eam acrius impugnare potuerit hæreticus. Quemadmodum enim, dixerit, Christus in Eucharistia sui corporis virtutem communicans pani, hunc tamen propria sibi panis substantia non exuit; et quemadmodum, licet suum esse corpus confiteatur, in proprium tamen corpus transmutare non potest, quod nihil sibi ex vitiata et corruptioni obnoxia materia asciscere possit; sic corpora nostra, quamvis corporis Christi virtutem per communicatum sibi sacrum panem accipiant, ea tamen ab insita sibi corruptela eximi non possunt, nec minus proinde peritura. Sic vanis effugiis suis arma ministrant Calviniani hæreticis omnium profligatissimis, et Ecclesiæ Patres insanorum hominum more cum iis dimicantes campo inferunt.

87. Quam vero efficax illud argumenti genus, et merito quidem, existimaret Irenæus, demonstrat quod eo sæpius adversus Gnosticos utatur, illosque ad Eucharistiam non semel provocet, eorum errores hoc telo confixurus. Eodem lib. IV, c. 33, n. 2, jam cit., Marcionitas refellens, qui duos deos fingebant, alterum bonum, Patrem Domini nostri, alterum malum, mundi opificem, probat quod nisi Dominus ipsius mundi conditoris Filius sit, « injuste hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit. » Quo quidem argumento vel nihil prorsus efficit, vel illud certissime demonstrat, Christum ita panem suum esse corpus, et vinum suum esse sanguinem confessum esse et confirmasse, ut ex altero sibi verum corpus, ex altero verum sanguinem, vera utriusque conversione et transmutatione fecerit; et inde injustum fore, quod res ab alio conditas, et sub alterius ditione positas, suas esse dicat et efficiat. Si enim eo duntaxat sensu Christus panem corpus suum esse dixerit, quod ei corporis sui virtutem impertire voluerit; non magis panem ab alio creatum sibi tribuit, suumque facit, quam princeps alterius principis typo signatæ monetæ, in gratiam subditorum ea utentium, pretium statuens, imo majus esse jubens, quam sit in ea regione in qua cusa sit, illam sibi vindicat usurpatque. Quasi vero, quod quis signum quoddam pro arbitrio instituat, quo excitatus quidpiam conferat utentibus, hinc inferri possit eum rem illam, quam in signum instituit, sibi vindicare? Sed illud præterea observatu dignissimum est, Irenæum, quoticscunque Eucharistiæ meminit, non simpliciter affirmare Christum, panem suum corpus, vinum suum sanguinem esse dixisse; sed iis vocibus studio et semper uti, « panem suum corpus esse, vinum suum sanguinem esse confessus est, confirmavit, » et, ut Græce loquitur lib. V, c. 11, τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον, αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον, ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, « eum calicem, qui est a creatura » (non « suum » duntaxat, ut vertit interpres, sed ἴδιον) « proprium sanguinem confessus est, et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus confirmavit, » asseveravit, certiores nos fecit. Qua quidem loquendi ratione perspicue indicat Irenæus rem creditu difficillimam, quæque fidem non obtineret, nisi Christus, ipsa veritas, omnem dubitationis ansam clare et aperte loquendo præcideret; ipse vero sanctus doctor dubitationem illam, quæ ex ipsa rei, mentium humanarum cap-

Digitized by Google

tum tam longe superantis, difficultate nascitur, iterum atque iterum inculcando Christi verba tollere nititur. Quasi dixisset, quod postea dixit Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV, Mystag.: « Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: *Hoc est corpus meum;* quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, βεβαιωσαμένου, *Hic est sanguis meus;* quis, inquam, dubitet, et dicat non esse illius sanguinem? » Et Chrysostomus, hom. 83 *in Matth.:* « Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit... Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est : illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit : *Hoc est corpus meum,* nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectus id perspiciamus. » Porro nisi Christi verba ad litteram intelligenda esse censuisset Irenæus, et ita intellexissent fideles omnes, ridicule omnino dubiis omnibus opposuisset ea verba ex quibus orta fuissent : insulsius adhuc dixisset, Christum asseverasse, confessum esse, confirmasse, certiores nos fecisse, panem esse proprium corpus, et vinum proprium sanguinem. Explicanda fuissent Christi verba, si figurate et metaphorice accipi debuissent, non iterum atque iterum inculcanda. Quis enim ferat eum qui dicat, Spiritum sanctum confessum esse, et confirmasse, petram deserti esse Christum, nec proinde dubitandum esse quin petra sit ipse Christus, vere ac proprie Christus? Quis unquam asseruit bibere nos in baptismate ipsummet ac proprium Christi sanguinem; baptisma esse proprium Christi corpus, ipsummet ejus sanguinem; baptisma cum recipimus, ali nos proprio Christi corpore, et ipso ejus sanguine potari, quod illius virtus applicetur catechumenis, cum baptizantur?

88. Cavillatur quidem hic pro more Grabius, eaque urget Patrum loca, quæ alii dudum objecerant Calviniani, quibus nimirum asserunt sancti doctores, Ecclesiam esse proprium Christi corpus nosque membra proprii corporis. Plura alia similia accumulare facile potuisset; sed omnia a proposito esse aliena cum invicte probaverint eruditissimi auctores *Perpetuitatis fidei,* t. II, lib. IV, c. 8, ad hos et Grabium et lectores remitto. Grabio, si æquum bonumque dicere velit, quærenda sunt exempla, non propositionum metaphoricarum, qualis est ista : « Ecclesia est verum ac proprium Christi corpus, » in quibus tropus afficit propositionis attributum; sed propositionum figuratarum, qualem esse eam propositionem : *Hoc est corpus meum,* volunt ministri; in quibus tropus afficiat verbum, *Est.* Probet igitur exemplis, si possit, recte dici posse, imaginem Cæsaris esse vere Cæsarem, ipsum Cæsarem, proprium Cæsaris cor-

[71] N. 1. [72] N. 2. [73] Col. I, 14.

pus, etc.; petram deserti, esse ipsum Christum, proprium Christi corpus, etc. Quod quandiu non præstiterit, quæstionis statum ne leviter quidem attigerit.

89. Sed ut ad Irenæi argumentationem nostra redeat oratio, vir sanctus lib. V, c. 2 [71], Gnosticorum erroribus Eucharistiam iterum opponens, duo hæc sibi simul demonstranda suscipit : 1. Deum incarnatum in propria venisse, vereque hominem factum esse; alias « non justum » tore « adventum ejus, qui secundum eos, venit in aliena, neque vere redemisse nos sanguine suo, si non vere homo factus est [72]. » 2. Carnem « capacem esse incorruptibilitatis, » nec proinde æternum perituram esse. Utrumque vero hoc argumento [CXLVI] conficit : « Si, » inquit, « non salvetur » caro, « nec Dominus sanguine suo redemit nos, » quia verum sanguinem non habuerit, non vere homo factus; sequitur « neque calicem Eucharistiæ communicationem sanguinis ejus esse, neque panem, quem frangimus, communicationem corporis ejus esse. » At, mox subsumit, calix Eucharistiæ communicatio sanguinis Christi est, et panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Unde merito concludit, carnem servari, et Dominum sanguine suo redemisse nos. Hoc Irenæi argumentum duplici propositione nititur : 1ª, eaque bipertita, quod si nec servetur caro, nec Dominus sanguine suo redemit nos, sequitur neque calicem Eucharistiæ communicationem sanguinis ejus esse, neque panem, quem frangimus, communicationem corporis ejus esse. Altera, calicem Eucharistiæ communicationem sanguinis Domini esse, et panem, quem frangimus, communicationem corporis ejus esse. Prioris propositionis secundam partem sic demonstrat S. doctor, alteram mox probaturus : Qui sanguine suo non redemit nos, quod verum sanguinem non habuerit, non vere factus homo; is certe verum sanguinem, verumque corpus sistere præsentia in Eucharistia non potuit. Verus enim « sanguis non est, nisi a venis et carnibus, et a reliqua, quæ est secundum hominem, substantia. » Qui igitur sanguinem nobis in calice Eucharistiæ communicat, is sanguinem præbere debet, qui sit « a venis et carnibus, et a reliqua, quæ est secundum hominem, substantia; » is enim solus verus sanguis est : ergo si verum sanguinem nobis præstet in Eucharistia Christus, habuit venas et carnes, et reliquam, quæ est secundum hominem, substantiam. Vera igitur humana substantia « vere factum est Verbum Dei; » ac proinde « sanguine suo redemit nos, quemadmodum et Apostolus ejus ait : *In quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* [73]. » Hactenus argumentum, quod certissime Irenæi est, male habet Calvinianos omnes. Hoc enim fundamento positum nititur, quod Christus in Eucharistia verum san-

Digitized by Google

guinem nobis præbeat, qui proinde sit a venis et carnibus, et a reliqua humana substantia : unde infertur, venas et carnes, et reliquam humanam substantiam habuisse, vereque hominem factum fuisse Verbum Dei, ac sanguine suo redemisse nos. Si enim meram sanguinis figuram, efficacem licet, præstitisset nobis in calice eucharistico Christus, idque sensisset Irenæus, aranearum telis citius dissolvendum proposuisset adversariis argumentum. Nam statim excepisset Marcionita quivis, Christum ideo voluisse vinum sanguinis sui figuram esse, quod cum verum sanguinem non haberet, quem porrigeret, imaginarium duntaxat, et ejus similem quem hominum oculis objiciebat, præstiterit. Sicque vel levissimo flatu concussum illico ruisset totum ædificium.

90. Alteram partem prioris propositionis, nimirum quod si non servetur caro, neque calix Eucharistiæ communicatio Christi sanguinis est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est; his rationibus persuadet Irenæus: Si Eucharistia sit verum ac proprium Christi corpus, verus et proprius ejus sanguis, impossibile est carnem quæ iis nutritur et augetur, hacque ratione arctius cum Christo cohæret, « et membrum ejus est, » sic dissolvi ut nunquam reviviscat. Qui enim fieri posset ut caro, ipsius vitæ corpore et sanguine pasta, et nutrita, « capax non sit donationis Dei, quæ est vita æterna? » Quod vero « carnis nostræ substantia » ipse ac proprio Christi sanguine nutriatur et augeatur, quæ secunda totius argumenti propositio est, sic planum facit S. doctor : Capitis est ea membris suis alimenta præbere, quæ tum ad eorum naturam, tum ad finem, ad quem destinantur, accommodata sint. « Quoniam » igitur « membra Christi sumus, et quemadmodum beatus Apostolus ait, in ea, quæ est ad Ephesios, Epistola : *Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus* [74]; » et ita a natura comparati sumus, ut rebus creatis vescamur, necesse fuit ut « creaturam ipse nobis præstaret, solem suum oriri faciens, et pluens, quemadmodum vult [75]. » Quia vero res creata corporea ex se corruptioni obnoxia est, nec proinde Christi membra ad æternam vitam destinata a corruptela eximere potuisset; decebat eam rem creatam ab insito sibi corruptionis statu, in alium transferri, quo ipsa vita et vivificans facta, vitam vescentibus impertiretur. Itaque Christus, pro divina bonitate, « eum calicem, qui est a creatura, proprium sanguinem confessus est » (sic enim Græca sonant), « ex quo auget nostrum sanguinem; et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. » Tum demum concludit S. doctor : « Quando ergo et mistus calix et factus panis percipit verbum Dei, » id est per verbum Dei consecratur, « et fit Eucharistia sanguis et corpus Christi » (sic fert textus Græcus), « ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum ejus est? »

91. Ad totius argumenti confirmationem aliud addit Irenæus, et quidem maxime ponderosum. « Quemadmodum, » ait, « lignum vitis depositum in terram, suo fructificat tempore; et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam Dei (sic in Græco) in usum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi; sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris, » etc. Hic comparatio instituitur inter eas quæ tritico (idem dic proportione servata, de vite), ut Eucharistia fiat, et eas, quæ carni, ut resurgat, mutationes accidunt. Mandatur tritici granum terræ, ibi *dissolvitur*, deinde per Spiritum Dei, quo fecundatur natura, *multiplex surgit;* postea, ut in usum hominis veniat, mutatur in panem; tum denique panis per verbum Dei mutatur in corpus Christi. Sic etiam caro in terram defossa, in terram resolvitur, ac postea vivificante Verbo Dei, terrena forma deposita, pristinam accipit. Quemadmodum igitur ea mutatio, quæ resurgenti carni accidit, substantialis est; sic et ea, quæ pani, ut fiat corpus Christi, contingit, substantialis est, veraque transsubstantiatio, non minus quam ea, quæ fit in tritico, ut in panem convertatur. Hæc enim secum confert Irenæus, imo sic confert, ut ex substantiali conversione, quæ fit tum in tritico, ut panis evadat, tum in pane, ut in corpus Christi transeat, alteram substantialem transmutationem, qua terra, in quam resoluta fuit caro, in carnem iterum transitura est, aliquando futuram esse probet. Si, inquit, dissolutum jam triticum, fecundante Dei Spiritu, qui continet omnia, multiplex surgere possit; si divina dirigente sapientia homines triticum, ut in eorum usum veniret, in panem convertere potuerunt; si denique panis, id [CXLVII] efficiente verbo Dei, deposita panis natura, potuerit in Christi corpus transmutari : an fidem superabit, corpora nostra, Christi corpore nutrita, tum in terram resoluta, Verbo Dei resurrectionem eis donante, eam, quam corrupta induerunt, terræ naturam exuere, ut in pristinam carnis naturam transmutentur, iterumque redeant? Qui enim potest corruptum jam triticum excitare et multiplicare, triticum in panem convertere, et, quod majus est, panem in Christi corpus transmutare; is certe potest corruptum jam corpus sic excitare, ut terram, in cujus naturam transierat, iterum in carnis naturam convertat; alterum siqui-

[74] Ephes. v, 30. [75] Matth. v, 45.

Digitized by Google

dem altero Dei omnipotentiæ difficilius non est. Ex quibus perspicuum est, Irenæum ex certissimis transmutationibus et transsubstantiationibus, quas tum ratio, tum fides, omnes tunc temporis Christianos docebant, gradatim procedere, ut alteram inferat, quæ a Gnosticis in controversiam vocabatur. Naturalis quippe conversio tritici dissoluti in triticum multiplex, et ejusdem præsertim in panem, ad alteram, quam sola fides docet, panis videlicet in Christi corpus, ascensum parat: utraque vero fit gradus ad terræ, in quam corpora nostra resoluta sunt, conversionem in pristinam carnis naturam: ut nimirum hisce gradibus viam hæreticis sternat Irenæus ad resurrectionis fidem, faterique cogat non magis Deo impossibile esse corpus in terram jam conversum, in carnem iterum convertere, quam panem in Christi corpus transmutare; et quidem illud eo magis possibile esse, quo caro Christi corpore nutrita immortalitatis semen in seipsa gerat: « ut sciamus, » concludit vir sanctus, « et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit. » Ubi certe, si Irenæus nullum in pane eucharistico conversionis substantialis genus agnovisset, sed Christi corporis figuram effici, aut ejusdem corporis virtute imbui, manente semper eadem panis substantia, voluisset, absurdius nihil ejus argumento fingi posset. Hoc enim esset: Qui potuit panem Christi corporis figuram efficere, aut pani Christi corporis virtutem impertiri, manente semper eadem panis substantia, is potest corpora jam in terram conversa iterum in carnem convertere. Prius potuit Deus; potest igitur et posterius. Absurdissimum, si quod sit, argumentandi genus. Imo vero, statim excepisset hæreticus, qui panem sui corporis figuram efficiens, huicve corporis sui virtutem impertiens, suumque corpus esse palam asserens, eum tamen non potuit in proprium et substantiale corpus convertere; nec certe poterit corpora nostra jam in terram conversa iterum in carnem convertere, quamlibet iis viventibus corporis sui virtutem per consecratum panem impertierit; nec enim Christi corporis virtus efficacior esse potest ad transmutanda corrupta jam corpora, quam ad convertendum panem fuerit. At, fatentibus catholicis, tantum non potuit Verbum Dei, ut prius efficeret, quamvis id efficere prima fronte Christus significare videatur: nec igitur posterius efficere potest. Sic facili negotio totum Irenæi molimen infringeret hæreticus.

92. Longissimis non pepercit adnotationibus cl. Grabius, ut omnia hæc Irenæi tum loca, tum argumenta detorqueret infirmaretque. Sed verba perdit. Eo quippe redeunt omnia, panem et vinum haud alia ratione, ex Irenæi sententia, fieri Christi corpus et sanguinem, quam quia Christi corporis et sanguinis virtute imbuuntur. Quod quidem effugium cum hactenus præcluserimus, demonstraverimusque absurdius nihil fingi potuisse, et quod cum Irenæi scopo, consilio, verbis et argumento magis pugnaret; nihil necesse est Grabium in communia controversiarum loca excurrentem, eaque veterum Patrum loca, dissimulatis catholicorum responsionibus, æque fidenter objicientem, ac si tum primum objicerentur, cæterasque ministrorum argutiolas, a catholicis millies, et non ita pridem a doctissimis auctoribus *Perpetuitatis fidei* penitus dissolutas, replicantem, cum lectorum tædio insequi. Satius Grabio fuisset in id unum probandum incumbere, Albertinum aliquem exstitisse Irenæo vetustiorem, e cujus cerebro nata jam prodiisset commentitia illa Christi corporis virtus, in cujus arce, licet lacera, omnia tum causæ, tum salutis suæ præsidia constituere se posse misere deceptus putat. Quod quandiu non præstiterit, imperitis quidem fucum, intricatis ac longis verborum ambagibus, facere poterit: ei vero, cujus mentem non prorsus infuscaverint præjudicia, portento simile videbitur, Irenæum, qui tam sæpe, et tam clare ac perspicue dixit, panem et vinum per invocationem ac verbum Dei fieri et esse proprium corpus et sanguinem Christi, ipsum Salvatorem asseverasse, confessum esse, confirmasse, rem ita esse; iisque argumentis utitur, quæ ex sese eo inclinare fatebitur cordatus quisque, ut suadeant Christi verba ad litteram intelligenda esse; nullibi tamen vel levissimam figuræ, aut virtutis Christi corporis mentionem injecisse, qua duriora ex sese verba emolliret, omnemque errandi ansam rudioribus adimeret. An adeo imperitus, aut improvidus erat Irenæus, ut cum plures aliæ sese ultro offerrent voces, quibus catholicam fidem clarius, simplicius, melius et facilius exponeret; iis tamen uteretur, quæ omnium ineptiores, obscuriores et intricatiores essent, rudioribusque errorem ex sese objicerent? An quemlibet e ministris eodem prorsus modo disputantem atque loquentem ferrent Calviniani? Periculum faciat quisquis e pulpito turpiter dejectum se velit, et ab irata multitudine cito discerptum.

93. Unum tamen aut alterum est, quod a Grabio confidentius longe quam par sit propositum, paucis a nobis expendendum est, ut vel hinc pateat quam irritis ictibus catholicam fidem petant ejus adversarii. Contendit igitur vir cl., posita semel transsubstantiatione, omnia Irenæi argumenta in nihilum abire; imo in argumentantis caput recidere. Marcionitæ etenim et Valentiniani, inquit, quos ex Eucharistiæ mysterio refellit Irenæus, respondere potuissent: illi quidem, ideo sacramentalia panis et vini symbola transsubstantiari, quod Deus Novi Testamenti ista, tanquam ab alterius legis Deo creata, acceptare nolit; illi vero, panem et vinum esse quidem ignorantiæ, et passionis, et defectionis fructus, nec tamen se in iis offerendis in Patrem suum peccare, eique contumeliam facere, uti Irenæus objectat; quod eorum substantia, illico, mediante consecratione, intereat, ut alia melior substituatur, quo sacrificium purum ac Deo acceptum

Digitized by Google

fiat. Sed præterquam quod exceptiones istæ præcipuum Irenæi argumentum, ex eo ductum quod hæreticis negantibus Dominum nostrum esse mundi Conditoris Filium constare non possit Eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini nostri, ne quidem leviter attingunt, has iisdem hæreticis affingere non potest [CXLVIII] Grabius, nisi prorsus insaniisse supponat. Quam belle philosopharetur Marcionita respondens, « ideo sacramentalia panis et vini symbola transsubstantiari, quod Deus Novi Testamenti ista acceptare nolit ! » Ubi enim vera transsubstantiatio est, ibi fit transitus ab una substantia in aliam, ejusdem prorsus generis et materiæ, atque ea est, quæ desiit. Sic lignum transmutatur in ignem, cibi in carnem et sanguinem, terræ succi in plantas, arbores, fructus, etc., omnia ejusdem omnino generis et materiæ, atque ea corpora, ex quibus facta sunt. Itaque si dicat Marcionita, panem et vinum in Christi corpus transmutari; fateatur necesse est, corpus Christi ex pane et vino per veram utriusque conversionem factum, ejusdem generis esse et materiæ, atque ipsum panem et vinum; ac proinde ex ea materia concretum esse, quam condidit mundi opifex. Et hinc Deus Novi Testamenti alieni cupidus prodetur, qui sibi panem et vinum ab alio creata offerri velit, ut ex iis in Christi corpus transmutatis fiat novæ legis sacrificium. Aliam ergo responsionem Marcionitæ suggerat Grabius, qua inclinatæ suæ et illius causæ tutius consulat. Nec melius Valentinianum ab Irenæi telis tuetur. Ille, ait, regerere potuit, panis et vini substantiam illico, mediante consecratione, interire, ut alia melior substituatur. Ita quidem, si deliramenta loqui voluerit; sin minus, hæc nunquam regesserit. Ecquod novum et hactenus inauditum philosophandi genus huc invehit vir doctissimus ? Una substantia interit, alia melior, alterius proinde generis, nec ignorantiæ aut labis fructus substituitur; et hoc transsubstantiationem vocat ? Ea fuit hactenus omnium seu philosophorum, seu theologorum animis insita transsubstantiationis notio, esse conversionem seu transitum unius substantiæ in aliam; desinente quidem priori, quæ transmutatur, substantia, quatenus talis substantia est, lignum v. g., panis, etc., sed non in nihilum abeunte; nova vero, quæ huic succedit, non de novo creata, sed ex mutatione prioris exsurgente. Si quid ergo sanæ philosophiæ, imo et rationis reliqui fuerit Valentinianis, hanc sibi transsubstantiationis ideam cogitatione informare debuerunt, ac proinde fateri sic panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutari, ut hæc ex illis fiant. Quo semel admisso, uti non admittere non poterant de transsubstantiatione cum catholicis consentientes, jam Irenæi argumentorum vim declinare nullatenus possunt. Sequitur enim, Christi corpus ex materia, ignorantiæ et defectionis fructu, concretum Deo offerri in Eucharistia; impuram proinde oblationem, quæ ei contumeliam faciat, non honorem afferat.

94. Ea vero quæ pro resurrectione carnis argumenta Irenæo gratis affingere Grabio placet, non morabor. Quam vana sint, S. doctore indigna, ejusque scopo, consilio et verbis repugnantia, satis patet ex antedictis, et me etiam tacente facile deprehendet quisquis rem æquis ponderibus examinare voluerit. Sed mirari satis non possum quod tam fidenter proponit vir cl. ut probet, Irenæum a transsubstantiationis doctrina penitus alienum exstitisse. Nam, inquit, « iterum iterumque repetit, carnem nostram corpore et sanguine Domini ali, sive nutriri, imo ex iis augeri ac consistere carnis nostræ substantiam. Atqui hoc nudis accidentibus panis tribuere, absurdum est; cœlesti autem et glorioso Christi corpori, impium. » Bona verba, quæso. Ac primo quidem quod hic et alibi supponit Grabius, accidentia, quæ vocant absoluta, id est a subjecto re separata, a catholicis omnibus ut quid fide certum et indubitatum admitti; gratis omnino supponit, et paulo fidentius quam virum candidum decebat. Quæstio est in Scholis duntaxat ultro citroque agitata, nusquam vero ab Ecclesia definita. Id tantum catholica fides docet, consecratione peracta remanere panis et vini species : quid sint vero eæ species, litigant inter se tum philosophi, tum theologi : judicium vero suum nundum interposuit Ecclesia. Sed si quæ sit absurditas, aut impietas asserere carnem nostram corpore et sanguine Domini ali, sive nutriri, etc., quanta quanta est in Irenæum igitur conferenda. Nec enim simpliciter asseruit carnem nostram ali et augeri corpore et sanguine Domini, sed proprio corpore et sanguine Domini : quæ non nisi ridicule et inepte ad Christi corporis et sanguinis figuram aut virtutem separatam detorqueri posse ostendimus. Sed viderit ipse, qui hæc objectat, ne majoris se absurditatis reum prodat, figuram aut virtutem Christi corporis hic obtrudens. An enim rationi valde consentaneum putat, carnis nostræ substantiam ali, nutriri, et augeri figura, et virtute spiritali ? Quis hæc ferat ? Nondum, puto, plane et aperte fateri statuerat Grabius, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Joannem Damascenum, « aliosque fortasse plures, » ut mox referemus, persuasos fuisse, ipsam panis substantiam in veram ac propriam Christi carnem transformari. Nec enim hi Irenæo minus asseruere, nos sumpto Christi corpore et sanguine fieri unum cum Christo corpus et sanguinem, ac, ut ita dicam, Christo concorporeos et consanguineos, Χριστοῦ συσσώμους καὶ συναίμους, ut loquitur Cyrillus Hieros. Catech. IV Myst.; Christi corpus et sanguinem per esum et potionem admitti intra viscera hominis, et per illa distribui in universum corpus, commisceri et contemperari corporibus credentium, etc., ut unione cum eo quod est immortale, fiat homo particeps incorruptionis, quemadmodum ait Gregorius Nyss. orat. Catech. c. 37; corpus ac sanguinem Christi, ad animæ et corporis nostri incolumitatem, ad no-

Digitized by Google

stram substantiam et conservationem tendere, ac per ea nos corpori Domini, ipsiusque spiritui uniri, et Christi corpus ac Christo concorporeos effici, ut asserit Joannes Damascenus lib. IV, *De fide orthod.* c. 14. Quæ quid ab Irenæi verbis differant, ne quidem Grabius ipse dixerit. Et tamen sanctissimis Patribus, acerrimis, ipso fatente viro cl., transsubstantiationis propugnatoribus, hæc neque absurda, neque impia videbantur.

95. Si quæ sit catholica de transsubstantiatione fides satis exploratum Grabio fuisset, a puerilibus ejusmodi objectationibus temperasset. Corpus Christi ore manducari, hoc carnem nostram ali, nutriri, augeri, etc., tam vere, quam pie affirmare potuerunt sancti Patres, potuerunt et negare, pro diversis quas prædictis vocibus subjiciebant, notionibus. Cum Christi corpus vere quidem et substantialiter præsens in Eucharistia nobis exhibeatur, non tamen sub ea sensibili carnis humanæ forma, quam gestavit in terris degens, sed alienis speciebus contectum; hoc a nobis manducari, hoc caro nostra ali et nutriri recte dicitur, quatenus sub speciebus istis latens ore corporis excipitur, in [CXLIX] stomachum trajicitur, atque in ipsa symbola et species, quibus Christi corpus tegitur, corporeæ actiones, quæ manducationis intellectu continentur, hancque consequuntur, vim suam exerunt. Ex quo enim id tanquam fide certum, uti revera est, supponitur, panem sic in Christi corpus converti, ut tamen maneant semper eædem panis species, eodemque prorsus modo sensus afficiantur ac si panis reipsa adesset; necesse est, quemadmodum oculis exhibetur idem color, qui prius erat panis, sic et os, dentes, linguam, palatum et stomachum eadem ratione affici, ac affecisset panis, si mansisset; ac proinde eas omnes actiones, quæ manducationem comitantur aut consequuntur, in species ipsas exerceri, perinde ac in panem ipsum exercerentur si superesset. Hoc siquidem stupendi illius divinæ potentiæ simul atque bonitatis miraculi pars magna est. Quia vero Christi corpus speciebus illis conjunctum est; quod non fit nisi in species et sacra symbola, in ipsum tamen Christi corpus sub iis latens fieri dicitur: quamvis in hoc alia ratione non exerceatur, quam quia in symbola exercetur, quibus tegitur. Sic qui hominis vestimenta tetigit, hominem tetigisse dicitur, quamvis ipsam hominis carnem vestibus contectam immediate non tetigerit. Eo sensu Joannes Chrysost., quem cum bona Grabii venia nostris etiam adjungemus, scribit homil. 83 in Matth. Christum ipsum in Eucharistia tangi, videri, et manducari. « Quot modo dicunt, inquit, vellem formam et speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre? Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus desideras videre? ipse vero se ipsum tibi tradit, ut non videas solum, verum etiam ut tangas, et in te habeas. » Et postea: « Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt; quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi conjungit, atque conglutinat. » Alii vero Patres, attendentes ad eum carnalem manducandi modum, quem sibi Capharnaitæ fingebant, quo caro dentibus secatur, gustatur, et in stomachum trajecta digeritur, interdum negarunt Christi corpus a nobis ore manducari; et merito quidem, ut abjectas vilesque Capharnaitarum ideas e fidelium animis evellerent. Imo iidem Patres modo asserunt, modo negant, Christi corpus comedi; nec tamen vel secum, vel cum aliis pugnant, nisi apud Protestantes, qui monstra sibi confingere gestiunt, quibus terreant imperitos.

96. Duo sunt tamen quæ cl. Grabio gratulari debeamus. Alterum est, quod ingenue confessus sit in notis ad lib. IV Irenæi cap. 17 et 18, al. 32 et 34, certum esse, Irenæum, ac omnes, quorum scripta habemus, Patres, apostolis sive coævos, sive proxime succedentes, sacram Eucharistiam pro vero ac proprie dicto novæ legis sacrificio habuisse; nec eorum verba, Irenæi præsertim, ad sacrificia spiritualia cordis contriti, orationis, laudis, gratiarum actionis, et beneficentiæ, quæ omni ætati et legi communia fuerunt, detorqueri posse; sed de nova Novi Testamenti, eaque externa oblatione, quam legalibus externis opponit Irenæus, intelligenda esse, quod verissimum. Et hinc Lutheri et Calvini errorem insectatur, qui adversus publicam, ut recte probat, universalis Ecclesiæ doctrinam atque praxim, quam illa ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, insurgentes, perspicuasque ac nullis sophistarum artibus eludendas Patrum, et Irenæi inprimis sententias, aut insolentius contemnentes, aut misere obscurantes, verum ac unicum novæ legis sacrificium concutere nituntur. Integras cl. viri notas ad calcem operis reperies. Sed utinam et hoc veritati testimonium ingenue dare voluisset, eosdem Patres, qui tam diserte affirmant Eucharistiam esse verum ac proprie dictum novæ legis sacrificium, non minus expresse asserere eamdem victimam, quæ in ara crucis mactata est[76], « pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolari. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis, non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hoc esse illud corpus clavis confixum, et flagris cæsum, hoc corpus in crucem actum, hoc esse illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, et salutares emisit fontes universo orbi terrarum, unum quidem sanguinis, alterum vero aquæ: id quod est in calice, esse id quod fluxit e latere. » Et sexcenta alia ejusmodi, quibus sibi facile persuadeat quotusquisque veritati sin-

[76] Greg. Mag., l. IV Dial., cap. 58. Chrysost., Hom. 24 in I Cor.

Digitized by Google

cere studeat, quam certum est antiquis omnibus Patribus Eucharistiam esse verum sacrificium, tam iisdem liquidum et exploratum esse, idem illud corpus quod cruci affixum est, vere ac substantialiter sub speciebus panis et vini præsens, in eo sacrificio offerri ac incruenta ratione immolari.

97. Alterum quod Grabio gratulari debeamus, est quod Albertino Claudio aliisque Calvinianis candidior, plane et aperte fateatur, catholicam de præsentia reali et transsubstantiatione doctrinam longe antiquiorem esse, ac majoris et vetustioris auctoritatis patrociniis gloriari, quam fingerent illi. Cl. viri verba observatione singulari dignissima cum sint, integra referam, prout edita leguntur in Adnotationibus in Irenæi lib. v, cap. 2, edit. Oxon., pag. 399 : « Quænam igitur Irenæi, nec non hæreticorum ejus ævi sententia fuerit, ex iis, quæ hic et præcedentibus adnotationibus edisserui, satis clare patet, ac certissime constat, illum haud minus, quam dictum est, de tremendo Eucharistiæ mysterio credidisse, » scilicet panem consecratum, virtute carnis Christi præditum esse, sicque reapse carnem Christi esse. « Ulterius vero progressum Irenæum, ac eidem, quam *Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Joannes Damascenus, aliique fortasse plures tenuere*, sententiæ addictum fuisse, non puto. *Hi quippe persuasi erant*, Spiritum sanctum cœlitus descendentem, *pani non modo virtutem corporis Christi communicare*, sicque eumdem ratione qualitatum mutare; sed et divina potentia *ipsam ejus substantiam in carnem transmutare, quæ Christi caro* sit, et cum illa, quæ ex B. Virginis utero prodiit, ac cruci suffixa, indeque in cœlum sublata sit, eadem fiat per ἐπαύξησιν, quodque eumdem spiritum vitæ in se habeat; sicuti panis, quem Servator in terris comedit, vi naturalis caloris in carnem ejus vertebatur, et noster panis quotidianus in substantiam corporis nostri transit : quod corpus a nobis hodie gestatum idem dicitur cum illo, in quo ante plures annos versati sumus, quoniam eadem anima vegetatur, licet particulæ ejus prorsus sint diversæ, et nulla forte ex prioribus superstes exsistat. Lege post Cyrilli Catechesim IV Mystagogicam, Gregorii Nysseni Orationem Catecheticam magnam, cap. 37, et Damasceni lib. IV *de Orthodoxa fide* cap. 14, ejusque epistolam ad Zachariam Doarorum episcopum. Joannis Damasceni verba, eaque Latine versa solum, brevitatis causa, dabo : [CL] « Quemadmodum naturaliter panis per cibum, « et vinum et aqua per potum in comedentis ac bi- « bentis corpus et sanguinem immutantur, nec « corpus alterum fiunt, atque a priore ipsius cor- « pore diversum : sic propositionis panis, ac vinum « et aqua per sancti Spiritus invocationem et ad- « ventum, mirabili modo in Christi corpus et san- « guinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et « idem. » Rursus in epist. ad. Zachariam episcopum : « Hoc dilectioni tuæ significamus, duo « Christi corpora nos dicere non posse; sed unum « est ipsius corpus. Et sicut infans ex muliere na- « tus, perfectus est; edens autem et bibens auge- « scit naturali facultate, et licet augescat, non « tamen duo efficiuntur corpora, sed unum est : « multo magis superventu Spiritus sancti panis et « vinum in superaugmentationem, εἰς ἐπαύξησιν, « corporis Christi unum fit corpus, et non duo. » Atque ita et in capitulo dictæ epistolæ suffixo hac de re loquitur. Istam igitur sententiam Irenæi fuisse haud existimo, quod quædam transsubstantiationi panis in totum personale et glorificatum Christi corpus, cœlitus in altare descendens, qualem Romana Ecclesia credit, supra p. 327, seq. opposita, et alteram substantialem mutationem, licet a priori multum diversam, excludere videantur, quodque in nullius Irenæo coævi, aut Nicæno concilio antiquioris Patris monumentis aperte tradita legatur : sicuti nec postea universaliter in Ecclesia fuit recepta; sed ab aliis Patribus, præsertim Africanis, contrarium assertum patet, prout theologi Protestantium abunde probarunt. » Hactenus Grabius, ex cujus verbis certissime constat, præsentiæ realis et transsubstantiationis doctrinam posterioris ævi fetum non esse, sed jam saltem concilii Nicæni temporibus natam et agnitam, non ab uno deinceps aut altero, sed a Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nysseno, Joanne Damasceno « aliisque fortasse pluribus » Patribus propugnatam fuisse. An tam aperta cl. Grabii testificatio cæteris Protestantibus probetur, haud scio. Id unum scio, hac semel admissa suppositione, ab imis fundamentis succussam funditus ruere eam hypothesim, quam tot machinationibus, artibus et laboribus exstructam erigere conati fuerant Albertinus, Claudius, aliique recentiores ministri : dogma de corporali Christi præsentia in Eucharistiæ sacramento, et transsubstantiatione, apud Latinos primum et a Paschasio Radberto excogitatum nono sæculo, sub ejusdem sæculi finem animos fidelium pervadere cœpisse, ac tandem decimo sæculo ubique in Ecclesia Latina obtinuisse; Græca interim in veteri et avita Calvinistica fide perseveraute. Si enim Grabium audiamus, vel ipsis concilii Nicæni temporibus, vel paulo post, lucem aspexit doctrina præsentiæ realis et transsubstantiationis, priusque Græcis nota, quam Latinis, ab illis ad hos manasse videtur. Jam igitur cismarini Calvinistæ novam esse eam, quam tuemur, sententiam objectent, totam Ecclesiam per priora octo sæcula in Calviniana fide concordem jactitent, societates omnes Orientales nulla etiamnum hac in parte novitatis labe contaminatas audacter affirment; vanissimum commentum pro nobis et nobiscum Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nysseni, Damasceni, (qualium, quantorumque virorum!) *aliorumque fortasse plurium* certa et inconcussa au-

Digitized by Google

etoritate dissipabit recentior Calviniani dogmatis assecla Grabius.

98. Sed vereor ne vir cl. pedem paulo longius forte quam voluisset protulisse se dolens, tandem aliquando referre velit. Hæc enim unica salutis æternæ spes, hoc solum Grabii fidei columen, « quod in nullius Irenæo coævi, aut Nicæno concilio antiquioris Patris monumentis aperte tradita legatur Romana de præsentia reali, et transsubstantiatione doctrina, sicut nec postea universaliter in Ecclesia fuit recepta, sed ab aliis Patribus, præsertim Africanis, contrarium assertum pateat. » Sed quid si falsa sit ea suppositio? Nec enim adeo fidenter proponere videtur Grabius, ut extra omnem dubitationis aleam positam esse putet; quod satis indicant ea, quibus utitur, verba : « ulterius progressum Irenæum non puto : istam sententiam Irenæi fuisse haud existimo; » quæ hominem privatas opiniones, sed paulo timidius proferentem nonnihil olere videntur. Quid si Irenæus, quid si Justinus Martyr, aliique concilio Nicæno antiquiores, idem cum Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nysseno, et aliis senserint? De Irenæo rem certissimam esse cordato cuivis persuadebunt ea, quæ superius adduximus, argumenta. Et quidquid cavilletur Grabius, tanta saltem, ut puto, non erit illius fiducia, ut asserere audeat ea, quæ ipse in contrarium profert, illum certitudinis gradum attigisse, qui omnem prorsus dubitationem eximat. Ut igitur demus (absit ut concedamus) suam Grabianis argumentis constare probabilitatem, an una probabilitate niti potest homo salutis suæ amans, ut in re maximi ad salutem æternam momenti, a communi totius orbis doctrina desciscat, quam ipse antiquissimorum, non unius, aut alterius, sed plurium, eorumque non infimi nominis, Patrum auctoritate fultam agnoscit; aliis saltem Patribus, aut non aperte contradicentibus, aut ea affirmantibus, quæ non ita difficili negotio ab iis, qui uni student veritati, explicari queant? Certum est enim nulla Patrum testimonia adeo aperta, clara et perspicua afferri posse a Protestantibus, atque nos afferimus. Auctoritate quidem Africanorum Patrum, id est Tertulliani, Augustini, et Facundi Hermianensis gloriatur Grabius; sed si legere non pigeat tomum III *Perpetuitatis fidei*, Gallice scriptum (Gallice quippe scit vir doctus), si quis animi candor sit, vanam esse gloriationem cito animadvertet.

99. Interim vero Cyrillum Hierosolymitanum et Gregorium Nyssenum cum Justino et Irenæo conferat, et quo alii ab illis differant dicat ipse, si possit. Quemadmodum enim asserunt illi, « panem et vinum Eucharistiæ, ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panem esse et vinum merum; peracta vero invocatione, panem quidem fieri corpus Christi, vinum autem sanguinem Christi [77] : Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus transmutari [78] : » sic hi affirmant, « eam, in qua per orationem verbi a Christo profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse [79] : mistum calicem, et factum panem percipientia verbum Dei, fieri Eucharistiam, sanguinem et corpus Christi [80]. » Quemadmodum illi pronuntiant, panem et vinum consecratione peracta, « spectanda non esse tanquam panem nudum, et vinum nudum; corpus enim esse et sanguinem Christi, secundum ipsius Domini verba [81]; panem sanctificatum per verbum Dei et orationem, statim Verbi in corpus transmutari, sicut dictum est a Verbo : *Hoc est corpus meum* [82] : » sic et hi palam enuntiant, « eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, et aquam, non ut communem panem, neque communem potum sumi, sed ut incarnati Jesu carnem et sanguinem [83]; » eum, « qui a terra est panis, percipientem invocationem Dei, jam non communem panem esse, sed Eucharistiam, ex duabus [CLI] rebus constantem, terrena et cœlesti [84], » corpore videlicet Christi e terrena materia concreto, et Verbo Dei huic hypostatice unito. Sicut illi docent, « Christo ipso sic affirmante, atque dicente de pane : *Hoc est corpus meum*, neminem deinceps audere dubitare : eodem quoque confirmante et dicente : *Hic est sanguis meus*, nullum fore qui dubitet, et dicat non esse illius sanguinem : qui aquam aliquando mutavit in vinum, in Cana Galilææ, dignum esse cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit; qui ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, multo magis corpus et sanguinem suum filiis sponsi dedisse confitendum esse : quare cum omni certitudine corpus et sanguinem Christi sumendum esse; nam sub specie, ἐν τύπῳ, panis datur corpus, et sub specie vini datur sanguis : quamvis sensus contrarium suggerat, fidem tamen confirmare debere, ex gustu rem judicandam non esse, quin potius certissima fide, et citra dubitationem credendum esse, Christi corpus et sanguinem nobis dari [85]; » quemadmodum « corpus Christi, Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem; recte nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem credere nos in Dei Verbi corpus transmutari, et in illud transelementari eorum, quæ apparent, naturam [86]. » Sic et hi prædicant, « quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, et carnem et sanguinem salutis nostræ causa habuit; ita quoque eam, in qua per orationem verbi ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edoctos nos esse [87]; » Christum, « calicem, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos,

[77] Cyrill. Hierosol., Catech. 1 Mystag. [78] Greg. N., Orat. cath., cap. 37. [79] Justin. M., Apol. I. [80] Iren., l. v, c. 2, n. 3. [81] Cyrill. Hierosol., Catech. IV Myst. [82] Greg. N., cit. [83] Justin., cit. [84] Iren., l. IV, c. 18, n. 5. [85] Cyrill. Cat. IV. [86] Greg. N. cit. [87] Justin. cit.

Digitized by Google

suum sanguinem confessum esse [88] : constare eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini nostri, et calicem sanguinis ejus [89] » esse calicem : « Dominum, qui se Filium hominis confitebatur, panem suum corpus esse confessum esse, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmasse [90] : eum calicem, qui est creatura, proprium sanguinem confessum esse, et eum panem, qui est a creatura, proprium corpus asseverasse : quemadmodum granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per spiritum Dei ; deinde per sapientiam Dei » convertitur in panem, ut « in usum hominis veniat. » ac demum « percipiens verbum Dei Eucharistia fit, quod est corpus et sanguis Christi ; sic et corpora nostra ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, » iterum transmutata in carnem « resurrectura in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante ; ut sciamus et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit [91]. » Denique Cyrillus et Gregorius aiunt, « Christi corpus et sanguinem in membra nostra distribui, τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου μέλη, » nosque ea ratione « fieri unum cum Christo corpus et sanguinem, » ac « Christophoros [92] : » Christi « corpus immortale per esum et potionem misceri visceribus nostris, per carnem inseri omnibus credentibus, commistum et contemperatum corporibus credentium [93]. » Justinus et Irenæus dicunt « ex ea in qua gratiæ sunt actæ, alimonia, incarnati Jesu carne et sanguine, sanguinem et carnes nostras per mutationem ali [94] : carnem » nostram « corpore Domini et sanguine ali : eo calice, quem proprium sanguinem confessus est, augeri nostrum sanguinem, et eo pane, quem proprium corpus confirmavit, nostra augeri corpora, consistere carnis nostræ substantiam, nutriri, etc. [95]. » Omnia hæc adeo similia sunt, adeo eadem, eædem omnino sententiæ, et tantum non eadem verba, ut quisquis unaquæque ex æquitatis norma æstimare, nec iniquis momentis ponderare voluerit, oppido fateatur ovum ovo similius esse non posse. Si igitur Cyrilli et Gregorii dictis fictitia illa solutio figuræ efficacis, et virtutis Christi corporis aptari, ipsomet ultro concedente Grabio, non potest ; qui Justini et Irenæi verbis, illæsis rectæ rationis legibus, poterit ? Potuisset et eadem comparatio institui inter Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum et alios omnes Patres, inviteque demonstrari, hos, ipsos etiam Africanos, nihil minus illis dixisse ac sensisse : posset et Grabius ea molestissima quæstione urgeri : cur Cyrillus Hierosolymitanus et Gregorius Nyssenus, quos primos omnium fuisse supponere videtur, qui insolens illud de corporali Christi in Eucharistia præsentia et transsubstantiatione, prioribus tribus sæculis inauditum dogma, in orbem Christianum invexerint, id tam paucis verbis, styloque simplici ac sedato, exposuerint ; nullosque eo in sæculo, quo tum sanctitatis et eruditionis laude florebat Ecclesia, ea in re experti fuerint adversarios, ne quidem Arianos ipsos, infensissimos eorum hostes ; nullos demum qui portentosum errorem, quo trium priorum sæculorum fides, plurimis quarti sæculi Patribus probe nota, tam fœde labefactabatur, data opera confutarint, avitæque fidei desertores simul et eversores in conciliis tum temporis frequentissimis damnari curaverint ? Sed vereor ne extra præscriptos limites excurreret dissertatio.

100. Si quid autem cl. Grabio gratulati sumus, quod suis æquior ingenue confessus fuerit Eucharistiam esse verum novæ legis sacrificium, ac Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum ; pluresque Patres credidisse Christi corpus et sanguinem in eadem Eucharistia per veram et realem panis et vini transmutationem sisti corporaliter et substantialiter præsentia ; unum est quod justissimam apud omnes reprehensionem mereatur, quod nimirum præter jus et fas Irenæo intolerandum errorem affingat. Occasione siquidem eorum S. Doctoris verborum, quæ leguntur lib. IV, c. 8, n. 3, al. cap. 20 : « Omnes justi sacerdotalem habent ordinem, » scribit in notis, « Irenæum in eadem fere cum Tertulliano sententia fuisse videri, quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate prædili, ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant ; licet ordinaria functio nonnisi ordinatis ad sacra munia ministris competat. » Tum decantatum illum Tertulliani locum ex lib. *De exhortat. castit.*, c. 7, allegat, pluraque addit nec admodum consulta, nec ad rem facientia. Sic forte scripsisset Puritanus quispiam, obvia quæque Patrum loca temere corradens, ut desperatam causam fulciat ; sed quod is, qui Anglorum episcopalium doctrinam profitetur, ecclesiasticamque hierarchiam sartam tectam esse vult, Irenæum ejusdem hostibus gratis omnino, et obtorto collo tradat ; id mirum, et Anglis ipsis iniquum forsitan videbitur. Irenæus eo loco probat, veterem legem a Christo abrogatam fuisse, non quod mala esset, et a malo Deo lata, sed quod jam impleta ab illo fuisset. Si vero idem Christus Sabbatis curaverit, « nihil extra legem fecisse ; non enim prohibuisse legem curari homines Sabbatis, quæ et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere [96]. » Ideo vero sacerdotalia ministeria lege licita erant, quia spiritalia opera erant et bona : legem autem a servilibus quidem operibus abstinere jussisse, non autem a spiritualibus et bonis, quæ ut sacerdotibus, sic et cæteris omnibus licita erant. Et hinc concludit Irenæus, Christum [CLII] ægrotis opem ferentem, « non solvisse, sed adimplevisse

[88] Iren., l. IV, c. 17, n. 5. [89] Ibid. cap. 18, n. 4. [90] Ibid. cap. 33, n. 2. [91] Ibid. l. V, cap. 2, n. 2 et 3. [92] Cyrill. cit. [93] Greg. cit. [94] Justin., cit. [95] Iren., locis cit. [96] Iren., lib. IV, c. 8, n. 2.

Digitized by Google

legem ; » quia « summi sacerdotis operam perficiebat, propitians pro hominibus Deum, emundans leprosos et infirmos curans. » Hanc autem summi sacerdotis operam, non utique servilem, sed spiritalem et bonam, si cæteris hominibus, laicis etiam, perficere fas fuit ; a fortiori, Christo Domino. Tum occurrens alteri objectioni, ex eo petitæ quod Salvatoris discipuli, ipso probante, spicas vellerent die Sabbati ; respondet [97], « metere » quidem « et colligere in horreum » legem « vetuisse ; » non autem « esurientes accipere Sabbatis escam ex his quæ adjacebant. Et ideo, » inquit, « Dominus his, qui incusabant discipulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit [98] : *Nec hoc legistis, quod fecit David cum esuriisset, quemadmodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus ?* per legis verba discipulos suos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David apud Deum, quamvis Saul persecutionem faceret ei. Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem. Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo deserviunt. » Quibus probat Irenæus, Christum verbis suis significasse sacerdotes lege interdum solutos fuisse, libereque agere potuisse ; quia, ut postea addit, Dominica ministeria perficiebant ; ac proinde *ex his qui adjacebant* panibus propositionis, esurientes escam accipere potuisse. Atqui, ait, *sacerdos fuerat David*, non stirpe, non munere, non apud homines, sed *scitus apud Deum*, qui spiritum legis ab ejusdem littera probe secernens, ea sibi licere, urgente necessitate, jure existimabat, quæ lex sacerdotibus permittebat ; quia et ipse fuga sibi salutem petens, Dominica ministeria perficiebat. *Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem :* Dominica quippe ministeria perficiunt, ac proinde libere agere possunt, et ea, premente saltem necessitate, operari, quæ spiritui legis consentanea sunt. Quod si vero sacerdos fuerit scitus apud Deum David, si omnes justi eadem ratione sacerdotalem habent ordinem ; quis negabit *sacerdotes* esse *omnes Domini apostolos, qui* perinde ac Aaronici *neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt ;* et proinde *discipulis* leviticam substantiam habentibus licuisse esurientibus, quod veteribus levitis et sacerdotibus licebat, videlicet « a seminibus accipere escam, dignus est enim operarius esca sua ? » Si « sacerdotes, » addit Irenæus, « in templo Sabbatum profanabant, et rei non erant ; qui cum essent in templo, non sæcularia, sed Dominica perficiebant ministeria, legem adimplentes, non autem prætereuntes legem ; » nec discipuli Domini, et ipsi ejusdem conditionis cum sacerdotibus vellentes spicas die Sabbati, violatæ legis argui possunt : Dominica quippe, non sæcularia, perficiebant ministeria.

101. Hoc Irenæi argumentum est, quod totum eo principio nititur, quod cuilibet homini die Sabbati, et in aliis quibusdam occasionibus certa quadam ratione licuerit, quod sacerdotibus ipsis, permittente lege, licebat ; hos vero si ideo lege non tenerentur, quia Dominica ministeria perficiebant, quæ bona erant opera, pia, honesta et spiritalia, non sæcularia et servilia ; nec alios homines eadem lege constrictos fuisse, cum bona opera perficiebant, pia et spiritalia ; quia Dominica ministeria sunt, nec lege vetita, respectu quorum quilibet homo sacerdos est. Et hinc Christum Dominum Sabbatis curantem non violasse legem, quia summi sacerdotis operam perficiebat. Hinc Davidem panibus propositionis urgente fame pastum, contra legem non commisisse ; quia sacerdos scitus fuerat apud Deum, cui libere agere licebat. Hinc denique discipulos vellentes spicas die Sabbati, legem non perfregisse ; quia sacerdotes erant, in hoc leviticis similiores, quod Leviticam duntaxat substantiam haberent. Omnes enim justi justa et bona opera perficientes, sacerdotalem habent ordinem ; quia ad sacerdotalem ordinem pertinet Dominica ministeria libere perficere ; at opera in se bona, honesta et licita, Dominica ministeria sunt. Quatenus valeat istud Irenæi argumentum, nunc non inquirimus : sed quid S. doctor senserit. Viderit jam cl. Grabius quid hæc Puritanorum, quibus patrocinatur, causam juvent ; viderit, et ipse judicet, qua æquitate insanum illud dogma Irenæo affingere potuerit, « fideles omnes sacerdotali ordine et potestate præditos esse, ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire posse. » Si enim id ex Irenæi verbis inferri posse putat, eodem certe et tam æquo jure alius quivis intulerit, Christum Dominum fuisse summum veteris legis sacerdotem ; Davidem, apostolos, discipulos Domini, omnesque antiqui Testamenti justos, fuisse veros ejusdem Testamenti sacerdotes, ac proinde, necessitate urgente, potuisse victimas et sacrificia in templo offerre, aliaque obire ministeria, quæ solis Aaronicis sacerdotibus licebant ; nam de veteri lege hic agitur omnino ; de novæ autem legis sacerdotio ne κατ' ἔναρ quidem cogitavit Irenæus. Quod etiam apertissime liquet ex lib. v, c. 24, n. 3, ubi ea respiciens quæ libro IV citato scripsit, ait : « Ostendimus in superiori libro, quoniam levitæ et sacerdotes sunt discipuli omnes Domini ; qui et Sabbatum in templo profanabant et sine culpa sunt. » Tam facile possent a Grabii criminationibus vindicari Tertullianus, et Ambrosiaster in *Comment. ad Ephes.* IV, 2, quos in Puritanæ causæ defensionem allegat, nisi diutius in rebus Eucharisticis immorari tæderet. Legi possunt liber singularis eruditissimi

[97] N. 3. [98] Luc. VI, 3, 4.

Digitized by Google

Albaspinæi *De Eucharistiæ sacrificio*, Gallice scriptus, in quo Tertullianum a Puritanorum calumniis egregie tuetur, et doctissimi Petavii Diatriba de eodem argumento, cum ejusdem lib. III *De eccles. hierarch.* Ad eas ab Ambrosiastro depellendas sufficiat ipsum locum citatum legere.

ARTICULUS VIII.

De angelorum natura, ordinibus, peccato et pœnis.

102. Pauca de angelorum natura habet Irenæus. Quædam duntaxat aliquibus in locis inseruit, ex quibus quid senserit utcunque colligi potest. Scribit lib. III, cap. 20, num. 4, « sine carne angelos esse; » quo quidem angelos eximit a carnis, crassiorisque corporis mole; non autem ab æthereo ac subtiliori, quod nihil, quominus spiritus appellentur, prohibere posset. Hoc enim posterius [CLIII] corporis genus angelis tribuerunt ex antiquis Patribus non pauci. In eamdem vero sententiam concessisse Irenæum ex eo erui posse videtur, quod scribit tum lib. IV, c. 16, n. 2, et c. 30, n. 4; tum lib. V, c. 29, n. 2, « Angelos transgressos decidisse in terram in judicium, » id est in peccati pœnam præcipites e cœlo in terram actos, ibique hominibus commistos, hoc est, mulierum captos specie cum iis stupri consuetudinem habuisse, e quorum satu natum pessimum hominum genus, quos ultricibus diluvii aquis delevit Deus: propterea Enochum ad stupratores illos angelos, et ad homines ab iis in idololatriam, fœdamque vitiorum colluviem demersos, tanquam Dei legatum atque prophetam accessisse, divinum judicium denuntiaturum. Eadem fere sententia fuit Justini Martyris, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Lactantii, aliorumque non paucorum; quibus omnibus, ut in notis ad citata Irenæi loca exposuimus, erroris occasio fuit, tum quod Gen. VI *de filiorum Dei* congressu cum *filiabus hominum* legitur, tum apocryphus Enochi liber. In eo tamen ab horum opinione discedisse videtur Irenæus, quod ex istis plerique velint, mulierum speciem ac consuetudinem angelis, iis saltem qui diabolo inferiores sunt, ruinæ causam fuisse: cum econtrario supponere videatur Irenæus, eos nonnisi jam cœlo in peccati pœnam pulsos, mulieres stuprasse. Falsissima quidem hæc et Irenæi et aliorum opinio est; ostendit tamen corporeos ab illo constitutos esse angelos; absurdum quippe est naturam corporis expertem, aut corporum illecebris tentari, aut cum corporibus misceri.

103. Dixi non eam fuisse Irenæi sententiam, angelis diabolo inferioribus mulieres ruinæ occasionem fuisse. Quamvis enim quidam e veteribus diaboli, rebellium angelorum principis, causam a reliquis sejungant, illumque invidia, hos libidine exstimulante excidisse velint; nuspiam tamen ita distinxisse reperitur Irenæus: imo diabolum sic apostasiæ principem vocat, ut rebelles « angelos apostatas factos esse cum eo [99]; diabolum sibi et reliquis factum esse abscessionis causam [1]; » denique « unum esse ex angelis his, qui super spiritum aeris præpositi [2], » a Deo defecerunt, diserte asserit. Quibus significare videtur, unum omnium peccatum fuisse. Porro primum diaboli peccatum invidiam, qua flagrabat in humanum genus, fuisse docet. « Extunc, » inquit, « apostata factus est angelus, et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei [3]. » Et alibi: « Diabolus, cum sit unus ex angelis his, qui super spiritum aeris præpositi sunt..... invidens homini, apostata a divina factus est lege; invidia enim aliena est a Deo [4]. » Quæ vero fuerit istius invidiæ causa, non explicat auctor noster: si quid tamen conjecturis indulgere liceat, crediderim vel eum cum Gregorio Nysseno [5] et Cypriano [6] sensisse, diabolum *super spiritum aeris*, et terrenarum rerum administrationi *præpositum*, ægre tulisse quod homo, tam præ se contemptum opificium, suoque præsertim imperio subjectum, ad imaginem Dei factus et expressus esset: vel cum Anastasio Sinaita [7] existimasse, diabolum ferre non potuisse quod homini collatus esset a Deo terrenarum omnium rerum dominatus, quem ipse ambiebat.

104. Quamvis autem Irenæus angelos, quod et idem de animabus humanis dicendum, ut postea explicabitur, corpore præditos constituerit; utramque tamen substantiam natura sua immortalem esse perspicue docuit. Lib. II, c. 33, assertam a Gnosticis metempsychosin refellens, scribit n. 5, « adimpleto numero, quem Deus apud se ante definiit, omnes, quicunque sunt scripti in vitam, resurrecturos, sua corpora et suas animas habentes, et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo; qui autem pœna sunt digni, abituros in eam, et ipsos suas habentes animas, et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate. » Et cap. seq. allata divitis epulonis et Lazari parabola, concludit: « per hæc manifestissime declaratum esse, et perseverare animas, et non de corpore in corpus transire. » Sed clarius lib. V, c. 4, eosdem Gnosticos confutans, qui corporum resurrectionem negabant, sic argumentatur n. 1: « Cum dicant ea quæ omnibus sunt manifesta, quoniam perseverant immor-

[99] Iren., lib. III, c. 23, n. 5. [1] Lib. IV, c. 41, n. 2. [2] Lib. V, cap. 24, n. 4. [3] Lib. IV, c. 40, n. 3. Lib. V, cap. 24, n. 4. [5] Orat. Catech., c. 6. [6] Lib. de Zel. et Liv. [7] In Ὁδηγῷ, c. 4.

Digitized by Google

talia, ut puta spiritus et anima, et quæ sunt talia, quoniam vivificantur a Patre; aliud autem, quod non alias vivificatur, nisi illi Deus præstet, vita derelinqui; aut impotentem et infirmum ostendit Patrem ipsorum, aut invidum et lividum. Demiurgo enim et hic vivificante mortalia corpora nostra, et resurrectionem eis per prophetas promittente, quemadmodum ostendimus; quis potentior, et fortior, et vere bonus ostenditur? Utrum Demiurgus, qui totum vivificat hominem, an falso cognominatus ipsorum Pater; qui ea quidem quæ sunt natura immortalia, quibus a sua natura adest vivere, fingit se vivificare; quibus autem opus est ab eo adjutorium, ut vivant, non vivificans illa benigne, sed relinquens illa negligenter in mortem? » Hic Irenæus diserte affirmat, *omnibus esse manifestum, spiritum et animam, et quæ sunt talia*, id est spirituales omnes substantias, quales sunt angeli, et animæ humanæ, *perseverare immortales, esse natura sua immortales, iisque a natura sua adesse vivere*, indeque Gnosticorum Patrem aut impotentiæ, aut invidentiæ arguit: quod ea, quæ natura sua sunt immortalia, vivificare se fingat; quibus autem adjutorio opus est ut vivant, vitam neget. Et cap. 7, n. 1, eamdem corporum resurrectionem his Apostoli verbis *Rom.* VIII, 11, astruens: *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra*; ostendit, mortalia illa corpora esse « plasma, id est carnem; » non certe animas, quæ quod flatus vitæ sint insufflatus a Deo in faciem hominis, « incorporales sunt, quantum ad comparationem corporum, nec » proinde « mortales possunt dici. » Et propter hoc, inquit, « David ait: Et anima mea illi vivet; tanquam immortali substantia ejus exsistente. » Denique cap. 13, num. 3, scribit carnem, « cum sit mortalis et corruptibilis, immortalem fieri et incorruptibilem; non secundum propriam substantiam, sed secundum Domini operationem: animam vero mortalem non esse, » nempe secundum propriam substantiam, et in hoc differre a carne. Omnia hæc Irenæi ævo, et Irenæo ipsi, et omnibus aliis manifesta erant: at Dodwello [8] obscura visa sunt. Eo enim ipso loco, quem modo adduximus ex lib. V, cap. 4, n. 1, abutitur, ut recens illud ac impium commentum confirmet; animas scilicet humanas spiritales non esse, nec proinde natura sua aliter immortales, nisi quatenus a corporibus separatæ aliquandiu superstites manent, quandiu nimirum Deus superstites manere voluerit: easque solas perpetua immortalitate donari, Dei gratia et beneficio, quæ Spiritum sanctum in baptismo acceperint; cæteras omnes, quæ evangelicæ legis sacramento caruerint, aliquando dissolvendas, et in nihilum abituras. [CLIV] Quod tamen ex Irenæo extundere non potest, nisi verba ejus et adulterina versione, et contorta explicatione fœde corrumpendo. Irenæus Latine loquens, perspicuis verbis asserit, « ea omnibus esse manifesta, quoniam perseverant immortalia, utputa spiritus et anima; et quæ sunt talia, quoniam vivificantur a Patre, ea, » spiritum videlicet, animam et similia, « esse natura immortalia, iis a sua natura adesse vivere, etc. » Irenæus vero Anglice a Dodwello redditus simpliciter scribit (*a*), « ea vivificari a Patre, quæ fatentur omnes perseverare in sua exsistentia post mortem, qualia sunt spiritus, anima et similia; ea, » nempe spiritum, animam et similia, « natura sua superesse suæ a corporibus dissolutioni, et a natura sua comparata esse, ut separatim vivant; » non utique semper et in perpetuum, ut explicat Dodwellus, sed quandiu Creatori secundum consuetas et ordinarias Providentiæ suæ leges agenti placuerit. Quasi animam esse natura sua immortalem, ei a natura sua adesse vivere, nihil aliud significet, quam eam post corporis mortem aliquandiu superstitem manere, et separatim ab eo vivere posse. Et tamen fidi interpretis officio functum se esse gloriatur Dodwellus [9], depravatique Irenæi inique postulatum se conqueritur; qua de re lectores appellat judices. Exspectabimus quale futurum sit Anglicanæ, ut vocant, Ecclesiæ, cujus res agitur, de abnormi illa theologia judicium. Eam qui solidis rationibus impugnaret, vereor ne statim illi Terentianum illud impingeretur: « Nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum ratione insanias. » Unum observasse sufficiat, scilicet duplex immortalitatis genus, quod Dodwellus nusquam distinxit, sed potius ita confudit, ut alterum pro altero habuerit, fontem errorum omnium illius esse. Immortalitas quippe animarum, alia naturalis, alia supernaturalis. Prior substantiis natura sua simplicibus, et ab omni materia segregatis propria est; qua nullius omnino creatæ rei vi et efficientia dissolvi et exstingui possunt. Posterior animabus beatis peculiaris est; qua Deo et cum Deo æternum viventes, felicitate nunquam desitura fruuntur in cœlis. Utramque quidem Dei gratiam esse dici potest, sed diversa prorsus ratione; posteriorem, Dei ut auctoris gratiæ ac bonorum supernaturalium, promissisque suis, quia summe verax est, inviolate stantis; priorem, Dei ut auctoris naturæ, qui ut res creatas libere condidit, sic

[8] *An Epistolary discourse*, etc., in-8, 1706. Id., *A preliminary defence of the Epistolary discourse*, etc., 1707. Id., *The Scripture's account of the eternal rewards or punishments*, etc., in-8, 1708. [9] Ibid., pag. 184 et seqq.

(*a*) For when they say, That those things are quickened by the Father, which all agree to continue in their existence after death, such as the spirit, and the soul, and the like things, etc. Who (the Maker of the World) pretends to enliven those things, which by their own nature survive their dissolution from their bodies, and are capable, by their own nature, of living separately, etc. *The Scripture's account*, pag. 186.

Digitized by Google

sapientissimis legibus a se constitutis immutabiliter affixus, libere tamen, conservat, eo modo quo conservari postulat ea, quam singulis indidit natura. Posterior nulli magis debita est, quam ipsa gratia supernaturalis per quam acquiritur : prior etsi absolute loquendo non magis debita sit, quam ipsa creatio ; hac tamen semel supposita, sic animabus vi legum a Deo constitutarum debita est, ut iisdem legibus immortalitate donentur, quibus conduntur ; adeo ut ea frustrari nunquam possint, nisi Deus legibus suis naturalibus deesse, et imperitus artifex, sibique parum constans esse supponatur. Eo sensu ratio animabus indita et naturalis est, et Dei gratia : gratia quidem, quia Deus animas facultate cognoscendi prædilas sponte ac libere, nullaque necessitate adactus creare voluit ; naturalis vero, quia ea est animarum natura, ut nulla esse possit, quæ ratione prædita non sit. Sic facile explicantur varia sanctorum Patrum testimonia, quorum alia animas gratia, alia natura immortales esse statuunt. Ut enim omittam, plura non de alia, quam de beata immortalitate intelligi posse ; utrumque verum est, sensu mox explicato : perinde atque verum est animas natura simul et gratia facultate cognoscendi prædilas esse. Quemadmodum autem ex eo quod Deus ut auctor naturæ cognoscendi facultatem libere et beneficii loco animabus indiderit, inferri non potest, eam animabus humanis naturalem non esse ; quia animam aliquam esse repugnat, quæ cogitare non possit ; sic pariter licet Deus ut auctor naturæ animas nostras immortalitate libere donet, ex eo concludi non potest, eam non esse animarum naturam ut immortales sint, quia prorsus repugnat animam aliquam facultate cognoscendi prædilam esse, quæ spiritalis non sit, simplex atque immortalis.

105. Quod igitur Irenæus lib. II, c. 34, n. 2, 3 et 4, statuit, animas et spiritus « perseverare et extendi in longitudinem sæculorum secundum voluntatem factoris Dei, perseverare quoadusque ea Deus et esse et perseverare voluerit, » iisque vitam dari, « non ex natura, sed secundum Dei gratiam, » supra dictis non repugnat. Etenim occupans objectionem, quæ sibi a Gnosticis proponi potuisset, « non posse animas eas, quæ paulo ante esse cœperint, in multum temporis perseverare, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales ; vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori ; » respondet id discriminis inter Dei et animarum ac spirituum immortalitatem interesse, quod Deus solus immortalitatem habeat a se ipso, nec eam cuiquam alteri debeat, qui hanc ei, si velit, auferre possit ; solus immortalitatem habeat immutabilem, nullique vicissitudini obnoxiam ; cætera vero quæcunque creata sunt, si immortalia sint, immortalitatem Dei beneficio sortita esse, eaque, licet perseverent in æternum, non tamen ita perseverare, nisi quia Deus perseverare vult : uno verbo rerum creatarum immortalitatem precariam esse, a Deo acceptam, et uni Dei voluntati acceptam referendam, in nihilum redituram, unde initio ortum acceperunt, nisi Dei ope, eo, quo supra explicuimus, modo conservarentur : quanquam eædem ipsæ natura immortales, incorruptæque sint, si legum ab auctore naturæ constitutarum ratio habeatur, et cum efficiente re comparentur, quæ nulla est, a qua possint exstingui. « Discant, ait, quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem et eodem modo se habens, solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quæ autem sunt ab illo omnia, quæcunque facta sunt, et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo, qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita ; perseverant autem et extenduntur in longitudinem sæculorum, secundum voluntatem factoris Dei : ita ut sic initio fierent, et postea, ut sint, eis donat. Deo itaque vitam et perpetuam perseverantiam donante, capit et animas (*idem de spiritibus paulo ante dixit*) primum non exsistentes dehinc perseverare, cum eas Deus et esse et subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus et dominari voluntas Dei ; reliqua autem omnia huic cedere et subdita esse, et in servitium dedita. » Eadem omnino repetit lib. IV, c. 38, n. 3.

[CLV] 106. Nec negotium cuiquam facessere debet, quod lib. II cit., cap. 34, n. 3, innuere videtur, a Patre omnium donari « in sæculum sæculi perseverantiam his qui salvi fiunt, » quasi in nihilum abituri essent spiritus et animæ peccatorum. « Non enim ex nobis, ait, neque ex nostra natura vita est ; sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitæ, et gratias egerit ei, qui præstitit, accipiet et in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, et ingratus exstiterit factori, ob hoc quod factus est, et non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia. » His enim significat Irenæus, ut ex toto contextu sermonis liquet, impios, « qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt Deo, qui eam præstitit, juste non recepturos ab eo in sæculum sæculi longitudinem dierum, quæ secundum gratiam Dei datur, » quæque sola vera immortalitas est ; sed æternam sibi mortem, sempiternam videlicet a Deo, beataque vita separationem accersituros. Ubi enim disseruit Irenæus de naturali angelorum et animarum immortalitate, ad alteram immortalitatis speciem, quæ per supernaturalem Dei gratiam acquiritur, iisque duntaxat a Patre omnium donatur, qui salvi fiunt, transit, ad priorem iterum num. sequenti mox rediturus. Id autem esse utrique commune merito statuit, quod utraque Dei voluntati accepta referenda sit ; prior quidem, Dei ut auctoris naturæ, posterior Dei ut auctoris gratiæ : cum hoc tamen discrimine, quod prior immortalitas, si sempiternæ felicitatis sit exsors, mors potius quam vita sit censenda. Nam, ut optime ait lib. IV, c. 20, n. 5 : « Quoniam vivere

Digitized by Google

sine vita impossibile est, subsistentia autem vitæ A de Dei participatione evenit, participatio autem Dei est videre Deum et frui benignitate ejus; homines igitur videbunt Deum et vivent, per visionem immortales facti. » Nec tamen sentire propterea potuit, penitus interituros seu angelos seu homines malos, qui lib. II, cap. 33, n. 5, tam diserte scripsit, « adimpleto numero, quem Deus apud se ante definiit, omnes, quicunque sunt scripti in vitam, resurrecturos, sua corpora et suas habentes animas, et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem, » addit, « pœna sunt digni, abibunt in eam, et ipsi suas habentes animas, et sua corpora in quibus abstiterunt a Dei bonitate. » Non igitur in nihilum abituri sunt angeli mali, et animi impiorum, qui in die judicii cedent in pœnam B sempiternam. Sempiterna quippe esse damnatorum supplicia tam clare quam frequenter pronuntiat. « Quoniam, ait eodem lib., c. 28, n. 7, transgressoribus ignis æternus præparatus est, et Dominus manifeste dixit, et reliquæ demonstrant Scripturæ. » Et lib. III, c. 23 : « Dominus in Evangelio his, qui a sinistris inveniuntur, ait : *Abite, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus* [10]; significans quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei, qui seduxit, et offendere fecit hominem, ei, inquam, qui princeps apostasiæ est, et his angelis qui apostatæ facti sunt cum eo; quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine pœnitentia, et sine regressu in malitiæ perseverant operibus. » Sed nihil clarius iis quæ habet lib. IV, c. 28, n. 2, ubi probans majorem Novi Testamenti gratiam, majorem etiam a nobis perfectionem exigere : « Pœna, inquit, eorum qui non credunt Verbo Dei, et contemnunt ejus adventum, et convertuntur retrorsum, adampliata est; non solum temporalis, sed et æterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* isti erunt semper damnati; et quibuscunque dixerit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite hæreditatem regni, quod præparatum est vobis in sempiternum* [10*]; hi semper percipient regnum, et proficient. » Hic damnatorum pœnam opponit Irenæus beatorum felicitati; et quemadmodum hæc sempi- D terna est, sic et alteram sempiternam esse statuit. Ubi qui has voces, *æternus ignis, æterna pœna, semper damnati*, detorserit ad longissima duntaxat supplicia, sed damnatorum interitu tandem aliquando desitura; advertat, nec Irenæum, cæterosque Patres, imo nec ipsam Scripturam aliis vocibus designare sempiternam beatorum felicitatem; quas proinde impii, arrepta hinc occasione, similiter detorquere possent ad longam duntaxat felicitatem, aliquando tamen finiendam. Sed uti posteriorem hanc sententiam nullus, si sanus sit, Irenæo ascripserit; sic nec posteriorem unquam tri- A buerit, nisi is qui aut Irenæum nunquam legerit, aut apertissima quæque Patrum dicta, invitis licet ac reluctantibus auctoribus, obscurare gestit, ut iis invidiam faciat. Legesis quæ eo de argumento scripsit eruditissimus D. Matthæus Petitdidier. t. II Adnotationum in *Bibliothecam auctorum ecclesiasticorum*, pag. 403, et seqq., edit. Paris. 1692.

107. Quod autem Irenæus loco proxime citato dixit, « beatos semper percipere regnum Dei, et proficere, » in memoriam revocat quod lib. II, c. 28, n. 3, scribit, obscura quædam exstare in Scripturis, quæ Deo commendanda sint, « non solum in hoc sæculo, sed et in futuro; ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt a Deo. Sicut et Apostolus dixit [11], reliquis B partibus destructis, hæc tunc perseverare, quæ sunt *fides, spes, et charitas.* » Quam sententiam reprehendit Scultetus, cui consentit et Gallasius, quasi inde sequatur, « in vita æterna nos aliquid edocendos; in qua sola vigebit charitas, non fides, non spes, non in doctrina quotidiana accessio. » Sed iniqua est censura. Quod enim S. doctor beatorum scientiam novis augeri posse velit incrementis, a communi theologorum doctrina, cui etiam suffragatur ratio, non recedit; quibus ut constat sanctos, æternæ felicitatis compotes, divinam essentiam, et ea omnia, quæ cum ea necessario conjuncta sunt, clare contueri; sic pariter certum est, non perfecto aliquo notitiæ genere videre, quo quidquid in Deo, ejusque vi ac potentia continetur, C eave omnia, quæ ex sola et libera Dei voluntate pendent, omnino percipiant. Cum igitur cum infinita omnipotentiæ illius amplitudine intelligentiam ac scientiam non adæquent suam; quid vetat ex iis quæ Deus extra se libere aut facit, aut facere potest, novam subinde beatorum scientiæ accessionem, cum Deus aperire voluerit, fieri posse? Sic Daniel. x futuri perinde, ac divinæ voluntatis incerti altercantur invicem angeli; quibus etiam extremi judicii diem ignotum esse Christus affirmat; quem proinde, cum aliquando Deo revelante noverint, scientia eorum novum capiet incrementum. Quod autem addit Irenæus, fidem et spem in altera vita mansuras, non moror; palam enim est cordato cuique, fidem et spem hic accipi, non quatenus altera obscuritatem, altera absentiam objecti habet adjunctam; sed quatenus duntaxat altera firmus est rebus cognitis assensus, altera certa in Deum fiducia. Sed hæc obiter dicta sint, ad depellendas malevolorum hominum criminationes.

[CLVI] 108. Ad malorum angelorum pœnas ut redeam, sentit Irenæus eos sic ad æternum ignem damnatos justa Dei sententia fuisse, ut eo tamen ante extremum judicii diem excruciandi non sint. Eapropter lib. I, cap. 10, n. 3, Deum commendat, quod magnanimus exstiterit in transgressorum angelorum apostasia. Quod tamen sic explicat Feuar-

[10] Matth. XXV, 41. [10*] Ibid., 34. [11] I Cor. XIII, 13.

Digitized by Google

dentius, quasi ex S. antistitis mente malis angelis post peccatum concessa fuerit ad resipiscendum, si voluissent, aliquanta temporis mora. Hanc quidem sententiam veterum aliquot fuisse scribit Nemesius philosophus Christianus, lib. I *De hominis opific.*, cap. 1. In eamdem abire videntur Damascenus lib. II, c. 4, et Rupertus Tuitiensis lib. I *De victoria Verbi Dei*, cap. 21, et lib. III *De glorific. Trinit.* cap. 9 et 10. Nec alia Cassiani fuit opinio, qui Collat. 8, c. 10, duplex in dæmonibus peccatum exstitisse vult, superbiam scilicet et invidiam, ac nonnisi post secundum esse dejectos. Sed tam improbabilem sensum, quem cæteri Patres rejiciunt, nec admittit ratio, solus in Irenæi mox allegatis verbis animadvertit Feuardentius : nullus alius, nisi vim iisdem inferat, perspiciet. Longe certius, Irenæum existimasse, in hoc eluxisse Dei patientiam, quod dæmonas ante novissimum judicii diem vindice illo igne cremari noluerit. Quin enim hæc sit auctoris nostri sententia, negari non potest : eam siquidem conceptis verbis in Justino probat lib. v, c. 26, n. 2, imo cum eodem asserit Satanam, ante Christi adventum, de sempiterna damnatione sua non adeo certum fuisse, quin adhuc spes aliqua obtinendæ per illum salutis affulgeret, atque idcirco nondum immanitati suæ, et in Deum proteviæ frena laxasse. « Bene, inquit, Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens damnationem suam; quoniam et in parabolis, et allegoriis, a prophetis de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini, ex sermonibus Christi et apostolorum ejus discens manifeste quoniam ignis æternus ei præparatus est, ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus qui sine pœnitentia perseverant in apostasia; per hujusmodi homines (Gnosticos) blasphemat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, et peccatum suæ apostasiæ conditori suo imputat, et non suæ voluntati et sententiæ, » etc. Citata quidem ab Irenæo Justini verba, in iis quæ supersunt hujus operibus, non exstant : at dæmonas ignis pœnas nondum experiri tradit in utraque Apologia. Nec ea sententia Irenæi duntaxat et Justini propria fuit, sed inter SS. Patres, quorum testimonia refert Petavius lib. III *De angelis* cap. 4, maxime communis exstitit. Nimirum his verbis, a Christo judice in novissimo die proferendis, innixi : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* [18]; sentiunt æterna quidem jam parata esse dæmonibus incendia, iis tamen illos nondum excruciari, sed in exspectatione adhuc esse, dum judicii dies adveniat.

109. Hæc autem « veterum opinio, » ait doctissimus Petavius eodem libro et capite, § 19, 20 et 21, « etsi hoc tempore recepta non est; quia dæmones damnationis suæ pœnas omnes expendere, quæ quidem essentiales vocantur, theologi fere sentiunt; non est tamen erroris, nedum hæresis accusandus, qui asserat diabolum, et ejus angelos, nondum extremo ac summo supplicio cruciari, sive ignis efficientiam experiri, in qua damnationis illorum, quod ad sensum, et perpessionem attinet, summa consistit. » Hinc S. Thomas I p., q. 64, art. 4, ad 4, cum eam commemorasset opinionem, non probat quidem; sed ei nullam imponit erroris notam. Probat vero Cajetanus, et amplectitur, in Commentariis ad cap. II secundæ Epistolæ S. Petri. « Quam Cajetani sententiam, » addit Petavius, « Catholicæ fidei contrariam non esse, certum est. Nam neque Scriptura, neque concilium ullum hactenus docuit, dæmones extrema illa supplicia perpeti, quæ parata iis esse judex ipse dicit. » Viderit ergo cl. Grabius, an vel eruditum, vel sinceri candoris hominem deceret, in suis ad lib. I Irenæi cap. 10, al. 4, Adnotationibus, Romanam Ecclesiam reprehendere, quod, inquit, « ut in aliis, ita et in hoc, a SS. Patrum, ipsorumque sui fundatorum, Petri et Pauli sententia discesserit. » Crederet quivis hæc legens, mox expositæ veterum sententiæ, aperte suffragatos esse Petrum et Paulum, eamque a Romana Ecclesia aperte damnatam fuisse, vel solemnibus conciliorum ejus decretis comprobatam hodiernam plerorumque theologorum sententiam : quod quam abhorreat a vero, evidenter demonstrant quæ modo diximus; vidit et ipse Grabius, qui parum sibi constans, ad cap. 26, lib. v, adnotationem Feuardentii asserentis, eam veterum sententiam a nullo concilio hactenus proscriptam fuisse, refert et silentio suo probat.

110. Ejusdem iniqui animi aliud in eo ipso, quod nunc pertractamus, argumento de angelis, specimen edit Grabius. Scribit Irenæus lib. II, c. 32, n. 5, Ecclesiam « nec invocationibus angelicis facere aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate; sed munde, et pure, et manifeste orationes dirigentem ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocantem, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficere. » Quisquis totum hoc caput, ac præcedens attente legerit, advertet hic Ecclesiæ miracula hæreticorum præstigiis opponi : aliaque puris et mundis orationibus, et invocationi nomini Domini nostri Jesu Christi tribui; alia vero dæmonum invocationibus, incantationibus et magicis artibus. Hoc ipsum est quod cap. præcedenti fusius exposuerat, a Simonianis et Carpocratianis, « et si qui alii virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones, et universa fraude apud eos errorem, et seductionem, et magicam phantasiam in speculatu hominum impie fieri : eos fraude universa, et adinspiratione apostatica, et operatione dæmoniaca, et phantasmate idololatriæ per omnia

[18] Matth. xxv, 41.

Digitized by Google

repletos esse; » quæ omnia satis superque confirmantur ex iis quæ tum ipse scripsit libro primo de Marcosiis, Simonianis, Carpocratianis, aliisque ejusmodi pestibus, tum Epiphanius, aliique de iisdem edisseruerunt : « in Ecclesia autem miserationem, et misericordiam, et firmitatem, et veritatem ad opitulationem hominum perfici, » etc. Ecce tamen Grabius his voculis, « invocationibus angelicis, » in transversum actus, observat, « bonos angelos ab Ecclesia ad virtutem miraculorum edendam in auxilium vocatos nuspiam legi: imo, inquit, id non factum esse ex hoc ipso Irenæi loco haud inepte colligitur. » Imo inepte colligitur, et inepte scribitur in Indice generali, hunc ipsum Irenæi locum indigitando, « angelorum invocationes in Ecclesia inusitatas fuisse. » Malignes spiritus hic intelligi certo certius est, eos nimirum quos mundi hujus regimini præpositos arbitrabantur Gnostici, quos, ne nocerent, impense colebant, et quos ad suas præstigias exercendas [CLVII] in opem frequenter evocabant. Quod igitur, Irenæo teste, ejusmodi spirituum invocationibus nihil faciat Ecclesia, hinc intulerit Grabius bonorum angelorum invocationes in Ecclesia inusitatas fuisse? Præclarum argumentandi genus : Magicis artibus non studet Ecclesia, dæmones ad exercendas præstigias non evocat : ergo bonos angelos non invocat. At ii sunt Protestantes plerique, ut arma eis ministrent obvia quæque SS. Patrum dicta. Angelicis invocationibus Ecclesiam nihil facere scribit Irenæus; satis est : bonos an malos angelos intelligat, nihil interest : illico, velut opportunam occasionem nactus, monebit editor, angelorum invocationes in veteri Ecclesia inusitatas fuisse.

ARTICULUS IX.

De hominis perfectione ac libero arbitrio, ejusque ad imaginem et similitudinem Dei creatione. De peccato originali, et gratiæ divinæ necessitate.

111. Inter varios, quibus Irenæi doctrinam infuscari putant, nævos, Centuriatores Magdeburgenses [13] et Scultetus hunc notant : quod non sine errore dixerit, Hominem non esse conditum a Deo perfectum, et artificem Deum in veteri plasmate quidpiam prætermisisse, quod postea Verbum impleverit. Sed insontem vexat malevolorum hominum censura, quibus, ut et Gallasio, displicuit, ut aperte profitentur, quod Irenæus hominem liberi arbitrii facultate præditum esse tam diserte pronuntiet, et tam invicte probet, ut nullus effugiis locus sit. Hæc enim calumniæ causa; quod explicandum.

112. Gnosticorum hoc erat effatum, ut alibi diximus, homines quosdam natura bonos, quosdam natura malos, a Deo conditos fuisse : quo flatigioso principio ab imo ruebat omnis prorsus eligendi potestas, fatalique necessitate sic constringebatur humana voluntas, ut uno duntaxat, sive bono, sive malo circumscripta ac definita, oppositum velle non posset. Exitiosam doctrinam identidem toto opere refellit Irenæus. Sed eam demum libri quarti cpp. 37 et 39, ab ipsis radicibus convellere aggreditur, ubi principio probandum sibi suscipit, quod « liberum hominem Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim, inquit, a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. » Neque putes hic tantum elidi vim externam, quæ extrinsecus adhibetur; omnem prorsus a voluntate necessitatem procul excludit, qua ita ad unum determinaretur, ut alterius volendi potestas adimeretur, ac proinde necessitatem etiam quæ simplex dicitur. Eam enim in homine libertatem esse merito contendit Irenæus, quæ potestatem electionis includat, ita ut cum in unum sponte propendet voluntas, possit, si velit, eo repudiato, in oppositum ferri. « Posuit, inquit, Deus in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis (etenim angeli rationabiles) : uti hi quidem qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bono, et meritam pœnam percipient; quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contempserunt. Abjicientes igitur bonum, et quasi respuentes, merito omnes justum judicium incident Dei, » etc. Tum postea clarius adhuc explicans potestatem illam electionis, quam homini tribuit, et in indifferentia ad utrumlibet sitam esse demonstrans, addit : « Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur; et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud. » Hanc vero voluntatis indifferentiam, etiamnum in homine perseverantem, subinde probat omnibus argumentis, quibus uti solent, ad hæreticos refellendos, Catholici doctores; puta quod

[13] Cent. II, c. 4.

Digitized by Google

si ineluctabili necessitate ferrentur homines in bonum aut malum, nec laudi nec vitio tribui posset, quod alii boni, alii mali essent. quod frustra mandata, consilia, monita hominibus daret Deus : quod nulla essent bonorum operum merita, eo quod nullum amplius certamen et corona certaminis superesset : quod incassum bonum a malo discernendi facultatem accepisset a Deo homo, nisi facta utriusque comparatione alterum alteri sua voluntate et electione præferre posset; et alia ejusmodi, quæ malim apud auctorem nostrum legi.

113. Sed interim vulgatæ huic impiorum querelæ satisfacit, Quid angelos aut homines condiderit omnipotens Deus tales, qui statim ab eo deficerent; cum satius longe fuisset, ut peccare nullo modo possent? « Sed oportebat eum neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines, qui statim ingrati exsisterent in eum. » Respondet Irenæus [14], quod si homines, belluarum more, « inflexibiles, et sine judicio, cum necessitate et vi traherentur ad bonum, sic nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu, et cura, et studio provenisset, sed ultra et otiose insitum; ita ut essent nullius momenti boni, eo quod natura magis, quam voluntate tales exsisterent, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem; et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo; » satius ergo fuisse, Deique providentiam magis decuisse, ut tales crearentur homines, qui bonum libera electione prosequerentur, et ad illud cum labore et exercitatione contenderent, ne « esset videlicet nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum, ut et pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam; et quanto per agonem nobis advenit, tanto sit pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus; » inde quidem evenire, ut nobis ipsis nostræque electioni permissi interdum labamur, et a Deo deficiamus : at malum illud ex eo compensari, quod propriis lapsibus erudiamur, factaque « comparatione lucis et tenebrarum, vitæ et mortis, per omnia erudiamur; ut in omnibus in futurum simus cauti, et perseveremus in omni Dei dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum : Deo quidem magnanimitatem præstante in apostasia hominis; homine autem erudito per eam, » etc.

114. Ex ea autem responsione oritur altera quæstio, quam statim sibi proponit Irenæus [15], quæque Centuriatorum et Sculteti criminationi ansam dedit : « Si, ait, hoc dicat aliquis : Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem? » Quisquis ad ea quæ præcesserunt, quæque modo compendio [CLVIII] retulimus, attenderit, e vestigio deprehendet, non de ea perfectione sermonem hic esse, quæ naturalis sit, et in ordine naturæ hæreat; sed de ea duntaxat quæ superioris ordinis, et a Deo, quatenus auctor gratiæ est, exspectanda sit. Uno verbo totius orationis contextus demonstrat, eo spectare quæstionem : Ecquid ab initio Deus talem condiderit hominem, qui coronam sibi tanto cum labore et ancipiti ac operoso agone comparatam adipisceretur; et non potius qui *ad videndum et capiendum Deum* statim *maturus*, huic eo perfectius adhæreret, quo justitiæ immutabiliter affixus, ab omni versatilis indifferentiæ perverso usu peccandique periculo tutus esset? Id etiam ex subjecta responsione manifeste colligitur. Regerit enim Irenæus, « Deo quidem, cum semper sit idem, et innatus, quantum ad ipsum est, omnia possibilia » esse. « Quæ autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturæ initium habuerunt, secundum hoc et minora esse oportuisse eo, qui se fecerit; nec enim poterant infecta esse, quæ nuper facta sunt. Propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et deficiunt a perfecto. » Unde concludit, Deum ipsum quidem « potentem fuisse homini præstare perfectionem ab initio, hominem autem, » habita ratione sapientissimarum a divina providentia statutarum legum, « impotentem fuisse percipere illam : infans enim fuit. » Debuit igitur homo certis quibusdam gradibus, certa quadam « ordinatione » et « convenientia » pervenire ad visionem Dei, qua fiat immortalis, et ea ratione perfectus ac Deo proximus. [16] « Oportuerat hominem primo fieri, et factum augeri, et auctum corroborari, et corroboratum multiplicari, et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, et glorificatum videre suum Dominum. Deus enim est, qui habet videri : visio autem Dei efficax est incorruptelæ : incorruptela vero proximum facit esse Deo. » Quæ omnia persuadent, quod dixi, de ea tantum perfectione hic agi, quam consequitur homo in altera vita, Deum *intuitive* videndo; quamque legitimo versatilis ad utrumlibet indifferentiæ usu eum sibi mereri decebat : adeo ut ea non esset naturæ suæ prærogativa, sed laboris et exercitationis præmium ac virtutis merces. Quod etiam magis ac magis confirmatur ex iis quæ addit cap. sequenti, ubi n. 2 ait : « Quemadmodum igitur erit Deus, qui nondum factus est homo? quomodo autem perfectus, nuper effectus, qui in natura mortali non obedivit factori? » Tum addit hunc a Deo constitutum ordinem esse, ut prius « præbeamus ei cor nostrum molle et tractabile, ac tradamus ei quod est nostrum, id est fidem in eum et subjectionem; » tum vero « ascensuros nos ad perfectum, et fore perfectum opus Dei. Si autem, ait, non credideris ei, et fugeris manus ejus, erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit. » At illud meriti genus, et ea, quæ huic necessario præsupponitur, indifferentia libertatis, Magdebur-

[14] Lib. IV, cap. 37, n. 6. [15] C. 38, n. 1. [16] Ibid., n. 3.

Digitized by Google

gensibus cum displicerent, struendæ Irenæo calumniæ occasio fuerunt.

115. Nec tamen merita bonorum operum ita libero arbitrio vindicat S. doctor, ut gratiæ divinæ necessitatem excludat. Imo tantam esse naturæ humanæ peccato originali vitiatæ corruptionem jure merito contendit, ut nullum boni operis fructum usquam editura sit, nisi Christi gratia sanetur et ad agendum roboretur. Lib. III, c. 22, n. 4, scribit, « Evam inobedientem factam, et sibi, et universo generi humano causam factam esse mortis, » non temporalis modo, sed et æternæ, ut ex altero comparationis membro perspicue patet : « Mariam » autem « obedientem, et sibi, et universo generi humano causam factam esse salutis. » Addit postea, quod « primogenitus mortuorum natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. » Tum lib. V, c. 1, n. 3, docet, « Patrem omnium operatum esse incarnationem Filii sui, et novam ostendisse generationem : uti quemadmodum per priorem generationem mortem hæreditavimus, sic per generationem hanc hæreditaremus vitam. » Quod et in fine capitis repetit. Et cap. 14, n. 1, 2 et 3, Christum Dominum « salvasse in semetipso in fine illud quod perierat in principio in Adam. Justam carnem reconciliavisse eam carnem, quæ in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxisse Deo. » Per Christum « reconciliatum fuisse Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum. » Quibus omnibus gemina sunt quæ scribit, tum lib. IV, c. 2, n. 7 : « Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se, et vivificat mortuos : » tum quæ lib. V, c. 16, n. 2, ait, « Deum in primo quidem Adam nos offendisse, non facientes ejus præceptum; in secundo autem Adam reconciliatos nos fuisse, obedientes usque ad mortem factos. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi cujus et præceptum transgressi fueramus ab initio; » tum cap. 34, n. 2, « percussum esse hominem initio in Adam inobedientem; » tum denique, ne longior sim, cap. 19, n. 1 : « Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem : æqua lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quæ alligati eramus morti. » Quem posteriorem locum, ut et eum quem ex lib. IV, c. 11, modo adduximus, allegavit Augustinus lib. I *cont. Julian*, c. 3, ut ex constanti Patrum traditione probaret contra Pelagianos, nasci omnes Adæ posteros peccati originalis labe maculatos. Viderint ergo qui tam disertis Irenæi testimoniis vim apertam inferentes, ea sic eludere student, ut Irenæum aliosque trium priorum sæculorum Patres meminisse quidem peccati originalis pœnarum, sed non ejusdem reatus et culpæ, temere contendant; viderint an clarius vel ab ipso Augustino asseri potuisset peccati originalis reatus et macula. Quid quod idem Irenæus hinc cum Augustino concludat, baptismum omnibus hominibus, et ipsis parvulis et infantibus necessarium esse, ut per eum regeniti pristinæ generationis sordes abluant? « Omnes, ait lib. II, c. 22, venit per semetipsum salvare Christus : omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores. » Et lib. V, c. 15, n. 3 : « Et quoniam in illa plasmatione, quæ secundum Adam fuit, in transgressione factus homo, indigebat lavacro regenerationis; postquam linivit (Christus) lutum super oculos ejus (cæci nati) dixit ei : *Vade in Siloam, et lavare*[16], simul et plasmationem, et eam, quæ est per lavacrum, regenerationem restituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, ut et suum cognosceret plasmatorem, et disceret homo eum, qui donavit ei vitam. » Diserta est ea ratio : Indiget lavacro regenerationis homo, quia in transgressione factus seu genitus est. Ad id ergo necessarium esse baptismum existimavit Irenæus, ut per eum liberetur homo a transgressionis reatu, quem in Adam contraxit.

[CLIX] 116. Consequens erat, ut qui hominem in Adamo mortuum, miseræ addictum servituti, vinculis constrictum, ac lethali vulnere sauciatum agnoverat, gratiæ divinæ, quam per Christi redemptoris, ac liberatoris nostri merita nobis impertitur Deus, qua instauremur, sanemur, et ad obtinendam per bona opera vitam æternam vires capiamus, necessitatem sentiret, prædicaretque. Eapropter toties asserit[17] necessariam fuisse Verbi divini incarnationem, « ut hominis antiquam plasmationem in se recapitularet, occideret peccatum, evacuaret mortem, et vivificaret hominem. » Id siquidem lex, licet bona et spiritualis, præstare non potuerat; utpote quæ « manifestaverit tantummodo peccatum, non interemerit. » Hinc monet hominem[18], ut « cognoscat semetipsum quoniam mortalis et infirmus est; » et quod « gloria hominis, Deus; operationis (sic lego) vero Dei, et omnis sapientiæ ejus, et virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum, addit, medicus in his, qui ægrotant, probatur; sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus ait[19] : *Conclusit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, non de spiritualibus Æonibus dicens hoc, sed de homine, qui fuit inobediens Deo, et projectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quæ est ad ipsum, percipiens adoptionem. Hinc infirmitatis humanæ

[16] Joan IX, 11. [17] Iren., lib. III, c. 18, n. 7. [18] Ibid., cap. 20, n. 2. [19] Rom. XI, 32.

Digitized by Google

conscius docet, Dominum esse « qui salvat nos. Et propter hoc, inquit [20], Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait [21] : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Deinde infert liberatorem : *Gratia Jesu Christi Domini nostri....* Hoc, quoniam non a nobis, sed a Dei adjumento habuimus salvari. » Hinc denique docet missum a Christo Spiritum sanctum [22], « qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis : ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua, quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum exsistentes primum, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro, » etc. Et postea [23] : « Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur, et ubi accusatorem habemus, illic habeamus et paracletum : commendante Domino Spiritui sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, et ligavit vulnera ejus, dans duo denaria regalia, ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes. »

117. Quod hic dicit Irenæus, per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accepisse nos, ex iis lucem accipit, quæ habet initio capitis sequentis, « Filium Dei hominem factum, longam hominum expositionem in se ipso recapitulasse; ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. » Id nimirum constituit Irenæus, quod ab aliis Patribus deinceps affirmatum non semel legimus, imaginem et similitudinem Dei, homini primum insculptam, deinde vero peccati labe deformatam et corruptam, a Filio Dei instauratam et refectam fuisse; et ideo eum, qui est imago Patris, et character substantiæ illius, carnem suscepisse, ut ad instaurandam Dei effigiem ipsum adhiberetur archetypum et exemplar, cujus imitatione pristinum in statum per eadem lineamenta reduceretur. Hoc planissime explicat auctor noster lib. v, c. 16, n. 1 et 2, ubi dicit, eamdem Dei manum, Verbum scilicet divinum, per quam ad imaginem et similitudinem Dei conditi sumus, « ab initio usque in finem formare nos, et coaptare in vitam, et adesse plasmati suo, et perficere illud secundum imaginem et similitudinem Dei. Tunc autem hoc Verbum ostensum est, » id est visibiliter apparuit, « quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans : ut per eam, quæ est ad Filium similitudinem, pretiosus homo fiat Patri. In præteritis enim temporibus, dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur : » quia videlicet oculis non exhibebatur ipsum archetypum et exemplar, nempe Verbum divinum imago Patris, et character substantiæ ejus, ad cujus, ac proinde ad ipsius Patris, imitationem conditus fuerat homo, ut mox exponit Irenæus. « Adhuc enim, subdit, invisibile erat Verbum, cujus secundum imaginem factus fuerat. Propter hoc autem et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit; et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens quod erat imago ejus, et similitudinem formans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum. » Cujus loci sensum haudquaquam assecuti Magdeburgenses [24], misere implicant. Ut enim Irenæi calumniandi ansam habeant, fingunt ipsum dixisse, 1° « Hominem non esse conditum ad imaginem Dei; sed oportuisse fieri secundum imaginem Dei, accepta cognitione boni et mali. » Cujus quidem criminationis absurditas simul et falsitas vel ex eo ipso, quem ad marginem citant loco, cap. videlicet 38, alias 76, n. 4, perspicue demonstratur, ubi diserte asseritur, Deum « similes sibi suæ potestatis homines fecisse, » et, « oportuisse fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, agnitione accepta boni et mali; » id est, ut ipse eadem periodo, et toto eo capite explicat, priusquam intima Dei visione, immortalis et impeccabilis fieret homo, oportuisse ut in eo ad imaginem et similitudinem Dei conderetur, quod agnitione accepta boni et mali, liber ac suæ potestatis esset. « Deinde » fingunt « et de imagine admodum periculose Irenæum loqui, cum affirmat illud dictum, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [25], pertinuisse ad Christum, qui certo tempore homo fieri, illamque imaginem repræsentare debuerit. Ante lapsum igitur, hominem quidem dictum esse imaginem Dei, sed non ostensum; quia Filius Dei nondum homo factus fuerit. » Tum locum proferunt, quem paulo ante adduximus. Atqui nec eo loci, nec uspiam alibi scribit Irenæus, illud dictum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, pertinuisse ad Christum; nec eo loci, nec uspiam alibi dixit, ante lapsum, hominem quidem dictum esse imaginem Dei, sed non ostensum.

118. Verum quidem est, Irenæum, cum veterum non paucis, inter imaginem Dei in homine, ac similitudinem distinxisse; quasi alia sit imaginis, alia similitudinis ratio. Imaginem autem collocat in carne, seu, ut loqui amat, in plasmate. « Caro, » inquit lib. v, c. 6, n. 1, est plasmata secundum imaginem Dei. » Et postea : « Si defuerit animæ Spiritus, animalis est vere, qui est talis; et carnalis derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem ha-

[20] Iren., lib. III, cap. 18, n. 3. [21] Rom. VII, 24, 25. [22] Iren., lib. III, cap. 17, n. 2. [23] Id. ibid., n. 3. [24] Cent. II, cap. 4. [25] Gen. I, 26.

Digitized by Google

bens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum, » etc. Quod vero hic carnem, seu carnalem et animalem hominem secundum imaginem Dei conditum [CLX] dicit, id cap. 16 paulo ante citato clarius explicans, hominem factum vocat secundum imaginem Verbi, non quatenus carnem assumpsit, et Christus est, sed quatenus Verbum est, et Filius Dei, ut ex supra relatis verbis liquet. Quod posterius haudquaquam repugnat prioribus. Cum enim Verbum sit substantialis imago Patris, hominem ad imaginem Verbi conditum esse, est hominem secundum imaginem Dei factum esse, ut jam diximus. Porro in iis omnibus locis imaginem Dei sic carne definit Irenæus, ut tamen animam non excludat, ut ex ipsa lectione patet; sed nimirum id vult, quamvis homini propter animam potissimum conveniat esse imaginem Dei, esse tamen et in corpore proprium quiddam, cujus gratia dicatur ad imaginem Dei esse fictum. Quid autem illud sit, fuse explicat toto libro v, ubi demonstrat, corpus a Verbo instauratum, seu, ut passim loquitur, in Verbum recapitulatum, a morte et corruptione, cui, primi hominis peccato, obnoxium erat, sic vindicatum iri, ut perenni vita, incorruptela et gloria in resurrectione donatum, Dei immortalitatem quodammodo referat. « Si, ait c. 7, n. 1, nunc pignus habentes *clamamus*, *Abba*, *Pater* [26]; quid fiet quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitaverit ea ex mortuis, et æternam vitam donaverit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum, jam facit dicere : *Abba*, *Pater*; quid faciet universa Spiritus gratia, quæ hominibus dabitur a Deo? Similes nos ei efficiet, et perficiet voluntate Patris; efficiet enim hominem secundum imaginem et similitudinem Dei. » Similia alia loca passim occurrunt. Et his illustrantur ea quæ scribit, cap. 16, n. 2, ante Verbi divini incarnationem, hominem quidem secundum imaginem Dei conditum dici, non tamen ostendi, donec « *Verbum caro factum* [27], fiens quod erat imago ejus, imaginem ostenderet veram. » Quamvis enim homo ab initio secundum imaginem Dei factus fuerit, ea tamen imaginis ratio post incarnationem longe clarius effulsit, quam ante : Verbo quippe carnem assumente, quæ aliquando resurrectura erat, nec in corruptionem cessura, eo veritas imaginis manifestius comprobata est, quo certissima jam spes fuit nostram carnem, illius carni qui primogenitus fuit in multis fratribus, et primitiæ dormientium atque resurgentium factus est, consubstantialem, et ipsam aliquando per eum a corruptione vindicandam esse, ac immortalitatem consecuturam : « ut cum apparuerit, similes ei simus, » ut loquitur Joannes apostolus [28].

119. Quod attinet ad similitudinem Dei in homine, quam ab imagine distinguit Irenæus, illam utique in anima reponit, vel, ut verius, accuratiusque loquar, in homine ipso, quatenus tali formæ illius natura constituitur; sed non eadem ubique ratione. Cum enim duplex hominis status spectari possit, naturalis videlicet, et supernaturalis; pro diversa utriusque ratione, diversam etiam similitudinis rationem assignavit auctor noster. Donec hominis statum naturalem respexit, ejus cum Deo similitudinem in cognoscendi vi, et libere quidvis eligendi facultate sitam esse docuit, ut lib. IV, c. 4, n. 2, et cap. 37, n. 4. Cum vero hominem in statu supernaturali consideravit, hujus cum Deo similitudinem posuit in ea perfectione, quam accipit a Spiritu sancto in se inhabitante, per quam fit spiritualis homo, mundus, Deo vivens, et a cupiditate carnis, terrenarumque rerum affectu, quantum humana fragilitas sinit, liber et purus. De ea hominis perfectione fuse disserit lib. V, c. 6, et seqq., ubi ostendit tria ad supernaturalem hominis perfectionem ita requiri, ut si unum desit, perfectus homo esse non possit : carnem videlicet, animam et Spiritum sanctum. « Per manus Patris, » inquit n. 1, id est, « per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et Spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam : perfectus autem homo, commistio et adunatio est animæ assumentis Spiritum Patris, et admista ei carni, quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Propter quod et Apostolus ait : *Sapientiam loquimur inter perfectos* [29]; perfectos dicens eos, qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. » Et postea : « Si substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis, et nude ipsum solum spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est, quod est tale, sed spiritus hominis, aut Spiritus Dei. Cum autem Spiritus hic commistus animæ unitur plasmati, propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est; et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animæ Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit : imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum, » etc. Ubi quod Spiritum sanctum partem hominis vocat, difficultatem habere non potest. Neque enim, ut orationis contextus aperte demonstrat, de homine in statu naturali, seu de iis quibus essentia hominis, quatenus homo est, constituitur, hic disserit auctor noster; sed de iis duntaxat, quæ necessaria sunt ut spiritalis ac perfectus in genere supernaturali fiat. Neque in id absurditatis genus delapsus est, ut existimaret hominem istum ex ipsa Spiritus sancti substantia tanquam ex parte proprie dicta componi, perinde atque ex corpore et anima componitur, qui Spiritus sancti

[26] Rom. VIII, 15. [27] Joan. I, 14. [28] I Joan. III, 2. [29] I Cor. II, 6.

Digitized by Google

gratiam et dona intelligere se manifeste significat; quæ quidem si partem hominis spiritalis appellet, non alia ratione partem esse vult, quam qua charitas, justitia, etc., justi hominis partes esse dicuntur; partes scilicet improprie dictæ, quia his qualitatibus completur homo ac perficitur. Hinc Irenæus quod initio capitis proposuerat, paulo enucleatius deinde explicans, carnem quidem et animam partes hominis vocat; non autem Spiritum sanctum. « Si quis, ait, tollat imaginem, et spernat plasma, jam non hominem intelligere potest, sed aut partem aliquam hominis, vel aliud aliquid præter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis, et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis, et pars hominis. Neque Spiritus homo; Spiritus enim et non homo vocatur. » Ubi Spiritum jam non hominis partem appellat, sed aliud aliquid præter hominem, Spiritum scilicet. Tum quid per Spiritum intelligat, clarius adhuc exponens, addit: « Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint; Dei, id est illam quæ est ad Deum, fidem servantes, et eam quæ est ad proximum justitiam custodientes. » Et adhuc clarius cap. 9, n. 1: « Sunt tria, inquit, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima, et Spiritu: et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro: id vero quod inter [CLXI] hæc est duo, quod est anima: quæ aliquando quidem subsequens Spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et formatur, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis, quippe qui non habent Spiritum Dei in se... Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei; hi tales juste homines dicentur, et mundi, et spirituales; quia habent Spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. » Quæ nisi de Spiritus sancti gratia et donis intelligi non possunt.

—

ARTICULUS X.

De animarum natura et statu post mortem.

—

120. Cum angeli et animæ humanæ eadem fere sit ratio, de utriusque natura idem sensit Irenæus. Quemadmodum enim angelos ex materia subtilissima concretos esse existimavit; sic et animas humanas ex eadem materia compositas esse voluit. Has quidem *spiritus* et *incorporales* non semel vocat, lib. præsertim v, c. 6 et 7, sed quo sensu, statim ipse explicat: « Incorporales animæ, ait c. 7, n. 1, quantum ad comparationem mortalium corporum; » quibus manifeste significat, animas, si quidem cum corporibus conferantur, incorporales esse, quia illorum materia crassior, harum subtilior est; re tamen et absolute incorporeas non esse. Quod et sequentia confirmant, quibus probat ex iis omnibus quibus aut constituitur, aut perficitur homo, carnem solam mortalem esse, non animam: « flatus est enim vitæ, ac proinde immortalis; » neque etiam Spiritum sanctum, quo completur homo, ut spiritalis fiat; « incompositus est enim et simplex spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum, qui percipiunt illum. » Ubi latissimum discrimen inter Spiritum et animam ponit: illum immortalem esse probat, quod incompositus sit et simplex, nec resolvi possit: hujus vero immortalitatem non ea ratione fulcit, quæ tamen genuina spirituum, in genere spectatorum, incorruptibilitatis ratio est, sed aliunde petit; ex eo nimirum, quod flatus vitæ sit. Et hinc forte est quod lib. II, c. 19, n. 7, et cap. 34, n. 1, scribat, animas, corpori in quo sunt, sic aptari, ut ejusdem habeant figuram; imo et post mortem « characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodiant eumdem, habeantque hominis figuram, ut etiam cognoscantur. » Quanquam tamen, ut in notis ad posteriorem hunc locum diximus, nihil absolute cogat hæc de certa quadam figura, corporeisque notis animabus impressis interpretari. Tenues quidem materiales substantias, quales animas esse credidit Irenæus, ad eorum, quibus insunt, corporum figuram sese componere, quemadmodum aqua vasis, in quod infunditur, figuram induit (quæ S. doctoris comparatio est) facile intelligitur: at easdem substantias, nullius ex sese figuræ tenaces, certam tamen figuram, certumque corporeum characterem, post suam a corpore separationem, constanter retinere posse, qui sibi in animum inducere potuerit Irenæus, vir acris judicii, haud facile percipiet quisquam. Mallem ergo eum animarum characterem et figuram explicare de certo quodam ordine et habitu ad corpus, quem post mortem servant, et quo a substantiis angelicis, ad informandum corpus haudquaquam destinatis, distinguantur. Consule notas in hunc locum.

121. Quin Irenæus in iis quæ tum de angelorum, tum de animarum humanarum natura sensit, a sanæ et philosophiæ et theologiæ legibus aberraverit, negari non potest. Sed error est, ut pluribus antiquis Patribus communis, sic omnibus eo faci-

Digitized by Google

lius condonandus, quo quæstione non adeo accurate priori, atque posteriori ævo discussa, judicium suum nondum interposuerat Ecclesia. Idem fere dicendum de altero, quo cum veteribus non paucis deceptus est, errore de statu animarum sanctarum, corporis vinculis solutarum, quas statim divino conspectu fruituras in cœlum recipi negavit. Eum quidem ab hoc errore purgare nixus est Bellarminus, lib. I *De sanct. beatitud.* c. 4, sed prorsus infeliciter : tam aperta siquidem Irenæi opinio est, posterioribus sex libri quinti capitibus, ut eam ad receptam hodie in tota Ecclesia catholica sententiam revocare velle, laterem crudum lavare sit. Eapropter Hieronymus, qui Irenæi scripta sedula manu versaverat, cuique perspecta erat S. doctoris mens, eum inter Chiliastas tum in Prologo in lib. XVIII in Isaiam, tum alibi recensere non dubitat. Et revera ingenue fateri debemus, Irenæum, dum acrius insectatur Gnosticos, fingentes spiritalium suorum animas, statim ut a corpore discesserint ire ad matrem, vel ad eum, quem comminiscebantur Patrem, carne interim æternum dissolvenda, in alteram ipsum extremam sententiam abire. Negat quippe justorum animas statim post suum corpore discessum divino conspectu frui ; sed « abire » vult « in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorari, sustinentes resurrectionem ; post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venturas in conspectum Dei. » Imo, quod paulo magis stupendum, eos etiam e catholicis, qui secus sentiebant, erroris arguere non dubitat, quasi qui « supergrederentur ordinem promotionis justorum, et motus meditationis » (id est, exercitationis) « ad incorruptelam ignorarent, hæreticos sensus in se habentes. » Quos ex eo refellit, quod minime deceat Christi discipulos prius in cœlum conscendere quam magister ipse ascenderit. « Quo modo ergo magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens defluitum a Patre resurrectionis suæ tempus, post triduum resurgens assumptus est ; sic et nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostræ tempus, et sic resurgentes assumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit. » Tres proinde animarum sanctarum veluti stationes distinxit Irenæus : primam in loco quodam invisibili, in quo detineri eas contendit ad resurrectionis usque tempus ; alteram in terrena Hierusalem instaurata et renovata, vel in paradiso terrestri ; in quibus sub imperio et gubernatione Christi, in summa quiete, ac secundarum rerum affluentia degentes « crescentesque ex visione Domini, per ipsum assuescent capere gloriam Dei Patris ; » tertiam demum in regno cœlorum, in quo ipsius Patris conspectu æternum fruentur. Ea vero omnia Irenæus congestis undique Scripturæ sacræ testimoniis, pro virili sua probare nititur.

[CLXII] 122. Quatuor tamen hic observari velim. A Primum est, Irenæum sic ad Millenariorum sententiam accessisse, ut a Cerinthi impietate procul recesserit. Hic quippe Millenariorum coryphæus effutiebat, Eusebio teste, lib. III *Hist.* c. 28, post humanæ carnis resurrectionem futurum terrenum Christi regnum, et Hierosolymis homines carnis cupiditatibus, ac voluptatum illecebris servientes, mille annos in nuptiarum festis et celebritate consumpturos. Quam impietatem exhorruere semper Ecclesiæ Patres ; non ita vero dogma alterius Millenariorum antesignani Papiæ, Joannis, ut scribit Irenæus, « auditoris, Polycarpi autem contubernalis, » qui Cerinthi deliria sic recoxit, recuditque, ut tempus illud mille annorum transigendum esset in deliciis spiritalibus, qualibus afflici B justos ac puros homines decet. Quamvis hic Papias vir esset, ut ait Eusebius lib. III *Hist.*, c. 39, « σφόδρα σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, mediocri admodum ingenio, ut ex scriptis illius conjicere licet, » qui male intellectis apostolorum narrationibus, nec iis, quæ arcano quodam sensu et exempli causa ab illis dicebantur, satis animadversis, plura fabulis propiora libris suis inseruit, terrenumque illud Christi regnum commentus est ; quod tamen a Joanne Apostolo institutus esset, pluribus post ipsum ecclesiasticis scriptoribus, hominis auctoritatem plus æquo reveritis, ac Irenæo in primis, ejusdem erroris occasionem præbuit. Alios quosdam presbyteros, Joannis discipulos, ejusdem opinionis propugnatores, sed ejusdem ponderis homines, memorat Irenæus. 2° Horum sententiæ calculum sic C adjecit S. doctor, ut terreni illius Christi regni tempus nuspiam definierit, nec mille, aut certo aliquo annorum numero circumscripserit ; imo ne semel quidem protulerit vulgatum illum Apocalypseos locum : « Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis ; » quo tamen, ceu fundamento, potissimum nitebatur Millenariorum sententia. 3° Id discriminis constituere videtur inter martyrum, aliorumque justorum animas, ut illæ singulari prærogativa statim ascendant ad Patrem, ac proinde in cœlum recipiantur ; aliæ vero omnes ad invisibilia loca abeant, corporum resurrectionem exspectantes. « Ecclesia, inquit D lib. IV, c. 33, n. 9, omnibus in loco, ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem. » Si martyres præmittuntur ad Patrem, cæteris ergo justis præeunt, qui prius illuc non perveniunt, quam in terreno Christi regno « ex visione Domini, per ipsum » paulatim « assueverint capere gloriam Patris. » 4° Demum cæteris omnibus gravius est, quod significare videtur Irenæus, non omnes beatos in cœlo futuros, sed aliquos in cœlo, aliquos in paradiso, alios in civitate nova Hierusalem ; omnes tamen, ubicunque fuerint, Dei conspectu fruituros. « Præterеunte, ait, figura hac, et renovato homine, et vigente ad incorruptelam, ut non possit jam veterascere, erit cœlum novum, et terra nova, in qui-

Digitized by Google

bus novus perseverabit homo, semper nova confabulans Deo. Et quoniam hæc semper perseverabunt sine fine, Isaias ait sic, etc. Et quemadmodum presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint cœlorum conversatione, illuc transibunt, id est, in cœlos; alii tute paradisi deliciis utentur; alii autem speciositatem civitatis possidebunt : ubique autem Deus videbitur, et quemadmodum digni erunt videntes eum. Esse autem distantiam hanc habitationis eorum qui centum fructificaverunt, et eorum qui sexaginta, et eorum qui triginta; quorum quidam in cœlum assumentur, alii in paradiso conversabuntur, alii in civitate inhabitabunt; et propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones. » Mira hæc et insolita parabolæ seminantis, et variarum in altera vita mansionum explicatio; hæc enim referri ad alteram vitam, seu ad resurrectionem secundam, postquam innovatis jam cœlo et terra Deus manifeste videbitur a beatis, orationis contextus perspicue demonstrat. Sed ista, ut et alia quæ retuli, nævi sunt, quos contraxit Irenæus ex nimia in seniores illos, quos identidem citat, veneratione, et acriori hæreticos impugnandi studio.

123. Dudum exsolevit ea terreni Christi fabula, ut vocat Hieronymus. Hanc tamen suis e ruderibus excitatam instaurare nititur cl. Grabius; non directe quidem, nulla siquidem argumenta eam in rem profert : ecqui proferre posset, nisi straminea, ut ipse loquitur ? Sed pias et eruditas doctissimi Feuardentii notas exscribens, eas ubique maligno dente corrodit, insinuatque passim a nullo solide confutatam hactenus fuisse eam Millenariorum sententiam, facileque diffiari ea omnia, quibus impugnatur, argumenta; imo parum abest quin eam ipsi Christo et apostolis ejus acceptam referat. Forte necessaria Grabio videtur ea fabula, qua fulciatur novum illud Calvini et asseclarum ejus dogma, sanctos invocari nec posse, nec debere, utpote qui in cœlo nondum degentes preces nostras audire nequeant. Dignum certe fabulæ fulcrum altera fabula est. An cl. viro animus erat veros Irenæi errores probando, eam, quam S. martyri intulit injuriam, tot fictitios in adnotationibus suis impingendo compensare? Quam æqua compensatio! dignissima, quæ Grabianis notis coronidem imponeret. Operam lusisse me putarem, si has serio refellendas susciperem. Chiliastarum ratiunculæ sunt quas alii tum veteres, tum recentiores jam penitus contriverunt; et si id ab eis præstitum neget Grabius, ideo negat, quia vel legere piguit, vel animo jam invisibili illo Chiliastarum loco oberrante legit. Id tamen a cl. viro dissimulandum non erat, sic in eam abiisse sententiam sæculi secundi Patres, qui de statu animarum post mortem quidquam scriptis adhuc superstitibus reliquerunt, ut candide monuerint Justinus in *Dialogo cum Tryphone* pag. 306, edit. Morellianæ Paris. 1636, et Irenæus capp. 31 et 32, huic repugnasse πολλοὺς καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης, « multos etiam e Christianis, qui puræ piæque sunt sententiæ; » vel, ut loquitur Irenæus, « quosdam ex his qui putantur recte credidisse. » A pluribus deinceps aperte impugnata cum fuerit, licet a quibusdam, nec ignobilibus Ecclesiæ Patribus propugnata, prævaluit semper id quod jam in Ecclesia catholica obtinet dogma.

124. Sed tandem huic dissertationi finis imponendus. Breviorem esse voluissem, si licuisset. At longiorem fecerunt tum intricatæ locorum multorum difficultates, quæ paucioribus verbis elucidari commode non poterant; tum importunæ Protestantium, ac in primis nuperi Irenæi editoris cavillationes, quas, ne nostris auribus obstrepere pergerent, dissolvere operæ pretium fuit. Cum enim ejusmodi hominibus antiquius nihil fuerit, quam ut tantæ auctoritatis antiquitatisque scriptorem misere discerptum ad partes suas traherent, ut tanta S. doctori fieret injuria, sinendum non fuit. Si quid aliud in Irenæi doctrina observandum occurrat, vel id in notis textui subjectis adnotavimus, et ubi opus fuit illustravimus, vel ex iis quæ hactenus diximus facile explicabitur.

CHR. GUIL. FR. WALCHII

COMMENTATIO (a)

DE AYΘENTIA LIBRORUM IRENÆI ADVERSUS HÆRESES.

Consilium, quod cepi, de fide auctoritateque Irenæi paulo accuratius coram vobis disputandi, natum esse lubens fateor ex vener. Joann. Salom. Semleri infringendi eam labefactandique studiis. Quo major enim est rerum præstantissimarum copia, quas ex Irenæi libris se didicisse omni fere tempore gravissimi viri testati sunt, quasve nos ipsi ex eodem fonte haurire pergimus; eo sanctius

(a) Hæc commentatio, a doctissimo Walchio in Societate Regia scientiarum Gottingensi recitata d. VI Aug. MDCCLXXIV, typis expressa est in Novis commentariis Societatis Regiæ scientiarum Gotting., tom. V, Gotting. 1775. Edit.

Digitized by Google

mihi esse videtur viri boni officium in eo justam collocandi curam, ut num recte viro et quibus nomen ejus inscribi soleat monimentis credamus, an fraudatorum fortasse impudentia decipi nos patiamur, et nobis et aliis constet argumentis certis et expeditis. Fieri posse nemo inficiabitur, ut per longum tempus veteris scriptoris opera nonnulla habeantur germana et vera, quæ ut falsa esse et cui ascribantur, auctoris aut ingenio et doctrina, aut ætate indigna judicent, posteri commoveantur. Fas igitur est, audiri eos, qui licet ante eos nemo de hujus generis librorum vetustate aut scriptore dubitaverit, primi nunc dubitare audent, et quas proferunt dubitandi causas expendi consideratius harumque pretium animo candido, neque ullis nisi verum exquirendi studiis ducto, æstimari. Omnis enim historiæ dignitas utilitasque nititur, tanquam suo fundamento, auctoritate et fide testium, rerumque gestarum memoriæ perinde perniciosum est et pestiferum, falsos et subornatos producere testes, ac bonos religiososque sine causa repudiare et ad illorum gregem abjicere. Ut vero candide et cordate agamus, omnia sedulo conquirenda, et, ut ab aliis rite intelligantur, perspicue proponenda sunt, quæ testis in suspicionem vocati existimationem aut confirmant, aut minuunt et convellunt. Hoc negotium licet arduum sæpe sit et difficile, eo magis tamen necessarium est, quo negligentiores observamus viros doctos fuisse in explicandis comprobandisque, cur veteri scriptori et ipsi credant et alios velint credere, causis, cujus auctoritatem nesciebant unquam contemni aut adduci in controversiam. Similis certe fuit Irenæi sors. Omnes enim, quamvis de religione dissidiis aliarumque de rebus antiquioris ævi Christianis sententiarum varietate a se invicem sint disjuncti, in admittenda laudibusque extollenda ejus fide mirifice videbis consentire, quemlibet intelliges honoris quid aut ornamenti suis opinionibus suæque factioni ex tanto nomine conciliandi esse studiosum; neminem tamen novi de colligendis declarandisque causis cogitare, cur testimoniis Irenæi sit credendum.

Quæcunque hac de re dici possunt, pertinent ad quinque contra hæreses libros, quos nostis Irenæi, Lugdunensium sacrorum præsulis sæculo a Christo nato secundo clari, [nomine] ornari. De his pauca, quæ huic disputationi lucem spondent, præmonere libet. Græce eos scriptos esse, nemo nostra ætate negabit, nec dubitabit quidem, modo si oculis suis illos unquam usurpaverit, et alia rei argumenta habuerit cognita, quæ docti viri luculenter exposuerunt (*a*).

Perierunt quidem Græca, ita ut, quantum novimus, nullus in Europæ bibliothecis supersit codex, qui eadem exhibeat integra; nec tamen perierunt omnia, sed in aliorum scriptorum Græcorum monimentis servatæ sunt insignes Græci textus partes, modo breviores modo longiores, quas salutari consilio a Grabio et Massueto diligentissime collectas et Latinis appositas videmus. Utimur ergo opportunitate de Irenæi libris non ex sola eorum versione, quod perperam nonnulli suspicantur, sed ex fontibus ipsis judicandi.

Totius vero operis versio illa integra ad nostram pervenit ætatem et in manibus omnium versatur. Quonam tempore eadem confecta sit, magnam habet dubitationem. Multi eam ætati Irenæi, hoc est, sæculi secundi fini, vel tertii initiis, putant esse æqualem, quod legisse eam Tertullianus illis videtur. Sed his contradixit Dodwellus (*b*), maluitque eam referri ad exitum sæculi quarti, quo Priscilliani secta orta est et in Hispania Galliaque priscos Gnosticorum errores renovavit, in Irenæi libris operose enarratos et convulsos; nec male monuit, Augustinum eodem tempore clarum illa esse usum. Nostra ætate monachi Parisienses (*c*) ulterius progressi sunt rejeceruntque eam ad barbarum sæculi VI ævum, ob squalidam et vere barbaram Latinitatem, qua quisquis ille fuerit interpres Græca donaverit. At nec his assentior. Barbariem orationis non nego, sed talem esse nunquam crediderim, quali sæculo sexto gentes, quæ Romanas provincias in suam redegerunt potestatem, Latinam linguam corruperunt et depravarunt. Omnes enim sentire oportet, græculum fuisse hominem, qui puerorum more non sermonem illum, sed verba singula transferret, et cum in compositis maxime hæreret, nova et inaudita fingeret, quæ, nisi in aliis medii ævi monimentis deprehendantur, inter barbaræ illius Latinitatis specimina numerari nequeunt.

Mihi quidem placet eorum prudentia, qui cum sine testis auctoritate nihil historici argumenti recte dici intelligant de origine versionis ejusque ætate — quisnam enim unquam vidit aut produxit de utraque testem? — nihil definiunt, suamque ignorantiam illis certe non propriam sed cum omnibus communem fateri malunt. Sufficit nobis, eam non recentiore ætate, sed vetere esse factam et codices ejus satis antiquos inveniri. Hæc ipsa interpretatio licet ab omni elegantia sit aliena, barbara et quibusvis fere dictionis Latinæ vitiis inquinata, nec negari possit, librariorum non modo negligentia sed inscitia etiam eamdem sæpenumero videri novis corruptelis auctam; fidelitatem tamen interpretis in auctoris verbis exprimendis nullam esse causam desiderandi aut vocandi in suspicionem, denuo ex tot particularum, quæ Græce a nobis leguntur, cum latinis comparatione luculenter cognoscitur. Subinde transtulit inepte: sed nunquam malitiose; nunquam pervertendi scriptoris mentem,

(*a*) Cf. Henr. Dodwellum, diss. v *in Iren.*, § 1, p. 397; Renat. Massuetum diss. II *præv. in Iren.*, § 51, p. 226; Remig. Ceillerium in *Histoire des auteurs sacr. et ecclésiast.*, t. II, p. 197, et Benedictinos Maurianos in *Histoire littéraire de la France*, t. I, part. I, p. 334.

(*b*) Lib. c. p. 397 seqq.

(*c*) Loc. cit., p. 335.

Digitized by Google

aut quæ hic scripserit corrigendi, augendi, omittendi consilio. Ex quo consequens id est, quod hoc loco studiose cupio observari, ut quæ de fide Irenæi disputantur æquabilia sint et paria inter omnia, quæ nunc legimus in his libris, sive in sola versione Latina supersint, sive tanquam tabulæ e naufragio a Græcis fuerint servata.

At vero noster non modo Græce suos commentarios scripsit, sed etiam Græcis eosque ad Græcos misit. Quicunque eos consuluerint, eos haud fugiet, suscepisse et perfecisse auctorem opus ab amico expetitum. Operæ pretium est colligere et secum contendere luculenta rei testimonia. In præfatione libri primi, quam Epiphanius Græce recitavit, occurrunt bina; quorum prius ita expressum est (*a*) : Ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἐντυχὼν τοῖς ὑπομνήμασι τῶν, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, Οὐαλεντίνου μαθητῶν, ἐνίοις δ' αὐτῶν καὶ συμβαλὼν καὶ καταλαβόμενος τὴν γνώμην αὐτῶν, μηνῦσαί σοι, ἀγαπητὲ, τὰ τερατώδη καὶ βαθέα μυστήρια, ἃ οὐ πάντες χωροῦσιν, ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν, ὅπως καὶ σὺ μαθὼν αὐτὰ, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ φανερὰ ποιήσῃς καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας καὶ τῆς εἰς Χριστὸν βλασφημίας· alterum vero (*b*) : Οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν, τῶν ἐν Κελτοῖς διατριβόντων καὶ περὶ βάρβαρον διάλεκτον τὸ πλεῖστον ἀσχολουμένων, λόγων τέχνην, ἣν οὐκ ἐμάθομεν..... ἀλλὰ ἁπλῶς καὶ ἀληθῶς καὶ ἰδιωτικῶς τὰ μετὰ ἀγάπης σοι γραφέντα, μετὰ ἀγάπης σὺ προσδέξῃ, καὶ αὐτὸς αὐξήσεις αὐτὰ παρὰ σεαυτῷ, ἅτε ἱκανώτερος ἡμῶν τυγχάνων, οἱονεὶ σπέρματα καὶ ἀρχὰς λαβὼν παρ' ἡμῶν, καὶ ἐν τῷ πλάτει σου τοῦ νοῦ ἐπὶ πολὺ καρποφορήσεις τὰ δι' ὀλίγων ὑφ' ἡμῶν εἰρημένα, καὶ δυνατῶς παραστήσεις τοῖς μετὰ σοῦ τὰ ἀσθενῶς ὑφ' ἡμῶν ἀπηγγελμένα· καὶ ὡς ἡμεῖς ἐφιλοτιμήθημεν πάλαι, ζητοῦντός σου μαθεῖν τὴν γνώμην αὐτῶν, μὴ μόνον σοι ποιῆσαι φανερὰν, ἀλλὰ καὶ ἐφόδια δοῦναι πρὸς τὸ ἐπιδεικνύειν αὐτῶν ψεύδη· οὕτω δὴ καὶ σὺ φιλοτίμως τοῖς λοιποῖς διακονήσεις. Simili modo sub finem ejusdem libri (*c*) : *Quapropter conati sumus nos*, inquit, *universum male compositæ vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere et per te facere manifestum,... adest enim et tibi et omnibus, qui tecum sunt, ad hæc, quæ prædicta sunt, exerceri et evertere nequam ipsorum doctrinas.* Tertii deinde libri hoc est initium (*d*) : *Tu quidem, dilectissime, præceperas nobis, ut eas, quæ a Valentino sunt, sententias absconditas, ut ipsi putant, in manifestum producerem*, etc.; porro quarti (*e*) : *Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi, operis quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis, quemadmodum promisimus, per Domini sermones ea, quæ prædiximus, confirmabimus, uti et tu, sicut postulasti, undique a nobis accipias occasiones ad confutandos omnes hæreticos*, etc., denique quinti (*f*) : *Traductis, dilectissime, omnibus hæreticis in quatuor libris... oportebit et te et omnes lecturos hanc scripturam impensius legere ea, quæ a nobis prædicta sunt, ut et argumenta scias, adversus quæ contradictiones facimus. Sic enim et legitime eis contradices et de præparato accipies adversus eos contradictiones.* Quæ si consideraverimus, jure inde colligemus : primum, scriptorem eo tempore vixisse inter Gallos, et cum ipse esset homo peregrinus, ad comparandam sibi linguæ *barbaræ*, sive hæc Celtica fuerit, sive, quod probabilius multis videtur, Latina (*g*), eam contulisse diligentiam, ut Græcæ exercitatione fere omni careret; deinde rogatum eum fuisse ab amico, quem ἀγαπητόν, *dilectissimum*, compellat, eumque et doctrina se præstare testatur; neque obscure significat, tenuisse inter doctores locum et officio fuisse obstrictum, cavendi, ne *qui cum illo essent*, hoc est ejus auditores, gravissimis caperentur erroribus; tum rogasse hunc amicum, ut absconditam Valentinianorum maxime disciplinam erueret et tenebris, sicque convellendi eos viam pararet et communiret; denique nostrum his precibus eo consilio satisfecisse, ut et amicus arcana illa dogmata intelligeret et in aliorum usus feliciter converteret. Num amicus ille episcopi honore fuerit conspicuus, ego quidem definire non audeo, licet nec causa adsit contradicendi illis, qui ita sentiunt (*h*); hoc tamen tutius affirmare licet, vixisse amicum in regione, quæ a Valentini sectatoribus eorumque artibus, alios ad suas partes deducendi, maxime metuebat. Valentini familiam vero, licet alibi quoque sedes suas collocare tentaverit, maxime in Ægypto et Oriente floruisse, nemo ignorat. In Ægypto et Marcosiani fuerunt; nec ullo modo ex Irenæi commentariis probatur, quod manifesto Hieronymi errore seducti nonnulli contendunt, Marcum eadem cum Irenæo ætate in Gallia sua sparsisse commenta (*i*), licet nonnullos ex ejus discipulis in eam penetrasse scripserit. Simili modo fatetur noster, usum se esse nonnullis Valentini asseclis familiariter et ex illis perinde ac ex libris Valentinianorum horum sententias didicisse; sed in Gallia idem contigisse nunquam dixit. Hæc quidem aperte docent, insigniter falli, qui opus hoc putant Gallorum aut aliorum Latinorum usibus fuisse destinatum, alios vero sine causa mirari, longe frequentius illud in Græcorum manibus versari consuevisse, quam Latinorum. Quamvis enim in Gallia fuerit compositum, missum tamen fuit in Ægyptum aut Asiam minorem, unde in alias Orientis provincias facile penetrare, in occidentalibus vero quasi ignorari potuit, donec Latinitate donatum in patriam quasi rediret. Post hæc ævo medio, id est litteris infesto, accidit, ut

(*a*) N. 2, p. 3, edit. Massueti.
(*b*) N. 3, p. 4.
(*c*) Cp. 34, n. 4, p. 113.
(*d*) P. 173.
(*e*) P. 227.
(*f*) P. 291.
(*g*) Conf. Dodwellum, p. 395.
(*h*) V. *Histoire littér. de la France*, t. I, p. 330.
(*i*) Conf. *Hæresiologiæ* a me editæ t. I, p. 380, 391 seqq.

Digitized by Google

inter Græcos libri Græce scripti interirent, Latina vero eorum interpretatio librariorum opera et diligentia ad nostram ætatem perveniret. Idem nostis antiquissimo Hermæ libro, *Pastoris* titulo ornato, accidisse, ut sola supersit versio Latina, Græcum vero exemplum periisse censeatur (*a*). Qui vero in memoriam revocaverit, ista tempestate arctiori amicitiæ et litterarum commercii vinculo cohæsisse Christianos Asiam colentes cum Gallis (*b*), is certe ne dubitabit quidem, potuisse ab homine Ægyptio aut orientali rogari amicum cum Gallis viventem, ut enarrandis hæreticorum opinionibus, quas noverat huic perspectas esse, daret operam; aut hunc quod ab eo exspectabatur illi tribuere officium.

Hos igitur libros si vere ab Irenæo Lugdunensi episcopo scriptos esse, idoneis argumentis potest confici; tum certe de eorum auctoritate et historica fide rectum fertur judicium. Criticæ artis legibus expeditum est, ad hujus generis disputationem apte instituendam hoc requiri, ut sedulo disquiramus primum, num Irenæus composuerit adversus hæreses libros; deinde, num si quos conscripserit, iidem fere sint cum his, quibus nunc utimur.

Quod primo loco positum est, cum in rerum, quæ factæ sunt et longo abhinc tempore contigerunt, numero sit, de eo quidem recte cognoscendi nulla cogitari possunt principia, nulli fontes, nisi testium effata. Commemorarunt veteres, Irenæum contra eos, qui sua ætate doctrinam Christianam erroribus corrumpere studuerunt, sedulo et eleganter pugnasse editisque scriptis eos confutasse. Primum ex ætatis ratione locum tenet Tertullianus, cujus satis celebre est hoc effatum (*c*): *nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri sanctitate et præstantia insignes, nec solum nostri antecessores sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt, ut Justinus philosophus et martyr, ut Miltiades, Ecclesiarum sophista, ut Irenæus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster, virginis senectæ et Christianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi.* Dicta hæc esse de nostro opere, non solum ex ipso hujus consilio colligitur, vere enim oppositum fuit Valentini scholæ, contra quam Tertullianus scripsit libellum, unde hæc desumpta sunt; sed maxime etiam mirifico eorum, quæ Irenæus et Tertullianus de Valentinianorum disciplina prodiderunt, consensu confirmatur, ita ut hunc, quæ ille scripserat, ante suos oculos habuisse neque exiguam eorum partem transcripsisse, justa sit statuendi causa. In comparandis utriusque scriptoris monimentis et quæ in his sibi similia sunt, locis congerendis neminem novmajorem collocare diligentiam ven. Semlero (*d*): idem tamen nonnulla non testium auctoritate, sed ratiocinatione munita adjecit, quæ nisi diluantur, excitati a me testimonii vim et pretium imminui oportet. Non sine injuria Tertullianum insimulavit criminis, quod plagii litterarii nomen fert. Postquam enim sub initio sui libelli ingenue confessus est, se sua ex quatuor *antecessorum*, quorum nomina recitat singulorumque laudes prædicat, commentariis didicisse, cur opus fuerit ubivis repetere Irenæi nomen, ego quidem tantum abest ut ullam intelligam causam, ut verear, ne, si fecisset, intempestivæ sedulitatis contraxerit sibi suspicionem. Accedit, postquam oculis manibusque nostris erepta sunt, quibus præter Irenæum usus est magistris, Justini, Miltiadis et Proculi monimenta, admodum difficilem et arduam nunc esse conjecturam, ex quibus fontibus singulas narrationes historicas, et qui in his omnino reponi debent, Valentinianorum somnia in suos rivulos deduxerit Afer. Probe enim tenendum est, Tertulliani libello manifesta impressa esse vestigia dissensus ab Irenæo. Quæstiones binæ, quas proponit venerandus Semlerus, facile expediuntur. Priorem enim, quomodo isto jam tempore Tertullianus Irenæi libros oculis et manibus suis usurpaverit, cur protulerit, nec probaverit, rem vere esse ἀδύνατον, æque miror, ac cur non recordatus sit, quæ ante sæculi II exitum ab Irenæo edita fuerint, potuisse post initium tertii (*e*) Carthagine legi. Ad posteriorem, quo jure sic fecerit Tertullianus, ut ex Græco sublegeret sua, et Latine repeteret, quæ ille creditur scripsisse Græce, quid recte respondeatur, id quidem ipsa interrogatione videtur mihi luculenter esse expressum. Cum enim quatuor illi rerum Valentinianorum scriptores ad unum omnes Græce easdem retulissent, Latina autem Irenæi versio vel nondum confecta vel a Tertulliano nondum visa fuisset, hic vero illas nollet a civibus suis ignorari, sapienter idem fecit, quod, ut ex innumeris unum exemplis adjiciam, Cicero fecit, qui in libris philosophicis Latine repetiit, quæ ex Græcis selegerat. Hactenus de Tertulliano.

Post hunc prodeat Eusebius Cæsareensis, diligentissimus et sincerus rerum in Christiana civitate gestarum pronuntiator. Is vero cum sæpissime de Irenæo nostro locutus est eumque magnis ornavit laudibus, sufficiat ea nunc colligere, quæ de opere adversus hæreticos ab illo scripto reliquit, loca. I. Postquam de Simonis Magi erroribus ex Justino

(*a*) Eleganter id monuit Dodwellus. p. 408.
(*b*) Conf. Theod. Ruinarti *Act. martyr.* p. 54, edit. Venet.; *Histoire littér. de la France*, t. I, p. 228, 290, et Paulini de Lumina *Histoire de l'Eglise de Lyon*, t. I, p. 39.
(*c*) *Adv. Valent.* cap. 5. t. III Oper. p. 143, edit. Halens.
(*d*) Diss. I in Tertullian. adjecta vol. V, § 12, p. 300.
(*e*) Conf. ven. Jo. Aug. Noesselt *De ætate ac doctrina script. Tertulliani*, p. 89.

Digitized by Google

martyre nonnulla recitaverat, ita pergit (*a*) : συνάδει δ' αὐτῷ καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις, adjicitque, se nolle Irenæi repetere narrationes, quod quicunque velint, facili negotio ipsi inspicere queant ejus librum, quo hæresium origines, dogmata, mores, instituta et his similia studiose sit persecutus. II. Alibi (*b*) ubi Joannem apostolum Domitiani ætatem attigisse testes produxit *fide dignos* ob insignia, quibus enitebant, ecclesiasticam doctrinam tuendi et conservandi puram studia, alterum Irenæum, alterum Clementem Alexandrinum, sequuntur hæc verba : ὧν ὁ μὲν πρότερος ἐν δευτέρῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις ὧδέ πως γράφει κατὰ λέξιν, et paucis interpositis : καὶ ἐν τρίτῳ δὲ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως ταὐτὸ τοῦτο δηλοῖ διά τούτων. III. Quæ breviter de Menandro prodidit, eadem, monet, ἐκ τῶν Εἰρηναίου διαγνῶναι ῥᾴδιον (*c*). IV. Similiter de Cerintho (*d*) : Ὁ δὲ Εἰρηναῖος ἀποῤῥητοτέρας δή τινας τοῦ αὐτοῦ ψευδοδοξίας ἐν πρώτῳ συγγράμματι τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις προθεὶς, ἐν τῷ τρίτῳ καὶ ἱστορίαν.... παρέδωκεν. V. Ubi de Cerdone exscripsit Irenæi effatum, addit (*e*) : Ταῦτα δέ φησιν ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις. VI. Porro ex Irenæo testatur se accepisse, quæ de congressu Polycarpi cum Aniceto ad paschalem controversiam componendam narravit, hæcque adjicit (*f*) : Καὶ ἄλλην δὲ ὁ αὐτὸς περὶ τοῦ Πολυκάρπου παραδίδωσι διήγησιν,.... ἀπὸ τοῦ τρίτου τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις Εἰρηναίου. VII. Cum Irenæum post Pothinum sacris Lugdunensibus gubernandis admotum fuisse narrasset, subjecit hæc (*g*) : Οὗτος τῶν ἐπὶ Ῥώμῃ τὴν διαδοχὴν ἐπισκόπων ἐν τρίτῃ συντάξει τῶν πρὸς τὰς αἱρέσεις παραθέμενος, εἰς Ἐλεύθερον.... ὡς ἂν δὴ κατ' αὐτὸν σπουδαζομένης αὐτῷ τῆς γραφῆς, τὸν κατάλογον ἵστησι. VIII. Interpositis Irenæi verbis, pergit (*h*) : Ταῦτα ὁ Εἰρηναῖος... ἐν οἷς ἐπέγραψε, πέντε οὖσι τὸν ἀριθμὸν, ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ἐν δευτέρῳ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως, κ. τ. λ. IX. Cum, quæ Irenæus de libris Novi Fœderis reliquit, testimonia diligenter percensuit, expressis verbis dixit (*i*) : Ταῦτα μὲν οὖν ἐν τρίτῳ τῆς εἰρημένης ὑποθέσεως τῷ προδηλωθέντι εἴρηται. Ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ περὶ τῆς Ἰωάννου Ἀποκαλύψεως.... διαλαμβάνει. Colligamus nunc ex Eusebii effatis, quæ de Irenæi libris ei fuerunt cognita. Quæ quidem hæc sunt : I. scripsisse Irenæum Lugdunensem libros adversus hæreses quinque, ex quibus singulatim primum bis, secundum totidem, tertium sexies, quintum semel notavit ; II. titulum ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως iis fuisse inscriptum (*j*) ; III. in iisdem Irenæum non modo contra purioris doctrinæ hostes pugnasse, sed etiam in enarrandis eorum opinionibus multam posuisse curam ; IV. Eusebio videri eos compositos eo tempore, quo Eleutherus Romanis sacris præfuit, quod in hoc desinat episcoporum Urbis series ab Irenæo proposita ; V. Eusebii denique ætate hos Irenæi libros frequentes in aliorum manibus fuisse, ita ut quicunque voluerint, facile copiam eos legendi nancisci possent.

Basilius cum veterum de Spiritu sancto sententias recensere instituisset, honorificam Irenæi fecit mentionem, eumque ab apostolis prope abfuisse scripsit, et nonnullas particulas ἐν τῷ πρὸς τὰς αἱρέσεις λόγῳ positas recitavit (*k*).

Pari modo Cyrillus Hierosolymitanus hæreticos commemorat de Spiritu sancto nefarios protulisse errores, idque ex Irenæo ἐν τοῖς προστάγμασι τοῖς πρὸς τὰς αἱρέσεις fusius disci monuit (*l*).

Epiphanium magnam eorum, quæ de hæreticis sæculi secundi in suos commentarios retulit partem, ex Irenæi libris hausisse, nullam habet dubitationem. Nomen quidem ejus expressit rarius, expressit tamen ita, ut eum non modo nostros libros legisse, sed eosdem etiam ab Irenæo profectos credidisse quisque sentiat. Sic ubi de Basilide agit (*m*) : Θαυμαστῶς δὲ, inquit, ὁ μακάριος Εἰρηναῖος, ὁ τῶν ἀποστόλων διάδοχος, περὶ τούτου λεπτολογῶν, διῆλεγξε τούτου τὴν ἀδελτηρίαν καὶ ἀδράνειαν. Alibi sub initio disputationis de Valentinianis, de consensu sanctissimi Irenæi (*n*) gloriatur, longamque affert orationem, sumptam ἀπὸ τῶν τοῦ προειρημένου ἀνδρὸς, δούλου Θεοῦ, cum additamento : Εἰρηναῖον δέ φημι (*o*) ; eadem vero finita, invidendis laudibus prosequitur Irenæum, eumque ἐν τῷ ἓξῆς δευτέρῳ αὐτοῦ λόγῳ καὶ τοῖς ἄλλοις confutasse prædicat (*p*).

Cum Epiphanio ætate conjunctus fuit Hieronymus, qui et diligentiæ, quam in conquirendis enumerandisque scriptorum Christianorum monimentis primus collocavit, et ex his vera a falsis discernendi studii laude non sine causa celebratur. Reliquit vero plura, quæ ad hunc locum pertinent testimonia.

I. De Irenæo cum data opera exponit, eum *Pothini, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyterum ;* hoc vero *prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substitutum* fuisse, narrat et addit : *Scripsit quinque adver-*

(*a*) *Hist. eccles.* lib. II, cap. 13, p. 57, edit. Taurin.
(*b*) Lib. III, cap. 23, p. 98.
(*c*) Lib. III, cap. 26, p. 106.
(*d*) Lib. III, cap. 27, p. 108.
(*e*) Lib. IV, cap. 11, p. 133.
(*f*) Lib. IV, cap. 14, p. 137.
(*g*) Lib. V, cap. 5, p. 187.
(*h*) Lib. V, cap. 7, p. 187.
(*i*) Lib. V, cap. 8, p. 189.
(*j*) Convenienter hæc et Irenæi præfationibus, quatuor libris posterioribus præmissis et aliorum testimoniis et codicibus adeo Latinis, scripsisse Eusebium, docet Massuetus diss. II, § 46.
(*k*) De Spiritu sancto cap. 29, t. III Oper. p. 61, edit. Benedict.
(*l*) Catech. XVI ad illum., num. 6, p. 246, edit. Toutæi.
(*m*) Hæres. XXIV, § 8.
(*n*) Hæres XXXI, § 3.
(*o*) § 9.
(*p*) § 33.

Digitized by Google

sus hæreses libros (*a*). II. Alibi : De hæreticis eorumque commentis, inquit, *diligentissime vir apostolicus scribit Irenæus, episcopus Lugdunensis et martyr, multarum origines explicans hæreseon* (*b*).

III. Humani quid passus est Hieronymus, cum hoc loco, quæ Irenæus de Marci discipulis dixerat, de Marco intelligeret, repetiit tamen errorem, his usus verbis : *Refert Irenæus, vir apostolicorum temporum, episcopus Lugdunensis*, et finivit orationem hac clausula : *hoc ille scripsit ante annos circiter trecentos* (hic Hieronymum aut fefellit memoria, aut vocula *circiter* abusus est, alibi enim ætatem Irenæi satis recte significavit), *et scripsit in iis libris, quos adversus omnes hæreses doctissimo et eloquentissimo sermone composuit* (*c*). IV. Denique cum litterarum philosophicarum studia laudaret et exemplis illustrium Christianæ disciplinæ magistrorum commendaret, Irenæum, Pothini martyris successorem, cum aliis nominavit, *qui origines hæreseon singularum et ex quibus philosophorum fontibus emanaverint, multis voluminibus explicarunt* (*d*). Consulto nunc prætermitto alia Hieronymi effata, quibus Irenæi fecit mentionem, neque obscure se opus illud adversus hæreses in mente habuisse significavit. Sufficiunt certe hæc, ut intelligamus, Hieronymum non solum libros illos quinque bene cognovisse, sed etiam aperte esse testatum, editos eosdem fuisse ab Irenæo, Lugdunensium sacrorum post Pothinum præsule.

His denique unicum addere liceat Theodoretum, magnæ et variæ eruditionis virum, qui quæ de vetustissimis hæresibus enarraverit, accepisse se, ut decet bonum historicum, confessus est (*e*) ἐκ τῶν παλαιῶν τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλων, Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου καὶ μάρτυρος (*f*), καὶ Εἰρηναίου τοῦ τὰ Κελτικὰ καὶ γεωργήσαντος καὶ φωτίσαντος ἔθνη, κ. τ. λ. Cum somnia et flagitia, quæ de Carpocrate ejusque asseclis tradi solent, strictim attigisset, ne fingi hujusmodi criminationes quis suspicetur, testem excitavit Irenæum, qui Occidentem Christianæ religionis luce collustraverit, virum apostolicum, ejusque excitatis verbis hæc præmisit (*g*) : Λέγει δὲ οὗτος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις συγγραφέντων αὐτῷ. Eumdem Theodoretum scripsisse qui supersunt dialogos tres, Ἐρανιστοῦ ἢ πολυμόρφου nomine insignitos, licet nonnulli dubitaverint; ut tamen ipse firmiter credam, quibus causis commoveri me patiar, alibi declaravi (*h*). Quisquis vero illos legerit, nosse eum oportet, singulis dialogis subjecta fuisse antiquiorum doctorum loca, quorum auctoritate sententiæ de persona Christi in iis propositæ confirmentur. In horum numero omnino repositum videbis Irenæum, episcopum Lugdunensem, recitataque ejus effata quamplurima et magnam partem longiora ἐκ τοῦ τρίτου λόγου τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις (*i*), ἐκ τοῦ τετάρτου λόγου τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις (*j*), et ἐκ τοῦ πέμπτου λόγου τῆς αὐτῆς πραγματείας (*k*). Sic et Theodoretus usus est *libris adversus hæreses*, eorumque auctorem habuit Irenæum ; neque ignoravit certe quis qualisve is fuerit.

In tot igitur tamque gravium testium effatis innititur opinio, Irenæum Lugdunensem exarasse adversus hæreticos commentarios. Quisquis criticæ artis leges, quibus rerum gestarum veritas dijudicetur aut testium fides æstimetur, habuerit perspectas, is certe non inficiabitur, sive testium, quos produxi, numerum et præstantiam,— nemo enim eorum fraudis, aut per jocum petulantiamque fallendi alios libidinis hoc loco sine injuria insimulabitur, neque ullus eorum sua ex altero sumpsisse arguetur,—sive testimoniorum, quæ ediderunt, integritatem et perspicuitatem consideraverit, aut ita esse, uti dixi, aut nihil veri inesse veterum temporum memoriæ. Accedit, quod sine hæsitatione affirmo, ex scriptorum veterum, quos sui ingenii monimenta reliquisse scimus, sive hæc supersint, sive interierint, tam Græcorum, quam Romanorum, tam profanorum, quam Christianorum multitudine, si ab Homero, Herodoto, Platone, Cicerone, Augustino, Chrysostomo hisque similibus discesseris, qui tot tamque antiquos operum ab illis conditorum laudatores nacti essent, admodum paucos esse. Neque id negligi a nobis debet, exiguum certe esse monimentorum Christianorum, quæ ad sæculum tertium referuntur, numerum; maximam eorum partem esse perditam; præter Tertulliani libellos nihil eorum superesse, qui ad historiam hæresium enarrandam pertinebant; multorum ex scriptoribus ecclesiasticis memoriam a solo Eusebio, imo a solo Hieronymo posteris fuisse commendatam, quibus omnes assentimur. Quid quæso est causæ, cur iisdem totque aliis credendi officium denegemus testantibus, Irenæum auctorem esse contra hæreses librorum?

Progredimur ad alteram demonstrationis hujus argumenti partem explicandam. Hac vero inquirendi imposita nobis est necessitas, num iidem sint Irenæi adversus hæreses libri, quos viderunt, legerunt, laudaverunt scriptores sæculi III, IV, V, cum his, quos in manibus nostris habemus. Recte id statui et affirmari, multis variisque generis con-

(*a*) *Catal. viror. illustr.* cap. 35, t. II Oper., p. 873, edit. Vallarsii.
(*b*) *In Isa.* LXIV, t. IV Oper., p. 761.
(*c*) Epist. ad Theodor. Martian. L. III, Vallars. LXXV, n. 3, t. I Oper., p. 447.
(*d*) Epist. ad Magn. Martian. LXXXIV, Vallars. LXX, p. 426.
(*e*) Præf. *Hæret. fabul.*, t. IV Oper., p. 280, edit. Schulzii.
(*f*) Justinum reliquisse contra omnes hæreses libros nunc deperditos, norunt omnes. Hinc quale Irenæi opus Cyrensis laudet, tuto concluditur.
(*g*) *Hæretic. fabul.*, lib. I, cap. 5, p. 294.
(*h*) *Hist. hæres.*, vol. VI, p. 521.
(*i*) Dial. I, p. 51, dial. II, p. 128 ; dial. III, p. 231, laudati operum Theodoreti tomi.
(*j*) Dial. II, p. 129.
(*k*) Dial. III, p. 232.

Digitized by Google

stat argumentis, quæ in suas classes distribui, operæ est pretium.

I. Quæcunque veteres de forma et specie librorum Irenæi referunt, eadem sine discrimine in opere illo, quo nunc utimur, expressa observamus. Utraque ejus inscriptio, altera : *Adversus hæreses*, altera : *Detectio et eversio falsi nominis agnitionis*, uti Latinus Græca vertit, a priscis scriptoribus, quorum effata jam protuli, commemoratur; posterior quidem ab Eusebio, prior ab eodem Eusebio, Cyrillo, Hieronymo, Theodoreto. In quinque libros universum opus est divisum. Eamdem partitionem confirmant Eusebius et Hieronymus. Præter hæc singulatim vidimus enumerari ab Eusebio librum primum, secundum, tertium, quintum; ab Epiphanio secundum; a Theodoreto, tertium, quartum et quintum.

II. Quæcunque veteres libris ab Irenæo scriptis contineri testati sunt, eadem ad unum omnia in nostris codicibus inveniuntur. Nolo jam repetere, quæ ex dictis ab Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, Theodoreto per se patent, eos omnes et narrationes de originibus, opinionibus, moribus et institutis, maxime successionibus hæreticorum, inde a Simone Mago deducendis, et errorum, quos illi disseminarunt, confutationes legisse ab Irenæo traditas, hoc est, omnia et singula rerum genera, quæ nostri codices suo ambitu comprehendunt. Fieri vero nequit, ut hoc loco silentio præteream insignem Photii diligentiam, qua accuratam librorum Irenæi, quales sua ætate, hoc est sæculo nono fuerint, Græcorum certe descriptionem consignavit, nostris licet Latinis mirifice convenientem (*a*). Auctorem eorum esse narrat Irenæum, Lugduni, urbis in Gallia sitæ, episcopum, eodem esse numero quinque, et præ se ferre hanc inscriptionem : ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, sive *contra hæreses*. Pergit, primo libro initium fieri orationis a Valentino, deinde eamdem quasi regredi et a Simone Mago hæreses repetere et usque ad Tatianum procedere, additis Gnosticis et Cainitis; secundo convelli impia hæreticorum dogmata; tertio opponi iisdem Scripturæ sacræ testimonia; quarto fieri responsa ad ea, quæ illi objicere consueverint; quinto denique ex sermonibus Christi et apostolorum epistolis colligi contra eos argumenta apta (*b*). At vero non modo hæc universe dicta rem comprobant; sed singula etiam capita, quæ ex Irenæi libris veteres allegant. Horum duplex est genus. Alterum enim loca continet, ubi ipsa Irenæi verba recitantur, de quo postea nonnulla dicam; alterum vero eorum est, ubi testis modo laudatur Irenæus eorum, quæ quisque scriptorum suis verbis usus tradiderat. Horum pauca afferam exempla. Tertullianum audivimus testari, Irenæum copiose res Valentinianorum esse persecutum (*c*); Eusebium, eumdem exposuisse de Simone Mago (*d*), de Menandro (*e*), de Cerintho (*f*) et similibus; Epiphanium, de Basilide (*g*); Cyrillum, de iis, qui doctrinam de Spiritu sancto depravarunt (*h*).

III. Quæcunque in Irenæi libris veteres invenisse sibi visi sunt ornamenta, diligentiæ maxime in colligendis aliorum sententiis et lectionis variæ, neque hæc in nostris Irenæi commentariis desideraveris, modo æquus sis et omnia ex ævi, quo scripti sunt, rationibus et auctoris ipsius sorte æstimari debere cogitaveris. Tertullianus, uti audivimus, honorifice de Irenæo judicavit eumque insigni elogio *omnium doctrinarum curiosissimi exploratoris* condecoravit. Quod quam vere sit dictum, omnes sentire oportet, quibus modo Irenæi libros oculis suis inspicere libuerit. Non solum enim magnam diligentiam in investigandis tot hæreticorum commentis (*i*) arcanisque doctrinis et institutis collocavit; sed etiam veterum philosophorum præcepta cum his contulit. Quare etiam Hieronymus Irenæum hoc nomine laudavit, quod *ex quibus philosophorum fontibus* hæreses *manaverint explicaverit;* nec negare quis ausus est, simili modo eum puriora Christianæ religionis dogmata habuisse cognita, quæ ab obtrectationibus et calumniis vindicandi causa opus illud susceperat. Quare non possum, quin Nathan. Lardnero assentiar, qui Tertulliani vocem *omnium doctrinarum* ita est interpretatus, ut eadem triplex quod commemoravi doctrinarum genus, *philosophicarum*, *hæreticarum* et *Christianarum puriorum* significari, conjecturam faceret (*j*). Num satis recte tot tamque diversa sententium opiniones conceperit animo verbisque expresserit, num semper rectum tulerit judicium de origine hæresium, ex philosophorum, Platonis maxime aliorumque Græcorum scholis deducenda, nostra quidem non in-

(*a*) *Biblioth.* cod. CXX.

(*b*) Si quis nolit Irenæi libros comparare cum Photii descriptione, eum rogamus, ut recentiorum consulat de rebus in illis traditis narrationes, aut saltem præfationes singulis præmissas inspiciat. Ex illis vero principatum tenere arbitror celeberrimum virum, Joann. Matthiam Schroeckhium, *Christliche Kirchengeschichte*, part. III, p. 196 seqq.

(*c*) Vide Irenæum, lib. I, cap. 1—21.

(*d*) Lib. I, cap. 23.

(*e*) Lib. I, cap. 23.

(*f*) Lib. I, cap. 26.

(*g*) Lib. I, cap. 24.

(*h*) V. c. de Valentinianis, lib. I, cap. 2, n. 5.

(*i*) Legatur Renati Massueti dissertatio prima (*supra*), qua hæreticorum, quorum dogmata Irenæus enarravit, exhibet censum studiose factum et illustratum.

(*j*) In *Credibility of the G. H.*, part. II, vol. I, pag. 346, ubi recitato Tertulliani effato hæc adscripsit : *He means it is likely, that Irenæus had well studied the sentiments of the heathen philosophers, and of heretics, as well as the principles of the Christian religion.* Adde vener. *Jo. Frid. Cottæ Versuch einer Kirchenhistorie*, t. II, p. 798.

Digitized by Google

terest, hoc loco uberius inquirere (*a*). Satis enim est, ex libris adversus hæreses luculenter cognosci, talem eorum certe fuisse auctorem, qualem sua ætate Irenæum contra hæreticos scriptorem fuisse veteres judicarunt, hoc est, variarum inter philosophos et Christianos factionum de rebus divinis et ad mores pertinentibus sententias explorandi studiosum. Hinc in iisdem commemorari celeberrimorum apud Græcos philosophorum nomina videbis, aut excitari, modo laudari, modo reprehendi dicta, v. c. Anaxagoræ, Anaximandri, Aristotelis, Democriti, Epicuri, Platonis, Pythagoræ, Thaletis, et pari ratione poetarum, Hesiodi, Homeri, Pindari, Menandri, Sophoclis, Stesichori, item Æsopi (*b*). At vero ne quid veri non dicere videar, nostri libri indigni omnium fere judicio sunt laude illa, qua Irenæi opus Hieronymus cohonestavit, *composuisse* eum hoc *doctissimo et eloquentissimo sermone*. Doctrinæ quidem copiam nemo desideraverit, at *eloquentiam* orationisque elegantiam æque nemo in his commentariis invenerit; nec modo Latina interpretatio, sed ipsi etiam Græci fontes, quantum eos novimus, nihil continent, quod ob facundiam et dictionis ubertatem aut venustatem admireris, licet hos illam egregie antecellere omnes consentiant. Propter hanc causam nonnulli quidem Hieronymi sententiam contra ipsius auctoris nobilem illam modestiam tuendam sibi sumpserunt (*c*), qua artis bene eleganterque dicendi expertem se esse confessus est seque hoc nomine voluit ab amico haberi excusatum (*d*). At hanc excusationem cum Epiphanius recitaverit, adeoque aperte non de Latinis, sed de Græcis capiendam, malo Hieronymum imprudentiæ et in laudando justo gloriosius Irenæo intemperantiæ argui. Neque id nobis recte objici posse videtur, quod hoc loco non veterum laudationes aut cujuscunque sint generis de Irenæo judicia, sed narrationes historicas scire cupimus. Quamvis illa fallant, hæ tamen veritati apprime possunt esse consentaneæ.

IV. Quæcunque denique veteres, Græci et Latini, ex Irenæi contra hæreses libris se descripsisse testantur loca modo longiora modo breviora, omnino in nostris codicibus Latinis inveniuntur. Horum vero tanta est multitudo, ut necesse sit non modo eadem in certas distribui classes, sed poni etiam fines et terminos meæ diligentiæ. Consulto igitur omitto monimenta recentioris, ævi, v. c. libros Anastasii Sinaitæ, Joannis Damasceni, varias *catenas*, ex quibus post Petr. Halloixium decerpendi Græcas Irenæi particulas studia Grabii et Massueti jam prædicare me memini, meque intra spatium sæculorum ab Irenæo trium contineho.

Primum igitur ponam loca Irenæi, a priscis scriptoribus ita recitata, ut se eadem ex Irenæi contra hæreses commentariis referre apertis verbis proderent, quæ in nostris libris Latinis vere leguntur.

1-2. Loca ap. Euseb. III, 23, ap. Iren. II, 22; III, 3, n. 3; — 3. ap. Euseb. III, 39, Iren. III, 33, n. 4; — 4. ap. Euseb. IV, 11, Iren. I, 27, n. 1; — 5. ap. Euseb. IV, 29, Iren. I, 28, n. 1; — 6. ap. Euseb. V, 6, Iren. III, 3, n. 3; — 7-8. ap. Euseb. V, 7, Iren. II, 32, n. 4, et V, 6, n. 1; — 9-12. ap. Euseb. V, 8, Iren. III, 1, n. 1; V, 30, n. 1 et 4; V, 20, n. 2; — 13. ap. Euseb. V, 14, Iren. III, 3, n. 4.

Locus unicus apud Basilium *De spiritu S.*, cap. 29, exstat apud Irenæum libr. V, cap. 8, num. 2.

Locus ab Epiphanio descriptus hæres. XXXI, § 9-32, legitur in Irenæi Latinis libris, lib. I, præfat., et cap. 1, — cap. 11, num. 1.

Bina loca apud Augustinum *Contra Julian.* lib. I, cap. 3, apud nostrum Irenæum sunt lib. IV, cap. 2, num. 7, et lib. V, cap. 19, num. 1.

Apud Theodoretum 1. *Hæret. fabular.* lib. I, cap. 5; 2—8. dial. I; 9—14. dial. II; 15—17. dial. III, apud nostrum sunt 1. lib. I, cap. 24; 2—8. lib. III, cap. 11, 27, 31, 32, 20, 21, 19; 9—14. lib. III, cap. 20, 18, lib. IV, cap. 7, 59, 66; lib. V, cap. 1; 15—17. lib. III, cap. 20, 21; lib. V, cap. 1.

Triginta quatuor igitur supersunt in monimentis antiquissimæ ætatis loca Irenæi, et in his satis longa, imo magna pars primi libri apud Epiphanium; quæ, si a varietate lectionis discesseris aut a vitiis interpretis, cum codicibus Latinis mirifice consentiunt, ita ut criticæ artis leges prorsus ignorare eum oporteat, qui hos cum illis, quos veteres usurpaverint, eosdem esse negaverit.

Alterum genus minoris esse pretii, lubens fateor. Etenim præter hæc, alia in doctorum Christianorum libris effata deprehenduntur, quæ eos ex Irenæi commentariis transcripsisse, non sua confessione, sed conjectura tantum, non certa sed probabili constat. Sic supra monui, Tertullianum in suum *contra Valentinianos* opusculum multa ex Irenæi libris tanquam ex fonte in rivulos deduxisse, laudavique diligentiam ven. Semleri in colligendis utriusque scriptoris narrationibus sibi similibus positam. Idem alii observarunt in Epiphanii et Theodoreti de hæresibus operibus contigisse, ut insignes Irenæi particulas ab his repetitas invenias, licet expressis verbis sui ducis, sui magistri nullam fecerint mentionem (*e*). Nefas tamen foret hoc nomine bonos viros insimulari furti, uti dicunt,

(*a*) Legas tamen Jac. Bruckeri *Hist. critic. phil.*, vol. III, p. 408.

(*b*) Irenæi loca, ubi hæc aliorumque nomina occurrunt, more suo notavit Jo. Alb. Fabricius, *Biblioth. græc.*, vol. V, p. 70 sq.

(*c*) Conf. Dodwellum diss. V, § 3, p. 394; Massuetum, diss. II, § 3, p. 74, et *Histoire littér. de France*, tom. I, p. 357.

(*d*) Præf. lib. I, num. 3.

(*e*) Ne fides a me dictis desit, pauca hujus generis loca ex utroque scriptore notabo. Quæ Epiphanius habet de Epiphane hæres. XXXII, § 5, sumpta esse videntur ex Irenæi lib. I, cap. 11, n. 3; de aliis Valentinianorum familiis hæres. XXX, § 7, ex eod. cap. n. 5; de Ptolomæi sectatoribus hæres. XXXIII, § 1, ex lib. I, cap. 12, n. 1; de Colarba-

Digitized by Google

litterarii, postquam se legisse Irenæum et ex ejus libris sua didicisse luculenter significarunt. Præter hos alicrum Patrum effata passim notantur, quæ Irenæi dictis simillima sunt; at ex illo fraude exscripta esse ea, nemo dicere ausus est (*a*). Præcipuo jure addere libet *Ephræmum Syrum* de cujus loco digna hæc sunt nostra observatione. Diligentiæ Jo. Ern. Grabii acceptum id ferimus, quod insignem et satis longam Irenæi (*b*) particulam, de hæreticorum Scriptura sacra abutendi artibus, ab Ephræmo (*c*) recitari non modo monuit, sed eamdem etiam Græcam ex codice Bodleiano sumptam primus cum Græco Irenæi textu apud Epiphanium contulit lectionisque varietatem suæ Irenæi editioni ascripsit. Eo enim tempore Græca Ephræmi opusculi versio nondum in lucem publicam erat producta. Quod quidem opera Eduardi Twaitsii contigit, qui quæcunque nancisci potuit, Græca Ephræmi opuscula collegit et elegantissime descripta Oxonii prodire jussit; ignoravit tamen Massuetus, imo vix potuit fieri quin ignoraret, ideoque Grabii observationes repetiit suasque adjecit, quibus librum scriptum Colbertinæ bibliothecæ comparavit. Post Oxoniensem editionem accessit Assemanni Romana, qui etiam novem enumeravit codices Græcos in variis bibliothecis dispersos, quibus Ephræmi ille sermo continetur (*d*). Irenæi nomen ibi non est expressum; sed satis habuit Syrus, verbis ejus hæc præmittere : Πρὸς οὓς καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτως διδάξας καί φησι. Nulla quidem est dubitandi causa, nomine hoc ornari Irenæum; nemo enim dubitabit, recitari Irenæi verba, modo si utriusque scriptoris dicta secum invicem contulerit; nolim tamen huic testimonio nimiam tribui auctoritatem. Nostis enim Ephræmum non Græca sed Syriaca lingua esse usum, et quæ Græce translata legimus, ejus opusculis Syriacis nos carere. Arduum ergo est de Græcis eorum interpretationibus judicium, num perfecte consentiant cum suis fontibus, nec Græculi fortasse sibi nonnulla additamenta ex aliis scriptoribus adjungere permiserint. Suspicandi id hoc loco causam mihi affert nimia Græcorum Irenæi apud Epiphanium et Ephræmum convenientia; nisi malis credere, interpretem cognovisse, quisnam sit ille *unus ex sanctis*, nec hanc particulam ex Syriacis Ephræmi, convertisse, sed ex Irenæi codice Græco descripsisse. Quare nec assentior Seb. Nan. Tillemontii (*e*) conjecturæ, Ephræmi ætate operis nostri versionem Syriacam integram exstitisse, nec Parisiensibus monachis (*f*) ad illam confutandam monentibus, potuisse Ephræmum aliorum opera ad intelligendos Græcos auctores uti. Nescio præterea cur Ephræmum linguæ Græcæ prorsus ignarum fuisse credamus, quem constat Græcorum, v. c. Basilii amicitiam coluisse. Nobilissima illa Sozomeni et Theodoreti testimonia, carnisse eum τῆς παιδείας Ἑλληνικῆς usu cur ad linguæ etiam Græcæ ignorantiam significandam contorquenda sint, ego quidem non video. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Ita feci, quod facere recepi, et collegi quæcunque supersunt veterum scriptorum loca, ex quibus tuto concluditur, vere Irenæi libros, quos legerunt illi et descripserunt, cum his quibus nos utimur eosdem esse. Nisi hujus generis argumenta ad comprobandam veterum monimentorum αὐθεντίαν apta sint et idonea, nisi his, quorum auctoritas tam certis tamque expeditis documentis nititur, credendi sit officium boni viri verique studiosi, vereor sane, ne nulla sit veteris historiæ omnis fides, nullum pretium. Fateamur igitur necesse est fidem auctoritatemque, quam Irenæo, sive Græco sive Latino, recte tribui omni tempore eruditissimi viri crediderunt, firmam esse neque ambiguam, sed rationibus fulciri, quibus summum inest pondus, nosque ut ita esse nobis persuadeamus commovendi vis maxima.

Nihilominus in alia omnia discessit ven. Semlerus (*g*) et insignem diligentiam in eo collocavit, ut libros illos adversus hæreses non ab Irenæo Lugdunensi profectos esse, sed ab *antiquissima societate*, quæ fraudulenter libros scripserit et *studiosissime eos variis et diversis scriptoribus diviserit* (*h*). *Ex hac* ergo *officina* impostorum prodiisse putat Irenæi commentarios, qui ex veteribus novas compilare consuevissent scriptiones. De hac ipsa societate *antiquissima* nolo hoc loco disputare; ignorare enim me fateor testes, quorum effatis, quando et ubi aut quo consilio coiverit dolosorum hominum sodalitium, constet; ea vero est animi mei constantia, quam alii fortasse pertinaciam, aut obstinationem vocare malint, ut in explicanda rerum gestarum memoria nullis aliorum, licet ingeniosissimi sint, conjecturis, sed solis testimoniis, quibus justa inest auctoritas, credam et ab aliis credi cupiam. Placet vero venerandi viri ingenuitas et probitas, quæ suæ societati adeoque Irenæi libris

sianis hæres. XXXV, § 1, ex eod. cap. n. 3; de Marcosiis, hæres. XXXIV, ex libr. I, cap. 13 sqq. Simili modo Theodoreti loca de Sethianis *Hæret. fabul.* lib. I, cap. 14, cum Irenæi lib. I, cap. 30; de Cainis lib. I, cap. 15, cum lib. I, cap. 31, ita conveniunt, ut illum sua ex hoc haussisse justa sit suspicandi causa.

(*a*) Sic Cyrilli Hierosolymitani nonnulla effata cum Irenæi testimoniis recte comparari jussit Ant. Augustin. Touttæus, *Observat. in Cyrill.* p. 87. 91 cet.

(*b*) Lib. I, cap. 8, n. 1.

(*c*) Cap. 8, *De virtute*, p. 155, edit. Oxon., et tom. I oper. Græco-Latin., p. 224 edit. Romanæ.

(*d*) Vid. Assemanni prolegom. laudati tomi, p. 197.

(*e*) *Mémoir. pour servir à l'H. E.*, t. III, p. 77 sqq.

(*f*) *Histoir. littér. de France*, tom. I, p. 336.

(*g*) Licet in aliis ingenii sui monimentis suspicionem prodiderit vir celeberrimus, diligentius tamen nullibi eam explicavit, quam in dissertat. I in Tertullianum supra laudata.

(*h*) P. 262.

Digitized by Google

nostris nouit auferri summæ *antiquitatis* gloriam unicam illam et invidendam, quæ ubi illis relicta fuerit, nescio sane, quidnam emolumenti ex hac suspicione exspectari queat. At de causis dispicere libet, cur opus illud ab Irenæo, Lugdunensi episcopo, conditum fuisse aut neget aut saltem dubitet. Tria quippe notavit loca Irenæi (*a*), quæ ex Clementis Alexandrini libris desumpta esse autumat, atque ita comparata, *ut a destinato furto atque impostura vix abesse possit ille scriptor, qui ista in suam rem corraserit, licet non commodissima, aut consilio maxime apta* (*b*). Ita ergo suas rationes celeberrimus vir subduxit : Si in libris, quæ Irenæo tribuere consuevit vulgus, loca occurrunt, quæ apud Clementem Alexandrinum simili modo habentur, sequitur, ut illos Irenæus scribere non potuerit. Videamus de hac ipsa ratiocinatione, num insit ea vis de Irenæi fide tantum detrahendi, quantum detrahi cupit de illa Semlerus. Quem quidem in finem hæc observari cupio.

I. In utroque scriptore multa inesse sibi similia, nulla est mirandi causa. Uterque enim versatur sæpissime in uno eodemque argumento explicando, uterque Gnosticorum somnia persequitur. Nihilominus toties a se differunt, uti alias a se discrepare solent historici optimæ notæ, qui easdem res gestas enarrant, v. c. Tacitus a Suetonio. Sic nobilissima est et pervagata doctorum hominum controversia, num Irenæi an Clementis sit major auctoritas in iis, quæ de Basilide tradiderunt, varia certe et discrepantia.

II. Non solum in narrationibus historicis de hæresibus, sed etiam aliis argumentis tractandis vel leviter attingendis sibi similes esse Irenæum et Clementem, vidit jam sua ætate Eusebius. Joannem apostolum usque ad Trajani ætatem pervenisse, duos produxit testes, Irenæum et Clementem (*c*), servatoque temporis ordine hunc secundo, illo [illum?] primo loco posuit, nec cogitavit quidem, quæ apud Irenæum leguntur, eadem furto destinato et doloso Clementi ablata fuisse.

III. Quod si a binis scriptoribus easdem sententias proferri iisdemque formulis exprimi intelligimus, tum certe facilis est furti suspicio, sed nequit cadere nisi in eum, qui posterior est ætate. At Clementem potius Irenæo, quam Irenæum Clemente ætate fuisse minorem, ipse ven. Semlerus (*d*) confessus est. Quod si enim admittatur communis opinio, Irenæum sub Severo circa annum sæculi tertii secundum gloriosam mortem obiisse, Clementem vero paulo ante Caracallæ obitum, qui anno CCXVII ascribitur, vita decessisse, Clemens Irenæo ut superstes fuerit, necesse esse aperte scripsit. Fateor tamen, nimis suspectam mihi esse omnem de Irenæi martyrio narrationem magisque placere eorum sententiam, qui Irenæum ante initia sæculi tertii vitam finivisse putant, licet tutius sit, confiteri, nos ignorare, num attigerit eadem, necne (*e*).

IV. At hæc nimis a proposito sunt remota. Propius accedimus ad id investigandum, quod exquirimus, si ad ætatem librorum utriusque scriptoris animum advertimus. De Irenæo quidem constat scripsisse eum libros suos adversus hæreses per intervalla : ex mentione Eleutheri, Romani episcopi, et interpretationis Codicis sacri Græcæ, quam Theodotion condidit, libro tertio facta colligunt viri docti, intra ann. CLXXVII, quo creditur Irenæus sacris Lugdunensibus gubernandis admotus esse, et ann. CLXXXV, quo Eleutherus diem obiit, aut si nonnullos addere libuerit, CXCII eosdem fuisse editos (*f*). Nulla certe subest causa, ultra hoc spatium progrediendi. Clemens vero *Stromata* scribere cœpit post Commodi obitum, hoc est post ann. CXCII (*g*). Iis igitur rationibus ductus, lubens assentior ven. Semlero neganti, Clementis Stromata ab Irenæo lecta et visa esse, licet huic sententiæ comprobandæ haud sufficere mihi videantur illæ difficultates, quibus implicatam esse arbitratur contrariam opinionem, denuo non ex historicis argumentis, sed ex ratiocinationibus natæ.

V. Addo, quod miror, celeberrimi viri solertiam effugisse, licet Irenæus Clementis opera ignoraverit, legere tamen potuisse Clementem Irenæi commentarios. Id vero ex Eusebio (*h*) disco, qui perditum nunc Alexandrini opus de Paschate commemorat, his additis verbis : Μέμνηται δὲ ἐν αὐτῷ Μελίτωνος καὶ Εἰρηναίου καί τινων ἑτέρων, ὧν καὶ τὰς διηγήσεις τέθειται. Ex quibusnam Irenæi libris sumpserit illa, quæ retulit, fere nescimus ; cum vero ad paschalem controversiam pertinuit [pertinuerit?] libellus Clementis, facilis est conjectura, dicta hæc esse de epistolis illis, ab Irenæo cum ad Victorem tum ad alios episcopos missis, quas alibi Eusebius (*i*) laudavit, perinde ac de Melitonis

(*a*) P. 343-365
(*b*) P. 357.
(*c*) *H. E.*, lib. III, cap. 23.
(*d*) P. 365.
(*e*) Postquam omnia circumspecte legi et consideratius expendi, quæ ad defendendam illam narrationem, martyris honorem consecutum esse Irenæum, diligentissime disputarunt Dan. Papebrochius in *Act. sanct.*, tom. V Jun., p. 335; Renat. Massuetus diss. I, præv., p. 208 sqq. huj. edit.; Domin. de Colonia, *Hist. littér. de Lyon*, p. 52, 94; Paul. de Lumina, *Hist. ecclés. de Lyon*, p. 41 sqq., aliique; non possum a me impetrare, ut veram illam, hoc est, certis fideque dignis testimoniis comprobatam esse statuam. At, licet ponamus, martyrem factum esse Irenæum, tamen sub Severo id contigisse et ad ann. CCII referendum nullis rationibus, Turonensi enim Gregorio quis hoc loco sŏli credat? sed ratiocinationibus et conjecturis probari solet, quæ historicum vera sectantem prorsus dedecent.
(*f*) Conf. Massuetum diss. II, præv., § 47 contra Dodwellum disputantem et Lardnerum, *loc. cit.*, p. 223 huj. edit. sqq.
(*g*) Vid. Nicol. Nourrium, *Apparat. ad biblioth. max. patr.*, t. I, p. 658, et Jo. Alb. Fabricium *B. Gr.*, vol. V, p. 106.
(*h*) *H. E.*, lib. VI, cap. 13.
(*i*) Lib. V, cap. 24, p. 215, 217.

Digitized by Google

binis de paschate libris, itidem ab Eusebio laudatis (*a*). Cum Irenæi epistolæ paschales scriptæ fuerint eo tempore, quo Victor non modo Romanis sacris præfuit, sed diutius etiam cum Quartodecimanis Asiæ pugnaverat, consequens est, ut eædem exaratæ fuerint post libros adversus hæreses. Eodem ergo modo, quo illas usurpavit Clemens, potuerunt hi in manus ejus pervenire, maxime ubi eos in usus Orientalium aut Ægyptiorum scriptos fuisse cogitaveris.

VI. Quæ quidem non eo animo a me proposita sunt ut Clementem furti accusem, sed ut exemplis constet, quanta cautione opus sit, ne in ferendis de vetustatis monimentis eorumque auctoritate judiciis nimis suspiciosi simus, sed omnia circumspiciamus, quæ nostra observatione sint digna, nec præcipiti quadam celeritate ex his deducamus conclusiones rationis in tractanda historia nunquam tam certas, ut id quod contrarium sit inter ἀδύνατα referatur.

Nunc officii memores convertamus orationem ad loca ipsa, quæ furto Clementi subrepta et in Irenæi libros translata fuisse, ven. Semlerus putat.

Primum excitat (*b*) quæ Irenæus de impiis cum animalibus ex Mosaica disciplina immundis comparandis scripsit (*c*); hæcque putat ex Clementis (*d*) simili oratione desumpta, hoc maxime usus argumento, quod omnia apud hunc bene secum cohæreant, in illo vero parum commode aut opportune assuta sint. De hoc loco sic habe:

I. Ante Semlerum, lectores, consensum Clementis et Irenæi notavit Potterus (*e*) et integram hujus orationem illius loco ascribendam curavit; haud dubitanter tamen judicavit Clementem sua Irenæo ferre accepta.

II. Sine causa hanc particulam nullis vinculis cum antecedentibus copulatam haberi, quisquis videat necesse est. Cum enim de donis Spiritus sancti, quibus ad futuram gloriam pii præparentur, verba facere instituisset, transit ad describendos impiorum mores, et: *Eos autem*, inquit, *qui abjiciunt quidem spiritus consilium, carnis autem voluptatibus serviunt et irrationabiliter vivunt et infrenati dejiciuntur in sua desideria, quippe nullam habentes aspirationem divini Spiritus, sed* porcorum *et* canum *more vivunt, hos juste Apostolus carnales vocat, quoniam nihil quam carnalia sentiunt.* Hæc excipiunt verba: *Et prophetæ autem propter hanc eamdem causam* irrationabilibus animalibus *assimilant eos, propter irrationalem conversationem ipsorum, dicentes:* « *Equi furentes ad feminas facti sunt, unusquisque ipsorum hinniens ad uxorem proximi* (*Jer.* v, 8); » *et rursus:* « *Homo cum in honore esset, assimilatus est jumentis.* » (*Psal.* XLIX, 21.) *Hoc quia secundum suam causam assimilatur* jumentis, *irrationabilem æmulans vitam. Sed et nos in consuetudine hujusmodi homines* « *jumenta et pecora* » *irrationabilia dicimus.* Hæc cum posuit [posuerit?], quid quæso his dictis magis aptum, consilioque auctoris magis accommodatum adjici potuisset, quam quæ sequuntur: *Prædixit autem figuraliter omnia hæc lex de animalibus, delineans hominem, quæcunque,* inquit, *duplicem ungulam habent,* etc. Post verba illa, quæ communia habere videtur cum Clemente, pergit: *Sed, quemadmodum* prædiximus, porcorum et canum *assumpserunt vitam, immunditiæ, gulæ et reliquæ incuriæ semetipsos tradentes. Juste igitur tales omnes.. Apostolus quidem* carnales *et* animales *vocavit; prophetæ autem* jumenta *et* feras *dixerunt; consuetudo autem* pecora *et* irrationabilia *interpretata est; lex autem* immundos *enuntiavit.* Ex his omnibus, quæ attuli, ne verbulum quidem apud Clementem legitur. Num vero hæc non sufficiant ad nexum illum particulæ cum antecedentibus et subsequentibus intelligendum et omni dubitationi eximendum, quisque facile judicabit.

III. Dissimillimum est Irenæi consilium, leges de animalibus immundis allegorice interpretandi, a proposito Clementis. Hic ista animalia *Judæorum vulgarium* et *hæreticorum*, ille hominum impiorum vitiisque deditorum imaginem esse voluit; hac tamen lege, ut nec Irenæus de Judæis et hæreticis, nec Clemens de impie viventibus taceant; Irenæus vero et ethnicorum faciat mentionem, ab illo prorsus omissam.

IV. Denique Irenæi libri cum referti sint interpretationibus hujus generis mysticis et allegoricis (*f*), quid causæ sit, cur nec comparatio animalium immundorum cum variis vitiosorum hominum generibus ab illo excogitari potuerit, ego quidem non capio. Quod si vero necesse quis judicaverit, ut alter ex altero rem sumpserit, tum certe Potteri suspicionem veri esse similiorem quam Semleri crederem. Ego tamen neutrum velim in furti crimen vocari. Ipsa enim allegorica legis Mosaicæ de animalibus immundis expositio, si præcipua ejus capita consideraveris, ex Judæorum scholis prodiit, legitur in Aristæi libello, quo Josephus usus est, placuit huic et Philoni, occurrit in epistola Barnabæ, quæ certe Clemente nostro est antiquior, repetitur passim ab Origene, Eusebio, aliisque; cur nec utrique, Clementi et Irenæo, innotescere et ita commendari potuit, ut uterque eam dilatatam ingenio suo in suam rem converteret?

Alter locus pertinet ad nobilissimam de origine Græcæ LXX Interpretum versionis historiam, quam omnes norunt et Irenæum (*g*) et Clementem (*h*),

(*a*) Lib. IV, cap. 26, p. 161.
(*b*) P. 254.
(*c*) Lib. V, cap. 8, p. 301.
(*d*) *Stromat.*, lib. VII, cap. 18, p. 900, edit. Potteri.
(*e*) Not. ad h. l.
(*f*) V. c. lib. II, cap. 24, p. 150; lib. III, cap. 21, p. 217; lib. IV, cap. 20, p. 257, cap. 21, p. 258.
(*g*) Lib. III, cap. 21.
(*h*) Lib. I *Stromat.*, cap. 22, p. 409 sq.

Digitized by Google

post Aristæum, Josephum, Philonem, Justinum Martyrem enarrasse. Num vera narraverint, hoc loco scire nostra non interest, sed de hoc est inquirendum, num quæ in Irenæi libris tradita sunt, ex Clemente derivata sint. Nullam suspicionem viris eruditis de ea re subnatam fuisse, recte monet Semlerus (*a*), nec [silentio prætermisit, Irenæi locum ab Eusebio (*b*) fuisse repetitum. Primus ergo suspicari est ausus, hunc ex Clemente per furtum et imposturam esse corrasum, partim quod denno non commodissime aut consilio ei positus esse videtur, partim quod qui semel furatus sit, facilius iterum furari credatur. Secus me sentire lubens fateor.

I. Quæ Irenæo ex Clemente adjecta fuisse credit Semlerus, eadem denuo Potterus putavit Clementem ex Irenæo didicisse ; unde denuo concludimus, bene vidisse alios viros doctos convenientiam utriusque scriptoris. Temperavit vero sibi Potterus, quominus omnia ex Irenæo sumpta esse contenderet, sed accurate singulas particulas notavit, quæ Irenæo viderentur esse propriæ.

II. Eusebii, qui certissime Clementis *Stromata* legit, qui Irenæi Græca recitavit, exemplo patet, veteres de fide librorum Irenæi in suspicionem vocanda ne quidem cogitasse, licet noverint, quæ ibi legantur, etiam apud Clementem haberi.

III. Loca utriusque scriptoris admodum a se invicem discrepant.

1) Irenæus Græcam illam interpretationem scribit conditam esse sub Ptolomæo Lagi ; Clemens, sub Ptolemæo Lagi, aut, quod alii malint, sub Ptolemæo Philadelpho.

2) Irenæi oratio longe est copiosior et uberior quam Clementis. Divino consilio eam versionem susceptam esse, narrat uterque ; sed consilii rationes solus Irenæus. Collatos secum fuisse singulorum interpretum labores, tradit uterque ; eosdem vero apud Ptolemæum eo consilio congressos esse, solus Irenæus ; consensisse res et verba, uterque tradit ; sed ab initio ad finem consensum observatum et divinum opus a gentilibus præsentibus fuisse agnitum, solus Irenæus. Sub exsilio Babylonico corruptos fuisse sacros Judæorum libros et veteres hos ab Esdra per inspirationem renovatos, Clemens ait ; Irenæus vero per inspirationem Esdram ductum fuisse, ut in suum ordinem rediget omnium prophetarum vaticinia et redderet populo Mosaicas leges.

3) Nec verba Græca ubivis eadem sunt. Pauca afferam exempla. Clemens : Πάσαις γραφαῖς · Irenæus : Πάντων ἀνθρώπων συγγράμμασιν ὅσα γε σπουδαῖα ὑπῆρχε · Clemens : Ἠξίωσε τοὺς Ἱερ. Irenæus : Ἠτήσατο παρὰ τῶν Ἱερ. Clemens : Ἑρμηνεῦσθαι, Irenæus : Σχεῖν μεταβεβλημένους. Ubivis elegantiorem Irenæo observabis Clementem.

IV. Quod si vera fateri licet, tum certe Clemens videtur ea in brevem summam contraxisse, quæ Irenæus copiosius tradiderat, hac tamen lege, ut aliorum quoque narrationes consuleret.

Optime denique conveniunt, quæ Irenæus tradit, cum argumenti in quo versatur rationibus. Cum enim Theodotionem et Aquilam ex sua sententia odio rei Christianæ et Judaicæ amore, in loco Isaiæ vocem עַלְמָה non παρθένος sed νεᾶνις vertisse, suspicatus esset, opponit illis interpretationem LXX virorum, eamque et antiquitatis nomine commendat, et quod a Judæis condita sit, prædicat. Num quæso majorem opportunitatem repetendi illam de origine illius fabulam potuisset nancisci ? Neque Irenæum semel furatum esse, comprobavit Semlerus, nec fas est ubivis furtum suspicari.

Tertius denique superest Irenæi locus, quem ex Clemente petitum fuisse vir cel. contendit. Verissimum est utrumque eadem recitare verba Platonis (*c*) : Irenæum (*d*), ut philosophum magis sapuisse iis ostenderet, qui benignitatem Dei a justitia divelli vellent ; Clementem (*e*), ut Platonis de fellicitate doctrinam explicaret. At furti suspicione utrumque ut liberem, his argumentis commoveor.

I. Irenæus alibi etiam excitavit Platonis dogmata et dicta (*f*), quæ ex Clemente non accepit.

II. Quid ? quod mireris, Platonis effato, quod Clemens simili modo attulit, nullis interpositis verbis statim subjunxit alium Platonis locum ex *Timæo ;* Clemens vero subjecit alias particulas, quæ apud Platonem, *De legibus*, sequuntur. Undenam furatus est ille latro Platonis testimonium ex *Timæo ;* aut cur abstinuit se a subripiendis cæteris Platonis verbis, quæ Clemens posuit ?

III. Platonis vero iste locus a tot aliis scriptoribus, ab Aristotele, a Plutarcho, a Justino monente Pottero laudatur ; numne a solo Irenæo ignorari debuit, ut ne in ejus libris legi posset, nisi ex Clemente compilatus ?

Hæc quidem cum ita sunt [sint ?] comparata, nullas credo superesse causas justas, fidem et auctoritatem librorum Irenæi vocandi in dubitationem.

(*a*) P. 357.
(*b*) Lib. v, cap. 8.
(*c*) Lib. iv *De legibus.*
(*d*) Lib. iii, cap. 25, p. 221.
(*e*) Lib. ii *Stromat.*, cap. 22, p. 499.
(*f*) Lib. ii, cap. 14, num. 3, p. 153 ; cap. 33, num. 2, p. 167.

Digitized by Google

EXCERPTA EX PROLEGOMENIS

ADOLPHI STIEREN

Theologiæ et philosophiæ doctoris, in Universitate Litterarum Ienensi antehac theol. prof. E. O., nunc antistitis diœceseos Isenacensis, Societatis historicæ Lipsiensis sodalis ordinarii.

(Edit. Opp. S. Irenæi, Lipsiæ, T. O. Weigel, 1853. 2 vol. in-8.)

CAPUT I.

De codicibus, quibus Irenæi opus adversus hæreses continetur.

I. *De tribus codicibus Erasmianis.*

Codices Erasmianos eos dico, quibus Desiderius Erasmus, qui opus Irenæi *Adv. hær.* e bibliothecarum latebris in lucem protractum prelo primus subdidit, in adornanda editione principe adjutus est. Ipse enim in epistola nuncupatoria prodit, se tribus manuscriptis usum esse. Unum codicem Romæ asservatum Joannes Faber « egregius studiorum patronus » describendum curavit in usum doctissimi editoris; alteri autem e bibliothecis monasteriorum, nescio quorum, sunt præbiti. Dolemus, Erasmum de codicum filorum ætate, indole ac dignitate nihil commemorasse. Id tamen nobis persuasissimum est, dictos codices non adeo bonæ fuisse notæ. Etenim editiones Erasmianæ innumeris mendis, lacunis, mutilis ac depravatis periodis scatent. Neque vero sententiam nonnullorum amplecti possumus, manuscripta illa eadem fuisse, quæ a Josua Mercero nomen habent. Quamvis enim codd. Mercerianos et Erasmianos inter se differre concessurus sit, quicunque lectionum varietatem a nobis adnotatam paulo accuratius perlustraverit, eos tamen ad eamdem familiam pertinere negare non ausim.

II. *De vetere codice, quo usus est Franciscus Feuardentius.*

In *Commonitione ad lectores* editioni ipsius præmissa Feuardentius hæc scripsit : « Accessit quoque editioni cum Vaticano manuscripto codice nova collatio, cujus, præsertim vero per illustrem ac eruditum D. Joannem Sant-Andreanum Ecclesiæ Parisiensis canonicum, nobis pridem commodati codicis veteris attentiore lectione et meditatione adhuc supra sexcentos locos emendatiores reddidimus. » Qui inter optimos huc usque nobis cognitos Irenæi codices numerandus est.

Fuere, qui dicerent, veterem hunc codicem postea fuisse Isaaci Vossio. De ea sententia vide, quæ infra disputavi de cod. Vossiano. Mirum sane videtur Vaticanum codicem Massueti (vide ejus præfationem) et nostro tempore Romæ frustra quæri.

III. *De codice Ottoboniano.*

Codex Ottobonianus Massueto dicente Romæ asservatus est in bibliotheca eminentissimi cardinalis Ottoboni; chartaceus fuit, sæculo XIII, ni fallitur Massuetus, scriptus. Posteriora libri quinti capita in hoc ms. deerant. Variæ lectiones, e dicto cod. descriptæ, Roma ad Massuetum transmissæ sunt. Ubi nunc delitescat codex, nescio. Ejus lectiones fere easdem esse Massuetus dixit, quas Grabius ex duobus Merceri codicibus allegat. Sed fides et auctoritas codicis exigua nobis visa est.

IV. *De codice Passeratiano.*

Massuetus prodit se usum esse variis lectionibus, quas Passeratii manus per totum librum primum et octo libri secundi capita ad oram exemplaris Erasmianæ editionis scripsit. Non dubitandum cum Massueto censeo, « quin variæ illæ lectiones e ms. codice, eoque perantiquo ac bonæ notæ excerptæ sint. » Sed nec docto monacho nec mihi contigit, ut codicem ipsum reperiremus, cujus non omnes lectiones adnotatas esse dolemus.

V. *De codice Claromontano.*

In præfatione editionis ipsius Massuetus ita scribit : « Primum codicem, e bibliotheca Claromontani collegii Soc. Jesu acceptum, utendum mihi præbuit vir doctissimus, cujus humanitatem nunquam non experti sumus, R. P. Joannes Harduinus, eidem bibliothecæ præfectus. Is optimæ notæ codex, cum ante annos ut minimum 800 scriptus sit, teste eruditissimo piæ memoriæ D. Joanne Mabillonio, perito, si quis unquam, talium rerum æstimatore, omnium, ad quos priores editiones factæ sunt, videtur antiquissimus. Mutilus tamen est; avulsis enim postremis foliis pluribus, extremis fere decem capitibus decurtatus manet liber quintus. An casu, an improvido scioli cujuspiam (cui forte displicuerit millenariorum error ab Irenæo propugnatus) zelo id acciderit, obscurum est. Certum est integrum olim fuisse codicem, cum pars vicesimi sexti capitis adhuc supersit. Cætera deinceps ad libri finem interierunt. Hinc Claromontanum codicem diversum esse a Feuardentiano manifestum videtur : hic enim integer fuit, ille vero multo emendatior. » Hactenus Massuetus. Quærenti mihi, ubinam nunc antiquissimus iste codex servetur, in manus venerunt notissimus catalogus bibliothecæ Meermani et Catalogi librorum manuscriptorum, quos Gust. Hænel edidit. Quibus libris perspectis de fatis codicis Claromontani edoctus sum. Cum Jesuitis e Gallia expulsis bibliotheca collegii Claromontani publice venderetur, antiquus Irenæi codex in manus Meermani transiit a. 1764 aut 1765; post mortem vero Meermani a. 1824 in Angliam migravit. Ibi enim in bibliotheca illustri, quam excellentissimus Thomas Phillips in villa Middlehill prope urbem Broadway sita instituit, codicem Claromontanum nunc asservari citatus Hænelii liber me docuit.

D. Schwarzius, Ienensis, collega antea mecum conjunctissimus, etiam nunc amicus dilectissimus, cum ante nonnullos annos visitaret Angliam, a me rogatus est, ut adiret illustrissimum Thomam Phillips et perantiquum Irenæi codicem inspiciendi veniam ab eo peteret. Qua venia a nobilissimo manuscripti possessore comiter data, D. Schwarzius nonnulla de codicis indole litteris mandavit, quæ redux in patriam mecum communicavit. Codex est membranaceus, e catalogo Meermanniano sæc. XI (sed ex sententia perillustris Thomæ Phillips sæc. X) scriptus, folia habet 246, neque vero 232, ut in Catalogo legitur; in fine mutilus ac tribus prioribus foliis sordidus formam habet mediam. Exceptis nonnullis paginis codex purus intaminatusque est. Luculenter et paucis sigla exaratus esse videtur a pluribus librariis. Rubro atramento his verbis inscriptus est : « Hireneus Lugdunensis episcopus contra omnes hæreses ; » atque desinit in hæc : — « significavit Joannes Domini discipulus in Apo-

Digitized by Google

calypsi, edisserens quæ fuerint decem cornua, quæ a Daniele visa sunt, dicens sic dictum esse : *Et decem cornua quæ vidisti,* » — quæ lib. v, 26, 1 leguntur.

Illustrissimus Thomas Phillips quanquam promiserat, sese codicis specimen ad me transmissurum esse, id tamen ad hunc usque diem non accepi.

VI. *De codicibus Merceri.*

Ultimo Prolegomenorum suorum paragrapho Grabius scribit, sibi a celeberrimo Dodwello apographum variantium lectionum, quas a Josua Mercero olim e duobus mss. codicibus erutas Isaacus Vossius Dodwello describendas dedisset, libentissime communicatum esse. Me quidem non fugit, quod Harlesius in Fabricii Bibl. Græc., t. VII, p. 71 adnotat : « In bibl. Leidensi est edit. Erasmi Paris. collata cum msstis. » Inde suspicio mihi orta est, hanc Erasmi editionem lectiones variantes a Josua Mercero adnotatas continere. D. Kistio, Theologo Lugduno-Batavo, accuratiorem notitiam de libro illo debui, quem D. Geelius, vir clarissimus, ad me misit. Quod suspicatus eram, id mihi libro perspecto certum fuit : eumdem librum fuisse, cujus in margine Josuas Mercerus ascripserat satis multas lectiones, procul dubio ex duobus codicibus erutas. Singulis enim variantibus numerus vel 1 vel 2 additus est, qui numeri non interpretandi sunt « cod. primus et secundus, » ita ut accurate distinguatur inter duos codices. Sed numero 1 id exprimitur, unum ex duobus codicibus, atque numero 2 utrumque codicem lectionem aliquam offerre. Ubi enim scriptor in utroque manuscripto novam lectionem reperiit, ibi non scripsit 1 et 2, sed ita 1 et 1. Ex his lector benevolus signa codicum in mea editione ita explicet : Merc. I = unus ex codicibus Mercerianis (sed incertum est, uter); Merc. II = duo codd. Merceriani.

Quinam sint codices, ex quibus vir criticus transcripserit lectiones, ipse non prodidit. Qui quamvis a mss. Erasmianis longe diversi sint, ad eamdem tamen cum his pertinere videntur familiam, uti supra jam monuimus. Apographum cum Grabio communicatum non accurate scriptum erat. Novo hujus libri usu factum est, ut lectiones codd. Merceri integras adnotare innumerosque errores Grabii, etiam in Massueti editionem irreptos emendare possemus.

VII. *De codice Arundeliano.*

« Codicem Arundelianum, ait Grabius, in bibliotheca regiæ societatis Londini jam asservatum, quem quadringentorum annorum esse arbitror, ipsemet quidem ante triennium cum Feuardentii editione diligenter contuli ; utpote cujus usum vir supra modum humanus Dn. D. Woodward, dictæ societatis sodalis, mihi benignissime impetraverat. Attamen cum reverendus D. Battely, canonicus Cantuariensis, postea suum Irenæi exemplar, in quo magnam variantium dicti codicis lectionum copiam adnotaverat, sponte mihi transmiserit, hanc ejus benevolentiam tacere nolui, præsertim quod una atque altera ad oram ascripta ejus observatione usus fuerim. » Hactenus Grabius. Quem codicem cum per D. Spikerum, virum clarissimum, Londini in Museo Britanno asservari comperissem, D. Gœttlingium, quem olim collegam ob sinceram animum diligo maximique æstimo, in Angliam profecturum rogavi, ut manuscriptum Arundelianum perlustraturus esset. Is membranaceum hunc codicem dixit inter manuscripta Arundeliana numerum 87 habere ; eumdem duabus, quas dicunt, columnis, quarum utraque 36 versus contineat, optime scriptum esse sæculo XIV. Prologum, quem Gœttlingius prima codicis pagina animadvertit, eumdem esse suspicatus sum, quem Magnus Crusius memorat epistola, qua in nova Irenæi editione, quam molitus erat, et prologum codicis Arundeliani typis exprimendum esse scribit. Prologus, quem Londini exscribendum curavi, hic est :

Hyreneus, episcopus Lugdunensis, etc. *Hunc Prologum præmittimus libris contra hæreses. Vide infra.* EDIT. PATR.

VII. *De codice Vossiano seu Burelliano.*

Ubi de codicibus Irenæi agit, Grabius Dodwellum, qui jampridem novam operum Irenæi editionem meditatus sit, isto consilio ait optimum Isaaci Vossii codicem accuratissime cum Feuardentii exemplari contulisse indeque collectas varias lectiones omnes cum Grabio libentissime communicasse. Massuetus hunc codicem uti alios, quibus Grabius usus est, non inspexit.

Joannes Albertus Fabricius memoriæ prodidit (*a*), in Bibliotheca Lugduno-Batava asservari Irenæi codicem ms., qui olim ex libris Isaaci Vossii canonici Windesoriensis fuerit. Cum me non fugerit, quod notaverat Fabricius, inter codices Vossianos Latinos Irenæum his commemorari : per litteras a Kistio, theologo Lugduno-Batavo inter nostrates æstimatissimo, ea qua par est observantia petii, ut de indole illius codicis certiorem me faceret. Vir ven. litteris mecum communicavit hæc : codicem Vossianum esse eumdem, quem olim Henricus Dodwellus cum textu edito contulerit. Lectiones varias ex illo codice collectas Grabianæ editioni insertas esse constat. Quid igitur novi inde sperare licuit ? A Dodwello codicem accuratissime pertractatum et a Grabio lectionis varietatem diligentissime notatam esse nemini dubium esse poterat, cui solertia et peritia utriusque viri nota et perspecta erat.

Sed Kistius, cui maximas gratias in præfatione jam testatus sum, litteris suis addidit schedulas, quibus notaverat varias lectiones ab ipso observatas nonnullis codicis capitibus cum editione Massuetiana denuo collatis. Inde cognovi, haud pauca, in quibus a lectione recepta codex dissentit, aut Dodwellum fugisse aut a Grabio sive consulto sive inconsulto esse prætermissa. Itaque specimine illius a Kistio mecum communicati ratione habita, operæ pretium existimavi codicem Vossianum iterum cum textu vulgato religiosissime conferre.

Quæ cum ita essent, quam maxime mihi in votis erat, ut mihi codicis inspiciendi facultas daretur. Admodum lætatus sum, quod Geelius, vir amplissimus, codicem curis meis commendatum lenam transmitteret. Egregii viri, cujus nomen clarissimum etiam in terris nostris celebratur, humanitatem et benevolentiam splendide mihi esse comprobatam aperte profiteor eique ut publicas persolvam gratias gratus impellit animus.

Ex quo codice quos fructus perceperim, paucis de ejus indole præmissis, indicare et quæ inter eum et Feuardentianum codicem veterem intercedat ratio investigare in animo est.

Codex Vossianus duplici numero vel 35 vel « ex Bibliotheca viri illustris Isaaci Vossii 63 » notatus membranaceus est in folio minori exaratus. Cum is, qui singulis foliis numeros ascripsit, errore lapsus illi folio, quod folium numero 76 notatum

(*a*) *Bibliotheca Græc.*, t. VII, p. 78. Memorantur notante Fabricio inter codd. Vossii duo Irenæi Latini codd. msti. catalogum, ad quem provocat Fabricius, non vidi. Sed Catalogi librorum mstorum Angliæ et Hiberniæ, qui prodiit Oxoniæ 1697 fol., tomo II, recensentur codd. msti Is. Vossii, ibique p. 69 commemoratur sub n. 2660 « Irenæi codex antiquissimus. » Præterea « Catalogus librorum tam impressorum quam manuscriptorum Bibliothecæ publicæ universitatis Lugduno-Batavæ, cura et opera Wolfredi Senguerdii, Jabobi Gronovii, Joannis Heymann (Lugduni apud Bat. 1716 fol.), » nominatur p. 317 « Irenæi op. Lugd. libb. v *contra omnes hær.* cod. ms. »

Digitized by Google

excipit, numerum 79 dederit, accidit, ut codex non, uti folium ultimum prodit, 115, sed tantummodo 111 folia complectatur, quanquam in orationis contextu nihil desideratur. Unaquæque pagina in duas quas dicunt columnas divisa est, quarum utraque 49 constat versiculis. Singuli versus singulis lineis subtilioribus atramento pictis præsignati sunt. Totus vero codex luculenter et pulchre scriptus est litteris minusculis. Ubi litteræ initiales scribendæ fuissent, ibi a codicis auctore spatium vacuum relictum est postea pictura explendum. Sed solæ litteræ initiales præfationis et libri I sunt picturis ornatæ; cæteræ omnes etiamnum pictorem desiderant. Quamvis interdum atramentum paululum palluerit ita, ut aliquot voces difficulter explicari possint; nullos tamen me invenisse memini locos, de quorum interpretatione prorsus desperandum fuisset.

Cum is qui codicem exaravit plerumque insolitam scribendi methodum secutus esse videtur: haud alienum ab re esse censui, sigla quæ dicunt sive scribendi compendia, quibus codicis auctorem constanter usum esse cognovi, in commentatione mea *De Codice Vossiano* scripta (Lips. 1847) recensere.

Quatuor priores libri in capita accurate sunt divisi; cuique capiti et numerus et titulus atramento rubro præscriptus est. Libros II, III et IV præcedunt tabulæ, quibus argumenta seu inscriptiones capitum recensentur. Librum V is, qui codicem scripsit, in capita non divisit; quo fit, ut textus sine intervallo et distinctione inde ab initio ad finem usque procedat. Sed in margine libri V capitum numeri notati sunt — nescio a quo, certe non ab eo, cujus manus codicem exaravit — numeris Arabicis, cum per priores IV libros numerorum notis Latinis capita a librario sint indicata. Sed ea, quam posterior manus libro V dedit, capitum divisio lectoribus non satisfecit. Tertius enim — nescio quis — in spatio inter duas columnas intermisso alteram divisionem secundum capita proposuit a priori longe diversam.

Deprehenduntur in codice haud raro lacunæ, scribæ negligentia plerumque ortæ. Quas animadvertimus majores lacunas inde exortas esse non dubitamus, quod is, qui codicem scripsit, voces commutavit ob similitudinem syllabarum finalium, quod dicunt ὁμοιοτέλευτον. Quæ quidem majores lacunæ plerumque non sunt expletæ. Interdum factum est, ut scriba ipse vel secunda manus, quantum ex scribendi ratione et atramento pallidiori patet, in margine voculas male prætermissas adderet.

Quæcunque præterea in margine leguntur aut ad argumentum eorum, quæ textu continentur, spectant, aut explicationis causa addita sunt. Quæ cum haud magni pretii mihi viderentur, ea omnino negligenda putavi.

Præterea inesse vidimus codici vitia haud pauca, quæ homini docto, qui Irenæi mentem ubicunque assequebatur, vitanda erant. Sed quoquo modo illa vitia irrepserint in codicem, auctoritas illius neutiquam est diminuta. Grabius et Massuetus eum ob multas quas offert egregias lectiones magni æstimaverunt. Plerumque enim consentit Vossianus codex cum codd. optimæ notæ; memorabilem ejus cum vetere Feuardentii consensum, de quo infra plura disputaturus sum, hoc loco tantummodo attingam. Inde vero concludere licet, illud Irenæi exemplar manuscriptum, quod scriba codicis Vossiani secutus est, bonæ notæ fuisse. Confiteor equidem nos omnino nescire, ubi et quale fuerit codicis Vossiani archetypum, neque accurate statui posse, quando illud scriptum fuerit. Liceat tamen hac de re conjecturam proponere.

Ubi Irenæus Marcosiorum systema describit eorumque morem ex litteris et numeris computandi

A acriter perstringit, leguntur litteræ Græcæ, quas etiam in codicibus versionis Latinæ Græce scribere consueverunt librarii. At vero is, qui codicem Vossianum exaravit, linguæ Græcæ ignarus, illas Græcas litteras in Latinas commutavit ita, ut Græcarum litterarum formam magis, quam earum significatum secutus esse videatur. Ita enim litteræ utriusque linguæ sibi invicem respondent in codice nostro:

Ψ = y	Σ = c
Γ = i aut f	P = p
Δ = a	Π = n
Υ = v	Λ = a
H = h	

B Ex qua scribendi ratione patet, in exemplari manuscripto, quod ante oculos codicis Vossiani librario fuit, litteras Græcas forma unciali scriptas fuisse. Quod ei dubium non erit, qui, quomodo duos locos, quos ex Homero et Hesiodo citavit Irenæus, scripserit librarius, accurate comparaverit cum textu Græco.

Quod si vero certum est Græcos locos in archetypo codicis Vossiani litteris majusculis scriptos esse: inde apparet codicem illum, quem secutus est Vossiani codicis librarius, perantiquum fuisse. Constat enim vetustissimos tantum codices Græcos litteris majoribus esse exaratos. Qua de causa egregia codicis Vossiani indoles nititur antiquissimo, ex quo exscriptus est, codice, et meliores illæ, quas exhibet lectiones, manaverunt ex libro neque scribarum ignorantia neque sciolorum temeritate pessundato. Vitia enim quæ insunt codici scribæ culpa esse orta cuique certum erit, qui quanta ejus ignorantia fuerit codicis inspectione intellexerit.

Jam vero nobis quærendum est, num Grabius codice nostro accurate usus sit necne. Grabio ipsi C codicem sæpe dictum nunquam ob oculos fuisse inde patet, quod collationem a Dodwello accuratissime factam esse dicit. Etenim si Grabius unam tantummodo codicis plagulam comparasset cum collatione sibi a Dodwello commodata, tam negligenter et leviter collatum esse codicem perspexisset, ut ne Dodwellum quidem, virum inter philologos etiamnum laudatum, lectionis varietatem collegisse opinari potuisset. Suspicor enim Henricum Dodwellum codicem illum viro nonnadeo perito conferendum tradidisse neque vero curasse, ut accurate pertractaretur.

Grabius enim suæ editioni eas lectiones inserere nolùit, quæ omnino nullum sensum præberent atque librariorum errori aut ignorantiæ deberentur. Qua de re profecto non est vituperandus. Sed omisit multas lectiones, quæ commodo commendantur sensu. Huc accedit, quod Grabius haud raro lectiones tanquam in codice Vossiano obvias attulit, D quæ ibi omnino non inveniuntur. Eæ vero, quas falsissime inde haustas, etiam a Massueto fere omnes editioni suæ insertas, nemo hucusque correxit, in editione nostra sunt emendatæ.

Denique Grabius aut potius is, qui ms. Vossianum cum exemplari Feuardentiano contulit, optimas quas offert codex lectiones haud raro prætermisit. Quo factum est, ut Grabii ingenium nonnunquam quid legendum sit sagaciter divinaret. Itaque meliores codicis Vossiani lectiones conjecturarum locum in Grabiana editione modeste obtinent. Evenit tamen interdum Massueto, ut lectiones ab illo, qui pertractavit codicem Vossianum, prorsus neglectas, in codice Claromontano quo ipse usus est, reperiret. Ideoque mirum non videtur, a celeberrimo monacho codicem in bibliotheca Jesuitarum Claromontana servatum laudibus extolli, quippe qui optimas lectiones sæpenumero solus suppeditare videatur. Perpaucas ejusmodi lectiones proponam.

Digitized by Google

Editio Grabii.	Cod. Voss.
p. 40, l. 30, *quasi erat unigeniti*	*qualis erat unigeniti* (*a*)
p. 83, *propter quaternationem dicunt*	*propter quaternationem ipsorum dicunt* (*b*)
p. 93, l. 4. *cum autem discrepant* (*c*)	*cum autem discrepent*
p. 103, l. 9, *Cerdon autem quidem*	*Cerdon autem quidam* (*d*)
p. 110, l. 34. *stultitiam et audaciam*	*in stultitiam et audaciam* (*e*)
p. 124, (cap. IV), l. 23, *præterit*	*præteriit* (*f*)
p. 140, l. 11, *aquam dixisse*	*aquam dixit esse* (*g*)
p. 237, l. 4, 5, *plurima evangelia*	*plurima evangelii* (*h*).

At vero sufficiant hæcce, quibus, si opus fuisset, multa alia adjicere poteram. Apparet igitur, codicem Vossianum hucusque non ita esse pervestigatum, ut mihi dignus quidem videretur, cui novas curas adhiberem. Neque vero inficiabor, illa, quæ ex mss. Vossiano hausta dedit Grabius, ex schedis mejs multimodis aut correctum aut suppletum, præterea nova quoque sæpissime additum iri.

Cum id in primis spectandum videretur, ut quæcunque de codice sæpe dicto quæri possunt, de iis accurate disputaretur : non negligenda erat quæstio explicatu difficillima. Fuerunt enim qui dicerent, codice Vossiano ante Grabium usum esse Feuardentium. Inter Vossianum, aiunt, et codicem veterem a Feuardentio sæpissime laudatum tantam intercedere similitudinem, ut pro uno eodemque habendi sint. Cujus sententiæ memor est Massuetus præfatione (pag. VII) ita disserens : « Et quidem veterem illum codicem, quo Feuardentius usus est, frustra quæsivimus, neque utrum perierit, an in alicujus bibliothecæ forulis delitescat, scire potuimus. Sunt qui existimant eum in Vossii manus devenisse, sed utriusque lectiones conferenti diversos esse statim apparebit. » Sed velim, rem accuratiori examine satis dignam a Massueto non esse neglectam. Etenim negari nequit duos illos codices persæpe easdem lectiones suppeditare, sæpissime etiam easdem in contextu lacunas habere. Huc accedit, quod libri V quinque posteriora capita a Feuardentio ex vetere codice primum evulgata, quæ, quod equidem scio, in cæteris Irenæi codicibus desiderantur, adeo in codice Arundeliano et in vetustissimo Claromontano, in codice Vossiano leguntur.

Quid igitur dicendum? Profecto non esset, quod conquereremur de difficultate judicium hac de re ferendi, si, quod Feuardentius et Grabius omiserunt, editionibus suis accuratam codicum mss. quibus usi sunt descriptionem præmisissent. Sed Feuardentii vetus codex Romæ in bibliotheca Vaticana asservatus est, dum Vossii codicem in Gallia scriptum exeunte sæculo XVII inter libros Isaaci Vossii canonici Windesoriensis in Anglia fuisse scimus.

Qua occasione Vossius codicem sibi comparavit, aut quis eum antea habuerit plane nescimus. Sed de primo codicis possessore certi aliquid prodi potest. Etenim ad calcem ejus scripta sunt hæcce :

> « *Hos quinque libros quos contra hæreses scripsit hyreneus lugduni pontifex et martir apostolis contemporaneus dono dedit in suorum peccatorum remissionem frater laurentius Burelli a divione* [hodie : *Dijon*] *paris. doctor theologus provincialis narbone sacri ordinis matris dei de monte carmeli librarie conventus parisiensis eo anno quo ipse vicarius generalis angliam et convictum parisiensem visitavit qui fuit millesimus CCCC nonagesimus quartus teste suo cyrographo hic apposito pridie Kalendas novembres.*
>
> *Itaque Burelli.* »

In margine primæ codicis paginæ bellæ conspiciuntur picturæ textum a tribus lateribus cingentes. Inter frondium et imaginum intertexta ornamenta pictor insigne gentilitium pinxit, quo, ni fallor, tria fulmina deorsum missa et tres flammæ sursum flagrantes adumbrata sunt. Circa quod insigne gentilitium scripta leguntur hæc : « frater laurentius doctor provincialis narbone conventus divionis ordinis carmeli. » Hæc verba ab eadem manu, quæ codicem ipsum scripsit, exarata esse dubitari nequit. Inde concludendum videtur Laurentium Burellium primum codicis possessorem fuisse ejusque impensis codicem scriptum esse eo consilio, ut splendidissimus liber Bibliothecæ conventus Parisiensis Carmelitarum dono daretur. Neque vero est, quod de tempore, quo codex scriptus sit, dubitemus. Patet enim librum exaratum esse exeunte sæculo XV.

Dici quidem nequit, num codex Vossianus eo tempore, quo suam editionem paravit Feuardentius, id est sub finem sæculi XVI, in Bibliotheca Vaticana asservatus fuerit, an non. Attamen valde mirum fuisset, si Feuardentius hunc codicem, qui vix quindecim lustris ante scriptus fuit, veterem seu vetustissimum nominasset (*i*). Nonne vir doctissimus, cum vera codicis ætas dubia non esse posset, is esse videretur, qui fraude fefellisset lectores?

Sed accedit summum inter lectiones codicum discrimen, quod non negandum esse etiam Massuetus censet. Grabius quoque, multas lectiones adnotavit, quibus duos codices longe differre intelligitur, multasque ex Vossiano excerptas proposuit, quæ in vetere Feuardentii codice non comparuerunt. Quibus largam novarum lectionum copiam in mea editione addidi. Differt præterea capitum divisio, qualem Feuardentius in vetere codice cognitam notavit, ab ea, quam codicis Vossiani librarium secutum esse cognovi. Quæ cum ita sint, equidem Feuardentianum codicem prorsus diversum esse censeo a Vossiano manuscripto.

Certum indubitatumque est Vossianum codicem

(*a*) Massuetus, qui pag. 42 hanc lectionem habet, not. d ita autumat : « Sic recte Claromont. Cod. juxta Græca οἷα ἦν ἡ τοῦ μονογενοῦς. »

(*b*) Massuetus pag. 88 hanc lectionem exhibet et not. d : « Sic, ait, ex Græco et Frontonis Duc. judicio restituimus »; sed nullam secutus est codicis auctoritatem.

(*c*) Habent Erasmus, Feuardentius omnesque ad Massuetianam usque editiones *discrepant*. Massuetus vero mutavit lectionem in *discrepent*, nec tamen dicit, cujus codicis auctoritate hoc fecerit.

(*d*) Hanc lectionem etiam Feuardentius habet, sed, uti videtur, ex Græco contextu. Quapropter Grabius eam omisit. Massuetus p. 105 not. k ita disputat : « quidam] Ita Erasm. Gall. Clarom. et Pass. juxta Græcum. At in Feuard. (?) Oxon. et Valesiana Eusebii versione perperam *quidem* : quod erratum cum animadverterit Grabius, mirum cur ex Erasm. saltem et Gallas. non correxerit. » Corrigere potuit Grabius ex cod. Voss.

(*e*) Nihil notavit Grabius ad hunc locum, nisi hoc : « in Erasm. et Gallas. vitiose exstare *stultitia et audacia*. » Atque Massuetus p. 111, not. b, in solis quibus ipse usus sit codicibus, veram lectionem reperiri gloriatur.

(*f*) Hæc lectio a nemine notatur.

(*g*) Massuetus p. 115, not. g : « genuinam, inquit, hanc lectionem solus suppeditat cod. Claromont., in aliis omnibus cum editt. tum mss. corrupte : *aquam dixisse*. »

(*h*) « Ita solus », autumat Massuetus, « Claromont. cod. »

(*i*) Ita appellat codicem in adnotationibus atque in titulo, quo inscripsit editionem suam.

Digitized by Google

optimis mss. annumerandum esse et cum codd. vetere Feuardentii et Claromontano ad eamdem familiam pertinere.

IX. *Codex Vratislaviensis.*

Postquam de indole ac fatis Latinorum Irenæi codicum satis disputatum est: Græcum Epiphanii manuscriptum, quo usus sum ad corrigendum textum Irenæi libri I, silentio prætermittere non possum. Qui codex in bibliotheca Rhedigeriana, quæ Vratislaviæ est, reperitur. D. Menzelius vir clarissimus de eodem hæc ad me scripsit: « Codex noster membranaceus est forma maxima et exhibet ab initio Acacii et Pauli presbyterorum et archimandritarum epistolam, qua eumdem (Epiphanium) ad scribendum contra hæreses hortantur, adjuncta responsoria Epiphanii prolixiori; tum ipsum *Panarium* sive opus adversus octoginta hæreses integrum, eique in fine subnectitur *Ancoratus* seu sermo *De fide*, quo Epiphanius a Palladio Suedrorum Pamphiliæ urbis præsule et presbyteris ejusdem, quorum etiam epistolæ præmittuntur, rogatus, doctrinam de SS. Trinitate, in primis de Spiritu sancto contra hæresin Macedonianam asseruit et explicavit. » D. Haasius Vratislaviensis vir clarissimus, qui, quæ Epiphanius ex opere Irenæi exscripserat, accurate cum dicto manuscripto conferenda curavit, in catalogo bibliothecæ Rhedigerianæ hæc adnotata esse scripsit: « Cod. memb. 326 folior. in fol. unius hominis manu non inelegante sæc. XV scriptus est. Involucrum Græcorum more factum et crenulis in extremitatibus ornatum a Græco itidem artifice elaboratum videtur. » Quamvis codex nonnulla nobis suppeditaverit, quibus textus Irenæi emendaretur, critica tamen auctoritas ejus non adeo gravis nobis visa est, ut eum ubique sequi possemus.

CAPUT II.

De editionibus Irenæi operis adv. hæreses.

I. *De editionibus Erasmianis.*

1526.

Opus eruditissimum divi Irenæi episcopi Lugdunensis in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreseon impias ac portentosas opiniones, ex vetustissimorum codicum collatione, quantum licuit, emendatum opera Des. Erasmi Roterodami, ac nunc primum in lucem editum opera Jo. Frobenii. Additus est index rerum scitu dignarum. Apud inclytam Basileam anno M. D. XXVI. Cum gratia et privilegio Cæsareo. Fol.

Hæc est editio princeps, quam Des. Erasmus Bernardo de Cles, tunc temporis episcopo Tridentino, præmissa epistola nuncupatoria dedicavit. Litteras excipit S. Irenæi *Obtestatio ad scribas*, quæ inter Irenæi fragmenta primum locum obtinet. Singulis libris præmisit Erasmus titulos quibus capitula sunt inscripta. Tum textus Irenæi sequitur. In margine editor ex codicibus tribus, quibus usus est, adnotavit nonnullas varias lectiones et conjecturas et vocum insuitatiorum interpretationes. *Argumenta*, uti vocat; lib. II—V præmissa v. in *Appar.* nostro p. 6 seqq. Cæterum edit. princeps, eaque quæ duobus annis post in lucem prodiit, multo emendatiores sunt iis, quæ inde ab anno 1534 typis expressæ sub nomine Des. Erasmi publice vendebantur.

Editionem principem reperi in bibliothecis Universitatis Lipsiensis et Zitzensi.

1528.

Biennio post alia ex officina Frobeniana prodiit editio in-fol., in cujus titulo post verba: *emendatum opera Des. Erasmi Roterodami*, leguntur hæc: *ac nunc ejusdem opera recognitum, correctis iis, quæ prius suffugerant.* Ipsius Erasmi manus quædam menda sustulit. *Argumentum* in librum V scriptum paulo auctius in nova edit. legitur, uti in *Appar.* nostro p. 8 iterum expressum est. Cæterum pauca sunt, quibus hæc edit. differt ab edit. principe.

In bibliothecis academica lenensi et Erfordiensi hæc edit. reperitur.

1534.

Dupinius in Bibliotheca nova ecclesiasticorum auctorum memorat editionem Erasmianam, quæ a. 1534 Parisiis in lucem prodierit. Grabius eam videre sibi non contigisse scribit. Massuetus præter primam Erasmi editionem nullam commemorat. Dupinius ipse postea dubitasse videtur, num hæc editio revera unquam exstitisset. Doctus enim censor edit. Massueti in *Deutsche Acta eruditorum* a. 1712 ita scribit: *Wir thun hier mit Fleiss der Parisischen Edition von 1534, welche Grabius bei Du Pin gefunden, aber selbst nicht gesehen, keine Meldung, weil Du Pin selbst in der andern Edition seiner Bibliothecæ ecclesiasticæ selbige weggelassen, und also diessfalls seinen Fehler erkannt zu haben scheint.*

Errorem Dupinii emendare nobis licet. Prodiit 1534 enim Basileæ ex officina Frobeniana nova Erasmi editio; eamdem formam eumdemque titulum ac priores edidit. habet, nisi quod in titulo legitur: *ac nunc ejusdem opera denuo recognitum, correctis iis, quæ prius suffugerant.* Inde liquet Erasmum ipsum novis curis Irenæi textum recognovisse. Sed cum viro doctissimo meliores codices ad manus non fuissent, ex variis lectionibus aut conjecturis in margine priorum editionum adnotatis plures in contextum Irenæi recepit. Quo factum est, ut textus magis corrumperetur, quam emendaretur; quod cuique concedendum est, qui lectionum varietatem a me adnotatam accuratius perspexerit.

In bibliotheca Universitatis Gottingensis hæc editio asservatur.

Desiderius Erasmus m. Jul. a. 1536 Basileæ mortem obiit. Quoniam igitur edit. 1534 ultima fuit, quam editor ipse novis curis adornaverat, cæteræ omnes editiones, quæ Erasmi celeberrimum nomen ferunt, ad rationem illius typis expressæ videntur.

1545.

Contra hæreses divi Irenæi episcopi Lugdunensis in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreseon impias et portentosas opiniones, ac vetustissimorum codicum collatione quantum licuit emendatum opera Des. Erasmi Roterodami, ac nunc ejusdem denuo recognitum, et quæ quam antehac longe castigatiores in lucem dantur. Quibus accessit rerum et hominum insignium index locupletissimus. Parisiis apud Mathurinum Dupuys, sub signo hominis silvestris, via ad D. Jacobum 1545, 8.

Editio perrara, Grabio prorsus ignota, elegantibus typis expressa. De ejus auctoritate critica nil addendum est iis, quæ de proximo antecedente libro disputavimus; ei enim simillima est.

Editio rarissima meæ bibliothecæ ornamento est.

1545.

Doctus censor Massuetianæ edit. in *Deutsche Acta eruditorum* memorat editionem, quam 1545 Basileæ in forma maxima in lucem prodiisse dicit. Sed eam neque Grabius neque ego vidimus.

Digitized by Google

1548.

Opus eruditissimum divi Irenæi episcopi Lugdunensis in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreseon impias et portentosas opiniones, ex vetustissimorum codicum collatione quantum licuit Des. Erasmi Roterodami opera emendatum. Additus est index rerum observatu dignarum. Froben. Basileæ. 1548. *Fol.*

Neque hunc librum Grabius vidit. Ex bibliotheca urbis Lipsiensis ad me transmissus est. V. quæ disputavi de edit. 1534.

1554.

Quam sub hoc anno Fabricius in Bibliotheca Græca et censor editionis Massueti memorant editionem Erasmi Basileensem, in bibliothecis reperire mihi non contigit. Etiam Grabius eamdem frustra quæsivit.

1560.

Opus eruditissimum — — — (titulus idem est atque editionis 1548) *Basileæ* 1560. *Fol.*

Grabius de hoc libro ita agit : « In nullo (editio hæc) præcedentibus præstantior, nisi quod loco nudæ adjurationis Irenæi, qua scribas obtestatus est, integra habeat Hieronymi in *Catalogo* scriptorum ecclesiasticorum de Irenæo verba, quodque *Index rerum* sit locupletior, ut vel ex prima littera *A* patet. » Indicem locupletiorem jam in edit. a. 1548 reperimus ; nil igitur novi liber a. 1560 habet, nisi locum Hieronymi de Irenæo. Vide disputata a me de edit. a. 1554.

Ad oram ejus editionis e bibliotheca academiæ Gottingensis mecum communicatæ D. Heumanni conjecturæ scriptæ sunt, de quibus infra vide quæ scripsimus.

1563.

Opus eruditissimum divi Irenæi episcopi Lugdunensis, in quinque libros digestum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreseon impias ac portentosas opiniones, ex vetustissimorum codicum collatione quantum licuit Des. Erasmi Roterodami opera emendatum. Additus est Index rerum observatu dignarum. *Parisiis, apud Audoenum Parvum, sub intersignio lilii aurei, via ad divum Jacobum.* 1563, 8.

Hæc editio, qua eadem continentur atque antecedente, majoribus typis quam Parisina 1545 elegantter expressa est ; textus idem est atque in editt. 1545 et 1563. Reperis hunc librum in bibliotheca Hamburgica.

1567.

Opus eruditissimum — — — (titulus idem atque in edit. proxime antecedente) *Parisiis. Apud Audoenum Parvum, sub intersignio lilii aurei, via ad divum Jacobum.* 1567.

Hic liber eadem eodem modo continet atque edit. a. 1563.

Ejus exemplar ad me missum est e bibliotheca Lugduno-Batava, in quo scriptum erat : « ex biblioth. viri illustris Isaaci Vossii 191. » In margine manus Josuæ Merceri varias lectiones e duobus codd. erutas ascripsit.

1570.

II. *Editio Nicolai Gallasii.*

Divi Irenæi Græci scriptoris eruditissimi, episcopi Lugdunensis, libri quinque adversus portentosas hæreses Valentini et aliorum, accuratius quam antehac emendati, additis Græcis quæ reperiri potuerunt ; opera et diligentia Nicolai Gallasii, S. Theologiæ professoris, una cum ejusdem adnotationibus. Additus est etiam index locupletissimus. Apud Joannem le Preux et Joannem Parvum. (Genevæ) *MDLCLXX.*

« In hoc opere continentur : epistola ad D. Edmundum Grindallum, episcopum Londinensem, qua hujus editionis atque missionis ratio redditur ; præfatio ad lectorem de instituto totius operis, et de utilitate colligenda ex lectione veterum doctorum ; Græcæ dictiones, quæ passim apud Irenæum occurrunt ordine alphabeti ; de Vita et scriptis Irenæi ex Eusebio et Hieronymo ; vetus interpretatio collatis exemplaribus accurate emendata ; Græca ejusdem Irenæi quæ hactenus reperiri potuerant, uti Epiphanius scriptis suis inseruerat, inde excerpta et conversa in linguam Latinam, ut cum vetere interpretatione conferri possint ; summæ singulis capitibus præfixæ, quibus plenissime declaratur quidquid in iis præcipuum est ; loci Scripturæ, quorum in iis mentio fit, ad marginem notati ; additæ sunt in fine adnotationes, quibus obscura pleraque declarantur : explicantur etiam nonnulli Scripturæ loci, ac respondetur iis, qui, adversus piam doctrinam, hujus sancti viri auctoritate abusi sunt. »

Quod si comparaveris hoc Gallasii opus cum Erasmi editt., concedes id esse multo præstantius illis. Sed textus Latinus non ex codicibus est emendatus, et Græcus sæpissime corruptus. Explicationes satis quidem prolixæ res obscuras non satis illustrant, plurimæque haud magni sunt momenti nihilque ad textum emendandum conferunt. Quintum librum, a nemine antea in sectiones divisum, editor in capita distinxit.

1571.

III. *Editio Joannis Jacobi Grynæi.*

Uno tantum anno postquam Gallasius libros Irenæi in publicum ediderat, Joannes Jacobus Grynæus, pastor Basileensis, Opus *adv. hæreses*, quod vocat *eruditissimum, nova libri primi conversione, singulorum capitum argumentis, et variæ lectionis observatione illustratum et recognitum* foras dedit. Pro translatione veteris interpretis novam, et, ut dicit in præfatione, *multo meliorem* substituit ; quod male ab eo factum esse, alii ante me jam judicarunt. Quod dixit, opus *variis lectionis observatione illustratum et recognitum esse*, aperte falsum est ; nullæ enim in margine variæ lectiones reperiuntur. Qua de causa Grynæi librum minus utilem censemus, quam Erasmianas editiones.

IV. *Editiones Francisci Feuardentii.*

1575 et 1576.

Massuetus præfatione prodit, primam a Franc. Feuardentio adornatam editionem typis Nivelli a. 1575 et 1576 expressam, eamque a priorum editionum vitiis nondum satis expurgatam esse. Idem ex Dupinii *nova ecclesiasticorum auctorum Bibliotheca* didicimus. Sed nec Grabio nec mihi contigit, ut hanc editionem in bibliothecis inveniremus. Quod parum refert, cum meliores Feuardentii editiones nobis non defuerint.

1596.

Divi Irenæi, Lugdunensis episcopi et martyris, adversus Valentini et similium Gnosticorum hæreses libri v, jam secundo diligenti editorum codicum collatione, vetustissimi magnæque fidei manuscripti codicis atque alterius Vaticani ab innumeris mendis repurgati et aliquot capitibus aucti ; præterea omnibus, quæ apud veteres exstant, fragmentis Græcis ac Latinis, item quibusdam S. Polycarpi, episcopi Smyrnensis et martyris, scriptis, nunquam antea editis, denique universis aliorum ejusdem D. Irenæi operum, quæ reperire licuit, partibus locupletati. — Additæ sunt ad singula capita variæ adnotationes, quibus emendationum ratio redditur, obscura multa illustrantur, et quidquid ad antiquitatem ecclesiasticam, ac tam veterum quam recentium hæreseon confutationem pertinet, quod ex his libris erui potuit, copiose traditur. — Accessit quoque Arnobii catholici et Serapionis Ægyptii conflictus de Deo trino et uno et duabus in Christo naturis, nunquam typis excusus. Ad illustriss. principem et reverendissimum cardinalem Carolum Lotharingum, Metensi et Argentinensi episcopo, etc. — *Omnia studio et opera F. Francisci Feuardentii, ordinis F. Minorum, in S. facultate Parisiensi doctoris theologi. Accessit index scripturarum et rerum magis memorabilium. Reliqua hinc,*

Digitized by Google

lector, magis speciatim pagina sequente. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica sumptibus Arnoldi Mylii. Anno 1596. *Cum gratia et privilegio Sac. Cæs. Majestatis.*

Alteram hanc Feuardentii editionem, duorum codicum (*a*) ope adornatam, alterius Vaticani, alterius inter libros Joannis San-Andreani Ecclesiæ Parisiensis canonici asservati, priori Feuardentiana multo esse meliorem Dupinius jam observavit; præter alia etiam Græcos Irenæi locos ex variis scriptoribus insertos habet. Sed cum Feuardentius ipse in *Commonitione ad lectores* exposuerit, quid in editione ipsius præstitum esset : lectores rogatos velim, ut *Appar. nostrum* p. 22 adeant, mihique de ratione editionis tacere liceat. Attamen ne Feuardentio quidem contigit, ut textum satis bene restitueret, et notis doctrina conspicuis, sed prolixitate laborantibus res obscuras collustraret.

Reperitur hæc editio in bibliothecis Vimariensi et Ienensi.

1625.

Teste Joan. Alberto Fabricio (Bibl. Græc., pag. 79), Feuardentii editio 1625 recusa est, quam nec Grabius aut Massuetus memorant nec ego quidem reperi.

1639.

In titulo, quo nova editio inscripta est, post verba : *Paris. Doctoris theologi* leguntur hæc : *Adjecta sunt ad hanc novam editionem alia quædam fragmenta Irenæi ex eminentissimi cardinalis Rupifucaldi bibliotheca deprompta Græce et Latine edita. Lutetiæ Parisiorum.* 1639. *Cum privilegio Christianissimi regis.*

Præter id in titulo nominatum editioni nil novi additum eaque priore non est emendatior. Ex bibliotheca urbis Leipsiensis hic liber ad me transmissus est.

1675.

Post voces : *quæ reperiri licuit, partibus locupletati,* hæc in titulo sunt addita : *Cum scholiis et adnotationibus Jac. Billii, Front. Ducæi, et Franc. Feuardentii, quibus emendationum ratio redditur, obscura illustrantur, et quidquid ad antiquitatem ecclesiasticam pertinet, copiose explicatur. Lutetiæ Parisiorum,* 1675.

Cæterum titulus eadem habet, quæ in editt. 1596 et 1639 leguntur. Editio hæc typis minus elegantibus expressa, quam priores, cæteris alioquin simillima, reperitur in bibliotheca Vimariensi.

1677.

Feuardentii editio omissis quidem omnibus adnotationibus et textu Græco recusa est in Bibliothecæ Patrum Lugdunensis tomo secundo 1766. V. *Editio a Joanne Ernesto Grabio adornata.*

1702.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνου ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε. *S. Irenæi episcopi Lugdunensis contra omnes hæreses libri quinque. Textus Græci partem haud exiguam restituit; Latinam versionem antiquissimam e quatuor mss. codicibus emendavit; fragmenta aliorum tractatuum deperditorum subjunxit; omnia notis variorum et suis illustravit Joannes Ernestus Grabe. Quid ultra in hac editione præstitum sit, ostendunt Prolegomena. Oxoniæ e theatro Sheldoniano, impensis Thomæ Bennet, ad insigne lunæ falcatæ, in cœmeterio S. Pauli, Londini anno Dom.* 1702.

Dupinius Feuardentii editionem ita collaudat, ut nova Irenæi editione opus esse neget, nisi forte, quod vix sperari queat, Græcus operis *Adv. hær.* textus diu et graviter desideratus aliquando inventus fuerit. Sed Grabius Irenæum multa cura atque incredibili industria a se emaculatum denuo in lucem emisit. Textum Græcum ac Latinum ad exemplar Feuardentii editionis recusum emendavit; Latinam interpretationem e codicibus duobus Mercceri, Arundeliano et Vossiano recognovit; multaque fragmenta Græca et ex scriptis aliorum excusis et ex mss. hausta adjecit; lectionis varietatem summa diligentia adnotavit nec infelici successu admirandaque doctrina multos locos obscuros explanavit. Qui quid editor in hoc libro præstiterit accuratius velit discere, is adeat ipsius Grabii Prolegomena in *Appar.* nost., pag. 43 seqq., et censuram editionis in *Actis eruditorum* a. 1702 publicatis, pag. 309.

1712.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνου καὶ μάρτυρος ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως βιβλία πέντε. *S. Irenæi episcopi Lugdunensis*, etc. (*b*).

1734.

Anno 1734 editio Massuetiana Venetiis iterum in lucem prodiit. Præter fragmenta Græca a Pfaffio in bibliotheca Taurinensi reperta et plura scripta polemica de fragmentis istis nil novi habet; sed multa insunt novæ editioni errata typographica.

1829.

Collectio selecta SS. Ecclesiæ Patrum, complectens exquisitissima opera tum dogmatica et moralia, tum apologetica et oratoria, accurantibus D. A. B. Caillau una cum D. M. N. S. Guillon. Tom. II, Parisiis et Bruxellis apud Méquignon-Havard, editorem. (*Lipsiæ apud F. Fleischer.*) 1829. In hoc libro reperiuntur loca excerpta ex Irenæi libris *Adv. hær.* iterum recusa ex recensione Massueti.

—

Teste Joan. Drusio Centuria I *Miscell.*, cap. 44 Matthias Lannoius, senator olim Antuerpiensis, emendatiorem Irenæi editionem molitus est. Sed nobis non contigit, ut de consilio ejus accuratius edoceremur.

Novam Irenæi editionem, auctiorem novis fragmentis e codicibus depromptis et notis ineditis promiserat Magnus Crusius. Quamquam consilium hujus libri aliorumque, quos promiserat, successu caruit felici, ipsius Crusii verba de nova Irenæi editione hic repetere liceat.

Is enim libello, qui inscribitur : *Dissertatio epistolica ad eminentissimum atque rev. dn. Christianum Wormium, diœcesis Sialundicæ in Dania episcopum, de scriptis quibusdam integris fragmentisque hactenus ineditis, quæ in itinere Gallico, Anglico atque Germanico reperire contigit, et nunc in lucem publicum edenda parat, virosque eruditos insimul ad conferendas symbolas humanissime invitat Magnus Crusius, Slesvicensis, v. d. m. Lipsiæ* 1728, « conatum, ait, recudendi Irenæi opera, omnibus historiam Ecclesiæ Christianæ primitivæ amantibus maxime necessaria, audacem quidem esse; sed suaderi hoc institutum magna raritate et defectu exemplarium utriusque editionis, tum Anglicanæ Jo. Ern. Grabii, tum Gallicanæ Renati Massueti, quæ charo nimis pretio etiam in ipsis terris, ubi impressæ sint, venditentur et frustra ta-

(*a*) In *Commonitione* sua *ad lectores* Feuardentius de codicibus, quorum usus ipsi concessus erat, non solum nimis breviter, sed etiam obscure scripsit. Certum est Feuardentium codice Vaticano alioque, uti videtur, Parisiis asservato usum esse. Vaticanum manuscriptum, quod perraro allegat, fortasse idem fuit, quod Erasmus et postea Latinus Latinius consuluere. Quanivis vetus Feuardentii codex exeunte sæc. XVI Parisiis servatus, Vossii vero exeunte sæc. XV in Gallia scriptus esse videatur : mihi tamen cum Massueto ex dictorum codicum variis lectionibus censendum est, codices illos diversos esse, neque Feuardentium Vossii manuscriptum inspexisse.

(*b*) Recensionem editionis D. Massueti, quæ in nostra reviviscit, omittimus. EDIT. PATR.

Digitized by Google

men sæpius desiderentur. Suadent id (institutum) plurimæ accessiones, quibus nova quædam editio insignem in modum locupletari poterit : quippe tot ac tanta supersunt fragmenta Græci textus ex codicibus Vaticanis (quorum copia Laurentio Alexandro Zacagnio præfecto olim Bibliothecæ Vaticanæ dignissimo debetur), Gallicanis et Anglicanis descripta, ut plurima inde loca vel suppleri vel emendari queant. Suadet industrius labor sæpius laudati Grabii, qui paulo ante mortem Irenæum suum curis secundis recognitum, a plurimis mendis vindicatum novisque adnotationibus auctum luci publicæ destinaverat; licet *Vindiciæ* ipsius A *contra Renatum Massuetum*, quas Casimirus Oudinus in *Commentario* de scriptoribus ecclesiasticis memorat, inter manuscripta Grabiana neutiquam reperiantur. Suadent denique eruditissimæ observationes ineditæ Thomæ Aisleri, Eduardi Bernardi, Francisci Junii, Danielis Heinsii aliorumque, quas propria ipsorum manu adnotatas inveni et, ne sterili labore amplius delitescerent, in usum publicum selegi. Prologum etiam manuscripto codici Arundeliano Operum S. Irenæi præfixum et in Grabii atque Massueti editionibus omissum ex Bibliotheca regiæ societatis Londinensis, ubi iste codex asservatur, descripsi. »

—

CAPUT III.

De apparatibus criticis aliorum in editiones receptis.

I. *De scholiis Frontonis Ducæi et Jac. Billii.*

Fronto Ducæus et Jacobus Billius (in *Sacris Observationibus* I, 33 sqq. et II, 5. Paris. 1585 ad calcem epistolarum Isidori Pelus. editis) scholia plura ad Irenæum ediderant, quibus aut textum Latinum cum Græco collatum emendarunt, aut plerumque feliciter obscuros locos collustrarunt. Præsertim Billius nobis laudandus videtur ob summam doctrinam, criticum ingenii acumen, elegantem scribendi rationem, observationibus ipsius conspicua. Quorum duumvirorum scholia Feuardentius primus in editionem Irenæi recepit; neque a Grabio, Massueto et nobis neglecta sunt; eorum plurima in Apparatu typis expressa reperis.

II. *De observationibus Heumanni et Francisci Junii in hanc novam editionem receptis.*

E bibliotheca Academiæ Gottingensis ad me perlata est editio Erasmi Basileensis a. 1560, quæ olim fuit e libris Casp. A. Heumanni, professoris theol. Gottingensis. Vir doctissimus permultas emendationes in margine dictæ editionis ascripsit, inter quas eas reperi, quas in *Hamburg. vermischte Bibl.*, t. I, p. 144 sqq. publici juris fecit. Aliæ conjecturæ ingenium sagacissimum produnt; sed provido editori, cui fides et auctoritas codicum omnimodo tuenda et servanda est, plerumque respuendæ fuerunt; aliæ vero omnino nihil valere potuerunt ei, qui mentem Irenæi assecutus erat et scribendi ejus rationem penitius cognoverat.

Denique nobis commemorandus est criticus apparatus Francisci Junii, professoris olim theol. Lugduno-Batavi. Reperi enim in bibliotheca magniducali Vimarienst editionem Gallasii, in cujus margine tum magna copia emendationum, tum multa Græca fragmenta scripta sunt. Hæc editio transiit quondam in bibliothecam Marquardi Gudii, qui sub B titulo libri de istis adnotationibus manu exaratis hæc scripsit : « Lectionum varietates e vetere codice, supplementa etiam et fragmenta Græca ad hujus libri marginem ascripsit propria sua manu Franciscus Junius, theol. prof. Lugduni Batavorum. » Sed est quod Gudium errore deceptum esse censeam. Qui veteris Interpretis scribendi rationem callet, mecum jdubitare nequit, emendationes Junii non e codice, sed e sagacissimo jndicio profluxisse. Nonnunquam enim factum est, ut Junius elegante eruditione adjutus interpretem barbare scribentem corrigeret e ratione scribendi, qua scriptores classici, quos dicunt, usi sunt. Multa, quæ conjecit Junius et in charta per aquam glutinosam non densata pulcherrime et nitidissime scripsit, tam ingeniosum tamque eruditum et sagacem virum produnt, ut ejus conjecturas in notas meas recipiendi opportunitas jucundissima mihi fuerit. Doleo, adnotationes Franc. Junii finem libri I non C supergredi. Fragmenta Græca a Junio ex antiquissima Epiphanii editione exscripta sunt.

—

In Theoph. Christ. Harlesii *Supplementis ad introductionem in historiam linguæ Græcæ*, t. II, p. 203 legi hæc : *Variæ lectiones sunt margini* (editionis Grynæi) *ascriptæ, et Reinesius exemplari suo, quod servatur in bibliotheca Zitzensi, multas manu adjecit emendationes.* Speraham fore ut ex adnotationibus Reinesii, alioquin viri sagacissimi, aliquot fructus percipere possem. Sed spes me fefellit. Etenim plurima, quæ Reinesius ad marginem scripsit, pertinent ad capitum inscriptiones. Cætera tremente, uti videtur, manu tam pessime sunt scripta, ut vix legi queant. Quæ intentis oculis explicare potui, ea non satis digna visa sunt, quæ in meam editionem reciperem.

SELECTA VETERUM TESTIMONIA
DE IRENÆO EJUSQUE SCRIPTIS.

—

Martyres Lugaunenses et Viennenses sub M. Aurelio, in Epistola ad Eleutherum papam, apud Eusebium lib. v Hist. eccles., cap. 4.

Χαίρειν ἐν Θεῷ σε ἐν πᾶσιν εὐχόμεθα καὶ ἀεί, Πάτερ Ἐλεύθερε. Ταῦτά σοι τὰ γράμματα προετρεψάμεθα τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ. Εἰ D Te per omnia ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum, hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi.

Digitized by Google

γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς πρεσβύτερον Ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἂν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα. A

Quod si vero nobis compertum esset, locum cuiquam justitiam conferre, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet), tibi inter primos commendassemus.

Tertullianus lib. contra Valentinianos, cap. 5.

Nec undique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot jam viri, sanctitate et præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt, et retuderunt: ut Justinus philosophus et martyr, ut Miltiades Ecclesiarum sophista, ut Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus nostræ virginis senectæ et Christianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi.

Eusebius lib. II *Hist. eccles., cap.* 13.

Παρὸν τοῖς βουλομένοις, καὶ τῶν μετ' αὐτὸν (τὸν Σίμωνα) καταμέρος αἱρεσιαρχῶν τὰς ἀρχὰς, καὶ τοὺς βίους, καὶ τῶν ψευδῶν διδαγμάτων τὰς ὑποθέσεις, τά τε πᾶσιν αὐτοῖς ἐπιτετηδευμένα διαγνῶναι, οὐ κατὰ πάρεργον τῇ δεδηλωμένῃ τοῦ Εἰρηναίου παραδεδομένα βίβλῳ.

Non ipsius modo Simonis, sed et reliquorum hæreticæ pravitatis auctorum initia, vitam, falsorum dogmatum causas ac rationes, studia denique et instituta singulorum, ex supradictis Irenæi libris, a quo hæc accurate tradita sunt, licet volentibus cognoscere.

Idem lib. III, *cap.* 23.

Ὅτι δὲ εἰς τούτους ἔτι τῷ βίῳ περιῆν (Ἰωάννης), ἀπόχρη διὰ δύο πιστώσασθαι τὸν λόγον μαρτύρων· πιστοὶ δ' ἂν εἶεν οὗτοι, τῆς ἐκκλησιαστικῆς πρεσβεύσαντες ὀρθοδοξίας, εἰ δὴ τοιοῦτοι Εἰρηναῖος καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεύς· ὧν ὁ μὲν πρότερος ἐν δευτέρῳ τῶν Πρὸς τὰς αἱρέσεις, ὧδέ πως γράφει κατὰ λέξιν· *Καὶ πάντες*, etc. B

Quod autem Joannes ad hæc usque tempora (Trajani) pervenerit, duorum testium auctoritate probare sufficiet. Sunt porro hi testes fide dignissimi, quippe qui rectæ semper catholicæque doctrinæ propugnatores exstiterint: Irenæum dico, et Clementem Alexandrinum. Quorum prior in secundo *Adversus hæreses* libro ita scribit: *Et omnes*, etc. *Vid. lib.* II, *cap.* 22.

Idem lib. V, *cap.* 5.

Ποθεινοῦ δὴ ἐφ' ὅλοις τῆς ζωῆς ἔτεσιν ἐνενήκοντα σὺν τοῖς ἐπὶ Γαλλίας μαρτυρήσασι τελειωθέντος, Εἰρηναῖος τῆς κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἡγεῖτο παροικίας, τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. Πολυκάρπου δὲ τοῦτον ἀκουστὴν γενέσθαι κατὰ τὴν νέαν, ἐμανθάνομεν, ἡλικίαν.

Cum Pothinus anno ætatis nonagesimo una cum Gallicanis martyribus cæsus esset, episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ post illum suscepit Irenæus. Quem quidem in adolescentia Polycarpi auditorem fuisse comperimus.

Eodem lib. V. *cap.* 20.

Ἐξεναντίας τῶν ἐπὶ Ῥώμης τὸν ὑγιῆ τῆς Ἐκκλησίας θεσμὸν παραχαραττόντων, Εἰρηναῖος διαφόρους ἐπιστολὰς συντάττει· τὴν μὲν ἐπιγράψας πρὸς Βλάστον *Περὶ σχίσματος*, τὴν δὲ πρὸς Φλωρῖνον *Περὶ μοναρχίας*, ἢ *Περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν Θεὸν ποιητὴν κακῶν*. Ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης οὗτος ἐδόκει προασπίζειν· δι' ὃν αὖθις ὑποσυρόμενον τῇ κατὰ Οὐαλεντῖνον πλάνῃ, καὶ τὸ *Περὶ ὀγδοάδος* συντάττεται τῷ Εἰρηναίῳ σπούδασμα· ἐν ᾧ καὶ ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχὴν..... ἐν ᾗ γε μὴν προειρήκαμεν πρὸς τὸν Φλωρῖνον ὁ Εἰρηναῖος ἐπιστολῇ αὖθις τῆς ἅμα Πολυκάρπῳ συνουσίας αὐτοῦ μνημονεύει λέγων· *Τὰ δόγματα*, etc. C

Adversus illos, qui sinceram Ecclesiæ legem adulterabant, Irenæus varias conscripsit epistolas: alteram ad Blastum, quam inscripsit *De schismate;* alteram ad Florinum *De monarchia*, seu quod *Deus non sit conditor malorum*. Eam enim opinionem hic defendere videbatur. Qui cum postea in errorem Valentini abreptus fuisset, iterum Irenæus ejus gratia librum *De octonario* composuit. In quo etiam libro primam se apostolorum successionem contigisse significat.—Porro in ea ad Florinum epistola, de qua jam prius dixi, idem Irenæus se cum Polycarpo familiariter esse versatum prodit his verbis: *Hæc dogmata*, etc. *Vide Fragmenta deperditorum Irenæi Tractatuum in calce hujus operis, fragm.* II.

Eodem lib. V, *cap.* 24.

Καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας, παρίσταται μὲν τὸ δεῖν ἐν μόνῃ τῇ τῆς Κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς τοῦ Κυρίου ἀναστάσεως ἐπιτελεῖσθαι μυστήριον· τῷ γε μὴν Βίκτορι προσηκόντως, ὡς μὴ ἀποκόπτοι ὅλας Ἐκκλησίας Θεοῦ, ἀρχαίου ἔθους παράδοσιν ἐπιτηρούσας, πλεῖστα ἕτερα παραινεῖ, καὶ αὐτοῖς δὲ ῥήμασι τάδε ἐπιλέγων· *Οὐδὲ γὰρ μόνον*, etc. Καὶ ὁ μὲν Εἰρηναῖος φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιὸς, τοιαῦτα ὑπὲρ τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης παρεκάλει τε καὶ ἐπρέσβευεν. Ὁ δ' αὐτὸς οὐ μόνον τῷ Βίκτορι, καὶ διαφόροις δὲ πλείστοις ἄρχουσιν Ἐκκλησιῶν, τὰ κατάλληλα δι' ἐπιστολῶν, περὶ τοῦ κεκινημένου ζητήματος ὡμίλει. D

Irenæus in Epistola, quam scripsit (*ad Victorem de dissensione ob celebrationem Paschatis*) nomine fratrum, quibus præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum; Victorem tamen inter plura alia decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat, et his insuper utitur verbis: *Neque enim solum*, etc. (*Vide fragm.* III.) Ac Irenæus quidem nomini suo respondens, ac proposito pacificus, pro Ecclesiarum pace hæc monuit et allegavit. Neque vero ad Victorem solum, sed ad multos alios Ecclesiarum antistites de agitata quæstione litteras in eamdem sententiam misit.

Denique cap. 26.

Ἀλλὰ γὰρ πρὸς τοῖς ἀποδοθεῖσιν Εἰρηναίου συγγράμμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς, φέρεταί τις αὐτοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγος συντομώτατος καὶ ταμάλιστα ἀναγκαιότατος, *Περὶ Ἐπιστήμης*, ἐπιγεγραμμένος· καὶ ἄλλος, ὃν ἀνατέθεικεν ἀδελφῷ Μαρκιανῷ τοὔνομα, εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος· καὶ βιβλίον τι *Διαλέξεων διαφόρων*, ἐν ᾧ τῆς πρὸς

Cæterum præter supradicta Irenæi opera et Epistolas, exstat etiam brevissimus et in primis necessarius ejusdem liber *Adversus gentes*, qui *De scientia* inscribitur. Alius præterea Marciano fratri nuncupatus, qui demonstrationem continet apostolicæ prædicationis. Denique libellus *Variarum disputationum*, in quo Epistolæ ad Hebræos, et Sa-

Digitized by Google

pientiæ Salomonis mentionem facit, et quasdam sententias ex istis libris adducit. Atque hæc sunt quæ ex Irenæi scriptis ad nostram notitiam pervenerunt.

A Ἑβραίους Ἐπιστολῆς καὶ τῆς λεγομένης Σοφίας Σολομῶντος μνημονεύει, ῥητά τινα ἐξ αὐτῶν παραθέμενος. Καὶ τὰ μὲν εἰς ἡμετέραν ἐλθόντα γνῶσιν τοῦ Εἰρηναίου τοσαῦτα.

Epiphanius Hæres. XXIV, § 8.

Beatus ille apostolorum successor Irenæus subtilius ea de re disputans, Basilidis stultitiam cum pari imbecillitate conjunctam admirabiliter convicit.

Θαυμαστῶς ὁ μακάριος Εἰρηναῖος, ὁ τῶν ἀποστόλων διάδοχος, περὶ τούτου λεπτολογῶν, διήλεγξε τούτου (τοῦ Βασιλείδου) τὴν ἀβελτηρίαν καὶ ἀδράνειαν.

Idem hæres. XXXI, § 33.

Hæc atque his similia optimus ille senex Irenæus totidem verbis de vanissimis illorum opinionibus disseruit, vir omnino Spiritus sancti donis instructissimus, ac cœlestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctus : qui sinceræ fidei ac scientiæ præsidiis omnia illorum prostravit evertitque mendacia. Quod in secundo libro ac sequentibus aliis potissimum perfecit, ubi illos uberiore stylo confutavit : cum velut humi abjectum, ac superatum adversarium trahere, ac quodammodo triumphare visus est velle, et profligati nugatoris impudentem magis quam fortem ad provocandum audaciam palam omnibus detegere.

Ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα ὁ προειρημένος ἀνὴρ πρεσβύτης Εἰρηναῖος, ὁ κατὰ πάντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου κεκοσμημένος, ὡς γενναῖος ἀθλητὴς ὑπὸ τοῦ Κυρίου προβεβλημένος, καὶ ἐπαλειφθεὶς τοῖς ἐπουρανίοις χαρίσμασι, τοῖς κατὰ τὴν ἀληθινὴν πίστιν καὶ γνῶσιν, καταπαλαίσας τε καὶ καταγωνισάμενος τὴν πᾶσαν αὐτῶν ληρώδη ὑπόθεσιν, διεξῆλθε κατὰ λόγον τὰ ὑπ' αὐτῶν κενοφωνούμενα. Ἀκρόατα δὲ αὐτοῖς ἐν τῷ ἑξῆς δευτέρῳ αὐτου λόγῳ καὶ τοῖς ἄλλοις διήλεγξε περιττοτέρως, βουλόμενός πως τὸν χαμαὶ ῥιφέντα, καὶ εἰς ἧτταν τραπέντα σῦραι, καὶ ἐνώπιον πάντων θριαμβεῦσαί τε καὶ φωράσαι τὴν ἐν αὐτῷ τῷ ῥιφέντι ἀναίσχυντόν τε καὶ ἀσθενῆ πρόκλησιν ματαιοφροσύνης.

Cyrillus Hierosol. Cateches. XVI *Illuminatorum.*

Impiissimi omnium hæretici etiam contra Spiritum sanctum acuerunt linguam, et ausi sunt dicere nefanda : quemadmodum Irenæus interpres in Institutionibus contra Hæreses scripsit.

Οἱ περὶ πάντα ἀνοσιώτατοι αἱρετικοὶ καὶ κατὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ὤξυναν γλῶσσαν, καὶ ἐτόλμησαν τὰ ἀθέμιτα, καθὼς Εἰρηναῖος ὁ ἐξηγητὴς ἐν τοῖς προστάγμασι τοῖς πρὸς τὰς Αἱρέσεις ἔγραψεν.

Basilius lib. De Spiritu sancto, cap. 29.

Irenæus ille, qui vicinus fuit apostolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus faciat, disputans adversus hæreses, audiamus : *Eos autem qui ineffrænati,* etc.

Εἰρηναῖος ἐκεῖνος, ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, πῶς ἐμνήσθη τοῦ Πνεύματος ἐν τῷ πρὸς τὰς Αἱρέσεις λόγῳ, ἀκούσωμεν. *Τοὺς δὲ ἀχαλιναγωγήτους,* etc.

Ephrem Syrus tractatu De virtute, cap. 8.

Pulchre et magnifice quidam sanctorum (Irenæus) C enuntiavit, dum hunc in modum docens ait : *Cum sit igitur tale,* etc. *Contra hæreses. lib.* V, *cap.* 28.

Καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτω διδάξας, καί φησιν· *Τοιαύτης,* etc.

Socrates Corinthius ad calcem historiæ de martyrio S. Polycarpi.

Atque hæc ex codice Irenæi, discipuli Polycarpi, descripsit Gaius, qui etiam cum Irenæo versatus est. Ego vero Socrates Corinthius ex Gaii exemplari transcripsi. Gratia sit cum omnibus.

Ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος, ἐκ τοῦ Εἰρηναίου, μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ· ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τοῦ Γαΐου ἀντιγράφου ἔγραψα. Ἡ χάρις μετὰ πάντων.

Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum.

Irenæus Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario, ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. Constat autem Polycarpi, cujus supra fecimus mentionem, sacerdotis et martyris, hunc fuisse discipulum. Scripsit quinque *Adversus hæreses* libros, et *Contra gentes* volumen breve, et *De disciplina* aliud, et ad Marcianum fratrem *De apostolica prædicatione*, et librum *Variorum tractatuum*, et ad Blastum *De schismate*, et ad Florinum *De Monarchia*, sive, *Quod Deus non sit conditor malorum*, et *De Octava* egregium commentarium, in cujus fine significans se apostolicorum temporum vicinum fuisse, sic subscripsit :

Adjuro te qui transcribis librum istum, per Dominum Jesum Christum, et per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos et mortuos, ut conferas postquam transcripseris, et emendes illum ad exemplar, unde scripsisti, diligentissime : hanc quoque obtestationem similiter transferas, ut invenisti in exemplari. Feruntur ejus et aliæ ad Victorem episcopum Romæ de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum, non facile debere unitatem collegii scindere : siquidem Victor multos Asiæ et Orientis episcopos, qui decima quarta luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat : in qua sententia hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. Floruit maxime sub Commodo principe, qui Marco Antonino Vero in imperium successerat.

Eadem omnino Hieronymi verba descripsit Freculphus Lexoviensis, Chronic. tom. II, lib. II, *c.* 22.

Idem in cap. LXIV *Isaiæ.*

De quibus (*variis priscorum hæreticorum portentis*) diligentissime vir apostolicus scribit Irenæus, episcopus Lugdunensis et martyr, multarum origines explicans hæreseon, et maxime Gnosticorum, qui per Marcum Ægyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas deceperunt, miscentes fabulis voluptatem, et imperitiæ suæ nomen scientiæ vindicantes.

Et in Epistola 53, *al.* 29, *ad Theodorum viduam, t.* IV *novæ edit.*

Refert Irenæus, vi apostolicorum temporum, et Papiæ, auditoris evangelistæ Joannis, discipulus, epi-

Digitized by Google

scopus Ecclesiæ Lugdunensis, quod Marcus quidam, de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venerit, et eas partes, per quas Rhodanus et Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit, maximeque nobiles feminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus et secreta corporum voluptate amorem sui concilians : inde Pyrenæum transiens, Hispanias occuparit ; et hoc studii habuerit, ut divitum domos, et in ipsis feminas maxime appeteret, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille scripsit ante annos circiter trecentos ; et scripsit in iis libris, quos adversus omnes hæreses doctissimo et eloquentissimo sermone composuit.

Augustinus lib. 1 *contra Julianum Pelagianum cap.* 3 *et* 7.

Tu qui tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quos et quales viros, et quantos fidei catholicæ defensores tam exsecrabili criminatione appetere audeas, si evigilas, intuere. — Irenæus Lugdunensis episcopus non longe a temporibus apostolorum fuit. Iste ait, *non aliter salvari ab antiqua serpentis plaga*, etc. (*lib.* IV, *cap.* 2). Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? — Si assertores eos flagitas, quorum aliquid etiam litterarum inveniri potest, illustrisque doctrina est, en adest assertorum ejus memorabilis et venerabilis consessus atque consensus. Sanctus Irenæus dicit, antiquam serpentis plagam fide Christi et cruce sanari, et quod protoplasti peccato fuimus tanquam vinculis alligati, etc.

Justinus in responsione ad Quæstionem 115 *ad Orthodoxos.*

Ὁ μακάριος Εἰρηναῖος ὁ μάρτυρ καὶ ἐπίσκοπος Λουγδούνου, ἐν τῷ *Περὶ τοῦ Πάσχα* λόγῳ, etc. A

Beatus Irenæus martyr et Lugdunensis episcopus in libro *De Pascha*, etc. *Vide fragmenta deperditorum tractatuum S. Irenæi, fragm.* VII.

Theodoretus Dialogo I, *pag.* 33 *B.*

Εἰρηναῖος τῆς Πολυκάρπου διδασκαλίας ἀπήλαυσεν· ἐγεγόνει δὲ φωστὴρ Γαλατῶν τῶν ἑσπερίων.

Irenæus Polycarpi auditor et discipulus fuit, lumenque occidentalium Gallorum.

Idem in Præfatione Hæreticarum fabularum.

Τοὺς μέντοι τῶν παλαιῶν αἱρέσεων μύθους ἐκ τῶν παλαιῶν τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλων συνέλεξα, Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου καὶ μάρτυρος, καὶ Εἰρηναίου τοῦ τὰ Κελτικὰ καὶ γεωργήσαντος καὶ φωτίσαντος ἔθνη.

Antiquarum porro hæreseon fabulas ex antiquis Ecclesiæ doctoribus collegi, Justino philosopho et martyre, et Irenæo qui Celticas gentes excoluit et illuminavit, etc.

Idem lib. 1 *Hæret. Fabularum, cap.* 5.

Εἰρηναίου, τοῦ τὴν Ἑσπέραν φωτίσαντος, ἀνδρὸς ἀποστολικοῦ, παραθήσομαι μαρτυρίαν. Λέγει δὲ, κ.τ.λ., Ταῦτα μὲν οὖν ὁ θαυμάσιος Εἰρηναῖος.

Irenæi, viri apostolici, qui Occidentem illustravit, proferam testimonium. Sic autem scribit, etc. Hæc ergo de his dixit admirandus Irenæus.

Gregorius Turonensis lib. I *Historiæ Francorum, cap.* 29.

Beatissimus Irenæus, hujus successor martyris (Pothini) qui a beato Polycarpo ad hanc urbem (Lugdunum) directus est, admirabili virtute enituit; qui in modici temporis spatio, prædicatione sua, maxime in integro civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem divini nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano; quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum, diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit.

Idem lib. 1 *De gloria martyrum, cap.* 5.

Martyrio consummatus gloriosus Pothinus episcopus, qui Lugdunensi præfuit urbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum invectus est cœlo. Cui et merito, et sanctitate condignus Irenæus successit episcopus, per martyrium et ipse finitus. Hic in crypta Basilicæ B. Joannis sub altari est sepultus; et ab uno quidem latere Epipodius, ab alio vero Alexander martyr est tumulatus.

Gregorius I papa lib. XI *registri epist.* 56 (*nov. edit.*) *ad Ætherium Lugdun. episcopum.*

Gesta vel scripta B. Irenæi jam diu est quod sollicite quæsivimus; sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit.

Anastasius Sinaita l. VII *Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron, tom.* IX *Bibliothecæ PP. edit. Lugdun.*, 1677, *p.* 892. — *Ex cod. Colbertino* 2255.

Ἀκούεις ὅτι ἀφ' οὗ εἰσῆλθεν ὥσπερ τις θεία φύσις, τὸ θεῖον ἐμφύσημα εἰς τὸ γηγενὲς σῶμα τοῦ Ἀδάμ, εὐθέως ἡ Γραφὴ οὐχ ἁπλῷ ὀνόματι προσηγόρευσεν, ἀλλ' ὡσανεὶ συνθέτῳ Χριστῷ ὄντι, Θεὸν καὶ Κύριον αὐτὸν ὠνόμασεν· καθὰ καὶ εἰς τὰ ἀκριβῆ καὶ ἀνόθευτα, καὶ ἀρχαῖα τῶν ἀντιγράφων ἐρευνήσαντες, μετὰ πολλῆς ἀκριβείας εὑρήκαμεν, εἰς τὰ Κλήμεντος, καὶ Εἰρηναίου, καὶ Φίλωνος τοῦ φιλοσόφου, καὶ τοῦ τὰ Ἑξαπλᾶ συστησαμένου στιχθέντα. B

Audis quod ex quo ingressa est (tanquam divina quædam natura) divina insufflatio in terra natum corpus Adami, statim Scriptura non simplici nomine appellavit, sed (utpote quod Christus non solum esset Deus) Deum et Dominum eum composite nominavit, quomodo in sinceris et non adulteratis, antiquisque exemplaribus diligentissime scrutati invenimus; iis, inquam, quæ notata fuerant a Clemente, et Irenæo, et Philone philosopho, et ab eo qui Hexapla composuit.

Et paulo post, p. 893.

Οἱ μὲν οὖν ἀρχαιότατοι τῶν Ἐκκλησιῶν ἐξηγητῶν· λέγω δὴ, Φίλων ὁ φιλόσοφος καὶ τῶν ἀποστόλων ὁμότροπος, καὶ Παπίας ὁ πολὺς, ὁ Ἰωάννου Εὐαγγελιστοῦ φοιτητής, ὁ Ἱεραπολίτης, Εἰρηναῖός τε ὁ Λουγδουνεὺς, καὶ ὁ Ἰουστῖνος ὁ μάρτυς καὶ φιλόσοφος, Παντανετός (leg. Πανταινός) τε ὁ Ἀλεξανδρεὺς, καὶ

Veteres ergo Ecclesiarum interpretes, Philo, inquam, philosophus et tempore æqualis apostolis, et celebris Papias Hierapolitanus, Joannis evangelistæ discipulus, et Irenæus Lugdunensis, et Justinus martyr et philosophus, et Pantænus Alexandrinus, et Clemens Stromateus, et eorum asseclæ,

Digitized by Google

spiritualiter sunt contemplati de Christi Ecclesia, ea quæ scripta sunt de paradiso.

A Κλήμης ὁ Στρωματεὺς, καὶ οἱ ἀμφ' αὐτοὺς πνευματικῶς τὰ περὶ παραδείσου ἐθεωρήθησαν εἰς τὴν Χριστοῦ Ἐκκλησίαν ἀναφερόμενα.

Lib. x, *p.* 910.

Hanc (sententiam, *Et dixit serpens mulieri*) qui historice potius quam spiritaliter, verbis inhærentes accipiunt, nescio qua ratione Irenæi argumenta solvere valeant. Nam dicit, adversus impurorum Ophitarum hæresiarchiam decertans : *Qui fieri potest*, etc.

Ἦν οἱ ἱστορικῶς, καὶ μὴ μᾶλλον πνευματικῶς ἐκλαμβάνοντες, ἀλλὰ λεξιτηροῦντες, οὐκ οἶδα ὅπως τὰς ὑπὸ Εἰρηναίου πρὸς αὐτοὺς προτάσεις ἐπιλύονται. Φάσκει γὰρ κατὰ τῆς τῶν μιαρῶν Ὀφιτῶν αἱρεσιαρχίας ὁπλιζόμενος· *Πῶς δύνατον*, κ. τ. λ.

Maximus, Schol. in cap. 9 *Dionysii De divin. nomin.*

Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus fui. Id est, idem ego mihi ipsi, ut Irenæus dicit in libris contra hæreses.

Ἐγὼ ὁράσεις ἐπλήθυνα, καὶ ἐν χερσὶ τῶν προφητῶν ὡμοιώθην. Τούτεστιν, αὐτὸς ἐγὼ ἐμαυτῷ, ὡς Εἰρηναῖος λέγει ἐν τοῖς *Καθ' αἱρέσεων.*

Idem, Schol. in cap. 7 *De eccles. hierarch.*

Papias lib. IV *Dominicarum* suarum *explanationum* scripsit, fore in resurrectione voluptates, quæ percipiuntur ex cibis, etc. Quin et Irenæus Lugdunensis episcopus lib. V *Adversus hæreses* idem tradit, ubi prædictum Papiam dictis suis testem adhibet.

B Παπίας ἐν τῷ τετάρτῳ αὐτοῦ βιβλίῳ τῶν Κυριακῶν ἐξηγήσεων, τὰς διὰ βρωμάτων εἶπεν ἐν τῇ ἀναστάσει ἀπολαύσεις, κ. τ. λ. Καὶ Εἰρηναῖος δὲ ὁ Λουγδούνου, ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων πέμπτῳ λόγῳ, τὸ αὐτό φησι, καὶ παράγει μάρτυρα τῶν ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένων, τὸν λεχθέντα Παπίαν.

Beda in Martyrologio, IV *Kalend. Junii.*

Lugduno Galliæ, sancti Irenæi episcopi (*subintellige*, memoria celebratur), qui cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatus est martyrio sub Severo principe, sepultusque a Zacharia presbytero in crypta Basilicæ B. Joannis Baptistæ sub altari.

Photius in Bibliotheca, cod. 120.

Legimus volumen Irenæi episcopi Lugdunensis (est autem Galliæ Celticæ urbs Lugdunum), sic inscriptum : *Libri quinque elenchi atque confutationis falso dictæ cognitionis*, id est, *contra hæreses.* Quorum primus de Valentino agens, atque ab impio ejus errore ducens initium, rursum quasi relato pede, altiusque origine repetita, narrat porro a Simone Mago usque ad Tatianum; qui Justini C Martyris primum discipulus, in errorem tandem hæresis præceps ruit. Disserit præterea de iis, qui proprie Gnostici appellantur, itemque de Caïnis, exsecranda illorum dogmata exponens. Et hæc quidem libro primo. Ast secundo ea refellit quæ ab hæreticis impie asseruntur. Tertius varia adversus illos affert S. Scripturæ testimonia. Quartus autem ab hæreticis objectas quæstiones diluit. Quintus tandem, quæcunque per parabolas a Christo dicta factave fuerunt, ex reliqua ejusdem salutifera doctrina, nec non ex apostolorum Epistolis, hæreticorum imposturis refellendis aptissima esse demonstrat. Plura vero ejusdem S. Irenæi ac varia scripta, et epistolæ circumferuntur, etsi in aliquibus ecclesiasticorum dogmatum certa veritas spuriis rationibus fucari videtur, quæ observasse convenit. Aiunt hunc Polycarpi ejus, qui S. Martyr et Smyrnæ episcopus fuit, discipulum fuisse ; presbyterum vero Pothini, cui et in Lugdunensi episcopatu successit. Cæterum Victor ea tempestate Romæ pontificatum tenuit, quem crebris litteris hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem D ab Ecclesia aliquos abdicaret.

Ἀνεγνώσθη βιβλίον Εἰρηναίου ἐπισκόπου Λουγδούνων (ἐν Κελτοῖς δὲ τὰ Λούγδουνα), *Λόγοι πέντε*, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, *ἔλεγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, τοῦτο δέ ἐστι, *κατὰ αἱρέσεων.* Ὧν ὁ πρῶτος διαλαμβάνων περὶ Οὐαλεντίνου, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἀθέου πλάνης ἀπάρχεται, ὥσπερ ἀναποδίζων καὶ ἄνωθεν διεξιὼν ἀπὸ Σίμωνος τοῦ Μάγου, ἄχρι Τατιανοῦ· ὃς τὰ πρῶτα μαθητὴς Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος χρηματίσας, ὕστερον εἰς πλάνην μετεκυλίσθη αἱρέσεως. Ἔτι δὲ διαλαμβάνει περὶ τῶν ἰδίως Γνωστικῶν λεγομένων, καὶ τῶν Καϊνῶν, τὰ βδελυρὰ αὐτῶν ἐκτιθεὶς δόγματα· ἐν οἷς καὶ πρῶτος λόγος. Ὁ δὲ δεύτερος ἀνατροπὴν περιέχει τοῖς αἱρεσώταις ἀσεβῶς δογματιζομένοις. Ὁ δὲ τρίτος καὶ Γραφικὰς κατ' αὐτῶν προκομίζει παντοδαπὰς μαρτυρίας. Ὁ δὲ τέταρτος τὰς παρὰ τῶν αἱρετικῶν προτεινομένας ἀπορίας διαλύει. Καὶ ὁ πέμπτος δὲ ὅσα διὰ παραβολῶν ἐλέχθη τε καὶ Ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἐκ τῶν ὑπολοίπων τῆς σωτηριώδους αὐτοῦ διδασκαλίας, καὶ ἐκ τῶν ἀποστολικῶν ἐπιστολῶν, ταῖς αἱρετικαῖς τερατείαις εἰς ἔλεγχον ἁρμόζειν παρίστησι. Πολλὰ δὲ τοῦ θεσπεσίου Εἰρηναίου, καὶ παντοδαπὰ, καὶ ἕτερα συγγράμματα, καὶ ἐπιστολαὶ φέρονται, εἰ καὶ ἔν τισιν αὐτῶν ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται, ἃ χρὴ παρασημαίνεσθαι. Τοῦτόν φασι γενέσθαι Πολυκάρπου μὲν τοῦ ἱερομάρτυρος Σμύρνης ἐπισκόπου μαθητὴν, πρεσβύτερον δὲ Ποθεινοῦ, οὗ καὶ τῆς ἐπισκοπῆς τῶν Λουγδούνων διάδοχος κατέστη. Βίκτωρ δὲ ἄρα κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ῥώμης ἐπεσκόπει, πρὸς ὃν καὶ πολλάκις γράφει, παραινῶν μὴ ἕνεκα τῆς περὶ τοῦ Πάσχα διαφωνίας τινὰς τῆς Ἐκκλησίας ἀποκηρύττειν.

Ado Viennensis in Chronico, ætate sexta, ad annum 181 *et* 195.

Irenæus episcopus Lugdunensis habetur. Severus Pertinax quinta hortante (horrenda) persecutione Christianos excruciavit, plurimique sanctorum per diversas provincias martyrio coronati. Tunc temporis et Irenæus Lugdunensis cum maxima multitudine martyrium suum perfecit.

Usuardus in Martyrologio, IV *Kalend. Junii.*

Apud Lugdunum Galliæ, sancti Irenæi episcopi et martyris; quem constat B. Polycarpi sacerdotis et martyris fuisse discipulum, ut scribit Hieronymus, et apostolorum temporibus vicinum. Postea vero persecutione Severi, cum omni fere civitatis suæ populo, glorioso coronatus est martyrio.

Menæum Græcorum, ad d. 23 *Augusti.*

Eadem die, *memoria* sancti Martyris Irenæi, episcopi Lugdunensis.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος *Εἰρηναίου*, ἐπισκόπου Λουγδούνων.

Amat Irenæus ense terris digredi;
Nam totus hausit amore cælos igneo.

Σπεύδει λιπεῖν γῆν ἐκ ξίφους Εἰρηναῖος·
Ἐρωτιᾷ γὰρ τῷ πρὸς οὐρανοὺς πόθῳ.

Digitized by Google

Οὗτος ὑπῆρχεν ἐν τοῖς χρόνοις Μάρκου Ἀντωνίνου τοῦ βασιλέως, ἀρχαῖος ἀνὴρ, διάδοχος τῶν μακαρίων ἀποστόλων, χρηματίσας ἐπίσκοπος Λουγδούνων τῆς Γαλλίας. Ὅστις βιβλία πλεῖστα τῇ Ἐκκλησίᾳ καταλέλοιπε, τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν βεβαιῶν· ἐξ ὧν οἱ μεταγενέστεροι τὰς ἀφορμὰς τῆς ἑρμηνείας τῶν θείων Γραφῶν ἔλαβον.

Οὗτος μετὰ Ποθεινὸν ἐπίσκοπον τῆς εἰρημένης πόλεως, ὑπὲρ Χριστοῦ ἀθλήσαντα, τοὺς οἰακας δεξάμενος, καὶ πολλοῖς λόγοις, καὶ παραινέσεσιν, ἐκ τῆς πλάνης τῶν εἰδώλων ἁφαρπάσας, καὶ τῷ Χριστῷ πολλοὺς μάρτυρας προσαγαγών, τελευταῖον καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῶν διωκόντων ξίφει τελειωθεὶς, στεφανοῦται. A

Fuit hic temporibus Marci Antonini imperatoris, homo priscus, beatorum apostolorum successor, Lugdunensium in Gallia creatus episcopus. Qui libros plurimos Ecclesiæ reliquit, nostram confirmans fidem; e quibus posteri interpretationis divinarum Scripturarum occasiones desumpserunt.

Is post Pothinum dictæ urbis episcopum, qui pro Christo decertavit, cum suscepisset Ecclesiæ gubernaculum, multisque libris et orationibus cohortatoriis ab idolorum errore plurimos eripuisset, ac Christo martyres obtulisset, tandem et ipse a persequentibus gladio peremptus, coronatur.

Anonymus auctor Martyrii S. Ferreoli presbyteri, et Ferruccionis diaconi, ac sociorum ejus, apud Surium tom. VIII, ad diem 16 Junii.

Eodem tempore quo summus sacerdos et martyr Ecclesiæ Lugdunensis, S. Irenæus episcopus Christi, lumen æternum et splendor justitiæ publice suam prædicationem in Galliis dederat, et assidue verbum Domini nostri Jesu Christi gentibus declararat, sanctum Ferreolum presbyterum, et Ferruccionem diaconum ad Vesunsensem civitatem vere ut fundamentum fortissimum ad fundandam supra petram Christi Ecclesiam misit : et sicut angularis lapis sponsi cœlestis, et ut margaritæ resplendentes fulgebant, per quos nomen æternum et splendor gloriæ gentibus, quæ in tenebris jacebant, coruscaret; ut eorum prædicatione ad baptismatis gratiam convolarent in quibus erat mira virtus Christi. In verbo enim et sapientia strenui, vultum angelicum et Domini servitutibus aptum manifeste populis demonstrabant. Augebatur catholica fides, lætabantur de confuso et victo diabolo quotidie Christiani; qui, derelinquentes idola, sequebantur Christi vestigia. Similiter sanctus Irenæus Felicem presbyterum, Fortunatum et Achilleum diaconos, ex suo latere ante gloriosum martyrium suum Valentiam dirigit in urbem. Quibus ingressis, talem Dominus athletis suis contulit gratiam, ut illa paganorum multitudo, quæ in tenebris jacebat, eos plenissimo affectu diligeret.

***Excerptum ex Refutatione Confessionis Cyrilli Lucaris, Patriarchæ Constantinopolitani, auctore Meletio Syrigo, Hieromonacho, Doctore Magnæ Ecclesiæ, qui opus illud absolvit anno* MDCXL (*a*).**

Ὁ δὲ Εἰρηναῖος ἐν τῷ δ' βιβλίῳ τῶν *Κατὰ αἱρεσέων* κεφ. λδ' διαλεγόμενος κατὰ τῶν ἀρνουμένων τὸν Χριστὸν Υἱὸν εἶναι τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων, καὶ ποιητὴν τοῦ κόσμου τούτου, φησὶν οὕτω· *Πῶς δὲ αὐτοῖς γνωσθήσεται τὸν εὐχαρισθέντα ἄρτον σῶμα εἶναι τοῦ Κυρίου αὐτοῦ, καὶ τὸ ποτήριον αἷμα αὐτοῦ, εἰ μὴ αὐτὸν ἀποφαίνοιντο Υἱὸν τοῦ τὸν κόσμον πλάσαντος, τοῦτ' ἔστι Λόγον αὐτοῦ, δι' οὗ ξύλα καρποφορεῖ, καὶ πῆγαι βλύζουσιν· δς πρῶτον μὲν χόρτον ἀναδίδωσιν, ἔπειτα δὲ στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυϊ;* συλλογιζόμενος διὰ τούτων, ἐκ τῆς παντοδυνάμου τοῦ Ἰησοῦ ἰσχυος, τῆς περὶ τὴν ποίησιν τῆς κτίσεως, εἰς τὴν του ἄρτου εἰς σῶμα αὐτοῦ μεταποίησιν. Καὶ ἐν αὐτῷ κεφ. *Πῶς δὲ πάλιν λέγουσι τὴν σάρκα ἡμῶν εἰς φθορὰν ἔρχεσθαι, καὶ μὴ ἀναλαμβάνειν ζωὴν, ἥτις τῷ σώματι τοῦ Κυρίου καὶ τῷ αἵματι τρέφεται;* Καὶ μετ' ὀλίγα· *Ὥσπερ γὰρ ὁ ἀπὸ γῆς ἄρτος τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησιν δεξάμενος, οὐκ ἔτι ἐστὶ κοινὸς ἄρτος, ἀλλ' εὐχαριστία ἐκ δύο συνισταμένη πραγμάτων, γηΐνου τε καὶ ἐπουρανίου, οὕτω καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα τὴν Εὐχαριστίαν λαμβάνοντα, οὐκέτι εἰσὶ φθαρτὰ, τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως ἔχοντα.* Εἰγοῦν τὰ ἡμέτερα σώματα τῇ τῆς Εὐχαριστίας μεταλήψει ἀπαθανατίζονται, οὐκ ἄρα μόνῃ τῇ ψυχῇ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα τὸ ἐν τῷ οὐρανῷ διὰ τῆς πίστεως μετέχεται, ἀλλὰ καὶ τοῖς σώμασι, τοῖς διὰ τῆς Εὐχαριστίας ἀφθαρτιζομένοις τὸ αὐτὸ ὅλως ὄν, ἐν τῇ Εὐχαριστίᾳ, τῷ καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχοντι τοῦ τρόπου μόνον ἐναλλαττομένου. Εἰ δὲ καὶ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, οὐκέτι ψιλός ἐστιν ἄρτος, ἀλλ' Εὐχαριστία, σύνθετος ἐκ γηΐνου καὶ οὐρανίου· ἔχει ἄρα ἐν ἑαυτῷ τὸ οὐράνιον ἐκεῖνο σῶμα, μεθ' οὗ καὶ συντίθεται. Καὶ εἰ ἀληθές ἐστιν ὃ φησιν, ὅτι καθὼς ὁ κοινὸς ἄρτος διὰ τῆς θείας ἐπικλήσεως, εἰς Εὐχαριστίαν μεταβαίνει, οὕτω καὶ τὰ ἡμέτερα ταύτης μεταλαβόντα εἰς ἀφθαρσίαν μεταποιεῖται, ἡμῶν δὲ τὰ σώματα κυρίως καὶ ἀληθῶς ἀπαθανατίζονται· κυρίως ἄρα καὶ ἀληθῶς, καὶ ὁ κοινὸς ἄρτος διὰ τῆς εὐλογίας εἰς σῶμα Χριστοῦ μεταβάλλεται. B C

Irenæus vero in lib. IV *Contra hæreses*, cap. 34, disputans adversus eos qui negabant Christum esse Filium Conditoris rerum omnium, mundique hujus opificem, sic ait : *Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini ipsius; et calicem, sanguinem ejus, si non ipsum Fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod ligna fructificant, et fontes scaturiunt; quod dat primum quidem fenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?* per hæc inferens ex omnipotentis Jesu virtute, quæ in rerum conditarum creatione elucet, transmutationem panis in corpus ejus. Et in eodem capite: *Quomodo rursus dicunt carnem nostram corrumpi et vitam non recipere quæ corpore Domini et sanguine nutritur?* Et paulo post: *Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti; sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Si ergo corpora nostra ipsa Eucharistiæ perceptione fiunt incorruptibilia; non igitur anima sola Christi corporis, quod est in cœlo, per fidem fit particeps; sed et ipsa corpora, quæ per Eucharistiam a corruptione eximuntur, idem omnino corpus in Eucharistia exsistens participant, quod ab eo quod in cœlis est, secundum modum duntaxat discrepat. Si vero post consecrationem jam non simplex panis est, sed Eucharistia, constans ex re terrena et cœlesti; habet igitur in se cœleste illud corpus, ex quo et constat. Et si verum est quod dicit, quod sicut communis panis per divinam invocationem transit in Eucharistiam, sic et corpora nostra eamdem percipientia transmutantur in incorruptionem; corpora vero nostra proprie ac vere fiunt incorruptibilia : profecto proprie etiam ac vere communis panis per benedictionem transmutatur in corpus Christi.

(*a*) Codex Constantinopoli transcriptus ex autographo, jussu Panagiotæ Nicusii, primarii aulæ Othomanicæ interpretis, qui eum illustrissimo Carolo Francisco Olerio Nointelio dedit. Est jam in Musæo clarissimi et eruditissimi abbatis Eusebii Renaudotii. Ejusdem operis versionem lingua Græca vulgari Syrigus ipse elaboraverat, quæ excusa est Bucharesti in Valachia an. 1690, in-folio. Obiit Meletius Syrigus Constantinopoli an. 1664, annos natus septuaginta octo.

Digitized by Google

AD LIBROS CONTRA HÆRESES

PROLOGUS

AUCTORE, UT VIDETUR, FLORO LUGDUNENSI DIACONO.

(*Spicilegium Solesmense, complectens sanctorum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum anecdota hactenus opera, publici juris facta curante Domno J. B.* Pitra, *O. S. B. monacho e congregatione Gallica.* Parisiis, ap. Firmin Didot fratres, MDCCCLII. Tom. I, p. 8. — « Præfatiuncula hæc, inquit doctissimus editor *Spicilegii Solesmensis* (Proleg. « p. IX), in codice Arundeliano (Mus. Britan., n. 87, plut. CLXIV, F, fol. 1) nullo auctoris nomine inscribitur : quomi- « nus autem Floro Lugdunensi restituenda sit, vix dubitare sinit exigua notula Sirmondi ad Aviti fragmentum, quam « rescribere non piget : *In alio*, inquit, *codice ejusdem bibliothecæ* (Carthusiæ Majoris) *operibus Irenæi præfixa est « Flori Præfatio cum epistola Agobardi.* Sane Prologus noster Flori dictionem sapit nec illius ævo abludit ; satis « aperte sub finem intuetur acerrimas Flori cum Joanne Scoto disceptationes. »)

—

Argumentum. — *Inquiritur primum quis sit Irenæus, aut qua mente scripserit : II. deinde quæ contineantur quinque ejus libris ; III. tum ex quintuplici deducitur causa cur denus hi libri edantur.*

I.

Hyrenæus, episcopus civitatis Lugdunensis, instructus a Polycarpo discipulo Johannis apostoli, scripsit quinque libros cuidam episcopo (*a*), rogatus ab eo, *Contra hæreticos*, valde necessarios ; in quibus, ut sapiens architectus et providus medicus, perfecte nos instruit de hæresibus et hæresiarchis ; primum detegens eorum prava dogmata et perversa opera, ne quis incidat in idipsum incredulitatis exemplum. Nam, sicut medicus ægrum curare non potest, **nisi causam** morbi prius agnoscat, sic necesse fuit eum hæreticas pestes, cum suis causis, prius agnoscere, ut postmodum competenti medicina posset eis efficacius contraire.

II.

In primis ergo, ipsas hæreses explicat, singulis assignans suas originales causas, scilicet a quibus acceperunt materiam existendi. Inter quod agendum, ponit et ignota nomina fictarum rerum, quas ipsi Virtutes appellabant, et quasi deos venerati sunt. De quorum scilicet nominum multitudine illatum tibi, o lector, tædium patienter sustine, tandem philosophicarum rationum et divinarum auctoritatum copiosa dulcedine compensandum. Postea ipsos hæresiarchas nominatim commemorat, et quid vel quantum, unde cujusque discipuli suorum magistrorum adinventionibus addiderint, consequenter annectit. Dein, singulas hæreses singillatim aggrediens, et, probatissimi more philosophi, assumptis de rerum naturis peremptoriis rationibus, verum a falso discernit ; sanctitatis amictum, pravitati superductum, violenter abstrahit ; ubi in melle venenum, ubi in columbæ specie vulpes lateat, curiosa discussione perquirit. Hoc modo sordidissimis phantasiis hæreticæ dolositatis solertissime deprehensis, et fidelium oculis patenter expositis, ad ultimum venenosos surculos, adulterina plantatione insertos, multiplici f[alce di]vinarum auctoritatum exstirpat, abjicit et conculcat. Ejusdem quoque intentionis occasione, non solum quæ ab hæreticis corrupta sunt corrigit, **sed** insuper multa de novo Testamento, ad munimentum veræ fidei, fideliter et luculenter exponit.

III.

Sunt autem quinque causæ, quæ sumtum et laborem hujus libri (*b*) transcribendi non sinunt, ut putamus, æstimari superfluum. Prima, quod perrarus est, hæresium silentio, quod nunc solito vehementius interruptum est (*c*), neminem impellente. Secunda, quod auctor ejus antiquus, et apostolicis temporibus vicinus exstitit, et ideo fide dignus. **Tertia,** quod quæ de hæreticis scribit, non omnia per famam didicit, sed plurima de his præsenter ab eis audivit **doceri, et** vidit exerceri, utpote eorum σύγχρονος (*d*), id est, contemporaneus et comprovincialis. Quarta, quod de hæresibus illius temporis nemo plenius, sive planius noscitur disputasse. Quinta, quod arma militantis Ecclesiæ, aliquantæ pacis occasione neglecta, resarciri plus solito necesse est, quia, defensore tam raro, tyrannis hæretica in eam tanto crudelius quanto impunius incipit efferari.

(*a*) Constanter id asseritur, quod vix conjecerat D. Massuetus, nec nisi subdubitans innuerat : « *Quis fuerit amicus ille, tacente Irenæo, dici non potest... Episcopum fuisse suspicor, aut aliquem in clero conspicuum qui plebem curæ suæ concreditam haberet.* » *Diss. prævi.* p. XCV.

(*b*) *Tibi* cod.

(*c*) Hinc Flori, ni fallor, indoles et ætas maxime innotescit.

(*d*) Codex habet *syncronon*. Abs re non sit advertere, scriptoribus ævi Carolini συγχρόνους id moris fuisse vocabula græca suis passim inspergere commentariis, nec Florum abstinuisse se omnino ab hujuscemodi græcanica consuetudine.

Digitized by Google

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΕΙΡΗΝΑΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΕΛΕΓΧΟΥ

ΚΑΙ ΑΝΑΤΡΟΠΗΣ ΤΗΣ ΨΕΥΔΩΝΥΜΟΥ ΓΝΩΣΕΩΣ

ΒΙΒΛΙΑ ΠΕΝΤΕ

—

SANCTI IRENÆI

EPISCOPI LUGDUNENSIS ET MARTYRIS

DETECTIONIS ET EVERSIONIS FALSO COGNOMINATÆ AGNITIONIS

SEU

CONTRA HÆRESES

LIBRI QUINQUE.

—

ANALYSIS LIBRI PRIMI.

—

Quæ Valentini sectatorumque ejus hæresis, quæ falsæ eorum opiniones, quæ vana delirantium horum hominum somnia fuerint, ea Irenæus in primo hujusce Operis libro, qua potuit, majori diligentia aperit, et perquam accuratissime explicat. At quoniam ille eosdem Valentinianos ex aliorum, qui hactenus fidem Christianam labefactare tentaverant, hæreticorum erroribus suam condidisse hæresim certum omnino habebat : idcirco una eademque opera falsas omnium, qui Valentinum præcesserunt, hæreticorum opiniones, pravaque et perversa dogmata sigillatim recenset ac refellit.

Eapropter quod Operis sui sit argumentum, quo hortante atque etiam imperante, et quam ob causam ad illud scribendum fuerit impulsus, brevi præfatur exordio [1]. *Tum deinde rem ipsam aggressus, Valentinianorum errores, ac potissimum assertam ab iis triginta Æonum, seu deorum fabulam, eorumdemque conjugia, ordinem ac divisionem, genealogias, et quomodo cæteras res creatas ab illis prodiisse traderent, ante omnium ponit oculos.*

Post hæc autem quæ vera sit Ecclesiæ catholicæ doctrina, edisserit [2], *docetque eam in omnibus Ecclesiis, per universum orbem dispersis, unam esse, et eamdem illius fidem atque doctrinam; varias autem et a se invicem discrepantes, infinitasque propemodum Valentinianorum opiniones et sententias. Quod quidem ex ipsorum asseclis fautoribusque probat* [3], *nimirum Secundo, Epiphane, Ptolemæo, Colorbaso aliisque, qui eorum ac Valentini sectam hæresesque profitebantur.*

Porro autem ut hanc Valentinianam hæresim ex corruptis superiorum hæreticorum fontibus profluxisse planum faciat, explicata primum Regula veritatis [4], *clare paucisque exponit quæ fuerint Simonis Magi* [5], *Menandri, Saturnini* [6], *Basilidis, Carpocratis* [7], *Cerinthi* [8], *Ebionæorum, Nicolaitarum, Cerdonis* [9], *Marcionis, Tatiani* [10], *variorumque Gnosticorum* [11], *Barbeliotarum, Sethianorum* [12], *Ophitarum, ac tandem Caianorum hæreses* [13], *impia commenta propudiosaque dogmata. Ex hac autem immanium errantis humani ingenii portentorum enumeratione concludit* [14], *Valentinianam hæresim, quæ ex iis conflata compactaque fuerat, facillime ab omnibus posse agnosci et revinci.*

[1] Præfat., cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8 et 9. [2] Cap. 10 [3] Cap. 11 et seq. [4] Cap. 22. [5] Cap. 23. [6] Cap. 24. [7] Cap. 25. [8] Cap. 26. [9] Cap. 27. [10] Cap. 28. [11] Cap. 29. [12] Cap. 30. [13] Cap. 31. [14] Ibid., n. 3. 4.

Digitized by Google

PROSPECTUS SYSTEMATIS VALENTINIANORUM.



Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

1. (1) Ἐπὶ (2) τὴν ἀλήθειαν παραπεμπόμενοί τινες, ἐπεισάγουσι λόγους ψευδεῖς καὶ γενεαλογίας ματαίας, *αἵτινες ζητήσεις μᾶλλον παρέχουσι*, καθὼς ὁ Ἀπόστολός φησιν, *ἢ οἰκοδομὴν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει*, καὶ διὰ τῆς πανούργως συγκεκροτημένης πιθανότητος παράγουσι τὸν νοῦν τῶν ἀπειροτέρων, καὶ αἰχμαλωτίζουσιν αὐτοὺς, ῥαδιουργοῦντες (3) τὰ λόγια Κυρίου, ἐξηγηταὶ κακοὶ τῶν καλῶς εἰρημένων γινόμενοι· καὶ πολλοὺς ἀνατρέπουσιν, ἀπάγοντες αὐτοὺς προφάσει γνώσεως ἀπὸ τοῦ τόδε τὸ πᾶν συστησαμένου καὶ κεκοσμηκότος, ὡς ὑψηλότερόν τι καὶ μείζονα ἐπινοοῦντας τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, καὶ ἐν ἀποκρύφοις καὶ ἀναφάνδην τοῦτο διδάσκοντας. Καὶ τὸν μὲν ποιητὴν τοῦτον τῶν ὅλων καλοῦσιν ἔξω τοῦ πληρώματος εἶναι· τὸν δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων ἐπιγνωσθῆναι θέλοντα, ἐπιζητεῖν τὸν ἐν τῷ πληρώματι Βυθὸν καὶ τὸν πρῶτον πάντων πατέρα. Καὶ ἐκ τούτου τοῦ ἐπιζητεῖν καὶ μὴ εὑρίσκειν, ἀπιστίαν καὶ ἀσέβειαν ἐπεισάγειν τῷ ποιητῇ τῶν ὅλων· καὶ τοῦτο εἶναι τὸ μέγιστον ἁμάρτημα. Ἄλλους δὲ λέγειν, ὅτι οὐκ ἐκ τοῦ πληρώματος ἐστὶν ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων, οὐδὲ ἐκ τῶν ἄνω δυνάμεων, ἀλλὰ ἐκ τῆς ἐσχατωτάτης ἀπολειφθείσης ἐκτὸς τοῦ πληρώματος· καὶ ἀγνοεῖν τὸν ἐν τῷ πληρώματι Βυθὸν καὶ τὸν πρῶτον πάντων πατέρα. Καὶ ἐκ τούτου τοῦ ἀγνοεῖ

navit: quasi altius aliquid et majus habentes ostendere (1), quam eum qui cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, fecit; suadenter (2) quidem illi illiciunt per verborum artem simpliciores ad requirendi modum, male autem perdunt eos in eo quod blasphemam (3) et impiam ipsorum sententiam faciant in Fabricatorem, non discernere valentium falsum a vero.

2. Error enim secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis; suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere) veriorem semetipsum præfert (4), ut decipiat exteriori phantasmate rudiores; quemadmodum a meliore nobis dictum est de hujusmodi : Quoniam (5) lapidem pretiosum smaragdum, in agni pretii apud quosdam, vitreum in ejus contumeliam (6) per artem assimilatum, quoadusque non adest qui potest probare, et artificium 3 arguere, quod subdole sit factum (7). Cum enim commistum fuerit æramen-

A ζον ἔχοντες ἐπιδεῖξαι (8) τοῦ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς πεποιηκότος Θεοῦ· πειθανῶς μὲν ἐπαγόμενοι διὰ λόγων τέχνης τοὺς ἀκεραίους εἰς τὸν τοῦ ζητεῖν τρόπον, ἀπιθάνως δὲ ἀπολλύντες (9) αὐτοὺς, ἐν τῷ βλάσφημον καὶ ἀσεβῆ τὴν γνώμην αὐτῶν κατασκευάζειν εἰς τὸν Δημιουργὸν, μηδὲ ἐν τῷ διακρίνειν (10) δυναμένων τὸ ψεῦδος ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς.

2. Ἡ γὰρ πλάνη καθ' αὑτὴν μὲν οὐκ ἐπιδείκνυται, ἵνα μὴ γυμνωθεῖσα γένηται κατάφωρος· πιθανῷ δὲ περιβλήματι πανούργως κοσμουμένη, καὶ αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι (11) διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπειροτέροις, καθὼς ὑπὸ τοῦ κρείττονος ἡμῶν εἴρηται (12) ἐπὶ τῶν τοιούτων· Ὅτι λίθον τὸν τίμιον σμάραγδον ὄντα, B καὶ πολυτίμητόν τισιν, ὕαλος ἐνυβρίζει διὰ τέχνης παρομοιουμένη, ὁπόταν μὴ παρῇ ὁ σθένων δοκιμάσαι, καὶ τέχνῃ διελέγξαι τὴν πανούργως γενομένην. Ὅταν δὲ ἐπιμιγῇ ὁ χαλκὸς εἰς τὸν ἄργυρον, τίς εὐκόλως δυνήσεται τοῦτον ἀκεραίως (13) δοκιμάσαι,

BILLII INTERPRETATIO.

scito quidem illi, atque ad persuadendum apposito verborum artificio eos, quorum simplex ingenium est, ad quærendi modum illicientes, cæterum inscite ac præpostere perniciem eis afferentes; hoc nimirum nomine, quod contumeliosam et impiam eorum sententiam in summum illum rerum omnium Conditorem efficiunt, ut qui falsum a vero discernere nequeant.

2. Neque enim fraus et impostura seorsim ostenditur, ne alioqui velut detractis vestibus perspicue se prodat; verum illecebroso amictu callide adornata id assequitur, ut per externam speciem apud imperitiores verior quoque veritate ipsa esse videatur : quemadmodum de hujusmodi hominibus a quodam me præstantiore dictum est, quod smaragdo, præclaro alioqui lapidi, ingentisque apud quosdam pretii, vitrum artis industria ad ejus similitudinem elaboratum, dedecus infert, cum haudquaquam præsto est, qui explorare, atque artis solertia, id quod versute factum est, deprehendere queat. Cum autem æs

(1) *Habentes ostendere.* Id est, *possint ostendere.* C Non enim abs re erit hic monere sæpius in Irenæo hanc loquendi formam, quæ plane Græca est, occurrere, *habere* pro *posse.* Id semel observasse sufficiat.

(2) *Suadenter.* Claromont. *suadentes;* quod quidem licet magis Latine, minus tamen apposite tum ad Græcum, tum ad sermonis seriem scriptum.

(3) *In eo quod blasphemam*, etc. Totus hic locus, in editt. Eras. et Gallas. et codd. Arund. Ottobon. et Merc. 2 misere defœdatus, a Feuardentio ex veteri cod. et textu Græco restitutus est. Veteri cod. consentiunt Pass. et Vossii codd., nisi quod hi perperam habeant *blasphement* pro *blasphemam;* sed rectius et magis exacte ad Græca, *falsum a vero*, pro *verum a falso*, ut in editis legitur.

(4). *Veriorem semetipsum præfert*, etc. Ita Feuard. in marg. Pass. et Voss. cæteri *præstat.* Sed hæc Græcis non satis accurate respondent. Si cum Billio legas φαίνεται pro φαίνεσθαι, sic verte : *Ipsa etiam veritate veriorem semetipsum externa quadam specie exhibere videtur imperitioribus.* Vel si, retinens φαίνεσθαι, legere malis παρέχει, uti legi posse monet Petavius, vertendum est : *Ipsa etiam veritate veriorem semetipsum externa quadam specie conspiciendum exhibet imperitioribus.*

(5) *Quoniam.* Ita recte Arund. Voss. Clarom. et Feuard. in marg. In Feuard. vero textu, perinde atque in Eras. et Gall. male, *quomodo.*

(6) *Vitreum in ejus contumeliam.* Accuratior hic Billii versio : *Smaragdo*, etc., *vitrum dedecus infert. Vitreum* hic cum Tertulliano lib. ad Mart. c. 4, scribit interpres pro *vitrum.*

(7) *Artificium arguere, quod subdole sit factum.* Τέχνην legit interpres, nos τέχνῃ : quare ita Latine reddidit Billius : *artis solertia id quod versute factum est deprehendere queat.*

(8) *Ὡς ὑψηλότερόν τι καὶ μεῖζον ἔχοντες ἐπιδεῖξαι*, etc., eum scilicet quem delirantes comminiscebantur Βυθόν, seu Προπάτορα, aut Προάρχην, quem Patre et rerum omnium principio superiorem esse effutiebant.

(9) *Πειθανῶς μὲν ἐπαγόμενοι.... ἀπιθάνως δὲ ἀπολλύντες.* Elegantem hanc antithesim, quam minus feliciter expressit interpres, sic ego reddendam esse censerem : *Oratione quidem ad persuadendum accommodata simpliciores ad inquirendum instigant; absurdis autem ac prorsum incredibilibus fabulis miseros verum a falso discernere non valentes perdunt, quos in Fabricatorem impia et blasphema sentire docent.*

(10) *Μηδὲ ἐν τῷ διακρίνειν.* Expungi vult Billius, δὲ ἐν τῷ. Grabius conjicit Irenæum scripsisse : μὴ δεόντως διακρίνειν. Legerem ego, leviori mutatione facta, μηδέν τι διακρίνειν δυναμένων, *nullatenus discernere valentium.*

(11) *Παρέχειν φαίνεσθαι.* Vel lege, παρέχει φαίνεσθαι, vel παρέχειν φαίνεται. Addit Latinus interpres per parenthesim : *ridiculum est et dicere*, quibus verbis nihil in Græco respondet. Nisi hæc de suo adliderit, omiserunt oscitantes scribæ : γελοῖόν ἐστι φάναι.

(12) *Ἀπὸ τοῦ κρείττονος ἡμῶν εἴρηται.* Virum hunc, eorum qui apostolos viderant discipulum, sæpius laudat Irenæus; ut libri hujus cap. 15, lib. III, c. 17 et 23, et lib. IV, c. 27, et ab eo multa didicisse se confitetur. Ejusdem meminit Eusebius lib. V *Hist.* cap. 8. Nomen autem ejus uterque reticet.

(13) *Ἀκεραίως.* Legendum puto ἀκέραιος, adjective, quemadmodum legit Latinus interpres. Id enim exigunt sermonis series et auctoris scopus, ut attendenti patebit; ἀκεραίως autem hic commodum habere sensum vix potest.

Digitized by Google

Ἵνα οὖν μὴ παρὰ τὴν ἡμετέραν αἰτίαν (1) συναρπάζωνταί τινες, ὡς πρόβατα ὑπὸ λύκων, ἀγνοοῦντες αὐτοὺς, διὰ τὴν ἔξωθεν τῆς προβατείου δορᾶς ἐπιβουλὴν (2), οὓς φυλάσσειν παρήγγελκεν ἡμῖν Κύριος, ὅμοια μὲν λαλοῦντας, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντας· ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἐντυχὼν τοῖς ὑπομνήμασι τῶν, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, Οὐαλεντίνου μαθητῶν, ἐνίοις δὲ αὐτῶν καὶ συμβαλὼν, καὶ καταλαβόμενος τὴν γνώμην αὐτῶν, μηνῦσαί σοι, ἀγαπητὲ, τὰ τερατώδη καὶ βαθέα μυστήρια, ἃ οὐ πάντες χωροῦσιν, ἐπεὶ μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν (3), ὅπως καὶ σὺ μαθὼν αὐτὰ, πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ φανερὰ ποιήσῃς, καὶ παραινέσῃς αὐτοῖς φυλάξασθαι τὸν βυθὸν τῆς ἀνοίας, καὶ τῆς εἰς Χριστὸν βλασφημίας. Καὶ, καθὼς δύναμις ἡμῖν, τήν τε γνώμην αὐτῶν τῶν νῦν παραδιδασκόντων, λέγω δὴ τῶν περὶ Πτολεμαῖον, ἀπάνθισμα οὖσαν τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς, συντόμως καὶ σαφῶς ἀπαγγελοῦμεν, καὶ ἀφορμὰς δώσομεν, κατὰ τὴν ἡμετέραν μετριότητα, πρὸς τὸ ἀνατρέπειν αὐτὴν, ἀλλόκοτα καὶ ἀνάρμοστα τῇ ἀληθείᾳ ἐπιδεικνύντες τὰ ὑπ' αὐτῶν λεγόμενα, μήτε συγγράφειν εἰθισμένοι (4), μήτε λόγων τέχνην ἠσκηκότες· ἀγά-

A tum argento, quis facile poterit, rudis cum sit (5), hoc probare? Igitur ne forte et cum nostro delicto abripiantur quidam quasi oves a lupis, ignorantes eos propter exterius ovilis pellis (6) superindumentum, a quibus cavere denuntiavit nobis Dominus [a], similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes; necessarium duxi, cum legerim commentarios ipsorum, quemadmodum ipsi dicunt, Valentini discipulorum, quibusdam autem ipsorum et congressus, et apprehendens sententiam ipsorum, manifestare tibi, dilectissime, portentuosissima et altissima mysteria, quæ non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent (7); ut et tu cognoscens ea, omnibus his, qui sunt tecum, manifesta facias, et præcipias eis observare se a profundo insensationis, et ejus, quæ est in Deum, blasphemationis. Et quantum nobis virtutis adest, sententiam ipsorum, qui nunc aliud docent (8), dico autem eorum, qui sunt circa Ptolemæum (9), quæ est (10) velut flosculum Valentini scholæ, compendiose et manifeste ostendemus, et aliis occasiones dabimus (11), secundum nostram mediocrita-

B

BILLII INTERPRETATIO.

argento immistum fuerit, quis tandem erit, qui facile atque incorrupte id explorare possit? Quocirca ne culpa nostra nonnulli, tanquam oves a lupis, abripiantur, eos nimirum ob externum ovillæ pellis integumentum haudquaquam agnoscentes (quos nobis vitandos esse Dominus præcepit), ut qui eadem quidem loquantur, sed non eadem sentiant; necessarium duxi, cum in Valentini discipulorum, ut ipsi aiunt, commentarios incidissem, atque etiam cum nonnullis ipsorum pedem contulissem, quidque sentirent percepissem, prodigiosa et profunda eorum mysteria, quæ non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum exspuerunt, tibi, vir mihi charissime, indicare: ut ea tu quoque, cum ex me didiceris, omnibus iis, qui tecum versantur, patefacias, eosque moneas, ut ab amentiæ, blasphemiæque in Christum voragine sibi caveant. Et vero pro virili nostra, tum eorum qui nunc perperam docent, hoc est Ptolemæi, sententiam, quæ Valentini scholæ velut flosculus est, breviter ac dilucide referemus, tum pro facultatis nostræ medio-

[a] Matth. VII, 15.

(1) *Παρὰ τὴν ἡμετέραν αἰτίαν.* Præpositionem παρά, in edit. omnibus perperam omissam, ex cod. Reg. restituimus

(2) *Ἐπιβουλήν.* Ἐπιβολὴν legit Latinus interpres; vertit enim, *superindumentum*. Vocem tamen ἐπιβουλὴν retineri nihil vetat, qua posita accommodate ad auctoris institutum cum Cornario verteris: *Propter externas ovillæ pellis insidias.*

(3) *Μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασιν.* Sic cod. Reg. et editt. omnes. Interpres vero legisse videtur ἔχουσιν vel ἐσχήκασιν, ni forte (quod a vero simili non abhorret), Græcæ phraseos sensum haud assecutus, hanc vertendo immutarit. Animum torquent Gallasius, Billius, Fronto Duc. et Grabius, ut obscuræ hujus sententiæ sensum expiscentur. Non meminerant, puto, Plautum in *Mostellaria* dixisse *cerebrum mungere*, pro *callidiorem*, seu *astutiorem evadere*, vel *efficere*:

Imo etiam cerebrum quoque omnem e capite mun-
[xisti meum:

Nam omnia malefacta vestra repperi radicitus.

Eodem prorsus sensu dictum ab Irenæo ἐγκέφαλον ἐκπτύειν, *cerebrum exspuere*, quo a Plauto *cerebrum mungere*. Nempe rationem affert ille cur omnes portentosa et abstrusa Valentinianorum mysteria assequi non valeant; quia, inquit, μὴ πάντες τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτύκασι, *non omnes cerebrum exspuerunt;* id est, non omnes cerebrum satis emunctum, seu defæcatum habent, non ea ingenii subtilitate pollent, ut perdifficilia et obscurissima dogmata pervadere possint.

(4) *Μήτε συγγράφειν εἰθισμένοι.* Non improbabiliter hinc concludit Feuardentius, hos quinque libros primum esse Irenæi fetum. Sed de his alibi diximus.

(5) *Rudis cum sit.* In Græco non ἀκέραιος adjective, sed ἀκεραίως, quod si revera legendum foret, sensus est: *Quis facile poterit hoc vere probare*, seu potius *explorare*. Vide quæ observavimus ad textum Græcum.

(6) *Ovilis pellis.* Sic vetus Feuard. cod. cum Anglicanis et Clarom. Scilicet, *ovilis* adjective, pro *ovillæ* seu *ovinæ*; quod quidem adjectivi genus Latinis inusitatum, at barbaro interpreti condonandum.

(7) *Habent.* Gr. ἐξεπτύκασιν, *exspuerunt.* Interpres vero legit, ἐσχήκασιν. Vide notata ad textum Græcum.

(8) *Aliud docent.* Gr. παραδιδασκόντων, *perperam docent*, seu *falsa docent.*

(9) *Ptolemæum.* Clarom. ubique habet, *Ptolomæus*, *Ptolomæum*, etc. Sic etiam passim Tertullianus.

(10) *Quæ est.* Ita recte cod. Arund. et Merc. 2. In editt. vero male, *qui est.* Id enim ad Ptolemæi et asseclarum *sententiam*, non ad Ptolemæum ipsum referri demonstrat textus Græcus, in quo legitur, ἀπάνθισμα οὖσαν, scilicet, γνώμην τῶν περὶ Πτολεμαῖον. Perperam igitur Feuard. ad lib. II, cap. 4, et alii ex hoc loco collegerunt, Ptolemæum ab Irenæo vocari *flosculum scholæ Valentini*, decepti videlicet haud satis accurata interpretatione vocis ἀπάνθισμα. Hæc enim proprie non *flosculum*, sed *delibationem*, seu, ut alius quispiam mediæ vel infimæ Latinitatis interpres vertisset, *defloralionem* hic significat. Id nempe vult Irenæus, Ptolemæum quod subtilius erat e Valentini dogmatibus delibasse ac excerpsisse, ut hypothesim suam hinc conficeret.

(11) *Occasiones dabimus.* Gr. ἀφορμὰς δώσομεν, quod mallem cum Petavio vertisset inter-

Digitized by Google

tem, ad evertendum eam, non stantia (1), neque apta veritati ostendentes ea, quæ ab iis dicuntur : neque conscribere consueti neque qui sermonum arti studuerimus : dilectione autem nos adhortante, et tibi et omnibus, qui sunt tecum, manifestare, quæ usque adhuc erant absconsæ (2), jam autem secundum gratiam Dei in manifestum venerunt doctrinæ ipsorum. *Nihil enim est coopertum, quod non manifestabitur ; et nihil absconsum, quod non cognoscetur* [3].

3. Non autem exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, et in barbarum sermonem plerumque vacamus (3), orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus; sed simpliciter et vere et idiotice ea, quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies, et ipse auges (4) ea penes te, ut magis idoneus quam nos, quasi semen et initia accipiens a nobis : et in latitudine sensus tui (5) in multum fructificabis ea, quæ in paucis a nobis dicta sunt, et potenter asseres (6) iis, qui tecum sunt, ea quæ invalide a nobis relata sunt. Et quemadmodum nos elaboravimus, olim quærenti tibi (7) discere sententiam eorum, non solum facere

πης δὲ ἡμᾶς προτρεπομένης σοί τε καὶ πᾶσι τοῖς μετὰ σοῦ μηνῦσαι τὰ μέχρι μὲν νῦν κεκρυμμένα, ἤδη δὲ κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ εἰς φανερὸν ἐληλυθότα διδάγματα· *Οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτόν, ὃ οὐ γνωσθήσεται.*

Οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν τῶν ἐν Κελτοῖς διατριβόντων, καὶ περὶ βάρβαρον διάλεκτον τὸ πλεῖστον ἀσχολουμένων, λόγων τέχνην, ἣν οὐκ ἐμάθομεν, οὔτε δύναμιν συγγραφέως, ἣν οὐκ ἠσκήσαμεν, οὔτε καλλωπισμὸν λέξεων, οὔτε πιθανότητα, ἣν οὐκ οἴδαμεν· ἀλλὰ ἁπλῶς, καὶ ἀληθῶς, καὶ ἰδιωτικῶς (8) τὰ μετὰ ἀγάπης σοι γραφέντα, μετὰ ἀγάπης σὺ προσδέξῃ καὶ αὐτὸς αὐξήσεις αὐτὰ παρὰ σεαυτῷ, ἅτε ἱκανώτερος ἡμῶν τυγχάνων, οἱονεὶ σπέρματα καὶ ἀρχὰς λαβὼν παρ' ἡμῶν, καὶ ἐν τῷ πλάτει σου τοῦ νοῦ ἐπὶ πολὺ καρποφορήσεις τὰ δι' ὀλίγων ὑφ' ἡμῶν εἰρημένα, καὶ δυνατῶς παραστήσεις τοῖς μετὰ σοῦ τὰ ἀσθενῶς ὑφ' ἡμῶν ἀπηγγελμένα. Καὶ ὡς ἡμεῖς ἐφιλοτιμήθημεν, πάλαι ζητοῦντός σου μαθεῖν τὴν γνώμην αὐτῶν, μὴ μόνον σοι ποιῆσαι φανερὰν, ἀλλὰ καὶ ἐφόδια δοῦναι (9) πρὸς τὸ ἐπιδεικνύειν αὐτὴν ψευδῆ· οὕτω δὲ καὶ σὺ φιλοτίμως τοῖς λοιποῖς διακονήσεις, κατὰ τὴν χάριν τὴν ὑπὸ τοῦ Κυρίου σοι δεδομένην, εἰς τὸ μηκέτι παρασύρεσθαι τοὺς ἀνθρώ-

BILLII INTERPRETATIO.

critate ansam tibi ad eam evertendam porrigemus, absurda, atque a veritate absona esse demonstrantes ea, quæ ab illis afferuntur. Non quod scribendi usu exerciti simus, aut dicendi artem coluerimus : sed quod nos charitas hortetur, ut tibi, omnibusque qui tecum sunt, doctrinas eas indicemus, quæ cum hactenus in abstruso delituerint, nunc Dei beneficio in lucem venerunt. *Nihil enim opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.*

3. Nec vero facies, ut a nobis, qui inter Gallos degimus, atque in barbara lingua ut plurimum operam ponimus, verborum artificium, quod non didicimus, exposcas : nec vim conscriptoris, in qua comparanda non elaboravimus : nec dictionum ornamentum, nec persuadendi facultatem cujus expertes et ignari sumus. Verum ea quæ simpliciter, et vere, ac vulgari sermone, benevolo tamen animo, ad te scripta sunt, tu quoque pari animi benevolentia accipies, eaque ipse, utpote nobis eruditior, quasi semina quædam et initia a nobis accepta, apud te amplificabis, atque in mentis tuæ latifundio. quæ breviter a

[3] Matth. x, 26.

pres, *argumenta suggeremus*, vel *subsidia ministrabimus*.

(1) *Non stantia*. In Eras. Gall. et Feuard., *non constantia*. In Græc. vero, et fortasse melius, ἀλλόκοτα, *monstrosa*, seu *absurda*.

(2) *Absconsæ*. Scil. *doctrinæ ipsorum*. Sic ex cod. Claromont. et Pass. restituimus. In cæteris, et in editione ipsa Oxoniensi, vitiose *absconsa*..

(3) *Vacamus*. Sic reponere non dubitavimus, codd. Voss. et Clarom. auctoritate moti, in quibus legitur quidem *vacamur*, sed manifesto scribarum lapsu, pro *vacamus*. Cum enim in mss. antiquioribus non exigua sit affinitas inter *s* et *r*, proclive fuit festinantibus scribis posteriorem pro priori scribere ; quorum codices alii exscribentes, nec barbaram vocem *vacamur* intelligentes, scripserunt, alii *vocamur* (ut prius in cod. Clarom. scriptum fuerat, sed postea emendatum), alii *avocamur;* quod posterius in editt. omn. legitur. Legendum vero *vacamus*, demonstrat vox Græca ἀσχολουμένων, quam Latine reddidit Billius, *operam ponimus;* Cornarius vero et Petavius, *occupati sumus*.

(4) *Auges*. In Eras. Gallas. et Feuard. male, *augeas*. Hic enim *auges* scribitur pro *augebis*, juxta Græcum αὐξήσεις. Plura siquidem verba terminationem habent utriusque, secundæ scilicet et tertiæ conjugationis. Sic *Fulgeo, Fulgo, Ferreo, Fervo. Fervere littora flammis*, Virg. IV *Æn.* 167. *Sylvæ stridunt*, Virg. II *Æn.* 84. Vide Voss. lib. V *De arte grammat.* c. 3, et Novam methodum addiscendi linguam Lat. Gallice scriptam, pag. 333, edit. 1696.

(5) *In latitudine sensus tui*, etc. Hæc, litteræ nimium addictus, interpres obscuravit ; clarius reddidit Petavius : *In spatiosum mentis tuæ sinum resondita, quæ paucis a me perstricta sunt, uberiore fructu compensabis.*

(6) *Et potenter asseres. Ut potenter asseras* habent Voss. Pass. et Feuard. in marg. ; sed prior lectio magis cum Græco convenit.

(7) *Quærenti tibi*. Pro *quærente te*, id est *flagitante te jam pridem*, scriptum vult Grabius. Ego vero *quærenti tibi* referrem ad *non solum facere tibi manifestam*, posteriusque *tibi* utpote superfluum expungerem.

(8) Ἰδιωτικῶς. Id ad *tibi* referri mavult Feuardentius : ut sensus sit, *privatim, tibi soli*. Malim ego ad præcedentia referri, ut sit idem ἰδιωτικῶς, ac rudi et simplici, seu vulgari stylo, et absque λέξεων καλλωπισμῷ.

(9) Ἐφόδια δοῦναι. Idipsum est quod superius dixit, ἀφορμὰς δώσομεν, *subsidia ministrabimus*. Scilicet ἐφόδιον proprie *viaticum*, *auxiliumque viæ*, ut loquitur Virgilius *Æneid.* I, 36 ; hic vero *opitulationem, auxilium, subsidium, argumentum* significat.

Digitized by Google

πους ὑπὸ τῆς ἐκείνων πιθανολογίας, οὔσης τοιαύτης.

A tibi manifestam, sed et subministrationem dare, uti ostenderemus eam falsam; sic et tu efficaciter reliquis ministrabis secundum gratiam, quæ tibi a Domino data est; ut jam non abstrahantur homines ab illorum suadela, quæ est talis.

CAPUT PRIMUM.

Quid de Æonum suorum genesi, nomine, ordine, fetibus conjugalibus effutirent Valentini discipuli: et quæ Scripturæ loca commentis suis adaptarent.

1. Λέγουσι γάρ τινα εἶναι ἐν ἀοράτοις καὶ ἀκατονομάστοις ὑψώμασι τέλειον Αἰῶνα προόντα (1)· τοῦτον δὲ καὶ (2)..... Προπάτορα καὶ Βυθὸν καλοῦσιν..... ὑπάρχοντα δ' αὐτὸν (3) ἀχώρητον καὶ ἀόρατον, ἀΐδιόν τε καὶ ἀγέννητον, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἠρεμίᾳ πολλῇ γεγονέναι ἐν ἀπείροις αἰῶσι χρόνων (4)· συνυπάρχειν δ' αὐτῷ καὶ Ἔννοιαν, ἣν δὲ καὶ Χάριν, καὶ Σιγὴν (5) ὀνομάζουσι· καὶ ἐννοηθῆναί ποτε ἀφ' ἑαυτοῦ προβαλέσθαι τὸν Βυθὸν τοῦτον ἀρχὴν τῶν πάντων, καὶ καθάπερ σπέρμα τὴν προβολὴν ταύτην (ἣν προβαλέσθαι ἐνενοήθη (6)), καὶ καθέσθαι (7), ὡς ἐν μήτρᾳ, τῇ συνυπαρχούσῃ ἑαυτῷ Σιγῇ. Ταύτην δὲ ὑποδεξαμένην τὸ σπέρμα τοῦτο, καὶ ἐγκύμονα γενομένην, ἀποκυῆσαι Νοῦν, ὅμοιόν τε καὶ ἴσον τῷ προβαλόντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ Πατρός. Τὸν δὲ Νοῦν τοῦτον καὶ Μονογενῆ καλοῦσι,

1. Dicunt esse quemdam in invisibilibus, et inenarrabilibus altitudinibus perfectum Æonem, qui ante fuit: hunc autem et Proarchen, et Propatora, et Bython vocant: esse autem illum invisibilem, et quem nulla res capere possit. Cum autem a nullo caperetur, et esset invisibilis, sempiternus, et ingenitus, in silentio et in quiete multa fuisse in immensis Æonibus (8). Cum ipso autem fuisse et Ennœan, quam etiam Charin et Sigen vocant: et aliquando voluisse a semetipso emittere hunc Bythum, initium omnium, (et velut semen prolationem hanc præmitti voluit [9]) et eam deposuisse quasi in vulva ejus, quæ cum eo erat, Sige. Hanc autem suscepisse semen hoc, et prægnantem factam generasse Nun, similem et æqualem ei, qui emiserat, et solum capientem magnitudinem Patris. Nun

B

BILLII INTERPRETATIO.

nobis dicta sunt, uberius efferes, quæque nos imbecille narravimus, ea tu iis, quibuscum tibi consuetudo est, non sine robore declarabis. Et quemadmodum nos, flagitante te jampridem, quænam ipsorum sententia esset intelligere, studuimus sedulo non modo eam tibi perspicuam reddere, sed ad ipsius falsitatem commonstrandam facultates suppeditare; eodem modo tu quoque pro ea gratia, quam a Domino consecutus es, prompte atque obnixo studio cæteris inservies: ut homines non jam amplius eorum oratione ad persuadendum comparata distrahantur. Est autem ea hujusmodi.

CAPUT PRIMUM.

1. Aiunt enim esse quemdam in sublimitatibus illis, quæ nec oculis cerni, nec nominari possunt, perfectum Æonem præexsistentem, quem et Proarchen, et Propatorem, et Bythum vocant. Eum autem, cum incomprehensibilis et invisibilis, sempiternus item et ingenitus esset, infinitis temporum sæculis in summa quiete ac tranquillitate fuisse. Una etiam cum eo Ennœam exstitisse, quam et Charin, et Sigen nuncupant. Hunc porro Bythum in animum aliquando induxisse rerum omnium initium proferre, atque hanc, quam in animum induxerat, productionem, in Sigen, quæ una cum eo erat, non secus atque in vulvam demisisse. Hunc vero suscepto hoc semine prægnantem effectam peperisse Nun, parenti suo parem

(1) *Τέλειον Αἰῶνα προόντα.* Sic Theodoret. lib. 1 *Hær. Fab.*, cap. 7: Πρῶτον Αἰῶνα τέλειον· et Tertull. cap. 7: *Substantialiter quidem* αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter vero προαρχήν, *et* τὴν ἀρχήν, *et am Bython.*

(2) *Τοῦτον δὲ καί.* Adde, προαρχήν ante προπάτορα· illam enim vocem legit vetus interpres, et legendam demonstrant Tertullianus et Theodoret. locis cit.

(3) *Ὑπάρχοντα δ' αὐτόν.* Ante hæc verba legisse videtur Latinus interpres ὑπάρχειν δ' αὐτὸν ἀόρατον καὶ ἀχώρητον, ut probe monet Fronto Duc., quæ ideo forte omisit scriba, quod eadem fere mox recurrant.

(4) *Χρόνων.* Hanc vocem addidit, puto, sciolus quis explicationis causa, veritus scilicet ne αἰών hic substantialiter acciperetur, pro primo Valentinianorum Æone; cum *ævum* aut *sæculum* significet. Eam enim non agnoscunt neque Latinus interpres, neque Tertullianus, neque Theodoretus.

(5) *Ἣν δὴ καὶ Χάριν, καὶ Σιγήν*, etc. Hinc Theodoreti textum emendes, in quo, vitiose legitur: Χάριν καὶ σεπτὴν καλουμένην. Pro σεπτήν, repone Σιγήν. Emendes etiam Indiculum hæreseon Pseudo-Hieronymi, et pro, *ea gratia appellatum* Σιγήν, lege, *Gratiam appellant et* Σιγήν.

(6) *Καθάπερ σπέρμα, ἣν προβαλέσθαι ἐννοηθῆναι.* In hujus loci lectione non consentiunt

C Billius, Grabius et Fronto Duc. Prior omittit, καθάπερ σπέρμα, quod tamen habet Tertullianus. Grabius deletum vult articulum ἣν, utpote redundantem: Fronto Duc. conjunctionem καί ante καθέσθαι. Ego vero, nulla deleta voce, verbum ἐννοηθῆναι duntaxat, per ellipsin omissum, subintellectum velim ante vel post καθέσθαι, ista, ἣν προβαλέσθαι ἐνενοήθη, intra parenthesim includendo; et sic planus evadit mihi sensus: *Hunc porro Bythum aliquando in animum induxisse ex sese rerum omnium initium proferre; atque hanc quam emittere statuerat productionem, velut semen in Sigen, quæ una cum eo erat, demittere etiam voluisse.* Ejusmodi ellipseon, imo et duriorum, non rara sunt cum apud Græcos, tum apud Latinos exempla. Nec reprehendet quisquam quod καί ante καθέσθαι interpreter *etiam*, cum ea significatio passim obvia sit.

(7) *Καθέσθαι.* In cod. Reg. καταθέσθαι.

(8) *Æonibus.* Addit textus Græcus, χρόνων, *temporum*; quam vocem non reddidit interpres. At ut in hoc excusandus, in eo certe reprehendendus quod αἰῶσι verterit *æonibus*; αἰών enim hic non inusitato Valentinianorum, sed vulgari sensu accipitur, pro *ævo* aut *sæculo*. Vide notam 4.

D

(9) *Et velut semen prolationem hanc præmitti voluit.* Quod non attenderit interpres ad ellipsin verbi ἐννοηθῆναι, toti periodo, dum vertit, nebulas offundit. Clarius, ni fallor, hæc a nobis reddita. Vide notam 6.

Digitized by Google

autem hunc. et Unigenitum vocant (1), et Patrem, et initium omnium. Una autem cum eo emissam Veritatem, et hanc esse primam et primogenitam Pythagoricam quaternationem, quam et radicem omnium dicunt. Est enim Bythus et Sige, deinde Nus et Alethia. Sentientem autem Unigenitum (2) hunc in quæ prolatus est, emisisse et ipsum Logon et Zoen, patrem omnium eorum, qui post se futuri essent, et initium et formationem universi Pleromatis. De Logo autem et Zoe emissum secundum conjugationem (3) Hominem et Ecclesiam, et esse hanc primogenitam Octonationem, radicem et substantiam omnium, quatuor nominibus apud eos nuncupatam, Bython, et Nun, et Logon, et Anthropon. Esse enim illorum unumquemque masculofeminam, sic : Initio Propatorem illum coisse secundum conjugationem suæ Ennœæ, id est cogita-

καὶ Πατέρα, καὶ Ἀρχὴν τῶν πάντων. Συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ Ἀλήθειαν· καὶ εἶναι ταύτην πρῶτον καὶ ἀρχέγονον Πυθαγορικὴν Τετρακτὺν (4), ἣν καὶ ῥίζαν τῶν πάντων καλοῦσιν. Ἔστι γὰρ Βυθὸς καὶ Σιγὴ, ἔπειτα Νοῦς καὶ Ἀλήθεια. Αἰσθόμενόν τε τὸν Μονογενῆ τοῦτον ἐφ' οἷς προεβλήθη, προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον (5), καὶ Ζωὴν, πατέρα πάντων τῶν μετ' αὐτὸν ἐσομένων, καὶ ἀρχὴν, καὶ μόρφωσιν παντὸς τοῦ Πληρώματος (6). Ἐκ δὴ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς προβεβλῆσθαι κατὰ συζυγίαν Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν· καὶ εἶναι ταύτην ἀρχέγονον Ὀγδοάδα, ῥίζαν καὶ ὑπόστασιν τῶν πάντων, τέτρασιν ὀνόμασι παρ' αὐτοῖς καλουμένων (7), Βυθῷ, καὶ Νῷ, καὶ Λόγῳ, καὶ Ἀνθρώπῳ. Εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον ἀῤῥενόθηλυν, οὕτως· Πρῶτον τὸν Προπάτορα ἡνῶσθαι κατὰ συζυγίαν τῇ ἑαυτοῦ Ἐννοίᾳ· τὸν δὲ Μονογενῆ, τουτέστι τὸν Νοῦν, τῇ Ἀληθείᾳ· τὸν δὲ

BILLII INTERPRETATIO.

et æqualem, atque ita comparatum, ut solus paternæ magnitudinis capax esset. Atque hunc Nun, et Monogenem, et Patrem, et Principium omnium rerum appellant. Cum eo autem Veritatem quoque in ortum productam esse aiunt. Atque hanc esse primam ac primigenam Pythagoricam quaternitatem, quam etiam rerum omnium stirpem ac radicem vocant. Est enim Bythus et Sige, ac deinde Nus et Veritas. Cumque Monogenes hic persensisset quam ob causam productus fuisset, edidisse quoque ipsum Sermonem et Vitam, patrem omnium qui post se futuri essent, ac principium et formationem totius Pleromatis. Jam vero ex Sermone et Vita per conjugationem ortos esse Hominem et Ecclesiam. Atque hanc esse primigenam Ogdoadem, ex qua, tanquam ex radice ac parente, omnes exstiterunt, quatuor nominibus apud ipsos appellatam, Bythum nimirum, et Nun, et Sermonem, et Hominem. Esse quippe eorum quemlibet mas-

(1) *Unigenitum vocant. Atqui non proprie*, inquit Tertull. lib. *cont. Val.* c. 7, *siquidem non solus agnoscitur ; nam cum illo processit et femina, cui Veritas nomen est. Quanto congruentius Protogenes vocaretur!*

(2) *Sententem autem unigenitum*, etc. Clarius indiculus a Cotelerio restitutus : *Intelligens autem sensus* (Nus) *ad quid esset emissus.* Et Tertull. c. 7 : *Nus simul accepit* (id est *percepit*, sive *intellexit*) *prolationis suæ officium.*

(3) *Emissum secundum conjugationem.* Ita Claromont. cum textu Græc. Pass. Ottobon. et partim Arund. Merc. 2 et Voss. In editt. vero Eras. Gallas. et Feuard. male, *emissam secundam conjugationem.*

(4) *Πυθαγορικὴν Τετρακτύν.* Τετρακτύν cum Petavio et Theodoreto scribo, non τετρακτήν, ut perperam legitur in Basilicensi Epiphanii edit. quam secuti sunt Feuard. et Grabius ipse; τετρακτύν enim dicebant Pythagorici, non τετρακτήν. *Tetradem* vero et *Quadrigam* vocat Tertull. Pythagorica ab Irenæo dicitur; nemo enim nescit quantum quaternario numero tribuerent Pythagorici. Perfectum, imo omnem esse numerum asserebant; quia, inquit Plutarch. lib. 1 *De placitis philosoph.*, c. 3, in se numerum vi complectitur denarium, ultra quem proprie non est numerus; nam reliqui ultra, qui dicuntur, numeri, priorum sunt repetitiones. Continet autem denarium, quia habet quatuor, tria, duo, unum, quæ simul collecta denarium efficiunt. Propterea adeo sacra illis tetras erat, ut, Plutarcho loco cit. et Porphyrio testibus, inde sanctioris jurisjurandi religionem sibi fecissent :

Οὐ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.
Per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium,
Fontem perennis naturæ radices habentem.

(5) *Προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον.* C. R. ὑποβαλεῖν. Cæterum Irenæo consentit Tertullianus cap. 7. *Emittit et ipse* (Nus) *ex semetipso Sermonem*, etc. Eadem habet Indiculus supra citatus, a Cotelerio emendatus, ad calcem tom. I *Monum. Eccles. Gr.*, p. 767. Memoriæ itaque lapsus est, infert optime Grabius, in Cyrilli Catech. 6, ubi Βυθῷ generatio Λόγου ascribitur. Est quoque ibidem prava lectio, distinctio, versio textus. Lege, pergit vir doctus, ex ms. 25 Rœ. in *Bibliotheca Bodl.* emendatum, rectequo distinctum : Βυθὸς ἐγέννησε Σιγὴν καὶ ἀπὸ τῆς Σιγῆς ἐτεκνοποίει Λόγον. Τοῦ παρ' Ἕλλησιν Διὸς οὗτος χείρων, τοῦ τῇ ἀδελφῇ μιγνυμένου· τέκνον γὰρ τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο εἶναι ἡ Σιγή· *Bythus genuit Sigen, et ex Sige filium suscepit Logon. Iste pejor est Jove gentilium, qui sorori commistus est ; quippe Sige Bythi proles esse ferebatur.* Magis tamen, fateor, propenderem in conjecturam eruditissimi Pearsonii *Vindic. Epist. S. Ignat.*, part. II, cap. V, edit. Cantabrig. 1672, pag. 48, scilicet, neque λόγου, neque λόγον legendum esse, sed utramque vocem expungendam, utpote minime necessariam, sive priora, sive posteriora verba respicias. Neutra posterioribus competit ; Cyrillus enim non Logon, sed Bythum Jovi comparat. Prioribus neque λόγου convenit, neque λόγον necessarium est; nam τεκνοποιεῖν, *liberos procreare*, quicunque tandem illi sint, satis ad hujus loci sensum exprimendum valet. Docet enim Cyrillus Jovem sorori mistum fuisse, Bythum vero ex filia sua procreasse liberos : quod turpius est. Quanquam haud excusari posse videatur quod Σιγὴν ἐκ Βυθοῦ genitam esse asserit Cyrillus. Sigen enim et ipsam ingenitam, Bythoque συνυπάρχουσαν ab hæreticis dici, satis expresse tradunt Irenæus et Theodoretus.

(6) *Μόρφωσιν παντὸς τοῦ Πληρώματος.* Emendandus ergo Tertullianus loco jam sæpe cit. et pro *formati Pleromatis totius emissa*, legendum *formationem Pleromatis*, etc., ut recte ante me notavit Grab.

(7) *Καλουμένων.* Legendum esse καλουμένην monet Fronto Duc. et videt quisque. Ita legit vetus interpres.

Digitized by Google

Λόγον τῇ Ζωῇ, καὶ τὸν Ἄνθρωπον τῇ Ἐκκλησίᾳ.

A tioni (4), quam Gratiam et Silentium vocant (5); Unigenitum autem, hoc est Nun, Alethiæ, id est Veritati; Logon autem Zoæ, id est Vitæ; et Anthropon cum Ecclesia.

2. Τούτους δὲ τοὺς Αἰῶνας εἰς δόξαν τοῦ Πατρὸς προβεβλημένους, βουληθέντας καὶ αὐτοὺς διὰ τοῦ ἰδίου δοξάσαι τὸν Πατέρα, προβαλεῖν προβολὰς ἐν συζυγίᾳ· τὸν μὲν Λόγον καὶ τὴν Ζωὴν μετὰ τὸ προβαλέσθαι τὸν Ἄνθρωπον καὶ τὴν Ἐκκλησίαν, ἄλλους δέκα Αἰῶνας, ὧν τὰ ὀνόματα λέγουσι ταῦτα· Βύθιος (1) καὶ Μίξις, Ἀγήρατος καὶ Ἕνωσις, Αὐτοφυὴς καὶ Ἡδονή, Ἀκίνητος καὶ Σύγκρασις, Μονογενὴς καὶ Μακαρία. Οὗτοι δέκα Αἰῶνες, οὓς καὶ φάσκουσιν ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς προβεβλῆσθαι. Τὸν δὲ Ἄνθρωπον καὶ αὐτὸν προβαλεῖν μετὰ τῆς Ἐκκλησίας Αἰῶνας δώδεκα, οἷς ταῦτα τὰ ὀνόματα χαρίζονται· Παράκλητος καὶ Πίστις, Πατρικὸς καὶ Ἐλπὶς, Μητρικὸς καὶ Ἀγάπη, Ἀείνους καὶ Σύνεσις (2), Ἐκκλησιαστικὸς καὶ Μακαριότης, Θελητὸς καὶ Σοφία.

2. Hos autem Æonas in gloriam Patris emissos, volentes et ipsos de suo clarificare Patrem, emisisse emissiones in conjugatione (6); Logon quidem et Zoen, posteaquam emissus est Homo et Ecclesia, alteros decem Æonas, quorum nomina dicunt hæc: Bithius et Mixis, Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetus et Syncrasis, Monogenes et Macaria. Hi decem Æones, quos dicunt ex Logo et Zoe emissos. Anthropon autem et ipsum emisisse cum Ecclesia Æonas duodecim, quibus nomina hæc donant: Paracletus 7 et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Æinos (7) et Synesis, Ecclesiasticos et Macariotes, Theletos (8) et Sophia.

B

3. Οὗτοί εἰσιν οἱ τριάκοντα Αἰῶνες τῆς πλάνης αὐτῶν, οἱ σεσιγημένοι (3) καὶ μὴ γινωσκόμενοι· τοῦτο τὸ ἀόρατον καὶ πνευματικὸν κατ' αὐτοὺς Πλήρωμα, τριχῇ διεσταμένον εἰς ὀγδοάδα, καὶ δεκάδα, καὶ δωδεκάδα. Καὶ διὰ τοῦτο τὸν Σωτῆρα λέγουσιν (οὐδὲ γὰρ Κύριον ὀνομάζειν αὐτὸν θέλουσι) τριάκοντα ἔτεσι κατὰ τὸ φανερὸν μηδὲν πεποιηκέναι, ἐπιδεικνύντα τὸ μυστήριον τούτων τῶν Αἰώνων. Ἀλλὰ καὶ ἐπὶ

3. Hi sunt triginta erroris eorum Æones, qui tacentur, et non agnoscuntur. Hoc invisibile et spiritale secundum eos Pleroma, tripartite divisum in octonationem, et decada, et duodecada; et propter hoc Salvatorem dicunt (nec enim Dominum eum nominare volunt) triginta annis (9) in manifesto nihil fecisse, ostendentem mysterium horum Æonum. Sed et in parabola eorum operariorum, qui in

BILLII INTERPRETATIO.

culo-feminam, ad hunc modum: Primum enim Propatorem conjugii nexu cum sua Ennœa, quam et Charin, et Sigen vocant, copulatum fuisse: Monogenem deinde, hoc est Nun, cum Veritate; Sermonem cum Vita, ac denique Hominem cum Ecclesia.

2. Hos autem Æonas ad parentis sui gloriam productos, quod ipsi de suo quoque paternam gloriam illustrare vellent, fetus conjugales edidisse: Sermonem nempe et Vitam, posteaquam Hominem et Ecclesiam produxissent, alios insuper decem Æonas in ortum protulisse, quorum nomina hæc esse dicunt: Bythius et Mixis, Ageratus et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetus et Syncrasis, Monogenes et Macaria. Hi sunt decem Æones, quos ex Sermone et Vita ortos esse asserunt Hominem autem etiam ipsum una cum Ecclesia decem Æonas produxisse, quibus hæc ab ipsis nomina tribuuntur: Paracletus et Pistis, Patricus et Elpis, Metricus et Agape, Ainus et Phronesis, Ecclesiasticus et Macariotes, Theletus et Sophia.

3. Hi sunt errantium hominum Æones triginta, qui silentio velut obvoluti sunt, nec a quoquam cognoscuntur: hoc invisibile ac spiritale eorum Pleroma, trifariam divisum, in Ogdoadem, Decadem, et Duode-

(1) *Βύθιος*. Sic et Tertullianus cap. 8. *Bythius* adjective, ad discrimen primi parentis *Bythi* ita dictus, aiunt Pamelius et Fronto Duc. Male ergo in Theodoreti textu legitur Βυθὸν καὶ Μίξιν.

(2) *Ἀείνους καὶ Σύνεσις*. Sic et Tertull. loco mox cit. *Ainus et Synesis*. Perperam itaque apud Theodoretum habetur Νοῦς καὶ Σύνεσις. Νοῦς enim a Βυθῷ, non ab Ἀνθρώπῳ emissus est.

(3) *Σεσιγημένοι*. Alludere videtur Irenæus ad Σιγὴν Æonum matrem. Sed alia ratione σεσιγημένους καὶ μὴ γινωσκομένους dicit, quia, ut observat Theodoretus, τούτους φασὶ τοὺς λ' Αἰῶνας τοῖς μὲν ἄλλοις ἅπασιν ἀδήλους εἶναι, αὐτοῖς δὲ μόνοις γνωρίμους· *Hos triginta Æones dicunt aliis quidem omnibus ignotos esse, ipsis vero solis cognitos.*

(4) *Id est cogitationi.* Hæc, uti et sequentia, *id est Veritati, id est Vitæ*, explicationis gratia addita sunt.

(5) *Quam Gratiam et Silentium vocant.* Verba hæc in Græco deficiunt, nec Irenæi esse videntur. Vero prorsus similis Grabii conjectura, primum a quopiam ad marginem ascripta, in textum irrepsisse: neque enim Irenæum quod paulo ante dixerat, inutiliter mox repetiturum.

(6) *In conjugatione.* Ita legendum ex textu Græco conjecerat Fronto Duc. Sed ita revera habent Arund. Voss. Merc. 2 et Clarom. Editi vero perperam: *in conjugationem.*

(7) *Æinos. Ainos* scribendum vult Fronto Duc. et ita quoque scripsit Feuard. infra lib. II, cap. 14, n. 8. Scribi vellem ego cum Tertull. c. 8, *Ainus*. Quemadmodum enim a Νοῦς dixerunt interpretes Latini *Nus*; sic ab Ἀείνους dicendum videtur *Ainus*, et ita scripsisse Billium video, recte quidem; sed minus recte, quod pro *Synesis* scripsit *Phronesis*. In Græco siquidem Σύνεσις legitur, non Φρόνησις, quæ aliunde una Æonum Basilidis, non Valentini erat.

(8) *Theletos.* Non *Teletos*, inquit Fronto Duc.; nam sæpe τῆς θελήσεως, et τοῦ θελήματος meminit in his mysteriis hæreticorum Irenæus, ut cap. 6 (nunc 12) hujus libri, etsi aliter Pamelio videtur. Billius certe semper *Theleti* scripsit; neque mihi unquam occurrit τελετός, *perfectus*. Θελητὸν autem habes I Reg. xv, 22: εἰ θελητὸν τῷ Κυρίῳ. Itaque melius *voluntate expetitum* reddidissent interpretes, quam, ut Cornarius in versione Epiphanii, *voluntatem*, alius *voluntarium*. Hactenus Fronto Duc. Quem autem Theleton appellat Irenæus, hunc eumdem et *Philetum* vocat Tertullianus cap. 9. Suspicantur quidem nonnulli pro *Philetum* legendum *Theleton*, suspicarer et ego, nisi cap. 30 et 32 idem *Phileti* nomen occurreret. Credere itaque malim, duo fuisse unius et ejusdem Æonis nomina.

(9) *Triginta annis.* Alias, *per triginta annos.*

Digitized by Google

vineam mittuntur, dicunt manifestissime triginta hos Æonas declaratos. Mittuntur enim alii quidem circa primam horam, alii circa tertiam, alii circa sextam, alii circa nonam, alii circa undecimam. Compositæ igitur prædictæ horæ in semetipsas, triginta numerum adimplent. Una enim, et tres, et sex, et novem, et undecim, triginta fiunt (1). Per horas autem Æonas manifestari (2) volunt : et hæc esse ma t admirabilia et abscondita mysteria, quæ ipsi structificant; et sicubi quid eorum, quæ dicuntur in Scripturis (3), poterunt adaptare et assimilare figmento suo.

A τῆς παραβολῆς τῶν (6) εἰς τὸν ἀμπελῶνα πεμπομένων ἐργατῶν φασι φανερώτατα τοὺς τριάκοντα τούτους Αἰῶνας μεμηνύσθαι. Πέμπονται γὰρ οἱ μὲν περὶ πρώτην ὥραν, οἱ δὲ περὶ τρίτην, οἱ δὲ περὶ ἕκτην, οἱ δὲ περὶ ἐνάτην, ἄλλοι δὲ περὶ ἑνδεκάτην. Συντιθέμεναι οὖν αἱ προειρημέναι ὧραι εἰς ἑαυτάς, τὸν τῶν τριάκοντα ἀριθμὸν ἀναπληροῦσι. Μία γὰρ, καὶ τρεῖς, καὶ ἕξ, καὶ ἐννέα, καὶ ἕνδεκα, τριάκοντα γίνονται. Διὰ δὲ τῶν ὡρῶν τοὺς Αἰῶνας μεμηνύσθαι θέλουσι· καὶ ταῦτ' εἶναι τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστὰ καὶ ἀπόῤῥητα μυστήρια, ἃ καρποφοροῦσιν αὐτοί, καὶ εἴ πού τι τῶν ἐν πλήθει εἰρημένων ἐν ταῖς Γραφαῖς δυνηθείη προσαρμόσαι, καὶ εἰκάσαι τῷ πλάσματι αὐτῶν.

CAPUT II.

Soli Unigenito cognitus primus Pater. Sophiæ æmulatio, perturbatio, periculum, et partus informis. Ab Horo restituitur. Horos quis ? Christus et Spiritus sanctus ad Æonum consummationem emittuntur. Ex Æonum collatione Jesus producitur.

1. Et Propatorem quidem eorum cognosci soli (4) dicunt ei, qui ex eo natus est, 8 Monogeni, hoc est No : reliquis vero omnibus invisibilem et incomprehensibilem esse. Solus autem Nus, secundum eos delectabatur videns Patrem, et magnitudinem immensam ejus considerans exsultabat, et excogitabat reliquis quoque Æonibus participare (5) magnitudinem Patris ; quantus et quam

B 1. Τὸν μὲν οὖν Προπάτορα αὐτῶν γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ ἐξ αὐτοῦ γεγονότι Μονογενεῖ, τουτέστι τῷ Νῷ· τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν (7) ἀόρατον καὶ ἀκατάληπτον ὑπάρχειν. Μόνος δὲ ὁ Νοῦς κατ' αὐτοὺς ἐτέρπετο θεωρῶν τὸν Πατέρα, καὶ τὸ μέγεθος τὸ ἀμέτρητον αὐτοῦ κατανοῶν ἠγάλλετο, καὶ διενοεῖτο καὶ τοῖς λοιποῖς Αἰῶσιν ἀνακοινώσασθαι (8) τὸ μέγεθος τοῦ Πατρὸς, ἡλίκος τε καὶ ὅσος ὑπῆρχε, καὶ ὡς

BILLII INTERPRETATIO.

eadem. Atque ob eam causam Salvatorem (neque enim eum Dominum appellare ipsis placet) xxx annis palam, atque in hominum luce nihil fecisse, ut videlicet Æonum horum mysterium ostenderet. Quin in ea quoque parabola, quæ est de operariis ad vineam missis hos 30 Æonas apertissime indicatos esse contendunt. Mittuntur enim partim circa horam primam, partim circa tertiam, partim circa sextam, partim circa nonam, partim circa undecimam. Omnes porro hæ horæ in unum conflatæ tricenarium numerum explent. Una enim, et tres, et sex, et novem, et undecim tricenarium efficiunt. Per horas autem Æonas significari volunt : atque hæc esse ingentia illa et admiranda, atque in vulgus non efferenda mysteria, quæ ipsi proferunt : et si quid usquam est in litteris sacris, quod eorum commento accommodari atque comparari possit.

CAPUT II.

1. Ac Propatorem quidem suum Monogeni soli ex se orto, hoc est, No cognitum esse dicunt, a cæteris omnibus nec cerni, nec comprehendi posse. Itaque Nus solus, de eorum sententia, Patrem contemplans in magna voluptate versabatur, atque immensam ipsius magnitudinem considerans exsultabat, ac reliquis etiam Æonibus amplitudinem Patris exponere cogitabat, nempe quantus, quamque ingens is esset,

(1) *Fiunt*. Al. *sunt*.

(2) *Manifestari*. Clarom. *manifestare*.

(3) *Quid eorum, quæ dicuntur in Scripturis*. Græce, εἴ πού τι τῶν ἐν πλήθει εἰρημένων ἐν ταῖς Γραφαῖς. Vetus interpres, Billius et Cornarius omiserunt ἐν πλήθει, *in multitudine*. Gallasius : *Eorum quæ multa dicuntur in Scripturis*. Melius Petavius : *ac si quid aliud est, quod in Scripturis certo numero comprehensum*. Vide cap. 18 et lib. II, cap. 24.

(4) *Cognosci soli. Cognosci* habent Clarom. Arund. et Voss. ex Græco, γινώσκεσθαι : edita vero *cognitum*. At *solo* pro *soli* legitur in Clarom. Arund. et Merc. 2.

(5) *Reliquis quoque Æonibus participare*. Editt. Eras. et Gallas. *reliquos quoque Æonas participare;* quam lectionem ex veteri cod. et Græco textu immutasse se ait Feuard. substituendo : *reliquis quoque Æonibus communicare*. Et quidem ms. Feuardentii exemplar habuisse, *reliquis quoque Æonibus*, non dubitem ; an autem et habuerit, C *communicare*, paulo incertius. Quare cum cunctis mss. Arund. Voss. Merc. 2, Clarom. et Pass. legatur, *reliquis quoque Æonibus participare*, et aliunde *participare* non semel ab interprete usurpetur pro *communicare*, tutius visum est ita restituere.

(6) *Τῶν*. C. R. et Feuard. Colon. editio an. 1596, τῆς.

(7) *Γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ... Μονογενεῖ... τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν*, etc. Cum hac exceptione intelligendus Theodoretus, dum generalius ex Valentini sententia dicit, Βυθὸν ἀνέφικτον εἶναι πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ, *Bythum ab iis qui ex ipso nati sunt Æonibus percipi non posse*. Eadem exceptio sequentibus verbis adhibenda : φύντα καὶ ἰδεῖν αὐτὸν κατέσχεν ἡ Σιγή. *Ex Bytho natos Æonas, ne ipsum viderent cognoscerentve, et aliis manifestarent, coercuit Sige*. Qui enim reliqui Æones ignotum sibi Bythum aliis manifestare potuissent ? Et quibus aliis declarassent, cum soli tunc exstarent ? D

(8) *Διενοεῖτο καὶ τοῖς λοιποῖς Αἰῶσιν ἀνακοινώσασθαι. Reliquis etiam Æonibus magnitudinem Patris exponere cogitabat*. Memoria itaque lapsus est Theodoretus, dum Æonibus omnibus indiscriminatim ascribit, quod Monogeni soli ex Irenæo et Tertulliano cap. 9 competere certum est. Φύντα, inquit Theodoretus, καὶ ἰδεῖν αὐτὸν (Βυθὸν), καὶ τοῖς ἄλλοις δηλῶσαι, κατέσχεν ἡ Σιγή· *Ex Bytho natos Æonas, ne ipsum viderent cognoscerentve, et aliis manifestarent, coercuit Sige*. Qui enim reliqui Æones ignotum sibi Bythum aliis manifestare potuissent ? Et quibus aliis declarassent, cum soli tunc exstarent ?

Digitized by Google

ἦν ἀναρχός τε καὶ ἀχώρητος, καὶ οὐ κατάληπτος ἰδεῖν. Κατέσχε δὲ αὐτὸν ἡ Σιγὴ βουλήσει τοῦ Πατρὸς, διὰ τὸ θέλειν πάντας αὐτοὺς εἰς ἔννοιαν καὶ πόθον ζητήσεως τοῦ προειρημένου Προπάτορος αὐτῶν ἀγαγεῖν. Καὶ οἱ μὲν λοιποὶ ὁμοίως Αἰῶνες ἡσυχῇ πως ἐπεπόθουν τὸν προβολέα τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἰδεῖν, καὶ τὴν ἀναρχον ῥίζαν ἱστορῆσαι.

2. Προήλατο δὲ πολὺ ὁ τελευταῖος καὶ νεώτατος τῆς δωδεκάδος, τῆς ὑπὸ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας προβεβλημένος (1) Αἰών, τουτέστιν ἡ Σοφία, καὶ ἔπαθε πάθος ἄνευ τῆς ἐπιπλοκῆς τοῦ ζυγοῦ (2) τοῦ Θελητοῦ· ὃ ἐνήρξατο μὲν ἐν τοῖς περὶ τὸν Νοῦν καὶ τὴν Ἀλήθειαν, ἀπέσκηψε δὲ εἰς τοῦτον τὸν παρατραπέντα, πρόφασιν (3) μὲν ἀγάπης, τόλμης δὲ, διὰ τὸ μὴ κεκοινωνῆσθαι τῷ Πατρὶ τῷ τελείῳ, καθὼς καὶ ὁ Νοῦς. Τὸ δὲ πάθος εἶναι ζήτησιν τοῦ Πατρός· ἤθελε γὰρ, ὡς λέγουσι, τὸ μέγεθος αὐτοῦ καταλαβεῖν· ἔπειτα μὴ δυνηθῆναι, διὰ τὸ ἀδυνάτῳ ἐπιβαλεῖν πράγματι, καὶ ἐν πολλῷ πάνυ ἀγῶνι γενόμενον, διά τε τὸ μέγεθος τοῦ βάθους, καὶ τὸ ἀνεξιχνίαστον τοῦ Πατρὸς, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν στοργὴν, ἐκτεινόμενον ἀεὶ ἐπὶ τὸ πρόσθεν, ὑπὸ τῆς γλυκύτητος αὐτοῦ τελευτσῖον ἂν καταπεπόσθαι, καὶ ἀναλελύσθαι εἰς τὴν ἄλην οὐσίαν, εἰ μὴ τῇ στηριζούσῃ, καὶ ἐκτὸς τοῦ ἀῤῥήτου μεγέθους φυλασσούσῃ τὰ ὅλα συνέτυχε δυνάmagnus exsisteret, et quemadmodum erat sine initio, et incapabilis (4) et incomprehensibilis ad videndum. Continuit autem eum Sige voluntate Patris, quoniam vellet omnes hos in intellectum et desiderium exquisitionis Patris sui (5) adducere. Et reliqui quidem Æones omnes tacite quodammodo desiderabant prolatorem seminis sui videre, et eam, quæ sine initio est, radicem contemplari.

2. Præsiliit autem valde ultimus, et junior, de duodecade ea, quæ ab Anthropo et Ecclesia emissa fuerat, Æon, hoc est Sophia; et passa est passionem sine complexu conjugis Theleti; quæ exorsa (6) quidem fuerat in iis, qui sunt erga Nun (7) et Alethiam; derivavit autem in hunc Æonem, id est Sophiam (8), demutatam (9) sub occasione (10) quidem dilectionis (11); temeritatis autem, quoniam non communicaverat Patri perfecto, quemadmodum et Nus. Passionem autem esse exquisitionem Patris; voluit enim, ut dicunt, magnitudinem ejus comprehendere. Dehinc cum non posset, quoniam impossibilem rem aggrederetur, in magna agonia constitutum propter magnitudinem altitudinis, et propter quod investigabile Patris est, et propter eam, quæ erat erga eum dilectionem, cum extenderetur semper in priora, a dulcedine ejus novissime forte absorptum fuisse (12), et resolutum in uni-

BILLII INTERPRETATIO.

quodque et principio careret, et omnem mentis comprehensionem, atque oculorum obtutum fugeret. Verum Sige de Patris consilio eum inhibuit, quod omnes ipsos ad cogitationem, et desiderium investigandi prædicti sui Propatoris adducere cuperet. Quocirca cæteri quidem omnes Æones taciti quodammodo seminis sui productorem intueri gestiebant, ac radicem illam principii expertem contemplari.

2. At ultimus ille Æon, minimusque natu, ex ea duodecade, quæ ab Homine et Ecclesia orta fuerat, hoc est, Sophia, longe præsiliit, passionemque sine complexu conjugis sui Theleti contraxit: quæ quidem cum initium cepisset in iis qui circa Nun et Veritatem erant, tandem in hunc depravatum Æonem decubuit, prætextu quidem amoris, sed revera temeritate impulsum, quod videlicet perfecto Patri minime communicasset, quemadmodum Nus. Hæc autem passio nihil aliud erat, quam Patris investigatio. Perceptam enim, ut dicunt, ipsius magnitudinem habere cupiebat. Quod cum consequi nequivisset, propterea

(1) *Προβεβλημένος*. Mallem cum interprete et Tertulliano cit. legi προβεβλημένης, scil. δωδεκάδος. Hic enim: *Ex illis duodecim Æonibus, quos Homo et Ecclesia ediderant, novissima natu Æon.*

(2) *Ἄνευ τῆς ἐπιπλοκῆς τοῦ ζυγοῦ*. Legendum esse συζύγου merito contendit Fronto Duc.; vertit enim interpres, *sine complexu conjugis Theleti*. Quod et idem repetitur lib. II, cap. 12, n. 3, *sine permistione conjugis, quem Theletum vocant*. Tertullianus similiter cap. 9, *sine conjugis Phileti societate*. Quem postremum locum L. Latinius dum emendare satagit, depravat scribens, *sine conjugis Phileti satietate*.

(3) *Πρόφασιν*. Legisse videtur interpres et, quidem melius, προφάσει.

(4) *Incapabilis*. Id est, qui capi animo non possit. In Ottobon. *invisibilis*.

(5) *Patris sui*. Sic in omnibus editt. mss. cum Tertull. Juxta Græcum vero: τοῦ προειρημένου Προπάτορος αὐτῶν, *prædicti primi Patris*, seu, ut vertere amat interpres, *Propatoris eorum*.

(6) *Exorsa*. Mss. codd. cum Eras. et Gallas. perperam, *exsors*; quam pravam lectionem ex Græco textu Feuardentius emendavit. Græcis omnino consonat Tertullianus c. 9: *Genus contrahit vitii, quod exorsum quidem fuerat*, etc.

(7) *Qui sunt erga Nun*. Eras. Feuard. et mss. codd., *quæ sunt erga Nun*, manifesta librariorum oscitantia. Quare quod Feuardentio nota superiori lieuit, idem et nobis licere arbitrati sumus, depravatam scilicet lectionem ex Græco textu et Tertulliano restituere. Ille siquidem: ἐν τοῖς περὶ τὸν Νοῦν, ubi τοῖς non neutraliter accipi, sed ad Æonas a Nu et Alethia productos referri liquet. Tertullianus vero: *qui circa* Noῦν, quod totidem verbis Græco respondet. Pessime autem et nullo prorsus sensu, pro *erga Nun*, habet Gallasius *viterga*, typographi forsan culpa.

(8) *Æonem, id est Sophiam*. Hæc cum a Græco absint, explicationis ergo addita videntur.

(9) *Demutatam*. Mallem cum Billio vertisset interpres *depravatam*, vel cum Petavio, *aberrantem*.

(10) *Sub occasione*. Melius Tertullianus, *sub prætexto*: πρόφασις enim hic non *occasionem*, sed *prætextum* significat.

(11) *Dilectionis*. Feuard. in marg. et Pass. *delectationis*. Perperam; ut enim cæteros cum editt. mss. omittam, Græcus textus et Tertull. habent, *dilectionis*.

(12) *Forte absorptum fuisse*. Male cod. Voss. Pass. et Feuard. in marg., *vero* pro *forte*. Nec melius idem Voss. cod. Eras. et Gall., *fuisset*. Rectius cod. Clarom. Feuardentius in textu, et Grabius, *forte absorptum fuisse*; quam lectionem secuti sumus, licet cum Pamelio in cap. 9 Tertull. *fere* pro *forte* legi mallemus, si suffragarentur mss. codd. Scribit enim Tertull. *modico abfuit devorari*, id est, fere devoratus fuit. Et expressius lib. *de Præscript.*

Digitized by Google

versam substantiam, nisi ei, quæ confirmat, et extra (1) inenarrabilem magnitudinem custodit omnia, occurrisset virtuti. Hanc autem virtutem et Horon vocant, a qua abstentum (2), et confirmatum, vix reversum in semetipsum, et credentem jam quoniam incomprehensibilis est Pater (3), deposuisse pristinam intentionem, cum ea, quæ acciderat, passione ex illa stuporis admiratione.

μει. Ταύτην δὲ τὴν δύναμιν καὶ Ὅρον (7) καλοῦσιν, ὑφ' ἧς ἐπεσχῆσθαι, καὶ ἐστηρίχθαι, καὶ μόγις ἐπιστρέψαντα εἰς ἑαυτὸν, καὶ πεισθέντα, ὅτι ἀκατάληπτός ἐστιν ὁ Πατὴρ, ἀποθέσθαι τὴν προτέραν ἐνθύμησιν, σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει ἐκ τοῦ ἐκπλήκτου ἐκείνου θαύματος.

3. Quidam autem ipsorum hujusmodi passionem, et reversionem Sophiæ, velut fabulam narrant (4) : impossibilem et incomprehensibilem rem eam aggressam, peperisse substantiam informem, qualem naturam habebat femina parere (5) : in quam cum intendisset, primo quidem contristatam, propter inconsummationem generationis : post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat (6 : dehinc expavisse, et aporiatam, id est,

3. Ἔνιοι δὲ αὐτῶν πως (8) τὸ πάθος τῆς Σοφίας, καὶ τὴν ἐπιστροφὴν μυθολογοῦσιν · Ἀδυνάτῳ καὶ ἀκαταλήπτῳ πράγματι αὐτὴν ἐπιχειρήσασαν, τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον (9), οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν (10) τεκεῖν · ἣν καὶ κατανοήσασαν, πρῶτον μὲν λυπηθῆναι διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς γενέσεως, ἔπειτα φοβηθῆναι μηδὲ αὐτὸ τὸ εἶναι τελείως ἔχειν (11) · εἶτα ἐκστῆναι, καὶ ἀπορῆσαι, ζητοῦσαν τὴν αἰτίαν, καὶ ὄντινα τρό-

BILLII INTERPRETATIO.

quod rem impossibilem aggressus erat, cumque in extrema quadam anxietate versaretur, ac tum ob profunditatis magnitudinem, impervestigabilemque Patris naturam, tum ob singularem suam erga eum benevolentiam, ad ulteriora semper præ ipsius dulcedine sese extenderet, ad extremum absorptus, atque in integram essentiam redactus fuisset, nisi in vim eam et facultatem, quæ omnia fulcit, atque extra ineffabilem magnitudinem custodit, incidisset. Hanc autem vim Horum appellant, a quo repressum eum et suffultum esse dicunt : ac tandem aliquando ad sese redeuntem, sibique Patrem incomprehensibilem esse persuadentem, priorem cogitationem simul cum ea passione, quæ ex stupendo illo miraculo orta erat, abjecisse.

3. Nonnulli autem ipsorum hanc Sophiæ passionem, et conversionem ita quodammodo fabulantur.

cap. 49, *pene dissolutum esse ;* et auctor Indiculi, *pene periisse*. Quin et Irenæus ipse infra, *pene perditi*. Quæ omnia pene persuadent scripsisse interpretem *fere*, quod scribarum imperitia mutatum sit in *forte*.

(1) *Quæ confirmat, et extra*, etc. Particulam *et*, in editis omnibus perperam in sequens comma trajectam, bene suo loco restituit editor Anglus, ductus auctoritate cod. Voss. et Græci textus, στηρίζουσῃ, καὶ ἐκτός, etc., quibus consonant et codd. Clarom. et Pass.

(2) *Abstentum*. Hac voce utitur interpres infra lib. III, cap. 4, n. 3 ; utuntur et auctores Ecclesiastici ac Concilia passim, sed alio sensu. Hic vero significat, *repressum, cohibitum, ab incepto revocatum*.

(3) *Pater*. Deest in Eras. Gall. et cod. Ottobon.

(4) *Velut fabulam narrant*. Gr. μυθολογοῦσιν, quod male ab interprete redditum. Fabulam quidem narrabant illi, sed non velut fabulam habebant. Vertere igitur debuisset interpres, *comminiscuntur*, vel cum Tertull. *somniaverunt*.

(5) *Qualem naturam habebat femina parere*. Θήλεια, non θήλειαν legit interpres, et cum eo Billius et Cornarius ; hunc que sensum Irenæi verbis allingunt : *informem substantiam, qualem scilicet naturam femina sine complexu mariti parere poterat, a Sophia procreatam fuisse*. At nodum in scirpo quærunt illi. Planus est Græcorum sensus, si cum Frontone Duc. distinguas : οἵαν φύσιν εἶχε, θήλειαν τεκεῖν. *Qualem naturam ipsa habebat, femineam scilicet, peperisse ;* vel ut Petavius probe reddidit : *ejusdemque, quam habebat, naturæ feminam peperisse*. Nec necesse est verbum τεκεῖν quasi superfluum expungere, ut vult Fronto, non enim incommodum est. Certum est autem cum ex Tertull. cap. 10, tum ex Irenæo ipso infra cap. 5, et lib. II, cap. 20, *informem* illum, et *invalidum* Sophiæ *fructum, femineum*, seu *femineam* exstitisse : adeo ut dubium non sit, quin hoc loco θήλειαν scripserit sanctissimus martyr.

(6) *Timuisse, ne hoc ipsum finem habeat*. Legisse videtur interpres : μὴ καὶ αὐτὸ τέλος ἔχῃ, nec male quidem, si vertisset : *ne hoc ipsum* (ἀτελές videlicet, inconsummatus fetus) *perfectionem* (sibi debitam) *non habeat*. Interpretem secutus Tertullianus scripsit : *metuere postremo, ne finis quoque insisteret*. In eo lapsus est uterque, quod τέλος *finem* verterit, cum hic significet *perfectionem, consummationem*, etc. Billius vero, et Petavius legendum volunt in Græco : μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ. Grabius autem vulgatam lectionem Græcam retinet. At particula μηδέ rejicienda videtur, et commutanda in μὴ καί · de cætero parum interest, utrum legatur τέλος, an τελείως · idem quippe sensus erit. Nempe modo dixerat Irenæus fetum *informem*, inconsummatum et invalidum, uno verbo femineum (quem præ masculo sexu imperfectum judicant physici) a Sophia in lucem emissum. Id ubi conspexit illa, *contristata est ;* deinde timuit, *ne ipsum etiam esse*, quod pepererat, *perfectionem non haberet* sibi natura debitam, seu *ne ipsum etiam esse non plene ac perfecte haberet* imperfectior ille sexus ; ne scilicet invalidi hujus sexus natura in deformi ista prole non esset integra.

(7) *Ὅρον. Finem, terminum :* quia singulos Æonas intra Pleromatis fines coercebat.

(8) *Πῶς*. Hanc particulam ut interrogationis notam hic accipit Petavius ; vertit enim : *Sed istorum quidam illam sapientiæ perturbationem ac restitutionem quibus nugis involvunt ? nimirum*, etc. Crediderim ego aut ornatus causa duntaxat additam, aut significare *hoc modo, ita*, etc., non *hujusmodi*, ut vertit interpres.

(9) *Τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον*. Bene animadvertit hoc loco Grabius, Tertullianum perperam οὐσίαν ἄμορφον non *partui*, sed *parienti matri* per appositionem adscripsisse. Scribit enim : *Post irritos conatus, et spei dejectionem, deformatam eam pallore credo, et macie, et incuria formæ*. Contra Irenæus tam hic quam lib. II, cap. 20, n. 3 : *Illorum Æon substantiam informem peperit*.

(10) *Θήλειαν*. Sic omnes editt. cum cod. Reg. Billius vero cum veteri interprete legit θήλεια. Sed de his supra ad textum Latinum, not. 5.

(11) *Μηδ' αὐτὸ τὸ εἶναι τελείως ἔχειν*. Legendum

Digitized by Google

πνι ἀποκρύψει τὸ γεγονός (1). Ἐγκαταγενομένην δὲ τοῖς πάθεσι, λαβεῖν ἐπιστροφὴν, καὶ ἐπὶ τὸν Πατέρα ἀναδραμεῖν πειρασθῆναι, καὶ μέχρι τινὸς τολμήσασαν, ἐξασθενῆσαι, καὶ ἱκέτιν τοῦ Πατρὸς γενέσθαι. Συνδεηθῆναι δὲ αὐτῇ καὶ τοὺς λοιποὺς Αἰῶνας, μάλιστα δὲ τὸν Νοῦν. Ἐντεῦθεν λέγουσι πρώτην ἀρχὴν ἐσχηκέναι τὴν οὐσίαν (2) ἐκ τῆς ἀγνοίας, καὶ τῆς λύπης, καὶ τοῦ φόβου, καὶ τῆς ἐκπλήξεως.

4. Ὁ δὲ Πατὴρ τὸν προειρημένον Ὅρον ἐπὶ τούτοις διὰ τοῦ Μονογενοῦς προβάλλεται ἐν εἰκόνι ἰδίᾳ, ἀσύζυγον, ἀθήλυντον (3). Τὸν γὰρ Πατέρα ποτὲ μὲν μετὰ συζυγίας τῆς Σιγῆς, ποτὲ δὲ καὶ ὑπὲρ ἄρρεν,

A confusam (4), quærentem causam, et quemadmodum absconderet **10** id, quod erat natum. In iis autem passionibus factam, accepisse regressionem, et in Patrem regredi conari : et aliquandiu ansam, tamen defecisse, et supplicem Patris (5) factam. Una autem cum ea rogasse et reliquos Æonas, maxime autem Nun (6). Hinc dicunt primum initium habuisse substantiam materiæ, de ignorantia, et tædio, et timore, et stupore.

4. Pater autem prædictum Horon super hæc (7) per Monogenem præmittit (8) in imagine sua, sine conjuge, masculo-femina (9). Patrem enim aliquando quidem cum conjuge Sige (10), modo vero et

BILLII INTERPRETATIO.

Eam enim impossibilem, atque incomprehensibilem rem aggressam, informem essentiam, qualemque naturam femina poterat, peperisse. Quam etiam posteaquam conspexisset, primo quidem ob inchoatum fetum mœstitia affectam fuisse, deinde autem extimuisse, ne ipsum etiam esse non plene ac perfecte haberet : ac postea velut de potestate exiisse, atque in summa perplexitate hæsisse, causam hujusce rei indagantem, et quonam modo id, quod acciderat, occultaret. In iis autem affectionibus diu multumque versatam, tandem meliorem mentem induisse, atque ad Patrem ascendere tentasse. Sed cum aliquantisper conata esset, elanguisse, Patrique supplicem exstitisse ; ac cum ea quoque reliquos Æones obsecrasse, ac Nun præsertim. Atque hinc demum materiæ essentiam ortum traxisse narrant, nempe ex ignorantia, et mœrore, et metu, ac stupore.

4. At vero Pater Horum eum, de quo superius verba fecimus, per Monogenem postea in imagine sua

etiam hic vult Billius : μὴ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τέλος ἔχῃ. Vide notata ad textum Latinum.

B *juge masculo-femina.* Ita pariter Tertullianus cap. 10 : *In imagine femina-mare.* Quos secutus Billius : *in imagine sua conjugis experte, ac masculo-femina.* Sed cum recta ratione pugnat, Id imagini tribui, quod personis duntaxat convenit. Quis enim ferat imaginem dici *conjugis expertem, et masculo-feminam?* Malim igitur cum editore Anglo diligentiam interpretum, quam Græci textus sinceritatem incusare. Proinde lego, ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. Sed ἀθήλυντον haud cum Grabio verterim, *masculo-feminam*, seu *feminamarem;* neque enim ea est vocis hujus significatio. *Non femineum, non effeminatum* significare, vel ipsa Lexica vulgata docent. Quid sit autem, Horon *non femineum, non effeminatum* esse, docebit Theodoretus : Τὸν Ὅρον προβάλλεται, οὐ μετὰ συζύγου θηλείας· *Terminum*, inquit, *producit sine femina conjuge*, id est, nulla cum femina conjugii vinculo copulatum. Exceptio erat, τῶν γὰρ Αἰώνων ἕκαστος τῷ θήλει συνέζευκται, *nam aliorum Æonum*

C *unusquisque cum femina conjunctus est;* seu, ut loquitur Irenæus, ἀῤῥενόθηλυς erat : id est, singuli eorum bini et bini, masculus cum femina, conjugii nexu copulati erant. Itaque Horon apud Irenæum ἀσύζυγον, ἀθήλυντον esse, nihil aliud est, quam eumdem apud Theodoretum esse οὐ μετὰ συζύγου θηλείας, *nullo conjugii nexu cum femina*, ut cæteros Æones, *colligatum :* adeo ut vox ἀθήλυντον sit prioris ἀσύζυγον paulo distinctior duntaxat explicatio, hicque sonet, *feminæ non illigatum.* Et id sequentibus Irenæi verbis perfecte respondet. Dixerat Horon ad ipsam Patris imaginem, *nullo conjugii nexu cum femina copulatum*, ellictum esse. Quod quidem statim explicat : *Quia*, inquit, *Patrem aliquando quidem cum conjuge Sige copulant, modo vero supra maris, ac supra feminæ conditionem extollunt* Valentiniani. Et in hoc similem sibi Horon effecit, quod hic a conjugii legibus, quibus cæteri tenentur Æones, liber sit, quemadmodum et ipse

D Pater ab iis liber interdum exhibetur.

(1) *Τὸ γεγονός.* Sic ex codice Regio restituimus, pro γενός, quod in editt. omnibus tum Epiphanii, tum Irenæi legitur. Et quidem γεγονός dudum malebat Billius, ratus veterem interpretem ita legisse, necnon Tertullianum, qui cap. 10, *casum*, non *genus* dixit. De Tertulliano facile consentit Grabius; de veteri interprete repugnat. At litem dirimere debet codex Regius, quem neuter viderat.

(2) *Τὴν οὐσίαν.* Legendum, ut probe monet Billius, τὴν οὐσίαν τῆς ὕλης, quemadmodum legit vetus interpres ; τῆς ὕλης siquidem hic oscitantia scribarum omissum, paulo inferius additur : οὐσίαν τῆς ὕλης γεγενῆσθαι λέγουσιν.

(3) *Ἀσύζυγον, ἀθήλυντον.* Vid. Not. 9 infra.

(4) *Id est confusam.* Hæc explicationis gratia addidit quispiam.

(5) *Patris.* In editt. Eras. Gall. et Feuard. legitur *Patri*, sed contra omnium mss. et Græci textus fidem.

(6) *Maxime autem Nun.* Cod. Clarom., *maxime autem et Nun.* Vocem autem *Nun* in editt. Eras. et Gall. male omissam apposuit Feuard. ex Græco, Rigaltius etiam addendam monuerat in cap. 10 Tertull.

(7) *Super hæc.* Ἐπὶ τούτοις, ut recte notat Grab. simpliciter significat *post hæc*, sive *postea*, uti Billius in sua versione posuit. Tertullianus cap. 10 reddit, *in hæc.* Petavius autem perperam sub τούτοις intellexit Æones, et apud Epiphanium vertit : *post illos omnes produxit*, etc.

(8) *Præmittit.* Gr. προβάλλεται, quod vertendum fuisset, *emittit*, non *præmittit.*

(9) *Sine conjuge masculo-femina.* In editt. Eras. et Gall. corrupte legitur *sive* pro *sine.* Id emendavit Feuard. consentientibus mss. Clarom. Pass. Arund. et Merc. 1. At facilius de hujusce commatis lectione, quam de sensu convenit inter editores. Billius et Fronto Duc. contendunt, in Græco non ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. in Accusativo legendum esse, sed ἀσυζύγῳ, ἀῤῥενοθήλει (pro ἀθηλύντῳ) in Ablativo : ut scilicet ἀσυζύγῳ, ἀῤῥενοθήλει, referatur non ad Ὅρον, sed ad εἰκόνι, quasi Ὅρος ad imaginem ἀσύζυγον, ἀῤῥενόθηλυν ellictus esset. Et sic quidem legisse videtur interpres; vertit enim : *in imagine sua, sine con-*

(10) *Cum conjuge Sige.* Vertendum fuisset, *cum conjugio*, seu *conjugatione Siges*, juxta Græcum, μετὰ συζυγίας τῆς Σιγῆς. Et infra, τὸ ἀποκαταστῆναι τῇ συζυγίᾳ, reddi debuisset cum Tertull. cap. 10, *restitutam conjugio*, non *conjugi;* vel quemadmodum paulo post eadem omnino verba reddidit ipsemet interpres, *redintegratam suæ conjugationi.*

Digitized by Google

pro masculo, et pro (1) femina esse volunt. Horon vero hunc et Stauron, et Lytroten, et Carpisten, et Horotheten, et Metagogea vocant. Per Horon 11 autem hunc dicunt mundatam et confirmatam Sophiam, et restitutam conjugi. Separata enim intentione (2) ab ea, cum appendice passione (3), ipsam quidem infra Pleroma perseverasse (4) : concupiscentiam vero ejus, cum passione ab Horo separatam, et crucifixam (5), et extra eum (6) fac-

A καὶ ὑπὲρ θῆλυ εἶναι θέλουσι. Τὸν δὲ Ὅρον τοῦτον καὶ Σταυρὸν, καὶ Συλλυτρωτὴν (7), καὶ Καρπιστὴν (8), καὶ Ὁροθέτην, καὶ Μεταγωγέα (9) καλοῦσι. Διὰ δὲ τοῦ Ὅρου τούτου φασὶ κεκαθάρθαι καὶ ἐστηρίχθαι τὴν Σοφίαν, καὶ ἀποκατασταθῆναι τῇ συζυγίᾳ. Χωρισθείσης γὰρ τῆς Ἐνθυμήσεως ἀπ' αὐτῆς, σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει, αὐτὴν μὲν ἐντὸς Πληρώματος εἶναι (10) · τὴν δὲ ἐνθύμησιν αὐτῆς, σὺν τῷ πάθει, ὑπὸ τοῦ Ὅρου ἀφορισθῆναι, καὶ ἀποστερηθῆναι (11),

BILLII INTERPRETATIO.

conjugis experte, ac masculo-femina producit. Patrem etenim interdum conjugii vinculo cum Sige mancipatum esse volunt, interdum supra marem ac feminam esse. Porro Horum, et Crucem, et Lytroten, et Carpisten, et Horotheten, et Metagogea vocant. Atque hujus Hori opera purgatam ac suffultam, conjugioque restitutam fuisse Sophiam asserunt. Submota enim ab ea, et sublata Enthymesi, una cum

(1) *Masculo, et pro.* Tres istæ voces in editt. Erus. et Gall. necnon in mss. Arund. et Merc. 2 desunt. Priores duas restituit Feuard. ex vet. cod.; tertiam Grabius ex cod. Voss. et Græco, ubi ὑπέρ bis legitur. Grabio favet et cod. Clarom. habens, *et pro masculo, et pro femina.* At vero cum in Græco præpositio ὑπέρ Accusativum regat, verti debuisset non *pro* sed *super ; super masculum, et super feminam esse volunt*, ut scilicet utriusque conditioni longe præcellat Propator.

(2) *Intentione.* Gr. Ἐνθυμήσεως, quam vocem inferius *concupiscentiam*, alibi passim *Enthymesin* vertit interpres.

(3) *Cum appendice passione.* Sic totidem verbis et Tertullianus. Mallem tamen Græca σὺν τῷ ἐπιγινομένῳ πάθει uterque reddidisset, *cum ea passione, quæ supervenerat*, aut *in quam inciderat.*

(4) *Infra Pleroma perseverasse. Infra* hic pro *intra*, quod mediæ et infimæ Latinitatis auctoribus non inusitatum.

(5) *Crucifixam.* Ἀποσταυρωθῆναι hic potius reddendum fuisset, inquit optime Grabius, quasi *vallo cinctam, et a Pleromate disjunctam esse.* Sic apud Thucydidem lib. IV, c. 69, ἀπεσταύρουν Scholiastes explicat, χαρακώματα ἐποίουν. In hunc sensum sequentia Clementis Alexand. verba lib. II, *Strom.* p. 407, A, interpretor: Ἑκάστη ἡδονή τε καὶ λύπη προσπασσαλοῖ τῷ σώματι ψυχὴν τοῦ γε μὴ ἀφορίζοντος, καὶ ἀποσταυροῦντος ἑαυτὸν τῶν παθῶν, *unaquæque voluptas, vel mœstitia corpori clavo velut affigit animam ejus, qui ab animi commotionibus sese non separat, nec quasi interposito vallo disjungit.* Neque enim alibi apud Irenæum legitur Enthymesin cruci affixam fuisse.

(6) *Extra eum. Eum* hic neutraliter pro *id;* quod barbaris scriptoribus haud insuetum.

(7) *Καὶ Συλλυτρωτήν.* In Græco corrupte legitur συλλυτρωτὴν, pro quo reponendum ex vet. interp. σταυρὸν καὶ λυτρωτήν. Porro λυτρωτὴς, id est *redemptor* vel *liberator*, dicebatur *Horos*, quia Sophiæ in universam substantiam prope resolvendæ ruinam stitit, ejusque motibus intempestivis limites constituit. Σταυρὸς vero, id est, *vallum*, non *crux*, quia Sophiæ Enthymesin cum passione separatam, et quasi vallo cinctam a Pleromate disjunxit.

(8) *Καρπιστήν.* Id est, inquit Grabius, *vindicem*, sive *assertorem libertatis.* Ita redditur in veteri Glossario Græco-Lat. Exemplum affert vir doctus ex Arriano lib. III *De Epicteti disputationibus*, cap. 26, p. 369, edit Cantabrig., quod quidem probat eam esse interdum vocis hujus significationem, sed non semper, et in hoc præsertim Irenæi loco. Ut enim apud Jurisperitos *vindicatur libertas*, sic et apud eosdem *vindicatur servitus*, l. 1, ff. *De remiss.*, l. 14, ff. *De op. no. nunt.* Vindex ergo servitutis peræque ac libertatis dici potest. Sed neutra significatio in Valentinianorum Καρπιστὴν cadit. Quid enim huic cum libertate, vel servitute conveniat, non video. Censeam potius hic

B ἀπὸ καρπιστείας, a *vindiciis*, Carpisten dici. *Vindicia* vero *correpta manu*, seu καρπῷ (hinc καρπιστοῦ etymon) *in re atque loco præsenti apud prætorem, ex* XII *Tabulis, fiebat*, inquit Aulus Gell. lib. XX, cap. 9 vel 10. Inde et *sententiæ, seu assertiones, et adjudicationes* rei controversæ potiorem probanti auctoritatem a Judice decretæ, dictæ *vindiciæ*, teste Ascensio in cit. A. Gellii caput. Quidni et Prætor, seu judex *vindicias* decernens appellari potuerit *vindex ;* et illinc judicibus quibusvis, arbitris, seu moderatoribus aptari vindicis, seu Καρπιστοῦ nomen, quod *vindicias* interdum decernant? Καρπιστὴς igitur hic paulo latius accipitur, idemque sonat atque *judex, arbiter*, seu *moderator.* Eam in rem optime faciunt ea Arnobii lib. IV *adv. Gent.* verba, pag. 138 edit. Lugd. Batav. 1651 : *Quis quæsitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas hujusmodi aut vindicias justas dare, aut sacramenta conetur pronuntiare non justa?*

C Jam vero hanc Καρπιστοῦ acceptionem in Valentinianorum Horon exacte quadrare, satis patet. Horos enim velut politicam universi Pleromatos disciplinam tuebatur, omnia fulciebat, atque *extra inenarrabilem magnitudinem custodiebat omnia*, proprii muneris oblitos coercebat, a Pleromate digressos revocabat, huicque vindicabat, asserebatque, unumquemque Æonem intra proprios fines continebat, syzygiamque deserentes restituebat. Uno verbo λυτρωτὴς, id est, redemptor erat, ὁριστὴς sive ὁροθέτης, finitor, constitutor juris, et arbiter conditionum : quæ judicis, arbitri, et moderatoris partes sunt.

(9) *Μεταγωγέα. Circumductorem* dixit Tertullianus, et Petavius in versione Epiphanii, *Traductorem* Cornarius. Ego potius cum Grabio redderem *Deductorem.* Sed omissa istius conjectura, ex qua *Reductorem*, non vero *Deductorem* dicendum esse consequens esset, vocis hujus significationem, ut

D et Καρπιστοῦ, a jurisconsultis repeterem. Nempe *rem in judicium deducere*, frequens apud eos loquendi modus. Inter *personas* autem *quæ rem in judicium deducere solent*, l. IV ff. *De except. rei jud.* recensentur l. II, 57. Cod., *procurator cui mandatum est, tutor, curator furiosi vel pupilli, actor municipum . . . . defensor.* Illi ergo *Deductores* a *deducendo* recte dici possunt. Et hoc sensu Horon *Deductorem* a Valentinianis cognominatum fuisse conjicio ; utpote tutorem junioris Æonis, ætate nondum confirmata, suisque ipsius *incontinentis*, ut loquitur Tertullianus ; aut, si velis, procuratorem, seu defensorem, qui partes ipsius tuebatur, causam agebat, impetum coercebat, conservationi ejus ac saluti invigilabat.

(10) *Εἶναι.* Legendum potius, inquit Grabius, μεῖναι, quia interpres habet *perseverasse*, et Tertull. *remansisse.*

(11) *Ἀποστερηθῆναι.* Legendum vult Billius ἀποσταυρωθῆναι. Ita siquidem legerunt vetus interpres, et Tertullianus, *crucifixam* vertentes, non

Digitized by Google

καὶ ἐκτὸς αὐτοῦ γενομένην, εἶναι μὲν πνευματικὴν A tam, esse quidem (2) spiritalem substantiam, ut
οὐσίαν, φυσικήν τινα Αἰῶνος ὁρμὴν τυγχάνουσαν, naturalem quemdam (3) Æonis impetum, informem
ἄμορφον δὲ καὶ ἀνείδεον διὰ τὸ μηδὲν καταλαβεῖν. vero, et sine specie, quoniam nihil apprehendisset.
Καὶ διὰ τοῦτο καρπὸν ἀσθενῆ καὶ θῆλυν αὐτὸν λέ- Et propter hoc fructum ejus invalidum (4) et femi-
γουσι. neum dicunt.

5. Μετὰ δὲ τὸ ἀφορισθῆναι ταύτην ἐκτὸς τοῦ 5. Postea vero quam separata sit hæc extra Ple-
Πληρώματος τῶν Αἰώνων, τὴν τε μητέρα αὐτῆς ἀπο- roma Æonum, et mater ejus redintegrata suæ con-
κατασταθῆναι τῇ ἰδίᾳ συζυγίᾳ, τὸν Μονογενῆ πά- jugationi, Monogenem iterum alteram emisisse con-
λιν ἑτέραν προβαλέσθαι συζυγίαν, κατὰ προμήθειαν jugationem, secundum providentiam Patris, Chri-
τοῦ Πατρὸς, ἵνα μὴ ὁμοίως ταύτῃ πάθῃ τις τῶν stum et Spiritum sanctum (5), a quibus consummatos
Αἰώνων, Χριστὸν καὶ Πνεῦμα ἅγιον, εἰς πῆξιν καὶ esse dicunt Æonas. Christum enim docuisse eos con-
στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος, ὑφ' ὧν καταρτισθῆναι jugationis naturam, innati comprehensionem co-
τοὺς Αἰῶνας. Τὸν μὲν γὰρ Χριστὸν διδάξαι (1) αὐ- gnoscentes, sufficientes sive idoneos esse (6): decla-
τοὺς συζυγίας φύσιν, ἀγεννήτου κατάληψιν γινώ- rasse quoque in eis Patris agnitionem, quoniam in-
σκοντας, ἱκανοὺς εἶναι, ἀναγορεῦσαί τε ἐν αὐτοῖς capabilis 12 est, et incomprehensibilis, et non est
τὴν τοῦ Πατρὸς ἐπίγνωσιν, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι B neque videre, neque audire eum, nisi per solum

BILLII INTERPRETATIO.

ea passione, in quam inciderat, ipsam quidem intra Pleroma esse : cæterum ipsius Enthymesim, una cum ea passione, ab Horo secretam, crucique affixam fuisse, atque extra Pleroma sitam, esse quidem eam spiritualem essentiam, ac naturalem quemdam Æonis impetum, verum formæ ac figuræ expertem : quod videlicet nihil comprehenderit. Eaque ratione fructum ipsius imbecillum, et femineum esse tradunt.

5. Posteaquam autem ipsa extra Æonum Pleroma relegata fuisset, materque ipsius ad conjugium suum, quasi postliminio rediisset, Monogenem rursus de Patris consilio ac providentia (id videlicet agentis, ne quisquam Æonum in eamdem, quam ipsa, calamitatem incideret), muniendi fulciendique Pleromatis causa, par alterum produxisse, hoc est, Christum et Spiritum sanctum, a quibus Æones omnibus nume-

privatam. Quidquid sit de versione vocis ἀποσταυρωθῆναι, de qua in not. Lat., ἀποστερηθῆναι hic legi nihil vetat. Sensus erit, Enthymesin Pleromate privatam, et intercisam fuisse ab Horo : quod ad rem facit.

(1) *Χριστὸν διδάξαι*, etc. Obscurus omnino locus, quem elucidare dum plerique student interpretes, nebulas offundunt. At densiores nullus, quam Tertullianus : *Christi erat inducere* (vel, ut Pamelius legendum conjicit, *docere*) *Æonas naturam conjugiorum, et innati conjectationem, et idoneos efficere generandi in se agnitionem Patris* ; quæ neque cum Græco, neque cum Latino veteris interpretis textu consentiunt. Billius legit : Καὶ ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ἑαυτοὺς ἱκανοὺς εἶναι. Sed modicum inde lumen ; nec plenius ex Gallasii, Cornarii et Petavii versionibus eruitur. Prope est ut credam, mendum huc irrepsisse (antiquum quidem, quo deceptus fuerit Latinus ipsemet interpres) et pro ἀγεννήτου, legendum esse γενητοῦ, scilicet Μονογενοῦς. Hæc enim opponere videtur Irenæus, hinc γενητοῦ κατάληψιν γινώσκειν, illinc τὴν τοῦ Πατρὸς ἐπίγνωσιν, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι καὶ ἀκατάληπτος. Priori contentos esse debere reliquos Æonas docuit Christus, utpote sat eruditos, si Filii, seu Monogenis comprehensionem noverint ; eam enim esse conjugationis naturam, ut Filius solus ab iis D comprehendi valeat ; at vero Patris comprehensionem mentis eorum captum superare ; frustraque ab iis exquiri, utpote cujus ea duntaxat haberi possit notitia, nempe quod nec percipi, nec intelligi, nec denique cerni, aut audiri, nisi Monogenis beneficio, possit. Quæ posteriora Irenæi verba, quod scilicet ἀκατάληπτος suapte natura cum sit Pater, οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν οὔτε ἀκοῦσαι αὐτὸν, ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς, firmare videntur nostram conjecturam, scilicet γενητοῦ κατάληψιν, utpote solam sibi attemperatam, γινώσκειν satis esse Æonibus ; ac proinde legendum γενητοῦ. Si enim ἀγεννήτου legas, quis sensus ? Æonas comprehensionem Patris edoctos, sat eruditos esse ? atqui Pater iis prorsus ἀκατάληπτος dicitur, nec etiam videre, aut audire fas est, nisi per Monogenem. Qui ergo κατάληψιν ejus edoceri potuerint ? Vult Grabius hic per κατάληψις Filium ipsum intelligi, *utpote in quo ingenitus Pater, in se incomprehensibilis, comprehendi queat.* Ingeniose quidem excogitatum, sed vero paulo minus simile. Filium enim ἀγεννήτου κατάληψιν dici posse, haud abnuo ; sed quidpiam vel præcedat, vel addatur, quod vocem κατάληψιν, id C ex sese haud significantem eo trahat, necesse est. Illic autem nihil videas. In hoc tamen eruditi viri conjectura ad nostram accedit, quo I in priori periodi parte, Filium intelligi velit ab Æonibus comprehendi, non Patrem. Quare illi subscribat Lector, nostram deserat, si minus probanda videatur, per me licet : modo ἀγεννήτου κατάληψιν γινώσκοντας ad Filium quoquo modo referat.

(2) *Quidem*. Ita recte edit. Angl. ex Arund. codice, et Græco μέν. Antipulatur et cod. Clarom. sed male cæt. editt. habent *quamdam*.

(3) *Ut naturalem quemdam*, etc. Sic ad verbum Tertull. et edit. Angl. ex codd. Arund. et Merc. 2. Reliqui minus bene, *et naturalem*.

(4) *Ejus invalidum*. *Ejus*, scilicet *Sophiæ*, seu *Æonis* proxime memorati. Melius forte dixisset interpres, *eum*, juxta Græcum αὐτόν, scil. καρπόν : at maluit pronomen ad *Æonem*, quam ad *fructum* referre ; quod satis indifferens est.

(5) *Christum, et Spiritum sanctum*. Hic mutila versio Latina. Neque enim ea reddidit interpres, quæ præcedunt *Christum et Spiritum sanctum*, hæc scilicet, ἵνα μὴ ὁμοίας ταύτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων· nec quæ immediate sequuntur, εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος. Hæc omnia non male sic expressit Tertullianus cap. 11 : *Nus de Patris cura, atque prospectu, solidandis rebus, et Pleromati muniendo, jamque figendo* (εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος), *ne qua ejusmodi rursus concussio incurreret*, vel, ut alii legere malunt, *inculeret* (ἵνα μὴ ὁμοίως ταύτῃ πάθῃ τις τῶν Αἰώνων), *novam excludit copulationem, Christum et Spiritum sanctum*. Exactius ad Græca verti posset : *Ne cui Æonum id accideret, quod Sophiæ, ac Patris consilio, atque providentia, novum par, quo fixus ac fundatus deinceps maneret Pleromatis status, rursus emittit Monogenes.*

(6) *Sive idoneos esse*. Ita recte Clarom. Voss. et Grab. ; cæteri vitiose, *sive illos idoneos esse*.

Digitized by Google

Monogenem. Et causam quidem æternæ perseverationis (1) iis omnibus incomprehensibile Patris esse; generationis autem, et formationis, comprehensibile ejus, quod quidem Filius est. Et hæc quidem, qui nunc emissus erat, Christus in eis operatus est. τὸ καταληπτὸν αὐτοῦ, ᾧ δὴ ἴσος ἐστί. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἄρτι προβληθεὶς Χριστὸς ἐν αὐτοῖς ἐδημιούργησε.

A καὶ ἀκατάληπτος, καὶ οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν, οὔτε ἀκοῦσαι αὐτὸν, ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται (3). Καὶ τὸ μὲν αἴτιον τῆς αἰωνίου διαμονῆς τοῖς λοιποῖς τὸ πρῶτον καταληπτὸν (4). ὑπάρχειν τοῦ Πατρὸς, τῆς δὲ γενέσεως αὐτοῦ, καὶ μορφώσεως,

6. Spiritus vero sanctus (2) adæquatos eos omnes, gratias agere docuit, et veram requiem induxit. Et sic forma, et sententia similes factos Æonas dicunt, universos factos Noas, et Logos, et omnes Anthropos, et omnes Christos: et feminas similiter omnes Alethias, et Zoas, et Spiritus, et Ecclesias. Confirmata quoque in hoc omnia, et requiescentia ad perfectum, cum magno gaudio dicunt hymnizare Propatorem, magnæ exsultationis participantem. Et propter hoc beneficium, una voluntaris absoluti sint. Christum enim conjugii naturam eos edocuisse, quodque ii, quibus ingenitl comprehensio nota esset, sibi ipsis sufficerent: prædicasse quoque apud eos Patris agnitionem, nempe quod nec percipi, nec intelligi, nec denique cerni aut audiri, nisi Monogenis beneficio, queat. Ac causam quidem, cur ii omnes perpetui atque æterni sint, in eo quod le Patre comprehendi nequit, consistere; ortus autem eorum ac formationis, in eo quod de eo comprehendi potest, hoc est in Filio, sitam esse. Atque hæc quidem ille recens editus Christus in ipsis fabricatus est.

6. Τὸ δὲ ἓν Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξισωθέντας αὐτοὺς πάντας εὐχαριστεῖν ἐδίδαξε, καὶ τὴν ἀληθινὴν ἀνάπαυσιν ἤγήσατο. Οὕτως τε μορφῇ καὶ γνώμῃ ἴσους κατασταθῆναι τοὺς Αἰῶνας λέγουσι, πάντας γενομένους Νόας, καὶ πάντας Λόγους, καὶ πάντας Ἀνθρώπους, καὶ πάντας Χριστοὺς, καὶ τὰς θηλείας ὁμοίως πάσας Ἀληθείας, καὶ πάσας Ζωὰς, καὶ Πνεύματα, καὶ Ἐκκλησίας. Στηριχθέντα (5) δὲ ἐπὶ τούτῳ τὰ ὅλα, καὶ ἀναπαυσάμενα τελέως, μετὰ μεγάλης χαρᾶς φησιν ὑμνῆσαι τὸν Προπάτορα, πολ-

BILLII INTERPRETATIO.

6. Sanctus autem Spiritus eos omnes inter se exæquatos, gratias agere docuit, ac veram requiem induxit. Ad hunc scilicet modum, Æonas tum forma, tum voluntate, ac sententia pares constitutos fuisse commemorant, omnes nimirum Noas, omnes Sermones, omnes Homines, omnes denique Christos effectos: feminasque item omnes Veritates, omnes Vitas, omnes Spiritus, et Ecclesias. Atque hinc confirmata,

(1) *Et causam quidem æternæ perseverationis.....* *Filius est.* Ex ea versione liquet interpretem legisse, ἀκατάληπτον τοῦ Πατρὸς, et ὁ δὴ Υἱός ἐστι, pro καταλήπτον τοῦ Πατρὸς, et ᾧ δὴ ἴσος ἐστί, quæ hodiernus habet textus Græcus. Omittit etiam τὸ πρῶτον, et prius αὐτοῦ mutare videtur in αὐτῶν. Veteri interpreti pro more consentit Tertullianus: *Docebantur*, inquit, *incomprehensibile quidem Patris causam esse perpetuitatis ipsorum; comprehensibile vero ejus, generationis illorum et formationis illorum, esse rationem... Filium autem constituunt apprehensibilem Patris.* Consentiunt et recentiores, Billius, Fronto Duc. et Petavius; Cornarius vero, et Gallasius ex parte duntaxat; retinent enim ᾧ δὴ ἴσος ἐστί. Sed eorum omnium nullus scopum attingit. Et pro modo suo dum quisque vertit, ænigma proponit potius, quam solvit. Nec felicior Grabius (pace ipsius dixerim), ne unam quidem, ut ait, litteram in Græco textu mutandam censet; sed dum τοῦ Πατρὸς, *Patris* nomine hic non Propatora ingenitum, sed *Unigenitum* potius intelligi vult, textui vim infert. Unigenitum quidem a Valentinianis vocari *Patrem*, et *Principium omnium*, notum est; sed voce τοῦ Πατρὸς, quæ in proxime præcedenti periodo, et in sequentibus de solo Propatore intelligi potest, hic Unigenitum venire, nulla alia præmissa, aut addita voce, quæ prioris illius significatum coerceat ad Filium, abhorret a verosimili. Itaque nisi Græco textui medicam manum admoveas, incassum de sensu laboras; rectus occurret nullus. Lege ergo cum veteri interprete, et Tertulliano, ἀκατάληπτον ὑπάρχειν τοῦ Πατρός, id enim exigit cum sermonis contextus, tum ipsa Valentinianorum hypothesis, ad quæ non satis attenderunt interpretes; et inde prima mali labes. Altera quod, τῆς γενέσεως αὐτοῦ, καὶ μόρφώσεως vocibus, Unigenitum designari haud animadverterunt, qui dicatur γένεσις, καὶ μόρφωσις τοῦ Πατρός. Γένεσις quidem, *quod genitum est, productio, soboles, proles*; quo sensu dicitur Prov. XXX, 11: *Generatio, quæ patri suo maledicit; et quæ matri suæ non benedicit*, id est, *proles, quæ patri suo maledicit*, etc.; μόρφωσις vero, id est, *forma, species*. Quibus positis, cæteris textus Græci vocibus manentibus intactis, sponte fluit sensus, si præmissorum memineris. Paulo superius dixerat Irenæus, incomprehensam *Propatoris* naturam temere scrutatum Æonem pæne periisse. Addit, ne cui aliorum Æonum id accideret, quod imprudenti illi, Christum a Patre productum, qui doceret eos Unigeniti solius menti pervium esse Patrem, cæteris penitus incomprehensum. Tum (quod hujus consectarium videtur) longe meliorem esse Unigeniti, quam aliorum Æonum conditionem; *et cæteris quidem Æonibus præcipuam æternæ perseverationis causam*, quæ scilicet dissolutionem, quæ incauto Æoni pæne contigit, a se amoliantur, *esse Patris incomprehensibile*, si nimirum persuasum habentes, incomprehensum esse Patrem, ipsum temere scrutari non nitantur; *prolis autem ejus, ac formæ*, Monogenis videlicet, *perseverationis æternæ causam esse comprehensibile illius, cui utique æqualis est*; nempe quod Patrem, cui æqualis est, comprehendat. Sic unius duntaxat α additione difficilem nodum facile, ni fallor, et apposite cum ad sermonis seriem, tum ad Valentinianorum hypothesim, solvimus.

(2) *Spiritus vero sanctus.* Addit textus Græcus, ἓν, *unus*, quod omisit interpres. Id etiam neque Tertullianus, neque Theodoretus legunt. Adjectum suspicatur Grabius, ut innueretur ratio, quare Spiritus sanctus Æones omnes æquales reddiderit, ac unitatem Pleromati induxerit, quod nempe et ipse esset *unus*; vel ut insinuaretur, Christos quidem duos esse, superiorem alium, alium inferiorem, de quo mox; *Spiritum* vero *sanctum, unum*.

(3) *Γινώσκεται.* Hoc verbum expungi vult Billius. Satis quidem inutile: servari tamen potest. Et tunc vertendum erit: *Neque videri, neque audiri potest, nisi quantum Monogenis beneficio, seu per Monogenem cognoscitur.*

(4) *Τὸ πρῶτον καταληπτόν*, etc., *ᾧ δὴ ἴσος ἐστί.* De his disseruimus in not. 1 supra. Cæterum ἀκατάληπτον non legunt modo, sed et scribunt Gallasius et Feuard. non codicis alicujus, sed solius, ut puto, veteris interpretis auctoritate ducti.

(5) *Στηριχθέντα.* Vid. Tertull., cap. 12.

Digitized by Google

λῆς εὐφρασίας μετασχόντα. Καὶ ὑπὲρ τῆς εὐποιίας ταύτης βουλῇ μιᾷ καὶ γνώμῃ τὸ πᾶν Πλήρωμα τῶν Αἰώνων, συνευδοκοῦντος τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος, τοῦ δὲ Πατρὸς αὐτῶν συνεπισφραγιζομένου, ἕνα ἕκαστον τῶν Αἰώνων, ὅπερ εἶχεν ἐν ἑαυτῷ κάλλιστον καὶ ἀνθηρότατον συνενεγκαμένους, καὶ ἐρανισαμένους, καὶ ταῦτα ἁρμοδίως πλέξαντας, καὶ ἐμμελῶς ἐνώσαντας, προβαλέσθαι προβλήματα (1) εἰς τιμὴν, καὶ δόξαν τοῦ Βυθοῦ, τελειότατον κάλλος τε καὶ ἄστρον τοῦ Πληρώματος, τέλειον καρπὸν τὸν Ἰησοῦν, ὃν καὶ Σωτῆρα προσαγορευθῆναι (2), καὶ Χριστὸν, καὶ Λόγον πατρωνυμικῶς, καὶ [κατὰ] Πάντα (3), διὰ τὸ ἀπὸ πάντων εἶναι· δορυφόρους τε αὐτῶν (4) εἰς τιμὴν τὴν αὐτῶν ὁμογενεῖς Ἀγγέλους (5) συμπροβεβλῆσθαι.

A te, et sententia, universum Pleroma Æonum, consentiente Christo et Spiritu (8), unumquemque Æonum, quod habebat in se optimum, et florentissimum conferentes, collationem fecisse : et hæc apte compingentes, et diligenter in unum adaptantes emisisse problema, **13** et in honorem et gloriam Bythi (9) perfectissimum decorem quemdam, et sidus Pleromatis, perfectum fructum Jesum, quem et Salvatorem vocari, et Christum, et Logon, patronymice, ac Omnia, quoniam ab omnibus esset. Satellites quoque ei, in honorem ipsorum (10), ejusdem generis angelos cum eo prolatos.

CAPUT III.

Quibus Scripturæ sacræ locis uterentur hæretici ad asserenda commenta sua?

1. Αὕτη μὲν οὖν ἐστιν ἡ ἐντὸς Πληρώματος ὑπ' αὐτῶν λεγομένη πραγματεία, καὶ ἡ τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, καὶ μετὰ (6) μικρὸν ἀπολωλότος, ὡς ἐν πολλῇ ὕλῃ, διὰ ζήτησιν τοῦ Πατρὸς συμφορὰ, καὶ ἡ τοῦ Ὅρου, καὶ Στύλου (7), καὶ Λυτρωτοῦ, καὶ Καρπι-

B 1. Hæc igitur est, quæ intra Pleroma ipsorum (11) dicitur, negotiatio, et passi Æonis, et pæne perditi, [et] quasi (12) in multa materia, propter inquisitionem Patris, calamitas : et Hori, et Crucis ipsorum, et Redemptoris, et Carpistæ, et Horothetæ, et Me-

BILLII INTERPRETATIO.

et ad summam quietem adducta universitate, eos non sine magna lætitia Propatorem laudibus extulisse dicunt, magna quoque ipsum voluptate perfruentem : ac beneficii hujusce nomine, cœtum omnem Æonum communi consilio ac sententia, consentientibus etiam Christo et Spiritu sancto, atque eorum quoque Patre calculum suum adjiciente, quidquid pulcherrimum, ac præstantissimum quisque in se habebat, in medium contulisse, atque hæc apte conjungentes, ac concinne copulantes, ad honorem et gloriam Bythi, perfectissimam quamdam pulchritudinem, et sidus Pleromatis, ac perfectum fructum produxisse, hoc est Jesum, quem etiam Salvatorem appellatum esse, et Christum, et patrio nomine Sermonem, ac denique Omnia, eo quod ex omnibus ortus esset : ad eorumque honorem satellites ipsi angelos, quorum idem cum eo genus esset, una editos fuisse.

CAPUT III.

1. Atque hæc est illa, quæ ab iis commemoratur, intra Pleroma negotiatio, et affecti Æonis, ac pæne, ut in multa materia, exstincti, propter investigationem Patris, nata calamitas : et Hori, et Crucis, et

(1) *Προβλήματα.* Legendum esse cum veteri interprete *πρόβλημα*, non immerito censet Billius. Neque enim hic agitur nisi de Jesu. Confer, si lubet, Tertullianum cap. cit., ubi hæc Valentinianorum figmenta salse deridet.

(2) *Προσαγορευθῆναι.* Vocatur etiam inferius Paracletus.

(3) *Καὶ κατὰ πάντα.* Delendum esse κατὰ recte monet Billius ; sensum enim turbat. Neque eam præpositionem legere vetus interpres, et Tertullianus. Quin Irenæus ipse paulo post, Jesum, ex Valentinianorum mente, vocat τὸ πᾶν, *omne*. Et lib. 11, cap. 20 de eodem : *quem*, inquit, *et Omnia nuncupant*. Ubique eamdem appellationis rationem affert, *eo quod sit ex omnibus*. Quæ ratio vel sola probat expungendum esse κατά.

(4) *Δορυφόρους τε αὐτῶν.* Legendum esse αὐτῷ, non αὐτῶν, jure censent Billius, et Fronto Duc. ; sic enim legerunt vetus interpres, et Tertullianus : uterque habet, *satellites ei*, non *eis*. Theodoretus quoque δορυφόρους αὐτοῦ scripsit.

C nus, *quæ erit eminentia ejus inter satellites? Congenitos* ergo, seu potius *cœvos*, non *ejusdem generis*, vertere debuisset interpres. Irenæus enim inferius vocat eosdem angelos, Soteris ἡλικιώτας, *cœvos*. Quo eodem nomine appellat eos Athanasius in prima ad Serapionem epistol. p. 659, tom. I, nov. edit.

(6) *Μετά.* Existimat Billius legendum κατά, vel παρά, non μετά.

(7) *Στύλου.* Lege σταυροῦ, vertit enim interpres *crucis*, non *stili*, aut *columnæ*. Et *crucem* jam vocavit *Horon* illum ; nusquam vero *columnam* appellat.

(8) *Et Spiritu.* Omisit interpres, quæ sequuntur, verba Græca, τοῦ δὲ Πατρὸς αὐτῶν συνεπισφραγιζομένου, *atque eorum Patre calculum suum adjiciente*, uti bene reddidit Billius ; quæ omisit et Tertullianus.

D (9) *Et in honorem et gloriam.* Sic cod. Clarom. et Pass. ; vetus codex, quem secutus est Feuard. habet quidem *in*, sed ante *gloriam*, non ante *honorem*. In cæteris cum mss. tum editt., ipsa etiam edit. Anglicana, omnino deficit hæc particula

(10) *Satellites quoque ei in honorem ipsorum.* Codd. Pass. et Clarom. *Satellites quoque et in honorem ipsorum ;* nec ita male.

(11) *Ipsorum.* Vertere debuisset interpres, *ab ipsis* juxta Græcum ὑπ' αὐτῶν.

(12) *Et quasi.* Expunge *et ;* deest enim in Græco, et sensum intercidit.

Digitized by Google

tagogei, hexæonia compago (1) : et primi Christi, cum Spiritu sancto, de pœnitentia a Patre ipsorum postrema Æonum genesis (2) : et secundi Christi, quem Soterem dicunt, ex collatione composita fabricatio. Hæc autem manifeste quidem non esse dicta, quoniam non omnes capiunt (3) agnitionem ipsorum ; mysterialiter autem a Salvatore per parabolas ostensa iis, qui possunt intelligere. Sic (4) triginta Æonas significari per triginta annos, sicut prædiximus [a], in quibus nihil in manifesto dicunt fecisse Salvatorem, et per parabolam operariorum vineæ [b]. Et Paulum manifestissime, dicunt, Æonas nominare sæpissime, adhuc etiam et ordinem ipsorum servare, sic dicentem [c] : *In universas generationes sæculi sæculorum*. Sed et nos ipsos denique in gratiarum actionibus dicentes *æonas æonum*, il-

στοῦ, καὶ Ὑροθέτου, καὶ Μεταγωγέως ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις (5), καὶ ἡ τοῦ πρώτου Χριστοῦ, σὺν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἐκ μετανοίας ὑπὸ τοῦ Πατρὸς αὐτῶν μεταγενεστέρα τῶν Αἰώνων γένεσις, καὶ ἡ τοῦ δευτέρου Χριστοῦ, ὃν καὶ Σωτῆρα λέγουσι, ἐξ ἐπάνου σύνθετος κατασκευή. Ταῦτα δὲ φανερῶς μὲν μὴ εἰρῆσθαι, διὰ τὸ μὴ πάντας χωρεῖν τὴν γνῶσιν μυστηριωδῶς δὲ ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος διὰ παραβολῶν μεμηνύσθαι τοῖς συνιέιν δυναμένοις, οὕτως· τοὺς μὲν γὰρ τριάκοντα Αἰῶνας μεμηνύσθαι διὰ τῶν τριάκοντα ἐτῶν, ὡς προέφαμεν, ἐν οἷς οὐδὲν ἐν φανερῷ φάσκουσι πεποιηκέναι τὸν Σωτῆρα, καὶ διὰ τῆς παραβολῆς τῶν ἐργατῶν τοῦ ἀμπελῶνος. Καὶ τὸν Παῦλον φανερώτατα λέγουσι τούσδε Αἰῶνας ὀνομάζειν πολλάκις, ἔτι δὲ καὶ τὴν τάξιν αὐτῶν τετηρηκέναι, οὕτως εἰπόντα· *Εἰς πάσας τὰς γενεὰς τῶν αἰώνων τοῦ αἰῶνος* (6). Ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐπὶ τῆς εὐχαρι-

BILLII INTERPRETATIO.

Lytrotæ, et Carpistæ, et Horotheti, et Metagogeos, et Æonum coagmentatio : et primi Christi, ac Spiritus sancti, ex Patris videlicet pœnitentia, Æonum ortu posterior nativitas : et secundi Christi, quem etiam Salvatorem appellant, velut ex ære collatitio structura. Hæc autem non quidem perspicue declarata esse, propterea quod hujusmodi rerum cognitio non in omnium captum caderet ; verum recte ac mystice a Salvatore iis ostensa esse, qui intelligendi facultate prædita sint, idque hoc modo. Triginta enim Æonas per eos triginta annos subindicari, de quibus superius locuti sumus ; in quibus nihil a Salvatore palam ac publice actum esse dicunt : atque item per operariorum vineæ parabolam. Quin Paulum quoque sæpenumero hos Æonas apertissime nominare asserunt, atque insuper eorum ordinem servasse, cum his verbis uteretur : *In omnes generationes sæculorum sæculi*. Atque adeo nos quoque cum in gratia-

[a] Sup. cap. 1. [b] Matth. xx, 2. [c] Eph. III, 21.

(1) *Hexæonia compago*. Ita fere Merc. alter, nisi quod una vox in duas dividatur, omissa littera *h*, *ex Æonia*. Nec procul distat Claromont. in quo *lex Æona*, haud dubie quin pro *hexæona* vel *sexæona*. In Voss. *lex Æonum*, pro *sex Æonum*. In cæteris corrupte, *ex Æone*, ut in Arund. et Merc. 1 ; *et Æonum*, ut in Ottobon. Pass. et editt. Eras. Gallas. et Feuard. ; vel *ex agonia*, ut aliis pejus habet edit. Oxon. Vide notata ad textum Græcum.

(2) *Postrema Æonum genesis*. Melius a Billio, quam a veteri interprete redditur, *Æonum ortu posterior nativitas*. Et ipse interpres infra lib. II, cap. 19, n. 9, eadem repetens, habet : *quem et posteriorem reliquis Æonibus factum esse dicunt*.

(3) *Capiunt*. Sic Clar. cod. et Ottob. In cæteris minus bene, *capiant*.

(4) *Sic*. Hæc particula in Græco præcedens colon claudit. Sed perinde est ad sensum, modo comma præponas particulæ οὕτως : additur enim explicationis, non comparationis gratia.

(5) *Ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις*. Difficilis locus, in cujus obscura suam quisque confert operam, sed inanem, ni fallor. Nec enim hic (quod alibi solet) sibi mutuo suppetias ferunt textus Græcus et Latinus, nec quidquam juvant codices cum editi, tum mss. Quot enim codices, tot variæ lectiones. Alii una voce scribunt ἐξάγωνος, ut Petavius, Gallasius et Feuard. ; alii divisis, ἐξ ἀγῶνος, ut Grabius. E codicibus Latinis, editi. Gallas. Eras. et Feuard. habent *et Æonum compago* ; edit. Anglic. *ex agonia compago* ; Voss. *lex Æonum compago* ; Claromont. *lex Æona compago* ; Arund. et Merc. 1, *ex Æone compago* ; Merc. 2, *ex Æonia compago* ; quod posterius dubio procul scriptum putat Grabius pro *ex agonia compago*, id est, *post agoniam compago* ; ut excudi curavit in versione Latina : unde et in Græco consequenter legi vult ἐξ ἀγῶνος, divisim ; ut sit sensus, Sophiam post agoniam ab Horo consolidatam fuisse, ne scilicet in universum resoluta diffiueret. Sed præterquam quod ἡ τοῦ Ὅρου ἐξ ἀγῶνος σύμπηξις, significaret potius, Horum ipsum post agoniam consolidatum fuisse, quam Sophiam ab eo consolidatam, scribendumque fuisset, ἡ διὰ τοῦ Ὅρου σύμπηξις, id vero minus simile videtur, hic Horo respectu Sophiæ figendi, seu consolidandi virtutem ascribi, quæ solis Christo, et Spiritui sancto, respectu Pleromatis paulo superius tribuitur. Horo quidem attribuitur στηρίζουσα δύναμις, sed συμπηγνῦσα nusquam. Mea vero hæc est opinio, imo haud dubitem quin legendum sit, in Græco quidem ἐξαιώνιος σύμπηξις, in Latino vero, *hexæonia compago* ; quod posterius excudi feci. Hanc lectionem satis aperte exprimunt plerique codd. Latini, quorum alii habent *lex Æonum*, alii *lex Æona*, alii *ex Æona*, alii *ex Æonia compago*, procul dubio pro *sex æonum*, *sexæona*, *sexæonia*, vel *hexæona*, vel *hexæonia compago* ; quod cum minus intelligerent scribæ, depravarunt ; sic tamen ut veræ lectionis vestigia retinuerint. Porro *Hori*, *Crucis*, *Redemptoris*, *Carpistæ*, *Horotheteæ*, *et Metagogei hexæonia compago* ab Irenæo dicitur, quia cum unus et idem Æon sex nominibus gaudeat, quibus totidem proprietates respondent, sex Æonum personam sustinet. Unde sex illorum nominum coagmentatio ingeniose ab Irenæo vocatur *hexæonia compago*, quasi sex Æonum in unum et eumdem Æonem confluxus. Sic nulla fere mutatione facta textum utrumque restituo.

(6) *Τῶν αἰώνων τοῦ αἰῶνος*. Ordo verborum perperam inversus est. Lege ex Apostolo, cujus hæc verba sunt Ephes., III, 21, *τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων*. Sic enim legit interpres, et sic legendum esse satis monet ipsa Valentinianorum hypothesis, qui non tantum Æonas ab Apostolo nominatos, sed *etiam et ordinem ipsorum*, primi scil. Æonis singulariter et κατ' ἐξοχήν dicti, et sequentium inferiorum, servatum esse effutiebant.

Digitized by Google

στίας (1) λέγοντας, *Εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*, ἐκείνους τοὺς Αἰῶνας σημαίνειν· καὶ ὅπου ἂν (2) αἰὼν, ἢ αἰῶνες ὀνομάζονται, τὴν ἀναφορὰν εἰς ἐκείνους εἶναι θέλουσι.

A los Æonas significare : et ubicunque æon, aut æones nominantur, in illos id referri volunt.

2. Τὴν δὲ τῆς δωδεκάδος τῶν Αἰώνων προβολὴν μηνύεσθαι διὰ τοῦ δωδεκαετῆ ὄντα τὸν Κύριον διαλεχθῆναι τοῖς νομοδιδασκάλοις, καὶ διὰ τῆς τῶν ἀποστόλων ἐκλογῆς· δώδεκα γὰρ ἀπόστολοι· καὶ τοὺς λοιποὺς δεκαοκτὼ Αἰῶνας φανεροῦσθαι διὰ τοῦ, μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, δεκαοκτὼ μησὶ (3) λέγειν διατετριφέναι αὐτὸν σὺν τοῖς μαθηταῖς. Ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν προηγουμένων τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ (4) δύω γραμμάτων, τοῦ τε ἰῶτα καὶ τοῦ ἦτα, τοὺς δεκαοκτὼ Αἰῶνας εὐσήμως (5) μηνύεσθαι. Καὶ τοὺς δέκα Αἰῶνας ὡσαύτως διὰ τοῦ ἰῶτα γράμματος, ὃ προηγεῖται τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, σημαίνουσι λέγεσθαι (6). Καὶ διὰ τοῦτο εἰρηκέναι τὸν Σωτῆρα· *Ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ, ἕως ἂν πάντα γένηται.*

2. Duodecadis autem Æonum emissionem significatam per id, quod duodecim annorum exsistens Dominus disputaverit cum legis doctoribus [7], et per apostolorum electionem : duodecim enim apostolos elegit [8]. Et reliquos octodecim Æonas manifestari per id, quod post resurrectionem a mortuis octodecim mensibus dicant conversatum eum cum discipulis. Sed et per præcedentes nominis ejus duas litteras, Iota et Eta, octodecim Æonas significanter manifestari (8). Et decem autem Æonas similiter per Iota litteram, quod præcedit (9) in B nomine ejus, significari dicunt. Et propter hoc dixisse Salvatorem : *Iota unum, aut unus apex non præteribit* (10), *quoadusque omnia fiant* [9].

3. Τὸ δὲ περὶ τὸν δωδέκατον Αἰῶνα (7) γεγονὸς

15 3. Hanc autem passionem (11), quæ circa duode-

BILLII INTERPRETATIO.

rum actione dicimus, *In sæcula sæculorum*, Æonas illos significare. Denique ubi sæculi, vel sæculorum vocabulum usurpatur, id ad illos referri volunt.

2. Jam vero duodecadis Æonum productionem ex eo indicari, quod Dominus, cum duodecimum ætatis annum ageret, cum legis doctoribus disseruit : atque item per apostolorum electionem : duodecim enim apostolos esse. Postremo reliquos duodeviginti Æonas hinc declarari, quod eum, postquam a morte ad vitam rediisset, decem et octo menses cum discipulis versatum esse dicunt. Ad hæc per duas primas nominis ipsius litteras, hoc est, ι et η, octodecim Æonas significanter indicari : eodemque modo decem Æonas per litteram ι, quæ in ipsius nomine principem locum tenet, significari asserunt. Atque huc spectasse Salvatorem, cum diceret : *Iota unum, aut apex unus non præteribit, donec omnia fiant.*

3. At vero calamitatem eam, quæ duodecimo Æoni accidit, per Judæ, qui apostolorum duodecimus

[7] Luc. II, 42 seqq. [8] Luc. VI, 13. [9] Matth. V, 18.

(1) *Ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας.* Taῖς εὐχαριστίαις legit interpres; sed minus bene. Hic enim sermo est, non de quibuscunque gratiarum actionibus, sed de ipsa sacra Eucharistia, seu de solemni illa gratiarum actione, quæ in divinorum mysteriorum celebratione fiebat; ubi ex veterum Liturgiarum præscripto frequens audiebatur ea cum ἐκφωνήσεων, tum εὐχῶν clausula : *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Ex quibus obiter concludes, antiquissimos esse plurimos, qui in iis, quæ sub quorumdam apostolorum nomine circumferuntur, Liturgiis, ritus exstant, et Valentinianorum ævo vetustiores, ac proinde apostolis ipsis coævos. In ea, quæ Jacobi nomen præ se fert, quamque Basilius, et Chrysostomus, si Proclo fides, in compendium redegerunt, formula ex qua argumentum ducebant Valentiniani, non semel occurrit. Et bene se res habet, quod Grabius suis candidior fateatur, *illos, qui in omnibus istis Liturgiis* (Apostolicis) *exprimuntur, quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fuere, ritus, ex apostolica traditione fluxisse.* Ecclesias enim ab apostolis institutas formam aliquam, et ritum offerendi sacrificium, cui tam arcta sit et præcipua cum religione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non quod tamen Liturgias omnes apostolicas iis, quorum nomine insigniuntur, adjudicare velim. Sufficiat Liturgiarum antiquiorum, si non scriptores, saltem primos auctores esse apostolos.

C erant Scripturæ Novi Testamenti, quam spurium illud scriptum, quod *veritatis Evangelium* dicebant Valentiniani, Irenæo teste lib. III, cap. 11, n. 8, ex quo commenta sua hauriebant.

(4) *Τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.* Ἰησοῦ scilicet, cujus prima littera, Græcis est ι, x; secunda η, VIII.

(5) *Εὐσήμως.* Cod. R. ἐν σήμῳ.

(6) *Σημαίνουσι λέγεσθαι.* Lege σημαίνεσθαι λέγουσι. Evidens enim scribæ sphalma.

(7) *Τὸ δὲ περὶ τὸν δωδέκατον αἰῶνα*, etc. Hic cum Græca, tum Latina corrupta sunt. Sic utraque exprimuntur ut passio et cætera, quæ Salvatoris propria sunt, de Juda enuntientur; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Quidpiam igitur in utrisque deest; sed et in Græco quidpiam superest. At uterque textus facile emendari potest ex iis, quæ habet Irenæus lib. II, c. 20, n. 1. Ibi enim ex integro et iisdem omnino verbis repetit quæ cap. 3 lib. 1, dixerat. Sic autem illic habet : *Illam enim, quam erga*

(2) *Ὅπου ἄν.* Particulam ἄν, quam habent cod. R. et omnes editi, nescio cur omiserunt Petavius et Grabius.

(3) *Δεκαοκτὼ μησί.* Idem antea commenti fuerant Gnostici, ut patet ex cap. 30 hujus libri, et ab iis acceperant Valentiniani. Utrosque confutat Lucas Act. I, asserens Christum *per dies quadraginta apparuisse* discipulis, quibus elapsis in cœlum conscendit. Sed minoris apud eos hæreticos ponderis

(8) *Per præcedentes.... manifestari.* Sic ex cod. Pass. et Clarom. reponimus. Prior quidem habet *per*, posterior vero, *manifestari*, ex quibus genuina lectio Græco textui, et antecedentibus consentanea eruitur. In cæteris deest *per*, et legitur *manifestare.*

(9) *Litteram, quod præcedit.* Lege, *litteram quæ præcedit.* Ad nominis Græci, γράμματος, magis quam ad Latini genus attendit interpres.

(10) *Præteribit.* Sic codd. Voss. Pass. et Feuard. in marg. cum Vulgata nostra, et veteri Italica. Cæteri cum editt. tum mss., *præteriet.*

(11) *Hanc autem passionem*, etc. Depravatam hanc periodum in notis ad textum Græcum restituimus. Vide ibi observata. Si tamen Latina hæc absolute retinere velis, lege saltem, vitandæ amphibologiæ causa : *Et quoniam duodecimo mense passus est Salvator.*

Digitized by Google

cimum Æonem facta est, significari dicunt per apostasiam Judæ, qui duodecimus erat apostolorum, et quoniam duodecimo mense passus est; uno enim anno volunt eum post baptisma prædicasse. Adhuc etiam in ea, quæ profluvium sanguinis patiebatur, manifestissime hoc significari; duodecim enim annis passam eam, per Domini adventum esse sanatam, cum tetigisset fimbriam vestimenti ejus; et propter hoc dixisse Salvatorem: *Quis me tetigit* [10]? docentem discipulos quod factum esset inter (1) Æonas mysterium et curationem passi Æonis. Per illam enim, quæ passa est duodecim annis, illa virtus significatur, eo quod extenderetur, et in immensum flueret ejus substantia, quemadmodum dicunt. Et nisi tetigisset vestimentum, hoc est, illius Filii, Veritatis primæ tetradis (2), quæ per fimbriam manifestata est, advenisse (3) in omnem substantiam

A πάθος (ὑποσημαίνεσθαι λέγουσι) τῆς ἀποστασίας, διὰ Ἰούδαν, ὃς δωδέκατος ἦν τῶν ἀποστόλων, γενομένης προδοσίας δείκνυσθαι λέγουσι, καὶ ὅτι τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἔπαθεν· ἐνιαυτῷ γὰρ ἑνὶ βούλονται (4) αὐτὸν μετὰ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ κεκηρυχέναι. Ἔτι τε (5) ἐπὶ τῆς αἱμορρόουσης σαφέστατα τοῦτο δηλοῦσθαι· δώδεκα γὰρ ἔτη παθοῦσαν αὐτὴν ὑπὸ τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας τεθεραπεῦσθαι, ἁψαμένην τοῦ κρασπέδου αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο εἰρηκέναι τὸν Σωτῆρα· *Τίς μου ἥψατο*; διδάσκοντα τοὺς μαθητὰς τὸ γεγονὸς ἐν τοῖς Αἰῶσι μυστήριον, τὴν ἔλασιν τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος. Ἡ γὰρ παθοῦσα δώδεκα ἔτη, ἐκείνη ἡ δύναμις (6), ἐκτεινομένης αὐτῆς (7), καὶ εἰς ἄπειρον ῥεούσης τῆς οὐσίας, ὡς λέγουσιν, εἰ μὴ (8) ἔψαυσε τοῦ φορήματος αὐτοῦ (9), τουτέστι τῆς Ἀληθείας τῆς πρώτης τετράδος, ἥτις διὰ τοῦ κρασπέδου μεμήνυται, ἀνελύθη ἂν εἰς

B

BILLII INTERPRETATIO.

erat, defectionem innui dicunt: atque hinc etiam, quod Christus duodecimo mense passus sit. Eum enim unum duntaxat a baptismo annum prædicationis munus obiisse volunt. Insuper etiam hoc in muliere illa, quæ sanguinis profluvio laborabat, apertissime declarari. Hanc enim, cum duodecim annis ægrotasset,

[10] Marc. v, 31.

quam ergo duodecimum Æonem dicunt accidisse passionem, conantur ostendere, quod Salvatoris passio a duodecimo apostolorum facta sit, et in duodecimo mense. Uno enim anno volunt eum post baptismum prædicasse. Sed in illa quæ profluvium sanguinis patiebatur, manifeste dicunt ostensum; duodecim enim annis passa est mulier, etc. Quæ eadem verba sunt lib. I, c. 3. Sic ergo ex relatis verbis Græca restituenda censerem: Τὸ δὲ περὶ δωδέκατον αἰῶνα γεγονὸς πάθος τῆς ἀποστασίας ὑποσημαίνεσθαι (non ὑπερσημαίνεσθαι, ut in Gallas. et Feuard. Irenæi editionibus, vel pejus adhuc ὑπερημαίνεσθαι, ut in cod. R. et Basileensi Epiphanii editione exstat) λέγουσι, ὅτι τὸ τοῦ Σωτῆρος πάθος διὰ τῆς τοῦ Ἰούδα, ὃς δωδέκατος ἦν τῶν ἀποστόλων, προδοσίας γεγονὸς δείκνυται, καὶ ὅτι τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἔπαθεν. *Hanc autem passionem, quæ circa* (erga) *duodecimum Æonem facta est, significari dicunt in eo quod Salvatoris passio per Judæ, qui duodecimus erat apostolorum, proditionem facta ostenditur, et quoniam duodecimo mense passus est.* Hoc modo corruptus locus ex sano ac omnino eodem restituitur; et nisi ita restituas, frustra in explicatione depravatæ periodi laboraveris.

C

(1) *Quod factum esset inter.* Ita Voss. Pass. et Feuard. in margine. Claromont., *quod factum esset et inter*, etc. Cæteri, *quod factum est.*

(2) *Hoc est, illius Filii, Veritatis primæ tetradis.* Ita codd. Ottobon. et Merc. 2. In posterioribus Feuard. edit.: *Hoc est, illius Filii, qui est Veritas;* in Oxon.: *Illius Filii, hoc est, Veritatis;* sed utrumque contra codd. omnium fidem. Nam præter jam allegatos, Eras. Gall. et prior Feuard. edit. una cum Clarom. Pass. Arund. et Voss. habent: *Hoc est, illius Filii, qui est Veritatis.* At expunctis auctoritate Ottobon. et Merc. 2 codd. vocibus, *qui est*, quæ sensum conturbant, sic explicandus videtur Irenæus: *Nisi tetigisset vestimentum, hoc est illius Filii* vestimentum, *Veritatem* scilicet *primæ tetradis*, etc. Vertere siquidem debuisset interpres *Veritatem*, non *Veritatis;* cum verbum *tango* accusativum regat apud Latinos, non genitivum, ut apud Græcos. Lege ergo *Veritatem*, hancque vocem per appositionem accipe, quasi explicationem vocis *vestimentum.* Neque enim passus Æon vestimentum Veritatis tetigisse dicitur, sed Veritatem ipsam (quæ vestimentum Filii dicebatur a Valentinianis), per fimbriam mystice significatam: quod id esset respectu primæ tetradis, quod fimbria respectu vestimenti, infima pars scilicet. Vide quæ ad Græca hujus loci observavimus.

D

(3) *Advenisse.* Suppl. *dicunt*, quod superius præmittitur.

(4) Ὅτι τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἔπαθεν· ἐνιαυτῷ γὰρ ἑνὶ βούλονται, etc. In hoc errore versatos fuisse Valentinianos Scripturarum corruptores, et novorum Evangeliorum fabricatores, non adeo mirum; sed in eumdem impegisse clarissimos Patres, saltem Clement. Alexand. lib. I *Strom.*, p. 340; Origen. lib. IV Periarch. c. 4, et Tertull. lib. *adv. Jud.* c. 18, qui Evangelia debita cum veneratione et legebant, et suscipiebant, nullus non miretur. Una est istorum sententia, Christum, anno XV imperii Tiberii, quo baptizatum fuisse scribit Lucas, passum esse, anno ætatis 30, ac proinde anno uno duntaxat post baptismum, et ante mortem suam, publicas apud Judæos habuisse conciones: cum tamen Evangeliorum lectione vel levissima imbutus quisque facile deprehendat, tria ut minimum a baptismo ad mortem Christi intercessisse Paschata.

(5) Ἔτι τε. Cod. R. Ἔτι τά.

(6) Ἐκείνη ἡ δύναμις. Sophia scilicet, seu passus Æon, qui ab eodem Irenæo lib. II, cap. 18 et 23 ex Valentinianorum sententia, vocatur *virtus extensa, duodecima virtus passa, id est*, inquit, *duodecimus Æon.* Hinc Billius, de sensu sollicitior quam de vocibus, δύναμιν hic reddidit *Æonem*, quod, licet minus accuratum, re tamen idem est.

(7) Ἐκτεινομένης αὐτῆς. Cur αὐτῇ, non αὐτῆς, hic legi velit Billius, non novi. Genitivum enim casum postulat constructionis ordo.

(8) Εἰ μή. Ante εἰ μή particulam copulativam καὶ, ex veteri interprete ponendam vult idem Billius. Sed non advertit vir doctus, veterem interpretem, addito verbo *significatur*, periodum Græcam in duas secuisse, quarum unam cum conclusisset ad *quemadmodum dicunt*, alteram ut inciperet et cum priori connecteret, necesse videbatur addere particulam, *et;* in Græco vero cum ἐκείνη ἡ δύναμις per appositionem accipiatur, suspensusque maneat sensus ad ea usque verba, εἰς τὴν οὐσίαν αὐτῆς, hunc perperam interturbaret copula καί.

(9) Φορήματος αὐτοῦ. Si sana sint mss. Latina, legendum cum vet. interprete, φορήματος, τοῦτ' ἔστι, αὐτοῦ τοῦ Υἱοῦ, *vestimentum, hoc est, ipsius*

Digitized by Google

τὴν οὐσίαν αὐτῆς· ἀλλὰ ἔστι καὶ ἐπαύσατο τοῦ πάθους· ἡ γὰρ ἐξελθοῦσα δύναμις τούτου (εἶναι δὲ ταύτης (1) τὸν Ὅρον θέλουσιν) ἐθεράπευσεν αὐτὴν, καὶ τὸ πάθος ἐχώρισεν (2) ἀπ' αὐτῆς.

4. Τὸ δὲ (3), Σωτῆρα τὸν ἐκ πάντων ὄντα τὸ πᾶν εἶναι, διὰ τοῦ λόγου τοῦ, *Πᾶν ἄρρεν διανοῖγον μήτραν*, δηλοῦσθαι λέγουσιν. Ὃς τὸ πᾶν ὤν, διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς Ἐνθυμήσεως (4) τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, καὶ ἐξορισθείσης ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος, ἣν δὴ καὶ δευτέραν ὀγδοάδα καλοῦσι, περὶ ἧς μικρὸν ὕστερον ἐροῦμεν (5). Καὶ ὑπὸ τοῦ Παύλου (6) δὲ φανερῶς διὰ τοῦτο εἰρῆσθαι λέγουσι· *Καὶ αὐτός ἐστι τὰ πάντα*· καὶ πάλιν· *Πάντα εἰς αὐτὸν* (7), *καὶ ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα*· καὶ πάλιν· *Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* (8)·

suam. Sed stetit, et 16 quievit a passione per egressam virtutem Filii. Esse autem hunc Horum volunt, qui curavit eam, et passionem separavit ab ea.

4. Quod autem Salvatorem (9) ex omnibus existentem Omne esse, per hoc responsum, *Omne masculinum aperiens vulvam* [11], manifestari dicunt. Qui enim omnia sit, aperuit vulvam Excogitationis passi Æonis, et separata ea (10) extra Pleroma, quam etiam secundam Ogdoadem vocant, de qua (11) paulo post dicemus. Et a Paulo autem manifeste propter hoc dictum dicunt: *Et ipse est omnia* [12]. Et rursus: *Omnia in ipsum, et ex ipso omnia* [13]. Et iterum: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis* [14]. Et illud: *Recapitulata esse omnia in Christo per Deum* [15]. Sic

BILLII INTERPRETATIO.

Salvatoris adventu ac præsentia curatam esse, contacta nimirum ipsius fimbria. Atque ob eam causam dixisse Salvatorem: *Quis me tetigit?* his scilicet verbis mysterium illud, quod inter Æonas contigerat, affectique Æonis curationem apostolis tradentem. Hanc enim, quæ duodecim annis adversa valetudine laboraverat, Æonis illius figuram exstitisse, cujus essentia, quemadmodum ipsi aiunt, sese extendebat, atque in infinitum fluebat; ac nisi vestem ipsius contigisset, hoc est, primæ quaternitatis Veritatem, quæ per fimbriam significatur, in totam ipsius essentiam resoluta fuisset. Verum stetit, ac morbo conflictari desiit. Etenim egressa a Filio virtus (hanc autem Horum esse volunt) medicinam ei fecit, morbumque ab ea depulit.

4. Quod autem Salvator, qui ex omnibus ortus est, Omnia sit, per hæc Scripturæ verba ostendi asserunt: *Omne masculinum aduperiens vulvam.* Ipsum enim, cum Omne sit, aperuisse vulvam Enthymesis

[11] Exod. XIII, 2, et Luc. II, 23. [12] Coloss. III, 11. [13] Rom. XI, 36. [14] Coloss. II, 9. [15] Ephes. I, 10.

Filii vestimentum, vel saltem φορήματος τοῦ Υἱοῦ, et paulo post pro δύναμις τούτου legendum δύναμις τοῦ Υἱοῦ. Neque enim hæc ad Σωτῆρα ulla ratione referri possunt, qui nec primæ tetradis Æon erat, nec cum *Veritate*, ejusdem tetradis Æone, ullam affinitatem habebat; de *Monogene* vero, Iejusque conjuge *Alethia*, primæ tetradis Æonibus, intelligi necesse est. Apertusque sensus est, si supradictorum memineris. Scilicet, cum jam *extenderetur* passus Æon, *et in immensum flueret ejus substantia, in omnem substantiam suam resolutus fuisset, nisi Filii*, seu Monogenis, *vestimentum tetigisset*, id est, nisi errorem agnoscens, *Veritatem primæ tetradis* (sic enim vertendum, non *Veritatis*, ut superius dixi), Monogenis conjugem (per fimbriam vestimenti mystice significatam, quia *Veritas* ultima est in prima tetrade Pleromatis), *tetigisset*, seu apprehendisset, cujus luce collustratus, *in semetipsum reversus credidit jam, quoniam incomprehensibilis est Pater*, ut supra dicitur. Tunc misertus ejus Filius, et pro eo deprecatorem apud Patrem agens, a se *virtutem* emisit, *Horon* scilicet, qui laborantem *curavit*, *et passionem separavit ab eo.* Sicque *stetit et quievit a passione* infelix Æon, *per egressam virtutem Filii.*

(1) *Εἶναι καὶ ταύτης.* Lege cum veteri interp et Billio ταύτην. Id enim exigit sensus.

(2) *Ἐχώρισεν.* Sic Petavius et Grabius. At in cod. R. Basileensi Epiphanii, et cæteris Irenæi editionibus, ἐχώρησεν, repugnante veteri interprete, qui vertit, *separavit*, non *abscessit.*

(3) *Τὸ δέ.* Cod. Reg. τὸν δέ.

(4) *Διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς Ἐνθυμήσεως.* Non quod ex ea prognatus sit, sed quia eam fecundavit, et per ipsam variam peperit prolem, ut inferius explicat Irenæus.

(5) *Καὶ ἐξορισθείσης... ὕστερον ἐροῦμεν.* Hæc tametsi in veteri interpretatione exstent, delenda tamen vult Billius. *Nec enim*, inquit, *quidquam ad rem faciunt, nec sententiam absolutam faciunt.* Imo ad rem faciunt quam maxime. Breviter siquidem hic colligit Irenæus, quæ fusius paulo post enarraturum se promittit. Sententiam vero absolutam habebunt, si expungas copulam καί (hanc licet legerit vetus interpres), quæ sensum turbat, perperamque suspendit, ut nimirum ἐξορισθείσης referatur ad Ἐνθυμήσεως, quæ revera *extra Pleroma separata* fuerat. Quod addit idem Billius, *falsum esse Valentinianos Enthymesin secundam Ogdoadem appellare*, paulo longius abest a vero, ut recte ostendit clariss. Grab. Exciderat sane viro docto, matrem *Achamoth*, quæ *Enthymesis* est, bis, ex Valentinianorum hypothesi infra cap. 5, *Ogdoada* nuncupari. Et expressius adhuc lib. II, cap. 14: *Eam, quæ est extra Pleroma, matris ipsorum enarrant dispositionem* (seu *affectionem*, vel *Enthymesin*), *secundam Ogdoadem vocantes eam.* Secundam autem Ogdoadem vocabant, quia, ut aiunt cap. 5 cit., *volens in honorem Æonum omnia facere, imagines fecerat ipsorum, servans numerum primogenitæ et primariæ Pleromatis Ogdoadis.*

(6) *Ὑπὸ τοῦ Παύλου.* Scilicet Coloss. III, 2, ubi Apostolus scribit, *τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός.*

(7) *Πάντα εἰς αὐτόν*, etc. Aliquantulum immutata Apostoli verba. Sic enim habet Rom. XI, 36: *Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.*

(8) *Τῆς θεότητος.* Vocem σωματικῶς, quæ exstat in nostris codicibus, quamque legerunt Patres omnes Græci, et e Latinis plerique, ideo forte omittunt Valentiniani, quia minus ad institutum faciebat. Ea enim duntaxat e Scripturis corradere hic mens erat, in quibus occurrerent voces, *omnis*, *omne*, *omnia*. Forte etiam in Irenæi codice deerat, ut et defuisse videtur in Cypriani, et Archelai codd.; uterque enim, ut observat Grab., hic in *Disput. cum Manete*, § 25, ille init. lib. *De bono patient.*, citata D. Pauli verba legit, omisso adverbio σωματικῶς.

(9) *Quod autem Salvatorem.* Τό hic perperam vertit interpres *quod.* Lege, *istud autem*, *Salvatorem*, etc., vel post *quod autem*, subintellige, *attinet.*

(10) *Et separata ea.* Cod. Pass. *et separat ea*, cæteris omnibus reclamantibus tum edit. tum mss. in quibus

(11) *De qua.* Cod. Pass. *de quo.*

Digitized by Google

interpretantur dicta (1), et quæcunque alia sunt talia.

5. Adhuc etiam de Horo suo (quem etiam plurimis nominibus (2) vocant), duas operationes habere eum ostendunt, confirmativam et separativam: et secundum id quidem, quod firmat et constabilit, Crucem esse; secundum id vero, quod dividit (3), Horon. Salvatorem autem sic manifestasse operationes ejus: et primo quidem confirmativam, in eo 17 quod dicit: *Qui non tollit crucem suam, et sequitur me, discipulus meus esse non potest* [16]. Et iterum (4): *Tollens crucem, sequere me* [17]. Separativam autem, in eo quod dicit: *Non veni mittere pacem, sed gladium* [18]. Et Joannem dicunt hoc ipsum manifestasse, dicentem: *Ventilabrum in manu ejus, emundare* (5) *aream, et colliget frumentum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili* [19]; et per hoc (6) operationem Hori significasse. Ventilabrum enim illud, crucem interpretantur esse, quæ scilicet consumit materialia omnia, quemadmodum paleas ignis; emundat autem eos, qui sal-

A καὶ τό, *Ἀνακεφαλαιώσασθαι δὲ τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ διὰ τοῦ Θεοῦ* (7), ἑρμηνεύουσιν (8) εἰοῆσθαι, καὶ εἴ τινα ἄλλα τοιαῦτα.

5. Ἔπειτα περὶ τοῦ Ὅρου αὐτῶν, ὃν δὴ καὶ πλείοσιν ὀνόμασι καλοῦσι, δύο ἐνεργείας ἔχειν αὐτὸν ἀποφαινόμενοι, τὴν ἑδραστικὴν καὶ τὴν μεριστικήν· καὶ καθὸ (9) μὲν ἑδράζει, καὶ στηρίζει, Σταυρὸν εἶναι, καθὸ δὲ μερίζει καὶ διορίζει, Ὅρον. Τὸν μὲν Σταυρὸν (10) οὕτως λέγουσι μεμηνυκέναι τὰς ἐνεργείας αὐτοῦ· καὶ πρῶτον μὲν τὴν ἑδραστικὴν ἐν τῷ εἰπεῖν· *Ὃς οὐ βαστάζει* (11) *τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθεῖ μοι, μαθητής μου οὐ δύναται γενέσθαι· καὶ· Ἆρας τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, ἀκολούθει μοι* (12). Τὴν δὲ διοριστικὴν αὐτοῦ, ἐν τῷ εἰπεῖν· *Οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μά-*
B *χαιραν*. Καὶ τὸν Ἰωάννην δὲ λέγουσιν αὐτὸ τοῦτο μεμηνυκέναι, εἰπόντα· *Τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα, καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην αὐτοῦ, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ*· καὶ διὰ τούτου τὴν ἐνέργειαν τοῦ Ὅρου μεμηνυκέναι. Πτύον γὰρ ἐκεῖνον (13) τὸν Σταυρὸν ἑρμηνεύουσιν εἶναι, ὃν δὴ

BILLII INTERPRETATIO.

Æonis illius affecti, atque extra Pleroma ejecti, quam etiam secundam Ogdoadem appellant; de qua paulo post verba faciemus. Atque eam ob causam diserte quoque a Paulo dictum esse aiunt: *Et ipse est omnia.* Et iterum: *Omnia in eum, et ex ipso omnia.* Ac rursus: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Itemque illud: *Instaurare omnia in Christo per Deum.* Ad hunc modum hæc, et si quæ alia hujusmodi sunt, interpretantur.

5. Postea de Horo suo quem etiam pluribus nominibus appellant, verba facientes duplici eum facultate præditum esse statuunt, altera fulciente, altera dividente: et quatenus constabilit, ac firmat, Crucem esse; qua autem ratione dividit, ac distinguit, Horum. Salvatorem porro ipsius facultates ita indicasse. Ac primo quidem eam, qua fulcit et confirmat, in his verbis: *Qui non tollit crucem suam et sequitur me, non potest meus esse discipulus.* Et rursus: *Tollens crucem, sequere me.* Deinde autem eam, qua secernit, ac dirimit, cum his verbis uteretur: *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Joannem etiam hoc ipsum significasse, cum diceret: *Ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream, et colliget triticum in horreum suum; paleam autem comburet igni inextinguibili.* His enim verbis Hori vim, ac facultatem declarasse. Ventilabrum enim hoc, crucem esse interpretantur, quæ quidem ea omnia, quæ materia constant, absumat,

[16] Luc. XIV, 27. [17] Marc. X, 21. [18] Matth. X, 34. [19] Luc. III, 17.

quibus legitur, *et separata ea.* Et sic scripsisse veterem interpretem persuasum habeo. Sed hunc in errorem conjecit copula καί, quæ in textum Græcum perperam irrepsit. Hinc existimavit ἐξορισθείσης casum absolutum esse, reddendum per Latinorum ablativum, quem vocant absolutum; cum tamen evidens sit, ἐξορισθείσης ab Ἐνθυμήσεως divelli non debuisse, ne sententia male suspensa hæreat, omninoque pervertatur. Expunge ergo ut in Græco particulam καί, sic et in Latino particulam *et*, cum voce *ea*. Tum lege, *separatæ extra Pleroma*, scilicet Excogitationis.

C Nov. Test. codicibus Græcis, nec in Vulgata.

(8) *Ἑρμηνεύουσιν*. Præmittenda particula οὕτως, quam in suo exemplari legebat interpres Latinus.

(9) *Καθό*. Sic cod. R. Editi male καθά, nam sequitur καθὸ δέ.

(10) *Σταυρόν*. Pro Σταυρόν, lege cum veteri interprete, Σωτῆρα. Id enim exigit sensus.

(11) *Ὃς οὐ βαστάζει*, etc. Verba sunt Luc. XIV, 27, excepto quod pro ἀκολουθεῖ μοι, codices nostri habeant, ἔρχεται ὀπίσω μου. Exstitisse tamen in Irenæi codicibus ἀκολουθεῖ μοι, inde conjicio, quod in vetustis quibusdam mss. in Græca Novi Testam. edit. Oxon. an. 1675 citatis etiamnum legatur, ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, quod prope accedit ad Irenæi lectionem.

(12) *Ἆρας τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, ἀκολούθει μοι.* Tran positus ordo verborum: nam Marci XI, 21, legitur, *ἀκολουθεῖ μοι, ἆρας τὸν σταυρόν.* Quæ, accentu loco moto decepti interpretes Epiphanii, male
D verterunt: *Tollens crucem suam sequitur me*: cum imperativum sonent ea verba, et cum Irenæi interprete reddenda fuissent, *Tollens crucem, sequere me.* Cæterum vox αὐτοῦ abest a codicibus nostris, nec eam legisse videtur Irenæi interpres. Forte in Epiphanii textum irrepsit, pro σοῦ, hæc enim exstat in mss. quibusdam Novi Testam. exemplaribus. Illud etiam, ἆρας τὸν σταυρὸν, desideratur in Vulgata nostra, et in veteribus quibusdam codicibus non exstare testatur Erasmus.

(13) *Ἐκεῖνον*. Ἐκεῖνο legit vetus interpres; et sic legere præstat, quam ἐκεῖνον referre ad σταυρόν.

(1) *Sic interpretantur dicta.* Ita cod. Voss. et Clarom. In editt. autem Eras. Gall. et Feuard. perperam *et* post *sic* additum. *Dictum* autem, non *dicta* legendum vult Grabius; sed nihil necesse est, modo *dicta* referas ad præcedentia omnia citata testimonia, non tantum ad *illud*.

(2) *Plurimis nominibus.* Edit. Anglic. *pluribus.*

(3) *Secundum id vero, quod dividit.* Ita recte Clarom. Arund. et Merc. 2, sed perverso ordine in editt. Eras. Gall. et Feuard. *secundum id quod vero dividit.*

(4) *Et iterum.* Feuard. *et item.* Sed in Græco nihil est quod huic particulæ respondeat.

(5) *Emundare.* Sic omnes codd. Feuard. vero Frontonis Duc. monitis morem gerens scripsit *emundabit*, quia in Græco habetur, διακαθαριεῖ, in futuro. Sed fatetur ipse Fronto, *emundare* ἑλληνεστικῶς acceptum, eumdem habere sensum.

(6) *Per hoc.* Edita, *per hæc.*

(7) *Διὰ τοῦ Θεοῦ* Hæc non leguntur in nostris

Digitized by Google

καὶ ἀναλίσκειν τὰ ὑλικὰ πάντα, ὡς ἄχυρα πῦρ· καθαίρει δὲ τοὺς σωζομένους, ὡς τὸ πτύον τὸν σῖτον. Παῦλον δὲ τὸν ἀπόστολον καὶ αὐτὸν ἐπιμιμνήσκεσθαι τούτου τοῦ σταυροῦ λέγουσιν, οὕτως· Ὁ λόγος γὰρ ὁ τοῦ Σταυροῦ τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστί, τοῖς δὲ σωζομένοις ἡμῖν δύναμις Θεοῦ. Καὶ πάλιν· Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο ἐν μηδενὶ (1) καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ (2), δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ.

6. Τοιαῦτα μὲν οὖν περὶ Πληρώματος αὐτῶν, καὶ τοῦ πλάσματος πάντες λέγουσιν, ἑφορμίζειν (3) βιαζόμενοι τὰ καλῶς εἰρημένα, τοῖς κακῶς ἐπινενοημένοις ὑπ' αὐτῶν. Καὶ οὐ μόνον ἐκ τῶν εὐαγγελικῶν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν πειρῶνται τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι, παρατρέποντες τὰς ἑρμηνείας, καὶ ῥᾳδιουργοῦντες τὰς ἐξηγήσεις, ἀλλὰ καὶ ἐκ νόμου καὶ προφητῶν, ἅτε πολλῶν παραβολῶν καὶ ἀλληγοριῶν εἰρημένων εἰς πολλὰ ἕλκειν δυναμένων (4) τὸ ἀμφίβολον διὰ τῆς ἐξηγήσεως. Ἕτεροι δὲ δεινῶς (5) τῷ πλάσματι αὐτῶν, καὶ δολίως ἐφαρμόζοντες, αἰχμαλωτίζουσιν ἀπὸ τῆς ἀληθείας τοὺς μὴ ἑδραίαν τὴν πίστιν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ (6) διαφυλάσσοντας.

A ventur, sicut ventilabrum triticum. Paulum autem apostolum et ipsum reminisci hujus crucis dicunt, sic: *Verbum enim crucis iis, qui pereunt, stultitia est; iis autem qui salvantur* (7), *virtus Dei*[20]. Et iterum: *Mihi autem non eveniat in ullo gloriari, nisi in Christi cruce, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*[21].

6. Talia igitur de Pleromate (8) ipsorum, et plasmate universorum dicunt, adaptare cupientes ea, quæ bene dicta sunt, iis quæ male adinventa sunt ab ipsis. Et non solum autem ex evangelicis et apostolicis, tentant ostensiones facere, convertentes interpretationes et adulterantes expositiones; sed B etiam ex lege et prophetis, cum multæ parabolæ et allegoriæ sint dictæ, et in multa trahi possit ambiguum (9), per expositionem propensius ad figmentum suum, et dolose adaptantes, 18 in captivitatem ducunt a veritate eos, qui non firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Jesum Christum Filium Dei conservant.

CAPUT IV.

Qua ratione formatam Matrem Achamoth vellent hæretici. Ex ejusdem perturbationibus ortum aspectabilem hunc mundum fingebant.

1. Τὰ δὲ ἐκτὸς τοῦ πληρώματος λεγόμενα ὑπ' αὐ-

1. Ea vero, quæ extra Pleroma dicuntur ab iis,

BILLII INTERPRETATIO.

non secus ac paleas ignis: purgat autem eos, qui salutem consequuntur, perinde ac ventilabro triticum purgatur. Quin ipsum quoque Paulum crucis hujusce mentionem facere dicunt, cum in hæc verba loquitur: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, hoc est nobis, virtus Dei.* Ac rursus: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo!*

6. Ac talia quidem de Pleromate suo, et commento cuncti dicunt, detorquentes videlicet ea, quæ recte dicta sunt, ad ea, quæ improbe ac scelerate ipsi confluxerunt. Nec vero ex evangelicis tantum et apostolicis libris, quos perverse interpretantur, ac mala fide exponunt, hæc probare conantur, verum etiam ex lege ac prophetis. Nam cum multæ in iis parabolæ, et allegoriæ sint, quæ in varios sensus trahi queunt, ipsi sententiæ ambiguitatem callida, et versuta interpretatione commento suo accommodantes, a veritate abstractos eos in captivitatem abducunt, qui parum firmam in Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, fidem tuentur.

CAPUT IV.

1. At vero quæ extra Pleroma ab iis dicuntur, sunt hujusmodi. Enthymesin superioris illius Sophiæ,

[20] I Cor. I, 18. [21] Gal. VI, 14.

(1) *Ἐν μηδενί.* Hæc in nostris Novi Testamenti exemplaribus, cum Græcis, tum vulgatis Latinis, non exstant.

(2) *Τοῦ Χριστοῦ.* Sic cod. Reg. cum veteri interprete; cæteri τοῦ Ἰησοῦ.

(3) *Πάντες... ἑφορμίζειν.* Lege cum veteri interprete, πάντων... ἑφαρμόζειν.

(4) *Εἰς πολλὰ ἕλκειν δυναμένων.* Auctoritate cod. Regii deleo καί, quod præpositioni εἰς præmittebatur. Tum legendum censeo, ἕλκεσθαι δυνάμενον, pro ἕλκειν δυναμένων. In omnibus siquidem cum editi, tum mss. legitur *trahi*; et in cod. Clarom. cujus lectionem Latinam sequor, habetur *possit*, in singulari.

(5) *Ἕτεροι δὲ δεινῶς.* Voces Ἕτεροι δὲ, delendas censet Billius, utpote redundantes, et a veteri interp. haudquaquam agnitas. At non frustra retineas, si modo punctum præcedens, in editis omnibus perperam interpositum deleas, hæcque continenter et absque divisione legas: εἰς πολλὰ ἕλκειν δυναμένων [leg. ἕλκεσθαι δυνάμενον] τὸ ἀμφίβολον διὰ τῆς ἐξηγήσεως ἕτεροι δὲ δεινῶς τῷ πλάσματι αὐτῶν, καὶ δολίως ἐφαρμόζοντες, etc. *Sententiæ ambigui atem* (cui multiplex subesse potest sensus) *per expositionem suam alii solerter et dolose figmento C suo accommodantes*, etc. Quod vero δεινῶς vertit interpres, *propensius*, ex Latini sermonis imperitia factum est. Cum enim δεινῶς aliquando Græcis sonet *vehementer, fortiter*, id ille ad animum traducens perperam reddidit *propensius*; vertere debuisset *solerter*.

(6) *Τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ.* Sic cod. Reg. In aliis deest τόν.

(7) *Iis autem, qui salvantur.* Antiquam Italicam versionem secutus est interpres, quam eodem modo habuisse, ex Cypriani lib. III Testimoniorum adversus Judæos, num. 69, et Ambrosiastri Comment. in hunc locum demonstrat Grabius. Græcus autem Pauli et Irenæi textus habet: *Nobis autem, qui salvamur.* Nec procul abest Vulgata: *Iis autem qui salvi fiunt, id est nobis.*

(8) *Talia igitur de Pleromate.* Mss. Arund. Voss. Merc. 2 et Clarom., *talia igitur tam de Pleromate.* Mss. sequi maluit Grabius, nos editi. Eras. Gall. et D Feuard. cum textu Græco, in quibus particula *tam* hic omnino superflua non legitur.

(9) *Et in multa trahi possit ambiguum.* Ita Clarom. cod. cujus lectionem, utpote clariorem, sequi maluimus. In aliis legitur: *Et in multa trahi possint, ambiguum.*

Digitized by Google

smet talis: Enthymesin illius superioris Sophiæ, quam et Achamoth vocant, separatam a superiore Pleromate cum passione dicunt, in umbræ vacuitatis locis deservisse (1) per necessitatem; extra enim lucem facta est, et extra Pleroma, informis et sine specie, quasi abortus, ideo quia nihil apprehendit. Misertum autem ejus superiorem Christum, et per Crucem extensum, sua virtute formasse formam, quæ esset secundum substantiam tantum, sed non secundum agnitionem; et hæc operatum recurrere (2), subtrahentem suam virtutem, et reliquisse illam: uti sentiens passionem quæ erga illam esset (3) per separationem Pleromatis, concupiscat eorum, quæ meliora essent, habens aliquam odorationem immortalitatis relictam in semetipsa a Christo et Spiritu sancto. Quapropter et ipsam duobus nominibus vocari, Sophiam paternaliter (pater enim ejus Sophia vocatur) et Spiritum sanctum, ab eo, qui est erga Christum (4) Spiritus. **19** Formatam autem eam, et sensatam factam, statim autem evacuatam ab eo, qui invisibiliter cum ea erat, Verbo, hoc est Christo, in exquisitionem egres-

A τῶν ἐστι τοιαῦτα· τὴν Ἐνθύμησιν τῆς ἄνω Σοφίας, ἣν καὶ Ἀχαμὼθ (5) καλοῦσιν, ἀφορισθεῖσαν τοῦ Πληρώματος (6) σὺν τῷ πάθει, λέγουσιν ἐν σκιαῖς καὶ σκηνώματος τόποις (7) ἐκβεβράσθαι κατὰ ἀνάγκην. Ἔξω γὰρ φωτὸς ἐγένετο, καὶ Πληρώματος, ἄμορφος καὶ ἀνείδεος, ὥσπερ ἔκτρωμα, διὰ τὸ μηδὲν κατειληφέναι. Οἰκτείραντά τε αὐτὴν τὸν Χριστὸν (8), καὶ διὰ τοῦ Σταυροῦ (9) ἐπεκταθέντα, τῇ ἰδίᾳ δυνάμει μορφῶσαι μόρφωσιν τὴν κατ' οὐσίαν μόνον, ἀλλ' οὐ τὴν κατὰ γνῶσιν· καὶ πράξαντα τοῦτο ἀναδραμεῖν, συστείλαντα αὐτοῦ τὴν δύναμιν, καὶ καταλιπεῖν (10), ὅπως αἰσθομένη τοῦ περὶ αὐτὴν πάθους, διὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ Πληρώματος, ὀρεχθῇ τῶν διαφερόντων, ἐχουσά τινα ὀδμὴν ἀφθαρσίας, ἐγκαταλειφθεῖσαν αὐτὴν τοῦ Χριστοῦ (11), καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Διὸ καὶ αὐτὴν

B τοῖς ἀμφοτέροις ὀνόμασι καλεῖσθαι, Σοφίαν τε πατρωνυμικῶς (ὁ γὰρ πατὴρ αὐτῆς Σοφία κληΐζεται) καὶ Πνεῦμα ἅγιον, ἀπὸ τοῦ περὶ τὸν Χριστὸν Πνεύματος. Μορφωθεῖσάν τε αὐτὴν, καὶ ἔμφρονα γενηθεῖσαν, παραυτίκα δὲ κενωθεῖσαν ἀοράτου (12) αὐτῇ συνόντος Λόγου, τουτέστι τοῦ Χριστοῦ, ἐπὶ ζήτησιν ὁρμῆσαι τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, καὶ μὴ δυνηθῆναι

BILLII INTERPRETATIO.

quam et Achamoth nuncupant, una cum passione a Pleromate submotam, in umbras, et vacuitatis loca necessario, velut æstu quodam, abreptam esse aiunt. Eam enim extra lucem, et Pleroma exstitisse, formæ ac figuræ expertem, non secus ac fetum aliquem abortu egestum; eo quod nihil comprehendisset. Superiorem autem Christum, ipsius calamitate commotum, ac per Crucem extensum, vi sua formam quidem ei indidisse; sed essentiæ duntaxat, non item scientiæ. Eoque negotio perfunctum, contracta virtute sua, ad supera sese recepisse, eamque deseruisse: quo videlicet ea, calamitatem suam persentiscens, ut quæ a Pleromate submota esset, præstantiorum desiderio inflammaretur, habens interim nonnullum incorruptibilitatis odorem a Christo et Spiritu sancto in se relictum. Qua etiam de causa duobus eam nominibus appellant, Sophiam nempe paterno nomine (pater enim ipsius Sophia nuncupatur), et Spiritum sanctum, ab eo scilicet Spiritu, quo Christus est præditus. Formatam autem eam, ac mentis compotem effectam, moxque sermone eo, qui invisibiliter cum ipsa erat, hoc est Christo, spoliatam et

(1) *In umbræ vacuitatis locis deservisse.* Sic mss. omnes, nisi quod Ottobon. Pass. Arund. Voss. et Merc. 2, vitio scribarum habeant *deseruisse*, vel *deservisse*, pro *deservisse*. Feuardentius ex veteri codice, Græca littera, et R. P. Frontonis judicio restituisse se dicit: *in umbræ et vacuitatis locis deserbuisse*; sed incertum quid ex Græco et Frontonis Ducæi conjectura, quid vero ex veteri cod. restituerit. In edit. Eras. et Gallas. vitiose omnino: *in umbratæ vanitatis locis deseruisse*; nec multo melius in edit. Oxon. *in umbræ et vanitatis locis deservisse*. Nulli enim mss. codd. habent *vanitatis*; omnes etiam omittunt particulam *et*. Nostram vero lectionem genuinam esse, demonstratur ex ipso Irenæo, qui infra lib. II, cap. 8, n. 5, scribit: *Falsus autem apparuit, et qui est de umbra cenomatis, id est, vacui, ipsorum sermo. Umbram cenomatis* seu *vacui* dicit, non *umbram et cenoma*, seu *vacuum*; minus adhuc *umbram et vanitatem*. Quod vero spectat ad verbum *fervisse*, non dubitat ipse Grabius quin ἐκβεβράσθαι ita verterit interpres, quamvis hunc sequi noluerit. *Deservisse* autem accepit ille in Latina lingua haud satis versatus interpres, non pro *fervescere desiisse*, ut accipiunt optimi quique auctores Latini; sed pro *efferbuisse* seu *æstuasse*. Cum enim non nesciret simplex βεβράσθαι significare *fervisse*, existimavit compositum ἐκβεβράσθαι verti posse *deservisse*; perperam ratus particulam ἐκ, ut in aliis bene multis compositis verbis, ita et hic vertendam esse *de*, et *deservisse* idem apud Latinos valere ac *fervisse*.

(2) *Recurrere.* Vertere debuisset interpres, *recurrisse*.

(3) *Passionem quæ erga illam esset.* Hellenismus C interpreti familiaris. Id est, *passionem propriam*, seu *quæ illi accidisset*.

(4) *Qui est erga Christum.* Id est, *qui est cum Christo*.

(5) Ἀχαμώθ. Nomen Tertulliano *ininterpretabile*. Feuardentius vero recte deducit a חָכְמָה *Hhochma*, *sapientia*, cujus radix חָכַם *Hhacham*, *sapiens fuit*. Inde Sapientiæ Enthymesis, sive cogitatio, Achamoth dicta.

(6) Τοῦ Πληρώματος. Τοῦ ἄνω Πληρώματος legisse videtur interpres.

(7) Σκιαῖς καὶ σκηνώματος τόποις. Lege cum interprete, σκιᾶς, et cum eodem, ac Theodoreto, et Tertulliano, pro σκηνώματος, repone κενώματος. Scribit enim Theodoretus lib. I *Hæret. Fab.*, cap. 7, pag. 199: Matrem Achamoth ἐν σκιᾷ τινι, καὶ κενώματι διάγειν, *in umbra quadam, et inani degere*; Tertullianus, *explosum in vacuum, atque inane illud Epicuri*. Quin et Irenæus ipse paulo D post, καταλελεῖφθαι μόνην ἐν τῷ σκότει, καὶ κενώματι. Vide et lib. II, cap. 8 et 14.

(8) Τὸν Χριστόν. Lege cum interp. τὸν ἄνω Χριστόν.

(9) Διὰ τοῦ Σταυροῦ. Theodoretus habet, διὰ τοῦ Ὅρου καὶ Σταυροῦ: Tertullianus vero, *educitur per Horon*; et Irenæus lib. III, cap. 18: *superextensus Horo, id est, fini*. Quo concludas, τοῦ Σταυροῦ hic non *Crucem* significare, sed Hori epitheton esse.

(10) Καταλιπεῖν. Adde αὐτὴν cum veter. interp.

(11) Αὐτὴν τοῦ Χριστοῦ. Lege ex veteri interprete, αὐτῇ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ.

(12) Ἀοράτου. Lege cum interprete, ἀόρατος.

Digitized by Google

καταλαβεῖν αὐτὸ, διὰ τὸ κωλυθῆναι ὑπὸ τοῦ Ὅρου. Καὶ ἐνταῦθα τὸν Ὅρον κωλύοντα αὐτὴν τῆς εἰς τοὔμπροσθεν ὁρμῆς εἰπεῖν Ἰαώ (1)· ὅθεν τὸ Ἰαὼ ὄνομα γεγενῆσθαι φάσκουσι. Μὴ δυνηθεῖσαν δὲ διοδεῦσαι τὸν Ὅρον, διὰ τὸ συμπεπλέχθαι τῷ πάθει, καὶ μόνην ἀπολειφθεῖσαν ἔξω, παντὶ μέρει τοῦ πάθους ὑποπεσεῖν πολυμεροῦς καὶ πολυποικίλου ὑπάρχοντος, καὶ παθεῖν, λύπην μὲν ὅτι οὐ κατέλαβε, φόβον δὲ μὴ καθάπερ αὐτὴν τὸ φῶς, οὕτω καὶ τὸ ζῆν ἐπιλίπῃ, ἀπορίαν τε ἐπὶ τούτοις· ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα. Καὶ οὐ καθάπερ (2) ἡ μήτηρ αὐτῆς ἡ πρώτη Σοφία καὶ Αἰὼν, ἑτεροίωσιν ἐν τοῖς πάθεσιν εἶχεν, ἀλλὰ ἐναντιότητα. Ἐπισυμβεβηκέναι δ' αὐτῇ καὶ ἑτέραν διάθεσιν, τὴν τῆς ἐπιστροφῆς ἐπὶ τὸν ζωοποιήσαντα.

A sam ejus luminis, quod se dereliquisset; et non potuisse apprehendere illud, quoniam coercebatur ab Horo. Et sic (4) Horon coercentem eam, ne amplius irrueret, dixisse *Iao* (5) : unde et *Iao* nomen factum dicunt. Cum non posset (6) pertransire Horon, quoniam complexa fuerat passionem, et sola fuisset derelicta foris, omni parti passionis succubuisse, multifariæ et variæ exsistentis : et passam eam tristitiam quidem, quoniam non apprehendit; timorem autem, ne quemadmodum eam lumen, sic et vita relinqueret; consternationem autem, super hæc (7) : ignorantia autem omnia. Et non (8), quemadmodum mater ejus prima Sophia et Æon, demutationem in passionibus habuit, sed contrarietatem. Super hæc autem evenisse ei et alteram B affectionem conversionis ad eum qui vivificavit (9).

2. Ταύτην σύστασιν καὶ οὐσίαν τῆς ὕλης γεγενῆσθαι λέγουσιν, ἐξ ἧς ὅδε ὁ κόσμος συνέστηκεν. Ἐκ μὲν γὰρ τῆς ἐπιστροφῆς τὴν τοῦ κόσμου καὶ τοῦ Δημιουργοῦ πᾶσαν (3) ψυχὴν τὴν γένεσιν εἰληφέναι,

2. Eam collectionem (10) et substantiam fuisse materiæ dicunt; ex qua hic mundus constat. De conversione enim mundi, et Demiurgi omnem animam (11) genesin accepisse; de timore autem et tris-

BILLII INTERPRETATIO.

erhatam, ad investigandam illud lumen, quod eam desernerat, sese contulisse : verum obstitisse Horum, quominus id consequi posset. Atque hic etiam Horum coercentem eam, ne ulterius progrederetur, *Iao* inclamasse : hincque vocem hanc, *Iao*, originem duxisse tradunt. Cum ergo ob eam, cui implicita erat, passionem, Horum prætergredi nequivisset, solaque foris relicta esset, omni perturbationis generi succubuisse (multiplex enim hæc passio erat, ac compluribus partibus constabat). Nam et mœrore affectam fuisse, quod minime comprehendisset; et metu, ne quemadmodum eam lux, ita etiam vita deficeret, ac denique animi anxietate. Atque in omni rerum ignoratione versantem, non matris ipsius primæ Sophiæ et Æonis instar, varietatem in turbidis illis animi motibus, sed repugnantiam habuisse. Accidisse etiam ei alterum passionis genus, nimirum conversionem ad eum, qui huic coagmentationi vitam impertiverat.

2. Inde materiæ essentiam, ex qua hic mundus conflatus est, ortam esse tradunt. Ex conversione

(1) *Ἰαώ*. Ipsum Dei nomen ineffabile tetragrammaton יהוה est, quod Græcos legisse Ἰαώ, res notior est quam ut argumentis indigeat.

(2) *Ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα. Καὶ οὐ καθάπερ*, etc. Sic lego, nec legendum censeo cum Billio, ἀγνοοῦσα δὲ τὰ πάντα, οὐ καθάπερ, etc.: quasi ita legerit vetus interpres. Virum eruditum decepernnt, ut scite observat Grabius, vitiosæ Erasmi et Gallasii editiones, quas et imprudens secutus est Feuardentius, contra mss. codicum fidem. Habent enim, *ignorans autem omnia, non quemadmodum mater ejus*, etc. Verum hæc, ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα, ad præcedentia referenda sunt, λύπην nimirum, φόβον et ἀπορίαν, ut sit sensus, varias illas, quarum æstu jactata est Enthymesis, passiones, *omnes in ignorantia*, seu cum ignorantia conjunctas fuisse. Iu ipsemet Irenæus paulo inferius sic explicat : Καὶ τὴν ἄγνοιαν τοῖς τρισὶ πάθεσιν ἐγκεκρύφθαι διδάσκουσι, *et ignorantiam tribus passionibus* (supra dictis) *inabsconsam docent*. Quare novam periodum ab his verbis incipias, *Καὶ οὐ καθάπερ*, etc.

(3) *Πᾶσαν*. Καὶ πᾶσαν legi volunt Billius et Petavius, quasi vetus interpres ita legerit. At nulla editio, nullus etiam ms. codex hic particulam *et* ante *omnem* usquam exhibuit; sed nec exhibere debuit; πᾶσα siquidem ψυχὴ hic ad mundum et Demiurgum refertur, sensusque est, *a conversione omnem mundi, et Demiurgi animam genesin accepisse*. Sicque Tertullianus cap. 15, intellexit, expressitque : *Ex hac* (conversione) *omnis anima hujus mundi dicitur constitisse, etiam ipsius Demiurgi*. Cæterum quæ hic paulo obscurius, quia brevius, de mundi constitutione, ex Valentinianorum hypothesi, tradit Irenæus, fusiori stylo prosequetur inferius.

(4) *Et sic*. Legendum puto, *et hic;* Græce siquidem, ἐνταῦθα, non οὕτως.

(5) *Iao*. Vetus Feuard. codex, Voss. et Pass. *Iouth;* Arund. et Clarom. *Iaoth;* editt. Eras. et Gall. *Iaioth :* sed vera lectio est, *Iao*, quam habet Græcus Irenæi textus, quamque secuti sunt Tertullianus et Theodoret., et post eos Feuard. et Grab.

(6) *Cum non posset. Et* ab Erasmo (quem secuti sunt reliqui editores) solius connexionis gratia præfixum particulæ *cum* expunximus, quia deest in omnibus mss. et in Græco textu, et ab his verbis, *cum non posset*, novam periodum incepimus. Veilem tamen particulam adversativam inseruisset interpres, *cum autem non posset*, etc.

(7) *Super hæc*. Al. *super hoc*.

(8) *Ignorantia autem omnia. Et non*. Ita Clarom. Ottob. Arund. Voss. et Merc. 2. Legendum tamen puto, *In* (vel cum) *ignorantia autem omnia*, juxta Græcum : ἐν ἀγνοίᾳ δὲ τὰ πάντα. Vide ibi observata. Cæterum in editt. Eras. Gall. et Feuard. male, *ignorans autem omnia, non*, etc.

(9) *Vivificavit*. Subintellige *ipsam*, nempe Enthymesin, sive matrem Achamoth. Tertull. c. 14, *a quo vivificata fuerat*.

(10) *Eam collectionem*. Ea collectio, de qua hic Irenæus, *passionum*, quibuscum conflictabatur Enthymesis, collectio est, *tristitiæ* scilicet, *timoris, consternationis, conversionis* demum *ad eum qui vivificavit* ipsam, quas omnes *substantiam fuisse materiæ*, seu a quibus materiæ substantiam originem sumpsisse dicebant Valentiniani, ut mox explicatur. Ἐκ τῶν δὲ παθῶν, inquit Theodoretus, τόνδε συστῆναι κόσμον φασίν. *Ex his affectionibus mundum hunc conditum dicunt.*

(11) *Mundi et Demiurgi omnem animam*. Græca ad verbum secutus interpres, obscurior evasit. Hæc tu sic legas et intelliges : *omnem mundi et Demiur-*

Digitized by Google

titia, reliqua initium habuisse. A lacrymis enim ejus factam universam humidam substantiam, a risu autem lucidam; a tristitia autem et pavore, corporalia mundi elementa. Aliquando enim plorabat, et tristis erat, quomodo dicunt, quod derelicta sola esset in tenebris et in vacuo : aliquando autem in cogitationem veniens ejus, quod dereliquerat eam lumen, diffundebatur et ridebat; aliquando autem rursus timebat; aliquando consternabatur, et exstasin patiebatur.

3. Et quidem enim (1) tragœdia multa est jam hic, et phantasia uniuscujusque illorum, aliter et aliter graviter (2) exponentis, ex quali passione et ex quali elemento substantia generationem accepit. Quæ etiam convenienter videntur mihi non omnes velle in manifesto (3) docere, sed solos illos, qui etiam grandes mercedes pro talibus mysteriis præstare possunt. Non enim jam dicunt (4) similia illis, de quibus Dominus noster dixit : *Gratis accepistis, gratis date* [22]; sed separata (5) et portentosa, et alta mysteria cum magno labore exquisita fallacibus. Quis enim non eroget omnia, quæ sunt sua, uti discat, quoniam a lacrymis Enthymeseos, quæ est ex passione Æonis (6), maria, et fontes, et flumina, et universa humida materia generationem acceperunt; de risu autem ejus lumen; de pavore autem, et inconstabilitate (7), corporalia mundi elementa?

4. Volo autem aliquid et ego conferre fructificationi eorum. Quoniam enim video dulces quidem

ἐκ δὲ τοῦ φόβου καὶ τῆς λύπης τὰ λοιπὰ τὴν ἀρχὴν ἐσχηκέναι. Ἀπὸ γὰρ τῶν δακρύων αὐτῆς γεγονέναι πᾶσαν ἔνυγρον οὐσίαν· ἀπὸ δὲ τοῦ γέλωτος τὴν φωτεινήν· ἀπὸ δὲ τῆς λύπης καὶ τῆς ἐκπλήξεως τὰ σωματικὰ τοῦ κόσμου στοιχεῖα. Ποτὲ μὲν γὰρ ἔκλαιε καὶ ἐλυπεῖτο, ὡς λέγουσι, διὰ τὸ καταλελεῖφθαι μόνην ἐν τῷ σκότει, καὶ τῷ κενώματι· ποτὲ δὲ, εἰς ἔννοιαν ἥκουσα τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, διεχεῖτο καὶ ἐγέλα· ποτὲ δ' αὖ πάλιν ἐφοβεῖτο· ἄλλοτε δὲ διηπόρει, καὶ ἐξίστατο.

3. Καὶ τί γάρ; τραγῳδία πολλὴ λοιπὸν ἦν ἐνθάδε, καὶ φαντασία ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν, ἄλλως καὶ ἄλλως σοβαρῶς ἐκδιηγουμένου, ἐκ ποταποῦ πάθους, ἐκ ποίου στοιχείου ἡ οὐσία τὴν γένεσιν εἴληφεν· ἃ καὶ εἰκότως δοκοῦσί μοι μὴ ἅπαντας θέλειν ἐν φανερῷ διδάσκειν, ἀλλ' ἢ μόνους ἐκείνους (8) τοὺς καὶ μεγάλους μισθοὺς ὑπὲρ τηλικούτων μυστηρίων τελεῖν δυναμένους. Οὐκέτι γὰρ ταῦτα ὅμοια ἐκείνοις, περὶ ὧν ὁ Κύριος ἡμῶν εἶρηκε· *Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε*· ἀλλὰ ἀνακεχωρηκότα, καὶ τερατώδη, καὶ βαθέα μυστήρια μετὰ πολλοῦ καμάτου περιγινόμενα τοῖς φιλοψευδέσι. Τίς γὰρ οὐκ ἂν ἐκδαπανήσειε πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, ἵνα μάθῃ, ὅτι ἀπὸ τῶν δακρύων τῆς Ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, θάλασσαι, καὶ πηγαὶ, καὶ ποταμοὶ, καὶ πᾶσα ἔνυδρος οὐσία τὴν γένεσιν εἴληφεν, ἐκ δὲ τοῦ γέλωτος αὐτῆς τὸ φῶς, καὶ ἐκ τῆς ἐκπλήξεως, καὶ τῆς ἀμηχανίας τὰ σωματικὰ τοῦ κόσμου στοιχεῖα;

4. Βούλομαι δὲ καὶ αὐτὸς συνεισενεγκεῖν τι τῇ καρποφορίᾳ αὐτῶν. Ἐπειδὴ γὰρ ὁρῶ τὰ μὲν γλυκέα

BILLII INTERPRETATIO.

enim, et mundi, et Demiurgi, et denique omnem aliam animam ortum accepisse; ex metu autem, ac mœrore reliqua initium habuisse. Etenim ex ipsius lacrymis liquidam omnem essentiam exstitisse, ex risu autem lucem, ex mœrore denique et stupore corporea mundi elementa. Nonnunquam enim flebat, et in mœrore versabatur, ut ipsi aiunt, ob id nempe quod sola in tenebris, et vacuo relicta esset : nonnunquam autem lumen illud, quod eam deseruerat, secum ipsa considerans, lætitia diffundebatur, ac ridebat. Interdum rursus metuebat, interdum item perplexo et anxio animo erat, atque etiam mentis errore afficiebatur.

3. Atque hic jam non levis tragœdia, et imaginatio exsistit, singulis nimirum eorum alio atque alio modo quonam ex affectu et ex cujusmodi elemento orta sit, non sine fastu et arrogantia exponentibus. Quæ etiam ipsi non abs re mihi videntur nolle omnibus palam tradere, verum iis solis, qui ingentem pro talibus mysteriis mercedem pendere queant. Nec enim jam hæc ad ea accedunt, de quibus Dominus noster dixit: *Gratis accepistis, gratis date;* sed semota sunt, ac prodigiosa, et profunda mysteria, quæque non sine magno labore ab hominibus mentiendi studiosis comparentur. Ecquis enim facultates omnes suas non expendat, ut discat quemadmodum ex lacrymis Enthymesis, calamitosi illius Æonis, maria et flumina, atque omnis aquarum substantia ortum acceperit; ex ipsius autem risu lux, ex stupore et anxietate corporea mundi elementa?

4. Enimvero gestit animus ad eorum fruticationem aliquid etiam conferre. Quoniam enim aquas par-

[22] Matth. x, 8.

gi animam; nam et Demiurgum ipsum animæ compotem esse volebant Valentiniani. Vide not. 3, col. 481.

(1) *Et quidem enim.* Non abs re putat Grabius veterem interpretem ex Græco scripsisse, *Et quid enim?* juxta illud, Καὶ τί γάρ;

(2) *Graviter.* Græc. σοβαρῶς, *arroganter, cum fastu.*

(3) *In manifesto.* Al. *manifesto;* quidam, *manifeste.*

(4) *Dicunt.* Hoc verbum de suo addidit interpres; neque enim in Græco legitur. Vertendum erat, *hæc sunt. Non enim jam hæc sunt similia illis.*

(5) *Separata.* Vocem ἀνακεχωρηκότα melius cum Gallasio vertisset interpres, *abstrusa,* vel *abdita, ab hominum notitia semota.* Hunc enim sensum interdum habet ea vox : hic certe habere debet. Apud Suidam ἀνακεχωρηκότα βιβλία dicuntur esse ἀντὶ ἀποκρύφων.

(6) *Quæ est ex passione Æonis.* Verbum *est* in editt. omnibus omissum addidimus ex cod. Clarom. Jam apertus est sensus, *Enthymeseos, quæ est ex passione Æonis,* id est quæ ex passione Æonis, *Sophiæ* scilicet, nata est. Græca tamen, τῆς Ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, simplicius verti potuissent, *Enthymeseos passi Æonis.* Sed idem est utrobique sensus. Hunc vero funditus evertit Gallasius dum vertit, ἀπὸ τῶν δακρύων τῆς Ἐνθυμήσεως τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, *a lacrymis Æonis cogitatione perturbati;* quæ a Græcis et Irenæi mente procul aliena sunt.

(7) *Inconstabilitate.* Gr. ἀμηχανίας, *anxietate, animi consternatione.*

(8) *Μόνους ἐκείνους.* In cod. Reg. deest ἐκείνους.

Digitized by Google

ὕδατα ὄντα, οἷον πηγὰς, καὶ ποταμοὺς, καὶ ὄμβρους, καὶ τὰ τοιαῦτα, τὰ δὲ ἐπὶ ταῖς θαλάσσαις ἁλμυρά· ἐπινοῶ μὴ πάντα ἀπὸ τῶν δακρύων αὐτῆς προβεβλῆσθαι, διότι τὸ δάκρυον ἁλμυρὸν τῇ ποιότητι ὑπάρχει. Φανερὸν οὖν, ὅτι τὰ ἁλμυρὰ ὕδατα ταῦτά ἐστι τὰ ἀπὸ τῶν δακρύων. Εἰκὸς δὲ, αὐτὴν ἐν ἀγωνίᾳ πολλῇ καὶ ἀμηχανίᾳ γεγονυῖαν καὶ ἱδρωκέναι. Ἐντεῦθεν δὴ, κατὰ τὴν ὑπόθεσιν αὐτῶν, ὑπολαμβάνειν δεῖ, πηγὰς καὶ ποταμοὺς, καὶ εἴ τινα ἄλλα γλυκέα ὕδατα ὑπάρχει, τὴν γένεσιν μὴ ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν δακρύων αὐτῆς (1). Ἀπίθανον γὰρ, μιᾶς ποιότητος οὔσης τῶν δακρύων, τὰ μὲν ἁλμυρὰ, τὰ δὲ γλυκέα ὕδατα ἐξ αὐτῶν προελθεῖν. Τοῦτο δὲ πιθανώτερον, τὰ μὲν εἶναι ἀπὸ τῶν δακρύων, τὰ δὲ ἀπὸ τῶν ἱδρώτων. Ἐπειδὴ καὶ (2) θερμὰ καὶ δριμέα τινὰ ὕδατά ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ, νοεῖν ὀφείλεις, τί ποιήσασα, καὶ ἐκ ποίου μορίου προήκατο ταῦτα. Ἁρμόζουσι γὰρ τοιοῦτοι καρποὶ τῇ ὑποθέσει αὐτῶν.

5. Διοδεύσασαν οὖν πᾶν πάθος τὴν μητέρα αὐτῶν, καὶ μόγις ὑπερκύψασαν, ἐπὶ ἱκεσίαν τραπῆναι τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτὸς, τουτέστι τοῦ Χριστοῦ, λέγουσιν· ὃς ἀνελθὼν μὲν εἰς τὸ Πλήρωμα, αὐτὸς μὲν, εἰκὸς ὅτι ὤκνησεν ἐκ δευτέρου κατελθεῖν (3), τὸν Παράκλητον δὲ ἐξέπεμψεν αὐτὴν (4), τουτέστι τὸν Σωτῆρα, ἐνδόντος αὐτῷ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ Πα-

A quasdam aquas, ut fontes (5), et flumina, et imbres, et talia (6); quæ autem sunt in mari, salsæ : adinvenio non omnia a lacrymis ejus emissa, quoniam lacrymæ salsæ sunt qualitate. Manifestum est igitur, quoniam salsæ aquæ hæ sunt a lacrymis. Opinor autem, eam in agonia et in inconstantia (7) grandi constitutam et sudasse. Unde etiam secundum argumentationem 21 ipsorum suspicari oportet, fontes et flumina, et si quæ sunt aliæ aquæ dulces, generationem habuisse a sudoribus ejus. Non est enim suadibile, cum sint unius qualitatis lacrymæ, alteras quidem salsas, alteras dulces aquas ex iis exisse. Hoc autem magis suadibile, alteras quidem esse a lacrymis, alteras vero a sudoribus. Quoniam autem et calidæ, et austeræ

B quædam sunt aquæ in mundo, intelligere debes (8), quid faciens, et ex quo membro emisit has. Apti sunt enim hujusmodi fructus argumento ipsorum.

5. Cum igitur peragrasset omnem passionem mater ipsorum, et vix cum elata esset (9), ad obsecrationem conversa est ejus luminis, quod dereliquerat eam, hoc est Christi, dicunt : qui regressus in Pleroma, ipse quidem, ut datur intelligi, pigritatus est secundo descendere : Paracletum autem misit ad eam, hoc est Salvatorem, præstante ei virtutem

BILLII INTERPRETATIO.

tim dulces, ut fontes, et fluvios, et imbres, cæteraque id generis, partim salsas, ut in mari, esse perspicio; ita mecum reputo, non omnes eas ex ipsius lacrymis promanasse : quandoquidem lacryma qualitate sua salsa est. Perspicuum est itaque salsas aquas eas esse, quæ ex lacrymis ortæ sunt. At vero credibile est eam in magna anxietate, atque consilii inopia constitutam, sudorem etiam emisisse. Atque hinc juxta ipsorum figmentum existimare par est fontes, et amnes, et si quæ aliæ aquæ dulces sunt, ab ipsius sudoribus originem habuisse. Neque enim probabile est, cum una eademque qualitate lacrymæ præditæ sint, ex ipsis tamen partim dulces, partim salsas aquas prodiisse. Illud autem ad similitudinem veri propius accedit, eas partim e lacrymis, partim ex sudoribus fluxisse. Quoniam autem in mundo, et calidæ quædam, et acres aquæ sunt, tuum est cogitare quonam modo et quanam ex parte eas emiserit. Tales enim fructus eorum commentis conveniunt.

5. Cum ergo mater eorum per omne perturbationum genus grassata esset, ac tandem aliquando ex iis emersisset, aiunt eam ad lumen illud, a quo deserta fuerat, hoc est, ad Christum rogandum et obsecrandum, sese convertisse. Hunc porro, cum ad Pleroma jam reversus esset, atque uti probabile est,

(1) *Τὴν γένεσιν μὴ ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν δακρύων αὐτῆς.* In Basileensi Epiphanii edit. et Gall. ac Feuard. Irenæi editt. ut et in cod. Reg., deest δακρύων. Legitur duntaxat, ἀπὸ τῶν αὐτῆς. Δακρύων vero addidit Petavius, ut puto, ex cod. Vat.; sed Græca hoc loco mendosa esse monet Billius, legendumque censet, γένεσιν ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν ἱδρώτων αὐτῆς. Et quidem sic legisse veterem interpretem certum est. Sic etiam legisse videtur Nilus Asceta epist. 124 ad Carpionem Valentinianum, lib. 1 edit. Allat. Cum enim catholicorum quispiam a Carpione quæsiisset an aquæ omnes, tam dulces quam salsæ, a lacrymis Achamothæ originem haberent, et hic responsionem cunctaretur; iisdem salibus, et tantum non iisdem verbis, quibus Valentinianos Irenæus, vesanum hominem perfricat Nilus : Ἐχρῆν σε ἀπαντῆσαι λέγοντα, ὅτι τὰ μὲν πικρὰ τῆς ἀνυπάρκτου Ἀχαμωθ δάκρυα τὰς ἁλμυρὰς θαλάσσας ὑπέστησεν, ὡς ἐξ ἰδύνης καὶ δριμυγμοῦ ἱκανοῦ προχυθέντα· ὁ δὲ ἱδρὼς τῆς ταλαιπώρου γυναικὸς πηγὰς ἐξηρεύξατο, καὶ ποταμοὺς, καὶ φρέατα, λίμνας τε, καὶ τὰ ἐξῆς γλυκέα. Ταῦτα πρὸς τὸν σὸν λῆρον γελοιωδῶς λέγομεν. *Respondendum tibi erat, amaras Achamothæ, quæ revera nulla est, lacrymas salsa maria progenerasse, utpote quæ ex dolore et magna acerbitate effusæ essent; sed ex sudore miseliæ illius mulieris fontes, et fluvios, et puteos, et lacus, et reliquas dulces aquas prorupisse. Hæc ad tuas ineptias non sine risu dici-*

C *mus.* Hæc momenta persuadent cum Billio legendum esse, γένεσιν ἐσχηκέναι ἀπὸ τῶν ἱδρώτων αὐτῆς. Græca quidem, ut nunc sunt, perfectum fundunt sensum, sed præsenti argumento non æque conveniens, nec præcedentibus adeo cohærens.

(2) *Ἐπειδὴ καί.* Lege cum Billio, ex veteri interp. ἐπεὶ δὲ καί.

(3) *Κατελθεῖν.* Hinc recte colligit Billius emendandum esse Theodoretum, l.b. 1 *Hæret. Fab.* c. 7, apud quem in omn. editt. legitur μετελθεῖν pro κατελθεῖν.

(4) *Αὐτήν.* Lege cum Billio, αὐτῇ, vel πρὸς αὐτήν.

(5) *Ut fontes.* Sic recte edit. Oxon. ex mss. Arund. Voss. et Merc. 2, concinunt Clarom. et Pass.; sed male cæteræ editt. *et fontes.*

(6) *Et talia.* Al. *et alia.*

(7) *In inconstantia.* Quod hic vertit interpres, *inconstantia*, superius reddidit, *inconstabilitate*,

D Græc. ἀμηχανίας.

(8) *Debes.* Sic codd. Clarom. Pass. Voss. ac textus Græcus cum edit. Oxon. et Feuardentio in marg. haud dubie ex veteri cod. Sed hic in textu, perinde ut Eras. et Gall. *debemus.* Verba hæc ad eum dirigi, in cujus gratiam libros suos scripsit Irenæus, nemo non videt.

(9) *Vix cum elata esset.* Gr. μόγις ὑπερκύψασαν, *ægre tandem emersa*, ut melius vertit Petavius.

Digitized by Google

omnem Patre (1), et omnia sub potestate tradente : Æonibus autem similiter, uti *in eo omnia conderentur, visibilia et invisibilia, Throni*, Divinitates, *Dominationes* [23]. Mittitur autem ad eam cum cœtaneis suis angelis. Hanc autem Achamoth reveritam eum, dicunt primo quidem coopertionem (2) imposuisse (3) propter reverentiam ; deinde autem cum vidisset eum cum universa 22 fructificatione sua, accurrisse ei, virtute accepta de visu ejus. Et illum formasse eam, formationem, quæ est secundum agnitionem, et curationem passionum fecisse ejus, separantem eas ab ea, et non eum neglexisse (4). Nec enim erat possibile eas exterminari, quemadmodum prioris (5), eo quod jam habilia et possibilia essent (6); sed segregantem separatim commiscuisse et coagulasse, et de incorporali passione in incorporalem (7) materiam transtulisse eas; et sic aptabilitatem et naturam fecisse in eis, ut in consursus descendere pigeret, Paracletum, hoc est Salvatorem, ad eam emisisse, Patre ei potentiam omnem concedente, omniaque ipsius imperio subjiciente, atque item Æonibus : ut in ipso omnia conderentur, tam quæ in aspectum cadunt, quam quæ oculorum obtutum fugiunt, hoc est Throni, Deitates, Dominationes. Comites etiam ei adjuncti sunt angeli, ipsius cœtanei. At vero Achamoth, quemadmodum ipsi narrant, eum reverita, primo quidem velum præ pudore sibi obduxit, posteaquam autem ipsum cum omnibus suis dotibus conspicata est, viribus ex ipsius præsentia collectis, ad eum accurrit ; ac tum ille scientiæ formam ei indidit, eamque perturbationibus liberavit. Nec tamen has ab ea ita secrevit ac depulit, ut curam omnem earum abjiceret (nec enim deleri poterant, quemadmodum prioris Sophiæ affectiones, quod radices jam egissent, ac robur contraxissent); verum secretas eas confudit, et condensavit, atque ex incorporea affectione, in corpoream materiam immutavit; ac deinde eam illis aptitudinem et

τρὸς, καὶ πᾶν ὑπ' ἐξουσίαν παραδόντος, καὶ τῶν Αἰώνων δεόμενος (8), ὅπως *ἐν αὐτῷ τὰ πάντα κτισθῇ, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, Θρόνοι*, Θεότητες (9), *Κυριότητες*. Ἐκπέμπεται δὲ πρὸς αὐτὴν, μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν αὐτοῦ τῶν ἀγγέλων. Τὴν δὲ Ἀχαμὼθ, ἐντραπεῖσαν αὐτὸν, λέγουσι πρῶτον μὲν κάλυμμα ἐπιθέσθαι δι' αἰδῶ, μετέπειτα δὲ ἰδοῦσαν αὐτὸν σὺν ὅλῃ τῇ καρποφορίᾳ αὐτοῦ, προσδραμεῖν αὐτῷ, δύναμιν λαβοῦσαν ἐκ τῆς ἐπιφανείας αὐτοῦ. Κἀκεῖνον μορφῶσαι αὐτὴν μόρφωσιν τὴν κατὰ γνῶσιν, καὶ ἴασιν τῶν παθῶν ποιήσασθαι αὐτῆς, χωρίσαντα δ' αὐτὰ αὐτῆς, μὴ ἀμελήσαντα δὲ αὐτῶν. Οὐ γὰρ ἦν δυνατὰ ἀφανισθῆναι, ὡς τὰ τῆς προτέρας (10), διὰ τὸ ἐκτικὰ ἤδη, καὶ δυνατὰ εἶναι· ἀλλ' ἀποκρίναντα χωρῆσει τοῦ συγχέαι (11) καὶ πῆξαι, καὶ ἐξ ἀσωμάτου πάθους εἰς ἀσώματον τὴν ὕλην (12) μεταβαλεῖν αὐτά· εἶθ' οὕτως ἐπιτηδειότητα, καὶ φύσιν ἐμπεποιηκέναι αὐτοῖς, ὥστε εἰς συγκρίματα καὶ σώ-

BILLII INTERPRETATIO.

aptabilitatem et naturam fecisse in eis, ut in con-

[23] Coloss. I, 16.

(1) *Patre*. Ita cod. Clarom. et editt. Feuard. ac Oxon. In Eras. autem, Gall. et Ottobon. vitiose, *Patris*. Codices Anglicanos hic mendosos esse monet Grabius.

(2) *Reveritam eum.... coopertionem*. Ex Græca lectione et R. P. Frontonis judicio *reveritam eum* pro *eam*, et *coopertionem* pro *cooperationem* substituit Feuardentius. Priorem emendationem confirmat cod. Pass., posteriorem Arund., utramque Voss. et Clarom.

(3) *Imposuisse*. Editt. Eras. Gall. et Feuard. addunt *ei*. Sed hanc vocem delemus, quia deest in Claromont. Voss. et Merc. 2, necnon in Græco textu, et Valentinianorum sensui repugnat. Scripsit Tertull. c. 16, *Velamen sibi obduxit*, melius quidem, si suffragarentur mss. Neque enim Jesus Achamothæ, sed ipsa sibi Achamotha velamen imposuit. Saltem igitur *sibi* post *imposuisse* subintelligas.

(4) *Eum neglexisse*. Sic omnes mss. cum editt. Eras. et Gall. At Græcam lectionem secutus Feuardentius pro *eum* substituit *eas*. Sed frustra : quidvis enim legerit interpres, sive αὐτόν, sive αὐτῶν, *eas* satis subintelligitur. Sensus igitur est : *et non eum neglexisse eas*, scilicet passiones.

(5) *Prioris*. Sic mss. Clarom. Arund. et Merc. 2 cum editt. Eras. Gall. Oxon. et textu Græco ; mirum autem quod scribit Feuard. loco *prioris* reposuisse se *priores* ex veteri cod. et Græca lectione. Veterem quidem codicem habuisse *priores*, non negaverim; nam ita habet cod. Pass. At in Græco distincte legitur τὰ τῆς προτέρας, non τὰ πρότερα. Vide notam 10 infra.

(6) *Eo quod jam habilia et possibilia essent*. Si Græcis minus hæsisset interpres, et ad vocis Latinæ *passiones* genus attendisset, scripsisset saltem, *habiles et possibiles*. Sed nec sic Græcorum sensum assecutus fuisset. Vertendum erat, *eo quod in habitum jam cessissent, ac robur contraxissent*.

(7) *In incorporalem*. Sic cum Grabio restituimus, codd. Arund. Clarom. et textum Græcum secuti. In cæteris editis perperam habetur *in corporalem*. Vid. not. 12 infra.

(8) *Καὶ τῶν Αἰώνων δεόμενος*. Lege cum Billio et Petavio, καὶ τῶν Αἰώνων δὲ ὁμοίως, sic enim vetus interpres : *et Æonibus autem similiter*, scilicet virtutem omnem Jesu tradentibus. Hæc autem verba, inquit optime Grabius, minus recte Tertullianus ita accepit, quasi Jesu Paracleto suprema potestas omnium, *etiam Æonum*, non autem *ab Æonibus* data fuerit ; unde cap. 16 reddidit : *Largito ei Patre universorum Æonum summam potestatem, subjiciendis eis omnibus, ut in ipso*, etc. Ubi tamen legi mallem, *subjiciendis ei omnibus*, etc.

(9) *Θεότητες*. Hanc vocem Apostoli verbis addidere Valentiniani. Id satis significat Theodoretus, subjungens, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, *ut ipsi dicunt* : quibus ostendit a solis istis hæreticis sic lecta fuisse Pauli verba. Porro Θεοτήτων nomine intelligebant, tum Demiurgum ipsum, tum angelos et archangelos inferioris ogdoadis ; quos cum ad imaginem superiorum Æonum factos esse vellent, ut infra explicat Irenæus, et veluti secundarios quosdam Æonas, illis et deitatem affingebant.

(10) *Τῆς προτέρας*. Sophiæ scilicet matris ejus. Tertull. cap. 16 : *Ab omnibus injuriis passionis expumicat, non eadem negligentia in exterminium discretis, quæ acciderat in casibus matris*.

(11) *Χωρήσει τοῦ συγχέαι*. Recte monet Billius, cum veteri interp. legendum esse, χωρὶς συγχέαι, separatim commiscuisse. Sic certe intellexit Tertull. cap. 16; *Massaliter solidata defixit seorsum*.

(12) *Ἀσώματον τὴν ὕλην*. Legendum vult Billius ἐνσώματον, ex veteri, inquit, interp. et Tertulliano. Hunc quidem ita legisse facile concesserim ; scribit enim, *in materiæ corporalem paraturum*. At non ita vetus interpres. Billium deceperunt edita, in quibus habetur, *in corporalem materiam*. Sed restituendum ex melioris notæ codd. mss. *in incor-*

Digitized by Google

ματα ἐλθεῖν, πρὸς τὸ γενέσθαι δύο οὐσίας, τὴν φαύλην τῶν παθῶν (1), τήν τε τῆς ἐπιστροφῆς ἐμπαθῆ· καὶ διὰ τοῦτο δυνάμει τὸν Σωτῆρα δεδημιουργηκέναι (2) φάσκουσι. Τήν τε Ἀχαμὼθ (3) ἐκτὸς πάθους γενομένην, καὶ συλλαβοῦσαν τῇ χαρᾷ τῶν ἐν αὐτῷ φώτων τὴν θεωρίαν, τουτέστι τῶν ἀγγέλων τῶν μετ' αὐτοῦ, καὶ ἐγκισσήσασαν αὐτοὺς, κεκυηκέναι καρποὺς κατὰ τὴν εἰκόνα διδάσκουσι, κύημα πνευματι-

A gregationes (4) et corpora venirent, uti fierent duæ substantiæ, una quidem mala ex passionibus, altera autem conversionis, passibilis (5) : et propter hoc virtute Salvatorem fabricasse (6) dicunt. Hanc autem Achamoth extra passionem factam concepisse de gratulatione (7) eorum, **23** quæ cum eo sunt (8), luminum visionem (9), id est angelorum, qui erant cum eo, et delectatam in conspectu eorum (10) pe-

BILLII INTERPRETATIO.,

naturam attulit, ut in concretiones et corpora venirent, efficerenturque duæ essentiæ, altera mala, quæ ex passionibus exstitisset, altera autem passionibus obnoxia, quæ ex conversione orta esset. Quæ etiam ipsa causa est, cur Salvatorem potentia fabricasse dicant. Achamoth autem affectu suo liberatam, præ lætitia contemplationem luminum eorum, quæ cum ipso erant, hoc est angelorum, quos ipse comites

poralem materiam, ut in notis ad text. Lat. diximus. Græcam lectionem confirmant Excerpta Clementis ex. Or. Did. p. 796. Πρῶτον οὖν ἐξ ἀσωμάτου πάθους καὶ συμβεβηκότος εἰς ἀσώματον ἐπὶ (delenda omnino hæc præpositio) τὴν ὕλην αὐτὰ μετήντλησεν καὶ μετέβαλεν. *Primum itaque ex incorporali et accidenti passione in incorporalem materiam ea transfudit, atque commutavit.* Confirmat ipse Irenæus scribens paulo post, Demiurgum, cum separasset duas substantias confusas, ex incorporalibus, ἐξ ἀσωμάτων, corporalia fecisse. Nec mirum materiam a Valentinianis dictam fuisse incorporalem : id a Platonicis acceperant, quorum frequens hæc erat assertio. Plotinus Ennead. III, lib. VI, c. 7, de ὕλῃ agens, ait, ἔστι μὲν οὖν ἀσώματος, *est igitur incorporea;* et mox, τοῦ ὀνόματος τετύχηκε τοῦ αὐτοῦ κατὰ τὸ ἀσώματον, *hanc ipsam appellationem secundum incorporeum genus sortita est.* Rationem hanc affert, ἐπείπερ τὸ σῶμα ὕστερον καὶ σύνθετον, καὶ αὐτὴ (ἡ ὕλη) μετ' ἄλλου ποιεῖ σῶμα, *quoniam corpus materia posterius est, atque compositum, et ipsa una cum alio corpus efficit.* Nimirum cum materiam priorem natura, et simpliciorem vellent esse, quam ipsum corpus, nec corpus fieri nisi per advenientem formam, qua compleatur; eam a corpore distinguebant, ut partem a toto, incorporeamque dicebant. Uno verbo incorporea est materia, secundum Platonicos, quia suapte natura et secundum se spectata, ἄποιός ἐστι, *qualitatum corporearum expers est*, ut vocat idem Plotinus Ennead. II, l. IV, cap. 8. Unde concludit, καὶ ὅτι μὲν μὴ σῶμα, εἴπερ ἄποιος, δῆλον, *quod si materia qualitatis expers est, corpus non esse patet.* Corpus enim in certa quadam qualitatum congerie consistit, ac proinde (σύνθετον) *compositum est;* materia vero ἁπλοῦν καὶ ἕν τι τῇ αὐτῆς φύσει· οὕτω γὰρ πάντων ἔρημος, *simplex est et unum quid suapte natura; sic enim omnium vacua*, quamvis tamen omnium capax. Hinc Plato in *Timæo* materiam vocat ἄμορφον καθ' αὑτὴν, καὶ ἀσχημάτιστον, δεχομέναν δὲ πᾶσαν μορφάν, *ab omni forma et figura per se immunem et liberam, quaslibet tamen formas recipientem.* Idipsum est quod ex Valentinianorum hypothesi scribit Irenæus, Enthymeseos passiones *in incorporalem materiam* translatas, *aptabilitatem et naturam* sortitas fuisse, *ut in concretiones et corpora venirent.* Ex quo enim supponitur ea materia ἀσώματος et ἄποιος, eo ipso ostenditur formarum omnium corporearum capax.

(1) *Τὴν φαύλην τῶν παθῶν*, etc. Lego τὴν φαύλην ἐκ τῶν παθῶν, ut legisse videtur interpres, et eamdem particulam ἐκ membro sequenti addo, τήν τε ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς, quamvis non legerit interpres. Sed saltem subintelligere debuit.

(2) *Δεδημιουργηκέναι.* Subintellige τὰ πάντα, vel similem vocem, inquit Grabius.

(3) *Τήν τε Ἀχαμώθ*, etc. Ex Billio lege, τὴν δὲ Ἀχαμώθ, et linea seq. σὺν αὐτῷ pro ἐν αὐτῷ.

(4) *Congregationes.* Græce Συγκρίματα, quæ Billius melius vertit, *concretiones.*

(5) *Passibilis.* Sic ex Græca lectione Feuardentius edidit, monita secutus Front. Ducæi. Mss. vero omnes, cum editt. Eras. et Gall. habent *passibile.* Feuardentii lectionem confirmat Tertull. scribens c. 17, *de conversione passionali*, id est passionibus obnoxia.

(6) *Virtute Salvatorem fabricasse.* Sic iterum ex Græco restituit Feuardentius a Frontone monitus, pro *virtutem*, quod perperam exstat in editt. Eras. et Gall. et in omnibus mss. nostris. Neque enim *virtutem* Salvator, sed *virtute*, seu potentia sua *fabricasse omnia* dicebatur a Valentinianis.

(7) *Concepisse de gratulatione.* Sic recte Grabius edidit ex editt. Eras. et Gall. nec non ex mss. Arund. Voss. et Merc. 2, concinit et Clarom. In edit. vero Feuard. male inserta particula *et* ante *de*, quæ sensum omnino turbat. Cæterum Græca haud feliciter reddidit interpres, nec mirum, cum Billius ipse, vir Græce doctus, fateatur se diutius hic hæsisse. Cum enim id primum existimaret, συλλαβεῖν hoc loco idem esse quod *concipere*, non videbat quænam esset hæc *contemplationis angelorum conceptio;* cum maxime Achamoth aliquanto inferius *non contemplationem peperisse*, sed κατὰ τὴν εἰκόνων θεωρίαν fetum edidisse scribatur. Accedebat quod si hic συλλαβεῖν idem esset quod *concipere*, conceptio congressum antecederet; id quod vel cogitare absurdum est. Sed demum deprehendit vir eruditus, hoc loco συλλαβεῖν τὴν θεωρίαν, nihil aliud significare, quam θεωρεῖν, *videre, contemplari, visu assequi* seu *percipere;* quod verissimum est. Quare interpreti vertendum erat : *Hanc autem Achamoth a perturbatione liberam, præ gaudio* (et non barbare, *de gratulatione*) *lumina ea, quæ cum ipso erant, hoc est angelos, quos ipse comites habebat, contemplatam*, seu *visu apprehendentem*, etc.

(8) *Quæ cum eo sunt.* Sic partim ex Græco, partim ex codd. Clarom. et Arund. restituimus, pro *quæcunque sunt luminum*, ut perperam exstat in omnibus aliis cum mss. tum editis. In Græco siquidem legendum esse σὺν αὐτῷ, ex Billio diximus. In codd. vero Clarom. et Arund. habetur, *quæ cum sunt*, voce *eo* procul dubio per incuriam scribæ omissa. Quare hanc ex Græco supplere non dubitavimus, id exigente sensu.

(9) *Luminum visionem.* Mss. Clarom. et Pass. *luminum visione.*

(10) *Delectatam in conspectu eorum.* Codd. Clarom. Pass. et Voss. pro *conspectu* habent *conceptu.* Sed prior lectio præferenda videtur. Id enim sibi vult Irenæus, Achamotham, libidinose aspicientem angelos, concepisse : ἐγκισσήσασαν αὐτούς, quod vertit interpres, *delectatam in conspectu eorum;* modeste quidem, quamvis non satis ἐνεργῶς, nam paulo major vis verbi ἐγκισσάω. Tertullianus cap. 17 : *Præ gaudio enim tanti ex infelicitate successus concep-*

Digitized by Google

perisse fructus secundum illius imaginem (1) docent, partum spiritualem secundum similitudinem factum satellitum Salvatoris.

κὸν καθ' ὁμοίωσιν, γεγονότων (8) τῶν δορυφόρων τοῦ Σωτῆρος.

CAPUT V.

Formatur Demiurgus. Quis et qualis ille? Hic cæterorum omnium, quæ sunt extra Pleroma, conditor.

1. Tria igitur hæc cum subsistant, secundum eos, unum quidem ex passione, quod erat materia; alterum vero de conversione, quod erat animale; alterum vero quod enixa est, quod est spirituale, sic conversa est in formationem ipsorum. Sed spiritale quidem non potuisse eam formare, quoniam ejusdem substantiæ ei erat (2). Conversam autem in formationem ejus, quæ facta erat de conversione ejus, animalis substantiæ, emisisse quoque a Salvatore doctrinas. Et primo quidem formasse eam de animali substantia dicunt Deum Patrem et Salvatorem (3), et regem omnium ejusdem substantiæ ei, id est animalium, quas dextras vocant; et eorum quæ ex passione et ex materia, quas sinistras (4) dicunt. Ea enim quæ post eum sunt (5), eum dicunt formasse 24 latenter motum a matre sua. Unde et Metropatorem, et Apatorem (6), et Demiurgum eum, et Patrem (7) vocant; dextrorum

1. Τριῶν οὖν ἤδη τούτων ὑποκειμένων κατ' αὐτοὺς, τοῦ μὲν ἐκ τοῦ πάθους, ὃ ἦν ὕλη, τοῦ δὲ ἐν τῇ ἐπιστροφῇ, ὃ ἦν τὸ ψυχικὸν, τοῦ δὲ ὃ ἀπεκύησε, τουτέστι τὸ πνευματικὸν, οὕτως ἐτράπη ἐπὶ τὴν μόρφωσιν αὐτῶν. Ἀλλὰ τὸ μὲν πνευματικὸν μὴ δεδυνῆσθαι αὐτῇ (9) μορφῶσαι, ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ· τετράφθαι δὲ ἐπὶ τὴν μόρφωσιν τῆς γενομένης ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς αὐτῆς ψυχικῆς οὐσίας, προβαλεῖν τε τὰ παρὰ τοῦ Σωτῆρος μαθήματα (10), καὶ πρῶτον μεμορφωκέναι αὐτὴν ἐκ τῆς ψυχικῆς οὐσίας λέγουσι, τὸν Πατέρα καὶ βασιλέα πάντων, τῶν τε ὁμοουσίων αὐτῷ, τουτέστι τῶν ψυχικῶν, ἃ δὴ δεξιὰ καλοῦσι, καὶ τῶν ἐκ τοῦ πάθους, καὶ τῆς ὕλης, ἃ δὴ ἀριστερὰ καλοῦσι (11). Πάντα γὰρ τὰ κατ' αὐτὸν (12) φάσκουσι μεμορφωκέναι (13), λεληθότως κινούμενον ὑπὸ τῆς μητρός· ὅθεν καὶ Μητροπάτορα (14), καὶ Ἀπάτορα, καὶ Δημιουργὸν αὐτὸν, καὶ Πατέρα καλοῦσι· τῶν μὲν δεξιῶν πατέρα λέγον-

BILLII INTERPRETATIO.

habebat, arripuisse: cumque ipsis congressam, fructus secundum imaginem peperisse docent, partum videlicet spiritualem, ad similitudinem effectum satellitum Salvatoris.

CAPUT V.

1. Tribus igitur his, de eorum sententia, in ortum productis, uno nimirum ex passione, quod erat materia; altero ex conversione, quod erat animale; tertio, quod ipsa in lucem ediderat, hoc est spirituali; ad formam ipsis afferendam postea se convertisse. Verum id, quod spirituale erat, haudquaquam ab ipsa informari potuisse, quoniam ejusdem cum ea essentiæ erat. Itaque ad animalis essentiæ, quæ de ipsius conversione ortum habuerat, formationem se contulisse, ac disciplinas eas, quæ a Salvatore profectæ sunt, in lucem edidisse. Ac primum ex animali substantia parentem, et regem omnium, tam quæ

facta, simulque contemplatione ipsa angelicorum luminum, ut ita dixerim, subfermentata, pudet, sed aliter exprimere non est, quodammodo subavit intra se ipsa in illos. Et conceptu statim intumuit spiritali ..... Peperit denique.

(1) *Secundum illius imaginem.* Vel dele vocem *illius*, cui nihil prorsus in Græco respondet; vel ejus loco scribe, *illorum. Ad imaginem ipsam* dixit Tertullianus.

(2) *Quoniam ejusdem substantiæ ei erat. Fere enim paria et consubstantiva, in alterutrum valere societas naturæ negavit*, ait Tertull. c. 18.

(3) *Et Salvatorem.* Expunge has voces quæ non exstant in Græco.

(4) *Quas dextras..... quas sinistras.* Ita edidit. Eras. Gall. et Oxon. cum mss. Clarom. Arund. Voss. et Merc. 2. Subintellige autem *substantias*, vel *res;* seu melius ex Græco lege, *quæ dextra .... quæ sinistra;* et non cum Feuardentio vitiose omnino, *quas dextra.... quas sinistra.*

(5) *Ea enim quæ post eum sunt.* Ex Græco et Tertull. *omnia enim quæ post eum sunt.*

(6) *Et Apatorem.* Hæ voces desunt in Clarom. cod. Idem *Apatoris* cognomen non memorat Tertull. cap. 18.

(7) *Patrem.* Ita recte ex Voss. (cui consentit Clarom.) et Græco posuit Grabius pro *fratrem.*

(8) *Γεγονότων.* Sic cod. Reg. et Basileensis Epiphanii editio, cum Gall. et Feuard. Irenæi edidit. Unde mirum a Petavio et Grabio scriptum γεγονότως, quod longe pejus est quam γεγονότων. Neutrum quidem bonum est, sed legendum esset cum vet. interp. γεγονός· at donec suffragentur mss. codd. legere præstat γεγονότων.

(9) *Μὴ δεδυνῆσθαι αὐτῇ.* Mallem cum Petavio, μὴ δεδυνῆσθαι αὐτήν.

(10) *Προβαλεῖν τε τὰ παρὰ τοῦ Σωτῆρος μαθήματα.* Ut scilicet, ait Grabius, hæc formatio non esset tantum κατ' οὐσίαν, sed et κατὰ γνῶσιν, ut supra formatio matris Achamoth distinguebatur.

(11) *Δεξιὰ καλοῦσι... ἀριστερὰ καλοῦσι.* Hæc a Pythagoreis accepta, qui Plutarcho teste in lib. *De Isi et Os.* duplex rerum naturalium principium distinguebant; alterum bonum, quod dextrum et lucidum, alterum malum, quod sinistrum et tenebrosum vocabant. Cum enim animalis substantia *ex conversionis motu* ortum duxisset, hanc bonam et dextram putabant Valentiniani, utpote quæ ex bono motu initium duceret; cum vero materia *ex passione*, id est ex anxietate, tristitia et metu orta esset, hanc malam et sinistram existimabant, quod conturbati, nec sui compotis animi motibus originem acceptam referret. Dextra siquidem pars felix et bene ominata, sinistra infelix et infausta a veteribus dicebatur. *Quid tam dextro pede concipis, ut te conatus non pœniteat?* Juvenal., sat. x.

(12) *Τὰ κατ' αὐτόν.* Τὰ μετ' αὐτόν legi volunt Billius et Petavius; τὰ κάτω αὐτόν, Grabius. Quin vetus interpres et Tertullianus legerint, μετ' αὐτόν, dubitari non potest; scribit enim uterque, *post illum.*

(13) *Μεμορφωκέναι* Hinc mendum irrepsisse putat Billius in ea Theodoreti verba edit. Sirmond. p. 200, πάντα γὰρ αὐτὸν τὰ ὁρώμενα ἰδιοποιῆσαί φασι, ac pro ἰδιοποιῆσαι legendum esse εἰδοποιῆσαι. At non repugnat vox ἰδιοποιῆσαι Valentinianorum hypothesi, qui paulo post apud Irenæum dicunt, Demiurgum existimantem omnia se *a semetipso in totum fabricasse*, sibi finxisse se solum *omnia esse;* quod est πάντα ἰδιοποιῆσαι, omnia sibi vindicasse, seu omnium creationem sibi tribuisse.

(14) *Μητροπάτορα καὶ Ἀπάτορα.* Μητροπάτορα·

Digitized by Google

τες αὐτὸν, τουτέστι τῶν ψυχικῶν· τῶν δὲ ἀριστερῶν, τουτέστι τῶν ὑλικῶν, Δημιουργὸν, συμπάντων δὲ βασιλέα. Τὴν γὰρ Ἐνθύμησιν ταύτην βουληθεῖσαν εἰς τιμὴν τῶν Αἰώνων τὰ πάντα ποιῆσαι, εἰκόνας λέγουσι πεποιηκέναι αὐτῶν, μᾶλλον δὲ τὸν Σωτῆρα δι' αὐτῆς. Καὶ αὐτὴν μὲν ἐν εἰκόνι (1) τοῦ ἀοράτου Πατρὸς τετηρηκέναι, μὴ γινωσκομένην ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ· τοῦτον δὲ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, τῶν δὲ λοιπῶν Αἰώνων τοὺς ὑπὸ τούτων (2) γεγονότας ἀρχαγγέλους τε καὶ ἀγγέλους.

2. Πατέρα οὖν καὶ Θεὸν λέγουσιν αὐτὸν γεγονέναι τῶν ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος, ποιητὴν ὄντα πάντων ψυχικῶν τε καὶ ὑλικῶν. Διακρίναντα γὰρ τὰς δύο οὐσίας συγκεχυμένας, καὶ ἐξ ἀσωμάτων σωματοποιήσαντα, δεδημιουργηκέναι τά τε οὐράνια, καὶ τὰ γήϊνα, καὶ γεγονέναι ὑλικῶν καὶ ψυχικῶν, δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν δημιουργὸν, κούφων καὶ βαρέων, ἀνωφερῶν καὶ κατωφερῶν. Ἑπτὰ γὰρ οὐρανοὺς κατεσκευακέναι, ὧν ἐπάνω τὸν Δημιουργὸν εἶναι λέγουσι· καὶ διὰ τοῦτο Ἑβδομάδα καλοῦσιν αὐτὸν, τὴν δὲ μητέρα τὴν Ἀχαμὼθ, Ὀγδοάδα, ἀποσώζουσαν τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἀρχεγόνου (3), καὶ πρώτης (4) τοῦ Πληρώματος Ὀγδοάδος. Τοὺς δὲ ἑπτὰ οὐρανοὺς, οὐκ εἶναι νοητοὺς (5)

quidem Patrem dicentes eum, id est psychicorum; sinistrorum vero, id est hylicorum, Demiurgum: omnium autem regem. Hanc enim Enthymesin volentem in Æonum honorem omnia facere, imagines (6) dicunt fecisse ipsorum, magis autem Salvatorem per ipsam. Et ipsam quidem in imagine invisibilis Patris conservasse incognitam a Demiurgo: hunc autem unigeniti Filii (7); reliquorum vero Æonum eos, qui ab hoc facti sunt angeli et archangeli.

2. Patrem itaque (8) et Deum dicunt factum eorum quæ sunt extra Pleroma (9), fabricatorem esse (10) omnium psychicorum et hylicorum. Separantem enim duas substantias confusas, et de incorporalibus corporalia facientem, fabricasse quæ sunt cœlestia et terrena, et factum hylicorum et psychicorum, dextrorum et sinistrorum fabricatorem, levium et gravium, sursum advolantium et deorsum devergentium; septem quoque cœlos fecisse, super quos Demiurgum esse dicunt. Et propter hoc Hebdomadam vocant eum, matrem autem Achamoth, Ogdoada, servantem numerum primogenitæ et primariæ Pleromatis Ogdoadis. Septem

BILLII INTERPRETATIO.

eamdem cum ipso essentiam habent, hoc est psychicorum, quæ etiam dextra appellant, quam quæ ex passione et materia procreata sunt, quæ quidem sinistra vocant, informasse. Hunc enim omnia, quæ post eum exstiterunt, ita formasse asserunt, ut occulte, ac nihil ejusmodi sentiens, a matre impelleretur. Quocirca et Metropatorem, et Apatorem, et Demiurgum, ac Patrem eum nuncupant; dextrorum quidem, hoc est psychicorum Patrem eum dictitantes; sinistrorum autem, hoc est hylicorum opificem, omnium vero regem. Hanc enim Enthymesin, ad Æonum honorem cuncta efficere cupientem, imagines eorum effecisse tradunt, vel potius Salvatorem opera ipsius. Ab eo enim ipsam quidem in invisibilis Patris imagine ita conservatam esse, ut Demiurgo prorsus ignota esset; hunc autem in Monogenis filii imagine, in reliquorum vero Æonum, archangelos et angelos ex ipso procreatos.

2. Itaque Patrem eum, ac Deum eorum, quæ extra Pleroma sunt, exstitisse dicunt, utpote omnium tam psychicorum, quam hylicorum effectorem. Distinctis enim duabus illis essentiis ante confusis, atque ex incorporeis in corporeas immutatis, tam cœlestia, quam terrestria condidisse, et hylicorum

sic rerum omnium opificem vocabant Chaldæi apud Orpheum, citatum a Clemente Alex., l. v *Strom.*, p. 608 : Ἄφθιτε μητρόπατορ, οὗ θυμῷ πάντα δονεῖται· Ὃς κινεῖς ἀνέμους, etc. *Incorrupte Matripater, qui cuncta volvis animo: Qui ventos moves.* Porro μητροπάτωρ Græcis avus maternus est, seu matris pater; et ita dictus Demiurgus, quod naturæ omnium matris parens esset. Idem ἀπάτωρ a Valentinianis dictus fuit quod a matre Achamoth sine patre productus esset; in hoc Vulcano poetarum similis, qui ab iisdem etiam ἀπάτωρ dicebatur, quod a Junone sola productus esset.

(1) Ἐν εἰκόνι, etc. Hic εἰκόνα, et consequenter in textu Latino *imaginem* pro *in imagine*, legi vult Pamelius ad c. 19 Tert. *adv. Val.*; sed frustra. Modo in priori hoc commate subintelligas, ἑαυτήν, in Latino *seipsam*, in sequentibus vero, ἐν εἰκόνι τετηρηκέναι, *in imagine conservasse*, apertus est sensus: scilicet, Enthymesin in imagine invisibilis Patris conservasse seipsam incognitam a Demiurgo; Demiurgum autem conservasse in imagine unigeniti Filii, angelos vero et archangelos conservasse in imagine reliquorum Æonum.

(2) *Τούτων*. Τούτου legit Billius ex veteri interprete, et Tertulliano.

(3) *Τοῦ ἀρχεγόνου*. Lege cum interprete, τῆς ἀρχεγόνου.

(4) *Πρώτης*. Sic cod. Reg. cum editt. Gall. et Feuard., et sic etiam legit interpres. In cæteris cum Epiphanii, tum Irenæi editt., vitiose πρὸ τῆς.

(5) *Οὐκ εἶναι νοητούς*. Lege, οὓς εἶναι νοερούς, sic enim legisse videtur interpres; nam vertit, *quos intellectuales* (non *intelligibiles*) *esse dicunt*. Et quidem vocem νοερούς, quæ Billio præ νοητούς jure merito arridet, a Tertulliano lectam fuisse perspicuum est: *Cœlos autem*, inquit cap. 20, *noeros deputant, et interdum angelos eos faciunt.* Hancque lectionem cum apud Irenæum, tum apud Tertullianum exigit ipsa Valentinianorum hypothesis. Volebant enim cœlos *intellectuales esse*, non eo sensu quod intelligentia tantum comprehenderentur, sed quod sensu et intelligentia præditi essent, utpote qui angeli essent, id est ab angelis regerentur. Hinc paradisum *supra tertium cœlum existentem, virtute archangelum quartum esse* statuebant. Id commentum iterum acceperant a Platonicis, qui cœlos anima intellectuali præditos esse sentiebant. Legantur Plotinus Ennead. II, lib. II, et ea quæ in prima Dissertatione nostra de hæresi Valentiniana diximus.

(6) *Imagines*. Ita Feuard. ex Græco et Tertulliano. Male autem editt. Eras. et Gall. nec non mss. omnes habent *imaginem*.

(7) *Hunc autem unigeniti Filii*. Scil. *in imagine*. Sic restituit Feuard. ex cod. vet. et lectione Græca; delevit vero, *hunc autem unigenitum*. Codd. omnes mss. recte habent, *hunc autem unigeniti*; sed male *Filium* pro *Filii*.

(8) *Patrem itaque*, etc. Lege ex Græco, *itaque Patrem eum et Deum dicunt factum esse eorum*, etc.

(9) *Pleroma*. In mss. omnibus ac editt. Eras. et Gall. male, *Pleromata*. *Pleroma* reposuit Feuardentius ex Græco.

(10) *Fabricatorem esse*, etc. Deleto *esse*, lege, *utpote fabricatorem omnium psychicorum*, etc.

Digitized by Google

autem cœlos, quos intellectuales esse dicunt, angelos autem eos tradunt, et Demiurgum et ipsum angelum, Deo autem similem (1), quemadmodum 25 et paradisum supra tertium cœlum exsistentem virtute archangelum quartum (2) dicunt esse, et ab hoc aliquid accepisse Adam conversatum in eo.

3. Hæc autem Demiurgum dicunt a semetipso quidem putasse in totum (3) fabricasse; fecisse autem ea Achamoth (4). Cœlum enim fecisse nescientem cœlum, et hominem plasmasse ignorantem hominem, terram autem ostendisse non scientem terram, et in omnibus sic dicunt ignorasse eum figuras eorum, quæ faciebat, et ipsam matrem, semetipsum autem putasse (5) omnia esse. Causam autem ei fuisse matrem ejus talis opinationis (6) dicunt, quæ sic voluerit producere eum : caput quidem et initium suæ substantiæ, dominum autem universæ operationis. Hanc autem matrem et Ogdoadem vocant, et Sophiam, et Terram, et Hierusalem, et Spiritum sanctum, et Dominum masculiniter. Habere autem medietatis locum eam, et

A φασιν, ἀγγέλους δὲ αὐτοὺς ὑποτίθενται, καὶ τὸν Δημιουργὸν δὲ καὶ αὐτὸν ἄγγελον Θεῷ ἐοικότα, ὡς καὶ τὸν παράδεισον ὑπὲρ τρίτον οὐρανὸν ὄντα, τέταρτον ἄγγελον λέγουσι δυνάμει ὑπάρχειν, καὶ ἀπὸ τούτου τι εἰληφέναι τὸν Ἀδὰμ διατετριφότα ἐν αὐτῷ.

3. Ταῦτα δὲ τὸν Δημιουργὸν φάσκουσιν ἀφ' ἑαυτοῦ μὲν ᾠῆσθαι κατασκευάζειν, πεποιηκέναι δ' αὐτὰ τῆς Ἀχαμὼθ προβαλλούσης· οὐρανὸν πεποιηκέναι, μὴ εἰδότα τὸν οὐρανόν· καὶ ἄνθρωπον πεπλακέναι, μὴ εἰδότα τὸν ἄνθρωπον· γῆν τε δεδειχέναι, μὴ ἐπιστάμενον τὴν γῆν· καὶ ἐπὶ πάντων οὕτω λέγουσιν ἠγνοηκέναι αὐτῶν τὰς ἰδέας (7) ὧν ἐποίει, καὶ αὐτὴν τὴν μητέρα· αὐτὸν δὲ μόνον ᾠῆσθαι πάντα εἶναι. Αἰτίαν δ' αὐτῷ γεγονέναι τὴν μητέρα τῆς οἰήσεως ταύτης φάσκουσιν, τὴν οὕτω βουληθεῖσαν προαγαγεῖν αὐτὸν, κεφαλὴν μὲν καὶ ἀρχὴν τῆς ἰδίας οὐσίας, κύριον δὲ τῆς ὅλης πραγματείας. Ταύτην δὲ τὴν μητέρα καὶ Ὀγδοάδα καλοῦσι, καὶ Σοφίαν, καὶ Γῆν, καὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ Κύριον ἀρσενικῶς. Ἔχειν δὲ τὸν τῆς μεσότητος τόπον αὐτὴν,

B

BILLII INTERPRETATIO.

et psychicorum, et dextrorum et sinistrorum, et levium et gravium, et sursum tendentium ac deorsum vergentium architectum exstitisse. Septem enim cœlos ab eo conditos fuisse, supra quos eum esse aiunt. Ob idque Hebdomadem eum appellant; matrem autem illam Achamoth, Ogdoadem, servantem videlicet numerum primigenæ, ac principis illius, quæ in Pleromate est, Ogdoadis. Septem porro hos cœlos spirituales esse aiunt, angelosque ipsos statuunt, atque item Demiurgum ipsum angelum Deo similem, quemadmodum et paradisum, qui supra tertium cœlum situs est, potentia quartum angelum esse astruunt: Adamumque ab eo aliquid sumpsisse, cum in eo versaretur.

3. Atque ita quidem Demiurgum in ea opinione versatum fuisse, ut se hæc omnia ex se ipso construxisse existimaret; cæterum ea fecisse producente Achamoth. Cœlum enim condidisse, cum cœlum ignoraret; et hominem effinxisse, cum hominem nesciret; et terram patefecisse, cum terram haudquaquam nosset, atque eodem modo in omnibus rebus aiunt eum rerum earum, quas efficiebat, formas, atque adeo ipsam quoque matrem, ignorasse; atque opinionis errore hoc sibi fluxisse, se solum omnia esse. Causam autem hujusce opinionis ipsi matrem exstitisse ferunt, quod eum ita producere voluisset, caput quidem et principium essentiæ suæ, dominum autem, et arbitrum totius negotii. Hanc porro matrem, et Ogdoadem, et Sophiam, et Terram, et Hierusalem, et sanctum Spiritum, et masculino genere Dominum vocant. Versari autem in medietate, ac supra Demiurgum quidem esse, infra autem, aut extra Pleroma, usque ad consummationem.

(1) *Deo autem similem.* Expunge particulam *autem*, hic repugnante Græco insertam, ac cum Billio verte, *atque item Demiurgum ipsum angelum Deo similem.*

(2) *Virtute archangelum quartum.* Sic ex Græco restitui, id nimirum licere mihi arbitratus, quod non semel in præced. pagina, improbante nemine, sibi sumpsit Feuardentius : cum maxime codices omnes cum editi, tum mss. depravati sint, nec secum invicem consentiant. Omnes quidem habent *virtutem*, sed manifesto scribarum errato, quorum primi oscitantes cum apice perperam notassent *e* (quod sphalmatis genus non raro occurrit in mss.), secuti alteri scripserunt *virtutem*, repugnante licet sensu, et textu Græco, in quo habetur δυνάμει, non δύναμιν. In cæteris dissentiunt codd. In Feuard. edit. et in ms. Pass. legitur, *virtutem archangelum quartum;* in Eras. vero pejus, *virtutem archangeli Nun*, forte quia in cod. ms. quo usus est Erasmus, scriptum erat IV^{am}, quod perperam legit *Nun*. In Gallas. *virtutem archangeli* III. In codd. Clarom. Voss. Arund. et Merc. 2 habetur duntaxat, *virtutem archangelum*, deest vero *quartum*. Cæterum hæc longe aliter legisse videtur Tertullianus, apud quem transposita vox *virtute*, clariorem efficit sensum. *Interdum*, inquit cap. 20, *angelos eos* (cœlos) *faciunt, sicut et ipsum Demiurgum, sicut et paradisum, archangelum quartum, quoniam et hunc supra cœlum tertium pangunt, ex cujus virtute sumpserit Adam diversatus illic, etc.*

(3) *In totum.* Vel has voces de suo addidit interpres, vel quidpiam iis respondens in textu Græco omissum est.

(4) *Achamoth.* Hic mutila versio. Lege ex Græco, τῆς Ἀχαμὼθ προβαλλούσης, *Achamoth producente.*

(5) *Semetipsum autem putasse.* Ita ex Arund. et Voss. (consentientibus Clarom. et Pass.) juxta Græcum reposuit Grabius, pro *et semetipsum putasse*, ut in aliis editis legitur. Sed adde ex Græco, *semetipsum autem unum putasse.*

(6) *Opinationis.* Sic restituo, juxta Græcum τῆς οἰήσεως. Neque enim, quod ait Billius, persuadere mihi possum, interpretem legisse ποιήσεως, quod verterit, *operationis.* Crediderim potius recte legentem eum scripsisse, *opinationis;* quod oscitantes scribæ mutaverunt in *operationis*, tum ob utriusque vocis affinitatem, tum etiam quod statim sequatur *operationis.* Certe legendum esse *opinationis*, non dubitaverit quisquis attenderit ad ea quæ præcedunt, *semetipsum autem putasse omnia esse.*

(7) Ἠγνοηκέναι αὐτῶν τὰς ἰδέας. Αὐτόν cum veteri interprete legendum esse monent Fronto Duc. et Petavius. Sed αὐτόν, vel αὐτῶν legas, parum interesse puto, cum idem sit utrobique sensus.

Digitized by Google

καὶ εἶναι ὑπεράνω μὲν τοῦ Δημιουργοῦ, ὑποκάτω δὲ, ἢ ἔξω τοῦ Πληρώματος μέχρι συντελείας.

4. Ἐπεὶ οὖν τὴν ὑλικὴν οὐσίαν ἐκ τριῶν παθῶν συστῆναι λέγουσι, φόβου τε καὶ λύπης, καὶ ἀπορίας, ἐκ μὲν τοῦ φόβου, καὶ τῆς ἐπιστροφῆς τὰ ψυχικὰ τὴν σύστασιν εἰληφέναι· ἐκ μὲν τῆς ἐπιστροφῆς τὸν Δημιουργὸν βούλονται τὴν γένεσιν ἐσχηκέναι, ἐκ δὲ τοῦ φόβου τὴν λοιπὴν πᾶσαν ψυχικὴν ὑπόστασιν, ὡς ψυχὰς ἀλόγων ζώων, καὶ θηρίων, καὶ ἀνθρώπων. Διὰ τοῦτο ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὸ γινώσκειν τίνα πνευματικὰ, αὐτὸν νενομικέναι μόνον εἶναι Θεὸν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν εἰρηκέναι· Ἐγὼ Θεός, πλὴν ἐμοῦ οὐδείς. Ἐκ δὲ τῆς λύπης (1) τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας διδάσκουσι γεγονέναι· ὅθεν τὸν διάβολον τὴν γένεσιν ἐσχηκέναι, ὃν καὶ Κοσμοκράτορα καλοῦσι, καὶ τὰ δαιμόνια, καὶ τοὺς ἀγγέλους, καὶ πᾶσαν τὴν πνευματικὴν τῆς πονηρίας ὑπόστασιν. Ἀλλὰ τὸν μὲν Δημιουργὸν υἱὸν (2) τῆς μητρὸς αὐτῶν λέγουσι, τὸν δὲ Κοσμοκράτορα κτίσμα τοῦ Δημιουργοῦ. Καὶ τὸν μὲν Κοσμοκράτορα γινώσκειν τὰ ὑπὲρ αὐτὸν, ὅτι πνεῦμά ἐστι τῆς πονηρίας· τὸν δὲ Δημιουργὸν ἀγνοεῖν, ἅτε ψυχικὸν ὑπάρχοντα (3). Οἰκεῖν δὲ τὴν μητέρα αὐτῶν εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον, τουτέστιν ἐν τῇ μεσότητι· τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον (4), τουτέστιν ἐν τῇ ἑβδο-

A esse quidem super Demiurgum, subtus autem, sive extra Pleroma usque ad finem (5).

4. Quoniam quidem (6) materialem substantiam ex tribus passionibus constare dicunt, timore, et tristitia, et aporia; de timore quidem, et de conversione animalia (7) subsistentiam accepisse; de conversione quidem Demiurgum volunt genesin habuisse; de timore autem reliquam omnem animalem substantiam mutorum animalium, et hominum (8). Et propter **26** hoc superiorem eum exsistentem præscire (9) quæ sunt spiritalia, et se putasse solum Deum, et per prophetas dixisse: *Ego Deus, et præter me nemo*[24]. De tristitia autem spiritalia malitiæ docent facta: unde et diabolum genesin habuisse (quem et Cosmocratorem vocant),
B et dæmonia (10), et omnem spiritalem malitiæ substantiam. Sed Demiurgum quidem psychicum filium matris suæ dicunt, Cosmocratorem vero creaturam Demiurgi (11): et Cosmocratorem quidem intelligere ea quæ sunt supra eum, quoniam sit spiritalis malitia (12); Demiurgum vero ignorare, cum sit animalis. Habitare matrem quidem ipsorum in eo qui sit cœlestis locus (13), hoc est, in medietate; Demiurgum vero in eo, qui sit in cœlo locus, hoc est, hebdomade; Cosmocratorem vero in eo, qui sit se-

BILLII INTERPRETATIO.

4. Quoniam autem materialem essentiam ex tribus affectibus conflatam esse dicunt, nempe ex metu, et mœrore, et anxietate, hanc rationem ineunt, ut ex metu quidem et conversione ea omnia, quæ anima prædita sunt, coagmentata esse velint: Demiurgum nempe ex conversione; ex metu autem quidquid reliquum est animalis substantiæ, ut animæ brutorum animantium, et ferarum, et hominum. Ac propterea eum, quia imbecillior sit, quam ut quæ spiritualia sint cognoscere queat, se solum esse Deum existimasse, ac per prophetas dixisse: *Ego Deus, ac præter me non est alius.* Ex mœstitia autem spirituales nequitias exstitisse docent. Hinc enim et diabolum, quem et Cosmocratorem, id est, mundi principem vocant, et dæmonas, et angelos, ac spiritualem omnem nequitiæ substantiam ortum duxisse. At vero Demiurgum quidem psychicum matris suæ filium esse dicunt; Cosmocratorem autem Demiurgi opus. Et quidem Cosmocratorem, quæ supra ipsum sunt, perspecta habere, quia nequitiæ spiritus est; Demiurgum autem ignorare, quia psychicus sit. Porro matrem eorum in supercœlesti loco, hoc est in medietate,

[24] Isai. XLV, 5, 6; et XLVI, 9.

(1) *Ἐκ δὲ τῆς λύπης.* Sic recte in editt. Gall. Feuard. et Oxon. Male vero in Epiphanii editione Parisiensi et Basileensi legitur λοιπῆς, unde et vitiosa versio ibi nata.

(2) *Υἱόν.* Ψυχικὸν υἱόν legit interpres.

(3) *Ἅτε ψυχικὸν ὑπάρχοντα.* Sic recte cod. Reg. et ita legerunt vetus interpres et Tertull. In omnibus editt. male ψυχικά.

(4) *Εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον.* Postremam vocem, quam legit interpres, ex cod. Reg. addidi. Sed quod spectat ὑπερουράνιον, censet Billius legendum esse ὑπουράνιον, ut opponatur τῷ ὑπερουρανίῳ, in quo mater Achamoth sedem habet. Ast recte observat Fronto Duc. ὑπουράνιον repugnare tum verbis immediate sequentibus, τουτέστιν ἐν τῇ ἑβδομάδι, *hoc est in hebdomade*, qua voce septem cœli designantur: tum superius dictis, *super septem cœlos esse Demiurgum.* Non stat ergo cum Valentinianorum hypothesi, Demiurgum, quem in septem cœlis, vel super septem cœlos habitare fingebant

C Nec accurata, nec integra versio est. Græca sic reddenda erant: *substantiam, ut animas brutorum animantium, et ferarum, et hominum.*

(9) *Superiorem eum existentem præscire.* Græca male legit interpres: non mirum si male reddiderit. Legit enim, ut observant Billius et Fronto Duc., ἀνώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα προγιγνώσκειν, cum tamen Epiphanii lectio sensui et hypothesi Valentinianorum magis conveniat. Nam paulo post scribit Irenæus, *Demiurgum ignorare quæ sunt supra eum, cum sit animalis.* Sic ergo Græca Epiphanii cum Billio reddenda sunt: *Ac propterea eum, quia imbecillior sit, quam ut quæ spiritalia sunt cognoscere queat, se solum esse Deum existimasse.* Sic accepit Tertullianus cap. 21: *Adeo rerum non erat compos, de animali scilicet sensu, invalidus spiritalia accedere, ut se solum ratus concionaretur: Ego Deus et absque me non est.*

(10) *Et dæmonia.* Adde ex Græco: *et angelos,*
D malos scilicet.

(11) *Creaturam Demiurgi.* Ita legendum esse recte censuit Feuardentius, quia Græc. κτίσμα, et Tertullianus, *opus Demiurgi*, habent. In veteri vero cod. Feuard., in Clarom., Pass. et Ottobon., cum editt. Eras. et Gall. perperam exstat, *creatorem.*

(12) *Spiritalis malitia.* Vertendum erat, *spiritus nequitiæ.*

(13) *Cœlestis locus.* Leg. ex Græco, *supercœlestis locus;* id exigit Valentinianorum hypothesis.

(5) *Usque ad finem.* In consummatione enim dicebant, ipsorum matrem, relicto medietatis loco, Pleroma subituram, ut ait Irenæus infra cap. 7, et lib. II, cap. 29.

(6) *Quoniam quidem.* Vertendum erat, *quoniam ergo.*

(7) *Animalia.* Adjective intellige, juxta Græcum ψυχικά.

(8) *Substantiam mutorum animalium, et hominum.*

Digitized by Google

cundum nos, mundo. De expavescentia vero et aporia, quasi de vesaniori (1), corporalia, quemadmodum prædiximus, mundi elementa facta esse; terram vero secundum expavescentiæ statum, aquam vero secundum timoris motum, aerem vero secundum mœstitiæ fixionem (2); ignem vero omnibus iis inesse 27 mortem et corruptelam, quemadmodum et ignorantiam tribus passionibus inabscondam docent.

5. Cum fabricasset igitur mundum, fecit et hominem choicum, non autem ab hac arida terra, sed ab invisibili substantia, et ab effusibili et fluida materia accipientem: et in hunc insufflasse psychicum (3) definiunt. Et hunc esse secundum imaginem (4) et similitudinem factum: secundum imaginem quidem hylicum esse proximum quidem, sed non ejusdem substantiæ esse Deo; secundum

A μάδι· τὸν δὲ Παντοκράτορα (5) ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς κόσμῳ. Ἐκ δὲ τῆς ἐκπλήξεως καὶ τῆς ἀμηχανίας (6), ὡς ἐκ τοῦ ἀσημοτέρου, τὰ σωματικὰ, καθὼς προείπαμεν, τοῦ κόσμου στοιχεῖα γεγονέναι· τὴν μὲν (7) κατὰ τῆς ἐκπλήξεως στάσιν, ὕδωρ δὲ κατὰ τὴν τοῦ φόβου (τῶν δακρύων) (8) κίνησιν, ἀέρα τε κατὰ τὴν λύπης πῆξιν· τὸ δὲ πῦρ ἅπασιν αὐτοῖς ἐκπεφυκέναι (9) θάνατον καὶ φθορὰν, ὡς καὶ τὴν ἄγνοιαν τοῖς τρισὶ πάθεσιν ἐγκεκρύφθαι διδάσκουσι.

5. Δημιουργήσαντα δὴ τὸν κόσμον, πεποιηκέναι καὶ τὸν ἄνθρωπον τὸν χοϊκόν· οὐκ ἀπὸ ταύτης δὲ τῆς ξηρᾶς γῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀοράτου οὐσίας, ἀπὸ τοῦ κεχυμένου (10) καὶ ῥευστοῦ τῆς ὕλης λαβόντα· καὶ εἰς τοῦτον ἐμφυσῆσαι τὸν ψυχικὸν (11) διορίζονται. Καὶ τοῦτον εἶναι τὸν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν B γεγονότα· κατ' εἰκόνα μὲν τὸν ὑλικὸν ὑπάρχειν παραπλήσιον μὲν, ἀλλ' οὐχ ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, καθ'

BILLII INTERPRETATIO.

domicilium habere; Demiurgum autem in subcœlesti, hoc est in Hebdomade; Cosmocratorem vero in nostro hoc mundo. Postremo ex stupore et anxietate, velut ex ignobiliori stirpe, corporea, uti ante diximus, mundi elementa prodiisse: terram nimirum secundum stuporis statum, aquam secundum metus motionem, aerem secundum mœroris concretionem, ignem denique omnibus iis insitum esse mortiferum, et exitiosum; quemadmodum etiam ignorantiam hisce tribus perturbationibus abditam et occultatam esse tradunt.

5. Condito autem mundo hylicum etiam hominem effecisse, non illum quidem ex hac arida terra, sed ab invisibili essentia, et fusili, ac fluida materia sumptum, atque in eum postea psychicum insufflasse statuunt. Hunc que eum esse, qui ad imaginem et similitudinem factus sit. Hylicum enim juxta imagi-

gebant, ὑπουράνιον dici: alias confunderetur cum C Cosmocratore, qui *in eo qui sit secundum nos mundo*, ac proinde sub cœlis degebat. Sed nec etiam ὑπερουράνιος, quidquid dicat Grabius, asseri potest: nam ὑπερουράνιος τόπος proprius est matris Achamoth, nec ei convenire potest, qui in septem cœlis habitabat, vel septimo ipsi cœlo incumbebat. Quare legendum puto, εἰς τὸν ἐπουράνιον τόπον. Sic scripsisse Irenæum nullus dubito; sed festinans scriba præcedentium vocum similitudine deceptus, male legens scripsit ὑπερουράνιον. Certe ἐπουράνιον legit interpres, vertit enim, *in eo qui sit in cœlo locus*. Consentit et Tertullianus scribens cap. 23, *subest enim Demiurgus in hebdomade sua*. Et cap. 31: *Et Demiurgus tunc de hebdomade cœlesti in superiora mutabit*. Ubi dum textum emendare studet Pamelius, corrumpit. Auctoritate siquidem Billii abductus, nullis vero codd. mss. fretus, scribit, *de hebdomade subcœlesti*; cum tamen editiones omnes præcedentes haberent, *cœlesti*, et sic revera legendum sit.

(1) *Vesaniori*. Græce ἀσημοτέρου, quam vocem melius reddidisset interpres, *ignobiliori*, passione scilicet, non stirpe, ut minus bene scripsit Billius. Hinc Fronto Duc. monet emendandum esse Tertullianum cap. 23, et pro, *ex Sophiæ utilissimis casibus*, legendum *vilissimis casibus*.

(2) *Mœstitiæ fixionem*. Sic ex Græco et Tertulliano restituo, pro, *materiæ* fixionem, quod perperam habent cum editt. omnes, tum mss. Tertullianus siquidem, cap. 23, recte scribit, *si non et istum* (aerem) *Sophiæ mœstitia colasset*. Existimat Billius ὕλης pro λύπης perperam legisse interpretem. Ego vero censeo interpretem recte et legisse et scripsisse; sed imperitos vel oscitantes scribas male legentes, *mœstitiæ*, propter similitudinem litterarum, perperam commutasse in *materiæ*. Quare auctoritate cum textus Græci, tum Tertulliani motus, evidens sphalma emendare non dubitavi.

(3) *Psychicum*. Id est, *animalem hominem*. Duas enim hominis partes hic statuunt Valentiniani, alteram terrenam, quam ex *effusibili et fluida materia* condiderat Demiurgus; alteram animalem, quam insufflaverat. Hinc Tertullian. cap. 24: *Figulat ita hominem Demiurgus et de afflatu suo animat*.

(4) *Et hunc esse secundum imaginem*, etc. Non attendit interpres ad articulum τόν, qui in Græco legitur ante κατ' εἰκόνα. Vertendum igitur erat: *et hunc esse eum, qui ad imaginem et similitudinem factus sit*. Tum vitandæ ambiguitatis causa legendum: *hylicum quidem secundum imaginem esse..... psychicum vero secundum similitudinem*.

(5) *Παντοκράτορα*. Lege cum veteri interprete et Tertull. Κοσμοκράτορα: Diabolum enim intelligit Irenæus.

(6) *Ἀμηχανίας*. *Ἀπορίας* legit interpres.

(7) *Τὴν μέν*. Lege γῆν μέν cum veteri interp. et Tertull. Similitudine litterarum Γ et Τ deceptus imperitus scriba, posteriorem scripsit pro priori.

(8) *Τοῦ φόβου τῶν δακρύων*. Τῶν δακρύων deleri volunt Billius et Petavius. Existimat vero Grabius delendum potius τοῦ φόβου, quoniam, inquit, D *ex metu*, non humida, sed animalis substantia ortum traxisse modo dicebatur; ex lacrymis autem Achamothæ omnia humida profluxisse dictum est c. 4. At hic de metu sermo est, non quatenus passio est a tristitia, aporia, et conversione distincta; sed quatenus ipsius ἐκπλήξεως καὶ ἀμηχανίας, *consternationis* affectio est. Duæ enim hic memorantur passionis hujus affectiones, φόβος scilicet et λύπη, quibuscum nihil commune habent τὰ δάκρυα. Quare cum Billio et Petavio, imo et cum vet. interp. omitto τῶν δακρύων, et cum iisdem lego τὴν τοῦ φόβου κίνησιν.

(9) *Ἐκπεφυκέναι*. Lege cum interp. ἐμπεφυκέναι. Hinc Tertullianus cap. 23: *His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus est*.

(10) *Ἀπὸ τοῦ κεχυμένου*. Legit interpres, καὶ ἀπὸ τοῦ κεχυμένου. Rectum tamen absque conjunctione καί habere possunt Græca sensum, si hæc, ἀπὸ τοῦ κεχυμένου, etc., per appositionem accipiantur.

(11) *Εἰς τοῦτον ἐμφυσῆσαι τὸν ψυχικόν*. Addit Clemens ex Orientali Valentinianorum Didasc.

Digitized by Google

ὁμοίωσιν δὲ τὸν ψυχικόν· ὅθεν καὶ πνεῦμα ζωῆς τὴν οὐσίαν αὐτοῦ εἰρῆσθαι ἐκ πνευματικῆς (1) ἀπορροίας οὖσαν. Ὕστερον δὲ περιτεθεῖσθαι λέγουσιν αὐτῷ τὸν δερμάτινον χιτῶνα· τοῦτο δὲ τὸ αἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι.

A similitudinem vero psychicum; unde et spiritum vitæ substantiam ejus dictam, cum sit ex spiritali defluitione (7). Post deinde circumdatam dicunt ei dermatinam tunicam (8): hanc autem sensibilem carnem esse volunt.

6. Τὸ δὲ κύημα τῆς μητρὸς αὐτῆς (2) τῆς Ἀχαμὼθ, ὃ κατὰ τὴν θεωρίαν τῶν περὶ τὸν Σωτῆρα ἀγγέλων (3) ἀπεκύησεν ὁμοούσιον ὑπάρχον τῇ μητρὶ, πνευματικὸν, καὶ αὐτὸν ἠγνοηκέναι τὸν Δημιουργὸν λέγουσι· καὶ λεληθότως κατατεθεῖσθαι εἰς αὐτὸν, μὴ εἰδότος αὐτοῦ, ἵνα, δι' αὐτοῦ εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψυχὴν σπαρὲν, καὶ εἰς τὸ ὑλικὸν τοῦτο σῶμα κυοφορηθὲν, ἐν τούτοις καὶ αὐξηθὲν, ἕτοιμον γένηται εἰς ὑποδοχὴν τοῦ τελείου (4). Ἔλαθεν οὖν, ὡς φασι, τὸν Δημιουργὸν ὁ συγκατασπαρεὶς τῷ ἐμφυσήματι αὐτοῦ ὑπὸ τῆς Σοφίας πνευματικὸς ἀνθρώπων ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ (5). Ὡς γὰρ τὴν μητέρα ἠγνοηκέναι, οὕτω καὶ τὸ σπέρμα αὐτῆς· ὃ δὴ καὶ αὐτὸ Ἐκκλησίαν εἶναι λέγουσιν, ἀντίτυπον τῆς ἄνω Ἐκκλησίας. Καὶ τότε εἶναι τὸν ἐν αὐτοῖς ἀξιοῦσιν (6), ὥστε ἔχειν αὐτοὺς τὴν μὲν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, τὸ δὲ σῶμα ἀπὸ τοῦ χοὸς, καὶ τὸ σαρκικὸν ἀπὸ τῆς ὕλης,

6. Partum vero matris ipsorum, quæ est Achamoth, quem secundum inspectionem (9) eorum angelorum, qui sunt erga Salvatorem, generavit, existentem ejusdem substantiæ matri suæ, spiritalem (10), et ipsum (enim) ignorasse Demiurgum dicunt: et latenter depositum esse in eum, nesciente eo, uti per eum in eam, quæ ab eo esset, animam seminatum, et in materiale hoc corpus, gestatum quoque velut in utero in iis, et amplificatum, paratum fiat ad susceptionem perfectæ ratiB nis (11). Latuit igitur, quemadmodum dicunt, Demiurgum conseminatus insufflationi ejus (12) a Sophia spiritalis homo, inenarrabili virtute et providentia. Quemadmodum enim matrem suam ignoravit, sic et semen ejus. Quod etiam ipsum Ecclesiam esse dicunt, exemplum superioris Ecclesiæ (13): et hunc esse in semetipsis hominem

BILLII INTERPRETATIO.

nem esse, Deo quidem persimilem, verum non ejusdem cum eo essentiæ; psychicum autem juxta similitudinem; unde etiam vitæ spiritum, essentiam ejus dictam esse, ut quæ ex spiritali defluvio exsistat. Postea autem intextam ipsi pelliceam tunicam fuisse aiunt, hoc est, corpus hoc, quod in sensum cadit.

6. At vero partum matris ipsius Achamoth, quem ex angelorum eorum, quibus Salvatoris latus cinctum erat, contemplatione protulit, quod ejusdem cum matre essentiæ, ac spiritualis esset, ne ipsum quidem Demiurgum cognitum habuisse dicunt; sed furtim in eum nescientem depositum fuisse, ut per eum in animam ab eo conditam fusus, et in hoc materia constanti corpore, velut utero, gestatus et amplificatus, ad perfecti sermonis susceptionem aptus redderetur. Ergo ineffabili, ut ipsi aiunt, virtute ac providentia factum est, ut spiritualis homo, insciente Demiurgo, una cum ipsius insufflatione a Sophia inspersus sit. Ut enim ille matrem suam, ita ipsius quoque semen ignoravit: quod etiam ipsum Ecclesiam esse dicunt, supernæ illius Ecclesiæ imaginem. Atque hominem eum, quem fingunt, hujusmodi esse

p. 797, col. 1, animalem illum hominem a Demiurgo insufflatum, animam fuisse γεώδη καὶ ὑλικὴν, ἄλογον καὶ τῶν θηρίων ὁμοούσιον, *terrenam, et materialem, rationis expertem, et animæ ferarum consubstantialem.* Quæ consona sunt mox dicendis ab Irenæo.

(1) *Ἐκ πνευματικῆς.* Legisse videtur interpres, ἅτε ἐκ πνευματικῆς.

(2) *Μητρὸς αὐτῆς.* Αὐτῶν legit vetus interpres.

(3) *Ὁ κατὰ τὴν θεωρίαν τῶν περὶ τὸν Σωτῆρα ἀγγέλων*, etc. Notat Grab. quod ex Clemente in *Excerptis* pag. 789 et 797, partus ille spiritalis Achamothæ esset σπέρμα ἀῤῥενικόν, *semen masculinum*, ἀπόῤῥοια τοῦ ἄῤῥενος καὶ ἀγγελικοῦ, *utpote effluvium masculini et angelici generis*; σπέρμα πνευματικὸν, τῷ Ἀδὰμ ἀδήλως ἐνσπαρὲν εἰς τὴν ψυχήν, *semen spiritale a Sophia animæ Adami clanculum insitum*, ἵνα ᾖ ἡ λογικὴ καὶ οὐρανία ψυχὴ μὴ κενὴ, ἀλλὰ μυελοῦ γέμουσα πνευματικοῦ, *ut anima rationalis atque cœlestis non esset vacua, sed spiritualis medullæ plena.* Confer loca si lubet.

(4) *Τελείου.* Adde λόγου ex vet. interp. et Tertull.

(5) *Πνευματικὸς ἀνθρώπων ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ.* Ex veteri interpr. lege, πνευματικὸς ἄνθρωπος ἀῤῥήτῳ δυνάμει καὶ προνοίᾳ.

(6) *Καὶ τότε εἶναι τὸν ἐν αὐτοῖς ἀξιοῦσιν.* Sic post veterem interpretem cum Billio lege: καὶ τοῦτον εἶναι τὸν ἐν αὐτοῖς ἄνθρωπον ἀξιοῦσιν.

(7) *Defluitione.* Ita Grab. ex codd. Arund. et Merc. 2. Consentit Clarom. In Eras. et Gall. male, C *defixitione.* In Feuardentio autem ex vet. cod. satis bene, *defluxione*; licet prior vox interpretis esse videatur.

(8) *Dermatinam tunicam.* Ita ex Græco reposuit Feuardentius, pro *adamantinam*, quod perperam legitur non modo in editt. Eras. et Gall., sed et in omnibus mss. Recte vero Tertull. c. 24, reddidit, *pelliceam tunicam.*

(9) *Inspectionem.* Sic codd. Clarom. Pass. Arund. et Merc. 2, editt. *inspectationem.*

(10) *Matri suæ spiritalem.* Ita reposuit Feuard. a Frontone Duc. monitus. In editt. autem Eras. et Gall. et in mss. codd. Clarom. et Pass. perperam legitur, *matris suæ spiritalis.* Codd. Arund. Voss. et Merc. 2 hic accuratos non esse monet Grabius.

(11) *Perfectæ rationis.* Merc. 1, *perfectionis*, Tertull. pro *ratione* dixit *sermonem*; hunc secutus est Billius. Sed præferenda videtur vet. interpretis lectio, quam habent codices omnes cum editt. D tum mss.

(12) *Insufflationi ejus.* Ita Clarom. Pass. et Arund. juxta Græcum τῷ ἐμφυσήματι αὐτοῦ. Merc. 2, *insubflationi ejus.* At editt. Eras. Gall. et Feuard. minus bene *in subflatione ejus*; Græcorum sensum obscurius hic reddidit interpres; clarius Billius: *Ergo ineffabili, ut ipsi aiunt, virtute ac providentia factum est, ut spiritualis homo, insciente Demiurgo, una cum ipsius insufflatione a Sophia inspersus sit.*

(13) *Ecclesiæ. Suæ* addit Voss., *sitæ* Pass., forte pro *sitæ* aut *suæ*. Sed nihil ejusmodi habet Græcum.

Digitized by Google

volunt, uti habeant (1) animam quidem a Demiurgo, corpus autem a limo, et carneum (2) a materia, spiritalem vero hominem a matre Achamoth.

A τὸν δὲ πνευματικὸν ἄνθρωπον ἀπὸ τῆς μητρὸς τῆς Ἀχαμώθ

CAPUT VI.

Triplex hæreticorum homo. Bona opera sibi inutilia, solis Catholicis necessaria dicebant. Nullis flagitiis pollui se posse putabant. Perditi eorum mores.

1. Cum sint igitur tria (3), alterum materiale (quod etiam sinistrum vocant) ex necessitate perire dicunt, quippe cum nullam spirationem (4) incorruptelæ recipere possit : animale vero, (quod etiam dextrum appellant) cum sit medium spiritalis et materialis, illuc redigi, quocunque (5) declinaverit ; spiritale vero emissum esse, uti hic animali conjunctum formetur, coeruditum ei in conversatione. Et hoc esse dicunt *sal* (6), et *lumen mundi* [25]. Opus erat enim animali sensibilibus disciplinis. Ob quam causam et mundum fabricatum dicunt, et Salvatorem ad hoc venisse animale (7), quia suæ potestatis est, ut id salvet. Quæ enim salvaturus erat, eorum primitias (8) eum suscepisse dicunt : ab Achamoth quidem spiritale, a Demiurgo autem indutum psychicum (id est, animalem) Christum, a dispositione (9) autem circumdatum corpus, animalem habens substantiam,

1. Τριῶν οὖν ὄντων, τὸ μὲν ὑλικὸν, ὃ καὶ ἀριστερὸν καλοῦσι, κατὰ ἀνάγκην ἀπόλλυσθαι λέγουσιν, ἅτε μηδεμίαν ἐπιδέξασθαι (10) πνοὴν ἀφθαρσίας δυνάμενον· τὸ δὲ ψυχικὸν, ὃ καὶ δεξιὸν προσαγορεύουσιν, ἅτε μέσον ὂν τοῦ τε πνευματικοῦ καὶ ὑλικοῦ, ἐκεῖσε χωρεῖν, ὅπου ἂν καὶ τὴν πρόσκλισιν ποιήσηται· τὸ δὲ πνευματικὸν ἐκπεπέμφθαι, ὅπως ἐνθάδε τῷ ψυχικῷ συζυγὲν μορφωθῇ, συμπαιδευθὲν αὐτῷ ἐν τῇ ἀναστροφῇ. Καὶ τοῦτ' εἶναι λέγουσι *τὸ ἅλας*, B καὶ *τὸ φῶς τοῦ κόσμου*. Ἔδει γὰρ τῶν ψυχικῶν (11) καὶ αἰσθητῶν παιδευμάτων. Δι' ὧν (12) καὶ κόσμον κατεσκευάσθαι λέγουσι, καὶ τὸν Σωτῆρα δὲ ἐπὶ τοῦτο παραγεγονέναι τὸ ψυχικὸν, ἐπεὶ καὶ αὐτεξούσιόν ἐστιν, ὅπως αὐτὸ σώσῃ. Ὧν γὰρ ἤμελλε σώζειν, τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν εἰληφέναι φάσκουσιν, ἀπὸ μὲν τῆς Ἀχαμὼθ τὸ πνευματικὸν, ἀπὸ δὲ τοῦ Δημιουργοῦ ἐνδεδύσθαι τὸν ψυχικὸν Χριστὸν, ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιτεθεῖσθαι σῶμα ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, κατ-

[25] Matth. v, 13, 14.

BILLII INTERPRETATIO.

volunt, ut animam a Demiurgo habeat, corpus a terra, carnem a materia, ac denique spiritualem hominem a matre Achamoth.

CAPUT VI.

1. Tria igitur cum sint, hylicum quidem, quod etiam sinistrum vocant, ea esse conditione, ut necessario ipsi pereundum sit, quippe quod nullum incorruptibilitatis afflatum recipere queat ; psychicum autem, quod item dextrum appellant, velut inter spirituale et hylicum interjectum, eo abire, quocunque sese inflexerit : spirituale denique ob eam causam emissum esse, ut hic psychico conjunctum formetur, una videlicet cum eo eruditum in conversatione. Atque hoc salem esse dicunt, et mundi lucem. Psychicum etenim sensilibus disciplinis opus habuisse. Ob eamque causam et mundum fabricatum esse aiunt, et Salvatorem ipsum ad hoc psychicum, utpote arbitrii libertate præditum, venisse, ut ipsi salutem afferret. Quibus enim salutem allaturus erat, eorum primitias ipsum assumpsisse tradunt ; nimirum ab Achamoth id quod spirituale est accepisse, a Demiurgo autem psychico Christo convestitum fuisse, a dispensatione vero impositum ei corpus fuisse, animali essentia præditum, atque ineffabili arte ita

(1) *Et hunc esse in semetipsis... uti habeant.* Pamelius in cap. 25 Tertull. legi vult : *et nunc esse ex semetipsis... uti habeat ;* sed frustra, repugnat enim textus Græcus.

(2) *Carneum.* Ita recte Grabius ex Voss. Merc. 2, et Græco reposuit. Consentit Clarom. Cæt. edit. male *carnem.*

(3) *Cum sint igitur tria.* Sic restituit Feuard. ex veteri codice, uti conjicio, et textu Græco ; consentit Ottobon. In editt. Eras. et Gall. necnon mss. Clarom. Pass. Arund. et Merc. 2, male *cum sint igitur tres.*

(4) *Spirationem.* Sic edit. Oxon. ex codd. Arund. et Merc. 2, consentiente Clarom. ; cæteri cum editi tum mss. *inspirationem.* Prior lectio præferenda videtur.

(5) *Illuc redigi quocunque*, etc. In Feuard. edit. perperam exstat, *illud :* in cæteris recte *illuc.* Sed mallem hæc cum Billio clarius vertisset interpres : *eo abire, quocunque se inflexerit.*

(6) *Sal.* In Feuard. edit. *salem ;* in Eras. et Gall. et mss. Arund. *solem.*

(7) *Animale.* In Eras. Gali. et Feuard. editt. *Animalem*, id est Salvatorem. Sed priorem lectionem confirmat quod immediate sequitur, ἐπεὶ καὶ αὐτεξούσιόν ἐστιν, *quia suæ potestatis est*, id est arbitrii libertate præditum ; neque enim hoc ad aliud quam τὸ ψυχικὸν referri potest. Tertullianus quidem cap. 26, scripsit, *animalem*, sed phrasin paulo aliter construxit : *in hoc et veterem animalem in mundo repræsentatum, in salutem scilicet animalis.* Quæ paulo obscuriorum veteris interpr. verborum sensum aperiunt, scilicet, *Salvatorem ad hoc animale, utpote arbitrii libertate præditum venisse, ut ipsi salutem afferret.*

(8) *Primitias.* Apud Tertull. c. 26, pro *primitias* legitur *prospicientias.* Sed monet Latinius, aut Petrus Ciaconius, legendum esse *prosicias. Prosicia* autem ex Glossario, ut observat Fronto Duc., idem quod ἀκροθίνια. *Prositiæ*, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί, quæ significationes interpretis nostri *primitiis* respondent.

(9) *A dispositione.* Sic Græcam vocem οἰκονομία reddere amat interpres, ut passim videre est. Mallem tamen cum cæteris Latinis vertisset, *dispensatio.* Hic enim sermo est de iis uæ Servator in terris gessit ad procurandam umani generis salutem, quorum caput ac principium est Incarnatio ; quæ Græcis una voce dicuntur οἰκονομία, Latinis *dispensatio*

(10) Ἐπιδέξασθαι. Lege cum vet. interp. ἐπιδέξασθαι, non ἐπιδείξασθαι.

(11) Τῶν ψυχικῶν. Legit interpres τῷ ψυχικῷ. Sic etiam legit Tertull. cap. 26, *indiguisse enim animalem etiam sensibilium disciplinarum.*

(12) Δι' ὧν. Διό legi volunt Billius et Petavius. Sed cum δι' ὧν eamdem habeat significationem, retinere nihil vetat.

Digitized by Google

εσκευασμένον δὲ ἀῤῥήτῳ τέχνῃ, πρὸς τὸ καὶ ἀόρατον, καὶ ἀψηλάφητον, καὶ παθητὸν (1) γεγενῆσθαι. Καὶ ὑλικὸν δὲ οὐδ' ὁτιοῦν εἰληφέναι λέγουσιν αὐτόν· μὴ γὰρ εἶναι τὴν ὕλην δεκτικὴν σωτηρίας. Τὴν δὲ συντέλειαν ἔσεσθαι, ὅταν μορφωθῇ καὶ τελειωθῇ γνώσει πᾶν τὸ πνευματικὸν, τουτέστιν οἱ πνευματικοὶ ἄνθρωποι, οἱ τὴν τελείαν γνῶσιν ἔχοντες περὶ Θεοῦ, καὶ τῆς Ἀχαμώθ (2). Μεμυημένους δὲ μυστήρια εἶναι τούτους ὑποτίθενται.

2. Ἐπαιδεύθησαν γὰρ τὰ ψυχικὰ, οἱ ψυχικοὶ ἄνθρωποι, οἱ δι' ἔργων καὶ πίστεως ψιλῆς βεβαιούμενοι, καὶ μὴ τὴν τελείαν γνῶσιν ἔχοντες. Εἶναι δὲ τούτους ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς λέγουσι. Διὸ καὶ ἡμῖν μὲν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀγαθὴν (3) πρᾶξιν ἀποφαίνονται· ἄλλως γὰρ ἀδύνατον σωθῆναι, αὐτοὺς δὲ μὴ διὰ πράξεως, ἀλλὰ διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι, πάντη τε καὶ πάντως σωθήσεσθαι (4) δογματίζουσιν. Ὡς γὰρ τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωτηρίας μετασχεῖν (οὐ γὰρ εἶναι λέγουσιν αὐτοὶ δεκτικὸν αὐτῆς), οὕτω πάλιν τὸ πνευματικὸν (θέλουσιν οἱ αὐτοὶ εἶναι) (5), ἀδύνατον φθορὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις (6) συγ-

A paratum vero inenarrabili arte, ut et visibile. 29 et palpabile, et passibile fieret. Et hylicum autem nihil omnino suscepit: non enim esse hylicum capacem salutis. Consummationem vero futuram, cum formatum et perfectum fuerit scientia omne spiritale, hoc est homines (7) qui perfectam agnitionem habent de Deo, et hi qui ab Achamoth initiati sunt mysteria; esse autem hos semetipsos (8) dicunt.

2. Erudiuntur autem psychica (id est animalia), psychici (id est animales) homines, qui per operationem, et fidem nudam firmantur, et non perfectam agnitionem habent. Esse autem hos nos, qui sumus ab Ecclesia, dicunt. Quapropter et nobis quidem recessariam esse bonam conversationem respon-
B dent; aliter enim impossibile esse salvari. Semetipsos autem non per operationem, sed eo quod sint naturaliter spiritales, omnimodo salvari dicunt. Quemadmodum enim choicum impossibile est salutem percipere (non enim esse illum capacem salutis dicunt), sic iterum quod spiritale (quod se-

BILLII INTERPRETATIO.

constructum, ut et oculis cerni, et tractari ac denique pati posset. Neque enim hylicum quidquam, hoc est materiale, ab eo assumptum fuisse aiunt: quandoquidem materia salutis neutiquam capax sit. Consummationem porro tum demum fore, cum scientia informatum, atque perfectum fuerit quidquid spirituale est, hoc est spirituales homines, qui perfectam de Deo cognitionem habent, et ab Achamoth mysteria didicerunt. Hos autem se esse statuunt.

2. Animalibus autem disciplinis imbuti sunt animales homines, qui per opera, et nudam fidem confirmantur, nec perfecta cognitione præditi sunt. Quales nos, qui Ecclesiæ fidem profitemur, esse aiunt. Ex quo etiam nobis hoc necesse esse pronuntiant, ut probas actiones adhibeamus; nec enim alioqui fieri

(1) *Ἀόρατον καὶ ἀψηλάφητον καὶ παθητόν.* Παθητόν quidem recte reposuit Petavius ex cod. Reg. et Epiphanii edit. Basileensi, pro ἀπάθητον, quod perperam exstat in Irenæi editt. Gall. et Fevard. Sed legendum etiam cum vet. interp. ut scite observant Billius et Petav. ὁρατὸν καὶ ψηλαφητόν. Sic enim inferius eadem repetens scribit Irenæus cap. 9, n. 3, πρὸς τὸ ὁρατὸν γενέσθαι καὶ ψηλαφητόν. Sic legit et Tertullianus cap. 26, corpus Salvatoris ita *constructum* dicens, *quo congressui, et conspectui, et contactui et defunctui* (id est vel morti, vel functioni cuilibet, quam exercet homo) *ingratis subjaceret.* Sic pariter Theodoretus lib. I *Hæret. fabul.*, c. 7, ubi Valentinianorum de Christo sententiam iisdem fere cum Irenæo verbis describens ait: Ἀπὸ δὲ τῆς οἰκονομίας περιθέσθαι σῶμα ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, ἀῤῥήτῳ δὲ σοφίᾳ πεποιημένον πρὸς τὸ ἀπτὸν καὶ ὁρατὸν γενέσθαι καὶ παθητόν. *A dispensatione autem circumpositum ei corpus, animalem habens substantiam, et ineffabili sapientia paratum, ut et tangi et cerni et pati posset.*

(2) *Καὶ τῆς Ἀχαμώθ*, etc. Sic Græca hæc ex vet. interp. emendanda esse censet Billius: Καὶ ὑπὸ τῆς Ἀχαμὼθ μεμυημένους τὰ μυστήρια· ἑαυτοὺς δὲ εἶναι τούτους ὑποτίθενται· Grabius e contrario Latina ad normam Græci textus corrigenda putat. Sed præferenda Billii emendatio, utpote quæ Valentinianorum hæresi magis accommodata sit. Isti enim spiritales sese jactabant, *perfectos et semina electionis*, ut paulo inferius scribit Irenæus, ut qui a matre Achamoth spiritale semen participassent, καὶ ἰδιόκτητον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας συγκατελήλυθέναι ἔχειν τὴν χάριν, *seque gratiam ab ineffabili et omni nomine præstantiori conjugatione cœlitus directam proprie possidere*, qua scilicet a matre sua accepta, mysteriis ejus initiati fuerant. Hinc subditur: διὸ καὶ ἐκ παντὸς τρόπου δεῖν αὐτοὺς ἀεὶ τὸ τῆς συζυγίας μελετᾷν μυστήριον: *quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiæ meditari mysterium*, ut vertit vetus

C interpres.

(3) *Ἀγαθὴν.* Deest in cod. Reg.

(4) *Διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι σωθήσεσθαι.* Utpote qui spiritalem hominem, corruptionis expertem, a matre Achamoth procreatum in seipsis haberent, ut superius dictum est et mox subjicitur. Hinc, Augustino teste lib. *De hæres.*, cap. 6, Gnosticorum omnium hoc erat perversissimum dogma, *animarum substantiam, Dei esse naturam.* Confer Clementem Alex. lib. II *Strom.*, p. 363, et in *Excerptis*, p. 798, col. 1.

(5) *Θέλουσιν οἱ αὐτοὶ εἶναι.* Lege cum interprete, ὃ θέλουσιν αὐτοὶ εἶναι.

(6) *Ἀδύνατον φθορὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις.* Portentosum dogma, quod sceleribus omnibus viam sternebat. Ex eo principio sponte fluebat, ut recte observat Clem. Alexand., I. III *Strom.*, p. 427, quod salutem non operibus ascriberent, sed soli γνώσει operibus destitutæ, seu *seminis electi*
D privilegio, quæ sibi innata esse jactabant; unde sequebatur, eos quidvis agerent, a salute nunquam excidere posse, πάντως γε σωθησομένων φύσει, *utpote qui natura salvi futuri essent.* Animas enim natura bonas, alias natura malas statuebant, ut inferius scribit Irenæus; *et immutabilem et irreformabilem naturæ naturam pronuntiaverunt*, inquit Tertull., c. 29. Adde quod principium illud quod Carpocratianis speciatim tribuit Epiphanius hær. 27, post Irenæum infra c. 25, et Simonianis Irenæus cap. 24. Gnosticorum omnium fuerit commune, actiones humanas ex se, naturaque sua bonas aut malas non esse, sed ex hominum opinione duntaxat. Ex quo duplici principio cætera quæ hic et capp. 25 et seqq. refert Irenæus, opinionum monstra manant. Sed vide Dissert. nostram I.

(7) *Hoc est homines.* Adde *spirituales*, ex Græco πνευματικοί.

(8) *Esse autem hos semetip.* Clarom. et Pass. *esse autem hoc semetip.*

Digitized by Google

metipsos esse volunt) impossibile esse corruptelam percipere, licet in quibuscunque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cum cœnum nihil nocere auro possit : sic et semetipsos dicunt, licet in quibuscunque materialibus operibus 30 sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere spiritalem substantiam.

3. Quapropter et intimorate omnia, quæ vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti operantur, de quibus Scripturæ confirmant, quoniam *qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt*[26]. Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes, et in omnem diem festum ethnicorum, pro voluptate in honore idolorum (1) factum, primi conveniunt; uti in nihilo quidem abstineant, quod est apud Deum et apud homines odiosum, muneris homicidialis spectaculum. Quidam autem et carnis voluptatibus insatiabiliter inservientes, carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres, quæ discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpunt; quemadmodum multæ sæpe ab iis suasæ (2), post conversæ mulieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore et hoc confessæ sunt. Alii vero et manifeste, ne quidem erubescentes, quascunque adamaverint mulieres, has a viris suis abstrahentes, suas nuptas fecerunt. Alii vero valde modeste initio, quasi cum sororibus fingentes habitare,

A καταγένωνται πράξεσιν. Ὃν γὰρ τρόπον χρυσὸς ἐν βορβόρῳ κατατεθεὶς οὐκ ἀποβάλλει τὴν καλλονὴν αὐτοῦ, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν φύσιν διαφυλάττει, τοῦ βορβόρου μηδὲν ἀδικῆσαι δυναμένου τὸν χρυσόν· οὕτω δὲ καὶ αὐτοὺς λέγουσι, κἂν ὁποίαις ὑλικαῖς πράξεσι καταγένωνται, μηδὲν αὐτοὺς παραβλάπτεσθαι, μηδὲ ἀποβάλλειν τὴν πνευματικὴν ὑπόστασιν.

3. Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀπειρημένα πάντα ἀδεῶς οἱ τελειότατοι πράττουσιν αὐτῶν, περὶ ὧν καὶ Γραφαὶ διαβεβαιοῦνται, *τοὺς ποιοῦντας αὐτὰ βασιλείαν Θεοῦ μὴ κληρονομήσειν*. Καὶ γὰρ εἰδωλόθυτα (3) διαφόρως (4) ἐσθίουσι, μηδὲ μολύνεσθαι ὑπ' αὐτῶν ἡγούμενοι· καὶ ἐπὶ πᾶσαν ἑορτάσιμον τῶν ἐθνῶν τέρψιν, εἰς τιμὴν τῶν εἰδώλων γινομένην, πρῶτοι συνίασιν, ὡς μηδὲ B τῆς παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις μεμισημένης τῆς τῶν θηριομάχων καὶ μονομαχίας ἀνδροφόνου θέας ἀπέχεσθαι ἐνίους αὐτῶν. Οἱ δὲ καὶ ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς (5) κατακόρως δουλεύοντες τὰ σαρκικὰ τοῖς σαρκικοῖς καὶ τὰ πνευματικὰ τοῖς πνευματικοῖς ἀποδίδοσθαι λέγουσι. Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν λάθρα τὰς διδασκομένας ὑπ' αὐτῶν τὴν διδαχὴν ταύτην γυναῖκας διαφθείρουσιν, ὡς πολλάκις ὑπ' ἐνίων αὐτῶν ἐξαπατηθεῖσαι, ἔπειτα ἐπιστρέψασαι γυναῖκες εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, σὺν τῇ λοιπῇ πλάνῃ καὶ τοῦτο ἐξωμολογήσαντο· οἱ δὲ καὶ κατὰ τὸ φανερὸν ἀπερυθριάσαντες, ὧν ἂν ἐρασθῶσι γυναικῶν, ταύτας ἀπ' ἀνδρῶν ἀποσπάσαντες, ἰδίας γαμετὰς ἠγήσαντο. Ἄλλοι δὲ αὖ πάλιν σεμνῶς κατ' ἀρχὰς, ὡς μετὰ ἀδελφῶν

BILLII INTERPRETATIO.

posse, ut salutem consequamur. At se non per actionem, sed quod natura spirituales sint, omnino ac sine ulla dubitatione salvos fore affirmant. Ut enim hylicum nullo modo salutis particeps esse posse dicunt, quod ejus capax minime sit : sic rursus spirituale (quod ipsi se esse volunt) ea conditione esse, ut nullo prorsus modo interitum atque corruptionem recipere queat, quibuscunque tandem in flagitiis sceleribusque versetur. Quemadmodum enim aurum in cœno positum, pulchritudinem suam haud proinde amittit, verum naturam suam incolumem servat, nec detrimenti quidquam ei a cœno afferri potest : eodem modo sese quoque, quibuslibet tandem in materialibus actionibus versentur, nihil hinc lædi, nec spiritualis essentiæ jacturam facere.

3. Quo etiam fit, ut eorum perfectissimi quique omnia ea, quæ legis interdicto prohibentur, et de qui-

[26] Gal. v, 21.

(1) *Pro voluptate in honore idolorum*, etc. Sic auctoritate Græci textus et clarissimi Cotelerii in notis ad lib. II *Constit. apostol.*, cap. 61, judicio restitui, pro eo quod in omnibus codd. vitiose legitur : *pro voluntate*, etc. Haud dubitem enim, quin interpres scripserit *voluptate;* sed cum veteres non infrequenter scriberent *volumptas, volumptate*, etc., adeo ut interdum dubites utrum *voluntas, voluntate*, an *voluptas, voluptate*, legendum sit; qui secuti sunt, hanc vocem *volumptate* in Irenæi codd. nacti, imprudenter commutarunt in *voluntate*. In codd. Clarom. et Ottob. pro *in honore idolorum*, legitur, *in honore eorum*, fortasse pro *in honore deorum;* quæ postrema lectio Frontoni Ducæo magis arrideret. Monet vero laudatus Cotelerius post verbum, *abstineant*, addendum esse *ab eo*. Quod autem Græcas voces duas θηριομάχων καὶ μονομαχίας, *bestiariorum et gladiatorum*, unica voce *muneris* reddiderit interpres, Latinos auctores secutus est, quibus *munus* non raro significat *spectaculum gladiatorium*, aut *bestiarum* quibuscum homines depugnarent. Sic Sueton. in *Cæsare : Bestias quoque ad munus populi comparatas trucidaverant*. Et ibid.: *Edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, tudos etiam regionatim urbe tota*. Hinc *munerarii* dicebantur, qui ejusmodi spectacula exhibebant. Addit denique Grabius interpretem vitioso codice usum, non legisse duas ultimas hujus periodi

C voces, ἐνίους αὐτῶν. Ut itaque lector rectum plenumque verborum Irenæi sensum percipiat, sequentem eorum dat versionem vir eruditus : *ad omnia festiva gentilium oblectamenta, quæ in honorem idolorum instituuntur, primi confluunt : adeo ut nonnulli eorum ne quidem abstineant ab eo quod Deo hominibusque maxime invisum est, spectaculo eorum qui cum bestiis pugnant, vel cum hominibus bello congressi eos cædunt.*

(2) *Ab iis suasæ*. Gr. ὑπ' ἐνίων αὐτῶν ἐξαπατηθεῖσαι, *a quibusdam ipsorum circumventæ*.

(3) *Καὶ γὰρ εἰδωλόθυτα*, etc. Id a Nicolaitis Gnosticorum omnium parentibus acceperant Valentiniani. Illi siquidem, August. teste lib. *De hær.*, cap. 5, *nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos suos separabant; et alios ritus gentilium superstitionum non aversabantur*. Jam pridem S. Joannes *Apocal.* II, 14, 20, id crimen in iis hæreticis reprehendit, ut observat Irenæus infra cap. 27.

(4) *Διαφόρως*. Legendum cum interp. ἀδιαφόρως.

D (5) *Οἱ δὲ καὶ ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς*, etc. Turpissima Gnosticorum flagitia fusius describit Epiphan., hær. 26. Si quis miretur in tot facinorum putido cœno altius immersos homines mente præditos volutari potuisse, illius meminerit quod scribit Hieronymus in cap. IX *Oseæ : difficile hæreticum inveniri qui diligat castitatem*.

Digitized by Google

προσποιούμενοι συνοικεῖν, προϊόντος τοῦ χρόνου ἠλέγχθησαν, ἐγκύμονος τῆς ἀδελφῆς ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ γενηθείσης.

4. Καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ μυσαρὰ καὶ ἄθεα πράσσοντες, ἡμῶν μὲν, διὰ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ φυλασσομένων καὶ μέχρις ἐννοίας καὶ λόγου ἁμαρτεῖν, κατατρέχουσιν, ὡς ἰδιωτῶν, καὶ μηδὲν ἐπισταμένων· ἑαυτοὺς δὲ ὑπερυψοῦσι, τελείους ἀποκαλοῦντες, καὶ σπέρματα ἐκλογῆς. Ἡμᾶς μὲν γὰρ ἐν χρήσει (1) τὴν χάριν λαμβάνειν λέγουσι, διὸ καὶ ἀφαιρεθήσεσθαι αὐτῆς· αὐτοὺς δὲ ἰδιόκτητον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας συγκατεληλυθυῖαν ἔχειν τὴν χάριν· καὶ διὰ τοῦτο προστεθήσεσθαι αὐτοῖς (2). Διὸ καὶ ἐκ παντὸς τρόπου δεῖν αὐτοὺς ἀεὶ τὸ τῆς συζυγίας μελετᾷν μυστήριον. Καὶ τοῦτο πείθουσι τοὺς ἀνοήτους, αὐταῖς λέξεσι λέγοντες οὕτως· Ὃς ἂν ἐν κόσμῳ γενόμενος (3) γυναῖκα οὐκ ἐφίλησεν, ὥστε αὐτὴν κρατηθῆναι, οὐκ ἔστιν ἐξ ἀληθείας, καὶ οὐ χωρήσει εἰς ἀλήθειαν. Ὁ δὲ ἀπὸ κόσμου γενόμενος, κρατηθεὶς γυναικὶ, οὐ χωρήσει εἰς ἀλήθειαν, διὰ τὸ ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι (4) γυναικός. Διὰ τοῦτο οὖν ἡμᾶς καλοὺς

A procedente tempore manifestati sunt, gravida sorore a fratre facta.

4. Et alia multa odiosa et irreligiosa facientes, nos quidem, qui per timorem Dei timemus (5) etiam usque in mentibus nostris et sermonibus peccare, arguunt quasi 31 idiotas, et nihil scientes; semetipsos extollunt, perfectos vocantes, et semina electionis. Nos enim in usu gratiam accipere dicunt, quapropter et auferri a nobis : semetipsos autem proprie possidere (6), desursum ab inenarrabili et innominabili syzygia descendentem habere gratiam, et propterea adjici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiæ meditari (7) mysterium. Et hoc suadent insensibilibus (8), iis sermonibus dicentes sic : Quicunque in sæculo est, et uxorem non amat, ut ei conjungatur (9), non est de veritate, et non transiet in veritatem. Qui autem de sæculo est mistus mulieri, non transit in veritatem; quoniam in concupiscentia mistus est mulieri. Quapropter nobis quidem, quos psychicos

B

BILLII INTERPRETATIO.

bus affirmat Scriptura, quod *qui hæc faciunt regni Dei hæreditatem maxime consequentur*, sine ullo metu perpetrent. Nam et ea quæ idolis immolata sunt, libere, ac sine ullo discrimine edunt, nec iis inquinari se arbitrantur : atque ad omnia gentilium festa et oblectamenta, quæ ad idolorum honorem, cultumque celebrantur, primi confluunt : adeo ut nonnulli eorum, ne a sanguinario quidem et funesto, Denique et hominibus inviso spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent. Sunt etiam qui carnis voluptatibus ad satietatem usque obsequentes, carnalia carnalibus, et spiritualia spiritualibus persolvi aiunt. Quinetiam ipsi partim occulte cum mulierculis his, quas in doctrina sua erudiunt, stupri commercium habent, quemadmodum ipsæ sæpe a quibusdam ipsorum circumventæ, atque in fraudem impulsæ, ac postea ad Dei Ecclesiam reversæ, cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt; partim aperte, perfrictaque fronte quascunque adamarint mulieres, eas a viris avulsas matrimonio sibi copulant. Alii rursus cum honeste primum, velut cum sororibus, habitare se finxissent, progrediente tempore deprehensa fraus est, gravida nimirum a fratre facta sorore.

4. Ac pleraque alia impia et exsecranda flagitia designantes, nos quidem, qui Dei metu cavemus, ne vel cogitatione tenus, et sermone peccemus, ut indoctos ac prorsus ignaros insectantur; seipsos autem mirifice extollunt, ac perfectos appellant, et semina electionis. Nos enim in usu tantummodo gratiam accipere dicunt, ob idque fore, ut ea nobis adimatur; se autem eam ab ineffabili et omni nomine præstantiori conjugatione cœlitus devectam proprie possidere, ob eamque causam fore, ut ipsis accrescat : proindeque sibi quovis modo faciendum esse, ut conjugii mysterium exerceant. Atque ut hoc stolidis hominibus per-

(1) *Ἐν χρήσει.* Opponitur, inquit Billius, τῇ κτήσει.

C rem haberent, victos, ac velut constrictos sic teneri, ut ad veritatem pervenire non possent : his proinde necessarium esse continentiæ ac bonarum actionum studium, sibi autem minime, ut mox subjicitur.

(2) *Ἀφαιρεθήσεσθαι... προστεθήσεσθαι αὐτοῖς.* His verbis, inquit idem vir doctus, alludit ad illud Luc. XIX, 26 : *Omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.*

(3) *Ἐν κόσμῳ γενόμενος*, et postea, *ὁ δὲ ἀπὸ κόσμου γενόμενος.* Hæc verba, *in mundo* et *de mundo*, inquit idem, a Valentinianis petita esse videntur ex cap. XVII Joannis, ubi Christus discipulos suos, *in mundo*, sed non *de mundo* esse ait. Quæ quidem verba impurissimi homines falso de se usurpabant.

(4) *Κρατηθεὶς γυναικὶ διὰ τὸ ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι*, etc. Sic recte Gallas. et Feuard. ediderunt. Cæteri, repugnante tum vet. interp. tum ipso sensu, μὴ κρατηθεὶς γυναικὶ... διὰ τὸ μὴ ἐν ἐπιθυμίᾳ κρατηθῆναι, bis addendo particulam negativam μή, quæ utrobique delenda erat. Nimirum D sensus est, ut probe observat Billius, Valentinianos, licet libidinibus parerent, concupiscentia tamen minime vinci, nec quidquam ex venereo congressu spurcitiei contrahere, quo ipsis aditus ad veritatem intercluderetur; quod spiritales essent, et semina electionis, nec de mundo, quamvis in mundo degerent; reliquos autem, utpote animales, et spiritali semine destitutos, ac de mundo, inquinari, ac per concupiscentiam, a mulieribus, quibuscum

(5) *Timemus.* Græc. φυλασσομένων, *cavemus.*

(6) *Semetipsos autem proprie possidere*, etc. Hæc, ni fallor, melius verti sic potuissent : *semetipsos autem velut suum habere proprium, cœlitus ab ineffabili et omni nomine præstantiori devectam gratium.*

(7) *Meditari.* Græc. μελετᾷν, hic accipitur pro *exercere;* quæ significatio Latinis haud infrequens est. Sic apud Plautum in *Sticho*, IV, 34 : *Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.* Et Cicero II, *De divinat.* : *Multi etiam naturæ vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt.* Plinius denique lib. XVII, c. 19, de ramo oleæ loquens ait, *omni tempore edomari meditatione curvandi.*

(8) *Insensibilibus.* Supp. *hominibus.* Sed vertendum erat, *stolidis*, vel *rudioribus hominibus.*

(9) *Ut ei conjungatur.* Tum, *mistus mulieri*, et mox *in concupiscentia mistus est mulieri.* Videtur interp. legisse, αὐτῇ κερασθῆναι, et κερασθείς, iterumque κερασθῆναι, non κρατηθῆναι, et κρατηθείς. Sed utrumvis legerit, sensum non male reddidit. Græca tamen sic verti possent : *ita ut ea potiatur;* et, *mulieris amore victus;* ac denique, *quoniam in concupiscentia mulieri succubuit.*

Digitized by Google

vocant, et de sæculo esse dicunt, necessariam continentiam, et bonam operationem, uti per eam veniamus in medietatis locum; sibi autem, spiritalibus et perfectis vocatis, nullo modo. Non enim operatio in Pleroma inducit, sed semen, quod est inde pusillum quidem emissum, hic autem perfectum factum.

A ψυχικοὺς (5) ὀνομάζουσι, καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσι, καὶ ἀναγκαίαν ἡμῖν τὴν ἐγκράτειαν, καὶ ἀγαθὴν πρᾶξιν, ἵνα δι' αὐτῆς ἔλθωμεν εἰς τὸν τῆς μεσότητος τόπον· αὐτοῖς δὲ πνευματικοῖς τε καὶ τελείοις καλουμένοις μηδαμῶς. Οὐ γὰρ πρᾶξις εἰς πλήρωμα εἰσάγει, ἀλλὰ τὸ σπέρμα τὸ ἐκεῖθεν νήπιον ἐκπεμπόμενον, ἐνθάδε (6) τελειούμενον.

32 CAPUT VII.

Perfecto universo semine matrem Achamoth, cum spiritalibus hominibus, in Pleroma transituram; Demiurgum, cum animalibus, in medietatis locum; hominem vero choicum in corruptelam abiturum. Materia igne consummenda. Blasphemia in Christi veram ex B. Virgine Incarnationem. Divisio prophetiarum, et de earum origine. Supina Demiurgi ignoratio.

1. Cum autem universum semen perfectum fuerit, Achamoth quidem matrem ipsorum transire de medietatis loco dicunt, et intra Pleroma introire, et recipere sponsum suum Salvatorem, qui est ex omnibus factus, uti syzygia fiat Salvatoris et Sophiæ, quæ est Achamoth. Et hoc esse sponsum et sponsam (1): Nymphonem (2) vero, universum Pleroma. Spiritales vero, exspoliatos animas (3), et spiritus intellectuales factos, inapprehensibiliter (4) et invisibiliter intra Pleroma ingressos, sponsas reddi iis, qui circa Salvatorem sunt angelis. Demiurgum vero transire et ipsum in matris suæ Sophiæ locum, hoc est in medietatem.

1. Ὅταν δὲ πᾶν τὸ σπέρμα τελειωθῇ, τὴν μὲν Ἀχαμὼθ τὴν μήτερα αὐτῶν μεταβῆναι (7) τοῦ τῆς μεσότητος τόπου λέγουσι, καὶ ἐντὸς πληρώματος εἰσελθεῖν, καὶ ἀπολαβεῖν τὸν νυμφίον αὐτῆς τὸν Σωτῆρα, τὸν ἐκ πάντων γεγονότα, ἵνα συζυγία γένηται τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς Σοφίας τῆς Ἀχαμώθ· καὶ τοῦτο B εἶναι νυμφίον καὶ νύμφην, νυμφῶνα δὲ τὸ πᾶν πλήρωμα· τοὺς δὲ πνευματικοὺς ἀποδυσαμένους τὰς ψυχάς, καὶ πνεύματα νοερὰ γενομένους, ἀκρατήτως καὶ ἀοράτως ἐντὸς πληρώματος εἰσελθόντας, νύμφας (8) ἀποδοθήσεσθαι τοῖς περὶ τὸν Σωτῆρα ἀγγέλοις. Τὸν δὲ Δημιουργὸν μεταβῆναι καὶ αὐτὸν εἰς τὸν τῆς μητρὸς Σοφίας (9) τόπον, τουτέστιν ἐν τῇ μεσότητι· τὰς

BILLII INTERPRETATIO.

suadeant, his ipsis verbis utuntur: Quisquis in mundo exsistens mulierem non amavit, ita ut ea potiatur, non est ex veritate, nec ad veritatem perveniet; quisquis autem de mundo exsistens cum muliere rem habuit, non perveniet ad veritatem, quoniam in concupiscentia mulieri succubuit. Propterea nobis quidem, quos psychicos vocant, ac de mundo esse statuunt, necessarium esse continentiæ ac bonarum actionum studium, ut per eas ad medietatis locum perveniamus; sibi autem, hoc est ut ipsi se vocant, spiritualibus et perfectis, haudquaquam. Neque enim actionem aditum ad Pleroma munire; sed semen, quod pusillum quidem illinc emittitur, hic autem adolescit ac perficitur.

CAPUT VII.

1. Cum autem universum semen perfectum fuerit, tum demum Achamoth, matrem ipsorum, ex medietatis loco migraturam, atque in Pleroma ingressuram, ac sponsum suum, hoc est Salvatorem ex omnibus ortum, accepturam esse, ut conjugium exsistat Salvatoris et Achamoth. Et hoc esse, quod per sponsum et sponsam significetur, quemadmodum et Pleroma per cubiculum nuptiale. At vero spirituales, animis exutos, ac spiritus intelligentes effectos, incomprehensibili et invisibili modo in Pleroma ingressos, in sponsas assignatum iri angelis iis, qui Salvatorem circumstant. Demiurgum porro itidem ipsum ad matris Sophiæ locum, hoc est, ad medietatis locum transiturum esse, atque in eadem quoque regione animas eorum, qui justitiam coluerint, in quiete futuras esse. Neque enim psychici quidquam

(1) *Et hoc esse sponsum et sponsam.* De quibus in Scripturis, et speciatim Matth. xxv, 6, *Exite obviam sponso.* Quotiescunque enim in Scripturis sponsi et sponsæ mentio occurrit, id statim ad Salvatorem et Sophiam trahebant nugaces isti.

(2) *Nymphonem.* In Græco νυμφῶνα, id est *thalamum nuptialem*, vel *cubiculum nuptiale.* Tertullianus cap. 31: *Hic erit in Scripturis sponsus: et sponsalis Pleroma.* Existimat Billius allusisse Valentinianos ad illud Matth. IX, 15: *Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν*, etc. *Nunquid possunt filii thalami nuptialis* (vulg. *sponsi*) *jejunare?*

(3) *Exspoliatos animas.* Animales scilicet a Demiurgo animali insufflatas, ut superius dictum est. *Nihil enim animale intra Pleroma transibit*, ut mox subjicitur. Confer Tertullian. cap. 32.

(4) *Inapprehensibiliter.* Id est, ita ut a superioribus potestatibus nec detineri, nec videri queant, ut inferius explicabitur.

(5) *Ἡμᾶς καλοὺς ψυχικούς*, etc. Hæc ita emendanda esse censet Billius: ἡμῖν μὲν, οὓς ψυχικοὺς C ὀνομάζουσι, καὶ ἐκ κόσμου εἶναι λέγουσιν, *ἀναγκαίαν* τὴν ἐγκράτειαν, etc. Sic quidem legisse videtur vetus interpres. Ast Grabius existimat nulla hæc emendatione indigere, excepto uno verbo, καλούς, quod omittendum est; nisi forte, inquit, tanquam appositum ad ἡμᾶς accipere, et ita interpretari velis, quod Valentiniani non omnes promiscue catholicos, sed *probos* solum, psychicorum titulo dignati fuerint. Sed veterem interp. cum Billio sequi præstat.

(6) *Ἐνθάδε.* Sic cod. Reg. cum omnibus editt. tum Epiphanii, tum Irenæi, excepta Oxoniensi, in qua perperam legitur ἐκθάδε. Legisse tamen videtur interpres, ἔνθα δέ.

(7) *Μεταβῆναι.* Cod. Reg. μεταστῆναι. Epiphanii edit. Basilcensis, μεταθῆναι.

(8) *Εἰσελθόντας, νύμφας.* Cod. Reg. εἰσελθεῖν τὰς νύμφας.

(9) *Σοφίας.* Inferioris scilicet σοφίας, quæ ita vocatur πατρωνυμικῶς a matre ejus Sophia, ut superius dictum est.

Digitized by Google

τε τῶν δικαίων ψυχὰς ἀναπαύσεσθαι καὶ αὐτὰς ἐν τῷ τῆς μεσότητος τόπῳ. Μηδὲν γὰρ ψυχικὸν ἐντὸς πληρώματος χωρεῖν. Τούτων δὲ γενομένων οὕτως, τὸ ἐμφωλεῦον τῷ κόσμῳ πῦρ ἐκλάμψαν καὶ ἐξαφθὲν, καὶ κατεργασάμενον πᾶσαν ὕλην, συναναλωθήσεσθαι αὐτῇ, καὶ εἰς τὸ μηκέτ' εἶναι χωρήσειν διδάσκουσι. Τὸν δὲ Δημιουργὸν μηδὲν τούτων ἐγνωκέναι ἀποφαίνονται πρὸ τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας.

2. Εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες προβαλέσθαι αὐτὸν καὶ Χριστὸν υἱὸν ἴδιον, ἀλλὰ καὶ ψυχικόν· περὶ τούτου διὰ τῶν προφητῶν λελαληκέναι. Εἶναι δὲ τοῦτον τὸν διὰ Μαρίας διοδεύσαντα (1), καθάπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ἁδεύει, καὶ εἰς τοῦτον ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος κατελθεῖν ἐκεῖνον, τὸν ἀπὸ τοῦ πληρώματος ἐκ πάντων Σωτῆρα ἐν εἴδει περιστερᾶς· γεγονέναι δὲ ἐν αὐτῷ καὶ τὸ αὐτὸ τῆς Ἀχαμὼθ σπέρμα πνευματικόν. Τὸν οὖν Κύριον ἡμῶν ἐκ τεσσάρων τούτων σύνθετον γεγονέναι φάσκουσιν, ἀποσώζοντα τὸν τύπον τῆς ἀρχεγόνου καὶ πρώτης τετρακτύος· ἔκ τε τοῦ πνευματικοῦ, ὃ ἦν ἀπὸ τῆς Ἀχαμὼθ, καὶ ἐκ τοῦ ψυχικοῦ, ὃ ἦν ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, καὶ ἐκ τῆς οἰκονομίας, ὃ ἦν κατεσκευασμένον (2) ἀῤῥήτῳ τέχνῃ, καὶ ἐκ τοῦ Σωτῆρος, ὃ ἦν κατελθοῦσα (3) εἰς αὐτὸν περιστερά. Καὶ τοῦτο μὲν ἀπαθῆ (4) διαμεμενηκέναι (οὐ γὰρ ἐνεδέχετο παθεῖν αὐτὸν, ἀκράτητον καὶ ἀόρατον ὑπάρχοντα)· καὶ διὰ τοῦτο ἦρθαι, προσαγομένου αὐτοῦ τῷ Πιλάτῳ, τὸ εἰς αὐτὸν

A Justorum quoque animas refrigerare (5) et ipsas in medietatis loco. Nihil enim psychicum intra Pleroma transire. His autem factis ita, is qui latet in mundo ignis exardescens, et comprehendens (6) universam materiam, consumit, et ipsum simul consumptum abire in id, ut jam non sit. Demiurgum autem nihil horum cognovisse ostendunt ante Salvatoris adventum.

2. Sunt autem qui dicunt emisisse eum et Christum Filium suum, sed et animalem (7): et de hoc per 33 prophetas locutum esse. Esse autem hunc, qui per Mariam transierit, quemadmodum aqua per tubum transit, et in hunc in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem in figura columbæ; fuisse autem in eo B et illud, quod est ab Achamoth, semen spiritale. Dominum igitur nostrum ex quatuor iis compositum fuisse dicunt, servantem typum primogenitæ et primæ quaternationis (8); de spiritali, quod erat ab Achamoth; et de animali, quod erat de Demiurgo; et de dispositione, quod erat factum inenarrabili arte; et de Salvatore, quod erat illa, quæ descendit in eum, columba. Et hunc quidem impassibilem perseverasse (non enim possibile erat pati eum, cum esset incomprehensibilis et invisibilis):et propter hoc ablatum esse, cum trahere-

BILLII INTERPRETATIO.

intra Pleroma admitti. Quæ cum ad hunc modum contigerint, tum vero fore, ut ignis ille, qui in mundo delitescit, effulgeat, et accendatur, confectaque universa materia, simul quoque cum ea consumatur, atque in nihilum redigatur. Cæterum, Demiurgum nihil horum exploratum habuisse asserunt, antequam Salvator advenisset.

2. Sunt etiam qui dicant eum, Christum quoque Filium suum produxisse, sed animalem : ac de hoc per prophetas locutum esse. Hunc autem eum esse, qui per Mariam transmearit, perinde atque aqua per tubum manat; atque in ipsum, cum baptismi aqua tingeretur, Salvatorem illum, qui de Pleromate erat, atque ex omnibus ortum traxerat, in columbæ forma descendisse. Quin spirituale quoque illud semen, ab Achamoth acceptum, in eo exstitisse. Ac proinde Dominum nostrum, primigenæ videlicet illius quaternitatis typum retinentem, ex quatuor hisce conflatum fuisse tradunt, nimirum ex spirituali, quod ab Achamoth erat; ex animali, quod a Demiurgo; ex dispensatione, quod ineffabili arte constructum erat; ac denique ex Salvatore, quod erat columba illa, quæ in eum descenderat. Atque hunc quidem ab omni perpessione immunem permansisse. Neque enim fieri poterat, ut is pateretur, qui comprehensionem omnem, et oculorum obtutum fugiebat. Ob eamque causam sublatum fuisse Christi

(1) *Διὰ Μαρίας διοδεύσαντα.* Vetus hic error, C cujus meminit Joannes apost. Epist. I, cap. IV, et quem in omnibus pene epistolis perstringit martyr Ignatius. Communis is fuit plerisque e veteribus hæreticis, de quibus fuse disserit Petavius tom. IV *Theolog. dogm.*, edit. Paris. 1650, lib. I, cap. 2 et 4. Legesis. Horum omnium, aut plerorumque sententia, fundamentum id erat, quod ex Valentinianis superius cap. 6 retulit Irenæus, materiale corpus malum esse, et salutis incapax, ac propterea a Christo assumi non potuisse, qui ea tantum susceperit, *quæ salvaturus erat.*

(2) *Ὃ ἦν κατεσκευασμένον.* Hic Grabius subintelligit σῶμα, ego indefinitum πρᾶγμα. Id enim refertur ad ἐκ τεσσάρων τούτων, scilicet πραγμάτων.

(3) *Ὃ ἦν κατελθοῦσα.* In cod. Reg. deest ὃ ἦν.

(4) *Καὶ τοῦτο μὲν ἀπαθῆ.* Legit interpres, καὶ τοῦτον, scilicet Σωτῆρα.

(5) *Refrigerare.* Sic mss. omnes, Clarom. Arund. Voss. et Merc. 2, cum Eras. Gall. et Grabio. D Feuardentius vero, *refrigerari.* At interpres *refrigerare* passive accepit, ut recte observat Grabius, ut patet ex iis quæ paulo post sequuntur : *Hominem animalem, si meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum.* Et illic quidem futurum pro Græco præsenti posuit; hic vero contra, præsens pro futuro ἀναπαύσεσθαι.

(6) *Et comprehendens.* Ἐξαφθὲν male reddidit interpres, *comprehendens*, quasi ex ἐξάπτομαι, *attingo, attrecto*, etc., descenderet : cum tamen ab ἐξάπτομαι, *accendo, succendo* vel *succendor*, veniat. Cætera quæ sequuntur non felicius ab interprete reddita sunt. Quare hæc tu cum Billio vertas : *quæ cum ad hunc modum contigerint, tum vero docent fore, ut ignis ille qui in mundo delitescit, effulgeat et accendatur, confectaque universa materia, simul quoque cum ea consumatur, atque in nihilum redigatur.* Tertull. cap. 32 : *Tunc, credo, ignis ille erumpet, et universam substantiam depopulatus, ipse quoque decineratis omnibus, in nihilum finietur.*

(7) *Et Christum Filium suum, sed et animalem.* Ita recte Clarom. cod. juxta Græc. ubi duplex καὶ legitur. Porro *sed et animalem*, id est *ipsum animalem*, utpote ab animali emissum.

(8) *Primogenitæ et primæ quaternationis.* Sic ex cod. Clarom. restituimus, pro *quaternionis*, quod in aliis omnibus cum editt. tum mss. legitur. Legendum esse *quaternationis* jam dudum conjecerat Fronto Duc.

Digitized by Google

tur (1) ad Pilatum, illum qui depositus erat in eum spiritum Christi. Sed ne id quidem, quod a matre erat semen, passum esse dicunt. Impassibile enim et illud, quippe spiritale, et invisibile etiam ipsi Demiurgo. Passus est autem (2) secundum hos, animalis Christus, et ille qui ex dispositione fabricatus in mysterio, ut ostendat per eum mater typum superioris Christi, illius qui extensus est Cruci, et formavit Achamoth formationem secundum substantiam [37] : omnia enim hæc exempla illorum esse dicunt.

3. Eas vero, quæ habuerunt semen id quod est ab Achamoth, animas, meliores dicunt fuisse quam reliquas : quapropter et plus eas dilectas a Demiurgo, non sciente causam, sed a semetipso putante esse tales. Quapropter et in prophetas, aiunt, **34** distribuebat eas (3), et sacerdotes, et reges. Et multa de hoc semine (4) dicta per prophetas exponunt : quippe cum altioris naturæ esset (5). Multa autem et matrem de superioribus dixisse dicunt ; sed et per hunc (6), et per eas, quæ ab hoc factæ sunt animæ. Ac deinceps dividunt prophetias, aliquid quidem a matre dictum docentes, aliquid a semine, aliquid autem ab ipso Demiurgo : et Jesum tantumdem aliquid quidem [per] Salvatorem (7)

A κατατεθὲν πνεῦμα Χριστοῦ. Ἀλλ' οὐδὲ τὸ ἀπὸ τῆς μητρὸς σπέρμα πεπονθέναι λέγουσιν. Ἀπαθὲς γὰρ καὶ αὐτό, τὸ πνευματικὸν (8), καὶ ἀόρατον καὶ αὐτῷ τῷ Δημιουργῷ. Ἔπαθε δὲ λοιπὸν, κατ' αὐτοὺς, ὁ ψυχικὸς Χριστὸς, καὶ ὁ ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένος μυστηριωδῶς, ἵν' ἐπιδείξῃ αὐτοῦ (9) ἡ μήτηρ τὸν τύπον τοῦ ἄνω Χριστοῦ, ἐκείνου τοῦ ἐπεκταθέντος τῷ Σταυρῷ, καὶ μορφώσαντος τὴν Ἀχαμὼθ μόρφωσιν τὴν κατ' οὐσίαν· πάντα γὰρ ταῦτα τύπους ἐκείνων εἶναι λέγουσι.

3. Τὰς δὲ ἐσχηκυίας τὸ σπέρμα τῆς Ἀχαμὼθ ψυχὰς ἀμείνους λέγουσι γεγονέναι τῶν λοιπῶν· διὸ καὶ πλεῖον τῶν ἄλλων ἠγαπῆσθαι ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, μὴ εἰδότος τὴν αἰτίαν, ἀλλὰ παρ' αὐτοῦ λογιζομένου εἶναι τοιαύτας. Διὸ καὶ εἰς προφήτας, φασὶν, ἔτασσεν αὐτοὺς (10), καὶ ἱερεῖς, καὶ βασιλεῖς. Καὶ πολλὰ ὑπὸ τοῦ σπέρματος τούτου (11) εἰρῆσθαι διὰ τῶν προφητῶν ἐξηγοῦνται, ἅτε ὑψηλοτέρας φύσεως ὑπαρχούσας (12). Πολλὰ δὲ καὶ τὴν μητέρα περὶ τῶν ἀνωτέρω εἰρηκέναι λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ διὰ τούτου, καὶ τῶν ὑπὸ τούτου γενομένων ψυχῶν. Καὶ λοιπὸν τέμνουσι τὰς προφητείας, τὸ μέν τι ἀπὸ τῆς μητρὸς εἰρῆσθαι θέλοντες, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ. Ἀλλὰ καὶ τὸν Ἰησοῦν ὡσαύ-

B

BILLII INTERPRETATIO.

Spiritum, qui in eum conditus fuerat, cum ad Pilatum adduceretur. Quin ne semen quidem illud, quod a matre profectum fuerat, perpessum esse dicunt ; etenim id quoque omni perpessione præstantius esse, utpote spirituale, ac ne in ipsius etiam Demiurgi aspectum cadens. Ita, de ipsorum sententia, psychicus demum Christus perpessus est, et is qui ex dispensatione mystico modo constructus fuerat ; ut per eum mater superioris illius Christi, in cruce extensi, quique essentiæ formam Achamothæ impresserat, typum exprimeret. Hæc enim omnia figuras illorum esse tradunt.

3. Animas porro eas, quæ Achamothæ semen habuerunt, reliquis meliores ac præstantiores esse aiunt ; eoque nomine præ cæteris adamatas esse a Demiurgo, qui rei hujusce causam haudquaquam perspectam habebat, verum beneficio suo tales eas esse existimabat. Quocirca eas in prophetas, ut ipsi inquiunt, et

[37] Vide sup. cap. 4.

(1) *Cum traheretur.* Feuardentium sequimur, qui sic, monente Frontone Duc., ex Græco προσαγομένου emendavit. Emendationi suffragatur Ottob. cod. In cæteris cum editt. tum mss. perperam legitur, *cum traderetur*, male transformata a festinantibus scribis *h* in *d*. Hos tamen, errantes licet, sequi Grabio placuit ; quamvis tamen in multis aliis locis Feuardentio, ex solo textu Græco Latinum emendanti, adhærere non dubitaverit.

(2) *Passus est autem.* Græcam vocem λοιπόν prætermisit interpres. Vertendum erat cum Petavio : *restat igitur, ut passus sit*, etc.

(3) *Distribuebat eas.* Ἔτασσεν melius reddidit Billius *constituebat*. Ms. codex a Frontone Duc. citatus, et Pass. pro *eas* habent *eos*, sicut et Græce αὐτούς.

(4) *De hoc semine.* Lege *ab hoc semine.* Vide infra notam 11.

(5) *Cum altioris naturæ esset.* Melius forte legeretur, *cum altioris naturæ essent.*

(6) *Per hunc.* Supp. *Demiurgum multa de superioribus dicta esse dicunt, et per eas, quæ a Demiurgo factæ sunt animæ*, spiritales scilicet, et spiritali semine imbutæ, ut mox explicatur. Hæc tamen non ad Demiurgum, sed ad semen, de quo mentio proxime facta est, refert Cornarius ; et minus bene. Ea vero sic exprimit Petavius, ut Græcorum sensum haudquaquam assequatur : *Quin etiam de cœlestibus multa disputasse matrem, deque animis, quos vel ille, vel qui ab illo oriundi sunt, pro uxerunt.* Quæ si quis cum Græcis contulerit, ab Irenæi sensu aliena esse deprehendet.

(7) *Per Salvatorem.* Particulam *per*, incuria scribarum omissam, auctoritate Græci textus supplevi, hamulis tamen inclusam. Haud dubium enim quin ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος verterit interpres vel *per Salvatorem*, vel *a Salvatore.*

(8) *Καὶ αὐτὸ τὸ πνευματικόν.* Lege cum vet. interpr. καὶ αὐτὸ, ἅτε πνευματικόν.

(9) *Ἐπιδείξῃ αὐτοῦ.* Lege ἐπιδείξῃ δι' αὐτοῦ.

(10) *Ἔτασσεν αὐτούς.* Αὐτάς cum vet. interpr. et Tertull. cap. 29, melius legeris.

(11) *Ὑπὸ τοῦ σπέρματος τούτου.* Legendum vult Petavius, ad marginem Epiphanii p. 192, ὑπέρ, non ὑπό, deceptus scilicet veteri interpretatione : *multa de hoc semine dicta per prophetas exponunt* ; quam interpretationem secuti sunt Billius et Gallasius. Sed genuinam esse lectionem ὑπό, demonstrant quæ mox subjicit Irenæus : *Dividunt prophetias, aliquid quidem a matre dictum* (per prophetas) *docentes, aliquid a semine*, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ σπέρματος, *aliquid autem ab ipso Demiurgo.* Adeo ut certum sit, ex mente Valentinianorum, prophetas non de semine locutos fuisse ; sed semen, spiritales scilicet animas iis infusas, per eos interdum vaticinia fudisse.

(12) *Ὑπαρχούσας.* Ὑπάρχοντος legi volunt Billius et Petavius, nec dissentit Fronto Duc. Hic tamen suspicatur scriptum ab Irenæo fuisse, ἅτε ὑψηλοτέρας φύσεως ὑπαρχούσας, ut referatur ad animas spiritali semine imbutas, quæ ideo in prophetas, et sacerdotes, et reges constituebantur, quod essent naturæ sublimioris ; et quæ de dictis a semine adduntur, inserta fuisse per parenthesim. Quæ quidem doctissimi viri conjectura aliis forsan certa ratio videbitur.

Digitized by Google

τως, τὸ μέν τι ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος εἰρηκέναι, τὸ δέ τι ἀπὸ τῆς μητρὸς, τὸ δέ τι ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, καθὼς ἐπιδείξομεν προϊόντος ἡμῖν τοῦ λόγου.

4. Τὸν δὲ Δημιουργὸν, ὅτε ἀγνοοῦντα τὰ ὑπὲρ αὐτὸν, κινεῖσθαι μὲν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, καταπεφρονηκέναι δὲ αὐτῶν, ἄλλοτε ἄλλην αἰτίαν νομίσαντα, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ προφητεῦον (ἔχον καὶ αὐτὸ ἰδίαν τινὰ κίνησιν), ἢ τὸν ἄνθρωπον, ἢ τὴν προσπλοκὴν τῶν χειρῶν (1)· καὶ οὕτως ἀγνοοῦντα διατετελεκέναι (2) ἄχρι τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου. Ἐλθόντος δὲ τοῦ Σωτῆρος, μαθεῖν αὐτὸν παρ' αὐτοῦ πάντα λέγουσι, καὶ ἄσμενον αὐτῷ προσχωρήσαντα (3), μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν εἶναι τὸν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἑκατόνταρχον, λέγοντα τῷ Σωτῆρι· *Καὶ γὰρ ἐγὼ ὑπὸ τὴν ἐμαυτοῦ ἐξουσίαν ἔχω* (4) *στρατιώτας καὶ δούλους, καὶ ὃ ἐὰν κροστάξω, ποιοῦσι.* Τελέσειν δὲ αὐτὸν τὴν κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομίαν (5) μέχρι τοῦ δέοντος καιροῦ, μάλιστα δὲ διὰ τὴν τῆς Ἐκκλησίας ἐπιμέλειαν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ ἑτοιμασθέντος αὐτῷ ἐπάθλου, ὅτι εἰς τὸν μητρὸς τόπον χωρήσει.

5. Ἀνθρώπων δὲ τρία γένη ὑφίστανται, πνευματικὸν, χοϊκὸν, ψυχικὸν, καθὼς ἐγένοντο Κάϊν, Ἄβελ, Σήθ· καὶ ἐκ τούτων (6) τὰς τρεῖς φύσεις, οὐκέτι καθ' A dixisse, aliquid a matre, aliquid a Demiurgo, quemadmodum ostendemus procedente nobis sermone.

4. Demiurgum autem, quippe ignorantem quæ essent super eum, moveri quidem in iis quæ dicuntur, contempsisse vero ea, aliam atque aliam causam putantem, quam spiritus qui prophetat (7) (habens et ipse suam aliquam motionem), sive hominem, sive perplexionem pejorum : et sic ignorantem conservasse (8) usque ad adventum Salvatoris. Cum venisset autem Salvator, didicisse eum ab eo omnia dicunt, et in gaudium ei cessisse (9) cum omni virtute sua, et eum esse illum in Evangelio centurionem, dicentem Salvatori : *Et ego enim sub potestate mea habeo milites, et servos, et* B *quod jussero, faciunt*[28]. Perfecturum autem eum eam (10), quæ secundum ipsum est mundi creationem, **35** usque ad id tempus quod oportet, maxime autem propter Ecclesiæ diligentiam atque curam, et propter agnitionem præparati præmii, quoniam in locum matris transibit.

5. Hominum autem tria genera dicunt, spiritale (11), psychicum, choicum, quemadmodum fuit Cain, Abel, Seth ; ut ostendant et ex his tres na-

BILLII INTERPRETATIO.

sacerdotes, et reges constituisse, ac multa de hoc semine, tanquam sublimiore natura prædito, verba a prophetis habita fuisse interpretantur. Quin multa quoque matrem de sublimioribus rebus locutam esse, atque etiam per hunc, et per animas ab eo procreatas. Ac deinceps prophetarum vaticinia scindunt, alia nempe a matre dicta esse volentes, alia a semine, alia a Demiurgo. Eodemque modo Jesum alia Salvatoris, alia matris, alia Demiurgi instinctu dixisse, quemadmodum nos altius progredientes ostendemus.

4. Demiurgum autem, utpote ea, quæ ipso superiora erant, ignorantem, commotum quidem esse iis, quæ dicebantur ; cæterum ea tandem pro nihilo duxisse, alias nempe aliam causam existimantem, hoc est, vel spiritum vaticinantem, qui et ipse peculiarem motum habeat, vel hominem, vel denique complexionem deteriorum ; atque ita tantisper in ignoratione perstitisse, quoad Salvator accessisset. Cum enim ille venisset, ex eo ipsum cuncta didicisse, libentique animo sese ad eum cum omni sua potentia adjunxisse, eumque esse centurionem illum, de quo in Evangelio fit mentio, his verbis ad Salvatorem utentem : *Nam et ego homo, sub potestate mea habeo milites, et servos, et quod eis impero, faciunt.* Eum autem in mundi administrandi munere, quandiu par erit, versaturum ; idque præsertim, ut Ecclesiæ commodis cura sua ac diligentia consulat, atque ob id etiam quod quidnam sibi præmii paratum sit, perspectum et exploratum habeat, hoc est ut ad matris regionem perveniat.

5. Jam vero hominum tria genera constituunt, spirituale, hylicum, psychicum, quemadmodum fuerunt Cain, Abel et Seth ; ut videlicet ex his etiam tres naturas, non jam sigillatim, sed in genere de-

[28] Matth. VIII, 9 ; Luc. VII, 8.

(1) *Χειρῶν.* Leg. cum interpr. χειρόνων.

(2) *Διατετελεκέναι.* Legisse videtur interpr. διατετηρηκέναι, sed minus apposite ad auctoris sensum.

(3) *Προσχωρήσαντα.* Commodius forte legeretur προσχωρῆσαι, inquit Fronto Duc.

(4) *Καὶ γὰρ ἐγὼ ὑπὸ τὴν ἐμαυτοῦ ἐξουσίαν ἔχω*, etc. Sensum duntaxat, non verba ipsa, sive Matthæi, sive Lucæ, citavit Irenæus.

(5) *Τὴν κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομίαν.* Legisse videtur interpres, τὴν κατ' αὐτὸν κόσμου οἰκοδομίαν, sed perperam.

(6) *Καὶ ἐκ τούτων.* Lege cum vet. interp. Ἵν' ἐπιδείξωσι καὶ ἐκ τούτων.

(7) *Quam Spiritus qui prophetat*, etc. Hæc ab interprete perperam omnino reddita, verte : *sive* (non *quam*, Græce ἤ) *spiritum qui prophetat, qui et ipse proprium aliquem motum habeat, sive hominem, sive complexionem* (*non perplexionem*, Græce προσπλοκήν) *pejorum.*

(8) *Ignorantem conservasse.* In ed. Oxon. *ignorantem conservasse*, repugnantibus textu Græco, mss. nostris, et omnibus aliis editt.; sed forte ty- C pographorum lapsus est. Cæterum interpres verbum διατετελεκέναι (si ita legerit, et non διατετηρηκέναι) male reddidit, *conservasse ;* vertendum erat, *perstitisse* vel *perseverasse.*

(9) *In gaudium ei cessisse.* Gr. ἄσμενον αὐτῷ προσχωρήσαντα (forte προσχωρῆσαι), quod vertendum erat, *libenti animo ad eum accessisse*, vel saltem *in gaudio ei accessisse.*

(10) *Perfecturum autem eum*, etc. Hic iterum culpanda interpretis diligentia. Verte ad literam : *Perfecturum autem eum mundi administrationem*, non *creationem.* Sed clarius totam hanc periodum reddidit Billius : *eum autem in mundi administrandi munere, quandiu par erit, versaturum ; idque præsertim, ut Ecclesiæ commodis cura sua atque diligentia consulat, atque ob id etiam quod quidnam sibi præmii paratum sit, perspectum et exploratum habeat, hoc est ut ad matris regionem perveniat.*

(11) *Spiritale... animale vero.* Sic ex Græco reposui pro *spiritalem*, quod in omn. cum editt. tum mss. irrepserat, manifesta scribarum incuria. Interpres enim eadem repetens inferius recte scripsit, *animale, spiritale.*

Digitized by Google

turas, jam non secundum unumquemque (1), sed secundum genus. Et choicum quidem in corruptelam abire; animale vero, si meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum; si vero pejora, transire (2) et ipsum ad similia. Spiritalia vero (3) inseminat Achamoth, ex illo tempore usque nunc, propter quod et animæ erudientur quidem hic; et semina enutrita, quia pusilla emittantur, post deinde perfectione digna habita, sponsas reddi Salvatoris angelis respondent, animabus eorum ex necessitate in medietate cum Demiurgo refrigeraturis in æternum. Et ipsas autem animas rursus subdividentes, dicunt quasdam quidem natura bonas, quasdam autem natura malas. Et bonas quidem has esse, quæ capaces seminis fiunt; alias vero natura nequam, nunquam capere illud semen.

A ἓν, ἀλλὰ κατὰ γένος. Καὶ τὸ μὲν χοϊκὸν εἰς φθορὰν χωρεῖν· καὶ τὸ ψυχικὸν, ἐὰν τὰ βελτίονα ἕληται, ἐν τῷ τῆς μεσότητος τόπῳ ἀναπαύεσθαι· ἐὰν δὲ τὰ χείρω, χωρήσειν καὶ αὐτὸ πρὸς τὰ ὅμοια. Τὰ δὲ πνευματικὰ, ἃ ἂν κατασπείρῃ ἡ Ἀχαμὼθ, ἔκτοτε ἕως τοῦ νῦν δικαίαις ψυχαῖς παιδευθέντα ἐνθάδε καὶ ἐκτραφέντα, διὰ τὸ νήπια ἐκπεπέμφθαι, ὕστερον τελειότητος ἀξωθέντα, νύμφας ἀποδοθήσεσθαι τοῖς τοῦ Σωτῆρος ἀγγέλοις δογματίζουσι, τῶν ψυχῶν αὐτῶν ἐν μεσότητι κατ' ἀνάγκην (ἐν μεσότητι (5)), κατὰ τοῦ Δημιουργοῦ ἀναπαυσαμένων εἰς τὸ παντελές. Καὶ αὐτὰς μὲν τὰς ψυχικὰς (6) πάλιν ὑπομερίζοντες λέγουσιν, ἃς μὲν φύσει ἀγαθὰς, ἃς δὲ φύσει πονηράς. Καὶ τὰς μὲν ἀγαθὰς ταύτας εἶναι τὰς δεκτικὰς τοῦ σπέρματος γινομένας· τὰς δὲ φύσει πονηρὰς μηδέποτε ἂν ἐπιδέξασθαι ἐκεῖνο τὸ σπέρμα.

CAPUT VIII.

Qui Scripturas detorquerent Valentiniani ad ea, quæ impie fingebant.

1. Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod B neque prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, **36** neque apostoli tradiderunt, quod abundantius (4) gloriantur plus quam cæteri cognovisse, de iis quæ non sunt scripta legentes, et, quod solet dici, de arena resticulas nectere affectantes, fide

1. Τοιαύτης δὲ τῆς ὑποθέσεως (7) αὐτῶν οὔσης, ἣν οὔτε προφῆται ἐκήρυξαν, οὔτε ὁ Κύριος ἐδίδαξεν, οὔτε ἀπόστολοι παρέδωκαν, ἣν περὶ τῶν ὅλων αὐχοῦσι πλεῖον τῶν ἄλλων ἐγνωκέναι, ἐξ ἀγράφων ἀναγινώσκοντες, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον, ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν (8) ἐπιτηδεύοντες, ἀξιοπίστως προσαρμόζειν

BILLII INTERPRETATIO.

monstrent. Atque hylicum quidem ad interitum tendere; psychicum autem, si quidem meliorum rerum studium amplectatur, in medietatis loco conquieturum; sin vero deteriora consectetur, ad similia quoque profecturum. At spiritualia, quæ ab Achamoth sata sunt, ex eo tempore huc usque in justorum hominum animis hic erudita et educata, quod videlicet pusilla adhuc et tenera emissa sint; post tandem, ubi omnes perfectionis numeros impleverint, in sponsas angelis Salvatoris attributum iri tradunt, eorumque animos in media regione, una cum Demiurgo, sempiterna quiete fruituros. Atque has ipsas animas rursus distinguentes, aiunt eas partim natura bonas esse, partim natura malas. Et bonas quidem eas esse, quæ seminis capaces effectæ sint; eas autem, quæ natura malæ sunt, ita esse comparatas, ut semen illud nunquam omnino recipiant.

CAPUT VIII.

I. His ita ab eis positis, quemadmodum nec prophetæ unquam prædicarunt, nec Christus docuit, nec apostoli tradiderunt, se præ cæteris mortalibus rerum omnium scientiam perceptam habere gloriantur, quædam videlicet de iis, quæ litterarum sacrarum monumentis haudquaquam prodita sunt, lectitan-

(1) *Jam non secundum unumquemque.* Nam, ut C observat Grabius, supra cap. 5, tres has naturas, spiritalem, animalem et terrestrem, in Adamo et consequenter in singulis hominibus (quamvis non in eodem gradu) reperiri dixerant Valentiniani. Hinc Tertull. cap. 29 : *Triformem naturam primordio professi, et tamen innuitam in Adam, inde jam dividunt per singulares generum proprietates; nacti occasionem distinctionis ejusmodi ex posteritate ipsius Adæ moralibus quoque differentiis tripartitæ.*

(2) *Transire.* Gr. χωρήσειν, *transiturum.*

(3) *Spiritalia vero.* Sic mss. omnes, cum editt. Eras. Gall. et Oxon. juxta Græcum τὰ δὲ πνευματικά. Feuard. vero perperam, *spiritalem.* Cætera male reddidit interpres, quia male legit; omisit enim ἃ ἄν, et pro δικαίαις ψυχαῖς παιδευθέντα, legit διὸ καὶ ψυχαὶ παιδευθήσονται, ut alia taceam. Nec accuratæ sunt recentiores Billii, Frontonis Duc. et Petavii versiones. Hæc ego sic redderem : *spiritalia vero, quæ ex illo tempore usque nunc animabus justis inseminaverit Achamoth, hic erudita et enutrita, quod pusilla emissa fuerint, post deinde perfectione digna habita, sponsas redditum iri Salvatoris angelis docent.*

(4) *Abundantius.* Græce περὶ ὅλων, *de rebus omnibus, universim.* Id est, *se præ cæteris mortalibus rerum omnium scientiam perceptam habere gloriantur,* ut melius reddidit Billius.

(5) *Ἐν μεσότητι.* Expunge ambas has voces parenthesi inclusas; frustra enim ab oscitante scriba repetitæ sunt.

(6) *Τὰς ψυχικάς.* Leg. cum interpr. τὰς ψυχάς.

(7) *Τοιαύτης δὲ τῆς ὑποθέσεως*, etc. Notat Grabius integram hanc sectionem, exceptis ultimis verbis, καὶ ὅσα μὲν ἐν τοῖς, etc., capitulo 8 tractatus *De virtute* insertam fuisse ab Ephræm Syro, haud expresso quidem Irenæi, sed sub indefinito *Sancti cujusdam* nomine, sequentem in modum : Καλῶς καὶ μεγάλως ἀπεφήνατό τις τῶν ἁγίων, οὕτω διδάξας, καί φησιν· Τοιαύτης, etc. Quoniam vero Græcus hujus libelli textus nondum lucem vidisse ait vir eruditus, varias lectiones observatione dignas excerpsit ex Bibliothecæ Bodleianæ cod. Laud., c. 97, quas adnotavit. Idem Ephræmi Tractatus exstat in cod. Bibliothecæ Colbertinæ optimæ notæ, inter D varia alia Patrum opuscula, cum quo etiam Græca Irenæi contulimus.

(8) *Ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν. Ex arena funiculos nectere :* vulgare proverbium est in eos dictum, qui id frustra conantur, quod nulla ratione possit effici. Quod Valentinianis apprime conveniebat, qui Scripturas obtorto, ut aiunt, collo in suum sensum adducere nitebantur.

Digitized by Google

πειρῶνται τοῖς εἰρημένοις, ἤτοι παραβολὰς κυριακὰς, ἢ ῥήσεις προφητικὰς, ἢ λόγους ἀποστολικοὺς, ἵνα τὸ πλάσμα αὐτῶν μὴ ἀμάρτυρον εἶναι δοκῇ· τὴν μὲν τάξιν (1) καὶ τὸν εἰρμὸν τῶν Γραφῶν ὑπερβαίνοντες, καὶ, ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, λύοντες τὰ μέλη τῆς ἀληθείας (2)· μεταφέρουσι δὲ καὶ μετατλάττουσι, καὶ ἄλλο ἐξ ἄλλου ποιοῦντες ἐξαπατῶσι πολλοὺς, τῇ τῶν ἐφαρμοζομένων κυριακῶν λογίων (3) κακοσυνθέτῳ σοφίᾳ (4). Ὅνπερ τρόπον εἴ τις βασιλέως εἰκόνος καλῆς, κατεσκευασμένης (5) ἐκ ψηφίδων ἐπισήμων ὑπὸ σοφοῦ τεχνίτου, λύσας τὴν ὑποκειμένην τοῦ ἀνθρώπου ἰδέαν, μετενέγκῃ (6) τὰς ψηφίδας ἐκείνας, καὶ μεθαρμόσοι (7), καὶ ποιήσει (8) μορφὴν κυνὸς, ἢ ἀλώπεκος, καὶ ταύτην φαύλως κατεσκευασμένην (9), ἔπειτα διορίζοιτο, καὶ λέγοι ταύτην εἶναι τὴν τοῦ βασιλέως ἐκείνην εἰκόνα τὴν καλὴν, ἣν ὁ σοφὸς τεχνίτης κατεσκεύασε, δεικνὺς τὰς ψηφίδας τὰς καλῶς ὑπὸ τοῦ τεχνίτου τοῦ πρώτου εἰς τὴν τοῦ βασιλέως εἰκόνα συντεθείσας (10), κακῶς δὲ ὑπὸ τοῦ ὑστέρου (11) εἰς κυνὸς μορφὴν μετενεχθείσας, καὶ διὰ τῆς τῶν ψηφίδων φαντασίας μεθοδεύοι τοὺς ἀπειροτέρους, τοὺς κατάληψιν βασιλικῆς μορφῆς οὐκ ἔχοντας, καὶ πεῖθοι, ὅτι αὕτη ἡ σαπρὰ τῆς ἀλώπεκος ἰδέα ἐκείνη ἐστὶν ἡ καλὴ τοῦ βασιλέως εἰκών· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ οὗτοι γραῶν μύθους συγκαττύσαντες, ἔπειτα ῥήμασι (12) ἁρμόσαι ἐπιχειροῦσι τοῖς εἰρημένοις, ἤτοι παραβολὰς κυριακὰς, ἢ λόγους ἀποστολικοὺς, ἵνα τὸ πλάσμα αὐτῶν μὴ ἀμάρτυρον εἶναι δοκῇ· τὴν μὲν τάξιν καὶ τὸν εἰρμὸν τῶν Γραφῶν ὑπερβαίνοντες, καὶ, ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, λύοντες τὰ μέλη τῆς ἀληθείας (13)· μεταφέρουσι δὲ καὶ μετατλάττουσι, καὶ ἄλλο ἐξ ἄλλου ποιοῦντες ἐξαπατῶσι πολλοὺς, τῇ τῶν ἐφαρμοζομένων κυριακῶν λογίων (14) κακοσυνθέτῳ σοφίᾳ. Quomodo si quis regis imaginem bonam, fabricatam diligenter (15) ex gemmis pretiosis a sapiente artifice, solvens subjacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, et reformans faciat ex iis formam canis, vel vulpeculæ, et hanc male dispositam, dehinc confirmet et dicat, hanc esse regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricavit, ostendens gemmas, quæ bene quidem a primo artifice in regis imaginem (16) compositæ erant, male vero a posteriore in canis figuram translatæ sunt; et per gemmarum phantasiam (17) decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant, et suadeat (18) quoniam hæc turpis vulpeculæ figura illa est bona regis imago : eodem modo et hi anicularum **37** fabulas assuentes (19), post deinde sermones, et dictiones, et parabolas hinc

BILLII INTERPRETATIO.

tes : et quod dici solet, funem ex arena nectere studentes, probabiliter interim, atque ad faciendam fidem apposite, vel parabolas quasdam Dominicas vel propheticas voces, vel apostolica verba iis, quæ dicta sunt, accommodare conantur, ut ne commentum suum nullius testimonii auctoritate niti videatur; ita tamen ut Scripturarum ordinem, seriemque transiliant, ac, quantum in ipsis est, veritatis membra dissolvant. Transferentes enim, ac refingentes, atque aliud ex alio facientes, plerosque per divinorum oraculorum, quæ figmentis suis adaptant, prave consarcinatam argutiam, in fraudem inducunt. Perinde scilicet, ac si quis regis imagine ex insignibus gemmis ab industrio quodam artifice pulchre et eleganter elaborata, subjectam hominis formam delcat, ac gemmas illas transferat, atque in diversum accommodet, canisque aut vulpis formam efficiat, et quidem male constructam, ac deinde serio affirmet, hanc esse pulchram illam regis imaginem, quam peritus ille artifex condiderat (ostendens nimirum gemmas illas, quæ a priori quidem artifice ad regis imaginem præclare compositæ fuerant, verum a posteriore ad canis formam improbe translatæ); atque per lapillorum speciem imperitiores homines, quique regiam formam haudquaquam norint, circumscribat, fidemque ipsis faciat, putidum hoc vulpis simulacrum, pulchram illam regis imaginem esse. Ad eumdem enim isti quoque modum anilibus quibusdam fabulis

(1) *Τὴν μὲν τάξιν.* Ephræm Syrus legit λέξιν.

(2) *Ἀληθείας.* In cod. Ephræm Colbert. Ἐκκλησίας.

(3) *Λογίων.* Colbert. λόγων.

(4) *Σοφίᾳ.* In Ephræm Colbert. et Bodlei. φαντασίᾳ, nec procul distat vetus interpres, qui legisse videtur φαντάσματι, id est *spectro:* quod vocabulum, inquit Billius, optime quadrat in hos distortorum Scripturæ locorum consarcinatores, qui non solidum quoddam utilis doctrinæ corpus afferunt, sed velut spectrum inane confingunt.

(5) *Εἰκόνος καλῆς κατεσκευασμένης.* Εἰκόνα καλὴν κατεσκευασμένην, addito adverbio ἐπιμελῶς, habet cod. Bodlei. Consentit Colbert., nisi quod pro καλῆς, habet καλῶς.

(6) *Μετενέγκῃ.* Sic Petav. et Grabius. Basileensis vero Epiphanii editio, cum aliis Irenæi editt. et Ephræm Bodlei. μετενέγκει. Cod. Reg. et Colbert. μετενέγκοι.

(7) *Μεθαρμόσοι.* Ephr., Bodlei. et Colbert. μεθαρμόσει.

(8) *Καὶ ποιήσει.* Ephr., Colbert. et Bodlei. καὶ ποιήσας.

(9) *Ταύτην φαύλως κατεσκευασμένην.* Ephr., Colbert. et Bodlei. ταύτης φαύλως κατεσκευασμένης.

(10) *Συντεθείσας.* Ephr. Bodl. συντελεσθείσας.

(11) *Ὑπὸ τοῦ ὑστέρου.* Ephr., Bodl. et Colb. ὑπὸ τοῦ δευτέρου.

(12) *Fide digne.* Sic Clarom., Pass. et Voss. et edit. Oxon. juxta Græcum ἀξιοπίστως. Cæter. editt. *fide digna.* Cod. Arund. *fide dignas.*

(13) *Supergredientes.* Ita in Clarom. Pass. et margine Feuard. melius quam in cæteris, *supergradientes.*

(14) *Ex iis quæ aptant,* etc. Hæc ita construe : *phantasmati* (pro *phantasmate*) *male composito ex iis quæ aptant ex Dominicis eloquiis,* suæ scilicet hypothesi.

(15) *Imaginem bonam fabricatam diligenter.* Legendum juxta Græcum, *imagine bona fabricata diligenter,* in ablativo absoluto.

(16) *In regis imaginem.* Sic Grabius recte reposuit ex Voss. et Græc. εἰκόνα pro *imagine* ut reliqua exemplaria habent.

(17) *Per gemmarum phantasiam.* Melius vertisset interpres, *per gemmarum speciem.*

(18) *Et suadeat.* Male in Feuard. edit. *suadet.*

(19) *Fabulas assuentes.* Sic recte Clarom. juxta Græc. μύθους συγκαττύσαντες. In cæteris omnibus tum editt. tum mss. perperam, *fabulas assumentes.*

Digitized by Google

inde auferentes (1), adaptare volunt (2) fabulis suis eloquia Dei. Et quanta quidem iis, qui sunt intra Pleroma (3), aptant, diximus.

2. Quanta autem de iis, qui extra Pleroma sunt ipsorum, ad suos insinuare conantur (4) ex Scripturis, sunt talia : Dominum in novissimis mundi temporibus propter hoc venisse ad passionem dicunt, ut ostendat, quæ circa novissimum Æonum (5) facta est, passionem, et per hunc finem (6) manifestet finem ejus, quæ est circa Æonas, dispositionis (7). Duodecim autem annorum virginem illam, archisynagogi filiam [9], quam insistens (8) Dominus a mortuis liberavit, typum esse narrant Achamoth, quam (9) extensus Christus eorum figuravit (10), et ad sensibilitatem adduxit ejus, quod dereliquerat eam, luminis. Quoniam autem ei manifestavit semetipsum Salvator exsistenti extra Pleroma in abortionis partu (11), Paulum dicunt dixisse in prima ad Corinthios Epistola : *Novissime autem* (12) *tanquam abortivo visus est et mihi* [10]. Et illam quæ est cum cœtaneis Salvatoris adventationem ad Achamoth, similiter manifestasse eum in eadem Epistola dicentem : *Oportere mulierem velamen habere in capite, propter angelos* [11]. Et quoniam (13) adventante Salvatore ad eam, propter verecundiam velamen imposuit Acha-

τα (14), καὶ λέξεις, καὶ παραβολὰς ὅθεν καὶ πόθεν ἀποσπῶντες, ἐφαρμόζειν βούλονται τοῖς μύθοις αὐτῶν (15) τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Καὶ ὅσα μὲν ἐν τοῖς τοῦ πληρώματος (16) ἐφαρμόζουσιν, εἰρήκαμεν.

2. Ὅσα δὲ καὶ τοῖς ἐκτὸς τοῦ Πληρώματος αὐτῶν προσοικειοῦν πειρῶνται ἐκ τῶν Γραφῶν, ἔστι τοιαῦτα. Τὸν Κύριον ἐν τοῖς ἐσχάτοις τοῦ κόσμου χρόνοις διὰ τοῦτο ἐληλυθέναι ἐπὶ τὸ πάθος λέγουσιν, ἵν' ἐπιδείξῃ τὸ περὶ τὸν ἔσχατον τῶν αἰώνων γεγονὸς πάθος, καὶ δι' αὐτοῦ τοῦ τέλους ἐμφήνῃ τὸ τέλος τῆς περὶ τοὺς αἰῶνας πραγματείας. Τὴν δὲ δωδεκαετῆ παρθένον ἐκείνην, τὴν τοῦ ἀρχισυναγώγου θυγατέρα, ἣν ἐπιστὰς ὁ Κύριος ἐκ νεκρῶν ἤγειρε, τύπον εἶναι διηγοῦνται τῆς Ἀχαμώθ, ἣν ἐπεκτηθεὶς ὁ Χριστὸς αὐτὸν (17) ἐμόρφωσε, καὶ εἰς αἴσθησιν ἤγαγε τοῦ καταλιπόντος αὐτὴν φωτός. Ὅτι δὲ αὐτῇ ἐπέφανεν ὁ Σωτὴρ, ἐκτὸς οὔσης (18) τοῦ πληρώματος, ἐν ἐκτρώματος μοίρᾳ, τὸν Παῦλον λέγουσιν εἰρηκέναι ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους (19)· *Ἔσχατον δὲ πάντων, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, ὤφθη κἀμοί.* Τήν τε μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν τοῦ Σωτῆρος παρουσίαν πρὸς τὴν Ἀχαμὼθ, ὁμοίως πεφανερωκέναι αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ Ἐπιστολῇ εἰπόντα· *Δεῖ τὴν γυναῖκα κάλυμμα ἔχειν* (20) *ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους.* Καὶ ὅτι ἤκοντος τοῦ Σωτῆρος πρὸς αὐτὴν, δι' αἰδῶ κάλυμμα ἐπέθετο ἡ Ἀχαμὼθ, Μωσέα πεποιηκέναι φανερὸν, κάλυμμα θέμενον ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Καὶ τὰ πάθη δὲ αὐτῆς, ἃ ἔπαθεν,

BILLII INTERPRETATIO.

consutis, ac deinde verbis, et vocibus, et parabolis hinc atque hinc avulsis, oracula divina fabulis suis accommodare student. Atque ea quidem omnia, quæ interno Pleromatis cœtui adaptant, jam commemoravimus.

2. Quæcunque autem iis etiam quæ a Pleromate remota sunt, ex Scripturis accommodare nituntur, sunt hujusmodi. Dominum extremis mundi temporibus hac de causa ad subeundos cruciatus venisse aiunt, ut passionem eam, quæ postremo Æoni contigerat, indicaret, ac per ipsum finem, quis negotii illius, quod Æonibus contigit, finis exstiterit, declararet. Virginem autem illam, archisynagogi filiam, annos duodecim natam, quam superveniens Dominus a morte ad vitam revocavit, figuram esse Achamoth aiunt, quam extensus ipsorum Christus informavit, luminisque, quod eam deseruerat, sensum ei restituit. Quod autem ipsi, cum abortus cujuspiam instar esset, Salvator apparuerit, Paulum in ea Epistola, quam ad Corinthios scripsit, in hæc verba commemorasse : *Postremo autem omnium, tanquam abortivo, visus est mihi.* Quin Salvatoris quoque, una cum æqualibus suis, adventum ad Achamoth, eodem modo ipsum in eadem epistola declarasse, his verbis utentem : *Mulierem oportet velamen habere in capite propter angelos.*

[9] Luc. VIII, 41. [10] I Cor. XV, 8. [11] I Cor. XI, 10.

(1) *Auferentes.* Sic Feuard. in marg. cum edit. Oxon., Clarom., Pass., Arund. et Voss. juxta Græc. ἀποσπῶντες. Male vero cæteræ editt. *afferentes.*

(2) *Adaptare volunt.* Ita ex Clarom. restituimus juxta Gr. ἐφαρμόζειν βούλονται, pro *ut aptare volunt*, quod perperam exstat in omnibus aliis cum editt. tum mss.

(3) *Iis qui sunt intra Pleroma.* Mallem, *iis quæ sunt intra Pleroma.*

(4) *De iis, qui extra Pleroma sunt ipsorum, ad suos insinuare conantur.* Legendum ex Græc. *iis, quæ sunt extra Pleroma ipsorum, adaptare conantur.* Pro *ad suos*, cod. Clarom. habet *ad suas.*

(5) *Novissimum Æonum.* Clarom., Pass. et Ottob. *novissimum Æonem.*

(6) *Et per hunc finem.* Exitum scilicet vitæ Salvatoris. Vide sup. cap. 3.

(7) *Quæ est circa Æonas dispositionis.* Vertendam fuerat, *quod est circa Æonas negotii.*

(8) *Insistens.* Gr. ἐπιστάς, *accedens.*

(9) *Achamoth quam.* Ita recte Clarom. et Arund. cum edit. Oxon. juxta Gr. ἣν, scilicet Achamotham; male vero cæt. editt. habent *quem.*

(10) *Figuravit.* Gr. ἐμόρφωσε, *efformavit.*

(11) *In abortionis partu.* Recte monet Fronto Duc. legendum esse, *in abortionis parte*; Gr. μοίρᾳ, *sorte*, id est, instar abortivi fetus. Vid. sup. cap. 4.

(12) *Novissime autem.* Cod. Clarom. et editt. Eras. et Gall. *novissimo autem.*

(13) *Et quoniam.* Al. *Quoniam et.*

(14) *Ἔπειτα ῥήματα*, etc. In Ephr., Bodl. et Colb. legitur : διά τε ῥημάτων, καὶ λέξεων, καὶ παραβολῶν, etc.

(15) *Μύθοις αὐτῶν.* Ephr., Colb. et Bodl. μύθοις ἑαυτῶν.

(16) *Ἐν τοῖς τοῦ πληρώματος.* Lege cum interp. τοῖς ἐντὸς τοῦ πληρώματος.

(17) *Ὁ Χριστὸς αὐτόν.* Lege cum interp. ὁ Χριστὸς αὐτῶν.

(18) *Ἐκτὸς οὔσης.* Legendum vult Billius, ἐκτὸς οὔσῃ.

(19) *Ἐν τῇ πρὸς Κορ.* Lege cum interp. ἐν τῇ πρώτῃ πρὸς Κορ.

(20) *Δεῖ τὴν γυναῖκα κάλυμμα ἔχειν.* In nostris codicibus I Cor. XI, 10, legitur, *ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.* At Irenæi codices habere potuisse κάλυμμα, inde conjicio,

Digitized by Google

ἐπισεσημειῶσθαι τὸν Κύριον φάσκουσιν ἐν τῷ σταυρῷ. Καὶ ἐν μὲν τῷ εἰπεῖν· *Ὁ Θεός μου* (1), *εἰς τί ἐγκατέλιπές με;* μεμηνυκέναι αὐτὸν, ὅτι ἀπελείφθη ἀπὸ τοῦ φωτὸς ἡ Σοφία, καὶ ἐκωλύθη ὑπὸ τοῦ Ὅρου τῆς εἰς τοὔμπροσθεν ὁρμῆς· τὴν δὲ λύπην αὐτῆς, ἐν τῷ εἰπεῖν· *Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου* (2)· τὸν δὲ φόβον ἐν τῷ εἰπεῖν· *Πάτερ, εἰ δυνατὸν, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον·* καὶ τὴν ἀπορίαν δὲ ὡσαύτως ἐν τῷ εἰρηκέναι· *Καὶ τί εἶπω, οὐκ οἶδα* (3).

A moth (5) in faciem suam. Et passiones autem, quas passa est, significasse Dominum dicunt **38** (in hoc quidem (6), quod derelicta est a lumine) in eo, cum dicit in cruce : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* [13] ? manifestasse eum, quoniam derelicta est a lumine Sophia, et prohibita est ab Horo in priora impetum facere. Tædium autem ejus (7), in eo quod dixisset : *Quam tristis* (8) *est anima mea* [13] ! Timorem autem, in eo quod dixerit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix* [14] (9). Et aporiam autem (id est consternationem), similiter in eo quod dixerit : *Et quid dicam, nescio* [15] (10).

3. Τρία δὲ γένη ἀνθρώπων οὕτως δεδειχέναι διδάσκουσιν αὐτόν· τὸ μὲν ὑλικὸν, ἐν τῷ εἰπεῖν τῷ ἐρωτήσαντι· *Ἀκολουθήσω σοι; Οὐκ ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ποῦ τὴν κεφαλὴν κλῖναι·* τὸ δὲ ψυχικὸν ἐν τῷ εἰρηκέναι τῷ εἰπόντι, *Ἀκολουθήσω σοι, ἐπίτρεψον δέ μοι πρῶτον ἀποτάξασθαι τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ μου* (4)· *Οὐδεὶς ἐπ' ἄροτρον τὴν χεῖρα ἐπιβαλὼν, καὶ εἰς τὰ ὀπίσω βλέπων, εὔθετός ἐστιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐ-*

3. Tria autem genera hominum ostendisse docent eum; hylicum quidem, in eo quod respondenti dicenti (11) : *Sequar te ? Non habet filius hominis ubi caput reclinet* [16]. Animale autem, in eo quod dixerit dicenti : *Sequar te, permitte autem mihi ire* (12) *et renuntiare domesticis : Nemo super aratrum manum imponens, et in posteriora respiciens, aptus est regno cœlorum* [17-18]. Hunc autem dicunt de mediis

BILLII INTERPRETATIO.

Quod autem veniente ad eam Salvatore ipsa præ pudore velamen sibi obduxerit, perspicuum id fecisse Moysem, cum velamine vultum suum obtexisset. Quin etiam passiones, quas ipsa subiit, a Salvatore in cruce significatas esse dicunt. Et quidem in his verbis : *Deus meus, quare me dereliquisti ?* nihil aliud indicasse, quam quod Sophia a lumine deserta fuisset, atque ab Horo prohibita, quominus porro progrederetur ; mœrorem autem ipsius, cum dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* metum vero, cum his verbis est usus : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste ;* atque item anxietatem, animique perplexitatem, cum dixit : *Et quid dicam, ignoro.*

3. Jam triplex hominum genus ita eum demonstrasse docent : hylicum nempe, cum ei qui dicebat, *Sequar te,* hoc responsi dedit : *Non habet Filius hominis ubi caput reclinet.* Psychicum autem, in eo quod ei qui dixerat : *Sequar te, sed permitte mihi prius renuntiare his qui in domo mea sunt ;* ad hunc modum respondit : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est ad regnum cœlorum.* Hunc enim

[13] Matth. xxvii, 46. [13] Matth. xxvi, 38. [14] Ibid. v, 39. [15] Joan. xii, 27. [16] Luc. ix, 57, 58. [17-18] Ibid. v, 61, 62.

quod in quibusdam citatis in edit. Nov. Test. Oxon. an. 1675, pro ἐξουσίαν, legatur περιβόλαιον, et Hammondus in adnot. in hunc locum scribat, in codicibus quibusdam Latinis haberi *velamen.* Sed quidvis legatur, sive ἐξουσίαν, sive κάλυμμα, perinde est ad sensum. Nam, ut post Photium epist. 210, observat Theophylactus in hunc locum, τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον, τουτέστι τὸ κάλυμμα, *symbolum subjectionis est velum.*

(1) *Ὁ Θεός μου.* Repetendum cum interp. et sacro Evang. textu, Matth. xxvii, 46 : *Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί,* etc.

(2) *Ἕως θανάτου.* Hæc vel non legit, vel omisit Irenæi interpres.

(3) *Οὐκ οἶδα.* Istæ duæ voces in hodierno S. Joannis textu non exstant. Forte a Valentinianis Scripturarum corruptoribus ad erroris confirmationem additæ fuerant.

(4) *Ἐν τῷ οἴκῳ μου.* Εἰς τὸν οἰκόν μου, nostra habent N. Test. exemplaria ; sicut et mox, εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, pro, ἐν τῇ βασιλείᾳ οὐρανῶν. Sed hæc forsan ex memoria citabat Irenæus.

(5) *Velamen imposuit Achamoth.* Hic deficit interpretatio Latina in omnibus tum editt. tum mss. Ex Græco lege : *Velamen imposuit Achamoth : Mosen id perspicuum fecisse, dum velamen imposuit in faciem suam.* Nempe vocum istarum, *velamen imposuit,* repetitio, festinantibus scribis occasio fuit intermedias omittendi.

(6) *Significasse Dominum dicunt ; in hoc quidem,* etc. Hæc perturbata sunt. Expunge primum hæc verba, *in hoc quidem quod derelicta est a lumine,* quæ male huc transtulit excitans scriba. Tum lege ex Græco : *significasse Dominum dicunt in cruce. Et in hoc quidem, quod dicit. Deus meus,* etc.

(7) *Tædium autem ejus.* Melius vertisset interpres, *tristitiam autem ejus,* Achamothæ scilicet.

(8) *Quam tristis.* Scripsisse videtur interpres, *quoniam ;* sed hanc vocem compendio scriptam male legentes scribæ, reposuerunt *quam.*

(9) *Calix. Iste,* additum in editt. omnibus, delemus cum Grabio, quia deest in Clarom. Arund. Voss. et Merc. 1, neque in Græco Irenæi textu legitur τοῦτο.

(10) *Et quid dicam nescio.* Edit. Oxon. male, *et quid faciam nescio.*

(11) *In eo quod responderit dicenti.* Vertendum erat : *in eo quod responderit interroganti* (Græc. τῷ ἐρωτήσαντι) *sequar te ?* vel clarius : *in eo quod interroganti ; sequar te ? responderit.* Hæc quidem, *sequar te,* interrogando non proferuntur, neque Luc. ix, 57, neque Matth. viii, 19. Sed, ut observat Fronto Duc., perperam ista citare potuerunt hæretici, ex quorum myrotheciis proferuntur.

(12) *Ire et renuntiare. Ire et,* non est in Græc. sive Epiphan. sive S. Lucæ textu ; sed in hoc, ante, ἀποτάξασθαι, legitur πρῶτον, *primum,* quod omisit interpres. Cæterum Græca hujus Evangelii loci perperam vertit Gallasius : *permitte mihi ut prius constituam de iis, quæ sunt domui meæ.* Melius vertuntur a vet. Evangelii et Irenæi interpret. *renuntiare domesticis ;* vel *iis, qui domi sunt.* Nam, inquit Fronto Duc., altera lectio Vulgatæ Luc. ix, 61, hinc confirmatur, et illo Tertulliani lib. iv *contra Marc.* c. 23 : *Prius suis valedicere parantem prohibet retro spectare.* Si vel vulgata Lexica consuluisset Gallasius, didicisset, ἀποτάσσεσθαι, frequenter significare, *dimittere, valere jubere, mœstum remittere,* etc.

Digitized by Google

esse. Et illum autem similiter, qui multas partes justitiæ confitebatur se fecisse, post deinde noluisse sequi (1), sed a divitiis victum, ut ne fieret perfectus, et hunc de psychico genere fuisse volunt. Spiritale vero (2), in eo quod dicit : *Remitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei* [19] ; et Zacchæo publicano, dicens : *Properans descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere* (3) [20]. Et fermenti parabolam (4), quod mulier abscondisse dicitur in farinæ sata tria, tria genera manifestare dicunt. Mulierem quidem, Sophiam dici docent; farinæ vero **39** sata tria, tria genera hominum, spiritale, animale, choicum. Fermentum vero, ipsum Salvatorem dictum dicunt. Et Paulum autem manifeste dixisse choicos, animales, spiritales. Alibi quidem : *Qualis choicus, tales et choici* [21]. Alibi autem : *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus* [22]. Alibi autem : *Spiritalis examinat omnia* [23]. *Animalis autem* (5) *non percipit quæ sunt spiritus*, de Demiurgo dictum dicunt, qui cum psychicus sit, non cognoverit neque matrem spiritalem exsistentem, neque semen ejus, neque eos, qui sunt in Pleromate, Æones. Quoniam autem eorum, quos salvaturus erat Salvator, initia accepit (6), Paulum dixisse : *Et si delibatio sancta, et massa* [24]. Delibationem quidem,

A *parῶν*. Τοῦτον γὰρ λέγουσι τὸν μέσον εἶναι (7). Κἀκεῖνον δὲ ὡσαύτως τὸν τὰ πλεῖστα μέρη τῆς δικαιοσύνης ὁμολογήσαντα πεποιηκέναι, ἔπειτα μὴ θελήσαντα ἀκολουθῆσαι, ἀλλὰ ὑπὸ πλούτου ἡττηθέντα, πρὸς τὸ μὴ τέλειον γενέσθαι, καὶ τοῦτον τοῦ ψυχικοῦ γένους γεγονέναι θέλουσι. Τὸ δὲ πνευματικὸν ἐν τῷ εἰπεῖν· *Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ πορευθεὶς διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ*· καὶ ἐπὶ Ζακχαίου τοῦ τελώνου εἰπών· *Σπεύσας κατάβηθι, ὅτι σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι*. Τούτους γὰρ πνευματικοῦ γένους καταγγέλλουσι γεγονέναι. Καὶ τὴν τῆς ζύμης παραβολήν, ἣν ἡ γυνὴ ἐγκεκρυφέναι λέγεται εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, τὰ τρία γένη δηλοῦν λέγουσι. Γυναῖκα μὲν γὰρ τὴν Σοφίαν λέγεσθαι διδάσκουσιν· ἀλεύρου σάτα (8) τὰ τρία γένη τῶν ἀνθρώπων, πνευ- B ματικὸν, ψυχικὸν, χοϊκόν· ζύμην δὲ αὐτὸν τὸν Σωτῆρα εἰρῆσθαι διδάσκουσι. Καὶ τὸν Παῦλον διαῤῥήδην εἰρηκέναι χοϊκοὺς, ψυχικοὺς, πνευματικούς· ὅπου μὲν, *Οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί*· ὅπου δὲ, *Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος* (9). ὅπου δὲ, *Πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα*. Τὸ δὲ, *Ψυχικὸς οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος*, ἐπὶ τοῦ Δημιουργοῦ φασιν εἰρῆσθαι, ὃν, ψυχικὸν ὄντα, μὴ ἐγνωκέναι μήτε τὴν μητέρα πνευματικὴν οὖσαν, μήτε τὸ σπέρμα αὐτῆς, μήτε τοὺς ἐν τῷ πληρώματι Αἰῶνας. Ὅτι ἰδὼν (10) ἤμελλε σώζειν ὁ Σωτὴρ, τούτων τὰς ἀπαρ-

BILLII INTERPRETATIO.

mediæ classis esse asserunt, quemadmodum et illum, qui, cum multas justitiæ partes a se impletas esse profiteretur, postea tamen eum sequi detrectavit, opibusque victus est, et a perfectione retardatus. Nam et hunc de psychico genere fuisse illis placet. Denique spirituale in his verbis eum indicasse : *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu vero profectus, annuntia regnum Dei.* Et cum Zachæo publicano dixit : *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Hos namque spiritualis generis fuisse tradunt. Atque etiam parabola ea, in qua de fermento agitur, quod mulier in tribus farinæ satis abscondisse dicitur, tria hæc genera declarari dicunt. Per mulierem enim, Sophiam intelligendam esse docent; per farinæ sata, triplex hominum genus, spirituale, psychicum, hylicum; fermentum autem Salvatorem ipsum dictum esse. Paulum item choicos, psychicos, et spirituales dixisse. Exempli causa cum dixit : *Qualis terrenus, tales et terreni.* Et rursus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Et alio loco : *Spiritualis omnia dijudicat.* Illud autem : *Animalis non percipit ea quæ sunt spiritus*; de Demiurgo usurpatum esse aiunt, qui cum animalis esset, nec matrem, quæ spiritualis erat, nec ipsius semen, nec denique Æonas, qui in Pleromate sunt, cognoverit. Jam quod eorum, quibus salutem allaturus erat, primitias Salvator assumpserit, Paulum his verbis testatum esse : *Si radix sancta, utique et massa.* Quo loco per primitias, id quod spirituale est, significari docent; per massam autem nos, hoc est psychicam

[19] Luc. IX, 60. [20] Luc. XIX, 5. [21] I Cor. XV, 48. [22] I Cor. II, 14. [23] Ibid. V, 15. [24] Rom. XI, 16.

(1) *Noluisse sequi.* Vertendum erat, *nolentem sequi*, ut Græcus textus, et constructio requirunt. C

(2) *Spiritale vero.* Scilicet, *hominum genus.* Sic edit. Eras., Gall. et Feuard. melius quam mss. codd. et edit. Oxon. *spiritalem vero :* in Græco siquidem legitur, τὸ δὲ πνευματικόν, et paulo ante scripsit interpres, *hylicum quidem, animale vero.*

(3) *Oportet me manere.* Post hæc adde ex Græco, *hos namque spiritualis generis fuisse tradunt*, τούτους γὰρ πνευματικοῦ γένους καταγέλλουσι γεγονέναι.

(4) *Et fermenti parabolam.* In Eras. Gallas. et Feuard. male : *et in fermenti parabola.*

(5) *Animalis autem.* Ex Græco lege : *istud vero : Animalis autem.*

(6) *Initia accepit.* Melius ἀπαρχάς vertisset interpres *primitias*, ut et superius cap. 6 vertit, quam *initia.*

(7) *Τὸν μέσον εἶναι.* Legisse videtur interpres τῶν μέσων, vel, ἐκ τῶν μέσων, sicuti paulo post scribitur, τοῦτον τοῦ ψυχικοῦ γένους γεγονέναι.

(8) *Ἀλεύρου σάτα.* Lege cum interp. ἀλεύρου δὲ σάτα τρία, id enim non modo sensus exigit, sed et textus Græcus paulo ante ita sonat.

(9) *Τὰ τοῦ πνεύματος.* Τοῦ Θεοῦ addunt nostri Nov. Test. codices. Quod omissum est non solum hoc loco, sed et in Syriaca versione, ac Chrysost. in Comm. ad I Cor. XI. Clemens vero Alex. lib. I *Strom.*, pag. 297, hæc Apostol. verba refert, cum vocibus τοῦ Θεοῦ : at lib. V, pag. 557, eadem verba commemorans omittit τοῦ Θεοῦ. Hinc colligit Grabius has voces priori loco a recentiori forte scriba additas fuisse. Sed non satis firma videtur ea conjectura. Clemens enim lib. V *Strom.* Apostoli verba non ex professo, sed ex memoria citare videtur, tacito etiam Apostoli nomine, et solum quantum ad scopum conducebant, ut scilicet probaret a spiritualibus duntaxat apprehendi posse spiritalia.

(10) *Ὅτι ἰδὼν.* Leg. ὅτι δ' ὧν

Digitized by Google

χὰς ἀνέλαβε, τὸν Παῦλον εἰρηκέναι· *Καὶ ἦν ἡ ἀπαρχὴ* (1) *ἁγία, καὶ τὸ φύραμα*· ἀπαρχὴν μὲν τὸ πνευματικὸν εἰρῆσθαι διδάσκοντες, φύραμα δὲ ἡμᾶς, τουτέστι τὴν ψυχικὴν Ἐκκλησίαν, ἧς τὸ φύραμα ἀνειληφέναι λέγουσιν αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ συνεσταλκέναι (2), ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη.

4. Καὶ ὅτι ἐπλανήθη ἡ Ἀχαμὼθ ἐκτὸς τοῦ πληρώματος, καὶ ἐμορφώθη ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀνεζητήθη ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος, μηνύειν αὐτὸν λέγουσιν ἐν τῷ εἰπεῖν, *αὐτὸν ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ πεπλανημένον* (3). Πρόβατον μὲν γὰρ πεπλανημένον τὴν μητέρα αὐτῶν ἐξηγοῦνται λέγεσθαι, ἐξ ἧς τὴν ὧδε θέλουσιν ἐσπάρθαι Ἐκκλησίαν· πλάνην δὲ τὴν ἐκτὸς πληρώματος ἐν τοῖς πάθεσι (4) διατριβὴν, ἐξ ὧν γεγονέναι τὴν ὕλην ὑποτίθενται· τὴν δὲ γυναῖκα τὴν σαροῦσαν τὴν οἰκίαν, καὶ εὑρίσκουσαν τὴν δραχμὴν, τὴν ἄνω Σοφίαν διηγοῦνται λέγεσθαι, ἥτις ἀπολέσασα τὴν ἐνθύμησιν αὐτῆς, ὕστερον, καθαρισθέντων πάντων διὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας, εὑρίσκει αὐτήν· διὸ καὶ ταύτην ἀποκαθίστασθαι, κατ' αὐτοὺς, ἐντὸς πληρώματος. Συμεῶνα τὸν *εἰς τὰς ἀγκάλας λαβόντα τὸν Χριστὸν, καὶ εὐχαριστήσαντα αὐτῷ* (5), *καὶ εἰπόντα· Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, Δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ*, τύπον εἶναι τοῦ Δημιουργοῦ λέγουσιν, ὡς ἐλθόντος (6) τοῦ Σωτῆρος ἔμαθε τὴν μετάθεσιν αὐτοῦ, καὶ ηὐχαρίστησε τῷ Βυθῷ. Καὶ διὰ τῆς Ἄννης, τῆς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ κη-

A quod est spiritale dictum docentes; conspersionem autem nos, id est psychicam Ecclesiam, cujus substantiam (7) assumpsisse dicunt eum, et cum semetipso crexisse, quoniam erat ipse fermentum.

4. Et quoniam erravit Achamoth extra Pleroma, et formata est a Christo, et quæsita est a Salvatore, manifestare eum dicunt, in eo quod dixit, semetipsum *venisse ad eam quæ errasset ovem* [25]. Ovem enim errantem, matrem suam referunt dici, ex qua eam, quæ sit hic, volunt esse seminatam Ecclesiam; errorem autem, eam, quæ est extra Pleroma, in omnibus passionibus immorationem, ex quibus factam materiam tradunt. *Mulierem* autem illam, *quæ mundat domum, et invenit drachmam* [26], superiorem Sophiam narrant dici, quæ B cum perdidisset intentionem suam, post deinde mundatis omnibus per Salvatoris adventum, invenit eam; quoniam et hæc restituitur, **40** secundum eos, intra Pleroma (8). Symeon (9) autem eum, qui *in manus suas* (10) *accepit Christum, et gratias egit Deo, et dixit: Nunc remittis* (11) *servum tuum, Domine, secundum sermonem tuum in pace* [27]: typum esse Demiurgi dicunt, qui veniente Salvatore didicit transpositionem suam, et gratias egit Bytho. Et per Annam (12), quæ in Evangelio dicitur *septem annis cum viro vixisse* [28], reliquum autem

BILLII INTERPRETATIO.

Ecclesiam, cujus eum massam assumpsisse, atque in se contraxisse dicunt, quoniam ipse fermentum erat.

4. Quod autem Achamoth extra Pleroma oberraverit, atque a Christo formata, et a Salvatore quæsita sit, indicare eum, cum se ad ovem eam, quæ a grege aberraverat, venisse ait. Etenim per ovem aberrantem, matrem suam significari aiunt, ex qua Ecclesiam hanc satam esse volunt. Per aberrationem autem, intelligi ejus extra Pleroma in passionibus commorationem, ex quibus materiam ortam esse fingunt. Per eam item mulierem, quæ domum suam everrit, et drachmam invenit, superiorem Sophiam intelligendam esse censent, quæ quidem, perdita sua enthymesi, postea omnibus per Salvatoris adventum perpurgatis, eam invenit. Unde etiam hanc, de eorum sententia, Pleromati restitutam fuisse. Symeonem porro, *qui in ulnas suas Christum accepit, ac Deo gratias egit, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace;* Demiurgi figuram esse tradunt, qui veniente Salvatore, translationem sui didicit, et Bytho gratias egit. Consimilem etiam in modum per Annam illam, quæ in Evangelio prophetissa dicitur, septemque annis cum viro transactis, reliquum omne vitæ tempus in viduitate confecit, quousque Salvatorem vidit, eumque agnovit, atque apud omnes de eo verba faciebat, perspicue Achamoth significari asserunt; quæ quidem cum exiguo tempore Salvatorem, una cum ipsius æqualibus conspexisset, per omne reliquum tempus in medietate sedem figens, opperiebatur eum, ecquando rursus

[25] Luc. xv, 4. [26] Ibid. v. 8. [27] Luc. II, 28. [28] Ibid. v. 36.

(1) *Ἦν ἡ ἀπαρχή*. Sic recte Petavius et Grab.; C male vero in Basileensi Epiphanii editione legebatur, ἦν ἡ ἀπαρχή. Quod Græci codicis mendum non deprehendens Gallasius, in apertissimo loco, ait Billius, tanquam in meridiana luce hallucinatus est; vertit enim: *et erant primitiæ sanctæ*. Cæterum vulgata N. Test. exemplaria habent usitatiorem particulam *si*.

(2) *Συνεσταλκέναι*. Suspicatur Billius mendosum hoc loco fuisse codicem, quo usus est vetus interpres, qui *erexisse* vertit, quasi in Græco esset, συνανεστηκέναι. Suspicarer ego potius cum Grabio mendosum esse nostrum codicem, genuinamque lectionem esse συνανεστηκέναι. Id suadere videtur ratio quæ continuo subjicitur, ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη, *quoniam erat ipse fermentum*; fermenti enim proprium est, non *contrahere*, sed potius *inflare et erigere*.

(3) *Πεπλανημένον*. Adde cum vet. interp. πρόβατον. Quam vocem omisit imprudens scriba, quod ab eadem sequens periodus inciperet.

(4) *Τοῖς πάθεσι*. Legit interp. τοῖς πᾶσι πάθεσι.

(5) *Αὐτῷ*. Legit interp. τῷ Θεῷ. Nostri vero N. Test. codices habent: Καὶ εὐλόγησε τὸν Θεόν.

(6) *Ὡς ἐλθόντος*. Leg. ὃς ἐλθόντος.

(7) *Cujus substantiam*. Vertendum erat, *cujus massam*.

(8) *Restituitur secundum eos intra Pleroma*. Quia nimirum Enthymesis, seu Achamoth a medietatis loco in ipsum Pleroma transiens, matri suæ, superiori Sophiæ, a qua per Horon separata fuerat, denuo conjungitur. Vid. cap. 2 et 7.

(9) *Symeon*. Pro *Symeonem*.

(10) *In manus suas*. Græc. εἰς τὰς ἀγκάλας, *in ulnas suas*.

(11) *Remittis*. Sic omnes mss. pro *dimittis*, ut est in edit. Eras. et Gall. ac Feuard. Bibliisque vulgatis.

(12) *Et per Annam*, etc. Lege juxta Græcum: *et per Annam illam, quæ in Evangelio prophetissa dicitur, septemque annis*, etc.

Digitized by Google

omne tempus vidua perseverasse, donec vidisset Salvatorem, et agnovisset eum, et loqueretur de eo omnibus, manifestissime Achamoth significari dicunt : quæ cum ad modicum vidisset tunc Salvatorem cum cœtaneis suis, postero omni tempore perseverans in medietate, sustinebat eum, quando iterum veniat, et reponat eam suæ conjugationi. Et nomen autem ejus significatum a Salvatore, in eo quod dixerit : *Justificata est sapientia a filiis ejus* [29] ; et a Paulo autem sic : *Sapientiam autem loquimur perfectis* [30]. Et conjugationes autem, quæ sunt intra Pleroma, Paulum dixisse dicunt, in uno ostendentem (1). De ea enim conjugatione, quæ est secundum hanc vitam, scribens ait : *Hoc enim mysterium magnum est : ego autem in Christo et Ecclesia* [31].

A

B

5. Adhuc autem Joannem discipulum Domini docent, primam ogdoadem, et omnium generationem (2) significasse ipsis dictionibus : Itaque principium quoddam subjecit, quod primum factum est a Deo : quod etiam Nun vocat et Filium, et Unigenitum Domini vocat (3), in quo omnia Pater præmisit (4) seminaliter. Ab hoc (5) autem aiunt **41** Verbum emissum, et in eo omnem Æonum substantiam, quam ipsum postea formavit Verbum. Quoniam igitur de prima genesi dicit, bene a principio, hoc est a Filio et Verbo, doctrinam facit. Dicit autem sic : *In principio erat Verbum, et Ver-*

5. Ἔτι τε Ἰωάννην, τὸν μαθητὴν τοῦ Κυρίου, δηλοῦν δάσκουσι τὴν πρώτην ὀγδοάδα μεμηνυκέναι αὐταῖς λέξεσι, λέγοντες οὕτως· Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, βουλόμενος εἰπεῖν τὴν τῶν ὅλων γένεσιν, καθ' ἣν τὰ πάντα προέβαλεν ὁ Πατήρ, ἀρχήν τινα ὑποτίθεται, τὸ πρῶτον γεννηθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ὃν δὴ καὶ υἱὸν Μονογενῆ, καὶ Θεὸν κέκληκεν, ἐν ᾧ τὰ πάντα ὁ Πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς. Ὑπὸ δὲ τούτου φησὶ τὸν Λόγον προβεβλῆσθαι, καὶ ἐν αὐτῷ τὴν ὅλην τῶν Αἰώνων οὐσίαν, ἣν αὐτὸς ὕστερον ἐμόρφωσεν ὁ Λόγος. Ἐπεὶ οὖν περὶ πρώτης γενέσεως λέγει, καλῶς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, τουτέστι (8) τοῦ

BILLII INTERPRETATIO.

veniret, eamque suo conjugio restitueret. Quin ipsius quoque nomen proditum fuisse a Salvatore, cum diceret : *Et justificata est sapientia a filiis suis.* Itemque a Paulo in his verbis : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Sed et conjugia ea, quæ in Pleromate sunt, Paulum commemorasse, in uno ostendentem. Nam cum de vitæ hujusce conjugio scriberet, hunc in modum est locutus : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, et Ecclesia.*

5. Joannem præterea Domini discipulum, primam ogdoadem indicasse docent, hismet verbis utentes: Joannes Domini discipulus rerum omnium ortum exponere cupiens, juxta quem Pater omnia produxit, principium quoddam ponit, id nempe quod primo a Deo genitum est, quem et Nun, et unigenitum Filium, ac Deum appellavit, in quo Pater omnia seminali ratione procreavit. Ab eo autem Sermonem productum esse, et in eo omnem Æonum essentiam, quam postea Sermo ipse formavit. Quoniam igitur de primo rerum ortu verba facit, recte a principio, hoc est a Deo, et Sermone doctrinam suam instituit. Ad

[29] Luc. VII, 35. [30] I Cor. II, 6. [31] Ephes. V, 32.

(1) *In uno ostendentem.* Id est, inquit Grabius, unico conjugii mundani exemplo indigitantem conjugationes, ex quibus supremum consistit Pleroma.

(2) *Et omnium generationem.* Istæ voces male huc translatæ sunt. Cætera quæ sequuntur, mutila sunt. Quare sic ex Græco restitue : *Adhuc autem Joannem discipulum Domini docent, primam Ogdoadem ipsis verbis significasse, ita dicentes : Joannes discipulus Domini omnium generationem exponere volens, juxta quam Pater omnia produxit, principium aliquod subjecit*, etc.

(3) *Quod etiam Nun vocat et Filium : et unigenitum Domini vocat.* Cod. Clarom. *quod etiam nunc vocat et Filium ; et unigenitum Deum vocat.* Quoad vocem *nunc* consentiunt Voss. et Merc. 2, quoad vocem *Deum*, Arund. Sed neque sic legendo Græcorum sensum exprimes, aut textus Latini defectibus medeberis. Lege ergo : *Quod et Nun, et Filium unigenitum, et Deum vocavit.* Quanquam vox Νοῦς neque in Græco Irenæi textu, neque in hoc primo Evangelii Joannis capite occurrat.

(4) *Præmisit.* Ita Clarom., Pass., Voss. et Feuard. in marg. procul dubio ex vet. cod. At idem Feuard. in textu, cum Eras. et Gall. minus bene, *dimisit.* Mallem προσέβαλε hic, ut alibi solet, vertisset interp., *emisit.*

C

(5) *Ab hoc.* Sic Græca secutus recte emendavit Feuard. pro *adhuc*, quod in omnibus cum edit. tum mss. codd. perperam legebatur.

(6) *Καὶ διὰ τῆς Ἄννης ... κηρυσσομένης.* Sic cod. Reg. cum Basileensi Epiphan. edit. et Gallas. ac Feuard. Irenæi editt. Petavius vero et Grabius perperam omiserunt τῆς Ἄννης.

(7) *Μὲν οὖσα.* Lege cum interp. μένουσα unico vocabulo.

(8) *Τουτέστι τοῦ Θεοῦ.* Melius legas cum interp. τουτέστι τοῦ Υἱοῦ. Hæc enim ad explicationem vocis ἀρχῆς subjiciuntur. Atqui mox dictum est, Filium, ex Valentinianorum hypothesi, esse *principium illud*, de quo loquitur Joannes ipso Evang. initio ; quia in Filio Pater omnia seminali ratione procreavit ; ab eo autem productum esse Verbum, a quo omnium Æonum efformata sit essentia. Filius igitur et Verbum, sua quisque ratione, rerum, omnium *principium* erant, a quo Joannem initium docendi fecisse volebant hæretici illi ; ac proinde, ex eorum mente, legendum videtur, τουτέστι τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Λόγου.

D

Digitized by Google

Θεοῦ καὶ τοῦ Λόγου, τὴν διδασκαλίαν ποιεῖται. Λέγει δὲ οὕτως· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Οὗτος (1) ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν. Πρότερον διαστείλας τὰ τρία, Θεὸν, καὶ ἀρχὴν, καὶ Λόγον, πάλιν αὐτὰ ἑνοῖ, ἵνα καὶ τὴν προβολὴν ἑκατέρων αὐτῶν δείξῃ, τοῦ τε Υἱοῦ, καὶ τοῦ Λόγου, καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἅμα, καὶ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα ἕνωσιν. Ἐν γὰρ τῷ Πατρὶ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἡ ἀρχὴ, καὶ ἐκ τῆς ἀρχῆς (2) ὁ Λόγος. Καλῶς οὖν εἶπεν· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος· ἦν γὰρ ἐν τῷ Υἱῷ· καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· καὶ γὰρ ἡ ἀρχή· καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ἀκολούθως· τὸ γὰρ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν Θεός ἐστιν. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν· ἔδειξε τὴν τῆς προβολῆς τάξιν. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδ' ἕν (3)· πᾶσι γὰρ τοῖς μετ' αὐτὸν Αἰῶσι μορφῆς καὶ γενέσεως αἴτιος ὁ Λόγος ἐγένετο. Ἀλλὰ δ γέγονεν ἐν αὐτῷ, φησὶ, ζωή ἐστιν· ἐνθάδε καὶ συζυγίαν ἐμήνυσε· τὰ μὲν γὰρ ὅλα ἔφη δι' αὐτοῦ γεγενῆσθαι (4), τὴν δὲ ζωὴν ἐν αὐτῷ (5). Αὕτη οὖν ἡ ἐν αὐτῷ γενομένη οἰκειοτέρα ἐστὶν ἐν αὐτῷ (6) τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων· σύνεστι γὰρ αὐτῷ, καὶ δι' αὐτοῦ καρποφορεῖ. Ἐπειδὴ γὰρ ἐπιφέρει, Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, Ἀνθρώπους νῦν τὴν ἐπωνυμίαν ἐνεσήμανε, δι' ὀνόματος ἑνὸς τὴν ἀνθρωπότητα δηλῶν, ἵνα τὴν συζυγίαν ἐμφήνῃ. Ἐν γὰρ τῷ Υἱῷ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ φῶς, καὶ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸ φῶς· καὶ ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἡ ζωή· καὶ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἡ ζωή· καὶ ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἡ ἕνωσις πρὸς τὸν Πατέρα· καὶ ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἡ ἀνθρωπότης. Ἐν τῷ Υἱῷ γὰρ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἡ ἀνθρωπότης, ἐν τῷ Πατρὶ γὰρ καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς

giæ communionem. Ex Logo enim et Zoe Homo generatur et Ecclesia. Lumen autem dixit hominum Vitam, quoniam illuminati sunt ab ea, quod est formatum et manifestatum (1). Hoc autem et Paulus dicit: *Omne enim quod manifestatur* (2), *lumen est* [34]. Quoniam igitur Vita manifestavit, et generavit Hominem et Ecclesiam, lumen dicta est eorum. Aperte igitur manifestavit Joannes per sermones hos, et alia, et quaternationem secundam, Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam. Sed et primam significavit tetradem. Narrans enim de Salvatore, et docens omnia, quæ extra Pleroma sunt, per eum formata, fructum quoque eum esse dicens intra Pleroma (3): etenim *lumen* dixit *illum, quod in tenebris lucet, et non comprehenditur* ab eis, quoniam omnia, quæ facta sunt ex passione, formans, ignoratus est ab eis. Et Filium, et Veritatem, et Vitam dicit eum, et *Verbum carnem factum* (*cujus gloriam vidimus*, ait, *et gloria ejus, qualis erat Unigeniti* (4), *quæ a Patre data est ei*), *plenum gratia* (5) *et veritate*. Dicit autem sic (6) [35]: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (7). Diligenter igitur ostendit primam quaternationem, Patrem dicens, et Gratiam, et Monogeneratur et Ecclesia. Lumen autem dixit hominum Vitam, quoniam illuminati sunt ab ea, quod est formatum et manifestatum (1). Hoc autem et Paulus dicit: *Omne enim quod manifestatur* (2), *lumen est* [34]. Quoniam igitur Vita manifestavit, et generavit Hominem et Ecclesiam, lumen dicta est eorum. Aperte igitur manifestavit Joannes per sermones hos, et alia, et quaternationem secundam, Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam. Sed et primam significavit tetradem. Narrans enim de Salvatore, et docens omnia, quæ extra Pleroma sunt, per eum formata, fructum quoque eum esse dicens intra Pleroma (3): etenim *lumen* dixit *illum, quod in tenebris lucet, et non comprehenditur* ab eis, quoniam omnia, quæ facta sunt ex passione, formans, ignoratus est ab eis. Et Filium, et Veritatem, et Vitam dicit eum, et *Verbum carnem factum* (*cujus gloriam vidimus*, ait, *et gloria ejus, qualis erat Unigeniti* (4), *quæ a Patre data est ei*), *plenum gratia* (5) *et veritate*. Dicit autem sic (6) [35]: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (7). Diligenter igitur ostendit primam quaternationem, Patrem dicens, et Gratiam, et Monoge-

A

B

θρωπον εἰπὼν ἄρτι, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ὁμωνύμως τῷ Ἀνθρώπῳ (8) ἐμήνυσεν, ὅπως διὰ τοῦ ἑνὸς ὀνόματος δηλώσῃ τὴν τῆς συζυγίας κοινωνίαν. Ἐκ γὰρ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς ἄνθρωπος γίνεται καὶ Ἐκκλησία. Φῶς δὲ εἶπε τῶν ἀνθρώπων τὴν Ζωὴν διὰ τὸ πεφωτίσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτῆς, ὅ δή ἐστι μεμορφῶσθαι καὶ πεφανερῶσθαι. Τοῦτο δὲ καὶ ὁ Παῦλος λέγει· *Πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστιν*. Ἐπεὶ τοίνυν ἐφανέρωσε καὶ ἐγέννησε τόν τε ἄνθρωπον καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἡ Ζωή, φῶς εἰρῆσθαι (9) αὐτῶν. Σαφῶς οὖν δεδήλωκεν ὁ Ἰωάννης διὰ τῶν λόγων τούτων τά τε ἄλλα καὶ τὴν τετράδα τὴν δευτέραν, Λόγον καὶ Ζωήν, Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν πρώτην ἐμήνυσε τετράδα. Διηγούμενος γὰρ περὶ τοῦ Σωτῆρος, καὶ λέγων πάντα τὰ ἐκτὸς τοῦ πληρώματος δι' αὐτοῦ μεμορφῶσθαι, καρπὸν εἶναί φησιν αὐτὸν παντὸς τοῦ πληρώματος (10)· καὶ γὰρ *φῶς* εἴρηκεν *αὐτὸν τὸ ἐν τῇ σκοτίᾳ φαινόμενον, καὶ μὴ καταληφθὲν* ὑπ' αὐτῆς, ἐπειδὴ πάντα τὰ γενόμενα ἐκ τοῦ πάθους ἁρμόσας (11), ἠγνοήθη ὑπ' αὐτῆς (12)· καὶ Υἱὸν δὲ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Ζωὴν λέγει αὐτὸν, καὶ *Λόγον σάρκα γενόμενον· οὗ τὴν δόξαν ἐθεασάμεθα*, φησὶ, *καὶ ἦν ἡ δόξα αὐτοῦ, οἷα ἦν ἡ τοῦ Μονογενοῦς*, ἡ ὑπὸ τοῦ Πατρὸς δοθεῖσα *αὐτῷ πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας* (13). Λέγει δὲ

BILLII INTERPRETATIO,

quoque æquivoce significavit: ut per unam vocem, conjugii commercium declararet. Ex Verbo enim et Vita, Homo et Ecclesia orti sunt. Porro hominum lucem vitam appellavit, quod ipsi ab ea illuminati sint, hoc est formati ac patefacti. Quod etiam Paulus his verbis ait: *Omne autem id quod manifestatur, lux est.* Quoniam itaque Vita et Hominem et Ecclesiam genuit ac patefecit, ipsorum proinde lux dicta est. Perspicue igitur per hæc verba Joannes tum alia, tum secundam quaternitatem, hoc est Sermonem et Vitam, Hominem et Ecclesiam, declaravit. Quin prima quoque ab eo quaternitas indicata est. Nam de

[34] Ephes. v, 13. [35] Joan. i, 14

(1) *Quod est formatum et manifestatum.* Fortasse C scripsit interp. *quod est formatum esse, et manifestatum*, pro *formati sunt et manifestati*. Sic tu legas juxta Græcum.

(2) *Quod manifestatur.* Sic quidem Vulgatæ Bibliorum versiones Latinæ; sed, ut probe monet Grabius, cum φανερούμενον quasi participium verbi medii in significatione activa accepisse Valentinianos, immediate sequentia clare ostendant; interpres potius, *quod manifestat*, quam, *quod manifestatur*, reddere debuisset.

(3) *Dicens intra Pleroma.* Lege ex Græco, *dicit totius Pleromatis.* Vide not. 10.

(4) *Qualis erat Unigeniti.* Sic recte Clarom. cod. juxta Græc. οἷα ἦν ἡ τοῦ μονογενοῦς. Eras., Gall. et Feuard. *quasi unigeniti;* Oxon. ex cod. Voss. pejus, *quasi erat unigeniti.*

(5) *Plenum gratia.* Codicem Arundel. sequimur, cæteris omnibus cum editt. tum mss. hic præponendum. Illum quidem postposuit Grabius; quia D vocem Græcam πλήρης ad δόξαν cum Billio et Petavio referre maluit, quam ad Λόγον· sed doctissimos alioqui viros Græcorum sensum hic assecutos non fuisse, in notis ad textum Græcum demonstravimus. Quare distinctionis causa, hæc, *cujus gloriam vidimus.... data est ei*, parenthesi includimus.

(6) *Dicit autem sic*, etc. usque ad, *diligenter igitur.* Billium, alioqui non indiligentem, in nova versione sua hæc prætermisisse, cum Frontone Duc. miror. Sed paulo magis stupenda Gallasii hallucinatio; dum enim novis vocibus studet, iis repudiatis, quibus utitur Vulgata nostra, nec evangelico sensui, nec Grammaticæ legibus consulit. Vertit enim: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis, et contemplati vidimus gloriam ut Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Sive enim *plenum* ad vocem *sermo*, sive ad *gloriam* referat, solœcismi culpa tenetur. Atqui si vel Erasmum consuluisset, ab eo didicisset vocem Græcam πλήρης referri ad Λόγος, non ad δόξαν· ac proinde vertendum erat: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis*, etc., *plenus gratiæ et veritatis.*

(7) *Plenum gratia et veritate.* Sic ex Græco emendamus, imo ex ipso Irenæi interp. qui lib. v, cap. 18, sic reddidit. In cæteris autem omnibus cum editt. tum mss. legitur, *plena*, sed manifesto scribarum lapsu. Si enim ea gratiæ veritatisque plenitudo ad gloriam referretur, in Græco scribendum fuisset πλήρη, et in Latino *plenam.* Vide not. 13.

(8) *Ὁμωνύμως τῷ Ἀνθρώπῳ.* Τῷ ἀνθρώπῳ deleri vult Billius; sed retineri nihil vetat.

(9) *Εἰρῆσθαι.* Melius legas cum interp. εἴρηται.

(10) *Παντὸς τοῦ πληρώματος.* Vet. interpres non παντός, sed ἐντός legisse videtur. Vertit enim, *intra.* Sed prior lectio præferenda. Salvatorem enim totius Pleromatis fructum esse jam non semel dixerunt Valentiniani.

(11) *Ἁρμόσας.* Μορφώσας legi mavult Billius, quia vertit interpres, *formans.* Sed ἁρμόσας eodem recidit.

(12) *Ὑπ' αὐτῆς.* Monet Grab. interpretem recte legisse, ὑπ' αὐτῶν, quia vertit, *ab eis.* Sed eadem ratione legisset interpres linea præced. ὑπ' αὐτῶν, qui vertit etiam, *ab eis.* Non attendebat, puto, vir doctus, *ab eis* utrobique referri ad *tenebras*, et ὑπ' αὐτῆς ad τὴν σκοτίαν.

(13) *Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.* Vel lege

Digitized by Google

οὕτως· *Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.* Ἀκριβῶς οὖν καὶ τὴν πρώτην ἐμήνυσε τετράδα, Πατέρα εἰπὼν, καὶ Χάριν, καὶ τὸν Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν· οὕτως ὁ Ἰωάννης περὶ τῆς πρώτης καὶ μητρὸς τῶν ὅλων Αἰώνων ὀγδοάδος εἴρηκε. Πατέρα γὰρ εἴρηκε, καὶ Χάριν, καὶ Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Λόγον, καὶ Ζωὴν, καὶ Ἄνθρωπον, καὶ Ἐκκλησίαν.

A nem, et Veritatem. Sic Joannes de prima et matre omnium Æonum ogdoade dixit. Patrem enim dixit, et Gratiam, et Monogenem, et **43** Veritatem, et Verbum, et Vitam, et Hominem, et Ecclesiam. Et Ptolemæus quidem ita (4).

CAPUT IX.

Impugnantur impiæ Hæreticorum interpretationes.

Ὁρᾷς, ἀγαπητὲ, τὴν μέθοδον, ᾗ οἱ χρώμενοι φρενατατοῦσιν ἑαυτοὺς, ἐπηρεάζοντες τὰς Γραφὰς, τὸ πλάσμα αὐτῶν ἐξ αὐτῶν συνιστάνειν πειρώμενοι. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς (1) παρεθέμην αὐτῶν τὰς λέξεις (2), ἵνα ἐξ αὐτῶν κατανοήσῃς τὴν πανουργίαν τῆς μεθοδείας, καὶ τὴν πονηρίαν τῆς πλάνης. Πρῶτον μὲν γὰρ εἰ προέκειτο Ἰωάννῃ τὴν ἄνω ὀγδοάδα μηνύσειν, τὴν τάξιν ἂν τετηρήκει τῆς προβολῆς, καὶ τὴν πρώτην τετράδα σεβασμιωτάτην οὖσαν, καθὼς λέγουσιν, ἐν πρώτοις ἂν τεθείκει τοῖς ὀνόμασι, καὶ οὕτως ἐπεζεύχθη (3) τὴν δευτέραν, ἵνα διὰ τῆς τάξεως τῶν ὀνομάτων ἡ τάξις δειχθῇ τῆς ὀγδοάδος· καὶ οὐκ ἂν μετὰ τοσοῦτον διάστημα, ὡς ἐκλελησμένος, ἔπειτα ἀναμνησθεὶς, ἐπ' ἐσχάτῳ πρώτης ἐμέμνητο τετράδος. Ἔπειτα δὲ καὶ τὰς συζυγίας σημῆναι θέλων, καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας οὐκ ἂν παρέλιπεν ὄνομα· ἀλλ' ἢ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συζυγιῶν

1. Vides igitur, dilectissime, adinventionem, qua utentes seducunt semetipsos, calumniantes Scripturis, fictionem suam ex eis constare (5) adnitentes. Propter hoc enim et ipsas eorum apposui astutias et dictiones, ut ex eis consideres malitiam inventionis et nequitiam erroris. Primo enim si propositum esset Joanni, illam, quæ sursum est, octonationem ostendere, ordinem custodisset utique emissionis, et primam quaternationem, cum sit venerabilior (quemadmodum dicunt), in primis utique posuisset nominibus, et sic adjunxisset secundam, ut per ordinem nominum ordo ostenderetur octonationis : et non utique post tantum intervallum, quasi oblitus, deinde commemoratus (6), in novissimo primæ memoratus fuisset quaternationis. Deinde autem et conjugationes significare volens, et Ecclesiæ non prætermisisset

B

BILLII INTERPRETATIO.

Salvatore verba faciens, dicensque omnia, quæ extra Pleroma sunt, per eum formata fuisse, fructum eum esse ait totius Pleromatis. Etenim lucem eum appellavit in tenebris lucentem, nec ab *iis* comprehensam : quandoquidem, ipsis inscientibus, omnia quæ ex passione facta sunt, informavit. Ad hæc, et Filium, et Veritatem, et Vitam eum dicit, et Verbum carnem effectum : *Cujus gloriam*, inquit, *perspeximus, et erat gloria ipsius quasi gloria unigeniti, quæ a Patre ipsi concessa fuerat, plena gratia et veritate.* Plane igitur et accurate primam quoque quaternitatem ostendit, cum Patrem, et Charin, Monogenem item, et Veritatem dixit. Atque ad hunc modum Joannes de principe atque omnium Æonum parente Ogdoade locutus est. Patrem enim et Charin dixit, Monogenem et Veritatem, Sermonem et Vitam, Hominem et Ecclesiam. Atque in hunc modum Ptolemæus.

CAPUT IX.

1. Cernis, vir charissime, qua illi vafritie utentes sibimetipsis imposturam faciunt, Scripturas nimirum vexantes, dum per eas fidem commentis suis astruere conantur. Ob id enim ipsas quoque eorum voces apposui, ut ex iis artificii versutiem, atque erroris improbitatem animadvertas. Primum enim, si hoc Joanni propositum fuisset, ut supernam illam ogdoadem declararet, productionis utique ordinem servasset, ac primam quaternitatem, utpote augustissimam, velut ipsi dicunt, summeque venerandam, in primis nominibus collocasset, atque ita secundam adnexuisset, ut per nominum ordinem et seriem

πλήρη, vel subintellige ὃς ἐστι πλήρης, etc., πλήρης enim, non ad δόξαν (quod vult Grabius Billium et Petavium secutus), sed ad Λόγον, ex ipsa etiam Valentinianorum mente, hic referri suadent plura. 1° Quamvis ex memoria duntaxat citari hic videantur Joannis verba, additis scilicet multis vocibus quas sacer Evang. textus non agnoscit, servatur tamen idem regimen verborum, quod Joannes ipse servavit. Cumque Joannes in nominativo casu reposuerit πλήρης (ut ferunt melioris notæ codd. et legunt omnes fere SS. PP.) et ad Λόγος retulerit, non mirum si in eodem casu hic reponatur (quamvis forte commodior fuisset accusativus, propter præcedens Λόγον) et illuc referatur; cum maxime nihil ad Valentinianorum hypothesim referret, an ad Λόγον, an ad δόξαν referretur πλήρης. Deinde cum statim non ex memoria, sed ex codice proferunt hæretici illi ipsa Joannis verba, recte legunt, πλήρης χάριτος, etc. Atqui si πλήρης ad δόξαν retulissent, legere debuissent, πλήρη in accusativo, non πλήρης, uti satis patet. Denique Irenæus quæ-

C cunque hic ex Valentinianorum mente profert Evangelii testimonia, eodem modo legit et ipse in aliis locis; sensum enim, non verba corrumpebant illi. At lib. v, cap. 18 eadem, de quibus agimus, verba laudans, πλήρης ad Λόγον refert : vertit siquidem interpres, *plenum gratia et veritate.*

(1) *Καὶ αὐτός.* Lege αὐτάς, cum interprete.

(2) *Τὰς λέξεις.* Aliquam aliam vocem cum copula *καί* hic legisse videtur interpres; vertit enim, *astutias et dictiones.*

(3) *Ἐπεζεύχθη.* Mallem ἐπέζευξε. Sed forte verbum ἐπιζεύγνυμαι in activa significatione accepit Irenæus.

(4) *Ptolemæus quidem ita.* Hæc in Græco desiderantur.

(5) *Constare.* Gr. συνιστάνειν, quod vertendum erat, *commendare* seu *approbare.* Inde enim Scripturis calumniam struebant Valentiniani, quod fictiones suas ex eis approbare adniterentur.

(6) *Deinde commemoratus.* In Eras., Gall. et Otob. *de re commemoratus*, forte pro *dein recommemoratus*; sic enim habet cod. Clarom.

Digitized by Google

nomen; sed aut et in reliquis conjugationibus contentus fuisset masculorum appellatione, similiter cum possent et illa (1) simul subaudîri, ut unitatem per omnia esset custodiens; aut si reliquorum conjugationes enumerabat, et Anthropi (id est, Hominis), utique manifestasset conjugem, et utique non remisisset (2) de divinatione nos accipere nomen ipsius.

2. Manifesta igitur expositionis eorum transfictio. Joanne enim unum Deum exponente (3), et unum Unigenitum Christum Jesum annuntiante, per 44 quem omnia facta esse dicit, hunc Verbum Dei, hunc Unigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eumdem carnem factum, et inhabitasse in nobis : hi transvertentes secundum verisimile (4) expositionem, alterum quidem Monogenem volunt esse secundum emissionem, quem scilicet (5) et Principium vocant; alterum autem Soterem (id est Salvatorem), fuisse volunt, et alterum Logon (id est Verbum), filium Monogenis (id est unigeniti), et alterum Christum (6) ad emendationem Pleromatis emissum : et unumquodque eorum, quæ dicta sunt, auferentes a veritate, et abutentes nominibus, in suam argumentationem (7) transtulerunt : ut, secundum eos, in tantis Joannes Domini Christi Jesu memoriam non fecerit. Si enim Patrem dixit (8), et Charin, et Monogenem,

ἠρκέσθη τῇ τῶν ἀῤῥένων προσηγορίᾳ, ὁμοίως δυναμένων κἀκείνων συνυπακούεσθαι, ἵνα τὴν ἑνότητα διὰ πάντων ᾖ πεφυλαχώς· εἰ τῶν λοιπῶν τὰς συζύγους (9) κατέλεγε, καὶ τὴν τοῦ Ἀνθρώπου ἂν μεμηνύκει σύζυγον, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκεν ἐκ μαντείας ἡμᾶς λαμβάνειν τοὔνομα αὐτῆς.

2. Φανερὰ οὖν ἡ τῆς ἐξηγήσεως παραποίησις. Τοῦ γὰρ Ἰωάννου ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, καὶ ἕνα μονογενῆ Χριστὸν Ἰησοῦν κηρύσσοντος, δι' οὗ τὰ πάντα γεγονέναι λέγει, τοῦτον Υἱὸν Θεοῦ (10), τοῦτον Μονογενῆ, τοῦτον πάντων ποιητὴν, τοῦτον φῶς ἀληθινὸν, φωτίζοντα πάντα ἄνθρωπον, τοῦτον κόσμου ποιητὴν, τοῦτον εἰς τὰ ἴδια ἐληλυθότα, τοῦτον αὐτὸν σάρκα γεγονότα, καὶ ἐσκηνωκότα ἐν ἡμῖν· οὗτοι παρατρέποντες κατὰ τὸ πιθανὸν τὴν ἐξήγησιν, ἄλλον μὲν τὸν Μονογενῆ θέλουσιν εἶναι κατὰ τὴν προβολὴν, ὃν δὴ καὶ Ἀρχὴν καλοῦσιν· ἄλλον δὲ τὸν Σωτῆρα γεγονέναι θέλουσι, καὶ ἄλλον τὸν Λόγον υἱὸν τοῦ Μονογενοῦς, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν εἰς ἐπανόρθωσιν τοῦ πληρώματος προβεβλημένον· καὶ ἓν ἕκαστον τῶν εἰρημένων ἅπαντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καταχρησάμενοι (11) τοῖς ὀνόμασιν, εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν μετήνεγκαν, ὥστε, κατ' αὐτοὺς, ἐν τοῖς τοσούτοις τὸν Ἰωάννην τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μνείαν ποιεῖσθαι (12). Εἰ γὰρ Πατέρα εἴρηκε, καὶ Χάριν, καὶ Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Λόγον, καὶ Ζωὴν, καὶ Ἄνθρωπον, καὶ Ἐκκλησίαν, κατὰ τὴν ἐκεί-

BILLII INTERPRETATIO.

ogdoadis ordo demonstraretur; non autem tanto post intervallo velut oblivione captus, ac postea in memoriam rediens, ultimo loco quaternitatis primæ mentionem fecisset. Deinde, si conjugia quoque indicare voluisset, profecto Ecclesiæ nomen haudquaquam ab eo præteritum fuisset; verum aut in reliquis etiam conjugationibus masculos appellare satis habuisset (quippe cum æque illæ una subaudiri possent), ut hac ratione unitatem prorsus servaret; aut si reliquorum conjuges recensebat, Hominis quoque conjugem declarasset, nec nobis ipsius nomen ex conjectura et divinatione capiendum reliquisset.

2. Plana est itaque expositionis hujusce falsitas. Nam cum Joannes unum Deum omnipotentem, et unum Unigenitum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, prædicet, hunc Filium Dei, hunc Unigenitum, hunc omnium rerum effectorem, hunc veram lucem illuminantem omnem hominem, hunc mundi conditorem, hunc qui ad sua venerit, et caro factus sit, et in nobis habitaverit; hi speciosæ orationis lenocinio expositionem detorquentes, alium Unigenitum esse secundum productionem, quem etiam Principium nuncupant, alium Salvatorem fuisse volunt, alium Sermonem filium Monogenis, alium denique Christum, ad Pleromatis instaurationem in lucem editum : atque unumquodque eorum, quæ dicta sunt, a veritate dimoventes, ac nominibus abutentes, ad institutum suum transtulerunt; adeo ut, de eorum sententia, Joannes in tot verbis Domini Jesu Christi mentionem nullam fecerit. Si enim Patrem dixit, et Gratiam, et Unigenitum, et Veritatem, et Verbum, et Vitam, et Hominem, et Ecclesiam,

(1) *Cum possent et illa.* Legendum puto : *cum possent et illæ*, scilicet feminæ conjuges seu Æones femineæ.

(2) *Non remisisset.* Gr. οὐκ ἂν ἀφῆκεν, *non dimisisset.*

(3) *Unum Deum exponente.* Adde ex Gr. *unum Deum omnipotentem.*

(4) *Secundum verisimile.* Sic ex Græco, ita exigente sensu, restituo, pro *secundum verisimilem*, ut habent omnes codd. manifesto scribarum lapsu : male scilicet apice notata litera *e*, quod frequens in mss. occurrit.

(5) *Quem scilicet.* Eras., Feuard. et Gall. perperam habent, *quam.*

(6) *Alterum Christum.* Duas voces, *id est*, post Christum in præced. editt. insertas merito delevit Grab. quia in Græco et mss. Clarom., Arundel. atque Vossio desunt, ac falsum gignunt sensum; sed forte, *id est*, in mss. Erasmi et Gallasii, ex interpretatione vocis *Christum*, supererat; scripseratque quispiam, *id est unctum*, ut ante scriptum est, *Monogenis, id est Unigeniti.*

(7) *In suam argumentationem.* Græcam vocem ὑπόθεσιν, *argumentationem* vertere amat interp. : mallem reddidisset, *institutum, sententiam.*

(8) *Dixit.* Ita Clarom. et Voss. exacte juxta Græcum εἴρηκε. Eras., Gall. et Feuard. *dixisset.*

(9) *Εἰ τῶν λοιπῶν τὰς συζύγους.* Legendum cum interp. ἢ εἰ τῶν λοιπῶν. Sed frustra Billius et Fronto Duc. cum eodem legi volunt, τὰς συζυγίας · et sensus enim et contextus sermonis exigunt συζύγους.

(10) *Υἱὸν Θεοῦ.* Λόγον Θεοῦ legisse videtur interpres.

(11) *Καταχρησάμενοι.* Lege cum interp. καὶ καταχρησάμενοι.

(12) *Μνείαν ποιεῖσθαι.* Addenda cum interpr. particula negativa μὴ vel οὐ.

Digitized by Google

νων ὑπόθεσιν περὶ τῆς πρώτης ὀγδοάδος εἴρηκεν, A et Alethian, et Logon, et Zoen, et Anthropon, et
ἐν ᾗ οὐδέπω Ἰησοῦς, οὐδέπω Χριστὸς ὁ τοῦ Ἰωάν- Ecclesiam, secundum illorum argumentationem de
νου διδάσκαλος. Ὅτι δὲ οὐ περὶ τῶν συζυγιῶν αὐτῶν prima ogdoade dixit, in qua nondum Jesus, non-
ὁ Ἀπόστολος εἴρηκεν, ἀλλὰ περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν dum Christus Joannis magister. Quia autem non
Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν καὶ Λόγον οἶδε τοῦ Θεοῦ, αὐτὸς de syzygiis ipsorum Apostolus dixit, sed de Domi-
πεποίηκε φανερόν. Ἀνακεφαλαιούμενος γὰρ περὶ no nostro Jesu Christo, quem et Verbum scit esse
τοῦ εἰρημένου αὐτῷ ἄνω ἐν ἀρχῇ Λόγου, ἐπεξηγεῖ- Dei, idem ipse fecit manifestum. Recapitulans enim
ται· *Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν* de eo Verbo, quod ei in principio dictum est (4),
ἐν ἡμῖν. Κατὰ δὲ τὴν ἐκείνων ὑπόθεσιν, οὐχ ὁ Λό- insuper exponit : *Et Verbum caro factum est, et*
γος σὰρξ ἐγένετο, ὅς γε οὐδὲ ἦλθέ ποτε ἐκτὸς πλη- *inhabitavit in nobis* (5). Secundum autem illorum
ρώματος, ἀλλὰ ὁ τῆς οἰκονομίας (1), μεταγενέστερος argumentationem, non Verbum caro factum est,
τοῦ Λόγου, Σωτήρ. quod quidem nec venit unquam extra Pleroma :
sed qui ex omnibus factus (6), et sit posterior
(7) Verbo, Salvator (8).

3. Μάθετε οὖν, ἀνόητοι, ὅτι Ἰησοῦς ὁ παθὼν **45** 3. Discite igitur, insensati, quoniam Jesus, qui
ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ κατασκηνώσας ἐν ἡμῖν, οὗτος αὐτός B passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem
ἐστιν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. Εἰ μὲν γὰρ ἄλλος τις τῶν ipse est et Verbum Dei. Si enim alius ex Æonibus
αἰώνων ὑπὲρ τῆς ἡμῶν αὐτῶν σωτηρίας σὰρξ ἐγέ- pro nostra salute caro factus est, æstimandum erat
νετο, εἰκὸς ἦν περὶ ἄλλου εἰρηκέναι τὸν Ἀπόστολον· de altero dixisse Apostolum. Si autem Verbum Pa-
εἰ δὲ ὁ Λόγος ὁ τοῦ Πατρὸς ὁ καταβάς, αὐτός ἐστι καὶ tris, qui descendit, ipse est et qui ascendit, ab uno
ὁ ἀναβάς, ὁ τοῦ μόνου Θεοῦ (2) μονογενὴς Υἱὸς κατὰ Deo unigenitus Filius, secundum Patris placitum
τὴν τοῦ Πατρὸς εὐδοκίαν σαρκωθεὶς ὑπὲρ ἀνθρώ- incarnatus pro hominibus; non de alio aliquo, ne-
πων, οὐ περὶ ἄλλου τινὸς, οὐδὲ περὶ ὀγδοάδος τὸν λό- que de ogdoade Joannes sermonem fecit, sed de
γον ἐμποιήται (3), ἀλλ' ἢ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Domino Christo Jesu. Neque enim Verbum secun-
Χριστοῦ. Οὐδὲ γὰρ ὁ Λόγος, κατ' αὐτοὺς, προηγου- dum eos principaliter caro factum est. Dicunt enim
μένως σὰρξ γέγονε. Λέγουσι δὲ τὸν Σωτῆρα ἐνδύ- Sotera induisse corpus animale, de dispositione

BILLII INTERPRETATIO.

juxta illorum sententiam de prima ogdoade hæc dixit, in qua necdum est Jesus, necdum Christus Joannis præceptor. Quod autem Apostolus non de ipsorum conjugiis, sed de Domino nostro Jesu Christo, quem et Dei Verbum agnoscit, verba fecerit, ipsemet aperte declaravit. Sermonem enim de eo Verbo, de quo supra in principio locutus fuerat, in summam redigens, exponens deinde subjungit : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Atqui si verum est quod ipsi ponunt, haudquaquam Verbum caro factum est, utpote quod ne ex Pleromate quidem unquam excesserit, sed Salvator, ille, qui ex omnibus ortus est, natuque minor Sermone.

3. Discite igitur, vecordes homines, Jesum, qui nostra causa passus est, atque apud nos habitavit, eum ipsum esse Dei Verbum. Etenim si alius quisquam ex Æonibus pro salute nostra carnem assumpsisset, probabile fuisset Apostolum de alio verba fecisse. Cum autem Verbum Patris, quod descendit, idem sit etiam quod ascendit, ille, inquam, unius Dei unigenitus Filius, benigna Patris voluntate hominum causa incarnatus, profecto non de quoquam alio, nec de ogdoade verba fecit; verum de Domino Jesu Christo. Neque enim, ut ipsi sentiunt, Verbum caro factum est. Aiunt enim Salvatorem animale corpus induisse, ineffabili providentia ex dispensatione ad hoc fabricatum, ut et oculis cerni, et manibus tractari posset. Atqui caro est antiqua illa Adami e limo a Deo effictio, quam Dei Verbum vere factum esse Joan-

(1) *Ὁ τῆς οἰκονομίας*. Pro his legendum vult Billius cum interpr. ὁ ἐκ πάντων γεγονώς, quia fictitius ille Valentinianorum Servator ex omnibus Æonibus ortum traxit. Grabius vero Epiphanii lectionem pro genuina habet, ratus hanc, utpote obscuriorem, liberiori explicationi occasionem dedisse. Sed is certe non est interpres noster, qui tantam sibi libertatem arroget. Quare utrumque textum, Græcum scilicet et Latinum, hic mutilum esse, alterumque ex altero emendandum esse ratus, et Epiphanii et interpretis lectionem amplector, legendumque censeo : ὁ ἐκ πάντων γεγονὼς, καὶ τῆς οἰκονομίας, μεταγενέστερος τοῦ Λόγου, Σωτήρ. Cur autem Salvator dicatur, τῆς οἰκονομίας Σωτήρ, ratio in promptu est : quia scilicet humanæ salutis procurandæ causa (quæ Græcis οἰκονομία est, ut supra diximus), animale corpus indut, ut paulo post subjicitur, quod quidem corpus ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ, *ex dispensatione* (id est salutis nostræ causa), *constructum inenarrabili arte* dicebant Valentiniani.

(2) *Ὁ τοῦ μόνου Θεοῦ*. Legisse videtur interpres, ἀπὸ τοῦ, non ὁ τοῦ, sed utrumque eodem fere recidit.

(3) *Λόγον ἐμπεποίηται*. Legendum vult Billius πεποίηται.

(4) *De eo Verbo, quod ei in principio dictum est.* Addendum ex Græco : *de eo Verbo, de quo supra in principio dictum est.* Quod clarius vertit Billius : *de eo Verbo, de quo supra in principio locutus fuerat.* Quanquam tamen non immerito existimat Fronto Duc. Græcis alium subesse posse sensum (quem amplexus est Petavius), scilicet : *recapitulans enim de eo Verbo, quod ab eo supra dictum est in principio fuisse.* Hunc quidem sensum improbat Grabius, *quia*, inquit, *in Græco non est*, ἐν ἀρχῇ εἶναι Λόγου. Nempe deest Verbum εἶναι, sed subintelligi nihil vetat.

(5) *Inhabitavit in nobis.* Sic codd. Clarom. et Pass., cæteri *habitavit in nobis.*

(6) *Ex omnibus factus.* Auctoritate cod. Clarom. deleo verbum, *est*, utpote superfluum.

(7) *Et sit posterior.* Ita Claromont., Pass., Arund. et Voss. cum edit. Oxon. In cæteris vitiose, *sic.*

(8) *Salvator.* Adde ex Gr. *dispensationis Salvator.* Lege Not. 1.

Digitized by Google

esse. Et illum autem similiter, qui multas partes justitiæ confitebatur se fecisse, post deinde noluisse sequi (1), sed a divitiis victum, ut ne fieret perfectus, et hunc de psychico genere fuisse volunt. Spiritale vero (2), in eo quod dicit : *Remitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei* [19] ; et Zacchæo publicano, dicens : *Properans descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere* (3) [20]. Et fermenti parabolam (4), quod mulier abscondisse dicitur in farinæ sata tria, tria genera manifestare dicunt. Mulierem quidem, Sophiam dici docent ; farinæ vero **39** sata tria, tria genera hominum, spiritale, animale, choicum. Fermentum vero, ipsum Salvatorem dictum dicunt. Et Paulum autem manifeste dixisse choicos, animales, spiritales. Alibi quidem : *Qualis choicus, tales et choici* [21]. Alibi autem : *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus* [22]. Alibi autem : *Spiritalis examinat omnia* [23]. *Animalis autem* (5) *non percipit quæ sunt spiritus*, de Demiurgo dictum dicunt, qui cum psychicus sit, non cognoverit neque matrem spiritalem exsistentem, neque semen ejus, neque eos, qui sunt in Pleromate, Æones. Quoniam autem eorum, quos salvaturus erat Salvator, initia accepit (6), Paulum dixisse : *Et si delibatio sancta, et massa* [24]. Delibationem quidem, A *parẽr*. Τοῦτον γὰρ λέγουσι τὸν μέσον εἶναι (7). Κἀκεῖνον δὲ ὡσαύτως τὸν τὰ πλεῖστα μέρη τῆς δικαιοσύνης ὁμολογήσαντα πεποιηκέναι, ἔπειτα μὴ θελήσαντα ἀκολουθῆσαι, ἀλλὰ ὑπὸ πλούτου ἡττηθέντα, πρὸς τὸ μὴ τέλειον γενέσθαι, καὶ τοῦτον τοῦ ψυχικοῦ γένους γεγονέναι θέλουσι. Τὸ δὲ πνευματικὸν ἐν τῷ εἰπεῖν· Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ πορευθεὶς διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· καὶ ἐπὶ Ζακχαίου τοῦ τελώνου εἰπών· Σπεύσας κατάβηθι, ὅτι σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι. Τούτους γὰρ πνευματικοῦ γένους καταγγέλλουσι γεγονέναι. Καὶ τὴν τῆς ζύμης παραβολήν, ἣν ἡ γυνὴ ἐγκεκρυφέναι λέγεται εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, τὰ τρία γένη δηλοῦν λέγουσι. Γυναῖκα μὲν γὰρ τὴν Σοφίαν λέγεσθαι διδάσκουσιν· ἀλεύρου σάτα (8) τὰ τρία γένη τῶν ἀνθρώπων, πνευ- B ματικὸν, ψυχικὸν, χοϊκόν· ζύμην δὲ αὐτὸν τὸν Σωτῆρα εἰρῆσθαι διδάσκουσι. Καὶ τὸν Παῦλον διαῤῥήδην εἰρηκέναι χοϊκοὺς, ψυχικοὺς, πνευματικούς· ὅπου μὲν, *Οἷος ὁ χοϊκὸς, τοιοῦτοι καὶ οἱ χοϊκοί*· ὅπου δὲ, *Ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος* (9). ὅπου δὲ, *Πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα*. Τὸ δὲ, *Ψυχικὸς οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος*, ἐπὶ τοῦ Δημιουργοῦ φασιν εἰρῆσθαι, ὃν, ψυχικὸν ὄντα, μὴ ἐγνωκέναι μήτε τὴν μητέρα πνευματικὴν οὖσαν, μήτε τὸ σπέρμα αὐτῆς, μήτε τοὺς ἐν τῷ πληρώματι Αἰῶνας. Ὅτι ἰδὼν (10) ἤμελλε σώζειν ὁ Σωτὴρ, τούτων τὰς ἀπαρ-

BILLII INTERPRETATIO.

mediæ classis esse asserunt, quemadmodum et illum, qui, cum multas justitiæ partes a se impletas esse profiteretur, postea tamen eum sequi detrectavit, opibusque victus est, et a perfectione retardatus. Nam et hunc de psychico genere fuisse illis placet. Denique spirituale in his verbis eum indicasse : *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu vero profectus, annuntia regnum Dei.* Et cum Zachæo publicano dixit : *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Hos namque spiritualis generis fuisse tradunt. Atque etiam parabola ea, in qua de fermento agitur, quod mulier in tribus farinæ satis abscondisse dicitur, tria hæc genera declarari dicunt. Per mulierem enim, Sophiam intelligendam esse docent ; per farinæ sata, triplex hominum genus, spirituale, psychicum, hylicum ; fermentum autem Salvatorem ipsum dictum esse. Paulum item choicos, psychicos, et spirituales dixisse. Exempli causa cum dixit : *Qualis terrenus, tales et terreni.* Et rursus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Et alio loco : *Spiritualis omnia dijudicat.* Illud autem : *Animalis non percipit ea quæ sunt spiritus ;* de Demiurgo usurpatum esse aiunt, qui cum animalis esset, nec matrem, quæ spiritualis erat, nec ipsius semen, nec denique Æonas, qui in Pleromate sunt, cognoverit. Jam quod eorum, quibus salutem allaturus erat, primitias Salvator assumpserit, Paulum his verbis testatum esse : *Si radix sancta, utique et massa.* Quo loco per primitias, id quod spirituale est, significari docent ; per massam autem nos, hoc est psychicam

[19] Luc. IX, 60. [20] Luc. XIX, 5. [21] I Cor. XV, 48. [22] I Cor. II, 14. [23] Ibid. V, 15. [24] Rom. XI, 16.

(1) *Noluisse sequi.* Vertendum erat, *nolentem* C *sequi*, ut Græcus textus, et constructio requirunt.

(2) *Spiritale vero.* Scilicet, *hominum genus.* Sic edit. Eras., Gall. et Feuard. melius quam mss. codd. et edit. Oxon. *spiritalem vero :* in Græco siquidem legitur, τὸ δὲ πνευματικόν, et paulo ante scripsit interpres, *hylicum quidem, animale vero.*

(3) *Oportet me manere.* Post hæc adde ex Græco, *hos namque spiritualis generis fuisse tradunt*, τούτους γὰρ πνευματικοῦ γένους καταγγέλλουσι γεγονέναι.

(4) *Et fermenti parabolam.* In Eras. Gallas. et Feuard. male : *et in fermenti parabola.*

(5) *Animalis autem.* Ex Græco lege : *istud vero : Animalis autem.*

(6) *Initia accepit.* Melius ἀπαρχάς vertisset interpres *primitias*, ut et superius cap. 6 vertit, quam *initia.*

(7) *Τὸν μέσον εἶναι.* Legisse videtur interpres τῶν μέσων, vel, ἐκ τῶν μέσων, sicuti paulo post scribitur, τοῦτον τοῦ ψυχικοῦ γένους γεγονέναι.

(8) *Ἀλεύρου σάτα.* Lege cum interp. ἀλεύρου δὲ σάτα τρία, id enim non modo sensus exigit, sed et textus Græcus paulo ante ita sonat.

(9) *Τὰ τοῦ πνεύματος.* Τοῦ Θεοῦ addunt nostri Nov. Test. codices. Quod omissum est non solum hoc loco, sed et in Syriaca versione, ac Chrysost. in Comm. ad I Cor. XI. Clemens vero Alex. lib. I *Strom.*, pag. 297, hæc Apostol. verba refert, cum vocibus τοῦ Θεοῦ : at lib. V, pag. 557, eadem verba commemorans omittit τοῦ Θεοῦ. Hinc colligit Grabius has voces priori loco a recentiori forte scriba additas fuisse. Sed non satis firma videtur ea conjectura. Clemens enim lib. V *Strom.* Apostoli verba non ex professo, sed ex memoria citare videtur, tacito etiam Apostoli nomine, et solum quantum ad scopum conducebant, ut scilicet probaret a spiritualibus duntaxat apprehendi posse spiritalia.

(10) *Ὅτι ἰδὼν.* Leg. ὅτι δ' ὧν

Digitized by Google

χὰς ἀνέλαβε, τὸν Παῦλον εἰρηκέναι· *Καὶ ἦν ἡ ἀπαρχὴ* (1) *ἁγία, καὶ τὸ φύραμα*· ἀπαρχὴν μὲν τὸ πνευματικὸν εἰρῆσθαι διδάσκοντες, φύραμα δὲ ἡμᾶς, τουτέστι τὴν ψυχικὴν Ἐκκλησίαν, ἧς τὸ φύραμα ἀνειληφέναι λέγουσιν αὐτὸν, καὶ ἐν αὐτῷ συνεσταλκέναι (2), ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη.

4. Καὶ ὅτι ἐπλανήθη ἡ Ἀχαμὼθ ἐκτὸς τοῦ πληρώματος, καὶ ἐμορφώθη ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀνεζητήθη ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος, μηνύειν αὐτὸν λέγουσιν ἐν τῷ εἰπεῖν, *αὐτὸν ἐληλυθέναι ἐπὶ τὸ πεπλανημένον* (3). Πρόβατον μὲν γὰρ πεπλανημένον τὴν μητέρα αὐτῶν ἐξηγοῦνται λέγεσθαι, ἐξ ἧς τὴν ὧδε θέλουσιν ἐσπάρθαι Ἐκκλησίαν· πλάνην δὲ τὴν ἐκτὸς πληρώματος ἐν τοῖς πάθεσι (4) διατριβὴν, ἐξ ὧν γεγονέναι τὴν ὕλην ὑποτίθενται· τὴν δὲ γυναῖκα τὴν σαροῦσαν τὴν οἰκίαν, καὶ εὑρίσκουσαν τὴν δραχμὴν, τὴν ἄνω Σοφίαν διηγοῦνται λέγεσθαι, ἥτις ἀπολέσασα τὴν ἐνθύμησιν αὐτῆς, ὕστερον, καθαρισθέντων πάντων διὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας, εὑρίσκει αὐτήν· διὸ καὶ ταύτην ἀποκαθίστασθαι, κατ' αὐτοὺς, ἐντὸς πληρώματος. Συμεῶνα τὸν *εἰς τὰς ἀγκάλας λαβόντα τὸν Χριστὸν, καὶ εὐχαριστήσαντα αὐτῷ* (5), *καὶ εἰπόντα· Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, Δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ*, τύπον εἶναι τοῦ Δημιουργοῦ λέγουσιν, ὡς ἐλθόντος (6) τοῦ Σωτῆρος ἔμαθε τὴν μετάθεσιν αὐτοῦ, καὶ ηὐχαρίστησε τῷ Βυθῷ. Καὶ διὰ τῆς Ἄννης, τῆς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ κη-

A quod est spiritale dictum docentes; conspersionem autem nos, id est psychicam Ecclesiam, cujus substantiam (7) assumpsisse dicunt eum, et cum semetipso crexisse, quoniam erat ipse fermentum.

4. Et quoniam erravit Achamoth extra Pleroma, et formata est a Christo, et quæsita est a Salvatore, manifestare eum dicunt, in eo quod dixit, semetipsum *venisse ad eam quæ errasset ovem* [15]. Ovem enim errantem, matrem suam referunt dici, ex qua eam, quæ sit hic, volunt esse seminatam Ecclesiam; errorem autem, eam, quæ est extra Pleroma, in omnibus passionibus immorationem, ex quibus factam materiam tradunt. *Mulierem* autem illam, *quæ mundat domum, et invenit drachmam* [16], superiorem Sophiam narrant dici, quæ B cum perdidisset intentionem suam, post deinde mundatis omnibus per Salvatoris adventum, invenit eam; quoniam et hæc restituitur, 40 secundum eos, intra Pleroma (8). Symeon (9) autem eum, qui *in manus suas* (10) *accepit Christum, et gratias egit Deo, et dixit: Nunc remittis* (11) *servum tuum, Domine, secundum sermonem tuum in pace* [17]: typum esse Demiurgi dicunt, qui veniente Salvatore didicit transpositionem suam, et gratias egit Bytho. Et per Annam (12), quæ in Evangelio dicitur *septem annis cum viro vixisse* [18], reliquum autem

BILLII INTERPRETATIO.

Ecclesiam, cujus eum massam assumpsisse, atque in se contraxisse dicunt, quoniam ipse fermentum erat.

4. Quod autem Achamoth extra Pleroma oberraverit, atque a Christo formata, et a Salvatore quæsita sit, indicare eum, cum se ad ovem eam, quæ a grege aberraverat, venisse ait. Etenim per ovem aberrantem, matrem suam significari aiunt, ex qua Ecclesiam hanc satam esse volunt. Per aberrationem autem, intelligi ejus extra Pleroma in passionibus commorationem, ex quibus materiam ortam esse fingunt. Per eam item mulierem, quæ domum suam everrit, et drachmam invenit, superiorem Sophiam intelligendam esse censent, quæ quidem, perdita sua enthymesi, postea omnibus per Salvatoris adventum perpurgatis, eam invenit. Unde etiam hanc, de eorum sententia, Pleromati restitutam fuisse. Symeonem porro, *qui in ulnas suas Christum accepit, ac Deo gratias egit, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace;* Demiurgi figuram esse tradunt, qui veniente Salvatore, translationem sui didicit, et Bytho gratias egit. Consimilem etiam in modum per Annam illam, quæ in Evangelio prophetissa dicitur, septemque annis cum viro transactis, reliquum omne vitæ tempus in viduitate confecit, quousque Salvatorem vidit, eumque agnovit, atque apud omnes de eo verba faciebat, perspicue Achamoth significari asserunt; quæ quidem cum exiguo tempore Salvatorem, una cum ipsius æqualibus conspexisset, per omne reliquum tempus in medietate sedem figens, opperiebatur eum, ecquando rursus

[15] Luc. xv, 4. [16] Ibid. v. 8. [17] Luc. II, 28. [18] Ibid. v. 36.

(1) *Ἦν ἡ ἀπαρχή.* Sic recte Petavius et Grab.; C male vero in Basileensi Epiphanii editione legebatur, ἦν ἡ ἀπαρχή. Quod Græci codicis mendum non deprehendens Gallasius, in apertissimo loco, ait Billius, tanquam in meridiana luce hallucinatus est; vertit enim: *et erant primitiæ sanctæ.* Cæterum vulgata N. Test. exemplaria habent usitatiorem particulam *et.*

(2) *Συνεσταλκέναι.* Suspicatur Billius mendosum hoc loco fuisse codicem, quo usus est vetus interpres, qui *erexisse* vertit, quasi in Græco esset, συνανεστηκέναι. Suspicarer ego potius cum Grabio mendosum esse nostrum codicem, genuinamque lectionem esse συνανεστηκέναι. Id suadere videtur ratio quæ continuo subjicitur, ἐπειδὴ ἦν αὐτὸς ζύμη, *quoniam erat ipse fermentum;* fermenti enim proprium est, non *contrahere*, sed potius *inflare et erigere.*

(3) *Πεπλανημένον.* Adde cum vet. interp. πρόβατον. Quam vocem omisit imprudens scriba, quod ab eadem sequens periodus inciperet.

(4) *Τοῖς πάθεσι.* Legit interp. τοῖς πᾶσι πάθεσι.

(5) *Αὐτῷ.* Legit interp. τῷ Θεῷ. Nostri vero N. Test. codices habent: Καὶ εὐλόγησε τὸν Θεόν.

(6) *Ὡς ἐλθόντος.* Leg. ὃς ἐλθόντος.

(7) *Cujus substantiam.* Vertendum erat, *cujus massam.*

(8) *Restituitur secundum eos intra Pleroma.* Quia nimirum Enthymesis, seu Achamoth a medietatis loco in ipsum Pleroma transiens, matri suæ, superiori Sophiæ, a qua per Horon separata fuerat, denuo conjungitur. Vid. cap. 2 et 7.

(9) *Symeon.* Pro *Symeonem.*

(10) *In manus suas.* Græc. εἰς τὰς ἀγκάλας. *in ulnas suas.*

(11) *Remittis.* Sic omnes mss. pro *dimittis*, ut est in editt. Eras. et Gall. ac Feuard. Bibliisque vulgatis.

(12) *Et per Annam*, etc. Lege juxta Græcum: *et per Annam illam, quæ in Evangelio prophetissa dicitur, septemque annis*, etc.

Digitized by Google

omne tempus vidua perseverasse, donec vidisset Salvatorem, et agnovisset eum, et loqueretur de eo omnibus, manifestissime Achamoth significari dicunt : quæ cum ad modicum vidisset tunc Salvatorem cum cœtaneis suis, postero omni tempore perseverans in medietate, sustinebat eum, quando iterum veniat, et reponat eam suæ conjugationi. Et nomen autem ejus significatum a Salvatore, in eo quod dixerit : *Justificata est sapientia a filiis ejus* [29] ; et a Paulo autem sic : *Sapientiam autem loquimur perfectis* [30]. Et conjugationes autem, quæ sunt intra Pleroma, Paulum dixisse dicunt, in uno ostendentem (1). De ea enim conjugatione, quæ est secundum hanc vitam, scribens ait : *Hoc enim mysterium magnum est : ego autem in Christo et Ecclesia* [31].

5. Adhuc autem Joannem discipulum Domini docent, primam ogdoadem, et omnium generationem (2) significasse ipsis dictionibus : Itaque principium quoddam subjecit, quod primum factum est a Deo : quod etiam Nun vocat et Filium, et Unigenitum Domini vocat (3), in quo omnia Pater præmisit (4) seminaliter. Ab hoc (5) autem aiunt **41** Verbum emissum, et in eo omnem Æonum substantiam, quam ipsum postea formavit Verbum. Quoniam igitur de prima genesi dicit, bene a principio, hoc est a Filio et Verbo, doctrinam facit. Dicit autem sic : *In principio erat Verbum, et Ver-*

5. Ἔτι τε Ἰωάννην, τὸν μαθητὴν τοῦ Κυρίου, διδάσκουσι τὴν πρώτην ὀγδοάδα μεμηνυκέναι αὐταῖς λέξεσι, λέγοντες οὕτως· Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, βουλόμενος εἰπεῖν τὴν τῶν ὅλων γένεσιν, καθ' ἣν τὰ πάντα προέβαλεν ὁ Πατήρ, ἀρχήν τινα ὑποτίθεται, τὸ πρῶτον γεννηθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ὃν δὴ καὶ υἱὸν Μονογενῆ, καὶ Θεὸν κέκληκεν, ἐν ᾧ τὰ πάντα ὁ Πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς. Ὑπὸ δὲ τούτου φησὶ τὸν Λόγον προβεβλῆσθαι, καὶ ἐν αὐτῷ τὴν ὅλην τῶν Αἰώνων οὐσίαν, ἣν αὐτὸς ὕστερον ἐμόρφωσεν ὁ Λόγος. Ἐπεὶ οὖν περὶ πρώτης γενέσεως λέγει, καλῶς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, τουτέστι (8) τοῦ

BILLII INTERPRETATIO.

veniret, eamque suo conjugio restitueret. Quin ipsius quoque nomen proditum fuisse a Salvatore, cum diceret : *Et justificata est sapientia a filiis suis.* Itemque a Paulo in his verbis : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Sed et conjugia ea, quæ in Pleromate sunt, Paulum commemorasse, in uno ostendentem. Nam cum de vitæ hujusce conjugio scriberet, hunc in modum est locutus : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, et Ecclesia.*

5. Joannem præterea Domini discipulum, primam ogdoadem indicasse docent, hismet verbis utentes: Joannes Domini discipulus rerum omnium ortum exponere cupiens, juxta quem Pater omnia produxit, principium quoddam ponit, id nempe quod primo a Deo genitum est, quem et Nun, et unigenitum Filium, ac Deum appellavit, in quo Pater omnia seminali ratione procreavit. Ab eo autem Sermonem productum esse, et in eo omnem Æonum essentiam, quam postea Sermo ipse formavit. Quoniam igitur de primo rerum ortu verba facit, recte a principio, hoc est a Deo, et Sermone doctrinam suam instituit. Ad

[29] Luc. VII, 35. [30] I Cor. II, 6. [31] Ephes. V, 32.

(1) *In uno ostendentem.* Id est, inquit Grabius, unico conjugii mundani exemplo indigitantem conjugationes, ex quibus supremum consistit Pleroma.

(2) *Et omnium generationem.* Istæ voces male huc translatæ sunt. Cætera quæ sequuntur, mutila sunt. Quare sic ex Græco restitue : *Adhuc autem Joannem discipulum Domini docent, primam Ogdoadem ipsis verbis significasse, ita dicentes : Joannes discipulus Domini omnium generationem exponere volens, juxta quam Pater omnia produxit, principium aliquod subjecit*, etc.

(3) *Quod etiam Nun vocat et Filium : et unigenitum Domini vocat.* Cod. Clarom. *quod etiam nunc vocat et Filium ; et unigenitum Deum vocat.* Quoad vocem *nunc* consentiunt Voss. et Merc. 2, quoad vocem *Deum*, Arund. Sed neque sic legendo Græcorum sensum exprimes, aut textus Latini defectibus medeberis. Lege ergo : *Quod et Nun, et Filium unigenitum, et Deum vocavit.* Quanquam vox Νοῦς neque in Græco Irenæi textu, neque in hoc primo Evangelii Joannis capite occurrat.

(4) *Præmisit.* Ita Clarom., Pass., Voss. et Feuard. in marg. procul dubio ex vet. cod. At idem Feuard. in textu, cum Eras. et Gall. minus bene, *dimisit.* Mallem προσέβαλε hic, ut alibi solet, vertisset interp., *emisit.*

(5) *Ab hoc.* Sic Græca secutus recte emendavit Feuard. pro *adhuc*, quod in omnibus cum editt. tum mss. codd. perperam legebatur.

(6) *Καὶ διὰ τῆς Ἄννης ... κηρυσσομένης.* Sic cod. Reg. cum Basileensi Epiphan. edit. et Gallas. ac Feuard. Irenæi editt. Petavius vero et Grabius perperam omiserunt τῆς Ἄννης.

(7) *Μὲν οὖσα.* Lege cum interp. μένουσα unico vocabulo.

(8) *Τουτέστι τοῦ Θεοῦ.* Melius legas cum interp. τουτέστι τοῦ Υἱοῦ. Hæc enim ad explicationem vocis ἀρχῆς subjiciuntur. Atqui mox dictum est, Filium, ex Valentinianorum hypothesi, esse *principium illud*, de quo loquitur Joannes ipso Evang. initio ; quia in Filio Pater omnia seminali ratione procreavit ; ab eo autem productum esse Verbum, a quo omnium Æonum efformata sit essentia. Filius igitur et Verbum, sua quisque ratione, rerum, omnium *principium* erant, a quo Joannem initium docendi fecisse volebant hæretici illi ; ac proinde, ex eorum mente, legendum videtur, τουτέστι τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Λόγου.

Digitized by Google

Θεοῦ καὶ τοῦ Λόγου, τὴν διδασκαλίαν ποιεῖται. Λέγει δὲ οὕτως· *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Οὗτος* (1) *ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν.* Πρότερον διαστείλας τὰ τρία, Θεὸν, καὶ ἀρχὴν, καὶ Λόγον, πάλιν αὐτὰ ἑνοῖ, ἵνα καὶ τὴν προβολὴν ἑκατέρων αὐτῶν δείξῃ, τοῦ τε Υἱοῦ, καὶ τοῦ Λόγου, καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἅμα, καὶ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα ἕνωσιν. Ἐν γὰρ τῷ Πατρὶ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἡ ἀρχὴ, καὶ ἐκ τῆς ἀρχῆς (2) ὁ Λόγος. Καλῶς οὖν εἶπεν· *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος*· ἦν γὰρ ἐν τῷ Υἱῷ· *καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν*· καὶ γὰρ ἡ ἀρχή· *καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος*, ἀκολούθως· τὸ γὰρ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν Θεός ἐστιν. *Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν*· ἔδειξε τὴν τῆς προβολῆς τάξιν. *Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδ' ἕν* (3)· πᾶσι γὰρ τοῖς μετ' αὐτὸν Αἰῶσι μορφῆς καὶ γενέσεως αἴτιος ὁ Λόγος ἐγένετο. *Ἀλλὰ ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, φησὶ, ζωὴ ἐστιν*· ἐνθάδε καὶ συζυγίαν ἐμήνυσε· τὰ μὲν γὰρ ὅλα ἔφη δι' αὐτοῦ γεγενῆσθαι (4), τὴν δὲ ζωὴν ἐν αὐτῷ (5). Αὕτη οὖν ἡ ἐν αὐτῷ γενομένη οἰκειοτέρα ἐστὶν ἐν αὐτῷ (6) τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων· σύνεστι γὰρ αὐτῷ, καὶ δι' αὐτοῦ καρποφορεῖ. Ἐπειδὴ γὰρ ἐπιφέρει, *Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων*, Ἀνθρώπους τοὺς μετ' αὐτὸν πάντας ἐκάλεσε, τὸ ὄνομα τοῦτο δηλῶν, ἵνα τὴν συζυγίαν ἐκφήνῃ. Πάντα γὰρ τὰ μετ' αὐτὸν γενόμενα, καὶ ὑπ' αὐτοῦ καρποφορούμενα, ἐν αὐτῷ ἐστιν· ἐν αὐτῷ δὲ ὄντα, καὶ ὑπ' αὐτοῦ καρποφορούμενα, ἐν αὐτῷ ἐστιν.

giæ communionem. Ex Logo enim et Zoe Homo generatur et Ecclesia. Lumen autem dixit hominum Vitam, quoniam illuminati sunt ab ea, quod est formatum et manifestatum (1). Hoc autem et Paulus dicit: *Omne enim quod manifestatur* (2), *lumen est* [34]. Quoniam igitur Vita manifestavit, et generavit Hominem et Ecclesiam, lumen dicta est eorum. Aperte igitur manifestavit Joannes per sermones hos, et alia, et quaternationem secundam, Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam. Sed et primam significavit tetradem. Narrans enim de Salvatore, et docens omnia, quæ extra Pleroma sunt, per eum formata, fructum quoque eum esse dicens intra Pleroma (3): etenim *lumen* dixit *illum*, *quod in tenebris lucet*, *et non comprehenditur* ab eis, quoniam omnia, quæ facta sunt ex passione, formans, ignoratus est ab eis. Et Filium, et Veritatem, et Vitam dicit eum, et *Verbum carnem factum* (*cujus gloriam vidimus*, ait, *et gloria ejus*, *qualis erat Unigeniti* (4), *quæ a Patre data est ei*), *plenum gratia* (5) *et veritate*. Dicit autem sic (6) [35]: *Et Verbum caro factum est*, *et habitavit in nobis*, *et vidimus gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti a Patre*, *plenum gratia et veritate* (7). Diligenter igitur ostendit primam quaternationem, Patrem dicens, et Gratiam, et Monogenitum, quoque æquivoce significavit: ut per unam vocem, conjugii commercium declararet. Ex Verbo enim et Vita, Homo et Ecclesia orti sunt. Porro hominum lucem vitam appellavit, quod ipsi ab ea illuminati sint, hoc est formati ac patefacti. Quod etiam Paulus his verbis ait: *Omne autem id quod manifestatur*, *lux est*. Quoniam itaque Vita et Hominem et Ecclesiam genuit ac patefecit, ipsorum proinde lux dicta est. Perspicue igitur per hæc verba Joannes tum alia, tum secundam quaternitatem, hoc est Sermonem et Vitam, Hominem et Ecclesiam, declaravit. Quin prima quoque ab eo quaternitas indicata est. Nam de

A θρωπον εἰπὼν ἅρτι, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ὁμωνύμως τῷ Ἀνθρώπῳ (8) ἐμήνυσεν, ὅπως διὰ τοῦ ἑνὸς ὀνόματος δηλώσῃ τὴν τῆς συζυγίας κοινωνίαν. Ἐκ γὰρ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς ἄνθρωπος γίνεται καὶ Ἐκκλησία. Φῶς δὲ εἶπε τῶν ἀνθρώπων τὴν Ζωὴν διὰ τὸ πεφωτίσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτῆς, ὃ δή ἐστι μεμορφῶσθαι καὶ πεφανερῶσθαι. Τοῦτο δὲ καὶ ὁ Παῦλος λέγει· *Πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστιν*. Ἐπεὶ τοίνυν ἐφανέρωσε καὶ ἐγέννησε τόν τε ἄνθρωπον καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἡ Ζωή, φῶς εἰρῆσθαι (9) αὐτῶν. Σαφῶς οὖν δεδήλωκεν ὁ Ἰωάννης διὰ τῶν λόγων τούτων τά τε ἄλλα καὶ τὴν τετράδα τὴν δευτέραν, Λόγον καὶ Ζωήν, Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν πρώτην ἐμήνυσε τετράδα. Διηγούμενος γὰρ περὶ τοῦ Σωτῆρος, καὶ λέγων πάντα τὰ ἐκτὸς τοῦ πληρώ- B ματος δι' αὐτοῦ μεμορφῶσθαι, καρπὸν εἶναί φησιν αὐτὸν παντὸς τοῦ πληρώματος (10)· καὶ γὰρ *φῶς* εἴρηκεν *αὐτὸν τὸ ἐν τῇ σκοτίᾳ φαινόμενον*, *καὶ μὴ καταληφθὲν* ὑπ' αὐτῆς, ἐπειδὴ πάντα τὰ γενόμενα ἐκ τοῦ πάθους ἁρμόσας (11), ἠγνοήθη ὑπ' αὐτῆς (12)· καὶ Υἱὸν δὲ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Ζωὴν λέγει αὐτὸν, καὶ *Λόγον σάρκα γενόμενον· οὗ τὴν δόξαν ἐθεασάμεθα*, φησὶ, *καὶ ἦν ἡ δόξα αὐτοῦ*, *οἷα ἦν ἡ τοῦ Μονογενοῦς*, ἡ ὑπὸ τοῦ Πατρὸς δοθεῖσα *αὐτῷ πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας* (13). Λέγει δὲ

BILLII INTERPRETATIO,

Ephes. v, 13. [35] Joan. i, 14

(1) *Quod est formatum et manifestatum.* Fortasse C scripsit interp. *quod est formatum esse, et manifestatum*, pro *formati sunt et manifestati*. Sic tu legas juxta Græcum.

(2) *Quod manifestatur.* Sic quidem Vulgatæ Bibliorum versiones Latinæ; sed, ut probe monet Grabius, cum φανερούμενον quasi participium verbi medii in significatione activa accepisse Valentinianos, immediate sequentia clare ostendant; interpres potius, *quod manifestat*, quam, *quod manifestatur*, reddere debuisset.

(3) *Dicens intra Pleroma.* Lege ex Græco, *dicit totius Pleromatis*. Vide not. 10.

(4) *Qualis erat Unigeniti.* Sic recte Clarom. cod. juxta Græc. οἷα ἦν ἡ τοῦ μονογενοῦς. Eras., Gall. et Feuard. *quasi unigeniti*; Oxon. ex cod. Voss. pejus, *quasi erat unigeniti*.

(5) *Plenum gratia.* Codicem Arundel. sequimur, cæteris omnibus cum editt. tum mss. hic præponendum. Illum quidem postposuit Grabius; quia D vocem Græcam πλήρης ad δόξαν cum Billio et Petavio referre maluit, quam ad Λόγον· sed doctissimos alioqui viros Græcorum sensum hic assecutos non fuisse, in notis ad textum Græcum demonstravimus. Quare distinctionis causa, hæc, *cujus gloriam vidimus.... data est ei*, parenthesi includimus.

(6) *Dicit autem sic*, etc. usque ad, *diligenter igitur*. Billium, alioqui non indiligentem, in nova versione sua hæc prætermisisse, cum Frontone Duc. miror. Sed paulo magis stupenda Gallasii hallucinatio; dum enim novis vocibus studet, iis repudiatis, quibus utitur Vulgata nostra, nec evangelico sensui, nec Grammaticæ legibus consulit. Vertit enim: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis, et contemplati vidimus gloriam ut Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Sive enim *plenum* ad vocem *sermo*, sive ad *gloriam* referat, solœcismi culpa tenetur. Atqui si vel Erasmum consuluisset, ab eo didicisset vocem Græcam πλήρης referri ad Λόγος, non ad δόξαν· ac proinde vertendum erat: *et Sermo factus est caro, et habitavit in nobis*, etc., *plenus gratiæ et veritatis*.

(7) *Plenum gratia et veritate.* Sic ex Græco emendamus, imo ex ipso Irenæi interp. qui lib. v, cap. 18, sic reddidit. In cæteris autem omnibus cum editt. tum mss. legitur, *plena*, sed manifesto scribarum lapsu. Si enim ea gratiæ veritatisque plenitudo ad gloriam referretur, in Græco scribendum fuisset πλήρη, et in Latino *plenam*. Vide not. 13.

(8) Ὁμωνύμως τῷ Ἀνθρώπῳ. Τῷ ἀνθρώπῳ deleri vult Billius; sed retineri nihil vetat.

(9) Εἰρῆσθαι. Melius legas cum interp. εἴρηται.

(10) Παντὸς τοῦ πληρώματος. Vet. interpres non παντός, sed ἐντός legisse videtur. Vertit enim, *intra*. Sed prior lectio præferenda. Salvatorem enim totius Pleromatis fructum esse jam non semel dixerunt Valentiniani.

(11) Ἁρμόσας. Μορφώσας legi mavult Billius, quia vertit interpres, *formans*. Sed ἁρμόσας eodem recidit.

(12) Ὑπ' αὐτῆς. Monet Grab. interpretem recte legisse, ὑπ' αὐτῶν, quia vertit, *ab eis*. Sed eadem ratione legisset interpres linea præced. ὑπ' αὐτῶν, qui vertit etiam, *ab eis*. Non attendebat, puto, vir doctus, *ab eis* utrobique referri ad *tenebras*, et ὑπ' αὐτῆς ad τὴν σκοτίαν.

(13) Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Vel lege

Digitized by Google

οὕτως· Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Ἀκριβῶς οὖν καὶ τὴν πρώτην ἐμήνυσε τετράδα, Πατέρα εἰπὼν, καὶ Χάριν, καὶ τὸν Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν· οὕτως ὁ Ἰωάννης περὶ τῆς πρώτης καὶ μητρὸς τῶν ὅλων Αἰώνων ὀγδοάδος εἴρηκε. Πατέρα γὰρ εἴρηκε, καὶ Χάριν, καὶ Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Λόγον, καὶ Ζωὴν, καὶ Ἄνθρωπον, καὶ Ἐκκλησίαν.

A nem, et Veritatem. Sic Joannes de prima et matre omnium Æonum ogdoade dixit. Patrem enim dixit, et Gratiam, et Monogenem, et 43 Veritatem, et Verbum, et Vitam, et Hominem, et Ecclesiam. Et Ptolemæus quidem ita (4).

CAPUT IX.

Impugnantur impiæ Hæreticorum interpretationes.

Ὁρᾷς, ἀγαπητὲ, τὴν μέθοδον, ᾗ οἱ χρώμενοι φρενοπατοῦσιν ἑαυτοὺς, ἐπηρεάζοντες τὰς Γραφὰς, τὸ πλάσμα αὐτῶν ἐξ αὐτῶν συνιστάνειν πειρώμενοι. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς (1) παρεθέμην αὐτῶν τὰς λέξεις (2), ἵνα ἐξ αὐτῶν κατανοήσῃς τὴν πανουργίαν τῆς μεθοδείας, καὶ τὴν πονηρίαν τῆς πλάνης. Πρῶτον μὲν γὰρ εἰ προέκειτο Ἰωάννῃ τὴν ἄνω ὀγδοάδα μηνύσειν, τὴν τάξιν ἂν τετηρήκει τῆς προβολῆς, καὶ τὴν πρώτην τετράδα σεβασμιωτάτην οὖσαν, καθὼς λέγουσιν, ἐν πρώτοις ἂν τεθείκει τοῖς ὀνόμασι, καὶ οὕτως ἐπεζεύχθη (3) τὴν δευτέραν, ἵνα διὰ τῆς τάξεως τῶν ὀνομάτων ἡ τάξις δειχθῇ τῆς ὀγδοάδος· καὶ οὐκ ἂν μετὰ τοσοῦτον διάστημα, ὡς ἐκλελησμένος, ἔπειτα ἀναμνησθεὶς, ἐπ' ἐσχάτῳ πρώτης ἐμέμνητο τετράδος. Ἔπειτα δὲ καὶ τὰς συζυγίας σημᾶναι θέλων, καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας οὐκ ἂν παρέλιπεν ὄνομα· ἀλλ' ἢ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συζυγιῶν

1. Vides igitur, dilectissime, adinventionem, qua utentes seducunt semetipsos, calumniantes Scripturis, fictionem suam ex eis constare (5) adnitentes. Propter hoc enim et ipsas eorum apposui astutias et dictiones, ut ex eis consideres malitiam inventionis et nequitiam erroris. Primo enim si propositum esset Joanni, illam, quæ sursum est, octonationem ostendere, ordinem custodisset utique emissionis, et primam quaternationem, cum sit venerabilior (quemadmodum dicunt), in primis utique posuisset nominibus, et sic adjunxisset secundam, ut per ordinem nominum ordo ostenderetur octonationis : et non utique post tantum intervallum, quasi oblitus, deinde commemoratus (6), in novissimo primæ memoratus fuisset quaternationis. Deinde autem et conjugationes significare volens, et Ecclesiæ non prætermisisset

B

BILLII INTERPRETATIO.

Salvatore verba faciens, dicensque omnia, quæ extra Pleroma sunt, per eum formata fuisse, fructum eum esse ait totius Pleromatis. Etenim lucem eum appellavit in tenebris lucentem, nec ab iis comprehensam : quandoquidem, ipsis inscientibus, omnia quæ ex passione facta sunt, informavit. Ad hæc, et Filium, et Veritatem, et Vitam eum dicit, et Verbum carnem effectum : *Cujus gloriam*, inquit, *perspeximus, et erat gloria ipsius quasi gloria unigeniti, quæ a Patre ipsi concessa fuerat, plena gratia et veritate.* Plane igitur et accurate primam quoque quaternitatem ostendit, cum Patrem, et Charin, Monogenem item, et Veritatem dixit. Atque ad hunc modum Joannes de principe atque omnium Æonum parente Ogdoade locutus est. Patrem enim et Charin dixit, Monogenem et Veritatem, Sermonem et Vitam, Hominem et Ecclesiam. Atque in hunc modum Ptolemæus.

CAPUT IX.

1. Cernis, vir charissime, qua illi vafritie utentes sibimetipsis imposturam faciunt, Scripturas nimirum vexantes, dum per eas fidem commentis suis astruere conantur. Ob id enim ipsas quoque eorum voces apposui, ut ex iis artificii versutiem, atque erroris improbitatem animadvertas. Primum enim, si hoc Joanni propositum fuisset, ut supernam illam ogdoadem declararet, productionis utique ordinem servasset, ac primam quaternitatem, utpote augustissimam, velut ipsi dicunt, summeque venerandam, in primis nominibus collocasset, atque ita secundam adnexuisset, ut per nominum ordinem et seriem

πλήρη, vel subintellige ὃς ἐστι πλήρης, etc., πλήρης enim, non ad δόξαν (quod vult Grabius Billium et Petavium secutus), sed ad Λόγον, ex ipsa etiam Valentinianorum mente, hic referri suadent plura. 1° Quamvis ex memoria duntaxat citari hic videantur Joannis verba, additis scilicet multis vocibus quas sacer Evang. textus non agnoscit, servatur tamen idem regimen verborum, quod Joannes ipse servavit. Cumque Joannes in nominativo casu reposuerit πλήρης (ut ferunt melioris notæ codd. et legunt omnes fere SS. PP.) et ad Λόγος retulerit, non mirum si in eodem casu hic reponatur (quamvis forte commodior fuisset accusativus, propter præcedens Λόγον) et illuc referatur; cum maxime nihil ad Valentinianorum hypothesim referret, an ad Λόγον, an ad δόξαν referretur πλήρης. Deinde cum statim non ex memoria, sed ex codice proferunt hæretici illi ipsa Joannis verba, recte legunt, πλήρης χάριτος, etc. Atqui si πλήρης ad δόξαν retulissent, legere debuissent, πλήρη in accusativo, non πλήρης, uti satis patet. Denique Irenæus quæ-

C cunque hic ex Valentinianorum mente profert Evangelii testimonia, eodem modo legit et ipse in aliis locis; sensum enim, non verba corrumpebant illi. At lib. v, cap. 18 eadem, de quibus agimus, verba laudans, πλήρης ad Λόγον refert : vertit siquidem interpres, *plenum gratia et veritate.*

(1) *Καὶ αὐτός.* Lege αὐτάς, cum interprete.

(2) *Τὰς λέξεις.* Aliquam aliam vocem cum copula καί hic legisse videtur interpres; vertit enim, *astutias et dictiones.*

(3) *Ἐπεζεύχθη.* Mallem ἐπέζευξε. Sed forte verbum ἐπιζεύγνυμαι in activa significatione accepit Irenæus.

(4) *Ptolemæus quidem ita.* Hæc in Græco desiderantur.

(5) *Constare.* Gr. συνιστάνειν, quod vertendum erat, *commendare* seu *approbare.* Inde enim Scripturis calumniam struebant Valentiniani, quod fictiones suas ex eis approbare adniterentur.

(6) *Deinde commemoratus.* In Eras., Gall. et Otob. *de re commemoratus*, forte pro *dein recommemoratus;* sic enim habet cod. Clarom.

Digitized by Google

nomen; sed aut et in reliquis conjugationibus contentus fuisset masculorum appellatione, similiter cum possent et illa (1) simul subaudiri, ut unitatem per omnia esset custodiens; aut si reliquorum conjugationes enumerabat, et Anthropi (id est, Hominis), utique manifestasset conjugem, et utique non remisisset (2) de divinatione nos accipere nomen ipsius.

2. Manifesta igitur expositionis eorum transfictio. Joanne enim unum Deum exponente (3), et unum Unigenitum Christum Jesum annuntiante, per 44 quem omnia facta esse dicit, hunc Verbum Dei, hunc Unigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eumdem carnem factum, et inhabitasse in nobis : hi transvertentes secundum verisimile (4) expositionem, alterum quidem Monogenem volunt esse secundum emissionem, quem scilicet (5) et Principium vocant; alterum autem Soterem (id est Salvatorem), fuisse volunt, et alterum Logon (id est Verbum), filium Monogenis (id est unigeniti), et alterum Christum (6) ad emendationem Pleromatis emissum : et unumquodque eorum, quæ dicta sunt, auferentes a veritate, et abutentes nominibus, in suam argumentationem (7) transtulerunt : ut, secundum eos, in tantis Joannes Domini Christi Jesu memoriam non fecerit. Si enim Patrem dixit (8), et Charin, et Monogenem,

A ἠρκέσθη τῇ τῶν ἀῤῥένων προσηγορίᾳ, ὁμοίως δυναμένων κἀκείνων συνυπακούεσθαι, ἵνα τὴν ἑνότητα διὰ πάντων ᾖ πεφυλαχώς· εἰ τῶν λοιπῶν τὰς συζύγους (9) κατέλεγε, καὶ τὴν τοῦ Ἀνθρώπου ἂν μεμηνύκει σύζυγον, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκεν ἐκ μαντείας ἡμᾶς λαμβάνειν τοὔνομα αὐτῆς.

2. Φανερὰ οὖν ἡ τῆς ἐξηγήσεως παραποίησις. Τοῦ γὰρ Ἰωάννου ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, καὶ ἕνα μονογενῆ Χριστὸν Ἰησοῦν κηρύσσοντος, δι' οὗ τὰ πάντα γεγονέναι λέγει, τοῦτον Υἱὸν Θεοῦ (10), τοῦτον Μονογενῆ, τοῦτον πάντων ποιητὴν, τοῦτον φῶς ἀληθινὸν, φωτίζοντα πάντα ἄνθρωπον, τοῦτον κόσμου ποιητὴν, τοῦτον εἰς τὰ ἴδια ἐληλυθότα, τοῦ-
B τον αὐτὸν σάρκα γεγονότα, καὶ ἐσκηνωκότα ἐν ἡμῖν· οὗτοι παρατρέποντες κατὰ τὸ πιθανὸν τὴν ἐξήγησιν, ἄλλον μὲν τὸν Μονογενῆ θέλουσιν εἶναι κατὰ τὴν προβολὴν, ὃν δὴ καὶ Ἀρχὴν καλοῦσιν· ἄλλον δὲ τὸν Σωτῆρα γεγονέναι θέλουσι, καὶ ἄλλον τὸν Λόγον υἱὸν τοῦ Μονογενοῦς, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν εἰς ἐπανόρθωσιν τοῦ πληρώματος προβεβλημένον· καὶ ἓν ἕκαστον τῶν εἰρημένων ἅπαντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καταχρησάμενοι (11) τοῖς ὀνόμασιν, εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν μετήνεγκαν, ὥστε, κατ' αὐτοὺς, ἐν τοῖς τοσούτοις τὸν Ἰωάννην τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μνείαν ποιεῖσθαι (12). Εἰ γὰρ Πατέρα εἴρηκε, καὶ Χάριν, καὶ Μονογενῆ, καὶ Ἀλήθειαν, καὶ Λόγον, καὶ Ζωὴν, καὶ Ἄνθρωπον, καὶ Ἐκκλησίαν, κατὰ τὴν ἐκεί-

BILLII INTERPRETATIO.

ogdoadis ordo demonstraretur; non autem tanto post intervallo velut oblivione captus, ac postea in memoriam rediens, ultimo loco quaternitatis primæ mentionem fecisset. Deinde, si conjugia quoque indicare voluisset, profecto Ecclesiæ nomen haudquaquam ab eo præteritum fuisset; verum aut in reliquis etiam conjugationibus masculos appellare satis habuisset (quippe cum æque illæ una subaudiri possent), ut hac ratione unitatem prorsus servaret; aut si reliquorum conjuges recensebat, Hominis quoque conjugem declarasset, nec nobis ipsius nomen ex conjectura et divinatione capiendum reliquisset.

2. Plana est itaque expositionis hujusce falsitas. Nam cum Joannes unum Deum omnipotentem, et unum Unigenitum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, prædicet, hunc Filium Dei, hunc Unigenitum, hunc omnium rerum effectorem, hunc veram lucem illuminantem omnem hominem, hunc mundi conditorem, hunc qui ad sua venerit, et caro factus sit, et in nobis habitaverit; hi speciosæ orationis lenocinio expositionem detorquentes, alium Unigenitum esse secundum productionem, quem etiam Principium nuncupant, alium Salvatorem fuisse volunt, alium Sermonem filium Monogenis, alium denique Christum, ad Pleromatis instaurationem in lucem editum : atque unumquodque eorum, quæ dicta sunt, a veritate dimoventes, ac nominibus abutentes, ad institutum suum transtulerunt; adeo ut, de eorum sententia, Joannes in tot verbis Domini Jesu Christi mentionem nullam fecerit. Si enim Patrem dixit, et Gratiam, et Unigenitum, et Veritatem, et Verbum, et Vitam, et Hominem, et Ecclesiam,

(1) *Cum possent et illa.* Legendum puto : *cum possent et illæ*, scilicet fœminæ conjuges seu Æones fœminæ.

(2) *Non remisisset.* Gr. οὐκ ἂν ἀφῆκεν, *non dimisisset.*

(3) *Unum Deum exponente.* Adde ex Gr. *unum Deum omnipotentem.*

(4) *Secundum verisimile.* Sic ex Græco, ita exigente sensu, restituo, pro *secundum verisimilem*, ut habent omnes codd. manifesto scribarum lapsu : male scilicet apice notata litera *e*, quod frequens in mss. occurrit.

(5) *Quem scilicet.* Eras., Feuard. et Gall. perperam habent, *quam.*

(6) *Alterum Christum.* Duas voces, *id est*, post Christum in præced. editt. insertas merito delevit Grab. quia in Græco et mss. Clarom., Arundel. atque Vossio desunt, ac falsum gignunt sensum; sed forte, *id est*, in mss. Erasmi et Gallasii, ex

C interpretatione vocis *Christum*, supererat; scripseratque quispiam, *id est unctum*, ut ante scriptum est, *Monogenis, id est Unigeniti.*

(7) *In suam argumentationem.* Græcam vocem ὑπόθεσιν, *argumentationem* vertere amat interp. : mallem reddidisset, *institutum*, *sententiam.*

(8) *Dixit.* Ita Clarom. et Voss. exacte juxta Græcum εἴρηκε. Eras., Gall. et Feuard. *dixisset.*

(9) *Εἰ τῶν λοιπῶν τὰς συζύγους.* Legendum cum interp. ἢ εἰ τῶν λοιπῶν. Sed frustra Billius et Fronto Duc. cum eodem legi volunt, τὰς συζυγίας· et sensus enim et contextus sermonis exigunt συζύγους.

(10) *Υἱὸν Θεοῦ.* Λόγον Θεοῦ legisse videtur interpres.

(11) *Καταχρησάμενοι.* Lege cum interp. καὶ καταχρησάμενοι.

(12) *Μνείαν ποιεῖσθαι.* Addenda cum interpr. particula negativa μὴ vel οὐ.

Digitized by Google

νων ὑπόθεσιν περὶ τῆς πρώτης ὀγδοάδος εἴρηκεν, ἐν ᾗ οὐδέπω Ἰησοῦς, οὐδέπω Χριστὸς ὁ τοῦ Ἰωάννου διδάσκαλος. Ὅτι δὲ οὐ περὶ τῶν συζυγιῶν αὐτῶν ὁ Ἀπόστολος εἴρηκεν, ἀλλὰ περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν καὶ Λόγον οἶδε τοῦ Θεοῦ, αὐτὸς πεποίηκε φανερόν. Ἀνακεφαλαιούμενος γὰρ περὶ τοῦ εἰρημένου αὐτῷ ἄνω ἐν ἀρχῇ Λόγου, ἐπεξηγεῖται· *Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.* Κατὰ δὲ τὴν ἐκείνων ὑπόθεσιν, οὐχ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ὃς γε οὐδὲ ἦλθέ ποτε ἐκτὸς πληρώματος, ἀλλὰ ὁ τῆς οἰκονομίας (1), μεταγενέστερος τοῦ Λόγου, Σωτήρ.

et Alethian, et Logon, et Zoen, et Anthropon, et Ecclesiam, secundum illorum argumentationem de prima ogdoade dixit, in qua nondum Jesus, nondum Christus Joannis magister. Quia autem non de syzygiis ipsorum Apostolus dixit, sed de Domino nostro Jesu Christo, quem et Verbum scit esse Dei, idem ipse fecit manifestum. Recapitulans enim de eo Verbo, quod ei in principio dictum est (4), insuper exponit : *Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis* (5). Secundum autem illorum argumentationem, non Verbum caro factum est, quod quidem nec venit unquam extra Pleroma : sed qui ex omnibus factus (6), et sit posterior (7) Verbo, Salvator (8).

3. Μάθετε οὖν, ἀνόητοι, ὅτι Ἰησοῦς ὁ παθὼν ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ κατασκηνώσας ἐν ἡμῖν, οὗτος αὐτός ἐστιν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ. Εἰ μὲν γὰρ ἄλλος τις τῶν αἰώνων ὑπὲρ τῆς ἡμῶν αὐτῶν σωτηρίας σὰρξ ἐγένετο, εἰκὸς ἦν περὶ ἄλλου εἰρηκέναι τὸν Ἀπόστολον· εἰ δὲ ὁ Λόγος ὁ τοῦ Πατρὸς ὁ καταβὰς, αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς, ὁ τοῦ μόνου Θεοῦ (2) μονογενὴς Υἱὸς κατὰ τὴν τοῦ Πατρὸς εὐδοκίαν σαρκωθεὶς ὑπὲρ ἀνθρώπων, οὐ περὶ ἄλλου τινὸς, οὐδὲ περὶ ὀγδοάδος τὸν λόγον ἐμπεποίηται (3), ἀλλ' ἢ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οὐδὲ γὰρ ὁ Λόγος, κατ' αὐτοὺς, προηγουμένως σὰρξ γέγονε. Λέγουσι δὲ τὸν Σωτῆρα ἐνδύ-

45 3. Discite igitur, insensati, quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem ipse est et Verbum Dei. Si enim alius ex Æonibus pro nostra salute caro factus est, æstimandum erat de altero dixisse Apostolum. Si autem Verbum Patris, qui descendit, ipse est et qui ascendit, ab uno Deo unigenitus Filius, secundum Patris placitum incarnatus pro hominibus; non de alio aliquo, neque de ogdoade Joannes sermonem fecit, sed de Domino Christo Jesu. Neque enim Verbum secundum eos principaliter caro factum est. Dicunt enim Sotera induisse corpus animale, de dispositione

BILLII INTERPRETATIO.

juxta illorum sententiam de prima ogdoade hæc dixit, in qua necdum est Jesus, necdum Christus Joannis præceptor. Quod autem Apostolus non de ipsorum conjugiis, sed de Domino nostro Jesu Christo, quem et Dei Verbum agnoscit, verba fecerit, ipsemet aperte declaravit. Sermonem enim de eo Verbo, de quo supra in principio locutus fuerat, in summam redigens, exponens deinde subjungit : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Atqui si verum est quod ipsi ponunt, haudquaquam Verbum caro factum est, utpote quod ne ex Pleromate quidem unquam excesserit, sed Salvator, ille, qui ex omnibus ortus est, natuque minor Sermone.

3. Discite igitur, vecordes homines, Jesum, qui nostra causa passus est, atque apud nos habitavit, eum ipsum esse Dei Verbum. Etenim si alius quisquam ex Æonibus pro salute nostra carnem assumpsisset, probabile fuisset Apostolum de alio verba fecisse. Cum autem Verbum Patris, quod descendit, idem sit etiam quod ascendit, ille, inquam, unius Dei unigenitus Filius, benigna Patris voluntate hominum causa incarnatus, profecto non de quoquam alio, nec de ogdoade verba fecit; verum de Domino Jesu Christo. Neque enim, ut ipsi sentiunt, Verbum caro factum est. Aiunt enim Salvatorem animale corpus induisse, ineffabili providentia ex dispensatione ad hoc fabricatum, ut et oculis cerni, et manibus tractari posset. Atqui caro est antiqua illa Adami e limo a Deo effictio, quam Dei Verbum vere factum esse Joan-

(1) *Ὁ τῆς οἰκονομίας.* Pro his legendum vult Billius cum interpr. ὁ ἐκ πάντων γεγονώς, quia fictitius ille Valentinianorum Servator ex omnibus Æonibus ortum traxit. Grabius vero Epiphanii lectionem pro genuina habet, ratus hanc, utpote obscuriorem, liberiori explicationi occasionem dedisse. Sed is certe non est interpres noster, qui tantam sibi libertatem arroget. Quare utrumque textum, Græcum scilicet et Latinum, hic mutilum esse, alterumque ex altero emendandum esse ratus, et Epiphanii et interpretis lectionem amplector, legendumque censeo : ὁ ἐκ πάντων γεγονὼς, καὶ τῆς οἰκονομίας, μεταγενέστερος τοῦ Λόγου, Σωτήρ. Cur autem Salvator dicatur, τῆς οἰκονομίας Σωτήρ, ratio in promptu est : quia scilicet humanæ salutis procurandæ causa (quæ Græcis οἰκονομία est, ut supra diximus), animale corpus induit, ut paulo post subjicitur, quod quidem corpus ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ, *ex dispensatione* (id est salutis nostræ causa), *constructum inenarrabili arte* dicebant Valentiniani.

(2) *Ὁ τοῦ μόνου Θεοῦ.* Legisse videtur interpres, ἀπὸ τοῦ, non ὁ τοῦ, sed utrumque eodem fere recidit.

(3) *Λόγον ἐμπεποίηται.* Legendum vult Billius πεποίηται.

(4) *De eo Verbo, quod ei in principio dictum est.* Addendum ex Græco : *de eo Verbo, de quo supra in principio dictum est.* Quod clarius vertit Billius : *de eo Verbo, de quo supra in principio locutus fuerat.* Quanquam tamen non immerito existimat Fronto Duc. Græcis alium subesse posse sensum (quem amplexus est Petavius), scilicet : *recapitulans enim de eo Verbo, quod ab eo supra dictum est in principio fuisse.* Hunc quidem sensum improbat Grabius, *quia*, inquit, *in Græco non est*, ἐν ἀρχῇ εἶναι Λόγου. Nempe deest Verbum εἶναι, sed subintelligi nihil vetat.

(5) *Inhabitavit in nobis.* Sic codd. Clarom. et Pass., cæteri *habitavit in nobis.*

(6) *Ex omnibus factus.* Auctoritate cod. Clarom. deleo verbum, *est*, utpote superfluum.

(7) *Et sit posterior.* Ita Claromont., Pass., Arund. et Voss. cum edit. Oxon. In cæteris vitiose, *sic.*

(8) *Salvator.* Adde ex Gr. *dispensationis Salvator.* Lege Not. 1.

Digitized by Google

aptatum inenarrabili providentia, ut visibile et palpabile fieret. Caro est autem illa vetus de limo secundum Adam facta plasmatio a Deo, quam vere factum Verbum Dei manifestavit Joannes. Et soluta est illorum prima et primogenita octonatio. Cum enim unus et idem ostenditur (1) Logos, et Monogenes, et Zoe, et Phos, et Soter, et Christus Filius Dei (2), et hic idem incarnatus pro nobis, soluta est octonationis illorum compago. Hac autem soluta, decidit illorum omnis argumentatio, quam falso nomine (3) somniantes infamant Scripturas (4), ad propriam argumentationem confingendam.

A σασθαι σῶμα ψυχικὸν, ἐκ τῆς οἰκονομίας κατεσκευασμένον ἀῤῥήτῳ προνοίᾳ, πρὸς τὸ ὁρατὸν γενέσθαι καὶ ψηλαφητόν. Σὰρξ δέ ἐστιν ἡ ἀρχαία ἐκ τοῦ χοῦ κατὰ τὸν Ἀδὰμ ἡ γεγονυῖα πλάσις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἣν ἀληθῶς γεγονέναι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἐμήνυσεν ὁ Ἰωάννης. Καὶ λέλυται αὐτῶν ἡ πρώτη καὶ ἀρχέγονος ὀγδοάς. Ἑνὸς γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ δεικνυμένου Λόγου, καὶ Μονογενοῦς, καὶ Ζωῆς, καὶ Φωτὸς, καὶ Σωτῆρος, καὶ Χριστοῦ, καὶ Υἱοῦ Θεοῦ, καὶ τούτου αὐτοῦ σαρκωθέντος ὑπὲρ ἡμῶν, λέλυται ἡ τῆς ὀγδοάδος σκηνοπηγία. Ταύτης δὲ λελυμένης, διαπέπτωκεν αὐτῶν πᾶσα ἡ ὑπόθεσις, ἣν ψευδῶς ὀνειρώττοντες κατατρέχουσι τῶν Γραφῶν, ἰδίαν ὑπόθεσιν ἀναπλασάμενοι.

4. Post deinde dictiones et nomina dispersim posita colligentes, transferunt, sicut prædiximus, ex eo quod est secundum naturam (5), in id quod est contra naturam: similia facientes iis, qui controversias sibimetipsis quaslibet (6) proponunt, post deinde conantur et Homericis versibus (7) meditari (8) eas: ita ut idiotæ putent, ex illa temporali declamata controversia (9) Homerum versus fecisse, et multi abducuntur (10) per compositam consequentiam versuum, ne forte hæc sic Homerus

46 fecerit. Quemadmodum Herculem ab Eurystheo ad eum, qui apud inferos est, canem, missum ex Homericis versibus scribens ita (nihil enim prohibet exempli gratia commemorari (11) et horum, cum sit similis et eadem argumentatio):

Hæc ubi dicta dedit, emisit limine flentem

Herculem invictum, magnarum non inscium rerum,
Eurystheus natus Stenelo, prosapia Persei,
Ducturum ex Erebo canem atri Ditis ad auras.

4. Ἔπειτα λέξεις καὶ ὀνόματα σποράδην κείμενα B συλλέγοντες, μεταφέρουσι, καθὼς προειρήκαμεν, ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἰς τὸ παρὰ φύσιν· ὅμοια ποιοῦντες τοῖς ὑποθέσεις τὰς τυχούσας αὐτοῖς προβαλλομένοις, ἔπειτα πειρωμένοις ἐκ τῶν Ὁμήρου ποιημάτων μελετᾷν αὐτὰς, ὥστε τοὺς ἀπειροτέρους δοκεῖν, ἐπ' ἐκείνης τῆς ἐξ ὑπογυίου μεμελετημένης ὑποθέσεως Ὅμηρον τὰ ἔπη πεποιηκέναι, καὶ πολλοὺς συναρπάζεσθαι διὰ τῆς τῶν ἐπῶν συνθέτου ἀκολουθίας, μὴ ἄρα ταῦθ' οὕτως Ὅμηρος εἴη πεποιηκώς. Ὡς ὁ τὸν Ἡρακλέα ὑπὸ Εὐρυσθέως ἐπὶ τὸν ἐν τῷ ᾅδῃ κύνα πεμπόμενον διὰ τῶν Ὁμηρικῶν στίχων γράφων οὕτως (οὐδὲν γὰρ κωλύει παραδείγματος χάριν ἐπιμνησθῆναι καὶ τούτων, ὁμοίας καὶ τῆς αὐτῆς οὔσης ἐπιχειρήσεως τοῖς ἀμφοτέροις)·

C *Ὡς εἰπὼν, ἀπέπεμπε δύμων βαρέα στεναχοντα* [*τα* [36]
Φῶθ' Ἡρακλῆα, μεγαλων ἐπίστορα ἔργων [37],
Εὐρυσθεὺς, Σθενέλοιο πάϊς Περσηϊάδαο [38]
Ἐξ Ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ ἀΐδαο [39]

BILLII INTERPRETATIO.

nes indicavit. Atque ita princeps eorum ac primigena ogdoas deleta et exstincta est. Ex eo enim quod et Verbum, et Unigenitus, et Vita, et Lux, et Salvator, et Christus, et Filius Dei, isque ipse salutis nostræ causa incarnatus, unus et idem esse demonstratur; ruit ogdoadis eorum compago. Hac porro diruta, concidit omnis illorum hypothesis, quam falso velut somniantes, Scripturas exagitant, ut hypothesim suam effingant.

4. Ac deinde voculas quasdam et nomina, quæ variis locis sparsa sunt, in unum collecta ex genuino, uti jam diximus, sensu ad adulterinum traducunt, perinde utique facientes, atque illi, qui argumenta quælibet sibi proponunt, ac tum dant operam, ut Homeri versibus ea contexant: adeo ut imperitissimi quique Homerum de illo recens elaborato argumento versus hujusmodi condidisse putent, ac multi per rite compactam versuum seriem eo adducuntur, ut ambigant num Homerus ita hæc elucubraverit. Quo in genere illud est, quod quidam Herculem ab Eurystheo ad Inferni canem missum Homericis versibus describens, ad hunc modum cecinit. Nec enim quidquam prohibet, quominus exempli gratia hæc commemoremus, cum similis idemque sit utrisque conatus.

[36] *Od.* K, 76. [37] *Od.* Φ, 26. [38] *Il.* T, 123. [39] *Il.* Δ, 368.

(1) *Ostenditur.* Codex Voss. *ostendatur.*

(2) *Christus Filius Dei.* Lege juxta Græcum, *et Christus, et Filius Dei.*

(3) *Falso nomine.* Ψευδωνύμως male legit interpres pro ψευδῶς, *falso.*

(4) *Infamant Scripturas.* Melius vertisset interpres, *depravant Scripturas.* Κατατρέχειν enim (quo verbo hic utitur Irenæus) proprie est, *hostiliter excurrere, excursiones facere:* quod Valentinianis apprime convenit, qui in Scripturas excurrebant, ut quidpiam ex eis corraderent, quod ad hypothesim concinnandam faceret.

(5) *Ex eo quod est secundum naturam,* etc. Id est *ex genuino sensu ad adulterinum traducunt,* ut recte vertit Billius.

(6) *Controversias... quaslibet.* Vertendum erat, *argumenta quælibet.*

(7) *Et Homericis versibus.* Lege ex Græco, *ex Homericis versibus.*

(8) *Meditari.* Gr. μελετᾷν, quod hic verterem, *solerter concinnare.*

(9) *Ex illa temporali declamata controversia.* Billius longe melius: *de illo recens elaborato argumento.*

(10) *Abducuntur.* Leg. *abducantur.* Scilicet per rite compactam versuum seriem eo abducantur, ut ambigant, num hæc ita digesserit Homerus.

(11) *Commemorari.* Hoc verbum plerumque active accipit interpres pro *meminisse.*

Digitized by Google

Βῆ δ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος ἀλκὶ πε- [ποιθὼς [49],
Καρπαλίμως ἀνὰ ἄστυ (1). *Φίλοι δ' ἅμα πάν-* [τες (2) ἕποντο [51],
Νύμφαι τ' ἠΐθεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες [52],
Οἴκτρ' (3) *ὀλοφυρόμενοι, ὡσεὶ θανατόνδε* (4) [κιόντα [53].
Ἑρμείας δ' ἀπέπεμπεν (5) *ἰδὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη* [54].
Ἴιδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν, ὡς ἐποτεῖτο [55].

A *Vadit at ille, velut leo nutritus montibus acer,*
Urbem per mediam : noti simul omnes abibant,
Et senes, et pueri, et nondum nuptæ puellæ,
Plorantes multum, ac si mortem iret ad ipsam.
Mercurius præmittit et cæsia Pallas eumtem :
Fratrem etenim sciebat quatenus dolor exagitaret.

Τίς οὐκ ἂν τῶν ἀπανούργων συναρπαγείη ὑπὸ τῶν ἐπῶν τούτων, καὶ νομίσειεν οὕτως αὐτὰ Ὅμηρον ἐπὶ ταύτης τῆς ὑποθέσεως πεποιηκέναι; Ὁ δ' ἔμπειρος τῆς Ὁμηρικῆς ὑποθέσεως ἐπιγνώσεται (6), εἰδὼς ὅτι τὸ μέν τι αὐτῶν ἐστι περὶ Ὀδυσσέως εἰρημένον, τὸ δὲ περὶ αὐτοῦ τοῦ Ἡρακλέος, τὸ δὲ περὶ Πριάμου, τὸ δὲ περὶ Μενελάου καὶ Ἀγαμέμνονος. Ἅρας δὲ αὐτὰ, καὶ ἓν ἕκαστον ἀποδοὺς τῇ ἰδίᾳ (7), ἐκποδὼν ποιήσει τὴν ὑπόθεσιν (8). Οὕτω δὲ καὶ ὁ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ (9) ἐν ἑαυτῷ κατέχων, ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε, τὰ μὲν ἐκ τῶν Γραφῶν ὀνόματα, καὶ τὰς λέξεις καὶ τὰς παραβολὰς ἐπιγνώσεται, τὴν δὲ βλάσφημον ὑπόθεσιν

Quis non ex simplicibus abripiatur ab hu usmodi versibus, et putet sic illos Homerum in hoc argumento fecisse? Qui autem scit Homerica, cognoscet quidem versus, argumentum autem non cognoscet, sciens quoniam aliquid quidem eorum est de Ulysse (10) dictum, aliud vero de Hercule, aliud vero de Priamo, aliud de Menelao et Agamemnone. Si autem tulerit illos, et unumquemque suo libro reddiderit, auferet de medio præsens argumentum. Sic autem et qui regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per baptismum **47** accepit, hæc quidem, quæ sunt ex Scripturis, nomina, et dictiones, et parabolas cognoscet : blasphemum autem

B

BILLII INTERPRETATIO.

Hæc ait, atque alto suspiria corde trahentem
Armis egregium Alcidem Stheneleia proles
Confestim ad Stygii descendere tecta tyranni
Jussit, ut inde canem superas efferret ad oras.
Ergo ille intrepidus, furibundi more leonis,
Egreditur. Juvenes illum, innuptæque puellæ,
Grandævique senes, mœsti lacrymisque madentes,
Exitium velut ad certum comitantur euntem.
At ductabat eum Cyllenius, atque Minerva :
Norat enim ærumnas fratris durosque labores.

Ecquis, quæso, ex iis, qui simplici ac minus vafro animo sunt, hisce versibus non abripiatur, in ea que sit opinione, ut Homerum in ejusmodi argumento versibus ita lusisse putet? At qui Homericæ poesis argumentum callet, versus quidem agnoscet, materiam autem haudquaquam agnoscet, utpote qui compertum et exploratum habeat aliquid ex iis de Ulysse, aliquid de ipso Hercule, aliquid de Priamo, aliquid de Menelao et Agamemnone dictum esse. Quo fit, ut si ea dimoverit, ac suo quodque libro reddiderit, præsentem materiam de medio sublaturus sit. Ad eumdem modum, qui veritatis normam, quam per baptismum accepit, firmam in se atque constantem retinet, vocabula quidem e Scripturis petita, et dictiones, et parabolas agnoscet : at nefarium et impium argumentum haud agnoscet. Nam etsi gem-

[49] *Od.* Z, 130. [51] *Il.* Ω, 327. [52] *Od.* Γ, 38. [53] *Il.* Ω, 328. [54] *Od.* Λ, 625. [55] *Il.* B, 409.

(1) *Ἀνὰ ἄστυ.* Homerus habet κατὰ ἄστυ.

(2) *Ἅμα πάντες.* Sic cod. Reg. cum Homero. In editt. perperam, ἀνὰ πάντες.

(3) *Οἴκτρ'.* Homer. πόλλ'.

(4) *Θανατόνδε.* Sic omnes editt. cum Homero. In edit. Oxon. male θάνατόν τε.

(5) *Ἀπέπεμπεν.* Homer. μ' ἔπεμψεν.

(6) *Ἐπιγνώσεται.* Adde cum interp. ἐπιγνώσεται μὲν τὰ ἔπη, τὴν δὲ ὑπόθεσιν οὐκ ἐπιγνώσεται.

(7) *Τῇ ἰδίᾳ.* Adde vel βίβλῳ vel τάξει. Prius legisse videtur interpres. Posteriori mox utitur Irenæus.

(8) *Τὴν ὑπόθεσιν.* Adde cum interp. παροῦσαν.

(9) *Τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, regulam veritatis immobilem*, etc. Fidem catholicam intelligit, eam maxime, ut explicat ipse, cap. seq., *quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam quæ est ex Virgine generationem, et passionem*, etc. Hanc fidem per *baptismum accepisse* nos scribit Irenæus, ut quam ante baptismum tam accurate edocebantur catechumeni, et quam in ipso baptismo *in legis suæ verba profitebantur*, ut loquitur Tertull. lib. *De Spectaculis. Interrogatus es* (ait antiquus auctor li-

C brorum *De sacramentis*, inter opera Ambrosii, lib. II, cap. 62), *Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo; et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus, Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? Dixisti, Credo; et mersisti*, etc. *Tertio interrogatus es, Credis et in Spiritum sanctum? Dixisti, Credo, et tertio mersisti*, etc. Ad hanc fidem in baptismo acceptam, solemniterque juratam omni ævo provocarunt quotquot fere adversus hæreticos calamum strinxerunt sancti Patres, rati nihil efficacius esse ad refellendam profanorum dogmatum novitatem. *Inter fidei naufragia*, ait Hilarius lib. II ad Constant. Aug. § 7, *tutissimum nobis est primam et solam evangelicam fidem confessam in baptismo, intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere.* Eo vero fidentius id argumenti genus adversus Valentinianos urgebat auctor noster, quo Symboli apostolici, quod baptizandi reddiderant, in omnibus capitibus impie ab

D ipsis esset temerata fides.

(10) *Est de Ulysse.* Sic edit. Oxon. et Arund. ac Voss. consent. Clarom., Pass. et Græco textu. In cæteris male, *etiam* pro *est*.

Digitized by Google

illorum argumentum non cognoscet. Et enim si gemmas agnoscet, sed vulpem pro regali imagine non recipiet. Unumquemque autem sermonum reddens suo ordini, et aptans veritatis corpusculo, denudabit, et insubstantivum (1) ostendet figmentum ipsorum.

5. Quoniam autem scenæ huic deest redemptio (2), ut quis mimum (3) ipsorum explicans (4), destructorem sermonem (5) inferat, bene habere putavimus, ostendere primo, in quibus ipsi patres hujus fabulæ discrepant adversus se invicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione (6), cam

A ταύτην (7) οὐκ ἐπιγνώσεται. Καὶ γὰρ εἰ τὰς ψηφῖδας γνωρίσει, ἀλλὰ τὴν ἀλώπεκα ἀντὶ τῆς βασιλικῆς εἰκόνος οὐ παραδέξεται. Ἕν ἕκαστον δὲ τῶν εἰρημένων ἀποδοὺς τῇ ἰδίᾳ τάξει, καὶ προσαρμόσας τῷ τῆς ἀληθείας σωματείῳ (8), γυμνώσει καὶ ἀνυπόστατον ἐπιδείξει τὸ πλάσμα αὐτῶν.

5. Ἐπειδὴ (9) τῇ σκηνῇ ταύτῃ λείπει ἡ ἀπολύτρωσις, ἵνα τις τὸν μῖμον αὐτὸν (10) περαιώσας, τὸν ἀνασκευάζοντα λόγον ἐπενεγκεῖν (11), καλῶς ἔχειν ὑπελάβομεν ἐπιδεῖξαι πρότερον, ἐν οἷς οἱ πατέρες αὐτοὶ τοῦδε τοῦ θυμοῦ (12) διαφέρονται πρὸς ἀλλήλους, ὡς ἐκ διαφόρων πνευμάτων τῆς πλάνης ὄντες. Καὶ ἐκ τούτου γὰρ ἀκριβῶς συνιδεῖν ἔσται, καὶ πρὸ τῆς

BILLII INTERPRETATIO.

mas agniturus est, interim tamen vulpem pro regia imagine non admittet: verum ubi singula eorum quæ dicta sunt, in classem suam retulerit, ac veritatis corpori accommodaverit, ita demum eorum figmentum deteget, ac tale esse ostendet, ut nullo modo subsistere queat.

5. Quoniam autem in hac scena redemptio adhuc desideratur, ut quispiam eorum mimum velut cmen-

(1) *Insubstantivum*. Gr. ἀνυπόστατον, id est, *quoa consistere nequeat, quod nihil habeat firmitatis.* Hanc vocem eo sensu non infrequenter usurpant Græci Patres, dum Verbum æternum cum eo quod mente fingimus verbo conferentes, prius ἐνυπόστατον, *subsistens*, posterius ἀνυπόστατον dicunt.

(2) *Redemptio*. Græc. ἀπολύτρωσις: quam quidem vocem a barbaro interp. hic pessime redditam non miror. Sed quod Billius Græce doctissimus, interpretis versionem secutus sit, et in Gallasium, quod ab ea desciverit, *flagitiosæ oscitantiæ* culpam contulerit mirari satis nequeo. *Gallasius*, inquit, *hic toto cœlo errat, quod quid hæc redemptio* (Valentinianorum, de qua hujus libri caput 21 late disseritur) *sibi velit, non intelligat.* Sed neque alius quivis, puto, facile intelliget, quid hæc Valentinianorum redemptio commune habeat cum hoc Irenæi loco. Billium haud satis attentum decepit vox ἀπολύτρωσις, quæ plerumque quidem *redemptionem* seu *liberationem* significat; sed quod interdum idem sit atque ἀπόλυσις, *dimissio*, docent Hesychii et Phavorini Lexica. Irenæus quippe, fusius enarratis Valentinianorum deliriis, subdit, peracta jam fabula, completaque scena, nihil superesse, nisi ἀπολύτρωσιν, *dimissionem*, id est, ut spectatores dimittantur, abire permittantur. Idipsum est quod Tertullianus explicatis pariter Valentinianorum commentis, si non iisdem verbis, saltem eodem sensu scripsit cap. 13: *Quod superest*, inquit, *vos valete et plaudite.* Hac nimirum solemni formula, *Vos valete et plaudite*, claudebantur veteres comœdiæ, ut videre est apud Plautum et Terentium. Eodem sensu Chrysost. homil. 5, *De pœnit.*, tom. VI, pag. 792, θεάτρου ἀπόλυσιν, *theatri solutionem*, seu *dimissionem* dixit. Οὐκ ἔστι μετὰ τὴν τοῦ θεάτρου ἀπόλυσιν στεφανωθῆναι, *nemo post solutum theatrum potest coronari.* Vertendum igitur erat interpreti, *quoniam autem post hanc scenam superest dimissio.* Eodem fere modo, nisi quod paulo liberius, vertit Petavius: *postremo quia jam velut in scena, peracto fabulæ exordio, dimittendi tempus est.*

(3) *Mimum*, id est, *fabulam* seu *commentum.* *Mimus* enim et actorem et poema significat. Actores illi qui dicta et facta hominum ita imitabantur, ut actionem suam gravitate sententiarum, jocis interpositis, condirent, vocabantur μῖμοι, *mimi*; a Græcis propterea dicti et ἠθολόγοι. Sed et *mimus* interdum pro fabula ponitur, quæ res obscœnas repræsentet. Aristot. lib. I, c. 4, *Poet.*, ait Sophronem et Xenarchum μίμους scripsisse. Juvenal. satir. XIII:

Mimum agit ille
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.

Et Martial. lib. II, epigramm. VII,

Componis belle mimos.

Dehinc usurpatum nomen pro commento quolibet. Sic Sueton. in *Othone*, cap. 3: *Id satis risum*, ut

B pœna acrior mimum omnem divulgaret. Posteriori hoc sensu *mimum* hic accipit Irenæus.

(4) *Explicans*. Vertere debuisset interpres, *ut quis explicito eorum mimo.* Porro *explicare* hic idem est atque *absolvere, ad finem perducere.* Quo sensu dixit Cicero lib. XIII, ep. 26, ad Sulpic., *explicare atque expedire negotia*; Plin. Junior epist. 154, *explicare iter*; Cæsar lib. III *De Bello civ., his explicitis rebus*; et Martial. lib. XI, epigr. CVIII: *explicitus liber.* Hinc vulgata formula, *Explicit liber*, id est, *absolutus est. Mimum* igitur *explicare*, nihil aliud est quam fabulam absolvere, seu fabulæ narrationem ad finem perducere. Id si advertisset Billius, non scripsisset, vocem *explicans*, qua usus est interpres, longe a significatione verbi περαιῶσαι recedere, atque adeo hunc aliud quidpiam in textu Græco legisse. Recte siquidem hic et legit et vertit interpres, ut probe observat Grabius. Περαιόω enim non solum significat *transmeo, trajicio*; sed et *termino,*
C *ad finem perduco*: quam significationem, subdit vir clarissimus, non quidem ex Lexicis, attamen ex sanctorum Patrum scriptis, quæ alioqui sedula manu versaverat, Billius discere potuisset. Sic Justinus martyr ad Tryph. pag. 228 edit. Sylburgii: Διὰ τῶν ἀνερωτήσεων τούτων καὶ περαιωθῆναι σὺν τάχει τὸν λόγον ἀγωνιοῦμαι. *Per interrogationes ejusmodi, disputationem ad finem perducere conabor.* Et Trypho ad Justin., pag. 236, Περαίωσον οὖν καὶ αὐτὸν ἡμῖν, etc. *Et hunc itaque explicando absolve*, etc., locum scilicet Isaiæ in antecedentibus citatum. Apud Clementem Alexand. quoque aliquoties hæc occurrit significatio, veluti lib. VI *Stromatum*, pag. 683: Ἥ τε γὰρ κοσμογένεια ἐν ἓξ περαιοῦται ἡμέραις. *Mundi creatio sex absolvitur diebus.* Et lib. I, pag. 295, τὴν ζήτησιν εἰς εὕρεσιν περαιοῖ, *inquisitionem terminat inventione.*

(5) *Destructorem sermonem*. Id est confutationem, seu argumenta quibus refellantur commenta Valen-
D tinianorum.

(6) *Et ex ostensione*. Gr. καὶ πρὸ τῆς ἀποδείξεως, quæ vertere debuisset interp. *et ante demonstrationem* seu *argumentationem.* Id est, vel ipsa Valentinianorum dissidia, hæreticæ doctrinæ falsitatem, Catholicæ vero sibi semper constantis veritatem perspicue demonstrant.

(7) Ὑπόθεσιν ταύτην. Ὑπόθεσιν αὐτῶν legisse videtur interp.

(8) *Σωματείῳ*. Petavius legendum suspicatur σώματι· melius vero Grabius, σωματίῳ, hoc enim posterius legisse videtur interpres.

(9) Ἐπειδή. Leg. vel ἐπεὶ δή divisim, vel ἐπειδέ.

(10) *Μῖμον αὐτόν*. Lege αὐτῶν cum vet. interp.

(11) Ἐπενεγκεῖν. Legendum ἐπενέγκῃ.

(12) Θυμοῦ. Lege cum interp. μύθου, id enim exigit sensus.

Digitized by Google

ἀποδείξεως, βεβαίαν τὴν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας κηρυσσομένην ἀλήθειαν, καὶ τὴν ὑπὸ τούτων παραπεποιημένην ψευδηγορίαν. A firmam, quæ ab Ecclesia prædicatur, veritatem, et ab iis id, quod fingitur, falsiloquium.

48 CAPUT X[46].

Totius Ecclesiæ, quam late toto orbe patet, unum et eamdem esse fidem et doctrinam; nec ex eo quod in Ecclesia alii sint aliis intelligentiores, aliquam colligi posse fidei varietatem aut mutationem.

1. Ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἕνα Θεὸν (1), Πατέρα παντοκράτορα, *τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας* (2), *καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς*, πίστιν· καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς Πνεῦμα ἅγιον, τὸ διὰ τῶν Προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας (3), καὶ τὰς ἐλεύσεις (4), καὶ τὴν ἐκ Παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ, ἐπὶ τὸ *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ* B *πάντα*, καὶ ἀναστῆσαι πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος, ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ Σωτῆρι, καὶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ Πατρὸς τοῦ ἀοράτου, *πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα*

1. Ecclesia enim per (5) universum orbem usque ad fines terræ seminata (6), et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem, *qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt*[47]: et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: et in Spiritum sanctum, qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei (7), et adventum, et eam, quæ est ex Virgine, generationem, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad *recapitulanda universa*[48], et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, secundum placitum Patris invisibilis, *omne genu curvet* (8) *cœlestium, et terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur ei*[49], et judicium justum in omnibus faciat: *spiritalia* quidem *nequitiæ*[50] et angelos transgressos (9), atque apostatas factos, et

BILLII INTERPRETATIO.

sus, orationem mox subjungat, qua hunc evertat, operæ pretium esse duximus, in quibus ipsi hujusce fabulæ patres, utpote diversis erroris spiritibus afflati, inter se dissentiant, prius demonstrare. Etenim hinc quoque certo perspicere licebit, nullisdum etiam allatis argumentis, et firmam esse eam, quæ ab Ecclesia prædicatur, veritatem, et falsos eorum atque adulterinos sermones.

CAPUT X.

1. Etenim Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, *qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt*: et in unum Jesum Christum Filium Dei, nostræ salutis causa incarnatum, et in Spiritum sanctum, qui, per prophetas, Dei dispensationes et adventus prædicavit, et ortum ex Virgine, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et cum carne in cœlos ascensum dilecti Domini nostri Jesu Christi, et e cœlo in gloria Patris adventum ipsius ad instauranda omnia, et a morte ad vitam revocandam omnem mortalium omnium carnem, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, de benigna Patris invisibilis voluntate *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua ei confiteatur*, atque ipse justam de omnibus sententiam ferat, *spiritualia* videlicet *nequitiæ*, et angelos transgressores, quique perfide defecerant, impiosque item homines, et

[46] Edit. Feuard. cap. II. [47] Psal. CXLV, 6; Act. IV, 24, et XIV, 14. [48] Ephes. I, 10. [49] Philipp. II, 10 seqq. [50] Ephes. VI, 12.

(1) *Τὴν εἰς ἕνα Θεὸν... πίστιν*. Symbolum apostolicum hic indigitat Irenæus, cujus singulos pene articulos refert, ut ad eorum amussim hæreticorum placita deinceps exigat. Idem Symbolum iisdem pene verbis, et in eumdem finem refert Tertull. lib. *De præscript.*, cap. 13, et *contra Prax.*, c. 2. Id symbolum bis ab Irenæo referri, hoc scilicet loco, et lib. II, c. 1, sed diversis plane verbis, scribit vir clarissimus D. Elias Dupin *Novæ Biblioth.*, tom. I, p. 32 editionis Parisiensis an. 1686; sed, pace doctissimi viri, dixerim Irenæum lib. II, cap. 1, Symboli aut articulorum ejus ne quidem verbotenus meminisse: adeo ut ex SS. episcopi testimonio concludi non possit Symbolum ab uno et eodem auctore, diversis omnino verbis interdum fuisse citatum. Nec minus falsum est quod hic ait Grabius, Symbolum ab Iren. lib. III, cap. 4, appellari *veterem traditionem*: agit enim eo loco Irenæus, non de Symbolo, sed de verbo Dei non scripto, ab apostolis tradito, cujus auctoritatem commendat et in hæreticos intorquet.

(2) *Τὰς θαλάσσας*. Τὴν θάλασσαν legisse videtur interpres, juxta psalm. CXIV, 6, et Act. apost. C IV, 24.

(3) *Οἰκονομίας*. Οἰκονομίας Θεοῦ legisse videtur interpr., nisi *Dei* vocem explicationis gratia inseruerit.

(4) *Τὰς ἐλεύσεις*. Legere mallem cum interp. τὴν ἔλευσιν. Duplicem enim Christi adventum hic accurate distinguit Irenæus, alterumque ab altero secernit. Prioris tum primum meminit, singulariter proinde; posterioris paulo post.

(5) *Ecclesia enim per*. Omisit interpr. particulam Græcam καίπερ, quam Billius vertit, *tametsi*. Verterem ego hoc in loco, *utique: ecclesia enim utique per universum*: et hunc enim sensum interdum habet ea particula.

(6) *Seminata*. Vertendum erat, *disseminata, diffusa*, juxta Græc. διεσπαρμένη.

(7) *Dispositiones Dei*. Gr. τὰς οἰκονομίας, *dispensationes*, ea nimirum quæ Deus fecit, humanæ salutis procurandæ causa.

(8) *Curvet*. Sic mss. cum edit. Oxon. In aliis, *curvetur*.

(9) *Transgressos*. In cod. Arund. *transgressores*.

Digitized by Google

impios, et injustos, et iniquos, et blasphemos homines in æternum ignem mittat : justis autem et æquis, et præcepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus (1), quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem 49 ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem æternam circumdet.

A γλῶσσα ἐξομολογήσηται αὐτῷ, καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποιήσηται, τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας, καὶ ἀγγέλους παραβεβηκότας, καὶ ἐν ἀποστασίᾳ γεγονότας, καὶ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους, καὶ βλασφήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ· τοῖς δὲ δικαίοις, καὶ ὁσίοις, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς ἀπ' ἀρχῆς (4), τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος (5), ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ.

2. [51] Hanc prædicationem (2) cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, et quidem (3) in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans : et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter hæc prædicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt

2. Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προφέφαμεν, ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη. Καὶ γὰρ (6) αἱ κατὰ B τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιοι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. Καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι Ἐκκλησίαι (7) ἄλλως πεπιστεύκα-

BILLII INTERPRETATIO.

injustos, et flagitiosos, et blasphemos in ignem æternum mittens; justis contra, et pietate præditis, quique ipsius præcepta servaverunt, atque in ipsius charitate, partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentia, perstiterunt, vitam donet, atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque sempiternam afferat.

2. Acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet, ac tradit. Quanquam enim dispares inter se mundi linguæ sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Ac neque hæ quæ in Germaniis sitæ sunt Ecclesiæ aliter credunt,

[51] Ed. Feu. cap. III.

(1) *Et in dilectione ejus perseverantibus.* Hæc deficiunt in codd. Clarom. et Pass. C

(2) *Hanc prædicationem.* Longior periodus, quæ ab initio capitis cœpta, hactenus continuatur.

(3) *Et quidem.* Gr. Καίπερ, *tametsi*, vel *utique* : nec male, *et quidem*.

(4) *Τοῖς ἀπ' ἀρχῆς.* Lege cum interp. τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, scil. ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι· ad hæc enim refertur ἀπ' ἀρχῆς, non autem ad ζωὴν χαρισάμενος.

(5) *Ζωὴν χαρισάμενος.* Nota, inquit Grabius, vitam æternam justis ac pœnitentibus ex gratia dari. Operam ludit vir doctus. Suis nempe persuasum vellet, a Catholicis negari vitam æternam ex gratia dari, quod falsissimum est. Sic enim asserimus post ipsum Salvatorem Matth. v, 12, Luc. vi, 23 et 35, vitam æternam velut *mercedem* bonorum operum meritis rependi, ut ipsa bona opera et merita gratiæ Christi referamus. *Nullane igitur*, ait August. epist. 194, al. 105, *sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Si justis hominibus merita sunt, quibus ex justitia debeatur merces; non igitur in singulis operibus peccant. Porro, prosequitur August. : *Sicut merito peccati, tanquam stipendium, redditur mors; ita merito justitiæ, tanquam stipendium, vita æterna. At bonum omne meritum non in nobis facit nisi gratia : et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua... Unde et ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur : nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur.* Hæc, quibus Catholicæ sententiæ summa continetur, si attente meditari voluisset Grabius, ab inutili nota temperasset. D

(6) *Καὶ γάρ.* Κἂν γάρ ab interprete lectum suspicatur Grab. quia vertit ille, *nam etsi.* Sed cum particulam, *etsi*, non addiderit, nisi majoris connexionis causa, nihil impedit quin legerit, καὶ γάρ.

(7) *Αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι Ἐκκλησίαι*, κ. τ. λ. Quæ hic de fide jam apud varias Occidentis nationes disseminata asserit Irenæus, liquido confirmat Tertullianus, qui paulo post scribebat. Libro siquidem *adv. Jud.* c. 7, inter gentes quæ jam Christo crediderant, Evangelioque colla subdiderant, enumerat, *Hispaniarum omnes terminos, et Galliarum diversas nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum*, etc. Sed quis primus fidem apud eas Occidentis nationes invexerit, an Irenæi temporibus latius obtineret, an plures, easque numerosas haberent Ecclesias? si quod res est fateri velimus, satis incertum. Plures quidem tum Galliarum, tum Hispaniarum, tum Germaniarum Ecclesiæ, se vel ab apostolis ipsis, vel ab eorum discipulis fundatas gloriantur : sed hæc tot difficultatibus scatent, ut assensum sustinere tutius sit. Scribit Historiæ nostræ scriptorum antiquissimus Sulpicius Severus, *Sacr. Hist.* lib. II, pag. 150, edit. Antuerp. ann. 1574 : *Sub Aurelio Antonini filio persecutione quinta agitata, tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes religione Dei suscepta.* Consentit et vetus auctor Actorum S. Saturnini episc. et martyr. apud Ruinart. nostrum, *Act. martyr. sinc. et select.*, p. 110, § 2, scribens, *sensim et gradatim in regionibus nostris* (in Galliis scilicet) *apostolorum prædicationem coruscasse; et ante Decii et Grati consulatum* (i. e. ante an. 250) *raras in aliquibus civitatibus ecclesias, paucorum Christianorum devotione consurrexisse; sed nihilominus crebra, miserabili errore gentilium, nidoribus fetidis in omnibus locis templa fumasse.* Quorum auctorum testimonia omni ex-

Digitized by Google

σιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν οὔτε ἐν ταῖς Ἱβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου (1) ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει, καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. Καὶ οὔτε ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ τῶν ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις προεστώτων, ἕτερα τούτων ἐρεῖ (οὐδεὶς γὰρ ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον), οὔτε ὁ ἀσθενὴς ἐν τῷ λόγῳ ἐλαττώσει τὴν παράδοσιν. Μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν, ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον, ἠλαττόνησε.

fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Iliberis (3) sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente (4), neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi constitutæ: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, prædicatio (5) veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is qui valde prævalet in sermone, ex iis qui præsunt Ecclesiis, **50** alia, quam hæc sunt, dicet (nemo enim super magistrum est): neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat (6), neque is qui minus, deminorat.

3. Τὸ δὲ πλεῖον, ἢ ἔλαττον κατὰ σύνεσιν εἰδέναι τινὰς (2), οὐκ ἐν τῷ τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν ἀλλάσσειν γίνεται, καὶ ἄλλον Θεὸν παρεπινοεῖν, παρὰ τὸν δημιουργὸν, καὶ ποιητὴν, καὶ τροφέα τοῦδε τοῦ παντὸς,

3. [51] Plus autem, aut minus secundum prudentiam nosse quosdam intelligentiam (7), non in eo quod argumentum immutetur, efficitur, et alius Deus excogitetur, præter fabricatorem, et facto-

BILLII INTERPRETATIO

aut aliter tradunt, nec quæ in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum ut sol hic a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis cognitionem venire cupiunt, illustrat. Nec vero aut is ex Ecclesiæ antistitibus, qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est (nemo enim supra magistrum assurgit); aut is rursus, qui parum dicendo valet, traditioni detrimentum afferet. Nam cum una atque eadem fides sit, nec qui de ea uberrimam orationem habere potest, exuberat: nec qui pauca habet quæ dicat, eam imminuit.

3. Quod autem quidam ingenio ac scientia præstare, aut inferiores esse dicantur, non eo fit, quod argumentum ipsum mutent, ac præter eum qui hujusce universitatis architectus et conservator est (quasi

[51] Ed. Feu., cap. IV.

ceptione majora videntur. Et revera, si in iis regionibus Occidentalibus, ante M. Aurelii tempora, altas egisset radices Christiana fides, et longe lateque propagata fuisset, qui a tyrannorum vexatione tuta permanere potuisset, nec citius ibidem, ut et alibi terrarum, martyria visa fuissent, non video. At martyres Lugdunenses primi omnium in Galliis sanguinem pro Christo fuderunt. Nullus in Hispaniis ante S. Fructuosum, qui passus est an. 259, certus et indubitatus martyr legitur. Nulla etiam, puto, in Germania et Britannia Majori explorata proferentur martyria ante Diocletianeam persecutionem. Id ergo duntaxat ex hoc Irenæi loco erui potest, quasdam apud Celtas, Iliberos seu Hispanos (neque enim hic de Iberis Asiæ populis agitur, utpote qui fidem non nisi Constantino Magno imperante susceperint) et Germanos Ecclesias tunc exstitisse. Cæteris omnibus celebriores videntur fuisse Lugdunensis et Viennensis, quas anno 177 nobilitavit ingens sanctorum copia, qui Lugduni martyrii coronam adepti sunt. Accessit in cumulum SS. Lugdunensis antistes Irenæus, qui, dum vixit, pietate ac scientia fidem in Galliis pro viribus promovit. Sed eo exstincto, si non penitus exstincta, saltem eo delapsa fuit, ut medio tertio sæculo, cum jam raræ et paucorum Christianorum essent Ecclesiæ, ut scribit vetus auctor citatus, novis apostolis quibus excitaretur indigeret.

(1) *Κατὰ μέσα τοῦ κόσμου.* Ecclesiam Hierosolymitanam, aliasque in Palæstina constitutas hic intelligi, advertit unusquisque. Judæam enim in medio mundi sitam esse censebant veteres Christiani.

(2) *Κατὰ σύνεσιν εἰδέναι τινάς.* Legendum vellet Fronto Duc. *κατὰ φρόνησιν εἰδέναι τινὰς τὴν σύνεσιν*, quia vertit interpres: *Secundum prudentiam nosse quosdam intelligentiam.* Nam, subdit, *intelligentiam nosse*, phrasis est Scripturæ, ut Isaiæ LVI, 11, οὐκ εἰδότες σύνεσιν. Hieron. *nescientes intelligentiam.* Sed ut *intelligentiam nosse*, phrasis sit Scripturæ, non sequitur Irenæi phrasim esse. Quare nihil immutandum in textu Græco censerem. Suspicarer potius vocem Latinam, *intelligentiam*, e margine in textum irrepsisse. Nempe ad marginem codicis sui scripserat quis, *intelligentiam*, qua voce σύνεσιν melius reddi posse, quam *prudentia*, non immerito censebat. Imperitus alter scriba utramque textui inseruit.

(3) *Iberis.* Melius forte, *Iberiis*, juxta Græc. Ἰβερίαις.

(4) *In Oriente.* Gr. *κατὰ τὰς ἀνατολάς*, *in partibus* vel *regionibus Orientalibus.* Neque enim hic Orientem stricte sumptum, cujus caput erat Antiochia, intelligit Irenæus; sed totam eam plagam quæ a Tigri fluvio usque ad Cyprum et Thracias versus occidentem, et a Ponto septentrionali usque ad Arabiam versus meridiem porrigitur. Sic enim Orientem veteres accipiebant. Videsis Ammian. lib. XIV, cap. 8.

(5) *Lumen, prædicatio. Lumen* vel de suo addidit interpres, comparationis elucidandæ gratia (neque enim ea vox legitur in Græco); vel, quod probabilius videtur, ea vox e margine in textum irrepsit. Scripserat quispiam ad oram codicis sui: *Lumen, prædicatio veritatis*, quod alter imprudens in textum transtulit.

(6) *Ampliat.* Alludit Irenæus ad illud quod de manna scriptum est, Exod. XVI, 18, et II Cor. VIII, 15. Nam verba Græca τῶν Ο' plane eadem sunt quæ apud Epiphan., οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολὺ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον (vel ut habet Paulus, ὁ τὸ ὀλίγον), οὐκ ἠλαττόνησεν.

(7) *Intelligentium.* Redundat ea vox. Vide notam 2.

Digitized by Google

rem, et nutritorem hujus universitatis, quasi non ipse sufficiat nobis (1), aut alius Christus, aut alius Monogenes : sed in eo, quod omnia, quæ in parabolis dicta sunt, exquirere (2) et adjungere veritatis (3) argumento, et in eo, ut instrumentum (4) et dispositionem Dei in genere humano factam enarret : et quoniam magnanimus exstitit Deus (5), et in transgressorum angelorum apostasia, et in inobedientia hominum, edisserere : et quare alia quidem temporalia, alia vero æterna, et quædam cœlestia, quædam terrena unus et idem fecit (6), annuntiare : et quare cum invisibilis sit, apparuit prophetis Dei (7) non in una forma, sed aliis aliter, adesse (8) : et quare testamenta multa tradita humano generi, annuntiare. et quis sit uniuscujusque testamentorum character, docere : et quare *Conclusit omnia in incredulitatem Deus, ut universis misereatur* [a], exquirere : et quare *Verbum* Dei (9) *caro factum est*, et passus **51** est (10), gratias agere (11) :

A ὡς μὴ ἀρκουμένους τούτους (12), ἢ ἄλλον Χριστὸν, ἢ ἄλλον Μονογενῆ· ἀλλὰ ἐν τῷ τὰ, ὅσα ἐν παραβολαῖς εἴρηται, προσεπεργάζεσθαι, καὶ οἰκειοῦν τῇ τῆς πίστεως ὑποθέσει, καὶ ἐν τῷ τὴν τε πραγματείαν καὶ οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ, τὴν ἐπὶ τῇ ἀνθρωπότητι γενομένην (13), ἐκδιηγεῖσθαι· καὶ ὅτι ἐμακροθύμησεν ὁ Θεὸς ἐπί τε τῇ τῶν παραβεβηκότων Ἀγγέλων ἀποστασίᾳ, καὶ ἐπὶ τῇ παρακοῇ τῶν ἀνθρώπων, σαφηνίζειν· καὶ διὰ τί τὰ μὲν πρόσκαιρα, τὰ δὲ αἰώνια, καὶ τὰ μὲν οὐράνια, τὰ δὲ ἐπίγεια εἷς καὶ ὁ αὐτὸς Θεὸς πεποίηκεν, ἀπαγγέλλειν· καὶ διὰ τί ἀόρατος ὢν, ἐφάνη τοῖς προφήταις ὁ Θεὸς οὐκ ἐν μιᾷ ἰδέᾳ, ἀλλ' ἄλλως ἄλλοις, συνιεῖν· καὶ διὰ τί Διαθῆκαι πλείους γεγόνασι τῇ ἀνθρωπότητι, μηνύειν, καὶ τίς ἑκάστης τῶν Διαθηκῶν ὁ χαρακτὴρ, διδάσκειν· καὶ διὰ τί

B *συνέκλεισε πάντα* (14) *εἰς ἀπείθειαν ὁ Θεὸς, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ*, ἐξερευνᾷν· καὶ διὰ τί *ὁ Λόγος* τοῦ Θεοῦ *σὰρξ ἐγένετο*, καὶ ἔπαθεν, εὐχαριστεῖν (15)· καὶ διὰ τί ἐπ' ἐσχάτων τῶν καιρῶν ἡ παρουσία τοῦ

BILLII INTERPRETATIO.

non in eo nobis satis præsidii sit), alium quemdam Deum, aut alium Christum, aut alium Unigenitum excogitent : verum in eo demum consistit, ut quis ea omnia, quæ in parabolis dicta sunt, accuratius pertractet, fideique argumento accommodet, in eoque etiam, ut Dei molitionem, ac dispensationem ob humani generis salutem factam exponat, quodque diuturna animi lenitate tum angelorum, qui ab eo recesserunt, defectionem, tum hominum inobedientiam tulerit, explanet : quidque causæ sit, cur alia caduca et alia æterna, alia cœlestia et alia terrena, unus et idem Deus procrearit, enarret : quaque de causa Deus, cum invisibilis esset, prophetis tamen non in una forma, sed aliter aliis atque aliis conspicandum se præbuerit, intelligat : qui etiam factum sit, ut plura testamenta hominum generi contigerint, indicet, quisque cujusque testamenti character sit, edoceat : quid item causæ fuerit, quam ob rem *Deus omnia in incredulitate concluserit, ut omnium misereatur*, investiget : quam etiam ob causam *Verbum* Dei *caro factum* sit, cruciatusque subierit, grata oratione complectatur : cur præterea extremis temporibus, hoc est, in fine potius quam in initio, adventus Filii Dei exstiterit, commemoret : de fine quoque ipso et rebus futuris, quidquid in Scriptura situm est, explicet : tum etiam quamobrem Deus gentiles, quorum salus deplorata erat, cohæredes, et concorporeos, et participes sanctorum effecerit, non taceat : quoque pacto *mortale hoc* corpus *immortalitate, et corruptibile hoc incorruptibilitate induendum sit*, edisserat : denique qui *populus factus sit, qui populus non erat : et dilecta, quæ dilecta non erat ;* et qui *plures filii desertæ, quam ejus, quæ virum habebat*, prædicet. In his enim aliisque id genus exclamavit Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ*

[a] Rom. xi, 32.

(1) *Nobis.* Melius juxta Græc. legas, *illis*, quam *nobis*.

(2) *Sed in eo quod... exquirere*, etc. Hellenismus est. Latine scribendum fuisset : *sed in eo ut... exquirat et adjungat*, sicut recte scripsit interpres, *in eo ut... factam enarret :* tum cætera omnia quæ in infinitivo ponuntur, usque ad *præconare*, in subjunctivo reponenda.

(3) *Veritatis.* Gr. πίστεως, *fidei*, non *veritatis*.

(4) *Instrumentum.* Gr. πραγματείαν, quod vertendum erat, *molitionem*, vel *negotium*, non *instrumentum*.

(5) *Magnanimus exstitit Deus.* Gr. ἐμακροθύμησεν ὁ Θεός, i. e. *diuturna lenitate*, vel *patientia tulit Deus*, tum angelorum, qui ab eo recesserunt, defectionem, tum hominum inobedientiam.

(6) *Fecit.* Ex Græco adde, *Deus*.

(7) *Dei.* Lege, *Deus*, ex Græco Θεός.

(8) *Adesse.* Perperam legit interp. συνεῖναι, cum tamen in Græco, sit συνιεῖν, quod vertendum erat, *intelligere*, seu potius *ut intelligat*, cur scilicet aliter aliis apparuerit.

(9) *Verbum Dei.* In cod. Clarom. omittitur *Dei*.

(10) *Et passus est.* Scribendum erat, *et passum est*. Sed frequenter masculinum cum *Verbo* conjungit interpres, attendens scilicet ad Λόγον Græcorum, quod nomen masculini generis est. Id semel observasse sufficiat.

(11) *Gratias agere.* Mallem vertisset interp. *grata memoria recolere*. Vide infra notam 15.

(12) *Ἀρκουμένους τούτους.* Legendum vult Billius, ἀρκουμένους τούτῳ, vel certe ἀρκουμένου τούτου, tametsi hoc minus probet : ἀρκοῦντος enim, ait, potius dixisset, si significationem activam exprimere voluisset. Ἀρκουμένου τούτου edidit Gallas. et post eum Feuard., sed absque codicis ullius auctoritate. Merito censet Grab. ἀρκουμένους τούτους non incommode retineri posse, referendo scilicet τούτους ad τινάς, et subintelligendo τούτῳ.

(13) *Γενομένην.* Sic recte cod. Reg. et ita legendum esse jam monuerat Billius, pro γινομένην, ut habent omnes editi.

(14) *Πάντα.* Sic eadem Apostoli verba legit Irenæus lib. III, c. 20, n. 2. Ubique πάντα, *omnia*, non πάντας, ut habent vulgati nostri codd. In mss. etiam quibusdam N. Test. codd. habetur πάντα.

(15) *Εὐχαριστεῖν.* Suspectum sibi esse eo loco hoc verbum ait Billius, quod parum aliis verbis, quæ præcedunt, διδάσκειν, μηνύειν, ἐξερευνᾷν, ἀπαγγέλλειν, etc., respondeat. Opportunum tamen sensum haberi hic potest, si vertatur, uti recte vertit idem Billius, *grato animo complectatur*, vel *recolat*. Interdum enim εὐχαριστέω accipitur pro εὐλογέω, hoc vero pro *celebro*. Adde quod alludere potuit Irenæus ad Eucharistiæ sacrificium, quod passionis Christi *memoriale* a Patribus vocatur, utpote quo Domini mors, ut ait Apost. I Cor. xi, 26, annuntiatur, et grata memoria celebratur.

Digitized by Google

Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τουτέστιν ἐν τῷ τέλει, ἐφάνη ἡ ἀρχὴ (1), ἀπαγγέλλειν· καὶ περὶ τοῦ τέλους, καὶ τῶν μελλόντων, ὅσα τε κεῖται ἐν ταῖς Γραφαῖς, ἀναπτύσσειν· καὶ τί ὅτι τὰ ἀπεγνωσμένα ἔθνη (2), συγκληρονόμα, καὶ σύσσωμα, καὶ συμμέτοχα τῶν ἁγίων πεποίηκεν ὁ Θεὸς, μὴ σιωπᾷν· καὶ πῶς τὸ θνητὸν τοῦτο σαρκίον (3) ἐνδύσεται ἀθανασίαν, καὶ τὸ φθαρτὸν ἀφθαρσίαν, διαγγέλλειν· πῶς τε ἐρεῖ, *Ὁ οὐ λαὸς* (4), *λαὸς, καὶ ἡ οὐκ ἠγαπημένη, ἠγαπημένη*, καὶ πῶς *πλείονα τῆς ἐρήμου τὰ τέκνα, μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα*, κηρύσσειν. Ἐπὶ τούτων γὰρ, καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοίων αὐτοῖς ἐπεβόησεν Ἀπόστολος· *Ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ! ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ!* Ἀλλὰ οὐκ ἐν τῷ ὑπὲρ τὸν κτίστην, καὶ δημιουργὸν, μητέρα τούτων καὶ αὐτοῦ (5), Ἐνθύμησιν Αἰῶνος πεπλανημένου παρεπινοεῖν, καὶ εἰς τοσοῦτον ἥκειν βλασφημίας· οὐδὲ τὸ (6) ὑπὲρ ταύτην πάλιν Πλήρωμα, τὸν μὲν ἕνα, νῦν δὲ (7) ἀνήριθμον φῦλον Αἰώνων ἐπιψεύδεσθαι, καθὼς λέγουσιν οὗτοι οἱ ἀληθῶς ἔρημοι θείας

A et quare in novissimis temporibus adventus Filii Dei, hoc est in fine, apparuerit, et non in initio, annuntiare : et de fine, et de futuris, quæcunque posita sunt in Scripturis, revolvere : et quare desperatas gentes, cohæredes, et concorporatas, et participes sanctorum fecit Deus, non tacere : et quemadmodum *mortalis hæc* caro *induet immortalitatem, et corruptibile incorruptelam* [84], annuntiare : et quemadmodum factus est (8), *qui non erat populus, populus : et dilecta, dilecta* [85]; et quemadmodum *plures filii ejus, quæ deserta est, magis quam ejus quæ habet virum* [86], prædicare (9). In talibus enim, et in similibus eis exclamavit Apostolus : *O altitudo divitiarum, et sapientiæ, et agnitionis Dei! quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ*

B *ejus* [87]. Sed non in eo, ut supra creatorem et fabricatorem, matrem ejus et illorum, Enthymesin Æonis errantis adinvenires, et ad tantam pervenires blasphemiam : neque in eo, quod est super hanc rursus Pleroma, aliquando quidem XXX, aliquando vero innumerabiles multitudines Æonum men-

BILLII INTERPRETATIO.

Dei! quam inscrutabil'a sunt judicia ejus et impervestigabiles viæ ejus! In hoc, inquam, doctorum industria posita est, non in eo, ut quispiam, ultra creatorem et opificem, Enthymesin errantis Æonis, quæ ipsius parens sit, præterea comminiscatur, eoque blasphemiæ prorumpat : aut rursus in eo, quod ea sublimius sit, Pleromate, nunc triginta Æonas, nunc innumerabile Æonum examen confingat : quemadmodum aiunt isti divinæ sapientiæ vere expertes magistri : cum interim vera et universa Ecclesia unam et eamdem toto terrarum orbe fidem teneat, ut ante diximus.

[84] I Cor. XV, 54. [85] Osee. II, 23, et Rom. IX, 25. [86] Isai. LIV, 1, et Gal. IV, 27. [87] Rom. XI, 33.

(1) *Ἡ ἀρχή*. Legit interpres, καὶ οὐκ ἐν ἀρχῇ. Commode tamen legi potest, ἡ ἀρχή, *principium*, i. e. Dei Filius, quem ἀρχὴν et τέλος non semel dixit Joannes in Apocalypsi.

(2) *Τὰ ἀπεγνωσμένα ἔθνη*. Eas nimirum gentes, quas, ut ait D. Prosper *Respons. ad object.* VIII *Gallorum, in præteritis sæculis dimiserat Deus ingredi vias suas, quando Jacob elegit sibi Dominus, et non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* : quarum proinde gentium salus conclamata videbatur humanæ prudentiæ.

(3) *Τὸ θνητὸν τοῦτο σαρκίον*, etc. Apostoli verba I Cor. XV, 54, ex memoria refert Irenæus : paulo enim aliter leguntur apud ipsum Apost.

(4) *Πῶς τε ἐρεῖ, ὁ οὐ λαὸς*, etc. His prorsus affine est quod scribit D. Prosper loco sup. citato : *Cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit; et quorum aliquando non misertus est, nunc autem miserearur; et ubi dictum est : Non plebs mea vos; ibi vocentur filii Dei vivi : et quare quod quærebat Israel, non sit consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt : impossibile est comprehendere, et periculosæ curiositatis est quærere*, etc.

(5) *Μητέρα τούτων καὶ αὐτοῦ*. Legit interpres, μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν. Τούτου quidem et Billius lubens legit; insectatur enim Irenæus eos qui Demiurgo, hoc est, summo illi rerum omnium opifici, matrem Enthymesin affingunt : sed αὐτῶν plane improbat; ad quid enim, inquit, referretur? Respondeo, ad Valentinianos, qui *Achamoth* matrem habere gloriabantur, quæque ea ratione *mater ipsorum*, cap. 7 et alibi passim ab Irenæo dicitur. Grabius Græcis nihil mutatis, τούτων de Valentinianis, αὐτοῦ de creatore accipit, sed minus bene : pronomen enim οὗτος demonstrativum cum sit, ad id quod immediate præcedit, non ad aliquid remotius referri debet. De Demiurgo autem, non de Valentinianis, proxime antea mentio facta. Quare cum vet. interp legere satius est, μητέρα τούτου καὶ αὐτῶν.

C (6) *Οὐδὲ τό*. Billius legendum censet, οὐδὲ εἰς τό· Grabius vero, οὐδὲ ἐν τῷ τό. Sed nulla additione facta, οὐδὲ τό retineri posse nihil vetat, subintelligendo ἓν τῷ, quod mox præcessit.

(7) *Τὸν μὲν ἕνα, νῦν δέ*, etc. Pro τὸν μὲν ἕνα, corrigit Billius ex vet. interp. νῦν μὲν τριάκοντα, νῦν δέ, etc. Melius vero Petavius, τότε μὲν τριάκοντα. Quod vero ἕνα, pro τριάκοντα, in textum irrepserit, id ex eo factum esse non imperite conjiciunt Fronto Duc. et Grabius, quod cum Irenæus, vel priores ejus scribæ, notam tricenarii numeri Λ cum lineola transversa, non ipsam vocem τριάκοντα reposuissent, qui eos secuti sunt, incaute Λ in Α, quæ monadis nota est, transmutarunt, indeque ἕνα scriptum est : quod quidem eo facilius fieri potuit, quod Λ et Α, in mss. præsertim, maxime affines sint. Hæc porro dum pro arbitrio distinguit Gallasius, in alienum omnino sensum detorquet. Sic scribit : Ὥστε τὸ ὑπὲρ ταύτην πάλιν Πλήρωμα, τὸν μὲν ἕνα, τὸν δὲ ἀνήριθμον φῦλον, etc. Quæ sic

D vertit : *Ut supra hanc rursum ementiaris Pleroma, hic quidem unum, ille vero infinitum genus Æonum.*

(8) *Et quemadmodum factus est.* Græca hic paulo liberius vertit interpres. Hæc, πῶς τε ἐρεῖ, reddenda erant, *quomodo*, seu, *quo sensu dicit*, scilicet Deus. Ἐρεῖ enim hic non verbum futuri temporis est, ut falso post Petavium existimavit Grabius, sed præsentis. Sic Matth. VII, 4, ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου, etc., *aut quomodo dicis fratri tuo*, etc.

(9) *Præconare.* Ita melius quam *præconiare* (ut est in editt.), mss. Clarom., Ottobon., Arund. et Merc. 2. *Præconare* autem, vel *præconari*, est *prædicare, extollere, annuntiare.* Sic Martianus Capella lib. XVII : *Ingressuros etiam cunctos nominatim vocabat, fama præconans.* Et liber I *Memorial. sanct.* : *Solvite divinis laudibus ora, summique Redemptoris beneficia extollentes, præconate et dicite*, etc. Et infra : *Qui liber vestrorum actuum memoriam gloriosam præconatur.* Prædicari etiam dixit Honoratus Augustodun., lib. III, cap. 1.

Digitized by Google

tiri (1) : quemadmodum dicunt hi, qui vere sunt deserti a divina sententia (2) magistri ; cum ea, quæ est Ecclesia universa, unam et eamdem fidem habeat in universo mundo, quemadmodum prædiximus.

συνέσεως διδάσκαλοι, τῆς οὔσης Ἐκκλησίας πάσης μίαν καὶ τὴν αὐτὴν πίστιν ἐχούσης εἰς πάντα τὸν κόσμον. καθὼς προέφημεν.

52 CAPUT XI [38].

Quæ sit Valentini sententia, et in quibus ab eo discrepant discipuli ejus. Secundi, Epiphanis, et aliorum quorumdam dogmata.

1. Videamus nunc et horum (3) inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed et nominibus, et rebus contraria respondent. Qui enim est primus, ab ea, quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens (4) Valentinus, sic definivit (5) : dualitatem quamdam in-

1. Ἴδωμεν νῦν καὶ τὴν τούτων ἄστατον γνώμην, δύο που καὶ τριῶν ὄντων, πῶς περὶ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ λέγουσιν, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἐναντία ἀποφαίνονται. Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος (6), ἀπὸ τῆς λεγομένης Γνωστικῆς αἱρέσεως τὰς ἀρχὰς εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου (7) μεθαρμόσας (8) Οὐαλεντῖνος, οὕτως ἐξηροφόρησεν (9), ὁρισάμενος

BILLII INTERPRETATIO.

CAPUT XI.

1. Videamus nunc, cum vix duo, aut tres sint, quam sit inconstans eorum sententia, ut qui de iisdem non eadem dicant, verum et rebus et verbis pugnantia inter se pronuntient. Siquidem Valentinus, qui primus ex ea secta, quæ Gnostica nuncupatur, veteres doctrinas ad characterem suum et insti-

[38] Ed. Feu., cap. VI.

(1) *Mentiri.* Lege, *ut mentireris*, sicuti paulo superius, ut *adinvenires, et pervenires.*

(2) *Sententia.* Græc. συνέσεως, quod melius vertisset interpres, *sapientia.*

(3) *Horum.* Ita pro *eorum* ex Clarom., Arund. et Voss. juxta Græc. τούτων reponere placuit. *Horum* autem refero ad magistros illos divina sapientia destitutos, quorum mentio proxime facta est, sub finem capitis præcedentis.

(4) *Antiquas in suum characterem doctrinas transferens.* Vertendum erat : *ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, principia in proprium scholæ suæ characterem transferens*, seu *aptans* : i. e. in peculiaris sectæ formam aptans, quibusdam scilicet additis. Quamvis enim Valentinus doctrinæ suæ principia a vetustioribus Gnosticis *accepisset*, plura tamen eorum hæresi addiderat, ut Dissert. cit. ostendimus.

(5) *Definivit.* Al. *diffinivit.* Sed adde ex Græco, *esse.*

(6) *Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος*, etc. Locum hunc a Blondello et Dallæo vexatum exegie ab eorum cavillationibus vindicarunt Pearsonius in *Vindic. epist. S. Ignatii*, part. II, cap. 3, 4, 5, 6 et 7 ; Cotelerius in *Observat.* ad epist. Ignat. ad Magnes., et alii SS. martyris epistolarum vindices. Nempe has viri apostolici epistolas, ac in primis eam, quæ est ad Magnesianos, juniorem Ignatio auctorem redolere ex eo contendebant Blondellus et Dallæus, quod in his ejusdem verbis, αὐτοῦ λόγος ἅΰλος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, aperte perstringatur hæreticorum *Sige.* Atqui, inquiebant, Valentinus, Irenæo teste lib. I, c. 5, num. 11, ex Gnosticorum hæresi primus fuit, qui ex veteribus doctrinis in suum characterem, seu formam translatis et aptatis, quod subjicit dogma tradiderit, ac proinde Σιγήν memoraverit. Plura respondent, invictisque muniunt argumentis Ignatii defensores strenuissimi, ex quibus duo duntaxat, quæ ad rem nostram faciunt, observabimus. 1° Falsissimum id esse, Valentinum primum omnium copulationem Bythi et Siges tradidisse ; quin potius certissimum esse, ridiculum illud commentum a vetustioribus Gnosticis haustum fuisse, ut ipsi etiam demonstravimus Dissert. 1, art. 5, n. 22 et seqq. 2° Verba hæc Irenæi, ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, perperam et dolose a Blondello et Dallæo referri ad Gnosticam hæresim, quasi Irenæi mens esset, Valentinum ex illa Gnosticorum hæresi primum fuisse, qui ex veteribus doctrinis ad suum characterem, sive peculiarem sectæ formam translatis et aptatis, quod subjicit dogma tradiderit. Alio quippe referuntur ea verba, ad priorem scilicet sententiam, non ad sequentem. Ἴδωμεν νῦν καὶ τὴν τούτων ἄστατον γνώμην, δύο που καὶ τριῶν ὄντων, πῶς περὶ τῶν αὐτῶν, οὐ τὰ αὐτὰ λέγουσιν, ἀλλὰ τοῖς *πράγμασι* καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἐναντία ἀποφαίνονται. *Videamus nunc et horum* (magistrorum scilicet illorum divina sapientia destitutorum, quorum sub finem capitis præced. meminerat) *inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed et nominibus et rebus contraria respondent :* ὁ μὲν γὰρ *πρῶτος, qui enim primus est* (ut satis fideliter reddidit vetus interpres) ex paucis scilicet illis duobus, vel tribus magistris divinæ sapientiæ exsortibus, *Valentinus* nimirum, *a Gnostica hæresi antiquas in suum characterem doctrinas transferens sic definivit.* Tum sequitur, Σεκοῦνδος δέ... ἄλλοι δέ. Quæ perspicue demonstrant, hæc, ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, referri, non ad Gnosticam hæresim, sed ad duos illos, vel tres, quorum *inconstantem* sententiam expositurus est Irenæus.

(7) *Ἀρχὰς εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου*, etc. Legi vult Billius cum veteri interprete, ἀρχαίας διδασκαλίας. Sed nihil in Epiphanii verbis immutare necesse est. Sensus enim est, Valentinum haustis a Gnostica hæresi principiis, ea in proprium scholæ suæ, διδασκαλείου, characterem transtulisse ; quod certum esse dixi nota præced. Porro ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου, phrasim Irenæo usitatam esse, probant ejus verba de Basilidianis infra cap. 24, n. 7 : *Illorum* (astrologorum) *theoremata accipientes, in suum characterem doctrinæ transtulerunt.* Et de Tatiano cap. 28 : Ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο, *proprium characterem doctrinæ constituit.* In quibus locis interpres perperam vertit διδασκαλείου, *doctrinæ* : nam διδασκαλεῖον proprie *schola* est, non *doctrina.*

(8) *Μεθαρμόσας.* Sensus non est Valentinum principia, quæ a Gnosticis acceperat, *mutasse*, multo minus in melius *correxisse*, aut *emendasse*, quasi nihil iis addidisset. Quamvis enim interdum ea sit significatio verbi, μεθαρμόζειν, hic tamen, ut et alibi sæpe, *transferre* aut *adaptare* significat : quod pluribus probat Pearson. cit. cap. 6 sub finem.

(9) *Ἐξηροφόρησεν.* Quid hic scripserit Irenæus, haud facile est divinare. Nam ἐξηροφόρησεν barbara vox est, quæ utrum ab auctore nostro profecta sit, dubium est. Pro ea legunt Hammondus et Usserius, ἐξεφόρησεν. Isaacus Vossius, leviori mutatione, ἐληροφόρησεν. Cotelerio corrigendum videtur, ἐψηφοφόρησεν, quod sensu, inquit, non discrepet a se-

Digitized by Google

εἶναι δυάδα (1) ἀνονόμαστον, ἧς τὸ μέν τι καλεῖσθαι Ἄρρητον, τὸ δὲ Σιγήν. Ἔπειτα ἐκ ταύτης δυάδος δευτέραν δυάδα προβεβλῆσθαι, ἧς τὸ μέν τι Πατέρα ὀνομάζει, τὸ δὲ Ἀλήθειαν. Ἐκ δὲ τῆς τετράδος ταύτης καρποφορεῖσθαι Λόγον καὶ Ζωήν, Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν· εἶναί τε ταύτην ὀγδοάδα πρώτην. Καὶ ἀπὸ μὲν τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς δέκα δυνάμεις λέγει προβεβλῆσθαι, καθὼς προειρήκαμεν. Ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας δώδεκα, ὧν μίαν (2) ἀποστᾶσαν καὶ ὑστερήσασαν, τὴν λοιπὴν πραγματείαν (3) πεποιῆσθαι. Ὅρους τε δύο ὑπέθετο, ἕνα μὲν μεταξὺ τοῦ Βυθοῦ καὶ τοῦ λοιποῦ Πληρώματος, διορίζοντα τοὺς γεννητοὺς Αἰῶνας ἀπὸ τοῦ ἀγεννήτου Πατρός· ἕτερον δὲ τὸν ἀφορίζοντα αὐτῷ (4) τὴν μητέρα ἀπὸ τοῦ Πληρώματος. Καὶ τὸν Χριστὸν δὲ οὐκ ἀπὸ τῶν ἐν τῷ Πληρώματι Αἰώνων προβεβλῆσθαι, ἀλλὰ ὑπὸ τῆς μητρὸς ἔξω γενομένης, κατὰ τὴν γνώμην (5) τῶν κρειττόνων ἀποκεκυῆσθαι μετὰ σκιᾶς τινος. Καὶ τοῦτον μέν, ἅτε ἄρρενα ὑπάρχοντα, ἀποκόψαντα ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν σκιάν, ἀναδραμεῖν εἰς τὸ Πλήρωμα· τὴν δὲ μητέρα ὑπολειφθεῖσαν μετὰ τῆς σκιᾶς, κεκενωμένην τε τῆς πνευματικῆς ὑποστάσεως, ὕτερον υἱὸν προενέγκασθαι· καὶ τοῦτον εἶναι τὸν Δημιουργὸν, ὃν καὶ παντοκράτορα λέγει τῶν ὑπο-

A nominabilem, cujus quidem aliquid vocari Inenarrabile, aliud autem Sigen. Post deinde ex hac dualitate, secundam dualitatem emissam, cujus aliud quidem Patrem vocat, aliud autem Aletheiam. Ex hac autem quaternatione fructificari Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam. Esse autem hanc octonationem primam. Et a Logo quidem et Zoe decem virtutes dicit emissas, sicut prædiximus. Ab Anthropo autem et Ecclesia XII, ex quibus unam **53** discedentem et destitutam, reliquam dispositionem fecisse. Terminos autem duos adhibet : unum quidem inter Bythum et Pleroma (6), determinantem (7) natos Æones ab infecto Patre; alterum vero separantem illorum matrem a Pleromate. Et Christum autem non ab his, qui sunt in Pleromate, Æonibus emissum, sed matrem foris factam, secundum memoriam meliorum, enixam esse (8) cum quadam umbra. Et hunc quidem, quippe cum esset masculus, abscidisse a semetipso umbram, et regressum in Pleroma (9). Matrem autem subrelictam sub umbra (10), evacuatam autem spiritali substantia, alterum filium emisisse : et hunc esse Demiurgum, quem et omnipotentem dicit eorum (11) quæ ei subjacent. Coemissum autem ei et sinistrum.

B

BILLII INTERPRETATIO.

tutum accommodavit, ad hunc modum docet. Statuit enim binarium quemdam esse, qui nullo nomine exprimi possit : cujus altera pars Arrhetus vocetur, altera Sige. Postea ex hoc binario alterum binarium ortum esse, cujus partem alteram Patrem, alteram Veritatem appellat. Ex hoc porro quaternario Sermonem et Vitam, Hominem et Ecclesiam editos esse. Atque hanc esse primam ogdoadem. Et quidem ex Sermone et Vita decem virtutes profluxisse, quemadmodum superius diximus : ex Homine autem et Ecclesia duodecim : e quibus unam, cum ab aliorum cœtu sese removisset, reliquum negotium effecisse. Horos insuper duos finxit, unum inter Bythum et reliquum Pleroma interjectum, progenitos Æonas ab ingenito Patre distinguentem : alterum autem, illorum matrem a Pleromate dirimentem. Quin Christum etiam non ab iis Æonibus, qui in Pleromate sedem habent, productum fuisse, verum a matre illinc exclusa, secundum meliorum recordationem, non sine quadam umbra, procreatum. Atque hunc quidem, ut qui masculus esset, excisa a se umbra ad Pleroma recurrisse : matrem autem una cum umbra relictam, ac spirituali substantia orbatam, alterum filium extulisse; atque hunc esse Demiurgum, quem etiam eorum, quæ ipsi subjecta sunt, principem, ac velut imperatorem esse dicit. Cum eo porro productum etiam fuisse sinistrum principem tradit : in quo nimirum ei cum illis convenit, qui Gnostici falso nuncupantur, de quibus postea disseremus. At vero Jesum interdum quidem ex eo, qui ab eorum matre

quente, ὁρισάμενος, unde utrumque uno verbo *definivit*, ab antiquo interprete expressum est. Billius vero putat hunc legisse, ἔφη. Existimat potius Pearsonius, veterem interpretem, eam, quam ipse legit, vocem minime intellexisse, ideoque omisisse, quod id salvo sensu fieri posse putavit. Vetustissimam igitur lectionem, addit vir doctissimus, sentio fuisse, ἐξηροφόρησεν, et fortasse ab ipso Irenæo profectam : nam ξηροφορεῖν idem significare potest, quod *aliquid enarrare*, ξηραῖς λέξεσιν, ut Græci loquuntur. Grabius, aut ἐξηροφόρησεν retinendum, aut si hoc nimis durum videatur, ἐληροφόρησεν cum Vossio legendum putat; non solum quod hæc levissima sit mutatio, sed et quod sub finem hujus capitis sequatur exclamatio : ὦ ληρολόγοι σοφισταί! *o pepones sophistæ!* Si quid doctissimorum virorum conjecturis addere liceret, legere sat amarem, ἐξενοφώνησεν, vel ἐληροφώνησεν : hæ siquidem voces paulo magis Græcæ mihi videntur.

C

(1) *Δυάδα.* Τινά ex veteri interprete addi vult Billius. Sed parum refert.

D

(2) *Ὅν μίαν.* Sophiam scilicet, quæ intempestiva curiositate ducta, pene periit.

(3) *Τὴν λοιπὴν πραγματείαν.* Eam nimirum, quæ extra Pleroma est.

(4) *Αὐτῷ.* Lege αὐτῶν cum vet. interprete.

(5) *Γνώμην.* Μνήμην legit Billius cum veteri interprete, non γνώμην, ut sit sensus, eam in recordatione beati illius status, quo non sine magno dolore carebat, ejusmodi fetum edidisse. At γνώμην, *notitiam*, eumdem habet sensum : quare nihil mutandum censeo.

(6) *Et Pleroma.* Adde ex Gr. *et reliquum Pleroma.*

(7) *Determinantem.* Legi mallem, *disterminantem*, quam *determinantem.*

(8) *Sed matrem foris factam... enixam esse.* (Supple *eum.*) Sic restituimus partim ex cod. Voss., partim ex aliis. Ille habet, *matrem autem foris factam... enixam esse* (quam lectionem corruptæ editorum lectioni longe præponendam, Grabium haud secutum fuisse miramur) : expungimus vero particulam *autem*, utpote superfluam, nec in omnibus codd. exstantem, retenta particula *sed*, quam habent omnes editt. cum nostris mss.

(9). *In Pleroma.* Ita cum Grabio reponimus ex codd. Clarom. et Voss. pro *ad Pleroma*, ut est in aliis editt.

(10) *Sub umbra.* Ex Græco lege, *cum umbra.*

(11) *Omnipotentem eorum.* Melius vertisset interpres, *omnipotentem in ea*, vel *supremum Dominum eorum.*

Digitized by Google

principem, similem iis qui dicentur (1) a nobis falsi nominis Gnostici. Et Jesum autem aliquando quidem ab eo, qui separatus a matre eorum, et coadunatus est cum reliquis, emissum dicit, id est a Theleto : aliquando autem ab eo, qui recucurrit sursum in Pleroma, hoc est a Christo : aliquando autem ab Anthropo et Ecclesia. Et Spiritum autem sanctum a Veritate dicit emissum, in examinationem et fructificationem Æonum, invisibiliter in eos introeuntem, per quem Æones fructificarent folia veritatis (2). Hæc quidem ille.

A κειμένων (8). Συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ καὶ ἄριστον (9) ἄρχοντα ἐδογμάτισεν, ὁμοίως τοῖς ῥηθησομένοις ὑφ' ἡμῶν ψευδωνύμως Γνωστικοῖς. Καὶ τὸν Ἰησοῦν ποτὲ μὲν ἀπὸ τοῦ συσταλέντος ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῶν, συναναχυθέντος τοῖς ὅλοις, προβεβλῆσθαί φησι (10), τουτέστι τοῦ Θελητοῦ, ποτὲ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀναδραμόντος εἰς τὸ Πλήρωμα, τουτέστι τοῦ Χριστοῦ· ποτὲ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας. Καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας (11) φησὶ προβεβλῆσθαι εἰς ἀνάκρισιν καὶ καρποφορίαν τῶν Αἰώνων, ἀοράτως εἰς αὐτοὺς εἰσιόν· δι' οὗ τοὺς Αἰῶνας καρποφορεῖν τὰ φυτὰ τῆς ἀληθείας.

2. Secundus autem primam ogdoadem sic tradidit (3), dicens : Quaternationem esse dextram, et quaternationem sinistram, et 54 lumen et tenebras (4) : et discedentem (5) autem et destitutam (6) virtutem non a triginta Æonibus dicit fuisse, sed a fructibus eorum.

B 2. Σεκοῦνδος (12) λέγει εἶναι τὴν πρώτην ὀγδοάδα τετράδα δεξιὰν καὶ τετράδα ἀριστερὰν, οὕτω παραδιδοὺς καλεῖσθαι, τὴν μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος· τὴν δὲ ἀποστᾶσάν τε καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν μὴ εἶναι ἀπὸ τῶν τριάκοντα Αἰώνων, ἀλλὰ (13).....

3. Alius vero quidam (7), qui et clarus est magi-

3. Ἄλλος (14). . . . . .

BILLII INTERPRETATIO.

sese contraxit, et cum rebus universis refudit, hoc est, ex Theleto ortum fuisse ait : interdum autem ex eo, qui ad Pleroma sese retulerat, hoc est a Christo : nonnunquam rursus ab Homine et Ecclesia. Denique Spiritum sanctum ab Ecclesia productum fuisse, ad Æonum examinationem et fecunditatem, ut qui invisibili modo in eos ingrediatur, efficiatque ut illi veritatis plantas proferant.

2. Secundus autem ogdoadem ita distinguit, ut alter quaternarius sit dexter, alter sinister : traditque illum lucem appellari, hunc tenebras. Virtutem autem illam, quæ abscessit, atque ab aliis sese removit, non esse e numero triginta Æonum, sed post triginta Æonas.

3. . . . . .

(1) *Similem iis qui dicentur.* Vetus interpres legit ὅμοιον, non ὁμοίως, sed male, inquiunt Billius et Fronto Duc., ut sensus aperte docet. Itaque vertendum, *similiter iis*, vel *eo modo, quo ii qui dicentur.*

(2) *Folia veritatis.* Φύλλα legit interpres, non φυτά, sed perperam. Vertendum igitur : *plantas*, vel *stirpes veritatis.*

(3) *Tradidit.* In Eras., Gallas. et Feuard. *tradit.*

(4) *Et lumen et tenebras.* Hæc ab interprete paulo obscurius reddita clarius explicat textus Græcus : τετράδα δεξιὰν καὶ τετράδα ἀριστερὰν, τὴν μὲν μίαν φῶς, τὴν δὲ ἄλλην σκότος. Sensus ergo est, non lumen et tenebras aliud quiddam esse a tetrade dextra et tetrade sinistra ; sed primam ogdoadem a Secundo divisam fuisse in duas tetradas, alteram scilicet dextram, alteram sinistram : priorem dictam fuisse *lumen*, posteriorem *tenebras.* Sic accepit Tertullianus cap. 38, scribens : *Humanior jam Secundus, ut brevior, ogdoadem in duas tetradas dividens, in dextram et sinistram, in lumen et tenebras.* Hinc explicandus Theodoretus lib. I *Hæret. Fabul.*, c. 8 : Διχῇ τὴν ὀγδοάδα διεῖλε, καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐκάλεσε δεξιὸν, τὸ δὲ εὐώνυμον· καὶ προστέθεικε φῶς καὶ σκότος. *Bipartito divisit ogdoadem, et unam illius partem dextram vocavit, alteram sinistram ; adjecitque lumen et tenebras : i. e.* quibus nomen adjecit luminis et tenebrarum.

(5) *Et discedentem.* Sic recte Feuard. edidit juxta Græc. ἀποστᾶσαν, quod paulo superius reddidit interpres *discedentem.* Consentit cod. Clarom., nisi quod pro *discedentem*, scripsit incautus amanuensis *descedentem.* In Erasm., Gallas. cæterisque aliis mss. perperam habetur, *descendentem.* Melius apud Tertull. cap. 28, *desultricem.* Porro post *autem*, particulam *et* incuria scribarum omissam in omnibus cum editt. tum mss., addidimus tum ex Græco, tum ex ipsomet interp. qui paulo ante, eadem, quæ hic, verba Græca reddidit, *discedentem et destitutam.*

(6) *Destitutam.* Deest in cod Clarom.

(7) *Alius vero quidam, qui et clarus est magister*, etc. Recte conjicit sagacissimus Pearsonius a clariss. Dodwello Dissert. 4 in Iren., § 25, citatus, quæ hic ab Epiphanio omissa sunt Græca, sic ab Irenæo scripta fuisse : Ἄλλος δέ τις, ὁ καὶ Ἐπιφανὴς διδάσκαλος αὐτῶν, ad hominis scilicet nomen alludente. Sed cum allusionem non intelligeret interpres, *proprium* nomen in *appellativum* male commutasse : ita ut jam ex interprete dignosci non possit, in quem conveniat ea hæresis ab auctore nostro hic descripta. Quo et errore lapsus Tertullianus veterem interp. secutus scripsit cap. 37, *insignioris apud eos magistri.* Epiphanem tamen hic intelligi, subdit Dodwellus, non modo inde colligitur, quod soleant veteres inter primarios Valentinianæ sectæ hæresiarchas Epiphanem recensere, proximumque Secundo, ut noster fecit Irenæus, numerare, ut ex Epiphanio discimus ; sed et quod quæ *claro* illi, quem volunt, magistro tribuit Irenæus, in Epiphanem apertissime quadrent.

(8) Ὑποκειμένων. Adde αὐτῷ ex vet. interprete.

(9) Ἄριστον. Lege ἀριστερόν cum vet. et confer cap. 31, ad quod remittit Irenæus.

(10) *Προβεβλῆσθαί φησι.* Sic cod. Reg. cum Epiphanii editione Basileensi, et Irenæi editt. Gallasii et Feuard. Apud Petav. et Grab. male φασί pro φησί.

(11) Ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας. Recte mavult Billius cum vet. interp. legere ἀληθείας, quam Ἐκκλησίας, id enim magis quadrat ad id quod postea sequitur : *ut veritatis plantas proferant.*

(12) *Σεκοῦνδος.* Græcus hujus periodi textus depromptus est ex Epiphanii *Hær.* XXXII, § 1, ubi quamvis Irenæum non citet, hujus tamen verba ab eo referri patet ex collatione cum veteri interpret.

(13) Ἀλλά. Scripsisse videtur Irenæus, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν, siquidem vertit interpres, *sed a fructibus*

(14) Ἄλλος. Epiphanem istum vocant Theodoretus, et Epiphanius, de quo in Dissert. I diximus.

Digitized by Google

εἰς ὑψηλότερον (1) καὶ γνωστικώτερον ἐπεκτεινόμενος, τὴν πρώτην τετράδα (2)..... οὕτως· Ἔστι τις πρὸ πάντων Προαρχὴ, προαεννόητος, ἄῤῥητός τε καὶ ἀνονόμαστος, ἣν ἐγὼ μονότητα ἀριθμῶ. Ταύτῃ τῇ μονότητι συνυπάρχει δύναμις, ἣν καὶ αὐτὴν ὀνομάζω ἑνότητα. Αὕτη ἡ ἑνότης, ἥ τε μονότης, τὸ ἓν οὖσαι, προήκαντο, μὴ προέμεναι, ἀρχὴν ἐπὶ πάντων (3) νοητὴν, ἀγέννητόν τε καὶ ἀόρατον, ἣν Ἀρχὴν ὁ λόγος μονάδα καλεῖ. Ταύτῃ τῇ μονάδι συνυπάρχει δύναμις ὁμοούσιος αὐτῇ, ἣν καὶ αὐτὴν ὀνομάζω τὸ ἕν. Αὗται αἱ δυνάμεις, ἥ τε μονότης καὶ ἑνότης, μονάς τε καὶ τὸ ἕν, προήκαντο τὰς λοιπὰς προβολὰς τῶν Αἰώνων.

ster ipsorum, in majus sublime (8), et quasi in majorem agnitionem extensus, primam quaternationem dixit sic : Est quidem ante omnes (9) Proarche, proanennoetos, et inenarrabilis, et innominabilis, quam ego monotetem voco. Cum hac monotete est virtus, quam et ipsam voco henotetem. Hæc henotes et monotes (10), cum sint unum, emiserunt, cum nihil emiserint (11), principium omnium, noeton ; et agenneton, et aoraton, quam Archem sermo monada vocat. Cum hac monade est virtus, ejusdem substantiæ ei, quam et eam voco heu. Hæ autem virtutes, id est, monotes, et henotes, et monas, et hen., emiserunt reliquas emissiones Æonum

4. Ἰοῦ ἰοῦ ! καὶ φεῦ φεῦ (4)! Τὸ τραγικὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπειπεῖν ἔστιν (5) ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ ὀνοματοποιίᾳ καὶ τῇ τοσαύτῃ τόλμῃ, ὡς ἀπερυθριάσας τῷ ψεύσματι αὐτοῦ ὄνομα (6) τέθεικεν. Ἐν γὰρ τῷ λέγειν, « Ἔστι τις Προαρχὴ πρὸ πάντων, προαεννόητος, ἣν ἐγὼ μονάδα καλῶ (7)· » καὶ πάλιν· « Ταύτῃ τῇ

4. Iu iu ! et pheu pheu ! Tragicum vere (12) dicere oportet super hanc nominum factionem (13), et tantam audaciam, quemadmodum sine rubore mendacio suo nomina posuit. In eo enim quod dicit : « Est ante omnia Proarche, proanennoetos, quam ego monoteta voco ; » et iterum : « Cum hac monotete est

BILLII INTERPRETATIO.

. . . Est quædam ante omnia Proarche, cogitationem omnem, et orationem, ac nomenclaturam superans, quam ego solitatem appello. Una cum hac solitate vis alia exsistit, quam item ipsam unitatem voco. Unitas porro hæc et solitas, unum cum essent, non proferendo protulerunt initium omnium rerum, intellectuale, ingenitum, et invisibile : quod quidem initium monas appellatur. Cum hac porro monade simul exsistit vis ejusdem cum ea essentiæ, quam et ipsam unam voco. Hæ denique virtutes, hoc est solitas et unitas, monas et unum, reliquum Æonum gregem produxerunt.

4. Iu iu ! heu heu ! Tragicam enim exclamationem subdere sane convenit, ob tantam in fingendis nominibus audaciam : quemadmodum ille, absterso omni pudore, nomina commento suo imposuit. In eo enim quod ait : Est quædam ante omnia Proarche, cogitationem omnem excedens, quam ego solitatem voco ; et rursus : Cum hac solitate vis alia exsistit, quam et ipsam unitatem nuncupo ; manifestissime se ea, quæ dixit, commentitia esse confessus est, quandoquidem figmento suo ejusmodi nomina imposuit, quæ ante ab alio nemine imposita fuerant. Perspicuumque est eum esse, qui temeritate adductus hæc

fructibus eorum. Habet vero Epiphanius : ἀλλὰ μετὰ τοὺς τριάκοντα Αἰῶνας, *sed post triginta Æones*, seu, ut clarius vertit Petavius, *sed inferioris cujusdam ordinis.* Sed cum Epiphanius hic Irenæi verba ex professo referre se non dicat, hæc forte addidit explicationis gratia. Eadem pariter sic explicat Tertullianus lib. *adversus Valent.* c. 38, *sed a fructibus de substantia eorum venientibus.*

(1) *Εἰς ὑψηλότερον.* Græca quæ sequuntur, desumpta sunt ex Epiphan. *Hær.* XXXII, § 5.

(2) *Πρώτην τετράδα.* Adde ex interp. ἔφη.

(3) *Ἐπὶ πάντων.* Præpositionem ἐπί delendam vult Billius, neque enim interpres, aut Tertullianus loco cit. eam legerunt.

(4) *Ἰοῦ ἰοῦ ! καὶ φεῦ φεῦ !* Exclamationes poetis Græcis, tragicis præsertim usitatæ. Interdum admirationis, doloris interdum et indignationis signa sunt. Dolorem hic significant, ut et cap. 15, n. 4 hujus libri : Ταῦτα ὑπὲρ τὸ ἰοῦ καὶ τὸ φεῦ, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν τραγικὴν ἐκφώνησιν (sic lego) καὶ σχετλιασμόν ἐστι, *hæc super iu, iu, et super pheu, et super universam tragicam exclamationem, et doloris vociferationem sunt*, ut vertit interpres noster.

(5) *Τὸ τραγικὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπειπεῖν ἔστιν ἐπὶ τῇ.* Sic habet Epiphanius. Cur vero Grabius ea verba omiserit, γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπειπεῖν ἔστιν, non video ; cum Latinis satis exacte respondeant, excepta particula γάρ quam non reddidit interpres.

(6) *Ὄνομα.* Leg. ὀνόματα cum interp.

(7) *Μονάδα καλῶ.* Ex Irenæo paulo superius, Tertulliano, et interprete ipso patet legendum esse, μονότητα, non μονάδα, et mox μονότητι, non μονάδι.

(8) *Majus sublime... est quidem.* Forte legendum, *magis sublime*, Græc. ὑψηλότερον · et *est quædam*, Gr. ἔστι τις. Tertullianus vero qui cap. 27 totum hunc locum ad verbum exscribit, omittit sive *quidam* sive *quædam.*

(9) *Ante omnes.* Vertendum est cum Tertull. *ante omnia.*

(10) *Hæc henotes et monotes.* Sic Clarom. juxta Græc., in aliis deest *hæc.*

(11) *Cum nihil emiserint.* Sic Græca μὴ προέμεναι, reddidit interpres noster ; absurde omnino, ut quisque videt. Si enim henotes et monotes *principium omnium* emiserint, absurdum est dici nihil emisisse. Longe melius hæc expressit Tertullianus : *protulerunt, non proferentes, initium omnium.* Sed quis istorum verborum sensus ? Conjicio id discriminis inter *principium omnium*, seu *monada*, et cæteros Æones ab Epiphane positum fuisse, vel quod illud sic proferretur, ut tamen ab auctore non separaretur ; eo fere modo quo Tertullianus lib. *contra Prax.* c. 8, *prolatum dicit Filium a Patre, sed non separatum* : cæterorum vero Æonum prolatio cum separatione fieret. Vel quod monas mera esset Proarches ἐνέργεια, seu δύναμις ἀνυπόστατος, ad eum modum, quo Verbum simplicem Patris ἐνέργειαν ἀνυπόστατον, hominum verbo similem statuebant Sabelliani : cæteri vero Æones propriam hypostasim haberent. Favere videtur huic conjecturæ, quod Epiphanes suam monada sic emissam esse vellet, ut tamen ingenita esset : quod enim hypostasim non habet, gigni proprie loquendo non potest. Eo sensu dicere potuit, monada sic prolatam fuisse, ut tamen non proferretur.

(12) *Vere.* In editt. Eras., Gallas. et Feuard. *vero.*

(13) *Factionem.* Sic mss. Arund., Voss., Merc. 2 et Clarom. juxta Græc. ὀνοματοποιίᾳ. Alii *fictionem.*

Digitized by Google

virtus, quam **55** et ipsam voco henotetem, » manifestum (1), quoniam figmenta sunt quæcunque ab eo dicta sunt, confessus est, quoniam (2) ipse nomina posuit figmento, quæ a nemine altero posita sunt (3) : qui nisi hæc auderet, hodie veritas (4), secundum eum, non habuisset nomina. Nihil igitur prohibet et alterum quemdam in tali argumento sic prælinire nomina : Est quædam Proarche, regalis, proanennoetos, proanhypostatos virtus, procylindomene. Cum illa autem est virtus, quam ego cucurbitam voco : cum hac cucurbita autem est virtus, quam et ipsam voco perinane. Hæc cucurbita et perinane, cum sint unum, emiserunt, cum non emisissent, fructum, in omnibus visibilem, manducabilem, et dulcem, quem fructum sermo cucumerem vocat. Cum hoc cucumere est virtus ejusdem potestatis ei, quam et ipsam peponem voco. Hæ virtutes, cucurbita, et perinane, et cucumis, et pepo, emiserunt reliquam multitudinem Valentini deliriosorum peponum. Si enim eum sermonem, qui de universis fit, transfigurari in primam quaternationem oportet, et quemadmodum vult aliquis, ipse ponere nomina ; quis prohibet his nominibus, utique multo credibilioribus (5), et in usu positis, et ab omnibus (6) cognitis ?

A μονάδι συνυπάρχει δύναμις, ἣν καὶ αὐτὴν ἑνότητα ὀνομάζω · » σαφέστατα, ὅτι τε πλάσμα αὐτοῦ ἐστι τὰ εἰρημένα, ὡμολόγηκε, καὶ ὅτι αὐτὸς ὀνόματα τέθεικε τῷ πλάσματι, ὑπὸ μηδενὸς πρότερον ἄλλου τεθειμένα. Καὶ σαφές ἐστιν (7), ὅτι αὐτὸς ταῦτα τετόλμηκεν ὀνοματοποιῆσαι · καὶ εἰ μὴ παρῆν τῷ βίῳ, οὐχ ἡ ἀλήθεια εἶχεν ὄνομα. Οὐδὲν οὖν κωλύει, καὶ ἄλλον τινὰ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως οὕτως ὁρίσασθαι ὀνόματα (8). . . . . .

5. Alii autem rursus ipsorum primam et archegonon octonationem his nominibus nominaverunt : primum Proarchen, deinde Anennoeton, tertiam autem Arrheton, et quartam Aoraton. Et de prima quidem Proarche emissum esse primo et quinto loco Archen, **56** ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, et de Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, de Aorato autem quarto et octavo

B 5. Ἄλλοι δὲ πάλιν (9) αὐτῶν τὴν πρώτην καὶ ἀρχέγονον ὀγδοάδα τούτοις τοῖς ὀνόμασι κεκλήκασι· πρῶτον Προαρχὴν, ἔπειτα Ἀνεννόητον, τὴν δὲ τρίτην (10) Ἄρρητον, καὶ τὴν τετάρτην Ἀόρατον. Καὶ ἐκ μὲν τῆς πρώτης Προαρχῆς προβεβλῆσθαι πρώτῳ καὶ πέμπτῳ (11) Ἀρχὴν, ἐκ δὲ [τῆς ἀρχῆς (12)] τῆς Ἀνεννοήτου δευτέρῳ καὶ ἕκτῳ τόπῳ Ἀκατάληπτον, ἐκ δὲ τῆς Ἀῤῥήτου τρίτῳ καὶ ἑβδόμῳ τόπῳ Ἀνονόμα-

BILLII INTERPRETATIO.

nomina condiderit : ita nisi ille in mundo exstitisset, nominibus veritas careret. Nihil igitur impedit, quin alius etiam quispiam in eodem argumento nomina statuat hoc pacto. . . . . .

5. Alii rursus ex ipsis primam ac primigeniam ogdoadem his nominibus appellandam dixerunt. Primum Proarchen, deinde Anennoetum, tertiam Arrhetum, quartam Aoratum. Atque ex prima Proarche ortam esse primo et quinto loco Archen : ex Anennoeto autem secundo et sexto loco Acatalepton : ex Arrheto tertio et septimo loco Anonomastum : ex Aorato denique quarto et octavo loco Agennetum,

(1) *Manifestum.* Addiderat Feuard. verbum *est*, quod sensum conturbat. Addunt et mss. Clarom. et Pass. Sed hoc merito omittunt editt. Eras., Gall., Oxon. et mss. omnes Anglic. *Manifestum* enim hic adverbialiter accipi debet, ut patet ex Græco σαφέστατα, quod tamen melius vertisset interpres *manifestissime.*

(2) *Quoniam.* Adde ex Græco, *et quoniam.*

(3) *Posita sunt.* Græc. *antea posita sunt.*

(4) *Qui nisi hæc auderet, hodie veritas*, etc. Græca sonant : *Perspicuum est eum esse, qui primus nomina hæc condere ausus fuerit : ac nisi ipse aliquando in mundo exstitisset, hodie veritas*, etc., ex quibus patet legendum esse in vet. versione, *auderet*, ut habent omnes editt. cum codd. Clarom. et Pass., non *audiret*, ut perperam habent mss. Anglic.

(5) *Utique multo credib.* Sic mss. Clarom., Pass. et Voss. melius, ni fallor, quam, *et multo*, ut habent Eras., Gallas. et Feuard., vel, *ut multo*, prout ex Arund. et Merc. 2, reposuit Grabius.

(6) *Ab omnibus.* Pass., Voss., et Feuard. in marg. *ab hominibus.*

(7) *Καὶ σαφὲς ἐστιν..... οὐχ ἡ ἀλήθεια*, etc. Græca hæc Irenæi ab Epiphanio descripta, Grabio omittere placuit. Doctissimi viri consilium approbare non possumus. Quamvis enim a Latinis aliquantulum discrepent, non tamen adeo, ut resecari debeant.

(8) *Ὀνόματα.* Quæ sequuntur Irenæi verborum Græca desiderantur. Summam duntaxat, sed non ipsa verba retulit Epiphanius hoc modo : Εἶτα λοιπὸν εἰς ταῦτα αὐτὸς ὁ μακάριος ἐπίσκοπος Εἰρηναῖος, ὥς γε προείπαμεν, γελοιώδη ῥήματα καὶ

C αὐτὸς προεῖπεν, ἑτερωνυμίαν ἀφ' ἑαυτοῦ, ὡς ἀντάξια τῆς αὐτῶν ληρωδίας χαριεντιζόμενος, πεπόνων γένη, καὶ σικύων, καὶ κολοκυνθῶν, ὡς ἐπὶ ὑποκειμένων τινῶν ἐπιπλασάμενος, ὡς τοῖς φιλολόγοις σαφὲς ἂν εἴη, ἀφ' ὧν προανέγνωσαν. *Tum deinceps in hæc idem beatus episcopus Irenæus, ut diximus, alia quædam ridicula nomina, ac per jocum a seipso composita facete subjicit, tanquam eorum nugis consentanea : cujusmodi sunt peponum, ac cucurbitarum, aut colocyntharum genera, quorum appellationes certis rebus attribuit ; id quod litterarum periti homines, ex iis quæ antea legerint, animadvertent.*

(9) *Ἄλλοι δὲ πάλιν*, etc. Græca hæc Irenæi, tacito tamen ipsius nomine, descripsit Epiphanius *Hær.* xxx, § 7.

(10) *Τὴν δὲ τρίτην.* Supp. δύναμιν.

(11) *Καὶ πέμπτῳ.* Adde τόπῳ ex vet. interp. et Tertull. cap. 35. *Sed quæ ratio dispensat*, addit ibidem Tertull., *ut singula binis locis, et quidem tam intercisis nascantur, malo ignorare quam discere. Quid enim recti habeant, quæ tam perverse proferuntur ?* Si quis tamen sensus ejusmodi deliriis esse possit, is esse videtur, scilicet, primam omnium emissionem, seu eam emissionem, quæ primo loco et ante cæteras omnes facta est, esse a *Proarche*, quæ *Archen* protulit quintum ogdoadis locum tenentem : secundo loco, seu secundam emissionem ab *Arche* factam esse, a qua emissus est *Acatalepton*, sexto ogdoadis loco constitutus. Et sic de cæteris.

(12) *Τῆς ἀρχῆς.* Delendæ hæ duæ voces, quæ sensum conturbant, quasque nec vetus interp. nec Tertullian. legerunt.

Digitized by Google

στον, ἐκ δὲ τῆς Ἀοράτου (1) Ἀγέννητον. Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος (2). Ταύτας βούλονται τὰς δυνάμεις προϋπάρχειν τοῦ Βυθοῦ καὶ τῆς Σιγῆς, ἵνα τελείων τελειότεροι φανῶσιν ὄντες, καὶ Γνωστικῶν γνωστικώτεροι· πρὸς οὓς δικαίως ἂν τις ἐπιφωνήσειεν· Ὦ ληρολόγοι σοφισταί (3)! Καὶ γὰρ περὶ αὐτοῦ τοῦ Βυθοῦ πολλαὶ καὶ διάφοροι γνῶμαι παρ' αὐτοῖς. Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἄζυγον λέγουσι (4), μήτε ἄῤῥενα, μήτε θήλειαν, μήτε ὅλως ὄντα τι, ἄλλοι δὲ ἀῤῥενόθηλυν αὐτὸν λέγουσιν εἶναι, ἑρμαφροδίτου φύσιν (5) αὐτῷ περιάπτοντες. Σιγὴν δὲ πάλιν ἄλλοι συνευνέτιν αὐτῷ προσάπτουσιν, ἵνα γένηται πρώτη συζυγία.

A loco Agenneton. Pleroma hoc primæ ogdoadis (7). Has volunt virtutes fuisse ante Bython et Sygen, ut perfectorum perfectiores appareant, et Gnosticocorum magis gnostici (8) veri (9), ad quos juste quis hoc dicat : O pepones, sophistæ vituperabiles, et non veri ! Etenim de ipso Bytho variæ sunt sententiæ apud eos. Quidam enim sine conjugatione dicunt eum, neque masculum, neque feminam, neque omnino aliquid esse. Alii autem et masculum et feminam eum dicentes esse (10), hermaphroditi genesim (11) ei donant. Sigen autem rursus (12) alii conjugem ei addunt, ut fiat prima conjugatio.

CAPUT XII [69]

Ptolemæi discipulorum, et Colorbaseorum doctrina.

1. Ὁ Πτολεμαῖος (6), καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλου..... δύο συζύγους τῷ Θεῷ, τῷ παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ, ἐπενόησέ τε καὶ ἐχαρίσατο. Ταύτας δὲ καὶ διάθε-

B 1. Hi vero qui sunt (13) circa Ptolemæum scientiores, duas conjuges habere eum Bython dicunt, quas et dispositiones (14) vocant, Ennœan et Thelesin. Primo enim mente concepit quiddam emit-

BILLII INTERPRETATIO.

primæ ogdoadis complementum. Atque has virtutes Bytho etiam et Sige antiquiores esse volunt, quo videlicet perfectis perfectiores, et Gnosticis eruditiores esse videantur. Ad quos merito quispiam hæc verba usurpare queat : O nugatores sophistæ ! Etenim de ipsomet Bytho multæ variæque apud eos sunt sententiæ. Alii enim conjugis expertem eum esse dicunt, ac nec marem, nec feminam, nec omnino quidquam esse. Alii autem marem simul ac feminam esse asserunt, hermaphroditi videlicet naturam ipsi tribuentes. Alii rursus Sigen ei conjugem adjungunt, ut fiat prima conjugatio.

CAPUT XII.

1. At vero Ptolemæus Bytho, quem illi pro Deo colunt, conjuges duas, quas etiam affectiones vocat, excogitavit, ac dono dedit, Cogitationem scilicet, ac Voluntatem. Primum enim in animum induxit aliquid

[69] Ed. Feu., cap. IV.

(1) *Ἐκ δὲ τῆς Ἀοράτου.* Adde ex vet. interp. et Tertull. τετάρτῳ καὶ ὀγδόῳ τόπῳ.

(2) *Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος.* Lego cum vet. interp. : τοῦτο τὸ Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος, et in his verbis novam constituo periodum. In aliis vero omnibus editt. hæc præcedentem claudunt, et Πλήρωμα refertur ad ἀγέννητον, quasi ἐγέννητος diceretur complementum primæ ogdoadis. Sed id Valentinianorum omnium hypothesi repugnat, qui Pleroma non de uno singulari Æone dicebant, sed ex pluribus constituebant, ut patet ex cap. 1 hujus libri, in ogdoada scilicet, decada, et duodecada. *Pleroma* igitur *primæ ogdoadis* nihil aliud est, in eorum mente, quam Pleroma, qua parte constat prima ogdoade, seu prima ogdoas Pleromatis. Et cum Irenæus hic descriptis ordine et nominibus primæ istius ogdoadis, subjungit, τοῦτο τὸ Πλήρωμα τῆς πρώτης ὀγδοάδος, sensus est : sic primam Pleromatis sui ogdoada constituunt : nam in cæteris partibus, cum reliquis Valentinianis D isti consentiebant.

(3) *Ὦ ληρολόγοι σοφισταί!* Hæc in Gnosticos, qui fœdis libidinibus more belluarum seipsos conspurcabant, apprime conveniunt : πέπονες enim, per translationem, Græci dicunt homines fractos, effeminatos, dissolutos et molles.

(4) *Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἄζυγον λέγουσι.* Confer Tertull. cap. 34.

(5) *Φύσιν.* Γένεσιν legit vetus interp., sed male.

(6) *Ὁ Πτολεμαῖος*, etc. Græca hæc iterum Epiphanio debemus, *Hær.* XXXIII, § 1. Hæc vero verba : οὗτος τοίνυν, etc., usque ad πρῶτον γάρ, quæ resecare Grabio placuit, nos edi curavimus, tum ut Græcorum series habeatur, tum etiam quia licet Irenæi verbis quædam addiderit Epiphanius, illa tamen cum vet. versione collata facile deprehenduntur. Ea duntaxat omisimus, quæ minus C cum Latina versione conveniunt. Nempe quod brevius scripsisse videtur Irenæus, Οἱ δὲ περὶ Πτολεμαῖον ἐμπειρότεροι δύο συζύγους ἔχειν τὸν Βυθὸν λέγουσι, ἃς καὶ διαθέσεις καλοῦσιν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλησιν· hæc paulo fusiori stylo prosecutus est Epiphanius. In hoc tamen lapsus esse videtur Constantiensis episcopus, quod Ptolemæo et discipulis ejus eam sententiam ascribat, quam solis ejusdem Ptolemæi discipulis tribuunt Irenæus et Tertull. Nam paulo aliud erat magistri systema, quod auctor noster fuse descripsit cap. 1 et seq.

(7) *Pleroma hoc primæ ogdoadis.* Has voces tum a præcedenti, tum etiam a sequenti periodo separamus ; nempe in iis solis novam constituimus periodum. Præcedenti junxit Grab., sequenti cæteri ; utrique minus bene.

(8) *Perfectorum perfectiores, et Gnosticorum magis gnostici.* Hellenismus est. Latine vertendum fuisset : *Perfectis perfectiores, et Gnosticis veriores Gnostici.*

(9) *Veri.* Ita hic, et paulo post, Clarom., Arund., Ottobon. et Merc. 1. Reliqui minus recte, *viri.*

(10) *Dicentes esse.* Sic editt. Eras., Gall. et Feuard. cum mss. Ottobon., Arund. et Merc. 2, melius quam mss. Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon., *dicunt.*

(11) *Genesim.* Ex Gr. lege *naturam.*

(12) *Rursus.* Hanc vocem cum Grabio addimus, ex codd. Clarom. et Voss. ac textu Græco.

(13) *Hi vero qui sunt.* His ad verbum Græca non respondent. Sic ferunt : *Ptolemæus cum suis, sapientior iis, quos præceptores habuit,..... Deo, quem illi Bythum appellant, conjuges duas a se inventas attribuit. Has et affectionem vocat, cogitationem videlicet et voluntatem.* Eadem habet Tertull. cap. 35. Vid. not. 6.

(14) *Dispositiones.* Mallem, *affectiones.*

Digitized by Google

tere (1), sicut dicunt, post deinde voluit. Quapropter duobus his affectibus et 57 virtutibus, id est, Ennœas et Theleseos, velut commistis in invicem, emissio Monogenis et Aletheiæ secundum conjugationem facta est. Quos typos et imagines duorum affectuum Patris egressas esse, invisibilium visibiles; Thelematis quidem Nun, Ennœas autem Aletheian : et propter hoc adventitiæ Voluntatis masculus est imago, innatæ vero Ennœæ femininus, quoniam Voluntas velut virtus facta est Ennœæ. Cogitabat enim Ennœa semper emissionem, non tamen et emittere ipsa per semetipsam poterat quæ cogitabat. Cum autem Voluntatis virtus advenit, tunc quod cogitabat, emisit.

2. Non videntur tibi hi (2), o dilectissime, Homerici Jovis (3), propter sollicitudinem non dormientis, sed curæ habentis, quando poterit honoproferre, ac deinde Voluntas, ut ipse inquit, secuta est. Quare duabus hisce affectionibus, vel etiam virtutibus (virtutes enim eas rursus appellat), hoc est, Cogitatione et Voluntate, velut inter se copulatis, Monogenis et Veritatis ortus ex conjugio exstitit : quos quidem visibiles duarum invisibilium Patris affectionum typos et imagines prodisse ait, hoc est, Veritatem Voluntatis, et Nun Cogitationis : ac propterea adveniente Voluntate masculus quidem ingenitæ Cogitationis imago exstitit, femina autem Voluntatis. Itaque voluntas Cogitationis facultas effecta est. Cogitatio etenim productionem illam quidem sibi proponebat : cæterum per se ipsa producere nequibat, quæ cogitabat. Cum autem Voluntatis facultas accessit, tum demum quod cogitabat, in ortum produxit.

2. . . . . Qui simul ut cogitat, etiam perficit hoc, quod voluit :

A σιν (4) ἐκάλεσεν, Ἔννοιάν τε καὶ Θέλημα (5). Πρῶτον γὰρ ἐνενοήθη προβαλεῖν, φησὶν (6), εἶτα ἠθέλησε. Διὸ καὶ τῶν δύο διαθέσεων τούτων, ἢ καὶ δυνάμεων, τῆς Ἐννοίας καὶ τῆς Θελήσεως, ὥστε συγκραθεισῶν εἰς ἀλλήλας, τῇ προβολῇ (7) τοῦ Μονογενοῦς καὶ τῆς Ἀληθείας κατὰ συζυγίαν ἐγένετο· οὔστινας τύπους καὶ εἰκόνας τῶν δύο διαθέσεων τοῦ Πατρὸς προελθεῖν, τῶν ἀοράτων ὁρατάς· τοῦ μὲν Θελήματος (8) τὴν Ἀλήθειαν, τῆς δὲ Ἐννοίας τὸν Νοῦν, καὶ διὰ τούτου (9) τοῦ Θελήματος (10), ὁ μὲν ἄῤῥην εἰκὼν τῆς ἀγεννήτου Ἐννοίας γέγονεν, ὁ δὲ θῆλυς τοῦ Θελήματος· τὸ Θέλημα τοίνυν (11) δύναμις ἐγένετο τῆς Ἐννοίας. Ἐνενόει μὲν γὰρ (12) ἡ Ἔννοια τὴν προβολήν· οὐ μέντοι προβαλεῖν αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ἠδύνατο ἃ ἐνενόει. Ὅτε δὲ ἡ τοῦ Θελήματος δύναμις ἐπεγένετο, τότε ὃ ἐνενόει, προέβαλε.

B 2. . . . . ὃς ἅμα τῷ νοηθῆναι, καὶ ἐπιτετελεκέναι (13) τοῦθ' ὅπερ ἠθέλησε, καὶ ἅμα τῷ θελῆσαι,

BILLII INTERPRETATIO.

(1) *Quiddam emittere.* Sic cod. Pass., alii, *quid emittere.*

(2) *Non videntur tibi,* etc. Græca hujus periodi non retulit Epiphanius, sed sensum duntaxat; eadem cum Irenæo ironia, sed paulo fusius et explicatius Ptolemæum perstringens.

(3) *Homerici Jovis.* Alludit Irenæus ad hunc Homeri locum *Il.* II, v. 1 et seqq. :

Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
Εὗδον παννύχιοι· Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος,
Ἀλλ' ὄγε μερμήριζε κατὰ φρένα, ὡς Ἀχιλῆα
Τιμήσῃ, ὀλέσῃ δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Cæteri quidem tum dii, tum bellicosi homines
Tota nocte dormiebant; hanc vero Jupiter jucundi
expertem somni ducebat,
Anxius nimirum animo secum volutabat, quo pacto
Achilli
Decus afferret, plures vero perderet ad classem
Achivorum.

Plures, inquam, an Achivorum? an Trojanorum? ambiguum ex Eustathio. Priorem sensum secutus est Irenæus.

(4) *Διάθεσιν.* Sic cod. Reg. In editt. omnibus male διαθέσεσιν. Legisse tamen videtur interp. διαθέσεις, in plurali; quod mallem.

(5) *Θέλημα.* Has voces θέλημα et θέλησιν promiscue usurpat Epiphanius. Non mirum ergo, si pro θέλημα sic reddat interpres, *Thelesin.* Sed post eam vocem, θέλημα, hæc addit Epiphanius, quæ in veteri Irenæi interpretatione Latina non occurrunt : καὶ τὴν μὲν Ἔννοιαν ἀεὶ συνυπάρξασαν ἐν αὐτῷ, ἐννοουμένην ἀείχτό τι προβάλλεσθαι, τὸ δὲ θέλημα ἐν αὐτῷ ἐπιγινόμενον. *Et cogitatio quidem in illo nunquam non exstitit, semper cogitans aliquid producere : voluntas vero ipsi postmodum accessit.* An vero ista Irenæi sint, an Epiphanii, nemo facile dixerit.

(6) *Φησὶν.* Scripsit Irenæus φασὶν, vel ὡς C φασιν, quia de Ptolemæi discipulis; Epiphanius vero φησὶν, quia de Ptolemæo ipso in singulari loquitur.

(7) *Τῇ προβολῇ.* Lege cum interprete, ἡ προβολή.

(8) *Τοῦ μὲν Θελήματος,* etc. Hæc perverso ordine apud Epiphanium scripta esse bene monet Grab. Sic itaque cum vet. interp. legendum est : Τοῦ μὲν Θελήματος τὸν Νοῦν, τῆς δὲ Ἐννοίας τὴν Ἀλήθειαν. Cæterum hoc loco Νοῦν eumdem esse atque Μονογενῆ, nihil necesse est moneamus.

(9) *Διὰ τούτου.* Lege cum interp. διὰ τοῦτο, tum adde cum eodem, τοῦ ἐπιγινομένου θελήματος. Vertit enim, *propter hoc adventitiæ voluntatis.*

(10) *Τοῦ Θελήματος..... ὁ δὲ θῆλυς τοῦ Θελήματος.* Depravatum hunc locum ita cum doctissimo Grabio ex veteri interpretatione restitue : τοῦ ἐπιγινομένου Θελήματος ὁ μὲν ἄῤῥην εἰκὼν γέγονεν, ὁ δὲ θῆλυς τῆς ἀγεννήτου Ἐννοίας. Ac proinde expunge postremum illud, τοῦ θελήματος. Ita restituendum D esse mox subdita demonstrat ratio : *Quoniam voluntas velut virtus facta est Ennœæ.* Demonstrat et Tertull. c. 33 : *Ad imaginem quidem cogitationis, feminam Veritatem : ad imaginem voluntatis, marem Monogenem.* Tum hanc continuo rationem addit : *voluntatis enim vis, uti quæ effectum præstat cogitationi, maris obtinet censum.* Masculum proinde semen ad imaginem voluntatis, femininum vero ad imaginem cogitationis factum est.

(11) *Τὸ Θέλημα τοίνυν.* Delendum vult Grabius τοίνυν, et pro eo legendum, ὅτι τὸ θέλημα, sed frustra : hæc enim Græca periodus, prout nunc legitur, rectum efficit sensum, nec a versione Latina discrepat : nisi quod interpres, hujus connectendæ gratia cum præcedenti, addidit particulam *quoniam.* Hic tamen præterea pro δύναμις, legisse videtur, ὡς δύναμις, vel ὡσεὶ δύναμις.

(12) *Ἐνενόει μὲν γάρ.* Adde cum interprete ἀεί.

(13) *Ἐπιτετελεκέναι.* Legendum vult Petavius, ἐπιτετέλεκε, mallem ἐπιτελεῖ, ut legit interpres.

Digitized by Google

καὶ ἐννοεῖται τοῦθ' ἕπερ καὶ ἠθέλησε, τοῦτο ἐννοούμενος δ καὶ (1) θέλει, καὶ τότε θέλων, ὅτε ἐννοεῖται, ὅλος ἔννοια ὢν, ὅλος θέλημα, ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς (2), ὅλος ὀφθαλμὸς, ὅλος ἀκοή, ὅλος πηγὴ πάντων τῶν ἀγαθῶν.

A rare Achillem, et multos perdere (7) Græcorum, apprehensionem habuisse magis, quam ejus, qui est universorum Deus. Qui simul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit : et simul ac voluit, et cogitat hoc quod voluit : tunc cogitans cum vult, et tunc volens cum cogitat : cum sit totus cogitatus, et totus sensus, et totus oculus, et totus auditus, et totus fons omnium bonorum.

3. . . . . .
. . . . . τὴν πρώτην ὀγδοάδα (3), οὐ καθ' ὑπόβασιν ἄλλον ὑπὸ ἄλλου Αἰῶνα προβεβλῆσθαι (4), ἀλλ' ὁμοῦ καὶ εἰσάπαξ τὴν τῶν ἓξ Αἰώνων προβολὴν ὑπὸ τοῦ Προπάτορος καὶ Ἐννοίας αὐτοῦ τετέχθαι, ὡς αὐτὸς μαιωσάμενος διαβεβαιοῦται (5). Καὶ οὐκέτι ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς (6) Ἄνθρωπον καὶ

3. Qui autem prudentiores putantur illorum (8) esse, primam octonationem non gradatim, alterum ab altero Æonem emissum dicunt, sed simul et in **58** unum Æonum (9) emissionem a Propatore, et Ennœa ejus, cum crearentur (10), ipsi se obstetricasse affirmant (11). Et jam non ex Logo et Zoe Anthropon et Ecclesiam, sed ex Authropo et Ecclesia

BILLII INTERPRETATIO.

et simul ut vult, etiam hoc cogitat, quod voluit : tum cogitans cum vult, et tum volens cum cogitat : cum totus sit cogitatus, totus mens, totus lux, totus oculus, totus auditus, totus fons omnium bonorum.
3. . . . . primam Æonum ogdoadem non gradatim ita productam esse, ut alius ex alio fluxerit : verum simul et confertim omnes Æonas a Propatore et Cogitatione sua procreatos esse non minus certo asseverat, quam si ipse obstetricis munere functus fuisset. Ac jam non ex Sermone et Vita Hominem et Ecclesiam, nec ex Homine et Ecclesia, ut aliis placet, Sermonem et Vitam procreatos esse ipse cum suis sit : verum alio modo id ita refert : Quod Propator emittere cogita-

(1) *Τοῦτο ἐννοούμενος, δ καὶ.* Legit interpres, τότε ἐννοούμενος, ὅτε, etc.

(2) *Ὅλος θέλημα,.... ὅλος φῶς.* Has voces vel addidit Epiphanius, vel omisit interpres. Posteriores quidem exstant lib. II, cap. 12 n. 3, et 28, n. 5, ubi locum hunc fere repetit Irenæus ; sed non priores. At vicissim plura alia illic addit auctor noster, quæ hic non leguntur. Cæterum ὅλος φῶς male omittuntur in edit. Oxon.

(3) *Τὴν πρώτην ὀγδοάδα.* Hæc ex Epiph. *Hær.* XXXV, § 1, excerpta sunt, ubi pro his Irenæi verbis, *qui autem prudentiores illorum putantur esse*, solum habet episcopus Constantiensis : λέγει γὰρ (ὁ Κολόρβασος) τὴν πρώτην ὀγδοάδα, etc. ; unde discimus hæc esse Colorbasi dogmata, quæ tacito auctoris nomine perstringunt Irenæus et Tertull. cap. 56. Eadem Colorbasiis attribuit Theodoret. lib. I *Hær. fab.*, c. 12.

(4) *Αἰῶνα προβεβλῆσθαι.* Hæc perperam omisit editor Oxoniensis.

(5) *Τετέχθαι, ὡς αὐτὸς μαιωσάμενος διαβεβαιοῦται.* Ex vet. interpretatione liquet Irenæum scripsisse, ἐν τῷ τετέχθαι αὐτοὺς, αὐτοὶ μαιώσασθαι διαβεβαιοῦνται. Sed hanc metaphoram ironicam tantillum emollire Epiphanio visum fuit.

(6) *Οὐκέτι ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς*, etc. Hic corrupta sunt Græca. Sic ex veteri interprete restituenda censerem : Οὐκέτι ἐκ Λόγου καὶ Ζωῆς Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν, ὡς οἱ ἄλλοι, ἀλλ' ἐξ Ἀνθρώπου καὶ Ἐκκλησίας Λόγον καὶ Ζωὴν φασι τετέχθαι αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ. Ἀλλὰ ἑτέρῳ τρόπῳ τοῦτο λέγουσιν, etc. Superius enim ex Irenæo observavimus, Gnosticos fuisse Valentinianorum parentes ; ab illis hos tres syzygias aperte sumpsisse, sive furatos esse ; neque id male tulisse Gnosticos : sed mali furti eos accusasse, quod syzygiam *Hominis* et *Ecclesiæ* post illam *Verbi* et *Vitæ* posuissent, quod absurdum existimabant. Unde post Valentinum multi ejus discipuli, ac in primis Colorbasii, a Gnosticis admoniti, magistri sui ordinem immutarunt, et *Hominem* et *Ecclesiam* ante *Verbum* et *Vitam* posuerunt. *De eo autem*, inquit Irenæus lib. II, c. 13, n. 10, *quæ est ex his, secunda emissione Hominis et Ecclesiæ, ipsi patres eorum falso cognominati Gnostici pugnant adversus invicem, sua propria vindicantes, et malos fures semetipsos convincentes, aptabile esse magis emissioni dicentes, uti verisimile, ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem emissum, et esse Hominem Verbo anteriorem.* In hoc igitur Colorbasii cæteris Valentinianis opponebantur, quod hi, ut constat ex lib. I, c. 1, in posteriori tetrade ex *Logo* et *Zoe* emissam secundam conjugationem, *Hominem* scilicet et *Ecclesiam*, vellent : isti vero contra, inverso ordine, ex *Anthropo* et *Ecclesia Logon* et *Zoen*. Hinc paulo post subdit Irenæus : *Locutus est Anthropos Logon : hic est primogenitus Filius. Subsequitur autem Logon Zoe.* Porro nihil necesse est moneam, Epiphanium, hic majoris explicationis causa, pauca quædam Irenæi verbis addidisse, ut ὡς οἱ ἄλλοι, αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ, καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ, etc.

(7) *Perdere.* Codd. Clarom., Pass. et Voss. *prodere.* Sed vera lectio est *perdere*, ut ex Homero liquet.

(8) *Prudentiores illorum.* Græcismus, pro *prudentiores illis.*

(9) *Æonum.* Scite monet Fronto Duc. legendum esse, *sex Æonum*, quod quidem haud advertit Billius, dum vertit, *omnes Æonas.* Sic enim Græce Epiphanius, τὴν τῶν ἓξ Αἰώνων προβολήν. Tertullianus quidem *octojugem* nominat : sed quia parentes numerat cum liberis. Addit vir eruditus multa hic esse ἀναχόλουθα, si ad Græcorum sententiam examinentur. Hanc longe accuratius sic exprimere potuisset interpres : *Dicunt primam ogdoadem non gradatim ita productam esse, ut alius ex alio Æon fluxerit : verum sex Æonum emissionem simul et semel a Propatore, et cogitatione ejus factam esse non minus certo asseverant, quam si, dum ederentur, ipsi obstetricis munere functi fuissent.* In hoc duntaxat ea versio, quam auctoris nostri menti consentaneam existimo, discrepat a textu Græco, quod Epiphanius de Colorbaso in singulari, Irenæus vero de Colorbasiis in plurali sermonem faciat.

(10) *Cum crearentur.* Feuardent. *cumque crearentur.*

(11) *Ipsi se obstetricasse affirmant.* Diutius suspicatus sum, ex Græco legendum esse, *ipsi quasi obstetricassent, affirmant*, cum maxime lib. II, cap. 28, n. 6, eadem phrasi utatur auctor noster : *hunc, quasi ipsi obstetricaverint, enuntiant.* Sed cum incidissem in lib. IV, cap. 33, n. 3, ubi Valentinianos deridendo iis exprobrat, quod Christi *emissionem...*, *semetipsos obstetricatos esse affirmant ;* non dubitavi quin iisdem saltibus, iisdem verbis Colorbaseos hic, quod cæteros Æones spectat, delricuerit. Quare vera lectio est, quam modo exhibet textus Latinus, et ab Irenæi verbis nonnihil deflexit Epiphanius.

Digitized by Google

Logon et Zoen dicunt generatos, in hunc modum dicentes: Quando cogitavit aliquid emittere (1) Propator, hoc Pater vocatus est; at ubi quæ emisit vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est (2). Cum ergo voluit (3) semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quos autem præcogitaverat, postea-quam emisit (4), hoc Ecclesia vocata est. Locutus est (5) Anthropos Logon, hic est primogenitus (6) filius. Subsequitur autem Logon Zoe; et sic prima octonatio completa est.

4. [60] Multa autem pugna apud eos, etiam de Salvatore. Quidam enim eum ex omnibus generatum dicunt, quapropter Beneplacitum vocari, quoniam universum Pleroma bene sensit (7) per eum glorificare Patrem. Alii autem ex solis decem Æonibus, qui sunt a Logo et 59 Zoe emissi (8); et propter hoc Logon et Zoen dici eum, parentum nomina custodientem. Alii autem ex duodecim Æonibus his, qui sunt ab Anthropo et Ecclesia facti : et propter hoc filium hominis se confiteri, velut postgenitum (9) Anthropi. Alii a Christo et Spiritu sancto, iis (10) qui ad firmamentum Pleromatis emissi sunt,

Ἐκκλησίαν, καὶ ἐξ Ἀνθρώπου, ὡς οἱ ἄλλοι, καὶ Ἐκκλησίας Λόγον καὶ Ζωὴν φασι τετέχθαι, αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ· ἀλλὰ ἑτέρῳ τρόπῳ τοῦτο λέγουσιν. Ὅτι ὅπερ ἐνενοήθη προβαλεῖν ὁ Προπάτωρ, τοῦτο Πατὴρ ἐκλήθη. Ἐπεὶ δὲ ὃ προεβάλετο ἀλήθεια ἦν (11), τοῦτο Ἀλήθεια ὠνομάσθη. Ὅτε οὖν ἠθέλησεν ἐπιδεῖξαι αὐτὸν (12), τοῦτο Ἄνθρωπος ἐλέχθη. Οὓς δὲ προελογίσατο ὅτε προέβαλε, τοῦτο Ἐκκλησία ὠνομάσθη. Καὶ ὁ Ἄνθρωπος τὸν Λόγον (13)· οὗτός ἐστιν ὁ πρωτότοκος υἱός. Ἐπακολουθεῖ δὲ τῷ Λόγῳ καὶ ἡ Ζωή· καὶ οὕτως πρώτη ὀγδοὰς συνετελέσθη.

4. Πολλὴ δὲ μάχη παρ' αὐτοῖς καὶ περὶ τοῦ Σωτῆρος. Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐκ πάντων γεγονέναι λέγουσι· διὸ καὶ Εὐδοκητὸν καλεῖσθαι, ὅτι πᾶν τὸ Πλήρωμα ηὐδόκησεν (14)· οἱ δὲ ἐκ μόνων τῶν δέκα Αἰώνων, τῶν ἀπὸ Λόγου καὶ Ζωῆς, προβεβλῆσθαι αὐτὸν λέγουσι (15), τὰ προγονικὰ ὀνόματα [τὰ] (16) διασώζοντα. Οἱ δὲ ἐκ τῶν δεκαδύο Αἰώνων, τῶν ἐκ τοῦ Ἀνθρώπου καὶ Ζωῆς (17) γενομένων· καὶ διὰ τοῦτο υἱὸν ἀνθρώπου ὁμολογεῖ (18), ὡσανεὶ ἀπόγονον Ἀνθρώπου. Οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἰς στήριγμα (19) τοῦ Πληρώματος, γεγονέναι λέγουσιν αὐτόν· καὶ διὰ τοῦτο Χριστὸν λέγεσθαι

BILLII INTERPRETATIO.

vit, hoc Patris nomen accepit. Quoniam autem id, quod produxit, verum erat, hoc Veritas appellatum est. Porro cum seipsum ostendere voluit, hoc Homo dictum est. Denique postquam eos, quos ante cogitaverat, protulit, hoc Ecclesia nuncupatum est. Locutus est Homo Sermonem : hic est primogenitus filius. Sermonem Vita consecuta est; ita ogdoas prima confecta et absoluta est.

4. Quin de Salvatore quoque non parva inter eos pugna est. Sunt enim, qui eum ex omnibus ortum esse dicant : eaque etiam ratione Eudocetum ipsum nuncupant, quod videlicet universo Pleromati Patris gloriam per eum illustrare placuerit. Sunt item, qui eum ex solis iis decem Æonibus, quos Sermo et Vita in lucem extulerunt, productum fuisse tradant : ob eamque causam Sermonem et Vitam ipsum appellari, avita videlicet nomina retinentem. Alii rursus cum ex duodecim illis Æonibus, qui ex Homine et Ecclesia exstiterunt, ortum esse malunt : hincque fieri, ut ipsemet sese filium hominis confiteatur,

[60] Edit. Feuard.. cap. VII.

(1) *Quando cogitavit aliquid emittere.* Ita Clarom., Pass. et Voss. In Arund. et Merc. 2 deest *cogitavit*, ut et in edit. Erasmi, qui idcirco ad marginem notavit, forte addendum esse *voluit*, quod Gall. et Feuard. inde textui inseruerunt. Fert textus Græcus : *quod cogitavit emittere Propator.*

(2) *Hoc Alethia vocatum est.* Hinc emendandus videtur Tertulliani textus cap. 36, et pro, *hic veritas appellata est*, legendum, *hoc veritas appellata est;* ubi antea scripsit, *hoc Pater dictus est;* et postea, *hoc Homo pronuntiatus est.*

(3) *Cum ergo voluit.* Sic codd. Clarom., Pass. et Voss. juxta Græcum, ὅτε οὖν. In cæteris, *cum autem.*

(4) *Quos autem præcogitaverat, postquam emisit.* Vertendum erat : *quos autem præcogitavit, cum emisit.* Sic Tertullian. *quos autem præcogitavit, cum protulit.*

(5) *Locutus est.* Deest in codd. Clarom. et Voss. Hinc Grabii animum subiit suspicio, vet. interpretem nullum in Græco Irenæi textu verbum legisse. Sed, doctissimi viri pace, infirma omnino suspicio. Longe probabilius videtur, omissionem verbi hujus, quod cum apud Tertull. tum in cæteris omnibus Irenæi codd. tum mss. tum editis legitur, duorum scribarum oscitantiæ ascribendam esse.

(6) *Hic est primogenitus.* Codd. Clarom. et Voss. *hoc est primogenitus.* Sed in Græco, οὗτος, non τοῦτο.

(7) *Pleroma bene sensit.* Melius vertisset interpres, *Pleromati placuit.*

(8) *Et Zoen emissi.* Adde ex Græco, *productum illum fuisse dicunt.*

(9) *Postgenitum.* Vertendum erat, *nepotem.*

(10) *Iis.* Ita reposuit Feuardentius monitus, ut ipse dicit, a Pamelio in Tertull. et Frontone Duc. In Erasmi autem et Gallas. editt. et in omnibus prorsus mss. legitur *eorum.* Unde conjicit Grabius, sic ipsum scripsisse interpretem ex Græco τῶν, haud advertentem, Latinam constructionem ablativum postulare.

(11) *Ὃ προεβάλετο ἀλήθεια ἦν.* Legendum vult Fronto Duc. ἃ προεβάλετο ἀληθῆ ἦν. Sic quidem legisse veterem interp. et Tertullianum c. 36, negari non potest. Legere tamen sufficiat, ὃ προεβάλετο ἀληθὲς ἦν, quamvis et vulgatam lectionem cum Petavio retinere nihil impediat.

(12) *Αὐτόν.* Lege cum interp. ἑαυτόν. Interpreti consentit Tertullianus cap. cit. *Cum voluit semetipsum probari, hoc Homo pronuntiatus est.*

(13) *Καὶ ὁ Ἄνθρωπος τὸν Λόγον.* Adde ex interpr. ἐλάλησεν. Tertullian. *Sonuit Homo Sermonem.*

(14) *Ηὐδόκησεν.* Adde ex interprete et Theodoreto lib. I *Hær. fab.*, c. 12 : δι' αὐτοῦ δοξάσαι τὸν Πατέρα, quæ verba omisit oscitans scriba.

(15) *Αὐτὸν λέγουσι.* Adde iterum ex interp. καὶ διὰ τοῦτο Λόγον καὶ Ζωὴν λέγεσθαι αὐτόν.

(16) *Ὀνόματα τά.* Dele τά, ultima syllaba est nominis præcedentis scribæ negligentia repetita.

(17) *Καὶ Ζωῆς.* Pro Ζωῆς lege cum interpr. et Tertull. Ἐκκλησίας.

(18) *Ὁμολογεῖ.* Lege cum interpr. ἑαυτὸν ὁμολογεῖν.

(19) *Εἰς στήριγμα.* etc. Legendum esse cum interprete, τῶν εἰς στήριγμα τοῦ Πληρώματος προβεβλημένων, bene monent Billius et Fronto Duc. Lectionem hanc confirmat Tertullian. c. 39 scribens :

Digitized by Google

αὐτὸν, τὴν τοῦ Πατρὸς, ἀφ' οὗ προεβλήθη, διασώζοντα προσηγορίαν (1). Ἄλλοι δὲ, ὡς εἰπεῖν, τινὲς ἐξ αὐτῶν ῥαψῳδοὶ (2) τὸν Προπάτορα τῶν ὅλων, καὶ Προαρχὴν, καὶ Προανεννόητον, Ἄνθρωπον (3) λέγουσι καλεῖσθαι· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ μέγα καὶ ἀπόκρυφον μυστήριον, ὅτι ἡ ὑπὲρ τὰ ὅλα δύναμις καὶ ἐμπεριεκτικὴ τῶν πάντων Ἄνθρωπος καλεῖται· καὶ διὰ τοῦτο υἱὸν ἀνθρώπου ἑαυτὸν λέγειν τὸν Σωτῆρα.

A factum eum dicunt, et propter hoc Christum vocari eum dicunt, Patris sui, a quo emissus est, custodientem appellationem. Alii autem sunt, qui ipsum Propatorem omnium, et Proarchen, et Proanennoeton, Anthropon dicunt vocari : et hoc esse magnum et absconditum mysterium, quoniam quæ est super omnia virtus, et continet omnia, Anthropos vocatur : et ideo hoc (6) filium hominis se dicere Salvatorem.

CAPUT XIII [61].

De Marci præstigiis et nefariis artibus.

1. Μάρκος δέ τις (4)... ἀπὸ τούτων ὁρμώμενος, καὶ παρὰ τούτων τολμήσας .. γύναια καὶ ἄνδρας ὑπ' αὐτοῦ πεπλανημένα τε καὶ πεπλανημένους ἐπηγάγετο, ὑποληφθεὶς ὁ ἐλεεινὸς διορθωτὴς εἶναι τῶν προειρημένων ἀπατεώνων, μαγικῆς ὑπάρχων κυβείας ἐμπειρότατος, ἀπατήσας δὲ τοὺς προειρημένους πάντας καὶ τὰς προειρημένας, προσέχειν αὐτῷ (5), ὡς γνωστικωτάτῳ, καὶ δύναμιν τὴν μεγίστην ἀπὸ τῶν

B Alius vero quidam ex iis, qui sunt apud eos, magistri emendatorem (7) se esse glorians (Marcus est autem illi nomen), magicæ imposturæ peritissimus, per quam et viros multos, et non paucas feminas seducens, ad se converti (8), velut ad scientissimum, et perfectissimum (9) **60**, et virtutem maximam ab invisibilibus, et ab inenarrabilibus locis (10) habentem, fecit, præcursor quasi vere exsistens

BILLII INTERPRETATIO.

tanquam Hominis nepotem. Alii præterea eum Christi et Spiritus sancti, qui fulciendi Pleromatis causa producti sunt, sobolem esse malunt : ob idque Christum eum dici, parentis nimirum illius, ex quo productus est, nomen servantem. Non etiam desunt, qui omnium Propatorem, et Proarchen, et Proanennoeton, Hominem vocari asserant : et hoc esse magnum illud et abstrusum sacramentum, nempe quod vis illa, quæ omnia superat, complexuque suo continet, Homo appellatur : eamque esse causam, cur Salvator filium Hominis se dicat.

CAPUT XIII.

1. Jam vero Marcus quidam, non paucos utriusque generis homines, in errorem abductos, ad se illexit : quippe qui miserum illum eorum, de quibus ante verba fecimus, impostorum emendatorem esse

[61] Edit. Feuard., cap. VIII.

Alii a Christo et Spiritu sancto, constabiliendæ universitati provisis, confictum. Et revera superius cap. 11, ex Valentinianorum hypothesi docuit Irenæus, non Salvatorem, sed Christum et Spiritum sanctum εἰς πῆξιν καὶ στηριγμὸν τοῦ Πληρώματος emissos fuisse. Sed jam a quinto sæculo eodem vitio, quo jam laborat Epiphanii textus, laborasse et Irenæi codices, ex eo patet, quod Theodoretus loco cit. eodem prorsus modo legit et scripsit, atque nunc apud Epiphanium legimus. Unde subit suspicio Epiphanium ipsum, mendosis usum codicibus, vitiose scripsisse.

(1) *Τὴν τοῦ Πατρὸς.... διασώζοντα προσηγορίαν.* Clarius Theodoretus : τῇ τοῦ Πατρὸς αὐτὸν προσηγορίᾳ καλεῖσθαι Χριστόν, *Patris nomine Christum eum appellari.*

(2) *Ὡς εἰπεῖν ῥαψῳδοί.* Hæc addidisse videtur Epiphanius; neque enim vel apud interpretem, vel apud Tertull. leguntur.

(3) *Ἄνθρωπον.* Fallor, inquit hic Grabius, an Anthropiani inde dicti sint, quorum solus, quod ego sciam, S. Cyprianus epist. 73 (edit. Oxon.) meminit, eos cum Patripassianis et Valentinianis conjungens. At doctissimo viro procul dubio exciderat, Lactantium sub finem lib. IV *De vera sapientia*, pag. 407 edit. Oxon. an. 1684, conceptis verbis meminisse Anthropianorum, quos Novatianis, Valentinianis et Marcionitis subnectit. Ex Cypriani vero verbis id unum colligi potest, Anthropianos fuisse hæreticos, qui nec eumdem Patrem, nec eumdem Filium nobiscum confiterentur : ex Lactantio vero, eos Jesum Christum merum hominem esse sensisse : quæ si Grabii conjecturam non firmant, saltem non infirmant

(4) *Μάρκος δέ τις.* Verba sunt Epiphanii *Hær.* XXXIV, § 1. Quamvis autem hic episcopus Constantiensis plura Irenæi verbis addiderit, illiusque textus paulo magis ab illo episcopi Lugdunensis discrepet; operæ tamen pretium duximus Græca hæc (omissa in edit. Oxon.) e regione antiquæ Irenæi versionis apponere, tum quod ab auctoris nostri sensu non recesserit, imo non pauca ejusdem verba retinuerit Epiphanius; tum quod ex Græcis illustrari interdum possint Latina.

(5) *Προσέχειν αὐτῷ.* Desideratur hic aliquod verbum, forte ἐποίησε. Scribit enim Irenæi interpres, *ad se converti fecit;* sic enim legendum, non *convertit.*

(6) *Et ideo hoc.* I. e. *propter hoc.* Mallem tamen deleri *hoc*, utpote superfluum.

(7) *Emendatorem.* Clarom. *commendatorem.* Sed repugnat Græca vox διορθωτής, qua utitur Epiphanius.

(8) *Ad se converti.* Sic restituimus, juxta Græcum προσέχειν, sicque restituendum esse dudum monuerat Fronto Duc. In omnibus quidem cum edit. tum mss. legitur, *convertit :* sed tam manifesto scribarum errato, ut mirum sit id a Feuardentio, vel Grabio emendatum non fuisse.

(9) *Et perfectissimum.* Deest in codd. Clarom. et Voss. nec quidquam est in Græco Epiphanii textu, quod huic respondeat.

(10) *Et ab inenarrabilibus locis.* Ita recte Feuard. consent. Clarom., Pass., Voss. et Græco Epiphan. textu. In mss. autem Arund. et Merc. 2, æque ac in edit. Eras. et Gall. tribus prioribus vocibus omissis, pro *locis*, perperam legitur *logis.*

Digitized by Google

Antichristi. Anaxilai enim ludicra (1) cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiscens, per hæc virtutes perficere putatur apud eos, qui sensum non habent, et a mente sua excesserunt.

A ἀοράτων καὶ ἀκατονομάστων τόπων ἔχοντι, ὡς πρόδρομος ὢν ἀληθῶς τοῦ Ἀντιχρίστου ἀποδέδεικται. Τὰ γὰρ Ἀναξιλάου παίγνια τῇ τῶν λεγομένων μάγων πανουργίᾳ συμμίξας, δι' αὐτῶν φαντάζων τε καὶ μαγεύων, εἰς ἔκπληξιν τοὺς ὁρῶντάς τε καὶ πειθομένους αὐτῷ περιέβαλεν ... οἱ δὲ τὰ ἀπὸ περιεργίας ὁρῶντες, δοκοῦσι δυνάμεις τινὰς ἐν χερσὶν αὐτοῦ ἐπιτελεῖσθαι.... Τὸν γὰρ νοῦν καὶ αὐτοὶ ἀπολέσαντες, οὐχ ὁρῶσι μὴ γινώσκοντες δοκιμάσαι, ὅτι ἀπὸ μαγείας ἡ σύστασις τοῦ παρ' αὐτοῦ παιγνίου, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐπιτελεῖται.

2. [a] Pro calice enim vino misto (2) fingens se gratias agere, et in multum extendens sermonem invocationis, purpureum et rubicundum apparere facit (3); ut putetur ea Gratia ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus : et valde concupiscere (4) præsentes ex illo gustare poculo, ut et in eos stillet quæ per magum hunc vocatur (5) Gratia. Rursus mulieribus dans calices mistos, ipsas

2. Ποτήρια (6) οἴνῳ κεκραμένα (7) προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ (8)· ὡς δοκεῖν τὴν ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὰ ὅλα Χάριν (9) τὸ αἷμα τὸ ἑαυτῆς στάζειν ἐν τῷ ἐκείνῳ ποτηρίῳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως αὐτοῦ, καὶ ὑπερμείρεσθαι τοὺς παρόντας ἐξ ἐκείνου γεύσασθαι τοῦ πόματος, ἵνα καὶ εἰς αὐτοὺς ἐπομβρήσῃ ἡ διὰ τοῦ μάγου τούB του κληζομένη Χάρις. Πάλιν δὲ γυναιξὶν ἐπιδοὺς

BILLII INTERPRETATIO.

ducerent, cum magicarum præstigiarum peritissimus esset. His itaque, quos in fraudem induxerat, persuasit, ut totos sese ad eum converterent, velut ad hominem singulari quadam scientia præditum, vimque maximam ab iis locis, qui nec oculis cerni, nec ullo nomine exprimi possunt, consecutum : vereque præcursorem Antichristi se præstitit. Anaxilai enim ludicra, cum magorum (sic enim appellantur) versutia conjungens, mirifica quædam edere censetur.

2. Pocula vino mista fingens se consecrare, atque invocationis verba in longius protendens, efficit ut purpurea et rubicunda appareant, existimeturque Gratia ab iis, quæ supra omnia sunt, sanguinem suum per ipsius invocationem in poculum illud stillare; gestiantque ii, qui adsunt, ex ea potione gustare, ut etiam in ipsos Gratia ea, quæ per hunc magum prædicatur, influat. Rursus mulieribus pocula mista por-

[a] Cap. IX.

(1) *Anaxilai enim ludicra.* Anaxilai exstitere plures. Nam præter Anaxilaum, seu Anaxilam Messenium, Rheginorum tyrannum, cujus meminere Pausanias in *Messen.*, Justinus lib. IV, et Macrob. *Saturn.* I, 2, fuit Anaxilaus historicus, cujus mentionem facit Dionysius Halicarn. initio *Antiq. Rom.* Alius fuit Anaxilaus comicus, cujus fabulas plurimas citat Athenæus, qui Anaxilas dicitur Suidæ et Etymologo. Alius denique fuit Anaxilaus medicus, quem laudat Plinius pluribus in locis. Hunc ipsum esse, de quo hic Epiphanius et Irenæus, haud improbabile videbitur ei, qui utriusque verba contulerit cum iis, quæ de illo refert Plinius lib. XXV, cap. 15. *Lusit*, inquit, *et Anaxilaus eo* (*sulphure*, de quo ibi sermo est) *candens in calice novo, prunaque subdita circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conviviis* (*conviviis* hic dictum pro *convivis*). Ludendi siquidem verbum, quo Plinius utitur, optime convenit cum Irenæi *ludicris*, et Epiphanii παιγνίοις, apprimeque quadrat ad magorum præstigias. Nam ludorum et ludicrorum vox in hac arte propria est. Hinc Minutius Felix, de magis : *Quidquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt.* Deinde quemadmodum Anaxilaus, ut ex Plinii verbis liquet; sic et Marcus ejus imitator, poculo ad magicas imposturas utebatur : adeo ut alter cum altero maximam habeat affinitatem. Scripsisse autem videtur iste Anaxilaus de rebus naturalibus, vel, ut existimat Petavius, de arcanis quibusdam ac miris naturæ operibus, ut ex Plinio colligere licet lib. XIX, c. 1; lib. XXVIII, c. 2; lib. XXX, c. 8.

(2) *Pro calice enim vino misto*, etc. Vertere debuisset interpres : *Calicem enim vino mistum fingens se consecrare. Consecrare*, inquam, *non gratias agere* (quomodo et paulo inferius εὐχαριστεῖν iterum redditur); hic enim non de gratiarum actione simpliciter, sed de ipso Eucharistiæ sacrificio, a Marco utcunque adumbrato, agitur.

(3) *Apparere facit. Poculum* addidit Feuard.; nos expungimus, quia deest ea vox omnibus cum edi-

C tis, tum manu exaratis codicibus, et in textu Græco. Satis subintelligitur.

(4) *Concupiscere.* Vertendum erat, *concupiscant.*

(5) *Vocatur.* Pro *invocatur.* Sic Horat. lib. I, od. 2 :

Quem vocet dirum populus ruentis
Imperî rebus?

(6) *Ποτήρια.* Hic ex professo Irenæi verba exscribit Epiphanius, et ut ipse loquitur, πρὸς ἔπος, *ad verbum*, *Hær.* cit. § 2 et seqq. Videtur autem interpres legisse, ποτήριον οἴνῳ κεκραμένον, etc.

(7) *Κεκραμένα.* Vult Petavius distinctionem post hanc vocem apponendam esse, ut ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα, non cum verbo εὐχαριστεῖν, sed cum sequenti ἀναφαίνεσθαι construantur. Sed malim ego illas voces cum εὐχαριστεῖν construi, quam cum ἀναφαίνεσθαι. Nam hic εὐχαριστεῖν significat *consecrare*, ut recte vertit Billius, non *gratias agere.* Vide Dissertationem nostram III, § 7, init., ubi fusius

D expendimus quæ hic de Eucharistia tractat Irenæus.

(8) *Πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ.* Observat Feuardentius tria Marci præstigiarum exempla hic ab Irenæo subnecti. Primum paulo clarius explicat Nicetas Choniates lib. IV *Thesauri*, cap. 6 : *Ille, ut divus Irenæus auctor est, vitrea quædam albi coloris pocula præparabat : deinde carmine, nescio quo, usus, confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in cæruleum convertebat.* Postea confutans istas præstigias addit : *Præsentium oculos fascinabat, efficiebatque ut ea, quæ conspicerentur, contra se habere viderentur, quam eorum natura ferret. Nec enim pellucida vasorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuisset*, etc. Secundum autem erat, dum ex minore poculo, quod seductis mulierculis porrexerat, multo majus, quod ipse tenebat, adeo explebatur, ut etiam ex ipso supereffundi putarent. Postremum, quando deliria, quæ palpitantes et stupentes effutiebant, vaticinia esse sibi persuadebant.

(9) *Χάριν.* Non improbabile censuerim cum Grabio, per τὴν Χάριν Marcum intellexisse conjugem

Digitized by Google

ἐκπώματα κεκραμένα, αὐτὰς εὐχαριστεῖν ἐγκελεύεται, παρεστῶτος αὐτοῦ. Καὶ τούτου γενομένου, αὐτὴς ἄλλο ποτήριον πολλῷ μεῖζον ἐκείνου, οὗ ἡ ἐξηπατημένη εὐχαρίστησε, προσενεγκών (1), καὶ μετακενώσας ἀπὸ τοῦ μικροτέρου, τοῦ ὑπὸ τῆς γυναικὸς ηὐχαριστημένου, εἰς τὸ ὑπ' αὐτοῦ κεκοσμημένον (2), ἐπιλέγων ἅμα οὕτως· *Ἡ πρὸ τῶν ὅλων, ἡ ἀνεννόητος καὶ ἄῤῥητος Χάρις πληρώσαι σου τὸν ἔσω ἄνθρωπον, καὶ πληθύναι ἐν σοὶ τὴν γνῶσιν αὐτῆς, ἐγκατασπείρουσα τὸν κόκκον τοῦ σινάπεως εἰς τὴν ἀγαθὴν γῆν.* Καὶ τοιαῦτά τινα εἰπών, καὶ ἐξοιστρήσας τὴν ταλαίπωρον, θαυματοποιὸς ἀνεφάνη, τοῦ μεγάλου πληρωθέντος ἐκ τοῦ μικροῦ ποτηρίου, ὥστε καὶ ὑπερεκχεῖσθαι ἐξ αὐτοῦ. Καὶ ἄλλα τινὰ τούτοις παραπλήσια ποιῶν, ἐξηπάτησε πολλοὺς, καὶ ἀπαγήοχεν ὀπίσω αὐτοῦ.

A

B

3. Εἰκὸς δὲ αὐτὸν καὶ δαίμονά τινα πάρεδρον (3) ἔχειν, δι' οὗ αὐτός τε προφητεύειν δοκεῖ, καὶ ὅσας ἀξίας ἡγεῖται μετόχους τῆς Χάριτος αὐτοῦ, προφητεύειν ποιεῖ. Μάλιστα γὰρ περὶ γυναῖκας ἀσχολεῖται, καὶ τούτων τὰς εὐπαρύφους, καὶ περιπορφύρους, καὶ πλουσιωτάτας, ἃς πολλάκις ὑπάγεσθαι πειρώμενος, κολακεύων φησὶν αὐταῖς· *Μεταδοῦναί σοι θέλω τῆς ἐμῆς Χάριτος, ἐπειδὴ ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων τὸν Ἄγγελόν σου διαπαντὸς βλέπει πρὸ προσώπου αὐτοῦ.* Ὁ δὲ τόπος τοῦ μεγέθους (4)

3. Datur autem intelligi, eum et dæmonem quemdam paredrum habere, per quem ipse quoque prophetare videtur, et quotquot dignas putat fieri participes suæ Gratiæ, prophetare facit. Maxime enim circa mulieres vacat, et hoc (8) circa eas quæ sunt honestæ (9), et circumpurpuratæ, et ditissimæ, quas sæpe abducere (10) tentans, dicit blandiens eis: *Participare te volo ex mea Gratia, quoniam Pater omnium Angelum tuum semper videt ante faciem suam. Locus autem tuæ magnitudinis in nobis est:*

BILLII INTERPRETATIO.

rigens, ipsas astante se consecrare jubet. Quod cum factum fuerit, ipse aliud poculum longe majus eo, quod a muliercula seducta consecratum est, proferens, atque ex minore illo, a muliere consecrato, in id, quod a se allatum est, transfundens, ac simul hæc verba subjungens: *Gratia ea, quæ supra omnia est, cogitationemque omnem et sermonem excedit, interiorem tuum hominem impleat, atque insperso in terram bonam sinapis grano, cognitionem suam in te amplificet;* aliaque nonnulla hujusmodi verba pronuntians, quibus miseram illam velut œstro quodam pungit, tum demum prægtigiatoris hominis specimen edit, magno videlicet poculo ex parvo usque adeo impleto, ut etiam redundet. Atque alia quædam consimilia faciens, permultos fefellit, ac post se abduxit.

3. Quin illud quoque a vero non abhorret, habere eum dæmonem quemdam assessorem, cujus opera tum ipse vaticinia edere videtur, tum etiam efficit ut eæ omnes, quas dignas censet quibus Gratiam suam

Bythi *Sigen*, quam *Charin* ab hæreticis cognominatam esse, ex principio capitis 2 hujus libri apparet. Conjecturam firmat, quod paulo post ea *gratia* dicitur, ἡ πρὸ τῶν ὅλων, ἡ ἀνεννόητος καὶ ἄῤῥητος Χάρις, *quæ ante omnia est, inexcogitabilis et inenarrabilis.*

C

(1) *Προσενεγκών.* Legendum vult Billius, προενεγκών, sed frustra.

(2) *Κεκοσμημένον.* Legunt Billius et Petav. cum interpr. κεκομισμένον. Post hoc verbum legisse videtur interpres, πολλῷ μεῖζον, nisi *multo majorem* vel ipse, vel scriba ex præcedentibus repetierit.

(3) *Δαίμονά τινα πάρεδρον.* Dæmones paredri dicebantur, qui hominibus assistebant, et morbos atque infortunia ab illis avertere credebantur. Magos ejusmodi dæmones habuisse assistentes sibi et obsequentes, quorum ope multa portenta ederent, scribit Tertullian. *Apologet.* c. 38. Cum illi spiritus ad tutelam duntaxat assistebant, dicebantur πάρεδροι· cum hominibus somnia injiciebant, vocabantur ὀνειροπομποί· cum eos ad terram elidebant, ut deinde tanquam ex morbo comitiali excitati, consulentibus futura prædicerent, appellabantur catabolici. Paredrorum et Oneiropomporum meminit Irenæus hujus lib. cap. 23, n. 4, Paredrorum et Catabolicorum Tertull. lib. *De an.*, c. 28.

D

(4) *Τοῦ μεγέθους.* Lege cum interpr. τοῦ μεγέθους σου. Hac voce μέγεθος designari Σιγὴν sive Χάριν conjicit Grabius: sed rem acu non tetigit vir eruditus. Μέγεθος Angelus est, de quo mox dixit Marcus, quod ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων τὸν Ἄγγελόν σου διαπαντὸς βλέπει πρὸ προσώπου αὐτοῦ, *Pater omnium Angelum tuum semper videt ante faciem suam.* Sic enim angelos paulo inferius describit hic hæreticus: τὰ Μεγέθη διαπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός, *Magnitudines semper videntes faciem Patris.* Quod de angelis intelligi fatetur ipse Grabius, probatque ex eo epitheto, *semper videntes faciem Patris*, quod a Marco angelis expresse ascriptum ex Matth. xviii, 10, legitur pagina 64, legitur et in verbis quæ modo versamus. Horum igitur, *locus autem tuæ magnitudinis in nobis est*, sensus est: *locus angeli tui in nobis est.* Effutiebat enim veterator, ut paulo post refert Irenæus, se suosque, imagines angelorum, id est, spiritales homines esse, quos mater Achamoth ex inspectatione angelorum Salvatoris conceperat, iisque similes pepererat.

(5) *Eucharistiam facit.* Vertendum erat: *Eucharistiam fecit.*

(6) *Et talia quædam.* Clarom. *et alia quædam.*

(7) *Exterminavit multos.* Id est, *extra terminos abduxit, seduxit;* Græc. ἐξηπάτησε.

(8) *Et hoc.* Pro, *et maxime.*

(9) *Honestæ.* Id est, *eleganter cultæ, prætextatæ, opulentæ.* Nam ut observat Asconius Pedianus Ciceronis interpres, *Honesti, pro divitibus; vetuste.*

(10) *Abducere.* Sic recte Grab. ex cod. Arund. et Græco reposuit, pro *adducere*, ut legitur in om. edit. et mss.

Digitized by Google

oportet nos in unum convenire. Sume primum a me et per me Gratiam. Adapta te ut sponsa sustinens sponsum suum, ut sis quod ego, et ego quod tu. Constitue in thalamo tuo semen luminis. Sume a me sponsum, et cape eum, et capere in eo. Ecce Gratia descendit in te, aperi os tuum, et propheta. Cum autem mulier responderit : *Nunquam prophetavi, et nescio prophetare;* invocationes quasdam faciens denuo, ad stuporem ejus quæ seducitur, dicit ei : *Aperi os tuum, et loquere quodcunque* (1), *et prophetabis.* Illa autem seducta (2), et elata ab iis quæ prædicta sunt, concalefaciens **62** animam (3) a suspicione (4) quod incipiat prophetare (5), cum cor ejus multo plus quam oporteat palpitet, audet, et loquitur deliriosa, et quæcunque evenerint omnia (6), vacue (7) et audacter, quippe calefacta spiritu (8) (sicut melior nobis (9) de talibus prophetis exsequitur (10), quod audax et inverecunda est anima (11), quæ vacuo aere (12) excalefacta est) : et exinde prophetidem semetipsam putat, et gratias agit Marco ei, qui participavit ei suam Gratiam : et remunerare eum gestit, non solum secundum substantiæ suæ dationem (unde et divitiarum copiam magnam collegit), sed et secundum corpo-

A ἐν ἡμῖν ἐστι· δι' ἡμᾶς ἐγκαταστῆσαι (13). Λάμβανε πρῶτον ἀπ' ἐμοῦ, καὶ δι' ἐμοῦ τὴν Χάριν. Εὐτρέπισον σεαυτὴν, ὡς νύμφη ἐκδεχομένη τὸν νυμφίον ἑαυτῆς, ἵνα ἔσῃ ὃ ἐγὼ, καὶ ἐγὼ ὃ σύ. Καθίδρυσον ἐν τῷ νυμφῶνί σου τὸ σπέρμα τοῦ φωτός. Λαβὲ παρ' ἐμοῦ τὸν νυμφίον, καὶ χώρησον αὐτὸν, καὶ χωρήθητι ἐν αὐτῷ. Ἰδοὺ ἡ Χάρις κατῆλθέν ἐπὶ σέ· ἄνοιξον τὸ στόμα σου, καὶ προφήτευσον. Τῆς δὲ γυναικὸς ἀποκρινομένης, Οὐ προεφήτευσα πώποτε, καὶ οὐκ οἶδα προφητεύειν· ἐπικλήσεις τινὰς ποιούμενος ἐκ δευτέρου, εἰς κατάπληξιν τῆς ἀπατωμένης, φησὶν αὐτῇ· Ἄνοιξον τὸ στόμα σου, λάλησον ὅ τι δήποτε, καὶ προφητεύσεις. Ἡ δὲ, χαυνωθεῖσα, καὶ κεπφωθεῖσα ὑπὸ τῶν προειρημένων, διαθερμανθεῖσα τὴν ψυχὴν

B ὑπὸ τῆς προσδοκίας τοῦ μέλλειν αὐτὴν προφητεύειν, τῆς καρδίας πλέον τοῦ δέοντος παλλούσης, ἀποτολμᾷ λαλεῖν (14) ληρώδη, καὶ τὰ τυχόντα πάντα κενῶς καὶ τολμηρῶς, ἅτε ὑπὸ κενοῦ τεθερμασμένη πνεύματος· (καθὼς ὁ κρείσσων ἡμῶν (15) ἔφη περὶ τῶν τοιούτων, ὅτι τολμηρὸν καὶ ἀναιδὲς ψυχὴ κενῷ ἀέρι θερμαινομένη·) καὶ ἀπὸ τούτου λοιπὸν προφῆτιδα ἑαυτὴν μεταλαμβάνει (16), καὶ εὐχαριστεῖ Μάρκῳ, τῷ ἐπιδιδόντι τῆς ἰδίας Χάριτος αὐτῇ· καὶ ἀμεί-

BILLII INTERPRETATIO.

impertiat, vaticinentur : potissimum enim circa mulieres studium suum et operam impendit, easque præsertim, quæ eleganter cultæ sunt ac purpuratæ, maximisque opibus præditæ : quas persæpe ad se allicere studens, assentabunde ita alloquitur : *Libet tibi Gratiam meam impertire, quandoquidem universorum Pater Angelum tuum perpetuo cernit ante faciem suam. Locus autem tuæ magnitudinis in nobis situs est. Oportet nos unum effici. Accipe primum ex me, et per me, Gratiam. Adorna teipsam, ut sponsa sponsum suum exspectans : ut sis quod ego, et ego vicissim quod tu. Luminis semen in thalamo tuo colloca. Sponsum a me sume, et capax ipsius esto, atque in ipso facito ut capiaris. En Gratia in te descendit : aperi os tuum, et vaticinare.* Respondente autem muliere : *Nunquam vates fui, nec vaticinandi artem calleo;* rursus ille invocationes quasdam faciens, ut seductam illam in admirationem ac stuporem trahat, his eam verbis affatur : *Aperi os tuum : loquere quidquid libet, et prophetabis.* His igitur verbis illa stulte elata ac tumida, atque ob vaticinandi spem et exspectationem, in qua versatur, animo incalescens, corde plus quam par sit subsultante, audacia effertur, ac meras nugas, et quidquid temere occurrerit, inaniter et impudenter, utpote inani spiritu concalefacta (quemadmodum quidam nobis præstantior de hujusmodi mulieribus ait, audax et impudens res est anima inani aere concalefacta), ac deinceps prophetissam sese arbitratur, gratiasque Marco agit, qui Gratiæ suæ participem eam fecerit, eumque non modo facultatum suarum

(1) *Quodcunque.* Editt. *quæcunque.*

(2) *Seducta.* Gr. χαυνωθεῖσα, *stulte de seipsa sentiens, vana, inflata.*

(3) *Concalefaciens animam.* Clarom. *concalefaciens animum.* Gr. διαθερμανθεῖσα τὴν ψυχὴν, *effervescens animo;* quod melius.

(4) *Suspicione.* Vertendum erat, *exspectatione,* vel *spe.*

(5) *Quod incipiat prophetare.* Vertendum erat, *quod prophetatura sit, vaticinia edictura sit.*

(6) *Quæcunque evenerint omnia.* Gr. τὰ τυχόντα πάντα, *quidquid temere occurrerit, quidquid in buccam venerit.* In Merc. 2 codd. deest *omnia.*

(7) *Vacue.* Melius, *inaniter,* et paulo post, *inani aere,* pro *vacuo aere.*

(8) *Calefacta spiritu.* Adde ex Græc. *inani.*

(9) *Melior nobis.* Sic ex Græca lectione Feuardentius emendavit. In omnibus enim præcedentibus editt. et mss. codd. legitur, *meliora nobis;* forte pro, *melior a nobis.*

(10) *Exsequitur.* Forte scripsit interpres, *eloquitur,* juxta Gr. ἔφη.

(11) *Quod audax et inverecunda est anima.* Sic iterum ex Græco restituit Feuard. pro, *eo quod audax et verecunda anima,* ut habent Eras., Gall. et

C omnes mss. Mallem tamen, *audax et impudens res est anima.*

(12) *Quæ vacuo aere.* Ita partim ex Græco, partim ex codd. tum editis, tum manu exaratis emendo. In editt. siquidem Eras., Gall. et Feuard. ac codd. Clarom., Pass., Arund. et Merc. 2 legitur, *quasi e vacuo,* ubi *quasi e* manifesta scribarum incuria scriptum occurrit pro *quæ.* Hoc enim pronomen scribi debuit, tum ut accurate reddatur ψυχὴ κενῷ ἀέρι θερμαινομένη, tum ut verbis legitimus subsit sensus; qui profecto nullus est si legatur, *quasi e vacuo,* vel, ut edidit Grabius, *quasi vacuo aere excalefacta est.* Cæterum per vacuum aerem intelligitur vanitas.

(13) *Δι' ἡμᾶς ἐγκαταστῆσαι.* Lege δεῖ ἡμᾶς ἐν καταστῆσαι, vel καταστῆναι.

(14) *Ἀποτολμᾷ λαλεῖν.* Legisse videtur interpres, ἀποτολμᾷ καὶ λαλεῖ. Sed utrum legas, parum refert.

D (15) *Κρείσσων ἡμῶν.* Quis sit ille antiquus scriptor quem sæpe laudat Irenæus, hactenus deprehendi non potuit.

(16) *Μεταλαμβάνει.* Suspicantur Billius et Petavius legendum esse, ὑπολαμβάνει.

Digitized by Google

θεσθαι αὐτὸν πειρᾶται, οὐ μόνον κατὰ τὴν τῶν ὑπαρχόντων δόσιν (ὅθεν καὶ χρημάτων πλῆθος πολὺ συνενήνοχεν), ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν τοῦ σώματος κοινωνίαν, κατὰ πάντα ἑνοῦσθαι αὐτῷ προθυμουμένη, ἵνα σὺν αὐτῷ κατέλθῃ εἰς τὸ ἓν.

4. Ἤδη δὲ τῶν προτέρων (1) τινὲς γυναικῶν, τῶν ἐχουσῶν τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἐξαπατηθεισῶν, ἃς ὁμοίως ταῖς λοιπαῖς ἐπετήδευσε παραπείθειν, κελεύων αὐταῖς προφητεύειν, καὶ καταφυσήσασαι, καὶ καταθεματίσασαι αὐτὸν, ἐχωρίσθησαν τοῦ τοιούτου θιάσου· ἀκριβῶς εἰδυῖαι, ὅτι προφητεύειν οὐχ ὑπὸ Μάρκου τοῦ μάγου ἐγγίνεται τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ' οἷς ἂν ὁ Θεὸς ἄνωθεν ἐπιπέμψῃ τὴν χάριν αὐτοῦ, οὗτοι θεόσδοτον ἔχουσι τὴν προφητείαν, καὶ τότε λαλοῦσιν ἵνθα καὶ ὁπότε Θεὸς βούλεται, ἀλλ' οὐχ ὅτε Μάρκος κελεύει. Τὸ γὰρ κελεῦον τοῦ κελευομένου μεῖζόν τε καὶ κυριώτερον, ἐπεὶ τὸ μὲν προηγεῖται, τὸ δὲ ὑποτέτακται (2). Εἰ οὖν Μάρκος μὲν κελεύει, ἢ ἄλλος τις, ὡς εἰώθασιν ἐπὶ τοῖς δείπνοις τοῦ κλήρου (3) οὗτοι πάντοτε παίζειν, καὶ ἀλλήλοις ἐγκελεύεσθαι τὸ προφητεύειν, καὶ πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας ἑαυτοῖς μαντεύεσθαι, ἔσται ὁ κελεύων μεῖζων τε καὶ κυριώτερος τοῦ προφητικοῦ πνεύματος, ἄνθρωπος ὢν· ὅπερ ἀδύνατον. Ἀλλὰ τοιαῦτα κελευόμενα ὑπ' αὐτῶν πνεύματα, καὶ λαλοῦντα ὁπότε βούλονται αὐτοὶ, ἐπίσαθρα καὶ ἀδρανῆ ἐστι, τολμηρὰ δὲ καὶ ἀναιδῆ, ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ ἐκπεμπόμενα πρὸς ἐξαπάτησιν καὶ ἀπώλειαν τῶν

4. Jam vero quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent (4) timorem Dei, et non sunt seducibiles (5), quas similiter ut reliquas affectavit seducere, jubens eis (6) prophetare, exsufflantes et catathematizantes (7) eum, separaverunt se ab hujusmodi insano, qui se divinum spirare simulabat (8) : pro certo scientes, quoniam prophetare non a Marco mago inditur hominibus, sed quibuscunque Deus desuper immiserit gratiam suam, hi a Deo traditam habent prophetiam, et tunc loquuntur ubi et quando Deus vult, sed non quando Marcus jubet. Quod enim jubet, eo (9) quod jubetur majus est et dominatius (10), quoniam illud quidem **63** principatur, illud autem subjectum est. Si ergo Marcus quidem jubet, vel alius quis, sicut solent in cœnis sortibus hi homines (11) ludere, et sibimetipsis invicem imperare ut prophetent, et secundum suas concupiscentias eos sibi prophetare, erit ille, qui jubet, et major et dominatior prophetico spiritu, cum sit homo; quod est impossibile. Sed tales quidem, qui jubentur ab ipsis, spiritus, et loquuntur quando volunt ipsi, terreni et infirmi sunt, audaces autem et impuden-

BILLII INTERPRETATIO.

largitione (unde ille ingentem pecuniæ vim coegit), sed etiam corporis sui communicatione remunerari conatur, per omnia nimirum ei copulari studens, ut cum eo in unum veniat.

4. Enimvero mulieres quædam fideliores, ac timore Dei prædiţæ, nec ab eo in fraudem inductæ (quas æque ac reliquas seducere instituerat, jubens eas prophetare), exsufflantes eum, ac diris omnibus devoventes, ab hujusmodi choro sese abstraxerunt; ut quibus hoc exploratum esset, vaticinandi munus non Marci beneficio hominibus contiugere, verum eos demum, quibus Deus gratiam suam superne immiserit, divinitus datam prophetiam habere, ac tum ubi et quando Deus voluerit, loqui, non autem cum Marcus jusserit. Etenim is qui jubet, eo cui imperatur major est, atque auctoritate præstantior, quippe cum ille præsit, hic subsit. Quocirca si Marcus, aut alius quispiam est qui jubet, ut consueverunt isti in cœnis illis, quas sortibus ineunt, semper ludere, atque alii aliis ut prophetent imperare, consentaneaque cupiditatibus suis vaticinia sibi ipsis edere, nimirum is qui jubet, homo cum sit, majore auctoritate prædituş erit, quam Spiritus sanctus : quod quidem fieri non potest. Verum hujusmodi spiritus, quibus illi imperant, quique ad eorum nutum arbitriumque loquuntur, infirmi illi quidem et imbecilles

(1) *Προτέρων.* Leg. cum interprete πιστοτέρων.

(2) *Ὑποτέτακται.* In edit. Oxoniensi male προτέτακται.

(3) *Ἐπὶ τοῖς δείπνοις τοῦ κλήρου.* Alludit auctor ad veterem conviviorum agendorum morem. In his enim rex convivii unus aliquis sorte eligi solebat, qui modum bibendi poneret. Hinc Horat. *Carm.* lib. II, od. 7 :

. . . . *Quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi.

Et *Carm.* lib. I, od. 4 :

Nec regna vini sortiere talis.

Hunc bibendi arbitrum Varro lib. XX *Rerum human.*, *Modimperatorem* vocat; Laertius in *Empedocle*, et Plutarchus *Sympos.* I, cap. 4 συμποσίαρχον, vel συμποσιάρχαν; cæteri *Regem convivii*. Jaciebantur et sortes de loco, in quo quisque accumberet, et de ciborum partibus, quas quisque tolleret; sed hæ minus faciunt ad Irenæi institutum.

(4) *Habent.* Cod. Voss. *habebant.*

(5) *Seducibiles.* Vertendum erat, *seducta.*

(6) *Jubens eis.* Al. *jubens eas.*

(7) *Catathematizantes.* Sic codd. Clarom. et Voss., nec dubium quin ita scripserit interpres ex Gr. καταθεματίσασαι· siquidem infra cap. 16 habet, *quam scientiam exsufflantes, et catathematizantes*, etc.

(8) *Insano, qui se divinum spirare simulabat.* Sic unicam Græcam vocem θίασον reddit versio Latina. Sed vel quidpiam aliud legit interpres, vel male vertit. Neque enim θίασος *insanum, qui se divinum*, etc., significat; sed proprie *choream et saltationem actam in honorem Bacchi, turbam Bacchicos choros agitantem;* generaliter, *cœtum, societatem, sodalitium*, etc. Vertendum proinde erat, legendo θιάσου, *separaverunt se ab illo cœtu.* Probabile cum Grabio censuerim, interpretem legisse, non θιασώτου (quod suspicatur Billius), sed quoddam aliud derivatum a θιάζειν, *sui compotem non esse, divinum afflatum sive spiritum alteri immittere.*

(9) *Quod enim jubet, eo.* Sic omnes edit. cum Græco. At mss. cum nostri, tum Anglicani habent : *qui enim jubet, ab eo.*

(10) *Dominatius*, et paulo post, *dominatior.* Ita codd. Clarom., Arund. et Merc. 2, cum edit. Oxon. Sicque legendum esse, non *dominantius, dominantior*, patet ex lib. II, cap. 5, ubi in omnibus cum edit. tum mss. legitur *dominatior* et *dominatiorem. Dominatius*, id est *auctoritate præstantius.*

(11) *Hi homines.* Al. *omnes.*

Digitized by Google

tes, a Satana immissi ad seductionem et perditionem eorum qui non firmam fidem, quam ab initio per Ecclesiam acceperunt, custodiunt.

5. Adhuc etiam (1) et amatoria et allectantia efficit, ut et corporibus ipsarum contumeliam irroget, hic idem Marcus quibusdam mulieribus, etsi non universis. Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine (2), et inflammatas valde illum se dilexisse; ut et diaconus quidam eorum qui sunt in Asia nostri (3), suscipiens eum in domum suam, inciderit in hujusmodi calamitatem. Nam cum esset uxor ejus speciosa, et sententia et corpore corrupta esset a mago isto, et secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertiscent, omne tempus in exhomologesi consummavit, plangens et lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam.

6. Et discipuli autem ejus quidam circumobversati in iisdem (4), 65 seducentes mulierculas multas corruperunt, perfectos semetipsos vocantes: quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quemdam apostolorum: sed plus omnibus se cognovisse, et magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse. Esse autem se in altitudine super omnem virtutem: quapropter et libere omnia agere, nullum in nullo timorem habentes. Propter enim redemptionem, et incom-

μὴ εὔτονον τὴν πίστιν, ἣν ἀπ' ἀρχῆς διὰ τῆς Ἐκκλησίας παρέλαβον, φυλασσόντων.

5. Ὅτι δὲ φίλτρα καὶ ἀγώγιμα, πρὸς τὸ καὶ τοῖς σώμασιν αὐτῶν ἐνυβρίζειν, ἐμποιεῖ οὗτος ὁ Μάρκος ἐνίαις τῶν γυναικῶν (5), εἰ καὶ μὴ πάσαις, αὗται πολλάκις ἐπιστρέψασαι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ ἐξωμολογήσαντο, καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἠχρειῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐρωτικῶς πάνυ αὐτὸν πεφιληκέναι· ὥστε καὶ διάκονόν τινα, τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῶν ἡμετέρων (6), ὑποδεξάμενον αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, περιπεσεῖν ταύτῃ τῇ συμφορᾷ, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ (7) εὐειδοῦς ὑπαρχούσης, καὶ τὴν γνώμην, καὶ τὸ σῶμα διαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ μάγου τούτου, καὶ ἐξακολουθησάσης αὐτῷ πολλῷ τῷ χρόνῳ· ἔπειτα μετὰ πολλοῦ κόπου τῶν ἀδελφῶν ἐπιστρεψάντων, αὐτὴ τὸν ἅπαντα χρόνον ἐξομολογουμένη (8) διετέλεσε, πενθοῦσα καὶ θρηνοῦσα ἐφ' ᾗ ἔπαθεν ὑπὸ τοῦ μάγου διαφθορᾷ.

6. Καὶ μαθηταὶ δὲ αὐτοῦ τινες περιπολίζοντες (9) ἐν τοῖς αὐτοῖς, ἐξαπατῶντες γυναικάρια πολλὰ διέφθειραν, τελείους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, ὡς μηδενὸς δυναμένου ἐξισωθῆναι τῷ μεγέθει τῆς γνώσεως αὐτῶν, μηδ' ἂν Παῦλον, μηδ' ἂν Πέτρον εἴπῃς, μηδ' ἄλλον τινὰ τῶν ἀποστόλων· ἀλλὰ πλείω πάντων ἐγνωκέναι, καὶ τὸ μέγεθος τῆς γνώσεως τῆς ἀῤῥήτου δυνάμεως μόνους καταπεπωκέναι. Εἶναί τε αὐτοὺς ἐν ὕψει ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν· διὸ καὶ ἐλευθέρως πάντα πράσσειν, μηδένα ἐν μηδενὶ φόβον ἔχοντας. Διὰ γὰρ τὴν ἀπολύτρωσιν (10) ἀκρατήτους καὶ ἀοράτους γίνε-

BILLII INTERPRETATIO.

sunt; cæterum audaces et impudentes, a Satana missi ad eos in fraudem et exitium impellendos, qui fidem eam, quam ab Ecclesia primum acceperunt, firmam ac vegetam haudquaquam tuentur.

5. Quod autem Marcus amatoria quædam et illectantia pharmaca (quo videlicet earum quoque corporibus probrum et contumeliam inferat) si non omnibus, at certe nonnullis adhibere soleat, ipsæmet sæpe, cum ad Dei Ecclesiam redissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse: adeo ut Asianus etiam quidam ex nostris diaconus, cum eum hospitio excepisset, in hanc calamitatem inciderit. Ipsius enim uxor, singulari pulchritudine femina, tum animo, tum corpore ab hoc mago corrupta est, eumque cum perdiu secuta esset, postea non sine magno labore a fratribus conversa, per omne reliquum vitæ tempus admissum scelus confiteri non destitit, labem eam, quæ ei a mago acciderat, lugens ac lacrymis prosequens.

(1) *Adhuc etiam*, etc. Ἔτι δέ male legit interpres, pro ὅτι δέ, *quod autem*. Unde et sequentes periodos aliter distinxit.

(2) *Velut cupidine*. His in Græco nihil respondet.

(3) *Nostri*. Hanc vocem recte addidit Grabius ex codd. Arund., Voss. et Merc. 2, juxta Græcum ἡμετέρων. Eamdem habet cod. Clarom.

(4) *Quidam circumobversati in iisdem*. Sic codd. Clarom., Voss. et Merc. 2, cum edit. Oxon. In editt. Eras. et Feuard. *quidem circumobversati*. Gallasius pejus, *quidem circumobversati*. Porro illa verba sic interpretor: quidam in iisdem studiis, vel fraudibus circumeuntes, iisdem vestigiis inhærentes, cum iisdem dolis insidias captantes. Vide not. 6.

(5) Ἐνίαις τῶν γυναικῶν. Hæc eadem ex Irenæo refert Hieronymus ep. 55, al. 29, ad Theodoram, quæ est epitaphium Lucinii Bætici.

(6) Τῶν ἡμετέρων. Ex hac voce colligi posse putat Grabius, tam Irenæum, quam istum, ad quem hos adversus hæreses libros misit, Asiaticos fuisse. Sed levior videtur hæc conjectura; τῶν ἡμετέρων significare diaconum catholicæ communionis probabilius est.

(7) Τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Nota, inquit idem Grabius, ministris sacrorum in Asia integrum tunc temporis fuisse cum mulieribus (scripsissem ego, cum uxoribus) habitare, iis saltem quas ante susceptos sacros ordines duxerant. Ecquis neget? Dissimulandus non erat quæstionis status. Neque enim in controversiam venit an ministris sacrorum post susceptos ordines integrum esset cum uxoribus habitare: sed utrum iisdem tota Asia fas esset uxoribus matrimonii jure uti. Prius quidem probat is Irenæi locus: non certe posterius.

(8) Ἐξομολογουμένη. Eam exhomologesin, de qua hic Irenæus, fuse expendimus in Dissert. III, § 7, init.

(9) Περιπολίζοντες. Legendum censerem περιπολεύοντες, vel περιπολοῦντες· vertit enim interpres, *circumobversati*, id est, ni fallor, *circumeuntes*, *circumsagati*, vel potius *circuitorum more exploranles*, *insidias captantes*. At περιπολίζω (sicubi scriptum legatur) significat *urbem circumædificare*, *circumstruere*, etc., quod significati genus nihil habet cum eo Irenæi loco commune.

(10) Ἀπολύτρωσιν. Per *redemptionem*, quam hic et paulo post memorat Irenæus, intelligit non

Digitized by Google

σθαι τῷ κριτῇ. Εἰ δὲ καὶ ἐπιλάβοιτο αὐτῶν, παρα- A prehensibiles (8) et invisibiles fieri judici. Si autem et
στάντες αὐτῷ μετὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, τάδε εἴποιεν· apprehenderit eos, assistentes ei cum redemptio-
Ὦ πάρεδρε Θεοῦ, καὶ μυστικῆς πρὸ αἰῶνος (1) ne hæc dicent: *O assessor Dei* (9), *et mysticæ illius*
Σιγῆς, ἣν τὰ Μεγέθη (2) διαπαντὸς βλέποντα τὸ *pro æonon* (10) *Siges, quam Magnitudines semper*
πρόσωπον τοῦ Πατρὸς, ὁδηγῷ σοι καὶ προσαγω- *videntes faciem Patris, te viæ duce et adductore* (11)
γεῖ χρώμεθα (3), ἀνασπῶσιν ἄνω τὰς αὐτῶν μορ- *utentes, abstrahunt sursum suas formas, quas valde*
φὰς (4), ἃς ἡ μεγαλότολμος ἐκείνη φαντασια- *audax illa ducta phantasmate, propter bonum Pro-*
σθεῖσα (5), διὰ τὸ ἀγαθὸν τοῦ Προπάτορος προε- *patoris emisit nos imagines illorum* (12), *tunc intu-*
βάλετο ἡμῖν τὰς εἰκόνας (6), τότε ἐνθύμιον τῶν *tionem illorum quæ sunt sursum, quasi somnium*
ἄνω ὡς ἐνύπνιον ἔχουσα· ἰδοὺ ὁ κριτὴς ἐγγὺς, καὶ *habens* (13): *ecce judex in proximo, et præco me*
ὁ κῆρυξ με κελεύει ἀπολογεῖσθαι. Σὺ δὲ, ὡς ἐπι- *jubet meæ defensioni adesse. Tu autem, quasi quæ*
σταμένη τὰ ἀμφοτέρων, τὸν ὑπὲρ ἀμφοτέρων *scias utrorumque nostrorum rationem* (14), *tanquam*
ἡμῶν (7) λόγον, ὡς ἑνὸς ὄντος, τῷ κριτῇ παράστη- *unam* 65 *exsistentem, judici assiste.* Mater autem cito,

BILLII INTERPRETATIO.

6. Quin ipsius etiam discipuli, in iisdem studiis versantes, mulierculas multas in fraudem impulsas corruperunt: perfectos interim se appellantes, atque ea scientiæ magnitudine præditos, ut nemo ad eam aspirare posset, etiam si Paulum dixeris, etiam si Petrum, aut alium quemquam apostolorum: verum se scientia mortales omnes antecellere, solosque ingentem illam ineffabilis potentiæ magnitudinem ebibisse, ac supra omnem virtutem in summo fastigio collocatos esse: ob idque etiam libere quidvis perpetrare, nullo rei ullius metu affectos. Redemptionis enim beneficio effici, ut a judice nec prehendi, nec conspici possint. Quod si etiam ille manum ipsis injiciat, astantes ei una cum redemptione his ad eum verbis utentur: *O quæ Deo assides, et mysticæ ante æonas Sigæ, quam Magnitudines Patris faciem semper intuentes, duce te ac perductore utentes, sursum formas suas abstrahunt, quas illa magnopere audax animo informans, ob Propatoris bonum nos earum imagines produxit, cum tunc superarum rerum cogitationem insomnii cujusdam instar haberet: en judex imminet, ac præco causam dicere me jubet. Tu vero, ut res utriusque no-*

certas duntaxat orationes, ut vult Grabius; sed Impium consecrationis genus, quo per signa quædam sensibilia, vel nuptiale cubiculum, studio præparatum, vel aquam, vel aquam et oleum una permista, vel balsamum, etc., adhibitis profanis quibusdam precum formulis, miseros a se deceptos mysteriis suis initiabant Marcosii, hocque, veluti soluto pretio, redimendos, et Potestatum superiorum manibus subducendos, spondebant. Quanquam alii, repudiatis ejusmodi signis sensibilibus et corporeis, redemptionem in ineffabilis magnitudinis agnitione positam esse censerent. Varias Marcosiorum redemptiones fusius explicat Irenæus infra c. 21. Quod qui legerit, agnoscet has nihil habere commune cum iis redemptionibus, quas ex Rabinorum Cabbalistarumve somniis citatus a Grabio Jacobus Rhenferdus describit disputatione *De redemptione Marcosiorum, et Heracleonitarum*, § 21.

(1) *Πρὸ αἰῶνος*. Cod. Reg. unica voce, προαιῶνος, nec male. Interpres vero legit πρὸ αἰώνων. Sed C a Valentinianis fingebatur, multo cum judicio quomodocunque legas, parum refert, modo vocem αἰών, non fictitium Valentinianorum Æonem, sed *sæculum*, interpreteris: ut sensus sit, Στγὴν ante sæcula exstitisse, ut recte vertit Petavius, (minus bene Billius, *ante æonas*), quæ revera initio cap. 1. una cum Bytho *ante sæcula*, seu ἐν ἀπείροις αἰῶσι χρόνων, *infinitis temporum sæculis*, fuisse dicitur.

(2) *Τὰ μεγέθη*. Id est Angelos. Vid. sup. num. 3 (*col.* 581, *not.* 4).

(3) *Χρώμεθα*. Leg. cum interp. χρώμενα.

(4) *Ἀνασπῶσιν ἄνω τὰς αὐτῶν μορφάς*, etc. Μορφὰς, id est *species, ideas*, seu *formas*, (non *vultus*, ut perperam vertit Petavius), quas Achamoth μεγαλότολμος, ex audaciori Angelorum Salvatoris satellitum inspectatione ἐφαντάσιασε, *animo informavit*, et ad quarum imaginem κεκύηκε καρποὺς, κύημα πνευματικὸν καθ' ὁμοίωσιν γεγονὸς τῶν δορυφόρων τοῦ Σωτῆρος, ut habetur cap. 4, *peperit fructus, partum videlicet spiritalem, ad similitudinem effectum satellitum Salvatoris*. Id est, peperit spiritales homines: προεβάλετο ἡμῖν αὐτῶν εἰκόνας, *emisit nos Angelorum illorum mente conceptorum imagines*, effutiebant Marcosii. Has igitur Angelorum imagines, spiritales nimirum homines, ad Angelorum imagines effictos, existimabant, Sophia duce ac sequestro, iisdemque Angelis opem ferentibus, sursum retrahi: ita ut Judicis conspectum, supe- B riorumque Potestatum manus effugientes, a Sophia excepti, et in thalamum inducti, sponsis suis Angelis redderentur, ut explicatur paulo post et cap. 7, necnon cap. 21, sub finem.

(5) *Φαντασιασθεῖσα*. Cod. Reg. φαντασθεῖσα.

(6) *Τὰς εἰκόνας*. Adde cum interprete, αὐτῶν.

(7) *Ἀμφοτέρων ἡμῶν*. Achamothæ scilicet, quæ μεγαλότολμος, audaci facinore, Angelos contulto, eorum species mente effinxerat, et nostrum, quorum solutior fuit vita. Amborum nimirum eadem erat ratio: ambo in thalamum Pleromatis inducendi.

(8) *Et incomprehensibiles*. Ἀκρατήτους melius, quamvis non minus barbare, reddidisset interpres, *inapprehensibiles*, id est qui a judice teneri nequeant.

(9) *O assessor Dei*. Felicius reddidit Billius, *o quæ Deo assides*. Hæc enim non ad judicem referri, sed ad Sophiam, quæ ultimum inter 30 Æones tenebat locum, et matris Achamothæ mater observat Grabius, evidenterque demonstrat ex fine capitis 21, ubi, inter varias precationes, quibus animæ e corpore discedentes, *incomprehensibiles et invisibiles Principibus et Potestatibus fiant*, hæc ad eos, qui circa Demiurgum sunt, oratio refertur: *Invoco incorruptibilem Sophiam*, ἐπικαλοῦμαι τὴν ἄφθαρτον Σοφίαν, *quæ est in Patre, mater autem est matris vestræ*, scilicet Achamoth, cujus ibidem sequitur descriptio. Tum iterum dicitur: *Ego autem invoco ejus matrem*, ἐγὼ δὲ ἐπικαλοῦμαι αὐτῆς τὴν μητέρα.

(10) *Pro æonon*. Sic Græcisans interpres, pro *ante æonas*. Sed vertendum erat, *ante sæcula*. Vide notam 1.

(11) *Adductore*. Vertit Billius, *perductore*: sed melius Petavius, *conciliatore*, seu potius *conciliatrice*.

(12) *Imagines illorum*. Lege *imagines illarum*, D scilicet *Magnitudinum*. Ad genus siquidem vocis Græcæ τὰ Μεγέθη attentus interpres, haud cogitavit vocem Latinam, *Magnitudines*, femininum exposcere.

(13) *Intentionem illorum, quæ sunt sursum, quasi somnium habens*. Id est *superarum rerum, seu Angelorum ideam somnii cujusdam instar mente volvens*.

(14) *Tu autem, quasi quæ scias*, etc. Totam hanc periodum pessime vertit interpres. Primo Græca

Digitized by Google

audiens hæc, Homericam inferorum galeam eis superimposuit, ut invisibiliter effugerent judicem, et statim eripiens eos in thalamum duxit, et reddidit suis sponsis.

7. Talia autem dicentes et operantes, et in iis quoque, quæ sunt secundum nos regiones Rhodanenses (1), multas seduxerunt mulieres, quæ cauterizatas(2) conscientias habentes, quædam quidem etiam in manifesto exhomologesin faciunt; quædam autem reverentes (3) hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei, quædam quidem in totum abscesserunt, quædam autem inter utrumque dubitant (4),et quod est proverbii (5) pessæ sunt, neque intus, neque foris exsistentes, hunc fructum habentes seminis filiorum agnitionis.

A σον. Ἡ δὲ μήτηρ ταχέως ἀκούσασα τούτων, τὴν Ὑμηρικὴν Ἄϊδος κυνέην(6) αὐτοῖς περιέθηκε, πρὸς τὸ ἀοράτους ἐκφυγεῖν τὸν κριτήν· καὶ παραχρῆμα ἀναπάσασα αὐτοὺς, εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσήγαγε, καὶ ἀπέδωκε τοῖς ἑαυτῶν νυμφίοις.

7. Τοιαῦτα δὲ λέγοντες καὶ πράττοντες, καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας (7), πολλὰς ἐξηπατήκασι γυναῖκας, αἵτινες κεκαυτηριασμέναι τὴν συνείδησιν (8), αἱ μὲν καὶ εἰς φανερὸν ἐξομολογοῦνται, αἱ δὲ δυσωπούμεναι τοῦτο, ἡσυχῇ δέ πως ἑαυτὰς ἀπηλπικυῖαι (9) τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, ἔνιαι μὲν εἰς τὸ παντελὲς ἀπέστησαν, ἔνιαι δὲ ἐπαμφοτερίζουσι, καὶ τὸ τῆς παροιμίας πεπόνθασι, μήτε ἔξω, μήτε ἔσω(10) οὖσαι, ταύτην ἔχουσαι τὴν ἐπικαρπίαν τοῦ σπέρματος τῶν τέκνων τῆς γνώσεως.

BILLII INTERPRETATIO.

tas et exploratas habens, pro utroque nostrum rationem, ut quæ una sit, judici exhibe. Protinus autem ut mater hæc verba acceperit, Homericam Orci galeam illis imponit, ut prospectum eorum judici eripiat, statimque ipsos sursum tractos in thalamum inducit, sponsisque suis attribuit.

7. His verbis et actionibus multas quoque in Rhodanensi nostra regione mulieres in fraudem impulerunt : quæ quidem velut cauterio quodam inustam conscientiam habentes, partim publice pœnitentiam egerunt, partim cum id facere præ pudore non sustinerent, ac tacite quodammodo de vita Dei desperarent, vel prorsus a fide desciverunt : vel certe in utramque partem propendent, quodque proverbio dici solet, nec foris, nec intus sunt; hunc videlicet ex scientiæ filiorum semine fructum percipientes.

hæc omisit, τὰ ἀμφοτέρων, *res utriusque nostrum*, B vel, ut scripsisset, *res utrorumque nostrorum* (nisi forte vel in mutilos codices, quibus uti potuit, vel in scribas, qui ob recursum earumdem vocum, tres præfatas prætermiserint, culpa conferenda sit), cæteris vel contra grammaticæ leges, vel repugnante sensu redditis. Sic igitur periodum verto, servatis, quantum fieri potest, interpretis vocibus. *Tu igitur, quasi* (utpote) *quæ scias res utrorumque nostrorum; utrorumque nostrorum rationem, tanquam unam* (non *unum*, ut vertit interpres attendens ad λόγον) *exsistentem* (i. e. ut quæ una sit) *judici exhibe*, (non *assiste*). Cæterum in mss. omnibus, pro *unum exsistentem*, legitur *unum te exsistentem;* in edit. Eras. et Gall. *unum te ex te existentem :* quam pravam lectionem Græco textui repugnantem merito emendavit Feuardentius.

(1) *Regiones Rhodanenses.* Vide not. 7.

(2) *Cauterizatas.* Al. *cauteriatas.*

(3) *Reverentes.* Ita correxit Feuard. ex Græco, αἱ δὲ δυσωπούμεναι, pro *revertentes*, quod habent edit. Eras. et Gall. cum omnibus mss. C

(4) *Dubitant*, etc. Sic recte juxta Græc. codd. Clarom., Pass., Voss. et Ottobon. cum. edit. Oxon. Reliqua omnia exemplaria cum edita, tum mss. accurata non esse, aut prorsus vitiata asserit Grabius.

(5) *Proverbii.* Clarom. *verbi;* Voss. *verbum.*

(6) *Τὴν Ὁμηρικὴν Ἄϊδος κυνέην. Orci galea*, Ἄϊδος κυνῆ, proverbium ex Homeri *Il.* E, v. 845, desumptum, ubi Pallas cum Marte dimicans, *orci galea*, ne ab eo conspici posset, contexisse se dicitur :

. . . αὐτὰρ Ἀθήνη
Δῦν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι βροτὸς Ἄρης.

Plutoni siquidem, ut observat Erasmus in *Adag.*, galea erat, quam qui gestaret, omnes videbat, ipse nemini conspicuus. Id autem ab Irenæo huc adductum, ut vanas Gnosticorum fabulas derideret, ineptisque poetarum nugis prorsus similes esse demonstraret. D

(7) *Ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας.* Lugdunensem tractum intelligit. *Lugdunum* siquidem a veteribus *Rhodanusiam* dictum fuisse, perspicue, ni fallor, colligitur ex Sidonio Apollinari lib. I. epist. 5. *Egresso*, inquit, *mihi Rhodanusiæ nostræ mœnibus*, etc. Atqui Ludguni natus erat Sidonius : nec eo tempore, quo epistolam hanc scribebat, nondum episcopus Arvernensis, aliam urbem, præter Lugdunum, *Rhodanusiam suam* appellare poterat. Ῥοδανουσίας cujusdam meminit Stephanus, quam πόλιν ἐν Μασσαλίᾳ, *Massiliensium urbem* esse dicit. Id de Rhoda (Gallice *Roses*) quam tenuere Massilienses, interpretantur quidam. Sed repugnat Marcianus Heracleota, scribens Rhodanusiam istam a Rhodano flumine allui :

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔχον Φωκεῖς
Ἀγάθην, Ῥοδανουσίαν τε, Ῥοδανὸς ἣν μέγας
Ποταμὸς παραῤῥεῖ.

Quin tamen affirmem Rhodanusiam hanc Lugdunum ipsum esse, plura deterrent. Viderint eruditi. Sed si alia a Lugduno sit, dicendum erit duas exstitisse super Rhodanum flumen ejusdem nominis urbes : urbem enim Lugdunum dictam fuisse Rhodanusiam negare non sinit Sidonii Apollinaris laudata auctoritas. Paulo iniquius ergo a Frontone Duc. et Grabio castigantur Cornarius et Gallasius, quod Græca Irenæi verba reddiderint ; *in regionibus Rhodanusiæ.* Perinde est atque si vertissent, *in regione Lugdunensi.*

(8) *Κεκαυτηριασμέναι τὴν συνείδησιν.* I. e. depravatam, perditam habentes conscientiam. Verba Apostoli sunt I Timoth. IV, 1, ubi alludit Paulus ad servos, qui, noxæ convicti, candenti ferro inurebantur, inde στιγματίαι dicti. Et hinc κεκαυτηριασμένος translatum ad significandum perditum quemvis hominem, nefarium, infamem.

(9) *Ἑαυτὰς ἀπηλπικυῖαι.* Alludere videtur Irenæus ad hæc Apostoli verba Ephes. IV, 18, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, *alienati a vita Dei.* Volunt Fronto Duc. et Grabius verbum χωρίζουσιν post ἑαυτὰς addendum esse. Sic quidem legisse veterem interpretem non inficior. At cum Petavio censeam, phrasin, spreto hoc verbo, commodum, imo forte commodiorem habere sensum.

(10) *Μήτε ἔξω, μήτε ἔσω.* Proverbium de iis dictum, qui ancipitis ac incerti animi, hæsitant quid potissimum eligant.

Digitized by Google

CAPUT XIV[69].

Marci hypothesis. Fingit supremam tetrada instar mulieris ad ipsum descendisse, arcana nemini hactenus revelata patefacturam. Sub ænigmatica literarum, syllabarum, sonorum et characterum farragine Valentinianorum Pleroma ac commenta tradit.

1. Οὗτως (1) Μάρκος μήτραν καὶ ἐκδοχεῖον τῆς Κολορβάσου εἰσηγήσατο αὐτὸν (2) μονώτατον γεγονέναι λέγων ἅτε μονογενὴς ὑπάρχων αὐτῷ (3), τὸ τοῦ ὑστερήματος (4) κατατεθὲν εἰς αὐτὸν ὧδέ πως ἀπεκύησεν. Αὐτὴν τὴν πανυπερτάτην ἀπὸ τῶν ἀοράτων καὶ ἀκατονομάστων τούτων (5) τετράδα κατελελυθέναι σχήματι γυναικείῳ (6) πρὸς αὐτόν (ἐπειδή, φησί, τὸ ἄῤῥεν αὐτῆς ὁ κόσμος φέρειν οὐκ ἠδύνατο), καὶ μηνῦσαι αὐτὴ (7) τί ἦν, καὶ τὴν τῶν πάντων γένεσιν, ἣν οὐδενὶ πώποτε, οὐδὲ θεῶν, οὐδὲ ἀνθρώπων ἀπεκάλυψε, τούτῳ μονωτάτῳ διηγήσασθαι, οὕτως εἰποῦσαν· Ὅτε τὸ πρῶτον ὁ Πατὴρ ὤδινεν (8), ὁ ἀνεννόητος καὶ ἀνούσιος (9), ὁ μήτε ἄῤῥεν, μήτε θῆλυ, ἠθέλησεν αὐτοῦ τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι (10), καὶ τὸ

1. Hic igitur (11) Marcus vulvam et susceptorium Colorbasi silentii semet solum (12) fuisse dicens, quippe unigenitus (13) exsistens (14), defectus (15) semen, quod depositum est in eum; sic (16) enixus est. Illam quæ est a summis (17), et ab invisibilibus, et innominabilibus locis quaternationem descendisse figura muliebri ad eum (quoniam, inquit, ejus masculinum mundus ferre non poterat) et ostendisse quoque semetipsam quæ esset, et universorum genesim, quam nemini unquam, neque deorum, neque hominum revelavit, huic solo enarrasse, ita dicentem : Quando primum Pater, cujus pater nemo est, qui est inexcogitabilis (18) et insubstantivus, qui neque masculus, neque femina est,

BILLII INTERPRETATIO.

CAPUT XIV.

1. Hic Marcus Colorbasicæ Siges vulvam et conceptaculum se unum fuisse dicens, ut qui unigenitus ipsi esset, defectus semen in se conditum ad hunc fere modum peperit. Ipsam enim sublimissimam quaternitatem ex iis locis, quæ nec in aspectum cadunt, nec illo nomine appellari possunt, muliebri forma ad eum descendisse (neque enim masculam ejus vim mundus ferre poterat) atque et quænam esset, indicasse, et rerum omnium ortum, quem nemini unquam nec deorum, nec hominum declaraverat, ei soli

[69] Cap. X.

(1) *Οὕτως.* Legit interpres οὗτος οὖν.

(2) *Τῆς Κολορβάσου εἰσηγήσατο αὐτόν.* Leg. cum interpr. ita postulante et sensu, τῆς Κολορβάσου Σιγῆς ἑαυτόν.

(3) *Ἅτε μονογενὴς ὑπάρχων αὐτῷ.* Hæc ad Colorbasum refert Grabius, quasi Marcus hujus unigenitus dicatur. Sed nullus veterum memoriæ prodidit Marcum Colorbasi filium exstitisse : imo Colorbasum Marci discipulum ac sectatorem faciunt. Legendum igitur αὐτῇ pro αὐτῷ, ut hæc ad *Sigen* referantur. Tunc que planus evadet sensus. Marcus arcanorum *Siges* conscius, se veluti μήτραν et promptuarium esse gloriabatur, in quo speciatim præ cæteris spiritale illud semen, perfectam scilicet agnitionem, qua gloriabantur omnes Gnostici, et secretiora quæque mysteria recondiderat eadem *Sige;* utpote quæ, ut mox subjungitur, rerum omnium ortum, quem nemini unquam nec deorum nec mortalium patefecerat, ipsi soli exposuerit. Cur autem magus ille socius et particeps arcanorum omnium *Siges* exstiterit, hæc affertur ratio, ἅτε μονογενὴς ὑπάρχων αὐτῇ, quia velut unigenitus erat ei. Sic nempe Marcum diligebat *Sige,* quasi unicus ejus filius exstitisset, quem nihil celare posset.

(4) *Τὸ τοῦ ὑστερήματος.* Adde cum interp. σπέρμα. Nomina hæc ὑστέρημα, πάθος, σφάλμα promiscue usurpat Irenæus, ad significandum Achamotham, quæ fetus est passionis Sophiæ, quam ἀποστᾶσαν καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν, *discedentem et destitutam virtutem* vocat. *Defectionis* ergo, seu, ut plerumque vertit interpres, *Labis* semen, spiritale illud semen est; perfecta scilicet reconditorum Pleromatis arcanorum et mysteriorum agnitio, de qua præ cæteris Valentinianis Marcus sese jactabat.

(5) *Τούτων.* Ex vet. interp. lege τόπων.

(6) *Σχήματι γυναικείῳ.* Epiphan. edit. Basil. γυναικείου. Cod. Reg. γυναικίου.

(7) *Αὐτή.* Ἑαυτήν legit Billius cum veteri : at inutilis emendatio.

(8) *Ὤδινεν.* Addo quidem cum vet. interp. ὁ ἀπάτωρ· sed verbum ὤδινεν, licet omi erit interpres, retineo, invito licet Billio : nihil enim habet incommodi, modo addatur καὶ ante ἠθέλησεν.

(9) *Ἀνούσιος.* Si Deum ἀνούσιον, i. e. *substantiæ expertem* dixerint hæretici, substantiamque eo sensu supremo Numini abjudicarint, quod οὐσία, qualis a philosophis describitur, quidpiam accidentibus subjectum, certisque circumscriptum limitibus significet, erroris argui non possunt. Eadem enim ratione substantiæ ideam a Deo removere quidam e Catholicis Patribus. *Manifestum est,* inquit Augustinus lib. VII *De Trinit.,* c. 5, *Deum abusive substantiam vocari.* Essentiam potius illi tribui vult, quam substantiam : quia in Deo nullum est accidens. Idem post Augustinum docuit Anselmus in *Monol.* c. 35 et 76, et alii quidam. Lege, si vacat, Maximum Pseudo-Dionysii Scholiasten, ad cap. 1 et 5 libri *De div. nom.* Sed cum substantiæ vocabulum ab omni ista fæce facile absolvi possit, ideo alii Patres sincerum et expurgatum Deo attribuere non reformidant.

(10) *Τὸ ἄῤῥητον γεννηθῆναι.* Lege cum interprete, τὸ ἄῤῥητον ῥητὸν γεννηθῆναι. Legisse tamen videtur interpres γενηθῆναι pro γεννηθῆναι.

(11) *Hic igitur.* Gr. οὗτως, *sic,* et forte melius.

(12) *Semet solum. Lumen,* quod in editt. Eras. et Gall. hic insertum exstat, merito delevit Feuard.; deest enim in Græco et in mss. Ottobon. et Clarom. ac etiam, ut puto, in mss. Anglic. quamvis id expresse non asserat Grabius.

(13) *Quippe unigenitus.* Clarom. *unitus,* Pass. *unctus,* fortasse etiam pro *unitus;* nisi utrumque pro *unicus* : at pro *quippe,* melius verteretur, *velut.*

(14) *Exsistens.* Adde ex Gr. *ei,* i. e. *Sige.* Vid. not. gr. 3.

(15) *Defectus.* Hæc vox deest in omnibus codd. mss. et in editt. Eras. et Gall. Addidit vero Feuard. ex solius Græci textus auctoritate. At ὑστέρημα, *labem,* sæpius reddit vetus interpres, quam *defectum.*

(16) *Sic.* Pro *hic* (quod in omnibus mss. et editt. Eras. et Gall. legitur) ex Græco reposuit Feuard.

(17) *Illam, qua est ab summis.* Græca : αὐτὴν τὴν πανυπερτάτην ἀπὸ τῶν ἀοράτων, vertenda erant : *summam illam, quæ est ab invisibilibus.*

(18) *Inexcogitabilis.* Ita mss. Clarom., Voss., Arund. Merc. 2 et editt. Oxon. melius quam Eras., Gall. et Feuard. *incogitabilis* : ἀνεννόητος enim supra num. 2, *inexcogitabilis* vertit interpres.

Digitized by Google

voluit suum inenarrabile narrabile (1) fieri, et quod invisibile sibi est, formari (2); aperuit os, et protulit Verbum simile sibi : quod assistens ostendit ei quod erat ipse, cum invisibilis (3) forma apparuisset. Enuntiatio autem nominis facta est talis : Locutus est verbum primum (4) nominis ejus : fuit ἀρχή (5) ; et syllaba ejus (6) litterarum quatuor. Conjunxit et secundam, et fuit hæc (7) litterarum quatuor. Post locutus est et tertiam, et fuit hæc litterarum x. Et eam quæ est post hæc locutus est, et fuit ipsa litterarum XII. Facta est ergo enuntiatio universi nominis, litterarum XXX, syllabarum autem quatuor. Unumquodque 67 autem elementorum suas litteras, et suum characterem, et suam enuntiationem, et figurationes, et imagines habere : et nihil eorum esse, quod illius videat formam, quod ipsum super elementum est (8). Sed nec cognoscere

A ἀόρατον (9) μορφωθῆναι, ἠνοιξε τὸ στόμα, καὶ προήκατο λόγον ὅμοιον αὐτῷ· ὃς παραστὰς ὑπ:δειξεν αὐτῷ ὃ ἦν αὐτὸς, τοῦ ἀοράτου μορφὴ φανείς. Ἡ δὲ ἐκφώνησις τοῦ ὀνόματος ἐγένετο τοιαύτη. Ἐλάλησε λόγον τὸν πρῶτον τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ἥτις ἦν ἀρχὴ, καὶ ἦν ἡ συλλαβὴ αὐτοῦ στοιχείων τεσσάρων (10). Ἐπισυνῆψε τὴν δευτέραν· καὶ ἦν καὶ αὐτὴ στοιχείων τεσσάρων· ἐξῆς ἐλάλησε τὴν τρίτην· καὶ ἦν καὶ αὐτὴ στοιχείων δέκα (11). Καὶ τὴν μετὰ ταῦτα ἐλάλησε· καὶ ἦν καὶ αὐτὴ στοιχείων δεκαδύο. Ἐγένετο οὖν ἡ ἐκφώνησις τοῦ ὅλου ὀνόματος στοιχείων μὲν τριάκοντα, συλλαβῶν δὲ τεσσάρων (12). Ἕκαστον δὲ τῶν στοιχείων ἴδια γράμματα, καὶ ἴδιον χαρακτῆρα, καὶ ἰδίαν ἐκφώνησιν, καὶ σχήματα, καὶ εἰκόνας ἔχειν, καὶ μηδὲν αὐτῶν

B εἶναι, ὃ τὴν ἐκείνου καθορᾷ μορφὴν, οὗπερ αὐτὸς στοιχεῖόν ἐστιν (13)· ἀλλὰ οὐδὲ γινώσκει (14) αὐτὸν,

BILLII INTERPRETATIO.

in hæc verba exposuisse : Quando primum is qui Patris expers est, quique nec in cogitationem cadit, nec substantia ulla præditus est, nec mas denique, nec femina est, id quod in eo inenarrabile est, gigni, et quod invisibile est, informari voluit, os aperuit, ac sermonem sibi similem emisit : qui astans, hoc quod

(1) *Inenarrabile, narrabile.* Sic ex Græco restituimus, pro *inenarrabilem, narrabilem*, quæ manifesta scribarum incuria irrepserunt in omnes mss. et inde in omnes editt. Frequens in antiquis mss. hæc casuum commutatio.

(2) *Quod invisibile sibi est, formari.* Præposterus verborum ordo. Lege, *quod invisibile est, sibi formari*, i. e. *ad sui formam, seu similitudinem effingi*, ut mox explicatur.

(3) *Invisibilis.* Genitivus singularis est, ut ex Græco patet.

(4) *Locutus est verbum primum.* Ita recte cod. C Clarom. juxta Græcum. In aliis omnibus tum editt., tum mss. male repetita voce, *verbum*, perturbatur orationis sensus.

(5) *Fuit ἀρχή.* Auctoris sensum haud assecutus est interpres. Vertendum erat, *fuit id initium*, sermon s scilicet Patris. Neque enim vox ἀρχή fuit prima syllaba, quam protulit Pater : sed primus ille sonus, quem emisit, fuit principium cæterorum.

(6) *Et syllaba ejus.* Sic iterum cod. Clarom. cum Græco. In aliis om. perperam, *syllabæ.*

(7) *Et fuit hæc.* Ex Græco lege, *et fuit et hæc.*

(8) *Quod ipsum super elementum est.* Hic mendosi sunt codd. omnes cum editt., tum mss. In edit. Feuard. legitur, *cujus elementum est.* Grabius, *cujus ipsum elementum est.* Uterque ex Græci textus auctoritate sic correxisse sibi videtur. At textum ipsum Græcum depravatum esse inferius ostendi not. 15. In edit. autem Eras. et Gall. ac mss. omni- D bus habetur, *neque ipsum super elementum est.* Ex quibus levi mutatione facta, restituendo scilicet, *quod* (utpote quod scriptum cum abbreviationis nota, et postremæ voci *formam* propius colligatum, proclive fuit festinantibus scribis transmutare in *neque*), vera lectio eruitur, *quod ipsum super elementum est*, i. e. quod super ipsum est elementum, quod supra se est : uno verbo, illius elementi formam non videt quod superius est. Certe longe levior est hæc nostra mutatio, et potiori ratione nixa, quam Feuardentiana et Grabiana. Boni ergo consulat lector, si hic eadem libertate (quamvis non prorsus tanta) usi fuerimus, qua illi ; rationesque nostras legat cri. not.

(9) *Τὸ ἀόρατον.* Addendum videtur αὐτῷ. Addit enim interpres in versione sua pronomen *sibi*, quamvis præpostero ordine collocet. Et mox sequitur, καὶ προήκατο λόγον ὅμοιον αὐτῷ, *et protulit verbum simile sibi.*

(10) *Ἡ συλλαβὴ αὐτοῦ στοιχείων τεσσάρων.* Allegorica hac syllabarum et litterarum farragine totum Pleroma, quod nominis instar hic exhibetur, ejusque tetradas, decada et duodecada, singulosque, quibus constat, Æones hic designari, nemo non videt. Ita iis quæ paulo simplicius explicabant cæteri Valentiniani, caliginem offundere satagebat Marcus, ut nugis pretium adderet obscuritas.

(11) *Καὶ αὐτὴ στοιχ. δεκ.* Hic, ut et paulo post in sequenti periodo, dele καὶ, quod in Latino non comparet.

(12) *Συλλαβῶν δὲ τεσσάρων.* Juxta quadripartitam Pleromatis divisionem in duas tetradas, decada et duodecada : quamvis interdum tripartite dividerent Valentiniani, in ogdoada ex duabus tetradibus conflatam, decada et duodecada.

(13) *Οὗπερ αὐτὸς στοιχεῖόν ἐστι.* Corrupta lectio, quam sic ex codd. Latinis, ipsis licet depravatis, emendandam censeo : ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ στοιχεῖόν ἐστι. Nempe oscitans quispiam scriba duas voces ὃ ὑπέρ in unam commiscuit ; tum pro αὐτοῦ scripsi. αὐτός, quæ quam facile contingere possint, norunt qui in mss. codd. Græcorum lectione versati sunt, in quibus plures non satis ab invicem separatæ voces, non raro confunduntur ab imperitis, et littera σ sic efformata c ab iisdem sæpe accipitur pro υ. Quod vero ita, ut dixi, scripserit Irenæus, præter textum Latinum jam restitutum, demonstrat Marci hypothesis. Id enim volebat, unicuique elemento seu Æoni ignotam esse superioris elementi, seu Æonis formam : imo ne quidem vicini elementi enuntiationem scire : seu, ut Irenæi verbis utar, μηδὲν αὐτῶν εἶναι, ὃ τὴν ἐκείνου καθορᾷ μορφὴν, ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ στοιχεῖόν ἐστι, *nullum eorum esse, quod illius elementi formam videat, quod supra se est, vel quod superius est.* Hæc vero nostra emendatio mire confirmatur ex iis quæ lib. II, cap. 16, n. 9, ex Valentinianorum sententia (a quibus in hac parte non dissidebant Marcosii), refert Irenæus : *Hoc autem*, inquit, *dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum* (Æonum) *et illum tantum cognovisse qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est.* Cum igitur unusquisque Æonum ignoret eum qui ante se est ; dubitare jam non licet quin hic in Græco legendum sit, ὃ ὑπὲρ αὐτοῦ, et in Latino, *quod ipsum super.*

(14) *Γινώσκει.* Contextus sermonis exigit legi cum interp. γινώσκειν, in infinitivo. Αὐτόν autem quod

Digitized by Google

οὐδὲ μὴν τὴν τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἕκαστον ἐκφώνησιν πολιορκεῖ (1), ἀλλὰ δ' αὐτὸς ἐκφωνεῖ, ὡς τὸ πᾶν ἐκφωνοῦντα, τὸ ὅλον ἡγεῖσθαι ὀνομάζειν. Ἕκαστον γὰρ αὐτῶν, μέρος ὂν τοῦ ὅλου, τὸν ἴδιον ἦχον ὡς τὸ πᾶν ὀνομάζειν, καὶ μὴ παύσασθαι ἠχοῦντα, μέχρι ὅτου ἐπὶ τὸ ἔσχατον γράμμα τοῦ ἑκάστου στοιχείου μονογλωσσήσαντος (2) καταστῆσαι (3). Τότε δὲ καὶ τὴν ἀποκατάστασιν (4) τῶν ὅλων ἔφη γενέσθαι, ὅταν τὰ πάντα κατελθόντα εἰς τὸ ἓν γράμμα, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐκφώνησιν ἠχήσῃ· ἧς ἐκφωνήσεως εἰκόνα, τὸ Ἀμὴν ὁμοῦ λεγόντων ἡμῶν, ὑπέθετο εἶναι. Τοὺς δὲ φθόγγους ὑπάρχειν, τοὺς μορφοῦντας τὸν ἀνούσιον καὶ ἀγέννητον Αἰῶνα· καὶ εἶναι τούτους μορφὰς, ἃς ὁ Κύριος Ἀγγέλους εἴρηκε, τὰς δὲ διηνεκῶς βλεπούσας τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός.

A cum(5), sed ne quidem proximi ejus (6) unumquodque enuntiationem scire, sed quod ipse enuntiat, ita omne quod enuntiat, illud quod est totum nominet (7). Unumquodque (8) enim ipsorum, pars existens totius, suum sonum (9) quasi omne nominare (10), et non cessare sonantia, quoadusque ad novissimam litteram novissimi elementi singulariter enuntiata deveniant. Tunc autem et redintegrationem universorum dicit futuram, quando (11) omnia devenientia in unam litteram, unam et eamdem consonationem sonant(12), cujus exclamationis imaginem esse, *Amen* simul dicentibus nobis, tradidit (13). Sonos autem eos esse, qui formant (14) insubstantivum et ingenitum Æona, et esse hos (15) formas, quas Dominus Angelos dixit, quæ sine intermissione vident faciem Patris[64].

2. Τὰ δὲ ὀνόματα τῶν στοιχείων τὰ ῥητὰ καὶ B κοινὰ, Αἰῶνας, καὶ λόγους, καὶ ῥίζας, καὶ σπέρματα, καὶ πληρώματα, καὶ καρποὺς ὠνόμασε. Τὰ δὲ καθ' ἕνα αὐτῶν καὶ ἑκάστου ἴδια ἐν τῷ ὀνόματι τῆς

2. Nomina autem elementorum communia et enarrabilia, Æonas, et verba, et radices, et semina, et plenitudines, **68** et fructus vocavit. Singula autem ipsorum et uniuscujusque propria in nomine

BILLII INTERPRETATIO.

ipse erat ei ostendit, utpote qui ejus, quod oculorum sensum fugiebat, forma exstitisset. Nominis porro pronuntiatio talis fuit. Primum nominis ipsius sermonem protulit : qui quidem erat ἀρχή, ac syllaba illius quatuor elementis constabat. Secundam adjunxit, quæ et ipsa quatuor elementa continebat. Deinceps et tertiam addidit, quæ etiam ipsa decem elementa complectebatur. Denique et quartam prolocutus est, quæ et ipsa duodecim elementorum erat. Itaque totius nominis enuntiatio triginta litterarum exstitit, ac quatuor syllabarum. Singula autem elementa peculiares litteras, ac notas, peculiaremque pronuntiationem, et figuras, atque imagines habent, nec eorum quidquam est, quod illius, cujus elementum est, formam perspiciat. Quin ne ipsum quidem cognoscit, imo nec ulla ex iis elementi vicini enuntiationem novit : verum id quod enuntiat, perinde esse arbitratur, ac si totum enuntiaret. Nam cum horum quodlibet universi pars sit, sonum suum integram sonum esse censet, nec tinnire desinit, quousque ad extremum extremi elementi litteram singulariter tinniens perveniat. Tunc autem rerum omnium in integrum restitutio exsistit, cum omnia in unam litteram delabentia, unum et eumdem enuntiationis sonum ediderint. Cujus quidem enuntiationis imaginem esse *Amen* illud, quod nos una dicimus, esse fingebat. Sonos autem eos esse, qui Æonem illum substantiæ expertem, atque ingenitum informant. Atque has demum eas formas esse (quas Dominus Angelos appellavit), quæ Patris faciem perpetuo vident.

2. Communia porro et enarrabilia elementorum nomina Æonas, et sermones, et radices, et semina,

[64] Matth. XVIII, 10.

sequitur, ut et paulo post αὐτός, refer non ad elementum, sed ad rem per elementum significatam, Æonem scilicet : quamvis utrobique scriptum malim αὐτό.

(1) *Πολιορκεῖ.* Qui verbum istud huc quadrare possit, viderit Billius qui eam lectionem non prorsus improbat. Certe legendum cum interp. γινώσκειν, ἥδειν, ἐπίστασθαι, vel quidpiam simile.

(2) *Ἑκάστου... μονογλωσσήσαντος.* Legit interpres, ἑκάστου... μονογλωσσήσαντα.

(3) *Καταστῆσαι.* Legendum vult Billius, καταθῆναι; Grabius, καταστῆναι; ego neutrum. Lego cum interprete, κατέλθωσι· hic enim vertit, *deveniant.* Atqui linea sequenti κατελθόντα reddit *devenientia :* adeo ut dubitari non possit quin linea præcedenti legerit κατέλθωσι, pro quo imperitus amanuensis scripsit καταστῆσαι.

(4) *Τότε δὲ καὶ τὴν ἀποκατάστασιν.* Idipsum est quod supra cap. VII dicebant alii Valentiniani, consummationem tum futuram, cum spiritalibus hominibus jam perfectis, hi cum Achamoth matre sua in Pleroma migrabunt, ut conjugium exsistat tum Salvatoris et Achamoth, tum Angelorum Salvatoris et spiritalium animarum.

(5) *Cognoscere eum.* Et mox, *quod ipse.* Mallem scripsisset interpres, *cognoscere illud*, et, *quod ipsum*, elementum scilicet. Sed hæc ad Æonem per elementum significatum referre maluit.

(6) *Proximi ejus.* Vertendum fuisset, *proximi sui.*

(7) *Ita omne quod enuntiat, illud quod est totum nominet.* Sic quidem codd. omnes tum exarati, tum editi. Sed hic vel mutila versio est, vel pessima. Scribendum erat : *ut si omne enuntiasset, arbitrari totum nominare.*

(8) *Unumquodque.* Sic ex Græco restitui, pro *unumquemque*, quod in codd. omnibus exstat; neque enim persuadere mihi possum, adeo sui oblitum esse interpretem, ut *unumquemque* scripserit, qui mox neutro genere utitur, et paulo ante bis scripsit *unumquodque.* Scribarum igitur culpa est, qui *unumquodque* scriptum cum abbreviationis nota commutarunt in *unumquemque.*

(9) *Suum sonum.* Cod. Pass. *unum sonum.*

(10) *Nominare.* Ita recte pro *nomen*, quod exstat in Eras. et Gall. editt. reposuit Feuard. ex Græco ὀνομάζειν, licet nullus cod. ms. ejus emendationi suffragetur. Clarom. habet *NON*, sic litteris majusculis scriptum, cum puncto addito in fine; quod quid sibi velit, nescire me fateor.

(11) *Futuram, quando.* Sic Clarom. et Pass., cæteri *cum.*

(12) *Sonant.* Sic Clarom., al. *sonent :* mallem *sonuerint.*

(13) *Tradidit.* Feuardentius addit *esse;* addunt et Clarom. et Pass., sed frustra, quippe jam præcessit.

(14) *Qui formant.* Melius, *qui adumbrant, referunt.*

(15) *Hos.* Sic reposuit Grabius ex edit. Eras. et mss. Arund., Voss. et Merc. 2, juxta Græcum τούτους, pro *has*, ut habent Clarom., Gall. et Feuard.

Digitized by Google

Ecclesiæ contineri et intelligi ait(1). Quorum elementorum novissimi elementi ultima littera vocem emisit suam, cujus sonus exiens, secundum imaginem elementorum elementa propria generavit: ex quibus et quæ sunt hic disposita dicit, et ea, quæ sunt ante hæc (2), generata. Ipsam quidem litteram, cujus sonus erat consequens sonum deorsum, a syllaba sua sursum receptam dicit, ad implet̃ionem universi: remansisse autem deorsum sonum quasi foras projectum. Elementum autem ipsum, ex quo littera cum enuntiatione sua descendit deorsum, litterarum ait esse xxx, et unamquamque ex his xxx litteris in semetipsa (3) habere alias litteras, per quas nomen litteræ nominatur. Et rursus alias per alias nominari litteras, et alias per alias, ita ut in immensum decidat multitudo litterarum. Sic autem planius disces quod dicitur. Delta elementum litteras habet in se quinque, et ipsum δ, et ε, et λ, et τ, et α, et hæ rursus litteræ per alias scribuntur litteras, et aliæ per alias. Si ergo universa substantia deltæ in immensum decidit, aliis alias (4) litteras generantibus et succedentibus alterutrum, quanto magis illius elementi majus esse pelagus litterarum? Et si una littera sic immensa est, vide totius nominis profundum litterarum, ex quibus Propatora Marci Silentium constare docuit. Quapropter et Patrem scientem incapabile suum, dedisse elementis, quæ et Æonas vocat, unicuique eorum suam enuntiationem exclaA Ἐκκλησίας ἐμπεριεχόμενα νοεῖσθαι ἔφη. Ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον γράμμα (5) φωνὴν προήκατο τὴν αὑτοῦ· οὗ ἦχος ἐξελθὼν (6), κατ' εἰκόνα τῶν στοιχείων στοιχεῖα ἴδια ἐγέννησεν· ἐξ ὧν τά τε ἐνταῦθα κατακεκοσμῆσθαί φησι, καὶ τῶν (7) πρὸ τούτων γεγενῆσθαι. Τὸ μέν τοι γράμμα αὐτὸ (τὸ ἦχος τῷ ἤχει), οὗ ὁ ἦχος ἦν συνεπακολουθῶν τῷ ἤχει (8), καὶ τὸ ὑπὸ τῆς συλλαβῆς τῆς ἑαυτοῦ ἀνειλῆφθαι ἄνω λέγειν (9), εἰς ἀναπλήρωσιν τοῦ ὅλου· μεμενηκέναι δὲ εἰς τὰ κάτω τὸν ἦχον, ὥσπερ ἔξω ῥιφέντα. Τὸ δὲ στοιχεῖον αὐτὸ, ἀφ' οὗ τὸ γράμμα σὺν τῇ ἐκφωνήσει τῇ ἑαυτοῦ συγκατῆλθε κάτω, ὃ γραμμάτων (10) εἶναί φησι τριάκοντα, καὶ ἓν ἕκαστον τῶν τριάκοντα γραμμάτων ἐν ἑαυτῷ ἔχειν ἕτερα γράμματα, δι' οὗ (11) τὸ ὄνομα τοῦ γράμB ματος ὀνομάζεται. Καὶ αὖ πάλιν τὰ ἕτερα δι' ἄλλων ὀνομάζεσθαι γραμμάτων, καὶ τὰ ἄλλα δι' ἄλλων, ὡς εἰς ἄπειρον ἐκπίπτειν τὸ πλῆθος τῶν γραμμάτων. Οὕτω δ' ἂν σαφέστερον μάθοις τὸ λεγόμενον. Τὸ δέλτα στοιχεῖον γράμματα ἐν ἑαυτῷ ἔχει πέντε, αὐτὸ δὲ (12) τὸ δ, καὶ τὸ ε, καὶ τὸ λ, καὶ τὸ τ, καὶ τὸ α· καὶ ταῦτα πάλιν τὰ γράμματα δι' ἄλλων γράφεται γραμμάτων, καὶ τὰ ἄλλα δι' ἄλλων. Εἰ οὖν ἡ πᾶσα ὑπόστασις τοῦ δέλτα εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει, ἀεὶ ἄλλων ἄλλα γράμματα γεννώντων καὶ διαδεχομένων ἄλληλα, πόσῳ μᾶλλον ἐκείνου τοῦ στοιχείου μεῖζον εἶναι τὸ πέλαγος τῶν γραμμάτων; Καὶ εἰ τὸ ἓν γράμμα οὕτως ἄπειρον, ὅρα ὅλου τοῦ ὀνόματος τὸν βυθὸν τῶν γραμμάτων, ἐξ ὧν τὸν Προπάτορα ἡ Μάρκου Σιγὴ συνεστάναι ἐδογμάτισε. Διὸ καὶ τὸν C

BILLII INTERPRETATIO.

et Pleromata, et fructus nuncupavit. Singularia autem et cujusque propria in Ecclesiæ nomine contineri atque intelligi ait. Quorum elementorum extrema ultimi littera vocem suam emisit, cujus vox ad elementorum imaginem egressa, peculiaria elementa procreavit, ex quibus cum hæc infera descripta, atque exornata, tum ea, quæ hæc antecesserunt, orta fuisse tradit. Et quidem litteram ipsam, cujus sonus sonum infra sequebatur, a syllaba sua ad universi complementum sursum receptam esse : cæterum sonum velut foras ejectum infra remansisse. At vero elementum ipsum, a quo littera, una cum sua pronuntiatione, infra descendit, triginta litterarum esse asserit, quarum etiam quælibet alias rursus litteras continet, quibus litteræ nomen exprimitur. Ac rursus aliam atque aliam per alias atque alias litteras appellari, ita ut litteræ in infinitum quemdam numerum excrescant. Ad hunc autem modum apertius id quod dico intelliges. Elementum delta quinque litteras complectitur, nimirum δ, et ε, et λ, et τ, et α : rursusque hæ litteræ aliis litteris perscribuntur, aliæque item aliis. Si ergo tota elementi delta coagmentatio in infinitum cadit, aliis nimirum alia gignentibus, atque inter se succedentibus, quanto tandem elemento illo majus vastiusque tantum litterarum pelagus erit? Et si una littera usque adeo infinita est, animadvertas velim, quæ in toto nomine sit litterarum profunditas, ex quibus Marci Sige Propatorem constare docuit. Qua etiam de causa Propatorem, quod se comprehendi non posse perspectum haberet,

(1) *Contineri et intelligi ait.* Græc. *contenta intelligi ait.*

(2) *Ante hæc.* Mallem, *supra hæc*, seu *superiora*, Demiurgum scilicet, cœlestesque res creatas.

(3) *Unamquamque ex his triginta litteris in semetipsa.* Sic ex Græca lectione Feuardentius emendavit, monitus a Frontone Duc. Emendationi consentit cod. Voss. In cæteris mss. et editt. Eras. et Gall. perperam : *et unaquæque ex his triginta litteris in semetipso.*

(4) *Aliis alias.* Græc. *semper aliis alias.*

(5) *Ὡς στοιχείου τὸ ὕστερον γράμμα.* Lege cum interp. ὧν στοιχείων τὸ τοῦ ἐσχάτου στοιχείου ὕστατον γράμμα. Sic ex parte cod. Reg. Habet enim, ὡς στοιχείων τοῦ στοιχείου τὸ ὕστερον γράμμα.

(6) *Οὗ ἦχος ἐξελθών.* His et sequentibus ænigmatis designari Sophiæ casum, Achamothæ fabulam, rerum omnium tum cœlestium tum sublunarium ortum cæterasque ejusmodi nugas, advertit quisque. Confer, si lubet, cap. 1, 2, 4 et seqq. D

(7) *Καὶ τῶν.* Leg. καὶ τά.

(8) *Τὸ ἦχος τῷ ἤχει οὗ ὁ ἦχος ἦν*, etc. Corruptum hunc locum sic ex veteri versione emendo. Expunctis superfluis quatuor prioribus vocibus, sequentes sic lego : οὗ ὁ ἦχος ἦν συνεπακολουθῶν τῷ ἤχῳ κάτω, ὑπὸ τῆς, etc.

(9) *Λέγειν.* Leg. λέγει.

(10) *Ὁ γραμμάτων.* Dele ὅ, quod non legit interpres.

(11) *Δι' οὗ.* Lege cum interp. δι' ὧν.

(12) *Αὐτὸ δέ.* Lege cum Petavio in margine Epiphanii, et veteri interp. αὐτό τε.

Digitized by Google

Πατέρα ἐπιστάμενον τὸ ἀχώρητον αὐτοῦ, δεδωκέναι τοῖς στοιχείοις, ἃ καὶ Αἰῶνας καλεῖ, ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν τὴν ἰδίαν ἐκφώνησιν ἐκβοᾷν, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἕνα τὸ ὅλον ἐκφωνεῖν.

3. Ταῦτα δὲ σαφηνίσασαν αὐτῷ τὴν τετρακτὺν εἰπεῖν· Θέαν (1) δή σοι καὶ αὐτὴν ἐπιδεῖξαι τὴν Ἀλήθειαν. Κατήγαγον γὰρ αὐτὴν ἐκ τῶν ὑπερθεν δομάτων, ἵν' ἐσίδῃς αὐτὴν γυμνὴν, καὶ καταμάθοις τὸ κάλλος αὐτῆς· ἀλλὰ καὶ ἀκούσῃς αὐτῆς λαλούσης, καὶ θαυμάσῃς τὸ φρόνημα αὐτῆς. Ὅρα οὖν κεφαλὴν ἄνω, τὸ Α καὶ τὸ Ω, τράχηλον δὲ Β καὶ Ψ, ὤμους ἅμα χερσὶ Γ καὶ Χ, στήθη Δ καὶ Φ, διάφραγμα Ε καὶ Υ, νῶτον Ζ καὶ Τ, κοιλίαν Η καὶ Σ, μηροὺς Θ καὶ Ρ, γόνατα Ι καὶ Π, κνήμας Κ καὶ Ο, σφυρὰ Λ καὶ Ξ, πόδας Μ καὶ Ν. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τῆς, κατὰ τὸν μάγον, Ἀληθείας, τοῦτο τὸ σχῆμα τοῦ στοιχείου, οὗτος ὁ χαρακτὴρ τοῦ γράμματος. Καὶ καλεῖ τὸ στοιχεῖον τοῦτο Ἄνθρωπον· εἶναί τε πηγὴν φησὶν αὐτὸ παντὸς λόγου, καὶ ἀρχὴν πάσης φωνῆς, καὶ παντὸς ἀῤῥήτου ῥῆσιν, καὶ τῆς σιωπωμένης Σιγῆς στόμα. Καὶ τοῦτο μὲν τὸ σῶμα αὐτῆς. Σὺ δὲ μετάρσιον ἐγείρας διανοίας νόημα, τὸν αὐτὸν γεννήτορα καὶ πατροδότορα (2) λόγον ἀπὸ στομάτων (3) Ἀληθείας ἄκουε.

4. Ταῦτα δὲ ταύτης εἰπούσης, προσβλέψασαν αὐτῷ τὴν Ἀλήθειαν καὶ ἀνοίξασαν (4) τὸ στόμα λαλῆσαι λόγον· τὸν δὲ λόγον ὄνομα γενέσθαι, καὶ τὸ ὄνομα γενέσθαι τοῦτο, ὃ γινώσκομεν καὶ λαλοῦμεν, Χριστὸν Ἰησοῦν· ὃ καὶ ὀνομάσασαν αὐτὴν παρ' αὐτῇ καὶ σιωπήν (5). Προσδοκῶντος δὲ τοῦ Μάρκου πλεῖόν τι

A mare, eo quod non possit unum (6), illud quod est totum enuntiare.

3. 69 Hæc itaque exponentem ei quaternationem dixisse (7) : Volo autem tibi et ipsam ostendere Veritatem. Deposui enim illam de superioribus ædificiis, ut circumspicias eam nudam, et intuearis formositatem ejus ; sed et audias eam loquentem, et admireris sapientiam ejus. Vide quid igitur in caput (8) ejus sursum, primum A et Ω, collum autem B et Ψ, humeros cum manibus Γ et X (9), pectus Δ et Φ, cinctum (10) E et Υ, ventrem Z et T (11), verenda H et Σ, femora Θ et P, genua I et Π, tibias K et O, crura Λ et Ξ, pedes

B M et N. Hoc est corpus ejus, quæ est secundum magum, Veritatis ; hæc figura elementi, hic character litteræ. Et vocat elementum hoc, Hominem : esse autem fontem ait eum omnis verbi, et initium universæ vocis, et omnis inenarrabilis enarrationem, et taciti Silentii os. Et hoc quidem corpus ejus. Tu autem sublimius allevans sensus intelligentiam, autogenitora et patrodotora verbum ab ore Veritatis audi.

4. Hæc autem cum dixisset illa, attendentem ad eum Veritatem, et aperientem os, locutam esse (12) verbum : verbum autem nomen factum, et nomen esse hoc, quod scimus et loquimur, Christum Jesum ; quod cum nominasset, statim tacuit. Cum autem putaret Marcus plus aliquid

C

BILLII INTERPRETATIO.

hoc singulis elementis, quibus etiam Æonum nomen imponit, dedisse, ut propriam enuntiationem ederent, quandoquidem singula universo pronuntiando impares erant.

3. Hæc autem quaternitatem planius ipsi his verbis declarasse : Lubet ipsam quoque Veritatem tibi spectandam proponere. Ex superis quippe ædibus eam devexi, ut nudam eam conspicias, ejusque pulchritudinem intelligas, atque adeo loquentem audias, ejusque prudentiam admireris. Vide igitur caput ejus sursum A et Ω, collum B et Ψ, humeros una cum manibus Γ et X, pectus Δ et Φ, diaphragma E et Υ, dorsum Z et T, ventrem H et Σ, femora Θ et P, genua I et Π, tibias K et O, crura Λ et Ξ, pedes M et N. Hoc nimirum est de magi sententia, corpus Veritatis, hæc elementi figura, hic litteræ character. Atque hoc elementum Hominem vocat, esseque illud ait fontem omnis sermonis, atque initium omnis vocis, et omnis inenarrabilis narrationem, et tacitæ Siges os. Hoc, inquam, est Veritatis corpus. Tu vero in altum sublata mentis intelligentia sui ipsius genitorem ac Patris largitorem sermonem ex ore Veritatis audi.

4. Hanc orationem cum illa habuisset, Veritatem conjectis in eum oculis, apertoque ore sermonem edidisse ait, ac sermonem hunc nomen factum esse, hoc, inquam, nomen quod scimus ac loquimur,

(1) *Θέαν*. Leg. θέλω cum vet.

(2) *Τὸν αὐτὸν γεννήτορα καὶ πατροδότορα*. Leg. cum interp. τὸν αὐτογεννήτορα καὶ πατροδότορα. At in Basileensi Epiphanii edit. et cod. Reg. legitur πατρόδορα.

(3) *Ἀπὸ στομάτων*. Leg. ἀπὸ στόματος.

(4) *Καὶ ἀνοίξασαν*. In edit. Oxon. male deest καί.

(5) *Παρ' αὐτῇ καὶ σιωπήν*. Leg. cum interp. παραυτίκα σωπᾷν, vel σιωπῆσαι.

(6) *Unum*. Contendit Grabius legendum esse *unus*, quia in Græco exstat ἕνα, scilicet Αἰῶνα. Sed pace doctissimi viri dixerim, haud peccasse hic interpretem sive contra sensum, sive contra grammaticæ leges ; *unum* enim refert, non ad *Æona*, sed ad *elementum*. Quod prorsus indifferens est : hoc enim signum, ille res significata.

(7) *Dixisse*. Sic ex Græco reposuit Feuard. pro *dedisse*, quod perperam exstat in omnibus mss. et

D editt. Eras. et Gall.

(8) *In caput*. Ita Clarom. cod. melius quam cæteri tum editi, tum exarati, in quibus deest *in*. Ex Græco tamen vertendum erat : *vide igitur caput ejus sursum A et Ω*.

(9) *Γ et X*. Sic Clarom. et omn. editt., except. Feuard., ubi male Π et X.

(10) *Cinctum*. Vertendum erat *diaphragma*, seu *septum transversum*. Sic medici membranam vocant, quæ cor a jecore et liene separat.

(11) *Ventrem Z et T*. Sic Clarom., Arund. et Merc. 2, cum editt. Eras. et Oxon. ; at in Gall. et Feuard. perperam X et T. Sed ut Latina Græcis responderent, vertendum erat : *Dorsum Z et T, ventrem H et Σ, femora Θ et P, malleolos Λ et Ξ, pedes*, etc.

(12) *Locutam esse*. Sic ex Græco restituimus, pro *locuta est*, quod manifesto scribarum errato legitur in omnibus tum editt., tum mss.

Digitized by Google

eam dicturam, rursus quaternatio veniens in medium, ait : Tanquam contemptibile putasti esse verbum, quod ab ore Veritatis audisti. Non hoc, quod scis et putas habere, olim est nomen (1). Vocem enim tantum habes ejus, virtutem autem ignoras. Jesus autem est insigne nomen (2), sex habens litteras, ab omnibus qui sunt 70 vocationis cognitum. Illud autem quod est apud Æonas Pleromatis, cum sit multifarium exsistens, alterius est formæ, et alterius typi, quod intelligitur ab ipsis qui sunt cognati ejus, quorum magnitudines apud eum sunt semper.

5. Has igitur (3), quæ apud nos (4) sunt viginti quatuor litteræ, emanationes esse intellige trium virtutum imaginales, earum quæ (5) continent universum, quæ sunt sursum, elementorum numerum. Mutas enim litteras novem puta esse Patris et Veritatis, quoniam sine voce sint, hoc est, et inenarrabiles et ineloquibiles (6). Semivocales autem cum sint octo, Logi esse et Zoes, quoniam quasi mediæ sint inter mutas et vocales : et recipere eorum quidem quæ supersint, emanationem, eorum vero quæ subsint, elevationem. Vocales autem et ipsas septem esse, Anthropi et Ecclesiæ : quoniam per Anthropum vox progrediens formavit omnia. Sonus enim vocis formam eis (7) circumdedit. Est igitur Logos habens et Zoe VIII, Anthropos autem et Ecclesia VII, Pater autem et Alethia IX. Ex minori autem computatione (8), qui erat apud Patrem descendit,

μέλλειν αὐτὴν λέγειν, πάλιν ἡ τετρακτὺς παρελθοῦσα εἰς τὸ μέσον, φησίν· Ὡς εὐκαταφρόνητον ἡγήσω τὸν λόγον, ὃν ἀπὸ στομάτων (9) σῆς Ἀληθείας ἤκουσας. Οὐ τοῦθ' ὅπερ οἴδας καὶ δοκεῖς (10), παλαιόν ἐστιν ὄνομα. Φωνὴν γὰρ μόνον ἔχεις αὐτοῦ, τὴν δὲ δύναμιν ἀγνοεῖς. Ἰησοῦς μὲν γάρ ἐστιν ἐπίσημον ὄνομα, ἓξ ὢν (11) γράμματα, ὑπὸ πάντων τῶν τῆς κλήσεως γινωσκόμενον. Τὸ δὲ παρὰ τοῖς Αἰῶσι τοῦ Πληρώματος πολυμερὲς τυγχάνον ἄλλης ἐστὶ μορφῆς καὶ ἑτέρου τύπου, γινωσκόμενον ὑπ' ἐκείνων τῶν συγγενῶν (12), ὧν τὰ μεγέθη παρ' αὐτῶν (13) ἐστι διαπαντός.

5. Ταῦτ' οὖν τὰ παρ' ὑμῖν εἰκοσιτέσσαρα γράμματα ἀπορροίας ὑπάρχειν γίνωσκε τῶν τριῶν δυνάμεων εἰκονικὰς, τῶν περιεχουσῶν τὸν ὅλον τῶν ἄνω στοιχείων τὸν ἀριθμόν. Τὰ μὲν γὰρ ἄφωνα γράμματα ἐννέα νόμισον εἶναι τοῦ Πατρὸς καὶ τῆς Ἀληθείας, διὰ τὸ ἀφώνους αὐτοὺς εἶναι, τουτέστιν ἀῤῥήτους καὶ ἀνεκλαλήτους· τὰ δὲ ἡμίφωνα ὀκτὼ, ὄντα τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς, διὰ τὸ μέσα ὥσπερ ὑπάρχειν τῶν τε ἀφώνων καὶ τῶν φωνηέντων· καὶ ἀναδέχεσθαι τῶν μὲν ὑπερθεν τὴν ἀπόῤῥοιαν, τῶν δ' ὑπὲρ αὐτὴν (14) τὴν ἀναφοράν· τὰ δὲ φωνήεντα, καὶ αὐτὰ ἑπτὰ ὄντα, τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας· ἐπεὶ διὰ τοῦ Ἀνθρώπου φωνὴ προελθοῦσα, ἐμόρφωσε τὰ ὅλα. Ὁ γὰρ ἦχος τῆς φωνῆς μορφὴν αὐτοῖς περιεποίησεν. Ἔστιν ὁ μὲν Λόγος ἔχων καὶ ἡ Ζωὴ τὰ ὀκτὼ, ὁ δὲ Ἄνθρωπος καὶ ἡ Ἐκκλησία τὰ ἑπτὰ, ὁ δὲ Πατὴρ καὶ ἡ Ἀλήθεια τὰ ἐννέα. Ἐπειδὴ τοῦ ὑστερήσαντος λόγου (15) ὁ ἀφεδρασθεὶς ἐν τῷ Πατρὶ κατῆλθε,

BILLII INTERPRETATIO.

Christum Jesum : quod cum protulisset, statim conticuisse. Cum autem Marcus ab ea longiorem aliquam orationem exspectaret, quaternitas rursus in medium progressa, his verbis usa est : Vilem et contemnendum sermonem eum esse arbitratus es, quem ex ore Veritatis accepisti. Atqui non hoc, quod nosti, tenere te censes : antiquum nomen est. Vocem enim ipsius duntaxat habes : vim autem ignoras. Jesus etenim insigne nomen est, sex litteris constans, omnibus, qui vocati sunt, notum ac perspectum. At illud, quod est apud Pleromatis Æonas, cum multis partibus constet, alterius formæ ac figuræ est, his demum cognitum et exploratum, qui cognatione ipsum attingunt, quorumque magnitudines apud eum semper sunt.

5. Quocirca ita habeto : has viginti quatuor litteras, quæ apud vos sunt, velut rivos quosdam esse, tres eas virtutes, quibus universus superorum elementorum numerus continetur, adumbrantes. Sic enim existima, novem mutas litteras, Patris et Veritatis esse : quod videlicet mutæ ipsi sint, hoc est ejusmodi, qui nullis verbis exprimi possint. Semivocales autem, quæ octo sunt, Sermonis et Vitæ : quod inter vocales et consonantes velut mediæ interjectæ sint, atque ut a superioribus defluant, ita vicissim inferiora ad eas referantur. Vocales porro, quæ ipsæ quoque septem sunt, Hominis et Ecclesiæ : quandoquidem vox per hominem progressa omnia informavit. Vocis etenim sonus formam ipsis indidit. Habent igitur Sermo et Vita octo, Homo et Ecclesia septem, Pater et Veritas novem. Quoniam autem non satis constabat numerus ; is qui in Patre insidebat, descendit, ad eum videlicet a quo sejunctus

(1) *Olim est nomen.* Vertendum est, *antiquum est nomen.*

(2) *Insigne nomen.* I. e. notandum nomen. Nomina enim sex constantia litteris mysticum quid habere contendebant illi hæretici : quod ἐπίσημον βαῦ, notam senarii numeri, cui plurimum tribuebant, in se continerent.

(3) *Has igitur.* Sic emendavit Feuard. pro *hæc igitur*, quod vitiose occurrit in editt. Eras., Gall. et mss. omnibus. Sed forte culpa ipsius interpretis est, qui Græcum ταῦτα vertit *hæc*, non advertens substantivum Latinum quod sequitur, feminini esse generis.

(4) *Apud nos.* Ex Græco legendum, *apud vos.*

(5) *Earum, quæ.* Scilicet *virtutum.* Ita ex Græco reposui pro *eorum*, quod scribarum oscitantia irrepsit in omnes cum editt. tum manuscriptos.

(6) *Ineloquibiles.* Eras., Gall., Clarom. et Pass. *ineloquibiles.*

(7) *Eis.* Sic recte Feuard. et Grab. juxta Græc. αὐτοῖς, vitiose vero Eras., Gall. cum mss. pluribus, *ejus.*

(8) *Computatione.* Gallasius male vertit *sermone.* Hic enim λόγος non *sermonem*, sed *rationem*, vel *computationem* significat, ut probe notat Fronto Duc.

(9) Στομάτων. Leg. στόματος.

(10) Δοκεῖς. Sic cod. Reg. In editt. omn. δοκοῖς.

(11) Ἓξ ὤν. Leg. ἓξ ἔχον, vel ἓξ ὂν γραμμάτων.

(12) Συγγενῶν. Adde cum interp. αὐτοῦ, vel αὐτῷ. Sunt autem angeli Salvatori *coætanei*, de quibus supra c. 2 et 4.

(13) Αὐτῶν. Leg. αὐτῷ.

(14) Ὑπὲρ αὐτήν. Leg. ὑπένερθεν.

(15) Ἐπειδὴ τοῦ ὑστερήσαντος λόγου. Malo, inquit Billius, ἐκ δὲ τοῦ ὑστερήσαντος λόγου, cum veteri.

Digitized by Google

πεμφθεὶς ἐπὶ τὸν, ἀφ' οὗ ἐχωρίσθη ἐπὶ διορθώσει τῶν πραχθέντων, ἵνα ἡ τῶν Πληρωμάτων ἑνότης ἰσότητα ἔχουσα, καρποφορῇ μίαν ἐν πᾶσι τὴν ἐκ πάντων δύναμιν. Καὶ οὕτως ὁ τῶν ἐπτὰ τὴν τῶν ὀκτὼ ἐκομίσατο δύναμιν· καὶ ἐγένοντο οἱ τόποι (1) ὅμοιοι τοῖς ἀριθμοῖς, ὀγδοάδες ὄντες· οἵτινες, τρεῖς ἐφ' ἑαυτοὺς ἐλθόντες, τὸν τῶν εἰκοσιτεσσάρων ἀνέδειξαν ἀριθμόν. Τὰ μέν τοι τρία στοιχεῖα (ἀφίησιν (2) αὐτὸς τῶν τριῶν ἐν συζυγίᾳ δυνάμεων ὑπάρχειν, ἃ ἐστιν ἐξ, ἀφ' ὧν ἀπερρύη τὰ εἰκοσιτέσσαρα στοιχεῖα) τετραπλασιασθέντα τῷ τῆς ἀῤῥήτου τετράδος λόγῳ, τὸν αὐτὸν αὐτοῖς ἀριθμὸν ποιεῖ, ἅπερ φησὶ τοῦ ἀνονομάστου ὑπάρχειν. Φορεῖσθαι δὲ αὐτὰ ὑπὸ τῶν τριῶν δυνάμεων εἰς ὁμοιότητα τοῦ ἀοράτου, ὧν στοιχείων εἰκόνες εἰκόνων (3) τὰ παρ' ἡμῖν διπλᾶ γράμματα ὑπάρχειν, ἃ συναριθμούμενα τοῖς εἰκοσιτέσσαρσι στοιχείοις, δυνάμει τῶν κατ' ἀναλογίαν (4), τῶν τριάκοντα ποιεῖ ἀριθμόν.

6. Τούτου τοῦ λόγου καὶ τῆς οἰκονομίας ταύτης καρπόν (5) φησιν ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος πεφηνέναι (6), ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας τέταρτον ἀναβάντα εἰς τὸ ὄρος (7), καὶ γενόμενον ἕκτον, τὸν κρατηθέντα,

A emissus illuc, unde fuerat separatus ad emendationem factorum : ut Pleromatum unitas æqualitatem habens, fructificet unam in omnibus, quæ est ex omnibus, virtus. Et sic is qui est numeri VII eorum qui sunt octo accepit virtutem (8), et facta sunt tria loca similia numeris, cum sint octonationes : quæ ter in se venientia (9) viginti quatuor ostenderunt numerum. Et tria quidem elementa (quæ dicit ipse trium in conjugatione virtutum exsistere, quæ fiunt VI, ex quibus emanaverunt viginti 71 quatuor litteræ) quadripertita (10) inenarrabilis quaternationis ratione, eumdem numerum (11) faciunt : quæ quidem dicit illius, qui est innominabilis (12), exsistere. Indui (13) autem ea a tribus (14) virtutibus, in similitudinem illius qui
B est invisibilis : quorum elementorum imagines imaginum esse eas, quæ sunt apud nos duplices litteræ, quas cum XXIV litteris annumerantes (15), virtute quæ est secundum analogiam, XXX faciunt numerum.

6. Hujus rationis et dispositionis fructum dicit in similitudinem imaginis apparuisse illum, qui (16) post VI dies quartus ascendit in montem, et factus est sextus (17) : qui descendit et detentus est in hebdo-

BILLII INTERPRETATIO.

fuerat idcirco missus, ut ea quæ facta erant, emendarentur, ac Pleromatum unitas æqualitate prædita unam in omnibus, quæ ex omnibus manat, virtutem proferret. Atque ita septenarius numerus octonarii vim accepit : factique sunt tres loci numeris consimiles, cum sint ogdoades : qui quidem tres in se ducti quatuor et viginti efficiunt. Et quidem tria elementa (quæ ipse conjugii nexu cum tribus virtutibus devincta esse ait, ac proinde sex sunt, e quibus viginti quatuor litteræ profluxerunt) per sermone omni præstantioris quaternitatis rationem quadruplicata, eumdem cum ipsis numerum pariunt : quæ qui lem illius esse ait, qui appellationem omnem excedit. Ea porro ad invisibilis similitudinem a tribus virtutibus ferri. Atque horum elementorum imagines imaginum eas esse litteras dicit, quas duplices appellamus : quæ quidem si viginti quatuor litteris adjungantur, analogiæ vi tricenarium numerum edunt.

6. Hujus rationis et administrationis fructum in imaginis similitudine exstitisse ait eum, qui post sex dies quartus in montem ascendit, ac sextus factus est : qui descendit, atque in hebdomade detentus est,

Neque enim quadrat ἐπαιδή cum his quæ præcedunt. Sensus autem horum verborum, prosequitur vir eruditus, hic est : Quoniam *Pater* et *Veritas* novem litteras continebant, *Homo* autem et *Ecclesia* septem duntaxat, *Sermo* vero et *Vita* octo, corrigendæ hujusce numerorum inæqualitatis causa factum est, ut littera una, qua *Pater* abundabat, ad *Hominem* et *Ecclesiam* descenderit : ac sic cuique ex his conjugationibus suus litterarum octernio constitit.

(1) *Οἱ τόποι.* Τρεῖς adde ex vet. interp.

(2) *Ἀφίησιν.* Leg. cum interp. ἃ φησιν.

(3) *Εἰκόνες εἰκόνων.* Postremam hanc vocem hamulis incluserunt Petavius et Grabius, veluti superfluam. Sed præterquam quod eam legit interpres, existimo duplices litteras recte dici potuisse *imagines imaginum*, quia imagines erant conjugatorum elementorum, quæ et ipsa conjugatos Æones exprimebant.

(4) *Δυνάμει τῶν κατὰ ἀναλογίαν.* Leg. cum interp. δυνάμει τῇ κατ' ἀναλογίαν.

(5) *Τῆς οἰκονομίας ταύτης καρπόν.* Jesus est, quem Pleromatis τέλειον καρπόν sup. cap. 2 vocabant Valentiniani.

(6) *Πεφηνέναι.* Sic recte cod. Reg.; at omnia edita male πεφυκέναι.

(7) *Ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας*, etc. Alludit ad Christi transfigurationem ex Matth. XVII et Marc. IX. Cum Christus *post sex dies* ascendisset in montem, assumptis secum Petro, Joanne et Jacobo, *factus est* proinde *quartus;* tum advenientibus Moyse et Elia, *factus est sextus.* Quod autem addit Marcus hæresiarcha, *qui descendit et detentus est in hebdomade;* id intelligo de Jesu in hunc

C mundum descensu, ejusdemque in eo mora. Cum enim hic mundus *septem virtutibus* constet, *ad imitationem hebdomadis virtutis* conditus, ut sub istius capitis finem dicitur, palam est *hebdomada* a Marco vocari. Eadem igitur hebdomas est de qua et hic et illic, sicque Jesus in hebdomade habitans, hacque superior, *insignis octonatio est :* quemadmodum Achamoth, septem cœlis a Demiurgo conditis superior, ogdoas dicitur cap. 5.

(8) *Qui est numeri* VII *eorum qui sunt octo accepit virtutem.* Clarius Billius : *septenarius numerus octonarii vim accepit.* Vide not. 15 (*supra, col.* 604.)

(9) *Quæ ter in se venientia.* Ex Græco vertendum erat : *quæ tria in se venientia*, seu *ducta.*

(10) *Quadripertita.* Melius *quadruplicata*, scilicet *elementa.*

(11) *Eumdem numerum.* Adde ex Græco, *cum illis*, nimirum tribus locis.

(12) *Innominabilis.* Sic emendavit Feuard. pro
D *innumerabilis.* Consensit cod. Voss. At Clarom., Ottobon et Arund. habent *inenarrabilis.*

(13) *Indui.* Græc. φορεῖσθαι, *ferri, portari.*

(14) *Ea a trib.* Sic ex Græco corrigimus, ita exigente syntaxi, pro *eas*, quod manifestum scribarum sphalma est; nam de elementis hic sermo est.

(15) *Annumerantes.* Cod. Clarom. *innumerantes;* Arundel. *annumeratis*, forte pro *annumeraris :* sic enim legendum merito censet Fronto Duc.

(16) *Illum, qui. Et* ante *illum*, codd. Clarom., Arund. et Græci textus auctoritate cum Grabio expungimus.

(17) *Sextus.* Ita pro numero VI reposuit idem Grabius ex Voss. et Græco.

Digitized by Google

made, cum esset insignis octonatio, et haberet in se omnem elementorum numerum, quem manifestavit, cum ipse venisset ad baptismum, columbæ descensio, quæ est Ω et A. Numerus enim ipsius, unum et DCCC. Et propter hoc Moysen in sexta die dixisse hominem factum : et dispositionem autem in sexta die, quæ est in cœna pura (1), novissimum hominem (2), in regenerationem primi hominis, apparuisse. Cujus dispositionis initium et finem sextam horam, in qua affixus est ligno: perfectum enim sensum (3), scientem 72 eum numerum qui est sex, virtutem fabricationis et regenerationis habentem, manifestasse filiis luminis eam generationem (4), quæ facta est per eum, qui manifestatus est insignis in eum numerum. Hinc etiam et duplices litteras numerum insignem habere ait. Insignis enim numerus commistus viginti quatuor elementis, XXX litterarum nomen explicuit (5).

7. Usus est autem diacono (6) septem numerorum magnitudine, quemadmodum dicit Marci Sige, ut a se cogitatæ cogitationis (7) manifestetur fru-

καὶ καταβάντα ἐν τῇ ἑβδομάδι, ἐπίσημον ὀγδοάδα ὑπάρχοντα, καὶ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸν ἅπαντα τῶν στοιχείων ἀριθμὸν, ἐφανέρωσεν (8), ἐλθόντος αὐτοῦ ἐπὶ τὸ βάπτισμα, ἡ τῆς περιστερᾶς κάθοδος, ἥτις ἐστὶν Ω καὶ Α (9). Ὁ γὰρ ἀριθμὸς αὐτῆς μία καὶ ὀκτακόσιαι (10). Καὶ διὰ τοῦτο Μωϋσέα ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν εἰρηκέναι τὸν ἄνθρωπον γεγονέναι· καὶ τὴν οἰκονομίαν (11) δὲ ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν, ἥτις ἐστὶ παρασκευὴ, τὸν ἔσχατον ἄνθρωπον εἰς ἀναγέννησιν τοῦ πρώτου ἀνθρώπου πεφηνέναι, ἧς οἰκονομίας ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ τὴν ἕκτην (12) ὥραν, ἐν ᾗ προσηλώθη τῷ ξύλῳ. Τὸν γὰρ τέλειον νοῦν, ἐπιστάμενον τὸν τῶν ἓξ ἀριθμὸν, δύναμιν ποιήσεως καὶ ἀναγεννήσεως ἔχοντα, φανερῶσαι τοῖς υἱοῖς τοῦ φωτὸς τὴν δι' αὐτοῦ φανέντος ἐπισήμου εἰς αὐτὸν ἀριθμὸν (13) γενομένην ἀναγέννησιν. Ἔνθεν καὶ τὰ διπλᾶ γράμματα τὸν ἀριθμὸν ἐπίσημον (14) ἔχειν φησίν. Ὁ γὰρ ἐπίσημος ἀριθμὸς, συγκραθεὶς τοῖς εἰκοσιτέσσαρσι στοιχείοις, τὸ τριακονταγράμματον ὄνομα ἀπετέλεσε.

7. Κέχρηται δὲ διακόνῳ τῷ τῶν ἑπτὰ ἀριθμῶν μεγέθει (15), ὡς φησιν ἡ Μάρκου Σιγὴ, ἵνα τῆς αὐτοβουλήτου βουλῆς φανερωθῇ ὁ καρπός. Τὸν μέν τοι

BILLII INTERPRETATIO.

cum insignis ogdoas esset, atque omnem elementorum numerum in se contineret: quem, cum ad baptismum accessisset, columbæ descensus perspicue ostendit, quæ quidem est Ω et A. Hujus enim numerus est unum et octingenta. Ob eamque causam dixisse Moysem, sexto die conditum hominem fuisse: juxta administrationem autem sexto die, quæ est parasceve, ultimum hominem ad primi hominis regenerationem apparuisse. Cujus quidem administrationis principium ac finem exstitisse sextam illam horam, in qua ligno affixus est. Perfectum enim Nun, cum senarium numerum procreandi ac regenerandi facultate præditum esse perspectum haberet, regenerationem eam, quæ per eum, qui insignis apparuit, in hunc numerum contigit, filiis lucis declarasse. Unde etiam duplices litteras insignem numerum habere ait. Etenim insignis numerus, viginti quatuor elementis adjunctus, nomen triginta litterarum conflcit.

7. Ministra porro, quemadmodum ait Marci Sige, septem numerorum magnitudine usus est, ut volun-

(1) *Cœna pura.* Sic vocem παρασκευή reddidit interpres; nec male. Nam *Paraseeven*, inquit August. tract. 120 *in Joan.*, *Cœnam puram Judæi Latine usitatius apud nos vocant.* Et, id est sexta feria. Glossarium : *Cœna pura*, προσάββατον. Ejusdem nominis meminerunt Tertull. lib. v *adv. Marcion.* c. 4, et Beda in cap. IX Joan. Ideo vero, ut observat Feuard., Judæi sextam diem, seu Parasceven, qua Dominus cruci affixus est, appellabant *cœnam puram*, quod juxta legis præscriptum puros vestimentis, cibis, corporibus et animis esse deceret, qui Sabbatum sequens celebraturi essent.

(2) *Novissimum hominem.* Vide not. 11.

(3) *Perfectum enim sensum.* Clarior Billii versio: *Perfectum enim Nun, cum senarium numerum procreandi ac regenerandi facultate prædium esse perspectum haberet, regenerationem eam, quæ per eum, qui insignis apparuit, in hunc numerum contigit, filiis lucis declarasse.*

(4) *Eam generationem.* E Græco legendum, *eam regenerationem.*

(5) *Explicuit*, I. e. *absolvit, complevit.*

(6) *Diacono.* I. e. *administra.*

(7) *A se cogitatæ cogitationis.* Melius Billius, *voluntarii consilii.* At in codd. Clarom. et Pass. legitur, *ab se cogitatæ manifestationis cogitetur fructus.*

(8) Ἐφανέρωσεν. Leg. cum interp. ὃν ἐφανέρωσεν.

(9) Ἥτις ἐστὶν Ω καὶ Α. Salvatorem, qui seipsum Apoc. I vocat α et ω, in Jesum, tum cum ad baptismum venit, sub specie columbæ descendisse fingebant illi hæretici.

(10) Ὁ γὰρ ἀρ. αὐτῆς, μία καὶ ὀκτ. Nam ex π quæ est 80, et ε quæ est 5, ex ρ 100, ι 10, σ 200, τ 300, ε 5, ρ 100, α 1, invicem additis exsurgunt 801.

(11) Καὶ τὴν οἰκονομίαν. Pro καί legit Billius κατά, ob verbum πεφηνέναι, quod in activa significatione nunquam in ullo auctore legisse se meminit. Contendit vero Fronto Duc. verbum istud medium activa interdum significatione gaudere. Sed quod exemplum profert ex Philone Judæo, apud quem legitur, τὴν εὐσέβειαν ἀπέφηνε, non est ad rem. Nam ἀπέφηνε aoristus est activus, non præteritum medium, de quo solo disputat Billius. Ut ut sit, melius forte et ad auctoris mentem aptius verba hæc, τὸν ἔσχατον ἄνθρωπον εἰς ἀναγέννησιν τοῦ πρώτου, per appositionem acceperis, addita nimirum explicandæ œconomiæ gratia, ut sit sensus : *nostræ salutis œconomiam, novissimum scilicet hominem, ad primi hominis regenerationem mortem obeuntem, in sexta die apparuisse.* Christi siquidem passionem a Græcis dictam fuisse οἰκονομίαν, tam notum est, ut argumenta referre superfluum videretur. Sic immutandæ vulgatæ lectionis, quam veteris interp. firmat auctoritas, nulla necessitas erit, et verbo πεφηνέναι sua constabit passiva significatio.

(12) Καὶ τὴν ἕκτην. Dele καί cum veteri interp.

(13) Εἰς αὐτὸν ἀριθμόν. Sic recte cod. Reg. Editt. omnes perperam, εἰς αὐτὸν δι' αὐτοῦ.

(14) Διπλᾶ γράμματα τὸν ἀριθμὸν ἐπίσημον. Senarium scilicet, cujus nota Græcis est ἐπίσημον ϛ. Tres autem illæ duplices litteræ sunt vulgatæ ζ, ξ, ψ, quæ revera senario æquipollent. Vult Grabius tria esse ἐπίσημα, βαῦ, σαμπῖ, et κόππα, quod qua ratione explicare possit vir doctus et huic loco aptare, non video.

(15) Τῶν ἑπτὰ ἀριθμῶν μεγέθει. Ἀληθείᾳ videlicet, Nu seu Monogenis conjuge, quæ, ut cap. sequenti dicitur, septem litteris constat.

Digitized by Google

ἐπίσημον τοῦτον ἀριθμὸν ἐπὶ τοῦ παρόντος, φησί, τὸν ἐπὶ τοῦ ἐπισήμου (1) μορφωθέντα, νόησον τὸν ὥσπερ μερισθέντα. ἢ διχοτομηθέντα, καὶ ἔξω μείναντα, ὃς τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει τε καὶ φρονήσει, διὰ τῆς ἀπ' αὐτοῦ προβολῆς τοῦτον τὸν τῶν ἑπτὰ δυνάμεων (2), κατὰ μίμησιν (3) τῆς ἑβδομάδος δυνάμεως (4), ἐψύχωσε κόσμον, καὶ ψυχὴν ἔθετο εἶναι τοῦ ὁρωμένου παντός. Κέχρηται μὲν οὖν καὶ αὐτὸς (5) οὗτος τῷδε τῷ ἔργῳ, ὡς αὐθαιρέτως ὑπ' αὐτοῦ γενομένῳ· τάδε (6) διακονεῖ, μιμήματα ὄντα τῶν ἀμιμήτων, τὴν ἐνθύμησιν τῆς μητρός. Καὶ ὁ μὲν πρῶτος οὐρανὸς φθέγγεται τὸ Α, ὁ δὲ μετὰ τοῦτον τὸ Ε, ὁ δὲ τρίτος Η, τέταρτος δὲ καὶ μέσος τῶν ἑπτά, τὴν τοῦ Ι δύναμιν ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πέμπτος τὸ Ο, ἕκτος δὲ τὸ Υ, ἕβδομος καὶ τέταρτος ἀπὸ μέρους (7) τὸ Ω στοιχεῖον ἐκβοᾷ, καθὼς ἡ Μάρκου Σιγὴ, ἡ πολλὰ μὲν φλυαροῦσα, μηδὲν δὲ ἀληθὲς λέγουσα, διαβεβαιοῦται. Αἵτινες δυνάμεις ὁμοῦ, φησί, πᾶσαι εἰς ἀλλήλας συμπλακεῖσαι ἠχοῦσι καὶ δοξάζουσιν ἐκεῖνον, ὑφ' οὗ προεβλήθησαν. Ἡ δὲ δόξα τῆς ἠχῆς ἀναπέμπεται εἰς τὸν Προπάτορα. Ταύτης μέν τοι τῆς δοξολογίας τὸν ἦχον εἰς τὴν γῆν φερόμενόν φησι πλάστην γενέσθαι, καὶ γεννήτορα τῶν ἐπὶ τῆς γῆς.

tus. Et insignem quidem hunc numerum in præsenti, ait, eum qui ab insigni figuratus est, intelligi (9), eum qui quasi in partes divisus est, aut præcisus, et foris perseveravit, qui sua virtute et prudentia per eam, quæ est ab eo, emissionem, hunc, qui est septem (10) virtutum, secundum imitationem hebdomadis virtutis, animavit mundum, et animam posuit esse hujus universi, quod videtur. Utitur autem et ipse hic hoc opere (11) quasi spontanee ab ipso facto: reliqua vero ministrant, cum sint imitationes inimitabilium (12), enthymesin (13) matris. Et primum quidem cœlum sonat A, quod autem est post illum E, tertium autem H, quartum vero et medium numeri VII (14). Iotæ virtutem (15) enarrat, quintum vero O, sextum autem Υ, septimum autem et a medio Ω elementum exclamat quemadmodum Marci Sige, quæ multa quidem loquacius exsequitur, 73 nihil autem verum loquens (16), affirmat. Quæ virtutes, ait, omnes simul in invicem complexæ sonant et glorificant illum, a quo emissæ sunt: gloria autem soni mittitur in Propatorem. Hujus autem glorificationis sonum in terram delatum ait plasmatorem factum, et generatorem eorum quæ sunt in terra.

8. Τὴν δὲ ἀπόδειξιν φέρει ἀπὸ τῶν ἄρτι γεννωμένων βρεφῶν, ὧν ἠχὴ (8), ἅμα τῷ ἐκ μήτρας προελθεῖν,

8. [66] Ostensionem autem affert (17) ab iis, qui nunc nascuntur (18), infantibus, quorum anima, si-

BILLII INTERPRETATIO.

tarii consilii fructus eluceret. Jam vero insignem hunc numerum, inquit, nunc eum intellige, qui ab insigni formatus est, quique velut divisus ac bifariam sectus est, forisque mansit, ac vi et prudentia sua per productionem, quæ ex eo exstitit, ad virtutis hebdomadis imitationem huic mundo septem virtutibus constanti vitam dedit, eumque ita comparavit, ut rerum omnium, quæ in aspectum cadunt, anima esset. Atque hic quidem hoc opere utitur, ut sponte ac libera voluntate a se confecto: alia autem, ut quæ rerum inimitabilium imitamenta sint, matris cogitationem subministrant. Ac primum quidem cœlum A proloquitur, proximum E, tertium H, quartum ac medium vim vocalis I enuntiat, quintum O, sextum Υ, septimum et quartum a medio Ω exprimit, quemadmodum Marci Sige, quæ multa quidem blaterat, cæterum nihil veri dicit, affirmat. Atque hæ Virtutes, inquit, omnes simul inter se connexæ tinniunt, ac laudibus eum, a quo productæ sunt, efferunt. Gloria autem hujus soni ad Propatorem transmittitur. Hujus porro laudationis sonum in terram delatum, eorum, quæ in terra sunt, effectorem ac parentem esse ait.

8. Hujus autem rei argumentum ducit ab infantibus recens in lucem editis, quorum sonus, confestim

[66] Cap. XI.

(1) *Ἐπὶ τοῦ ἐπισήμου.* Lege cum vet. ἀπὸ τοῦ ἐπισήμου.

(2) *Τῶν ἑπτὰ δυνάμεων. . . κόσμον.* Per septem virtutes intelligi septem cœlos (qui et angeli dicebantur), a Demiurgo conditos, quibus mundum constare docebant Valentiniani, perspicuum est ex iis quæ mox sequuntur.

(3) *Κατὰ μίμησιν.* Sic cod. Reg. cum om. editt. Male vero edit. Oxon. καὶ μίμησιν.

(4) *Τῆς ἑβδομάδος δυνάμεως.* Hebdomas illa virtutis, ad cujus imitationem mundo huic vita data, forte est hebdomas illa superior virtutum, seu septem virtutes Monogenis administræ, de quibus supra (*col.* 608, *not.* 15). Quemadmodum enim per septem has virtutes Pleromati velut initium, tutamen et fulcimentum præbet Nus: sic per septem cœlos huic mundo vitam impertit Demiurgus, seu per Demiurgum Enthymesis hic designata. Hanc conjecturam nostram argumentis petitis a capite II, cum hoc capite et seqq. collato, munire haud arduum foret, nisi in nugis immorari pigeret. Hæc conferat cui per otium licuerit.

(5) *Καὶ αὐτός.* In edit. Oxon. deest καί

(6) *Τάδε.* Ἄλλα adde ex vet.

(7) *Ἀπὸ μέρους.* Leg. cum vet. ἀπὸ μέσου.

(8) *Ὧν ἠχή.* Vetus interp. legit ὧν ἡ ψυχή, sic-

que legendum esse demonstrant quæ mox sequuntur: οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ ἐν τοῖς βρέφεσι κλαίουσα, etc. Hinc vocem ἡ ψυχή in Græco Irenæi textu restituerunt Gallasius et Feuard. Attamen cum vox ἠχή legatur in omnibus aliis editt. et in cod. Reg. nec incommodum sensum habeat, hanc immutari nihil necesse est.

(9) *Intelligi.* Ex Græco leg. *intellige. Siges* enim ad Marcum verba sunt.

(10) *Qui est septem.* Ita Clarom. cum editt. Eras. et Gall. In Feuard. autem et Oxon. omissum *est.*

(11) *Hic hoc opere.* In edit. Oxon. desideratur *hoc.*

(12) *Inimitabilium.* Ita recte Clarom. cod. juxta Græc. ἀμιμήτων. Alii om. cum editt. tum mss. perperam *imitabilium.*

(13) *Enthymesin.* Scribendum erat, *enthymesi.* Sed Græcam constructionem servavit interpres.

(14) *Numeri* VII. Clarius verti potuisset, *septem cœlorum* vel *ex septem.*

(15) *Iotæ virtutem.* Sic ex codd. Clarom. et Merc. 2 tollendæ ambiguitatis causa reposuimus. Nam in omnibus editt. *Iota virtutem.*

(16) *Loquens.* In Feuard. et Oxon. *loquitur.*

(17) *Affert. Idem* addit cod. Pass.

(18) *Ab iis qui nascuntur.* Melius, *a recens editis.*

Digitized by Google

mul ut de vulva progressa est, exclamat uniuscujusque elementi hunc sonum. Sicut ergo septem Virtutes, inquit, glorificant Verbum, sic et anima in infantibus plorans et plangens Marcum glorificat eum. Propter hoc autem et David dixisse: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* [66]. Et iterum: *Cœli enarrant gloriam Dei* [67]. Et propter hoc quando in doloribus et calamitatibus anima fuerit, in revelationem suam, dicit Ω in signum laudationis: ut cognoscens illa quæ sursum est anima, quod est cognatum suum, adjutorium ei deorsum mittat.

9. Et de omni quidem nomine, quod est XXX litterarum, et de Bytho, qui augmentum accipit (1) ex hujus litteris; adhuc etiam de Veritatis corpore, quod est duodecim membrorum, unoquoque membro ex duabus litteris constante; et de voce ejus, quam locuta est non locuta; et de resolutione ejus nominis, quod non est enarratum, et de mundi anima, et hominis, secundum quæ habent illam, quæ est ad imaginem, dispositionem, sic deliravit. Deinde autem quemadmodum ex nominibus æquiparatam virtutem ostendit eorum **74** quaternatio, referemus; ut nihil lateat te, dilectissime, eorum quæ ad nos pervenerunt ex iis, quæ ab iis (2) dicuntur, quemadmodum sæpe postulasti a nobis.

A ἐπιδοᾷ ἑνὸς ἑκάστου τῶν στοιχείων τούτων τὸν ἦχον. Καθὼς οὖν αἱ ἑπτὰ, φησὶ, δυνάμεις δοξάζουσι τὸν Λόγον (3), οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ ἐν τοῖς βρέφεσι κλαίουσα καὶ θρηνοῦσα Μάρκον δοξάζει αὐτόν. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὸν Δαβὶδ εἰρηκέναι· *Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.* Καὶ πάλιν· *Οἱ οὐρανοὶ (τῶν οὐρανῶν)* (4) *διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ.* Καὶ διὰ τοῦτο ἔν τε πόνοις καὶ ταλαιπωρίαις ψυχὴ γενομένη, εἰς διυλισμὸν (5) αὐτῆς, ἐπιφωνεῖ τὸ Ω εἰς σημεῖον αἰνέσεως (6)· ἵνα γνωρίσασα ἡ ἄνω ψυχὴ (7) τὸ συγγενὲς αὐτῆς, βοηθὸν αὐτῇ καταπέμψῃ.

9. Καὶ περὶ μὲν τοῦ παντὸς ὀνόματος, τριάκοντα ὄντος γραμμάτων τούτου, καὶ τοῦ Βυθοῦ, τοῦ αὔξοντος (8) ἐκ τῶν τούτου γραμμάτων, ἔτι τε τῆς Ἀληθείας σώματος δωδεκαμελοῦς (9), ἐκ δύο γραμμάτων συνεστῶτος, καὶ τῆς φωνῆς αὐτῆς, ἣν προσομιλήσασα (10), καὶ περὶ τῆς ἐπιλύσεως (11) τοῦ μὴ λαληθέντος ὀνόματος, καὶ περὶ τῆς τοῦ κόσμου ψυχῆς καὶ ἀνθρώπου, καθὰ ἔχουσι τὴν κατ' εἰκόνα οἰκονομίαν, οὕτως ἐλήρησεν. Ἐξῆς δὲ ὡς ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἰσάριθμον δύναμιν ἐπέδειξεν ἡ τετρακτὺς αὐτῷ (12), ἀπαγγελοῦμεν· ἵνα μηδὲν λάθῃ σε τῶν εἰς ἡμᾶς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένων ἐληλυθότων, ἀγαπητὲ, καθὼς πολλάκις ἀπῄτησας παρ' ἡμῶν.

B

BILLII INTERPRETATIO.

atque ex vulva prodierunt, uniuscujusque horum elementorum sonum edit. Quemadmodum igitur, inquit ille, septem Virtutes ipsum gloria afficiunt: sic etiam anima Marcum in infantibus plorans ac lugens, eum concelebrat. Atque hinc est quod David ait: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Et rursus: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Hinc que etiam fit ut anima cum in laboribus et ærumnis versatur, recreandi sui causa in laudationis signum Ω inclamet: quo nimirum superior anima quod sibi cognatum est, agnoscens, opem ei mittat.

9. Ac de toto quidem nomine quod triginta litterarum est, et de Bytho, qui ex hujus litteris incrementum capit, ac præterea de Veritatis corpore, quod duodecim membris constat, ac singula membra duabus litteris, ad hæc de ipsa voce, quam elocuta est, cum non elocuta sit, et de nominis illius quod nullis verbis expressum est, resolutione, ac denique de mundi hominisque anima, quemadmodum dispensationem eam habent, quæ est juxta imaginem, hoc pacto deliravit. Sequitur jam ut quoniam modo quaternitas parem ex nominibus vim ac facultatem ipsi demonstravit, referamus: ut ne quid eorum, quæ ab ipsis tradi accepimus, te fugiat; quemadmodum sæpenumero a nobis postulasti.

[66] Psal. VIII, 3. [67] Ps. XVIII, 1, juxta LXX.

(1) *Accipit.* Al. *accepit.*

(2) *Ab iis.* Græc., *ab eo.*

(3) *Ἑπτὰ ... δυνάμεις δοξάζουσι τὸν Λόγον.* Alludit ad illud psal. XVIII, 1, mox laudandum, *Cœli enarrant gloriam Dei.*

(4) *Οἱ οὐρανοὶ τῶν οὐρανῶν.* Dele τῶν οὐρανῶν.

(5) *Εἰς διυλισμόν.* Διυλισμὸς proprie *percolatio, expurgatio*, a vet. et recentioribus Irenæi interpretibus transfertur ad *animi recreationem*, seu *relevationem* post afflictiones. Sed genuinum loci istius sensum dabit Clemens Alexandrinus lib. I *Pædag.* pag. 96, ubi de Gnosticis agens scribit: Οὐκ ἄτοπον δὲ καὶ τοῖς αὐτῶν ἐκείνων συγχρήσασθαι ῥήμασιν, οἳ διυλισμὸν μὲν τοῦ πνεύματος τὴν μνήμην τῶν κρειττόνων εἶναι φασίν. Διυλισμὸν δὲ νοοῦσι τὸν ἀπὸ τῆς ὑπομνήσεως τῶν ἀμεινόνων, τῶν χειρόνων χωρισμόν. Ἕπεται δὲ ἐξ ἀνάγκης τῷ ὑπομνησθέντι τῶν βελτιόνων ἡ μετάνοια ἡ ἐπὶ τοῖς ἥττοσιν, etc. *Neque vero absurdum fuerit illorum quoque ipsorum verbis uti, qui meliorum recordationem, percolationem esse dicunt spiritus. Percolationem autem intelligunt, quæ ex meliorum β' recordatione, eorum quæ pejora sunt separationem. Eum itaque qui meliora revocavit in memoriam, necessario sequitur pœnitentia propter deteriora*, etc. Anima igitur in doloribus et calamitatibus constituta, ut percoletur dicit Ω, in signum laudationis: quia per dolores monetur recordari illius animæ, quæ sursum est, et a deterioribus separari. Hæcque pœnitentis animæ percolatio est.

C

D

(6) *Αἰνέσεως.* Ἀνέσεως legi volebat Petavius, indeque vertit *relaxationis.* Sed re accuratius pensata, agnovit in notis, vocem αἰνέσεως retinendam esse, et in versione, pro *relaxationis*, substituendum *laudationis.*

(7) *Ἡ ἄνω ψυχή.* Demiurgus scilicet super cœlos residens, animarum omnium συγγενής, vel ut cap. 5 dicitur, psychicorum sibi ὁμοουσίων (utpote et ipse animalis) auctor; qui et choico homine formato, *in hunc insufflavit psychicum*, quique animas diligit.

(8) *Αὔξοντος.* Αὔξω hic in significatione passiva accipitur pro *augeor, cresco*, ut recte accepit interpres.

(9) *Σώματος δωδεκαμελοῦς.* Adde ex vet. ἑκάστου μέλους.

(10) *Ἣν προσομιλήσασα.* Sic leg. ex vet.: ἣν προσωμίλησε μὴ προσομιλήσασα.

(11) *Ἐπιλύσεως.* Ἀναλύσεως legi volunt Billius et Petavius, quia vertit interpres, *resolutione.* At cum eadem sit significatio vocis ἐπιλύσεως, hanc retineri nihil obstat.

(12) *Τετρακτὺς αὐτῷ.* Legit interpres τετρακτὺς αὐτῶν.

Digitized by Google

CAPUT XV [68].

Pergit Sige Marco narrare XXIV *elementorum et Jesu generationem. Hæc deliria confutat Irenæus.*

1. Οὕτως οὖν ἀπαγγέλλει ἡ πάνσοφος αὐτῷ (1) Σιγὴ τὴν γένεσιν τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων. Τῇ μονότητι συνυπάρχειν ἑνότητι (2), ἐξ ὧν δύο προβολαὶ, καθ' ἃ προείρηται· μονάς τε καὶ τὸ ἓν ἐπὶ δύο οὖσαι, τέσσαρα ἐγένοντο· δὶς γὰρ δύο, τέσσαρες. Καὶ πάλιν, αἱ δύο καὶ τέσσαρες εἰς τὸ αὐτὸ συντεθεῖσαι, τὸν τῶν ἓξ ἐφανέρωσαν ἀριθμόν. Οὗτοι δὲ οἱ ἓξ τετραπλασιασθέντες, τὰς εἰκοσι τέσσαρας ἀπεκύησαν μορφάς. Καὶ τὰ μὲν τῆς πρώτης τετράδος ὀνόματα ἅγια ἁγίων νοούμενα, καὶ μὴ δυνάμενα λεχθῆναι, γινώσκεσθαι ὑπὸ μόνου τοῦ Υἱοῦ, ἃ ὁ Πατὴρ οἶδε τίνα ἐστί. Τὰ δὲ σεμνὰ, καὶ μετὰ πίστεως ὀνομαζόμενα παρ' αὐτῷ ἐστι ταῦτα· Ἄῤῥητος καὶ Σιγὴ, Πατὴρ τε καὶ Ἀλήθεια. Ταύτης δὲ τῆς τετράδος ὁ σύμπας ἀριθμὸς ἐστι στοιχείων εἰκοσιτεσσάρων. Ὁ γὰρ Ἄῤῥητος ὄνομα, γράμματα ἔχει ἐν ἑαυτῷ ἑπτὰ, ἡ δὲ Σιγὴ πέντε (3), καὶ ὁ Πατὴρ (4), καὶ ἡ Ἀλήθεια ἑπτά· ἃ συντεθέντα ἐπὶ τὸ αὐτὸ, τὰ δὶς πέντε, καὶ δὶς ἑπτὰ, τὸν τῶν εἰκοσιτεσσάρων ἀριθμὸν ἀνεπλήρωσαν. Ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ δευτέρα τετρὰς, Λόγος καὶ Ζωὴ, Ἄνθρωπος καὶ Ἐκκλησία, τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν τῶν στοιχείων ἀνέδειξαν. Καὶ τὸ τοῦ Σωτῆρος δὲ ῥητὸν ὄνομα (ὀκτὼ καὶ δέκα) (5) γραμμάτων ὑπάρχει ἓξ· τὸν δ' ἄῤῥητον αὐτοῦ (6) γραμμάτων εἰκοσιτεσσάρων. Υἱὸς Χριστὸς, γραμμάτων δώδεκα (7)· τὸ δὲ ἓν

1. Sic autem (8) annuntiat perquam sapiens eorum Sige generationem viginti quatuor elementorum. Cum solitate esse unitatem, ex quibus duæ sunt emissiones, sicut prædictum est [69], monas et hen, quæ duplicatæ (9), quatuor factæ sunt: bis enim duo, quatuor. Et rursus duo et quatuor in idipsum compositæ, sex manifestaverunt numerum. Hi autem sex (10) quadruplicati, viginti quatuor generaverunt figuras. Et quidem quæ sunt primæ quaternationis nomina sancta sanctorum intelliguntur (11), quæ non possunt enarrari; intelliguntur autem a solo Filio, quæ Pater scit quænam sunt. Alia vero quæ cum gravitate, et honore, et fide nominantur, apud eum sunt hæc: Ἄῤῥητος et Σιγὴ, Πατὴρ et Ἀλήθεια. Hujus autem quaternationis universus numerus est litterarum viginti quatuor: Ἄῤῥητος enim nomen litteras habet in se septem, Σιγὴ quinque (12), et Πατὴρ quinque, et Ἀλήθεια septem, quæ composita in se, bis quinque (13), et bis septem, viginti quatuor numerum adimpleverunt. Similiter et secunda quaternatio Logos et Zoe, Anthropos et Ecclesia eumdem numerum elementorum ostenderunt. Et Salvatoris quoque narrabile nomen Ἰησοῦς, litterarum est sex; inenarrabile autem ejus, litterarum viginti qua-

BILLII INTERPRETATIO.

CAPUT XV.

1. Ad hunc itaque modum, illa undique sapientissima Sige, viginti et quatuor elementorum ortum ipsi exponit. Cum solitate enim unitatem simul exsistere: ex quibus duæ, uti superius diximus, productiones exstiterunt, monas nimirum et unum: quæ quidem inter se juncta quatuor efficiunt: bis enim duo sunt quatuor. Ac rursus duo et quatuor in unum juncta, senarium numerum declararunt. Senarius porro quater in se ductus, viginti quatuor formas procreavit. Ac primæ quidem quaternitatis nomina, quæ sancta sanctorum intelliguntur, nec ullis verbis exprimi possunt, a solo Filio cognoscuntur, quæ Pater scit quænam sint. At vero augusta ac veneranda nomina, quæque non sine fide usurpantur, apud eum hæc sunt, Ἄῤῥητος, Σιγὴ, Πατὴρ, Ἀλήθεια. Hujus porro quaternarii numerus totus est quatuor et viginti litterarum. Nomen enim

[68] Cap. XII. [69] Sup. cap. XI.

(1) *Αὐτῷ.* Interpres legit αὐτῶν. In edit. autem Gall. et Feuard. habetur αὐτοῦ.

(2) *Ἑνότητι.* Leg. ἑνότητα.

(3) *Ἡ δὲ Σιγὴ πέντε.* Ex vet. interp. legendum hic σειγή· sive Marci ætate quidam ita scriberent, sive a male feriato hominis capite addita fuerit littera ε, ut quinque litteris constare posset vox. Id si attendissent Fronto Duc. et Feuard. in hoc ænigmate solvendo, qui Σιγὴ quinque litteris constare possit, non adeo laborassent.

(4) *Καὶ ὁ Πατὴρ.* Adde πέντε ex vet.

(5) *Ὀκτὼ καὶ δέκα.* Pro ὀκτὼ καὶ δέκα, lege cum interp. Ἰησοῦς. Nimirum, ut optime notat Petavius, compendiose scripserat Irenæus ιη pro Ἰησοῦς· librarii numerum esse rati, locum depravarunt.

(6) *Τὸν δὲ ἄῤῥητον αὐτοῦ.* Pro τόν lege τό. Quid sit autem illud *Jesu*, quod 24, et mox *Christi* nomen, quod 30 litterarum esse ait Marcus, explicet qui possit; qui vero non possit, leve dispendium existimet.

(7) *Υἱὸς Χριστὸς γραμμάτων δώδεκα.* Legit vetus interp. Υἱὸς καὶ Χριστὸς γραμμάτων δώδεκα. At Billius omissa voce Υἱὸς legendum vult, καὶ Χριστὸς γραμμάτων ἑπτά, vitiosam veteris versionis lectionem, *et Christus litterarum* VII, male secutus. Nam paulo post iterum scribitur, λέγεται δὲ, φησὶ, καὶ Υἱὸς Χριστὸς, τουτέστιν ἡ δωδεκὰς, etc., quæ sat accurate reddidit interpres. At, inquis, qui vox Χριστὸς litterarum octo dici potest? Respondet Petavius, Marcum, quemadmodum pro σιγὴ scripsit σειγὴ, sic pro Χριστὸς scripsisse Χρειστός. Quæ doctissimi viri conjectura ex eo firmari potest, quod Græcos quosdam sic interdum scripsisse patet ex acrostichide relata in Oratione Constantini Magni ad sanctorum cœtum, cap. 18, in qua legitur, Ἰησοῦς Χρειστός. Forte etiam cum Marcus videret a Latinis litteram Græcam χ in duas, *ch*, resolvi, eam veluti duplicem accepit; cum maxime aspirata sit, densioremque sonum habeat.

(8) *Sic autem.* Græc. *sic ergo.*

(9) *Quæ duplicatæ.* Vertendum erat, *quæ cum ad duo accesserint.*

(10) *Hi autem sex.* In edit. Feuard. male omissa vox *sex*, quæ exstat in omnibus aliis cum editt. tum mss. et textu Græco.

(11) *Et quidem ... sancta sanctorum intelliguntur.* Melius vertisset interpres: *Ac primæ quidem quaternationis nomina sancta sanctorum, quæ intelligentia sola percipi, non verbis explicari possunt.*

(12) *Σειγὴ quinque.* Ita codd. Claromm., Pass., Arund. et Merc. 2, cum editt. Eras. et Oxon. In Gall. vero et Feuard. male Σιγὴ· ratio enim numeri quinarii exigit scribi Σειγή.

(13) *Bis quinque.* Codd. Claromm., Pass., Voss. et Merc. 2, *bis quini.* In Eras. *bis quinæ.*

Digitized by Google

ιαον. **75** Υἱός et Χριστός, litterarum duodecim(1); quod est autem in Christo inenarrabile, litterarum triginta. Et propter hoc ait eum A et Ω, ut περιστερὰν manifestet, cum hunc numerum habeat hæc avis.

2. Jesus autem hanc habet, inquit, inenarrabilem genesim. A matre enim universorum, id est, primæ quaternationis (2) in filiæ locum (3) processit secunda quaternatio, et facta est octonatio, ex qua progressa est (4) decas : sic factum est XVIII (5). Decas itaque adjuncta octonationi, et decuplam (6) eam faciens, LXXX fecit numerum : et rursus octuagies decies (7) octingentorum numerum fecit : ut sit universus litterarum numerus ab octonatione in decadem progrediens, octo et octuaginta et DCCC (8) quod est Jesus. Jesus enim nomen, secundum Græcarum litterarum computum, DCCC sunt LXXXVIII (9). Habes (10) manifeste et supercœlestis

A Χριστῷ ἄῤῥητον, γραμμάτων τριάκοντα. Καὶ διὰ τοῦτό φησιν αὐτὸν Α καὶ Ω, ἵνα τὴν περιστερὰν μηνύσῃ, τοῦτον ἔχοντος τὸν ἀριθμὸν τούτου τοῦ ὀρνέου (11).

2. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ταύτην ἔχει, φησὶ, τὴν ἄῤῥητον γένεσιν. Ἀπὸ γὰρ τῆς μητρὸς τῶν ὅλων, τῆς πρώτης τετράδος, ἐν θυγατρὸς τρόπῳ προῆλθεν ἡ δευτέρα τετρὰς, καὶ ἐγένετο ὀγδοὰς, ἐξ ἧς προῆλθε δεκάς. Οὕτως ἐγένετο δεκὰς καὶ ὀγδοάς. Ἡ οὖν δεκὰς ἐπισυνελθοῦσα τῇ ὀγδοάδι, καὶ δεκαπλασίονα αὐτὴν ποιήσασα, τὸν τῶν ὀγδοήκοντα προεβίβασεν ἀριθμόν· καὶ τὰ ὀγδοήκοντα πάλιν δεκαπλασιάσασα, τὸν τῶν ὀκτακοσίων ἀριθμὸν ἐγέννησεν· ὥστε εἶναι τὸν ἅπαντα τῶν γραμμάτων ἀριθμὸν ἀπὸ ὀγδοάδος εἰς δεκάδα προελθόντα, Η καὶ Π καὶ Ω(12), ὅ ἐστι δεκαοκτώ (13). Τὸ γὰρ Ἰησοῦ ὄνομα (14), κατὰ τὸν ἐν τοῖς γράμμα-

B σιν ἀριθμὸν, Ω ἐστὶν ὀγδοηκονταοκτώ (15). Ἔχει (16)

BILLII INTERPRETATIO.

Ἄῤῥητος septem litteras in se complectitur, Σιγὴ quinque, Πατὴρ totidem, Ἀλήθεια septem : quæ quidem, hoc est, bis quinque, et bis septem, in unum coacta, quartum et vicenarium numerum conficiunt. Eodem etiam modo secunda quaternitas, Λόγος et Ζωὴ, Ἄνθρωπος et Ἐκκλησία, parem elementorum numerum ostendunt. Quin Salvatoris quoque nomen id, quod in sermonem cadit, hoc est Ἰησοῦς sex litterarum est : illud autem quod omnem sermonis facultatem superat, viginti quatuor litterarum. Eodem modo Christus septem litterarum est; quòd autem in Christo ejusmodi est, ut omnem vim sermonis excedat, litterarum triginta. Atque hac ratione ipse se dicit A et Ω, ut περιστερὰν, id est columbam indicet : hunc enim numerum habet hæc avis.

2. At vero Jesus, ait ille, inenarrabilem ortum hunc habet : etenim ex prima illa rerum omnium parente quaternitate, secunda quaternitas filiæ instar processit, atque ogdoas effecta est. Ex ea decas prodiit, sicque decas et ogdoas exstitit. Decas porro cum ogdoade juncta, eamque decuplans, octogena-

(1) *Υἱὸς et Χριστὸς litterarum* XII. Sic probe C restituit Grabius ex cod. Voss. consentiente Græco. Consentit et Clarom. In aliis omnibus editt. omissa voce Υἱός perperam habetur, *et Χριστὸς litterarum* VII, numero XII in VII mutato, quod facile fieri potuit. Ad marginem Eras. et Gall. scriptum est, *al.* XII, sed id male refertur ad *triginta*, quod mox sequitur : huc enim spectat.

(2) *Primæ quaternationis.* Scribendum erat, *primæ quaternationi.* Sed genitivum pro ablativo reddidit incautus interpres, haud attendens, τῆς πρώτης τετράδος, regi per præpositionem ἀπό.

(3) *In filiæ locum.* Vertendum erat, *in filiæ modum.* Sed pro τρόπῳ male legisse videtur interpres τόπῳ.

(4) *Progressa est.* Sic recte Grabius ex cod. Voss. Consentit Clarom. Cætera exemplaria perperam, *processa est.*

(5) *Factum est* XVIII. Sic omnino cod. Clarom. cum edit. Oxon. Consentiunt ex parte Voss. et Arund. Prior habet, *est;* alter, XVIII ; ex quibus vitiosam lectionem, *factum decimo octavo*, emendavit Grabius, apposita distinctionis nota ante *decas*, ut ab hac voce nova periodus inciperet. Cæterum ex Græco, pro XVIII, legendum esset *decas et ogdoas.*

(6) *Decuplam.* Exemplaria omnia, *decuplum*, perspicuo librariorum sphalmate.

(7) *Octuagies decies.* Gr. *Octoginta in decem duceus.*

(8) *Octuaginta et* DCCC. Sic recte Feuard. emendavit ex vet. cod. Consent. Clarom., Pass., Voss. et Græca lect. In editt. Eras. et Gall. et mss. Arund. et Merc. 2, corrupte legitur *octuaginta dat.* Numirum incauti scribæ DCCC commutarunt in *dat ;* quod facile fieri potuit.

(9) DCCC *sunt* LXXXVIII. Ita mss. Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon. juxta Græcum. In cæteris exemplaribus perperam, *dat summam* LXXXVIII.

(10) *Habes.* Sic codd. Pass. et Arund. In reliquis perperam *habens.*

(11) *Τοῦτον ἔχοντος τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀρνέου.* Quo pacto vox περιστερά, quæ *columbam* significat, numero his litteris α et ω respondeat, non videre se fatetur Billius. Sed id facile vidisset vir doctus, si singulas, quibus constat περιστερά, litteras, ut totidem notas numericas accepisset. Vid. sup. pag. 607, not. 10.

(12) *Η καὶ Π, καὶ Ω.* Nam η est 8, π 80, et ω 800, quæ simul collecta, efficiunt 888. Frustra ergo Billius vitiosa editt. Eras. et Gall. lectione deceptus expungi vult ω ; nec enim alias constaret numerus.

(13) *Ὅ ἐστι δεκαοκτώ.* Lege cum interp. ὃ ἐστὶν Ἰησοῦς. Si enim singulas nominis Ἰησοῦς litteras arithmetice accipias, summa dabit 888, ut mox subjungitur.

(14) *Ἰησοῦ ὄνομα.* Leg. Ἰησοῦς ὄνομα.

(15) *Ω ἐστὶν ὀγδοηκονταοκτώ.* Mallem cum Grabio καὶ post ἐστὶν inseri. Sollicita ejusmodi numerorum investigatione delectati sunt non modo Marcosii, sed et e Catholicis quidam. Auctor carminum sub nomine Sibyllæ Cumanæ lib. I : Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις, Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις Οὔνομα δηλώσει. *Namque octo monades, totidem decades super ista, Atque hecatontadæ octo infidis significabit Humanis nomen.* Et Beda in cap. II Lucæ : *Cujus sacrosancti nominis (Jesu) non tantum etymologia, sed et ipse quem litteris comprehendit numerus, perpetuæ nostræ salutis mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Græcos scribitur* Ἰησοῦς, *videlicet* ι, *et* η, *et* σ, *et* ο, *et* υ, *et* σ, *quarum numeri sunt* ι, *et* VIII, *et* CC, *et* LXX, *et* CCCC, *et* CC, *qui fiunt simul* DCCCLXXXVIII. *Qui profecto numerus, quia figuram resurrectionis adgaudeat, satis est supra tractatum.* His, puto, non adeo delectabitur, cui sapiet palatus.

(16) *Ἔχει.* Leg. ἔχεις.

Digitized by Google

σαφῶς καὶ τὴν ὑπερουράνιον (1) τοῦ η καὶ τοῦ σ (2) κατ' αὐτοὺς γένεσιν. Διὸ καὶ τὸν ἀλφάβητον (3) τῶν Ἑλλήνων ἔχειν μονάδας ὀκτὼ, καὶ δεκάδας ὀκτὼ, καὶ ἑκατοντάδας ὀκτὼ, τὴν τῶν ὀκτακοσίων ὀγδοηκονταοκτὼ ψῆφον (ἔπειτα) (4) δεικνύοντα, τουτέστι τὸ ε ι η (5) τὸν ἐκ πάντων συνεστῶτα τῶν ἀριθμῶν (6). Καὶ διὰ τοῦ (7) Ἄλφα καὶ Ω ὀνομάζεσθαι αὐτὸν, τὴν ἐκ πάντων γένεσιν (8) σημαίνοντα. Καὶ πάλιν οὕτως· Τῆς πρώτης τετράδος κατὰ πρόσβασιν (9) ἀριθμοῦ εἰς αὐτὴν συντιθεμένης, ὁ τῶν δέκα ἀνεφάνη ἀριθμός. Μία γὰρ καὶ δύο καὶ τρεῖς καὶ τέσσαρες ἐπὶ τὸ αὐτὸ συντεθεῖσαι, δέκα γίνονται (10)· καὶ τοῦτ' εἶναι θέλουσι τὸν Ἰησοῦν. Ἀλλὰ καὶ ὁ Χριστὸς, φησὶ, γραμμάτων ὀκτὼ ὤν, τὴν πρώτην ὀγδοάδα σημαίνει, ἥτις τῷ δέκα συμπλακεῖσα, τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε. Λέγεται δὲ, φησὶ, καὶ Υἱὸς Χριστὸς, τουτέστιν ἡ δωδεκάς. Τὸ γὰρ Υἱὸς ὄνομα γραμμάτων ἐστὶ τεσσάρων, τὸ δὲ Χριστὸς ὀκτώ· ἅτινα συντεθέντα, τὸ τῆς δωδεκάδος ἐπέδειξαν μέγεθος. Πρὶν μὲν οὖν, φησὶ, τούτου τοῦ ὀνόματος τὸ ἐπίσημον (11)

A Jesu secundum eos genesim. Quapropter et A B (12) Græcorum habere monadas octo, et decadas VIII. et hecatontadas VIII. DCCC (13) LXXXVIII numerum **76** ostendentia (14) hoc est, Jesum, qui est ex omnibus constans numeris: et propter hoc A et Ω nominari eum, cum significent (15) ex omnibus ejus generationem. Et iterum ita: Primæ quaternationis secundum progressionem (16) numeri in semetipsam compositæ (17) x apparuit numerus. A enim et B et Γ et Δ (18) in semetipsa (19) composita x fiunt (20), quod est I, et hoc esse volunt Jesum. Sed et Christus, inquit, litterarum est VIII, ex quibus primam octonationem significari, quæ cum iota (21) applicita (22) DCCC LXXXVIII numerum generavit (23). Dicitur autem, ait, et filius Christus, B hoc est, duodecas: υἱὸς enim nomen litterarum quatuor est, Χριστὸς autem octo: quæ composita duodecadis ostenderunt magnitudinem. Prius autem, inquit, quam hujus nominis insigne appareret, hoc est, Jesus, filiis (24), in ignorantia magna

BILLII INTERPRETATIO.

rium numerum peperit: rursusque octogenarium in decem ducens, octingentesimum numerum procreavit. Ita cum universus litterarum numerus ab octonario ad denarium progressus est, octo et octoginta emergunt: quod quidem est Ἰησοῦς. Hoc enim nomen, si litterarum numerum ineas, octo et octoginta efficit. Habes perspicue quinam, de eorum sententia, supercœlestis quoque Jesu ortus sit. Unde etiam Græcorum alphabetum unitates octo, decurias octo, totidemque centurias continere; quæ octingentorum octoginta octo numerum edant, hoc est, Jesum ex omnibus numeris constantem, ob idque A et Ω eum nuncupari, ut ipsius ex omnibus ortus significetur. Ac rursus ad hunc modum id exponunt: Prima quaternitate juxta numeri progressionem in sese composita, exiit denarius. Una enim, et duæ, et tres, et quatuor in unum conflatæ decem efficiunt, quod est iota: idque Jesum esse volunt. Quin etiam

(1) *Ὑπερουράνιον.* Legit interpres ὑπερουρανίου. C Sed mallem ὑπερουράνιον. Porro Jesu γένεσις dicitur ὑπερουράνιος, quia in ipso Pleromate, cœlis omnibus superiori, conspirantibus simul Æonibus facta est.

(2) *Τοῦ η καὶ τοῦ σ.* Pro his lege ex vet. τοῦ Ἰησοῦ.

(3) *Τὸν ἀλφάβητον τῶν Ἑλλήνων ἔχειν μονάδας ὀκτώ*, etc. Hæc sigillatim ostendit Fronto Duc. Ab α usque ad ι exclusive, sunt monades octo, nam senarii nota adsciscitur ϛ: ab ι usque ad ρ sunt decades octo, nonam enim exprimit nota alia ϟ: a ρ usque ad ω hecatontades octo, nonam hæc postrema refert, ϡ; millenarium vero ͵α subscripta virgula.

(4) *Ἔπειτα.* Dele hanc vocem, ex vet.

(5) *Τὸ ε ι η.* Pro his lege, τὸν Ἰησοῦν.

(6) *Τὸν ἐκ πάντων συνεστῶτα τῶν ἀριθμῶν.* Quia videlicet ex omnium Æonum collatione conflatus erat.

(7) *Διὰ τοῦ.* Leg. διὰ τοῦτο.

(8) *Γένεσιν.* Αὐτοῦ addit interpres.

(9) *Πρόσβασιν.* Cur Billius et Grabius legi velint, πρόβασιν, non video; cum et πρόσβασις æque verti possit, *progressio.*

(10) *Δέκα γίνονται.* Adde ex interpr. ὅτι ἐστὶν ι.

(11) *Τούτου τοῦ ὀνόματος τὸ ἐπίσημον.* Nominis Χριστὸς ἐπίσημον est ϛ, quo Ἰησοῦς sex constans litteris designatur, ut mox additur.

(12) *Et A B.* Pro A B, scribendum erat, *Alphabetum*, ex Græco Ἀλφάβητον.

(13) DCCC. Sic codd. Clarom. et Pass. cum editt. Feuard. et Oxon. ac textu Græco. In editt. Eras. et Gall. eodem recurrente errato, *dat:* quod quidem mendum ex solo textu Græco, nullo suffragante ms. correxerunt Feuard. et Grabius.

(14) *Ostendentia.* Vertendum erat *ostendens.* Nam δεικνύοντα refertur ad τὸν Ἀλφάβητον.

(15) *Significent.* Sic Clarom., Pass. et Voss. melius quam in editt. omnibus *processionem.*

(16) *Progressionem.* Sic in Clarom., Pass. et Voss. melius quam in editt. omnibus *processionem.*

(17) *Primæ quaternationis... compositæ.* Ἑλληνίζει interp. Genitivos absolutos Græcorum Latine reddit per genitivos; quod barbarum. Vertendum erat, *prima quaternatione composita.* In Eras. et Gall. pro *quaternationis*, habetur *quaternationi.* In Arund. et Merc. 2, *quaternioni.*

(18) A *enim et* B *et* Γ *et* Δ. Sic Clarom. cod. excepto quod Γ Græcum Latino more scribitur G. In omnibus autem aliis cum editt. tum mss. littera Γ perperam commutata in ϛ, sensus evertitur: neque enim ex α et β et ϛ et δ in unum compositis, decem fient, sed XIII. Sed in editt. Eras. et Gall. pro *et* ϛ, quod habent Feuard. et Grab., pejus legitur, *ut* ϛ, nec melius in Feuard. *et* α pro *et* δ.

D At pravis his lectionibus occurrisset interpres, si Græca secutus notis abstinuisset, scripsisseque, *unum, et duo, et tria, et quatuor.*

(19) *In semetipsa.* Codicis Arundel. lectionem sequimur. Cæteri omnes seu editi, seu manu exarati, minus bene, *in semetipso.*

(20) X *fiunt.* Al. X *faciunt.*

(21) *Cum Iota.* Hic *Iota* arithmetice accipias, juxta Græc. δέκα.

(22) *Applicita.* Editt. *applicata.*

(23) DCCCLXXXVIII *numerum generavit.* Verba Græca (si genuina sunt) non reddidit interpres; quamvis a sensu non deflexerit. In Græco siquidem, τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε, *Jesum peperit.* Sed cum Ἰησοῦς sit 888, si nimirum litteræ velut notæ numerorum accipiantur; has sic accipiens interpres vertit DCCCLXXXVIII.

(24) *Filiis.* Ita recte Clarom. cod. juxta Græcum, τοῖς υἱοῖς. In cæteris omnibus corrupte, *filius.*

Digitized by Google

fuerunt homines et errore. Cum autem manifestatum est VI litterarum nomen hoc quod secundum carnem (1) amictum est, ut ad sensibilitatem hominis descenderet, habens in semetipso ipsum quoque VI, et viginti quatuor; tunc cognoscentes eum cessaverunt ab ignoratione, et a morte in vitam ascenderunt, nomine eis facto ducatore (2) ad Patrem veritatis. Voluisse enim Patrem universorum solvere ignorantiam, et destruere mortem. Ignorantiæ autem solutio, agnitio ejus fiebat. Et propter hoc dictum (3) secundum voluntatem ejus, eum qui est secundum imaginem ejus, quæ sursum est virtus, dispositum hominem.

77 3. A quaternatione enim progressi sunt Æones. Erat autem in quaternatione Anthropos et Ecclesia, Logos et Zoe. Ab iis igitur Virtutes, ait, emanatæ generaverunt eum, qui in terra manifestatus est, Jesum. Et Logi quidem locum adimplesse angelum Gabriel, Zoes autem Spiritum sanctum, Anthropi autem Altissimi virtutem: Ecclesiæ autem locum Virgo ostendit. Et sic ille, qui est secundum dispositionem, per Mariam generatur (3) apud eum homo, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit per Verbum ad agnitionem suam. Cum autem venisset ipse ad aquam, descendisse in eum, quasi columbam, eum qui recucurrit sursum, et implevit XII numerum:

Α φανῆναι, τουτέστι τὸν Ἰησοῦν, τοῖς υἱοῖς, ἐν ἀγνοίᾳ πολλῇ ὑπῆρχον οἱ ἄνθρωποι καὶ πλάνῃ. Ὅτε δὲ ἐφανερώθη τὸ ἑξαγράμματον ὄνομα, ὃς σάρκα περιεβάλλετο, ἵνα εἰς τὴν αἴσθησιν τοῦ ἀνθρώπου κατέλθῃ, ἔχων ἐν ἑαυτῷ αὐτὰ τὰ ἓξ καὶ τὰ εἰκοσιτέσσαρα· τότε γνόντες αὐτὸν ἐπαύσαντο τῆς ἀγνοίας, ἐκ θανάτου δὲ εἰς ζωὴν ἀνῆλθον, τοῦ ὀνόματος αὐτοῖς ὁδοῦ γεννηθέντος (5) πρὸς τὸν Πατέρα τῆς ἀληθείας. Τεθεληκέναι γὰρ τὸν Πατέρα τῶν ὅλων λῦσαι τὴν ἄγνοιαν, καὶ καθελεῖν τὸν θάνατον. Ἀγνοίας δὲ λύσις, ἡ ἐπίγνωσις αὐτοῦ ἐγίνετο. Καὶ διὰ τοῦτο ἐκλεχθῆναι τὸν, κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, κατ' εἰκόνα τῆς ἄνω δυνάμεως (6) οἰκονομηθέντα ἄνθρωπον.

3. Ἀπὸ τετράδος γὰρ προῆλθον οἱ Αἰῶνες. Ἦν δὲ ἐν τῇ τετράδι Ἄνθρωπος καὶ Ἐκκλησία, Λόγος Β καὶ Ζωή. Ἀπὸ τούτων οὖν δυνάμεις, φησὶν, ἀπορρυεῖσαι, ἐγενεσιούργησαν τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν (7). Καὶ τοῦ μὲν Λόγου ἀναπεπληρωκέναι τὸν τόπον τὸν ἄγγελον Γαβριὴλ, τῆς δὲ Ζωῆς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τοῦ δὲ Ἀνθρώπου τὴν δύναμιν τοῦ υἱοῦ (8)· τὸν δὲ τῆς Ἐκκλησίας τόπον ἡ παρθένος ἐπέδειξεν (9). Οὕτως τε ὁ κατ' οἰκονομίαν διὰ τῆς Μαρίας γενεσιουργεῖται παρ' αὐτῷ ἄνθρωπος, ὃν ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων διελθόντα διὰ μήτρας ἐξελέξατο διὰ Λόγου εἰς ἐπίγνωσιν αὐτοῦ. Ἐλθόντος δὲ αὐτοῦ εἰς τὸ ὕδωρ, κατελθεῖν εἰς αὐτὸν ὡς περιστερὰν τὸν ἀναδραμόντα ἄνω (10) καὶ πληρώσαντα τὸν δωδέκατον ἀρι-

BILLII INTERPRETATIO.

Christus, inquit, qui litterarum octo est, primam ogdoadem significat: quæ quidem cum decade copulata octogenarium numerum peperit. Dicitur autem et filius Christus, hoc est, duodecas. Etenim nomen hoc Υἱός litterarum est quatuor, Χριστός autem octo: quæ quidem simul juncta duodecadis magnitudinem ostenderunt. Enimvero priusquam hujusce nominis insigne filius appareret, hoc est, Ἰησοῦς, in magna ignoratione et errore homines versabantur. At postea quam nomen sex litterarum conspicuum factum est (carnem videlicet indüens, ut ad hominis sensum laberetur, habens in se ipso sex et viginti quatuor), tum demum eo cognito, hujusmodi ignoratione liberati sunt, atque a morte ad vitam ascenderunt, utpote quibus hoc nomen ad veritatis Patrem ducis munus obierit. Placuisse enim rerum universarum parenti ignorationem depellere, ac mortem delere. Ignorationis porro depulsio, ipsius cognitio exstitit. Ob eamque causam de ipsius voluntate electum eum hominem fuisse, qui ad supernæ virtutis imaginem dispensatus est.

3. Ex quaternitate siquidem Æones profluxerunt. Etenim in quaternitate erant Homo et Ecclesia, Sermo et Vita. Ab his igitur, inquit, emanantes Virtutes Jesum eum, qui in terra apparuit, produxerunt. Et quidem Sermonis locum supplevisse angelum Gabrielem; Vitæ, Spiritum sanctum; Hominis, Altissimi virtutem; Ecclesiæ denique locum, Virginem indicasse. Sic nimirum apud eum is homo, qui ex dispensatione exstitit, per Mariam in ortum editus est: quem rerum omnium parens per vulvam transmeantem, Sermonis opera ad sui cognitionem elegit. Cum autem ad aquam sese contulisset, in ipsum columbæ instar descendisse illum ait, qui ad supera sese receperat, ac duodecimum numerum

(1) *Quod secundum carnem.* Hic delevimus *est*, quod manifesta scribarum oscitantia bis repetitum fuit.

(2) *Ducatore.* I. e. *duce.* Gloss. vet. *ducator*, ἀγός, προηγούμενος· *ducatores*, ἀγοὶ, ἡγεμόνες. Eadem voce utitur Tertull. *adv. Jud.* c. 13. Iterum occurrit apud auctorem nostrum lib. II, cap. 18, n. 7.

(3) *Dictum.* Vertendum est, *electum esse*; hancque lectionem confirmant mox sequentia: ὃν ὁ Πατὴρ τῶν ὅλων διελθόντα διὰ μήτρας ἐξελέξατο, *quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit.* Sed pro ἐκλεχθῆναι male legit interpres, λεχθῆναι.

(4) *Generatur.* Ita Græci textus auctoritate, ut videtur, Feuardentius a Frontone Duc. monitus posuit. Nam in Eras., Gall. et mss. omnibus legitur, *generatus.*

(5) *Ὁδοῦ γεννηθέντος.* Melius legas cum interp. ὁδηγοῦ γεννηθέντος.

(6) *Τῆς ἄνω δυνάμεως.* Christi videlicet, qui mox dicitur virtus in Jesum delapsa; vel superioris Ἀν- C θρώπου, cujus in Jesum descensuri idem Jesus ἐξομοίωσιν καὶ μόρφωσιν paulo post dicitur expressisse.

(7) *Ἐγενεσιούργησαν τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν.* Hic obiter monet Grabius, Latinam versionem Nicetæ in *Thesauro orthod. fid.* pag. 266 edit. posterioris: *Virtutes præterea, quæ ab iis emanaverant, ab eo Jesu generatas esse, qui visus esset in terra*, corrigendam esse hoc modo: *Virtutes præterea*, etc., *generasse Jesum, qui visus esset in terra.* Atque hanc correctionem, inquit vir clarissimus, bene admittunt Græca mss. cod. 22. Roe in Bibliot. Bodle. ἀπὸ τούτων δὲ δυνάμεις ἀπορρυεῖσας γενεσιουργῆσαι τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα Ἰησοῦν.

(8) *Υἱοῦ.* Lege Ὑψίστου cum vet. et ipso sacro textu Luc. I, 35, in quem digitum intendunt hæretici.

(9) *Ἐπέδειξεν.* Cod. Reg. ἔδειξεν.

(10) *Τὸν ἀναδραμόντα ἄνω.* Salvatorem, quem in Jesum sub columbæ specie descendisse clarius affirmant Valentiniani sup. cap. 7.

Digitized by Google

θμόν· ἐν ᾧ ὑπάρχει (1) τὸ σπέρμα τούτων τῶν συσπαρέντων αὐτῷ καὶ συγκαταβάντων καὶ συναναβάντων. Αὐτὴν δὲ τὴν δύναμιν κατελθοῦσαν σπέρμα φησὶν εἶναι τοῦ Πατρὸς (2), ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱόν, τήν τε διὰ τούτων γινωσκομένην ἀνονόμαστον δύναμιν τῆς Σιγῆς, καὶ τοὺς ἅπαντας Αἰῶνας. Καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ Πνεῦμα τὸ λαλῆσαν διὰ τοῦ Ἰησοῦ (3), τὸ ὁμολογῆσαν ἑαυτὸν Υἱὸν ἀνθρώπου (4), καὶ φανερώσαντα (5) τὸν Πατέρα, κατελθὸν μὲν εἰς τὸν Ἰησοῦν, ἡνῶσθαι δ' αὐτῷ. Καὶ καθεῖλε μὲν τὸν θάνατον, φησὶν, ὁ ἐκ τῆς οἰκονομίας Σωτὴρ, ἐγνώρισε δὲ τὸν Πατέρα Χριστὸν (6). Εἶναι οὖν τὸν Ἰησοῦν ὄνομα μὲν τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου (7) λέγει, τεθεῖσθαι δὲ εἰς ἐξομοίωσιν καὶ μόρφωσιν τοῦ μέλλοντος εἰς αὐτὸν κατέρχεσθαι Ἀνθρώπου. Τὸν χωρήσαντα αὐτὸν, ἐσχηκέναι (δὲ) (8) αὐτόν τε τὸν Ἄνθρωπον, αὐτόν τε τὸν Λόγον καὶ τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Ἄῤῥητον, καὶ τὴν Σιγὴν, καὶ τὴν Ἀλήθειαν, καὶ Ἐκκλησίαν, καὶ Ζωήν.

4. Ταῦτα δὴ ὑπὲρ τὸ Ἰού! καὶ τὸ Φεῦ! καὶ ὑπὲρ τὸ (9) πᾶσαν τραγικὴν φώνησιν (10) καὶ σχετλιασμόν ἐστι.

in quo inerat semen eorum, qui conseminati sunt cum eo, et condescenderunt et coascenderunt. Ipsam autem Virtutem quæ descendit, semen dicit esse Patris, habens in se et Patrem, et Filium, et eam, quæ per eos cognoscitur innominabilis virtus Siges, et omnes Æonas. Et hunc esse Spiritum, qui locutus est per os Jesu, qui se confessus est Filium hominis, et manifestavit Patrem, descendens quidem in Jesum, unitus est (11). Et destruxit quidem mortem, ait, qui fuit ex dispositione Salvator Jesus; agnovit autem Patrem Christum (12). Jesum esse ergo nomen (13) quidem ejus, qui est ex dispositione homo, dicit, positum autem esse in 78 assimilationem et figurationem ejus, qui incipit in eum descendere (14), Hominis, quem capientem habere et ipsum Hominem, et ipsum Logon, et Patrem, et Arrheton, et Sigen, et Alethian, et Ecclesiam, et Zoen.

4. Hæc jam supra *Iu iu!* et super *Pheu!* et super universam tragicam exclamationem et doloris voci-

BILLII INTERPRETATIO.

expleverat, in quo inerat semen eorum, qui una cum eo sati fuerant, simulque et descenderant et ascenderant. Hanc porro Virtutem, quæ descendit, Patris semen esse, Patrem et Filium in se habens, eamque quæ per eos agnoscitur, nec ulla sermonis facultate exprimi potest, Siges virtutem, cunctosque Æonas. Atque hunc esse Spiritum illum, qui per os Jesu verba fecit, seque hominis filium confessus est, et Patrem patefecit: quique in Jesum descendit, ipsique copulatus est. Ac mortem, inquit, de medio sustulit ille ex dispensatione Salvator, Patrem autem Christum Jesum esse cognovit: proinde Jesum nomen esse illius, qui ex dispensatione exstitit, docet; impositum autem fuisse ad exprimendam Hominis illius, qui in eum descensurus erat, similitudinem ac formationem. Hunc porro cum excepisset, simul et ipsum Hominem, et Sermonem, et Patrem, et Arrheton, et Sigen, et Veritatem, et Ecclesiam habuisse.

4. Hæc vero jam et *Iu!* et *Heu!* et tragicam omnem exclamationem ac querelam superant. Quis enim non in tantorum mendaciorum artificem et consarcinatorem odio commoveatur, veritatem perspiciens a

(1) *Ἐν ᾧ ὑπάρχει*, etc. In Jesu nimirum, in quo *fuisse et illud quod est ab Achamoth semen spiritale*, cap. mox citato dicunt Valentiniani. Porro semen istud hic dicitur σπέρμα τούτων συσπαρέντων αὐτῷ, id est, semen ab Angelis Salvatori *coætaneis et cum eo prolatis*, individuisque ejus comitibus in Achamoth infusum. Hæc ergo partim de Jesu, partim de Salvatore explicanda; quæ nisi accurate distinguas, sensum non assequeris.

(2) *Σπέρμα φησὶν εἶναι τοῦ Πατρός*. Non una erat Gnosticorum de columba in Jesum delapsa sententia. Alii enim, teste Clemente in *Excerptis* ex Didascalia Valentinianorum pag. 792, col. 1, *Spiritum Sanctum* dicebant; Basilidiani *ministrum*, τὸν διάκονον Valentini sectatores τὸ πνεῦμα τῆς ἐνθυμήσεως τοῦ Πατρὸς, *Spiritum intentionis Patris*. Marcus vero semen dicebat esse Patris, quia a Patre per Æones omnes emissus erat Salvator.

(3) *Διὰ τοῦ Ἰησοῦ*. Adde στόματος ex vet.

(4) *Τὸ ὁμολογῆσαν ἑαυτὸν Υἱὸν ἀνθρώπου*. Quia, ut sup. cap. 12 dicitur, *veluti nepos* erat *Anthropi*; utpote qui ortum duodecim illis, qui ab Anthropo et Ecclesia geniti sunt, Æonibus præsertim acceptum referret.

(5) *Φανερώσαντα*. Ex vet. lege φανερῶσαν.

(6) *Ἐγνώρισε δὲ τὸν Πατέρα Χριστόν*. Legendum monet Grabius Χριστός, non Χριστόν, hancque lectionem confirmat ex lib. III, cap. 16, n. 1: *Qui autem a Valentino sunt, Jesum quidem, qui sit ex dispositione* (dicunt), *ipsum esse qui per Mariam transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse, quem et Christum dici... participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et suo nomine; ut mors per hunc evacuaretur, cognósceretur autem Pater per eum Salvatorem quidem, qui desuper descendisset.* At cum ex ipso eodem loco constet Gnosticorum quorumdam fuisse hanc sententiam, *esse quidem filium Jesum, Patrem vero Christum, et Christi Patrem Deum*, probabilius videtur eamdem et Marci fuisse, ac proinde legendum, ἐγνώρισε δὲ τὸν Πατέρα Χριστόν, non Χριστός.

(7) *Τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου*. Ad distinctionem superioris Anthropi, qui in Jesum per *nepotem* Christum descendit, dictum est.

(8) *Τὸν χωρήσαντα αὐτὸν, ἐσχηκέναι δὲ*, etc. Pro τόν legi ὃν, ac deleri δέ, auctoritate vet. interpretis vult Billius. Ego vero nova periodo ab his verbis cœpta legendum censeo, τὸν δὲ χωρήσαντα αὐτὸν ἐσχηκέναι αὐτόν, etc. Quod autem vetus interpres scripsit, *quem*, nec particulam δὲ reddidit, ideo fecit quia duas periodos in unam commiscuit. Cæterum hæc de *Jesu*, qui *Anthropon* in se suscepit.

(9) *Ὑπὲρ τό*. Pro τό lege τήν.

(10) *Φώνησιν*. Malim cum Billio, ἐκφώνησιν.

(11) *Descendens quidem in Jesum, unitus est*. Melius vertisset interpres: *quique descendens in Jesum, unitus est ei*.

(12) *Agnovit autem Patrem Christum*. Ex Græco legendum est: *Notum autem fecit Patrem Christum*. Vide not. 6.

(13) *Jesum esse ergo nomen*. Male in edit. Oxon. vox *Jesum*, pejus in cæteris omnibus vox *esse*, claudit præcedentem periodum: inde enim pervertitur omnino sensus. Pertinet utraque ad sequentem. Sed et in hac eamdem vocem *Jesum*, scribarum oscitantia post *ergo* perperam repetitam, Græci textus auctoritate expungimus.

(14) *Qui incipit in eum descendere*, Hellenismus est, pro *qui descensurus in eum erat*.

Digitized by Google

ferationem sunt. Quis enim non oderit eum, qui tantorum mendaciorum malus compositor est poeta(1), cum viderit (2) veritatem idolum a Marco factam, et hoc alphabeti (3) litteris stigmatam? Nuper, sicut quod est ab initio (4), quod dici solet, heri et ante (5) Græci confitentur a Cadmo se (6) primum sedecim accepisse : post deinde procedentibus temporibus semetipsos adinvenisse, aliquando quidem adspiratas (7), aliquando autem duplices : novissime autem omnium Palamedem aiunt longas eis apposuisse. Prius igitur quam apud Græcos hæc fierent, non erat veritas? Corpus enim ejus secundum te, Marce, posterius est tempore quam Cadmos (8), et ii qui ante eum sunt; posterius autem his, qui reliqua elementa addiderunt (9) : posterius autem tempore, quam et tu ipse. Tu autem solus in idolum deposuisti eam, quæ a te prædicatur veritas.

A Τίς γὰρ οὐκ ἂν μισήσειε τῶν τηλικούτων ψευσμάτων κακοσύνθετον ποιητήν, τὴν μὲν ἀλήθειαν ὁρῶν εἴδωλον ὑπὸ Μάρκου γεγονυῖαν· καὶ τοῦτο τοῖς τοῦ ἀλφαβήτου γράμμασι κατεστιγμένην, νεωστὶ, πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς (10), τὸ δὴ λεγόμενον, χθὲς καὶ πρώην, Ἕλληνες ὁμολογοῦσιν ἀπὸ Κάδμου (11) πρῶτον ἓξ καὶ δέκα παρειληφέναι, εἶτα μετέπειτα προβαινόντων τῶν χρόνων αὐτοὶ ἐξευρηκέναι ποτὲ μὲν τὰ δασέα, ποτὲ δὲ τὰ διπλᾶ· ἔσχατον δὲ πάντων Παλαμήδην φασὶ τὰ μακρὰ (12) τούτοις προστεθεικέναι. Πρὸ τοῦ οὖν (13) Ἕλλησι ταῦτα γενέσθαι, οὐκ ἦν ἀλήθεια; Τὸ γὰρ σῶμα αὐτῆς κατὰ σὲ, Μάρκε, μεταγενέστερον μὲν Κάδμου, καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ· μεταγενέστερον δὲ τῶν τὰ λοιπὰ προστεθεικότων στοιχεῖα· μεταγενέστερον δὲ καὶ σαυτοῦ. Σὺ γὰρ μόνον εἴδωλον (14) κατB ἤγαγες τὴν ὑπὸ σοῦ λεγομένην ἀλήθειαν.

5. Quis autem sustinebit tuam illam quæ tantum

5. Τίς δ' ἀνέξεταί σου τὴν τοσαῦτα φλυαροῦσαν

BILLII INTERPRETATIO.

Marco idolum effectam, atque alphabeti litteris recens, et, ut proverbio dicitur, heri ac nudiustertius quasi notis quibusdam compunctam, cum jam inde a principio sit? Græci etenim se a Cadmo primum sex et decem litteras accepisse confitentur : ac postea temporis progressu nunc adspiratas, nunc duplices invenisse : postremum vero omnium Palamedem longas adjecisse tradunt. Quid igitur? antequam apud Græcos hæ litteræ exstarent, non erat veritas? Etenim de tua sententia, Marce, ipsius corpus Cadmo, iisque qui Cadmi ætatem antecesserunt, posterius est : iisque item, qui reliquas litteras addiderunt, atque adeo te quoque ipso posterius. Tu enim solus eam, quam tu veritatem vocas, in idolum redegisti.

5. Quisnam autem tuam istam tot nugas effundentem Sigen feret, quæ et omni nomine sublimiorem nominat, et omni sermone superiorem exponit, et impervestigabilem explicat : eumque, quem tu corporis ac figuræ expertem esse ais, os aperuisse, ac Sermonem, tanquam unum aliquod ex compositis

(1) *Poeta.* Vertendum erat, *artifex.*

(2) *Viderit.* Editt. *videat.*

(3) *Alphabeti.* Codd. Clarom. et Pass. *alphabeæ.*

(4) *Nuper, sicut quod est ab initio.* Sic malæ interpunctionis vitio depravatum locum restituimus, periodum novam ab his vocibus incipientes. At male legens interpres, ὥσπερ τὸ ἀπ' ἀρχῆς, vel quid simile, male et vertit, *sicut quod est ab initio;* quod nullum habet sensum. Scribendum erat, *si ad initium ratio habeatur.* Vide not. 10.

(5) *Heri et ante.* Verte, *heri et nudius tertius.* In Eras., Gall. et mss. omnibus legitur, *et heri et ante.* Sed prius *et* merito delevit Feuardentius; neque enim exstat in Græco.

(6) *A Cadmo se.* Sic ex Græco recte correxit Feuard. Nam in Eras., Gall. et mss. omnibus, exceptis Ottobon. et Voss., pro his corrupte legitur, *ab æstimatione.* Quæ prava lectio Scaligero et Bocharto locis inf. cit. suspicionem injecit, veterem interpretem pro ἀπὸ Κάδμου, legisse ἀπ' εἰκάσμου.

(7) *Adspiratas.* Sic om. editt. cum cod. Pass. et Græco. Clarom. vero Ottobon. et quatuor Anglicani, *adspirationem.*

(8) *Cadmos, et ii qui. Cadmos* nominativus casus est, juxta Græcorum morem in *os* desinens : idque scribas omnes fefellit, qui arbitrati accusativum esse, imprudenter scripserunt, *et eos qui*, ut in mss. omnibus legitur : quod erratum emendavit Feuardentius a Frontone monitus.

(9) *Addiderunt.* In Eras., Gall. et mss. omnibus, post *addiderunt*, sequuntur tres voces : *temporis quam Palamedes*, vel *Palamedis :* quas expunxit Feuard. a Frontone monitus. Desunt quidem in Græco hodierno. Sed mutilum esse suspicor scripsisseque Irenæum : μεταγενέστερον δὲ τοῦ Παλαμήδου, καὶ τῶν τὰ λοιπά, etc., quod verterit

C interpres : *posterius autem temporis, quam Palamedes, et hi qui reliqua*, etc. Id suadere videtur contextus.

(10) *Νεωστὶ πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς.* Locum hunc, quia male hactenus interpunctus fuit, male et ab omnibus Irenæi interpretibus acceptum esse, recte observat Josephus Scaliger in *Animadvers.* ad Eusebii *Chronic.* p. 112. Nempe κατεστιγμένην νεωστὶ πρὸς τὸ ..... χθὲς καὶ πρώην, uno et eodem tenore legentes, caliginem nulli mortalium perviam Irenæi verbis offundunt. Hanc facile discuties, si cum Scaligero post κατεστιγμένην apposita distinctionis nota, ab his verbis, νεωστὶ πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς, novam periodum incipias, quæ desinet in ποτὲ δὲ τὰ διπλᾶ. Sensus videlicet erit : *Nuper, si ad prima rerum initia rationem habeas, et, ut communi proverbio dicitur, heri et nudius tertius, Græci se confitentur a Cadmo primum litterus sedecim accepisse.* Nempe illud, πρὸς τὸ ἀπ' ἀρχῆς, quod adeo D torsit interpretes, addidit Irenæus ut vocis νεωστὶ hyperbolen emolliret : ne quis existimaret, paucis abhinc annis litteras sedecim Græcos accepisse; quæ pluribus ante sæculis adinventæ quidem fuerant, recens tamen inventæ dici poterant, si ad ipsa rerum initia ratio haberetur. Qui quidem sensus perspicuus est, et optime cohæret cum sequentibus.

(11) *Ἀπὸ Κάδμου* Lege sis Eusebium de *Præpar. evangel.* lib. x, cap. 5, ac Marium Victorinum, et ex recentioribus Josephum Scaligerum in *Animadvers.* citat. pag. 103 et seqq. ac Bochartum in parte altera *Geographiæ*, *Chanaan* inscripta, lib. i, cap. 20.

(12) *Τὰ μακρά.* Cod. Reg. et Basileensis Epiphanii edit. τὰ μικρά.

(13) *Πρὸ τοῦ οὖν.* Post οὖν addi vult Billius παρ'.

(14) *Μόνον εἴδωλον.* Legit interpres, μόνος εἰς εἴδωλον.

Digitized by Google

Σιγὴν, ἣ τὸν ἀνονόμαστον ὀνομάζει, καὶ τὸν ἄῤῥητον ἐξηγεῖται, καὶ τὸν ἀνεξιχνίαστον ἐξιστορεῖ, καὶ ἠνοιχέναι τὸ στόμα φησὶν αὐτὸ, ὃν (1) ἀσώματον καὶ ἀνείδεον λέγεις, καὶ προενέγκασθαι Λόγον, ὡς ἔν τι τῶν συνθέτων ζώων· τόν τε Λόγον αὐτοῦ ὅμοιον ὄντα τῷ προβαλόντι, καὶ μορφὴν τοῦ ἀοράτου γεγονότα, στοιχείων μὲν εἶναι τριάκοντα, συλλαβῶν δὲ τεσσάρων; Ἔσται οὖν κατὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ Λόγου ὁ Πατὴρ τῶν πάντων, ὡς σὺ φῂς, στοιχείων μὲν τριάκοντα, συλλαβῶν δὲ τεσσάρων. Ἢ πάλιν τίς ἀνέξεται σου εἰς σχήματα καὶ ἀριθμοὺς, ποτὲ μὲν τριάκοντα, ποτὲ δὲ εἰκοσιτέσσαρα, ποτὲ δὲ ἓξ μόνον, συγκλείοντος τὸν τῶν πάντων κτιστὴν καὶ δημιουργὸν καὶ ποιητὴν Λόγον τοῦ Θεοῦ· κατακερματίζοντος (2) αὐτὸν εἰς συλλαβὰς μὲν τέσσαρας, στοιχεῖα δὲ τριάκοντα· καὶ τὸν πάντων Κύριον, τὸν ἑστερεωκότα τοὺς οὐρανοὺς, εἰς ὠπὴ κατάγοντος ἀριθμὸν, ὁμοίως τῷ ἀλφαβήτῳ αὐτὸν γεγονότα· πάντα (3) χωροῦντα Πατέρα, ἀχώρητον δὲ ὑπάρχοντα, εἰς τετράδα, καὶ ὀγδοάδα, καὶ δεκάδα, καὶ δωδεκάδα ὑπομερίζοντος, καὶ διὰ τῶν τοιούτων πολυπλασιασμῶν τὸ ἄῤῥητον καὶ ἀνεννόητον, ὡς σὺ φῂς, τοῦ Πατρὸς ἐκδιηγουμένου; Καὶ ὃν ἀσώματον καὶ ἀνούσιον ὀνομάζεις, τὴν τούτου οὐσίαν καὶ τὴν ὑπόστασιν ἐκ πολλῶν γραμμάτων, ἑτέρων ἐξ ἑτέρων γεννωμένων, κατασκευάζεις, αὐτὸς Δαίδαλος ψευδὴς (4) καὶ τέκτων κακὸς γενόμενος τῆς προπανυπερτάτου δυνάμεως· καὶ ἣν ἀμέριστον φῂς εἶναι, εἰς ἀφώνους καὶ φωνήεντας καὶ ἡμιφώνους φθόγγους ὑπομερίζων· τὸ ἄφωνον αὐτῶν τῷ τῶν πάντων Πατρὶ, καὶ τῇ τοῦ Υἱοῦ (5) ἐννοίᾳ

A 79 verbosata (6) est Sigen, quæ innominabilem nominat Æonem (7), inenarrabilem exponit, et eum qui investigabilis (8) est enuntiat, et aperuisse os dicit eum, quem incorporalem et infiguratum dicis, et emisisse Verbum, quasi unum ex his quæ composita sunt animalia : Verbum quoque ejus simile (9) (esse) ei, qui eum emisit, et formam invisibilis factum, elementorum quidem esse triginta, syllabarum autem quatuor? Erit ergo secundum similitudinem Verbi Pater omnium, sicut tu ais, elementorum quidem triginta, syllabarum autem quatuor. Aut iterum quis sustinebit te in schemata et numeros, aliquando quidem triginta, aliquando autem viginti quatuor, aliquando sex tantum, concludentem universorum conditorem, et Demiurgum, et factorem, B Verbum Dei, et minuentem eum in syllabas quidem quatuor, elementa autem triginta : et omnium Dominum, qui confirmavit cœlos, in DCCCLXXXVIII deducentem numeros, similiter atque alphabetum : et ipsum qui omnia capit Patrem, a nullo autem capitur, in quaternationem, et octonationem (10), et duodecadem subpartientem, et per hujusmodi multiplicationes illud, quod est inenarrabile et incognoscibile, quemadmodum tu dicis, Patris enarrantem? Et quem incorporalem et insubstantivum nominas, hujus materiam (11) et substantiam ex multis litteris, aliis ex aliis generatis, fabricas, ipse Dædalus fictor, et faber malus factus sublimissimæ virtutis : et quam (12) indivisibilem dicis substantiam (13) in mutas, et vocales et semivocales sonos subdi-

BILLII INTERPRETATIO.

animantibus produxisse dicit : ipsiusque Sermonem parenti suo similem, atque invisibilis formam referentem triginta elementa et quatuor syllabas continere? Ex quo sequi necessum erit, ut, de tua sententia, ille rerum omnium parens, perinde ac Sermo, triginta elementis et quatuor syllabis constet. Ecquis rursus te feret in figuras et numeros, nunc triginta, nunc viginti quatuor, nunc sex duntaxat, rerum omnium conditorem, et artificem, et effectorem Dei Sermonem concludentem, eumque in quatuor syllabas, et triginta elementa dissecantem, ac rerum omnium Dominum, qui cœlos firmavit, ad octingentesimum octogesimum octavum numerum æque atque alphabetum, devehentem : Patremque, qui omnia capit, cum a nullo ipse capiatur, in quaternitatem, et ogdoadem, et decadem, et duodecadem subdividentem, ac per hujusmodi multiplicationes id quod in Patre ineffabile est, omnique cogitatione, ut ipse inquis, præstantius exponentem? Et quem tum corporis, tum substantiæ expertem appellas, ejus naturam ac substantiam ex multis litteris, quarum aliæ ex aliis gignantur, exstruis, ipse falsum Dædalum ac nefarium supremæ virtutis fabrum te præbens : quamque ab omni divisione remotam esse ais, in mutos, et

(1) *Φησὶν αὐτὸ, ὃν.* Leg. cum interp. φησὶν αὐτὸν ὄν.

(2) *Κατακερματίζοντος.* Legit interpres, καὶ κατακερματίζοντος.

(3) *Ὁμοίως... πάντα.* Billius legi vult, ὁμοίως τῷ ἀλφαβήτῳ, καὶ αὐτὸν τὸν γεγονότα πάντα. Petavius, in marg. Ep phanii pag. 145 : Ὁμοίως τῷ ἀλφαβήτῳ γεγονότα· καὶ αὐτὸν τὸν πάντα. Ego leviori mutatione facta lubens legerem : Ὁμοίως τῷ ἀλφαβήτῳ αὐτὸν γεγονότα· καὶ τὸν πάντα, *quasi ipse alphabeto similis factus esset : et eum qui omnia*, etc. Interpres tamen legisse non videtur γεγονότα.

(4) *Αὐτὸς Δαίδαλος ψευδής.* Ut pote qui Dædalo similis, errorum labyrinthum construxerit, multiplici et intricata viarum perplexitate irremeabilem.

(5) *Καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ.* Leg. cum interp. καὶ τῇ τούτου.

(6) *Verbosata.* Sic mss. omnes et Eras. et Gall., excepto quod hi male divisa hac voce, scripserunt, *verbe sata.* Eam vero Feuardentius non melius intelligens, quam Eras. et Gallasius, propria auctoritate perperam commutavit in *verbosa.* Illunc secutus est Grabius. Atqui tamen *verbosari*, pro *garrire*, C verbum est non infrequens apud mediæ Latinitatis auctores. Sic in Augustini sermonum appendice, serm. 265 de Temp.: *In ecclesia stantes, nolite verbosari.* Et Augustinus ipse lib. III oper. imperf. contra Jul. n. 46 : *Inaniter verbosaris.* Melius ergo Græca hæc, τοσαῦτα φλυαροῦσαν, reddidit interpres noster, *tantum verbosata est*, quam Feuard. *tantum verbosa est.*

(7) *Æonem.* Deest in Græco.

(8) *Investigabilis.* Pro *ininvestigabilis*, vox interpreti nostro usitata. Eodem sensu Rom. XI, 33 : *Investigabiles viæ ejus.*

(9) *Simile.* Sic pro *similem* emendarit Feuard. consent. Clarom. et Pass. Sed dele verbum *esse*, quod sequitur, quodque sensum conturbat.

(10) *Et octonationem.* Adde ex Græco, et *decadem.*

(11) *Materiam.* Gr. οὐσίαν, *naturam.*

(12) *Quam.* Sic recte Grabius ex Græco, et Arund. ac Merc. 2, pro *quem.* Concinunt Clarom. et Ottobon.

(13) *Substantiam.* Deest in Græco.

Digitized by Google

videns; id quod est mutum in his, omnium Patri et huius intentioni 90 mentiens (1), in summam blasphemiam et magnam impietatem immisisti omnes qui tibi credunt.

A ἐπιψευδόμενος, εἰς τὴν ἀνωτάτω βλασφημίαν καὶ μεγίστην ἀσέβειαν ἐμβέβληκας ἅπαντας τοὺς σοι πειθομένους.

6. Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuæ divinæ adspirationis senior, et præco veritatis (2) invectus est in te, dicens sic :

Idolorum fabricator Marce, et portentorum inspe- [*ctor* (3),
Astrologiæ cognitor et magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,
Quæ tibi præstat tuus pater Satanas
Per angelicam virtutem Azazel facere,
Habens te præcursorem contrariæ adversus Deum [*nequitiæ.*

6. Διὸ καὶ δικαίως καὶ ἁρμοζόντως τῇ τοιαύτῃ σου τόλμῃ ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως (6) ἐπιβέβηκέ σοι, εἰπὼν οὕτως·

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σὺ χορηγεῖς (7) ὡς πατὴρ Σατανᾶ, εἰ (8)
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως (ἐγχειρήματα (9)) Ἀζα-
[ζὴλ (10) ποιεῖν,
Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας.

Et hæc quidem amator Dei senior. Nos autem reliqua mysteria eorum, quæ sunt longa, conabimur breviter expedire, et ea quæ multo tempore sunt occultata, in manifestum producere. Sic enim fiet ut facile argui et convinci possint ab omnibus.

B Καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεοφιλὴς πρεσβύτης. Ἡμεῖς δὲ τὰ λοιπὰ τῆς μυσταγωγίας αὐτῶν μακρὰ ὄντα πειρασόμεθα βραχέως διεξελθεῖν, καὶ τὰ πολλῷ χρόνῳ κεκρυμμένα εἰς φανερὸν ἀγαγεῖν. Οὕτω γὰρ ἂν γένοιτο εὐέλεγκτα πᾶσι.

CAPUT XVI.

Insulsa parabolarum de ove, drachmaque perdita, a Marcositis conficta explicatio. Admonitio auctoris de stupenda illorum vesania.

1. Generationem itaque Æonum (4), et errorem ovis, et adinventionem (5), adunantes in unum, mystice audent annuntiare hi qui in numeros omnia deduxerunt, de monade et dualitate dicentes omnia constare : et a monade usque ad quatuor numeran-

1. Τὴν οὖν γένεσιν τῶν Αἰώνων αὐτῶν καὶ τὴν πλάνην τοῦ προβάτου καὶ ἀνεύρεσιν ἑνώσαντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ, μυστικώτερον ἐπιχειροῦσιν ἀπαγγέλλειν οὗτοι, οἱ εἰς ἀριθμοὺς τὰ πάντα κατάγοντες, ἐκ μονάδος καὶ δυάδος φάσκοντες τὰ ὅλα συνεστηκέναι· καὶ ἀπὸ μονάδος

BILLII INTERPRETATIO.

vocales, ac semivocales sonos distribuens, idque quod in ipsis mutum est, rerum omnium parenti ipsiusque cogitationi falso attribuens, in summam blasphemiam gravissimamque impietatem eos omnes, qui tibi fidem adhibent, conjecisti.

6. Quocirca etiam optimo jure, atque ad tantam temeritatem tuam perapposite, divinus senex ac veritatis præco versibus ita in te exclamavit :

Marce, idolorum architecte, et portentorum observator,
Astrologicæ et magicæ artis perite,
Per quas falsis et cum errore conjunctis doctrinis robur concilias,
His, qui a te seducuntur, facinora
Apostaticæ virtutis pro miraculis ostendens,
Quorum edendorum facultatem pater tuus Satanas tibi suppeditat,
Per angelicam virtutem Azazelis,
Ut qui te nefariæ atque impiæ versutiæ præcursorem nactus sit.

Atque hæc quidem verba in te torsit pius senex. Nos vero reliqua eorum mysteria quæ longa sunt, brevi oratione complecti, et quæ diuturno tempore occultata sunt in lucem proferre conabimur. Sic enim facile ab omnibus refelli poterunt.

CAPUT XVI.

1. Ortum igitur Æonum suorum, ovisque aberrationem et inventionem in unum conjungentes, mystico quodam et altiore sensu exponere nituntur isti, qui omnia ad numeros detorquent. Ex unitate enim et

[90] Cap. 13.

(1) *Mentiens.* Melius Billius et Petavius, *falso attribuens.*

(2) *Præco veritatis. Versibus*, ex Græco ἐμμέτρως, addidit Feuardentius a Frontone Duc. monitus. Sed cum ea vox in nullo prorsus occurrat ms. Latino, nec in edit. Eras. et Gall. neque admodum necessaria sit, hanc expunxi.

(3) *Portentorum inspector.* Vertit Billius, *portentorum observator;* sed minus bene Petavius, *prodigiorum artifex.*

(4) *Æonum.* Adde ex Græco, *suorum*, vel *ipsorum* quos videlicet hæretici confinxerant.

(5) *Errorem et adinventionem.* Gr. τὴν πλάνην, καὶ ἀνεύρεσιν, quæ perperam omnino vertit Gallasius, *impostnram et commentum.*

(6) Ἐμμέτρως. In edit. Gall. male ἐμμετρος, pro ἐμμέτρως, *metrice, carmine.* Hinc ἐμμέτρως λέγειν

C et Plutarchi dialogo titulus, περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἐμμετρα τὴν Πυθίαν. Recte vero scribit Irenæus seniorem hunc, de quo loquitur, ἐμμέτρως ἐπιβεβοηκέναι, carmine invectum esse in Marcum. Sequuntur enim octo senarii iambici versus, non omnino mali, inquit Fronto; et excepto sexto, cui sextus pes deest, integri.

(7) Ἃ σὺ χορήγεις. Leg. cum interp. ἃ σοι χορήγει. Sicque scripserunt Gallasius et Billius, licet absque ullius ms. cod. auctoritate.

(8) Ὡς πατὴρ Σατανᾶ, εἰ. Legendum volunt Scaliger et Petav. οἷς πατὴρ Σατὰν δέ!, quamvis interpres vocem δέ! haud agnoscat.

(9) Ἐγχειρήματα. Dele hanc vocem, quæ perperam huc irrepsit.

(10) Ἀζαζήλ. Angelus malus est, cujus mentio fit, ait Grabius, in paraphrasi Chaldaica Jonathani

Digitized by Google

ἕως τῶν τεσσάρων ἀριθμοῦντες οὕτω γεννῶσι τὴν δεκάδα. Μία γὰρ καὶ δύο καὶ τρεῖς, καὶ τέσσαρες, συντεθεῖσαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ, τὸν τῶν δέκα Αἰώνων ἀπεκύησαν ἀριθμόν. Πάλιν δ' αὖ ἡ δυὰς ἀπ' αὐτῆς προελθοῦσα ἕως τοῦ ἐπισήμου (1), οἷον δύο καὶ τέσσαρες καὶ ἕξ, τὴν δωδεκάδα ἀπέδειξε. Καὶ πάλιν ἀπὸ τῆς δυάδος ὁμοίως ἀριθμούντων ἡμῶν ἕως τῶν δέκα (2), ἡ λ ἀνεδείχθη, ἐν ᾗ ὀκτὼ καὶ δέκα καὶ δώδεκα. Τὴν οὖν δωδεκάδα διὰ τὸν ἐπίσημον (3) συνεσχηκέναι, διὰ τὸ συνεπακολουθήσασαν αὐτῇ τὸ ἐπίσημον, πάθος λέγουσι. Καὶ διὰ τοῦτο περὶ τὸν δωδέκατον ἀριθμὸν τοῦ σφάλματος γενομένου, τὸ πρόβατον ἀποσκιρτῆσαν πεπλανῆσθαι, ἐπειδὴ τὴν ἀπόστασιν ἀπὸ δωδεκάδος γεγενῆσθαι φάσκουσι. Τῷ αὐτῷ τρόπῳ καὶ ἀπὸ τῆς δωδεκάδος ἀπόστασιν μίαν δύναμιν (4) ἀπολωλέναι μαντεύονται· καὶ ταύτην εἶναι τὴν γυναῖκα τὴν ἀπολέσασαν τὴν δραχμὴν καὶ ἅψασαν λύχνον καὶ εὑροῦσαν αὐτήν. Οὕτως οὖν καὶ (ἐπὶ) τοὺς (5) ἀριθμοὺς τοὺς καταλειφθέντας, ἐπὶ μὲν τῆς δραχμῆς τοὺς ἐννέα (6), ἐπὶ δὲ τοῦ προβάτου τοὺς ἕνδεκα (7) ἐπιπλεκομένους ἀλλήλοις, τὸν τῶν ἐνενηκονταεννέα τίκτειν ἀριθμὸν, ἐπεὶ ἐννάκις τὰ ἕνδεκα ἐνενηκονταεννέα γίνεται. Διὸ καὶ τὸ *ἀμὴν* (8) τοῦτον λέγουσιν ἔχειν τὸν ἀριθμόν.

tes, sic generant decadem. 31 Unum enim et duo, et tres, et quatuor, in unum compositæ (9), decem Æonum generaverunt numerum. Rursus autem dualitas ab ea (10) progressa usque ad episemon, duo, et quatuor, et sex, duodecadem ostendit. Et rursus a dualitate similiter numerantibus nobis usque ad x, xxx numerus ostensus est, in quo est ogdoas, et decas, et duodecas. Duodecadem igitur, eo quod episemon (11) habuerit consequentem sibi, propter episemon passionem vocant. Et propter hoc circa XII numerum (12) cum labes quædam facta fuisset, ovem luxuriatam aberrasse : quoniam apostasiam a duodecade factam dicunt. Similiter et a duodecade abscedentem unam Virtutem perisse divinant : et hanc esse mulierem, quæ perdiderit drachmam, et accenderit lucernam, et invenerit eam [71]. Sic igitur et numeros reliquos, in drachma qui (13) sunt novem, in ove vero undecim (14), perplexos sibimetipsis, XCIX numerum generare : quoniam novies undecim XCIX fiant. Quapropter et *Amen* hunc habere dicunt numerum.

BILLII INTERPRETATIO.

binario omnia coagmentata esse inquiunt : atque ab unitate usque ad quaternarium numerantes, ad hunc modum decadem gignunt. Unum etenim, et duo, et tria, et quatuor, in unum conflata, decem Æonum numerum procrearunt. Rursus autem binarius ab ea progressus usque ad senarium, hoc est, duo, et quatuor, et sex, duodecadem effecerunt. Ac rursus si a binario ad denarium usque numeremus, exsistit tricenarius, in quo octo, et decem, et duodecim continentur itaque duodecadem, quod asseclam senarium habuerit, senarii ratione passionem vocant. Ob eamque causam, quia circa duodenarium numerum error contractus sit, ovem abscessisse atque aberrasse : quandoquidem defectionem a duodecade factam esse contendunt. Eodemque modo a duodecade etiam Virtutem unam abscedentem peri sse vaticinantur : eamque per mulierem eam significari, quæ cum drachmam amisisset, accensa lucerna eam invenit. Sic igitur et numeros, qui supererant, nempe in drachma novem, in ove undecim, inter se conjunctos, nonagenarium nonum numerum procreare ; novies quippe undecim nonaginta novem efficere. Unde etiam ἀμὴν hunc numerum habere aiunt.

[71] Luc. xv, 8.

vulgo ascripta ad Genes. VI, 5. In libro Enochi decimus ordine inter XX angelos lapsos numeratur. De hoc plura somniarunt Rabbini. Lege sis Agrippam lib. II *De occult.* philos.; Reuchlinum lib. III *De Arte cabalistica*, et Moynii Notas ad Barnabæ Epistolam. pag. 648 et seqq.

(1) *Ἕως τοῦ ἐπισήμου.* Scilicet ϛ, quod senarii numeri nota est.

(2) *Ἀπὸ τῆς δυάδος... ἕως τῶν δέκα.* Duo enim, et quatuor, et sex, et octo, et decem, triginta efficiunt.

(3) *Διὰ τὸν ἐπίσημον*, etc. Hæc ex veteri versione ita emendanda existimant Billius et Petav. Διὰ τὸ τὸν ἐπίσημον ἐσχηκέναι συνακολουθήσαντα αὐτῇ, διὰ τὸν ἐπίσημον. Sed hanc emendationem minus probat Grabius. Utrovis enim modo, ait, ταυτολογίας crimen vix effugit Irenæus, nec satis clare, quomodo senarium contineat duodecas, explicat. Mallet itaque vir doctissimus, leviori mutatione facta, legere : Διὰ τὸν ἐπίσημον συνεσχηκέναι, διά τε συνεπακολουθῆσαι δὶς αὐτῇ τὸν ἐπίσημον. Sed qui duodenarius numerus ἐπίσημον bis habeat comitem, non satis video. A prima enim numerali nota α' usque ad ιβ' numeranti mihi, semel duntaxat occurrit ϛ'. Quare Billii lectionem prætulerim, nec ob id Irenæum ταυτολογίας reum egerim. Aliud enim esse puto, in duodenario numero ἐπίσημον contineri ; aliud duodenarium numerum propter ἐπίσημον vocari πάθος. Sed quæ, inquis, istius appellationis ratio ? Hæc in mentem venit : a duodedenario numero abstracto semel episemo, qui quidem in litterarum ordinem et numerum non venit, supersunt undecim litteræ duntaxat. Hinc in duodecade πάθος ; seu, quod alibi dicunt hæretici, ὑστέρημα, defectus unius litteræ : figura defectus, seu passionis quæ, abscedente uno Æone, postremæ Æonum duodecadi contigit.

(4) *Ἀπόστασιν μίαν δύναμιν.* Leg. ἀποστᾶσαν, non ἀπόστασιν.

(5) *Καὶ ἐπὶ τοὺς.* Dele ἐπί.

(6) *Ἐπὶ μὲν τῆς δραχμῆς ἐννέα.* Mulier enim Luc. xv, 8, dicitur habuisse *drachmas decem*, quarum una perdita, supersunt novem.

(7) *Ἐπὶ δὲ τοῦ προβάτου τοὺς ἕνδεκα.* Hæc non de ipsis ovibus centum, de quibus in Evangelio, sed de Æonum duodecade, per oves significata, intelligenda sunt. Uno siquidem Æone aberrante, per *ovem luxuriatam* figurato, supersunt undecim.

(8) *Τὸ ἀμὴν.* α' 1, μ' 40, ἡ 8, ν' 50 ; simul addita, 99.

(9) *Unum enim, et duo*, etc. Vel ex Græco scribe, *una enim et duæ et tres et quatuor in unum compositæ ;* vel, si malis, lege, *unum enim et duo et tria et quatuor in unum composita.*

(10) *Ab ea.* Melius, *a se.*

(11) *Eo quod episemon.* Vide not. 3.

(12) XII *numerum.* Sic Clarom. cod. melius quam editt. om. *duodecim numerum.* Si enim numerus ex integro scribatur, ponendum est, *duodecimum numerum.*

(13) *Qui.* Al. *quæ.*

(14) *Undecim.* Sic Fenardentius monitu Frontonis Duc. et Græci textus auctoritate correxit. Nam in editt. Eras. et Gall. ac mss. omnibus legitur *undecies novem ;* quod oscitantia scribarum ex sequenti commate huc perperam translatum est.

Digitized by Google

2. Non pigritabor autem tibi et aliter eos interpretantes annuntiare, ut undique conspicias fructum eorum. Litteram enim H, cum episemo, ogdoadem esse volunt, cum ab alpha beta (1) octavo sit posita loco; rursus iterum sine episemo computantes numerum ipsarum litterarum, et componentes usque ad H, triacontadem ostendunt. Incipiens 82 enim quis ab A, et perfiniens (2) in H, per numeros litterarum, abstrahens autem episemum et insuper conjungens incrementum litterarum, inveniet tricenarium numerum. Usque enim ad E litteram (3), XV fiunt: post deinde appositus eis VII numerus, II et XX perficit: cum autem appositum est iis H, quod est VIII, admirabilem triacontadem adimplevit. Et hinc ostendunt ogdoadem matrem triginta Æonum. Quoniam igitur ex tribus virtutibus unitus est tricenarius numerus, ter idem factus, XC fecit (4). Et ipsa autem trias in se composita IX generavit. Sic ogdoas XCIX generavit numerum. Et quoniam duodecimus Æon absistens reliquit sursum XI, consequenter dicunt (5) typum litterarum in figura Logi positum esse (undecimam enim in litteris esse Λ, qui est numerus XXX) et secundum imaginem positum esse superioris dispositionis: quoniam ab alpha sine episemo, ipsarum litterarum numerus usque ad Λ compositus, secundum augmentum litterarum cum ipso Λ, XC et IX facit numerum (6). Quoniam autem Λ, quæ

A **2. Οὐκ ὀκνήσω δέ σοι καὶ ἄλλως ἐξηγουμένων αὐτῶν ἀπαγγέλλαι, ἵνα πανταχόθεν κατανοήσῃς τὸν καρπὸν αὐτῶν. Τὸ γὰρ στοιχεῖον τὸ η σὺν μὲν τῷ ἐπισήμῳ ὀγδοάδα εἶναι θέλουσιν, ἀπὸ τοῦ πρώτου (7) ὀγδόου κείμενον τόπου· εἶτα πάλιν ἄνευ τοῦ ἐπισήμου ψηφίζοντες τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν τῶν στοιχείων, καὶ ἐπισυνθέντες μέχρι τοῦ η, τὴν τριακοντάδα ἐπιδεικνύουσιν. Ἀρξάμενος γὰρ ἀπὸ τοῦ ἄλφα καὶ τελευτῶν εἰς τὸ η, τῷ ἀριθμῷ τῶν στοιχείων, ὑπεξαιρούμενος δὲ τὸ ἐπίσημον, καὶ ἐπισυντιθεὶς τὴν ἐπαύξησιν τῶν γραμμάτων, εὑρήσει τὸν τῶν τριάκοντα ἀριθμόν. Μέχρι γὰρ τοῦ θ (8) στοιχείου πεντεκαίδεκα γίνονται· ἔπειτα προστεθεὶς αὐτοῖς ὁ τῶν ἑπτὰ ἀριθμὸς, β καὶ κ ἀπετέλεσε· προσελθὸν τούτοις τὸ η, ὅ ἐστιν ὀκτὼ, τὴν θαυμασιωτάτην τριακοντάδα ἀνεπλήρωσε.**

B **Καὶ ἐντεῦθεν ἀποδεικνύουσι τὴν ὀγδοάδα μητέρα τῶν τριάκοντα Αἰώνων. Ἐπεὶ οὖν ἐκ τριάκοντα (9) δυνάμεων ἥνωται ὁ τῶν λ ἀριθμὸς, τρεῖς αὐτὸς γενόμενος, τὰ ἐνενήκοντα ἐποίησε (τρὶς γὰρ τριάκοντα, ἐνενήκοντα [10]). Καὶ αὐτὴ δὲ ἡ τριὰς ἐφ' ἑαυτῆς συντεθεῖσα, ἐννέα ἐγέννησεν. Οὕτως δὲ ἡ ὀγδοὰς τὸν τῶν ἐννέα (11) παρ' αὐτοῖς ἀπεκύησεν ἀριθμόν. Καὶ ἐπεὶ ὁ δωδέκατος Αἰὼν ἀποστὰς κατέλειψε τοὺς ἄνω ἕνδεκα, καταλληλον λέγουσι (12) τὸν τύπον τῶν γραμμάτων τῷ σχήματι τοῦ λόγου (13) κεῖσθαι (ἑνδέκατον γὰρ τῶν γραμμάτων κεῖται τὸ λ (14), ὅ ἐστιν ἀριθμὸς τῶν λ'), καὶ κατ' εἰκόνα κεῖσθαι τῆς ἄνω οἰκονομίας· ἐπειδὴ ἀπὸ τοῦ ἄλφα, χωρὶς τοῦ ἐπισήμου, αὐτῶν τῶν**

BILLII INTERPRETATIO.

2. Nec vero tibi aliam quoque eorum expositionem referre gravabor, ut undecunque eorum fructum animadvertas. Litteram enim H, addita senarii nota, ogdoadem esse volunt, utpote a prima littera octavo loco sitam: ac rursus postea absque senarii nota litterarum ipsarum numerum subducentes, easque usque ad H copulantes, tricenarium edunt. Etenim qui ab A auspicatus in H desierit, per litterarum numerum, dempta senarii nota, atque conjunctis litterarum incrementis, tricenarium numerum reperiet. Etenim usque ad elementum E, quindecim fiunt; quibus si septenarium adjunxeris, duo et viginti emergent: ad quæ cum insuper accesserit H, qui est octonarius, mirificus ille tricenarius expletur. Atque hinc adducti, ogdoadem triginta Æonum matrem esse probant. Quoniam igitur tricenarius numerus ex tribus virtutibus compactus est, ter in se ductus nonaginta efficit. Ter enim triginta, nonaginta sunt. Atque item ternarius in seipso compositus nonarium procreavit. Et quoniam duodecimus Æon abscedens undecim alios sursum reliquit, aiunt litterarum formam in Λόγου, id est, Sermonis figura apte et congruenter sitam esse. Undecimam enim litterarum esse Λ, qui tricenarius est numerus, atque ad supernæ dispensationis imaginem collocatam esse: quandoquidem ab A, si senarii notam exceperis, litterarum numerus usque ad Λ compositus, juxta earum incrementum, adjuncta Λ, nonum ac nonagenarium numerum efficit. Quod autem Λ, quæ ordine undecima est, ad æqualis suæ investigatio-

(1) *Ab alpha beta.* Sic Clarom. Cæteri omnes, conjunctim *alphabeta.* Sed melius omisisset interpres, *beta;* adhuc melius, si Græca secutus scripsisset, *a prima littera.*

(2) *Perfiniens.* Pro *perficiens* ex Arund. et Voss. restituit Grabius. Consent. Clarom.

(3) *Litteram.* Loco *litteræ* Grabius reposuit *litteram.* Græci textus et cod. Voss. auctoritate. Suffragatur et Pass.

(4) *Fecit.* Arund. *facit.* Sed post hoc verbum adde ex Græco: *ter enim triginta, nonaginta sunt;* quæ male omisit interpres.

(5) *Reliquit sursum* XI, *consequenter dicunt.* Græca sic vertissem: *reliquit superiores undecim, consentaneum dicunt.*

(6) *Compositus... facit numerum.* Sic Feuard. solius Frontonis Ducæi judicio, Græcique textus auctoritate reposuit, pro *compositum... faciunt*, uti corrupte legitur in Eras., Gall. et mss. omnibus.

(7) *Ἀπὸ τοῦ πρώτου ὀγδόου κείμενον τόπου.* Legi vult Grabius: Ἀπὸ τοῦ α' ὀγδόου κείμενον τόπ. Sed expungere vocem πρώτου, huicque substituere α' nihil necesse est. Legere sufficiat: Ἀπὸ τοῦ πρώτου (στοιχείου scilicet) ὀγδόῳ κείμενον τόπῳ.

C

(8) *Τοῦ θ.* Lege cum interp. τοῦ ε.

(9) *Ἐκ τριάκοντα.* Leg. ἐκ τριῶν, ogdoade scilicet, decade, et duodecade. Sed in Petavii edit. pro ἐκ, perperam legitur ἐν.

(10) *Τρεῖς αὐτὸς γενόμενος... τρὶς γὰρ τριάκοντα.* Sic ex veteri interp. corrigas cum Frontone Duc.: τρὶς αὐτὸς γενόμενος... τρὶς γὰρ τριάκοντα.

(11) *Τῶν ἐννέα.* Leg. τῶν ἐνενήκοντα ἐννέα.

(12) *Τοὺς ἄνω ἕνδεκα, καταλλήλως λέγουσι.* Legit Billius, cum vet. ἄνω τοὺς ἕνδεκα, καταλλήλως λέγουσι. Sed cum Græcorum, prout nunc sunt, sanus sit sensus, haud immutanda vellem; mallemque Latina Græcis, quam Græca Latinis aptari.

(13) *Τῷ σχήματι τοῦ λόγου.* Ἐν τῷ σχήματι legi vult Billius, sed frustra, si vox καταλλήλον retineatur. At recte monet vir eruditus, loco λόγου substituendam esse litteram λ, in quam solam quadrant quæcunque hic dicuntur; nihil autem in λόγου.

(14) *Κεῖται τὸ λ.* Legisse videtur interpres κεῖσθαι τὸ λ.

Digitized by Google

γραμμάτων ὁ ἀριθμὸς ἕως τοῦ λ συντιθέμενος κατὰ A τὴν παραύξησιν τῶν γραμμάτων σὺν αὐτῷ τῷ λ τὸν τῶν ἐνενηκονταεννέα ποιεῖται ἀριθμόν. Ὅτι δὲ τὸ λ ἐνδέκατον ὂν τῇ τάξει ἐπὶ τὴν τοῦ ὁμοίου αὐτοῦ κατῆλθε ζήτησιν, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸν δωδέκατον ἀριθμὸν, καὶ εὑρὸν αὐτὸν ἐπληρώθη, φανερὸν εἶναι ἐξ αὐτοῦ τοῦ σχήματος τοῦ στοιχείου. Τὸ γὰρ λ, ὥσπερ ἐπὶ τὴν τοῦ ὁμοίου αὐτῷ ζήτησιν παραγενόμενον καὶ εὑρὸν καὶ εἰς ἑαυτὸν ἁρπάσαν αὐτὸν, τὴν τοῦ δωδεκάτου ἀνεπλήρωσε χώραν, τοῦ Μ στοιχείου ἐκ δύο Α συγκειμένου. Διὸ καὶ φεύγειν αὐτοῦ (1) διὰ τῆς γνώσεως τὴν τῶν ϛθ χώραν, τουτέστι τὸ ὑστέρημα, τύπον ἀριστερᾶς χειρός· μεταδιώκειν δὲ τὸ ἓν, ὃ προστεθὲν τοῖς ἐνενηκονταεννέα, εἰς τὴν δεξιὰν αὐτοῦ χεῖρα μετέστησε (2).

est (6) undecimo loco in ordine, ad similis sui (7) descendit inquisitionem, ut impleret XII numerum, et cum invenisset eum, adimpleta est; manifestum esse ex ipsa figuratione litteræ. A enim quasi ad sui similis inquisitionem adveniens, et inveniens, et in semet rapiens ipsum, duodecimum (8) adimplevit locum, M littera ex duobus lambdis AA consistente. Quapropter et fugere eos per agnitionem XCIX locum, hoc est, deminorationem, 83 typum sinistræ manus: sectari autem unum, quod additum super nonagintanovem in dexteram eos manum transtulit.

3. Σὺ μὲν ταῦτα διερχόμενος, ἀγαπητὲ, εὖ οἶδα, ὅτι γελάσεις πολλὰ τὴν τοιαύτην αὐτῶν οἰησίσοφον μωρίαν. Ἄξιοι δὲ πένθους οἱ τηλικαύτην θεοσέβειαν καὶ τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας (3) ἀῤῥήτου δυνάμεως καὶ τὰς τοσαύτας οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ ἄλφα καὶ τοῦ βῆτα καὶ δι' ἀριθμῶν, οὕτως ψυχρῶς καὶ βεβιασμένως διασύροντες. Ὅσοι δὲ ἀφίστανται τῆς ἐκκλησίας καὶ τούτοις τοῖς γραώδεσι μύθοις πείθονται, ἀληθῶς αὐτοκατάκριτοι. Οὓς ὁ Παῦλος ἐγκελεύεται ἡμῖν *μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτεῖσθαι*. Ἰωάννης δὲ, ὁ τοῦ Κυρίου μαθητὴς, ἐπέτεινε τὴν καταδίκην αὐτῶν, μηδὲ *χαίρειν* αὐτοῖς ὑφ' ἡμῶν λέγεσθαι βουληθείς. *Ὁ γὰρ λέγων αὐτοῖς*, φησὶ, *χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτῶν τοῖς πονηροῖς*. Καὶ εἰκότως (4)· *οὐκ ἔστι γὰρ χαίρειν* (5) *τοῖς ἀσεβέσι, λέγει Κύριος*. Ἀσεβεῖς δὲ ὑπὲρ πᾶσαν ἀσέβειαν

3. Tu quidem hæc pertransiens (9), dilectissime, optime scio quoniam ridebis multum tantam illorum in tumore sapientem stultitiam. Sunt autem digni planctu, qui tantam Dei religionem, et magnitudinem vere inenarrabilis virtutis, et tantas dispositiones Dei per A et B, et per numeros tam frigidos, et(10) vi extortos enuntiant. Quotquot autem absistunt ab Ecclesia, et iis anilibus fabulis assentiunt, vere a semetipsis sunt damnati: quos Paulus jubet nobis *post primam et secundam correptionem devitare* [72]. Joannes enim, Domini discipulus, superextendit damnationem in eos, neque *Ave* a nobis eis dici volens: *Qui enim dicit*, inquit, *eis Ave, communicat operibus ipsorum nequissimis* [73]. Et merito: *Non enim est gaudere impiis* (11), *dicit Dominus* [74]. Impii autem super omnem impietatem hi

BILLII INTERPRETATIO.

nem descenderit, ut duodenarium numerum absolveret, eoque invento expleta sit, perspicuum esse ex ipsa figura litteræ M, quæ ex duabus A composita est. Ex quo etiam effici, ut ipsi nonagenarii noni locum, hoc est, defectum, sinistræ manus typum, per cognitionem fugiant, unum autem consectentur; quod quidem si ad nonaginta novem accesserit, ad dextram eos manum transfert.

3. Equidem non dubito, vir charissime, quin tu, cum hæc leges, hujusmodi ipsorum falsa sapientiæ opinione sese venditantem stultitiam effuse risurus sis. Æquum est autem eos lugere, qui talem Dei cultum, vereque ineffabilis potentiæ magnitudinem, totque ac tantas Dei administrationes per alpha et beta, ac per numeros adeo frigide et contorte lacerant. Ii autem omnes, qui ab Ecclesia abscedunt, atque anilibus hisce fabulis fidem arrogant, vere ipsimet a se condemnati sunt: quos Paulus nobis post

[72] Tit. III, 10. [73] II Joan. 11. [74] Isa. XLVIII, 22.

(1) *Φεύγειν αὐτοῦ*. Leg. φεύγειν αὐτούς.

(2) *Τύπον ἀριστερᾶς... εἰς τὴν δεξιὰν αὐτοῦ* (lege αὐτοὺς cum vet.) *χεῖρα μετέστησε*. His lucem afferunt quæ Cassianus *Collat.* XXIV, cap. 26, ait: *Centenarius numerus de sinistra transfertur in dexteram: et licet eamdem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudine supercrescit.* Veteres siquidem utebantur manuum digitis ut numerarent; et læva indicabant omnes numeros infra centenarium, digitis varie conformatis: dextera vero numeros supra centenarium. Hinc illud Juvenalis de Nestore, sat. X:

...Atque suos jam dextera computat annos:

id est, vixit jam amplius centum annis. Et Sidonius Apollinaris lib. IX, epist. 9, ad Faustum, in fine: *Quandoquidem tuos annos jam dextera numeraverit*: i. e. jam centesimum annum attigisti, vel superasti.

(3) *Ἀληθείας*. Leg. cum vet. ἀληθῶς.

(4) *Καὶ εἰκότως*. *Et merito*, scilicet eis *Ave* dicere prohibuit.

(5) *Οὐκ ἔστι γὰρ χαίρειν*. Hunc Isaiæ locum sic accipere videtur Irenæus, quasi sensus esset, salutem impiis non esse dicendam. Alludit scilicet ad vulgatam illam Græcorum initio epistolarum formulam, χαίρειν, et dum salutem sibi precabantur, χαῖρε. At plerique aliter prophetæ verba interpretantur, nimirum nulla pace, animique tranquillitate frui impios, sed continuam eos manere mentis agitationem.

(6) *Quæ est*. *Quæ* iterum addidit Feuard. ex Græco.

(7) *Similis sui*. Hic rursus Græca secutus est Feuard. a Frontone monitus. Nam in Eras., Gall. et mss. omnibus, pro *sui* legitur *eorum*.

(8) *Duodecimum*. Al. *duodecimi*.

(9) *Pertransiens*. I. e. *legens, legendo percurrens*.

(10) *Vi extortos*. Feuard. *sic vi extortos*; Eras. ac Gall. *sic extortos*. Sed Græca sonant: *tam frigide et violenter*.

(11) *Non est gaudere impiis*. Sic cum Irenæo vertit et Augustinus lib. XIV *De civit. Dei*, cap. 8. Vulgata vero nostra habet: *non est pax impiis*.

Digitized by Google

sunt, qui factorem cœli et terræ, unum Deum omnipotentem, super quem alius Deus non est, ex labe, et ipsa ex altera labe facta, emissum dicunt: et sic jam, secundum eos, esse eum emissionem tertiæ labis. Quam sententiam digne (1) exsufflantes, et catathematizantes, oportet porro (2) alicubi et longe fugere ab eis: et quanto plus hæc affirmant et gaudent in iis adinventionibus suis, tanto magis sciamus plus eos agitari ab ogdoadis nequissimis spiritibus (3). Quemadmodum hi, qui in phreneticam passionem inciderunt, aut plus rident (4), et valere se putant, et quasi sani omnia agunt, quædam autem et quasi plus quam sani sunt, tanto magis male habent: similiter autem et hi, quo magis plus sapere putantur, enervantes semetipsos, **84** super tonum sagittantes (5), tanto magis non sapiunt. Exiens enim immundus spiritus ignorantiæ, dein vacantes eos, non Deo, sed mundialibus quæstionibus inveniens, assumens alios spiritus septem nequiores semetipso [75]; et infatuans illorum sententiam (6), quasi possint quæ sunt super Deum adinvenire, et aptabiliter in exclusionem compositam (7), ogdoadem ignorantiæ (8) nequissimorum spirituum in eos deposuit.

Οὗτοι, οἱ τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, μόνον Θεὸν παντοκράτορα, ὑπὲρ ὃν ἄλλος Θεὸς οὐκ ἔστιν, ἐξ ὑστερήματος, καὶ αὐτοῦ ἐξ ἄλλου ὑστερήματος γεγονότος, προβεβλῆσθαι λέγοντες· ὥστε κατ' αὐτοὺς εἶναι αὐτὸν προβολὴν τρίτου ὑστερήματος (9). Ἣν γνώμην ὄντως καταφυσήσαντας καὶ καταθεματίσαντας, δέον πόρρω που μακρὰν φυγεῖν ἀπ' αὐτῶν· καὶ ᾗ πλέον διισχυρίζονται καὶ χαίρουσιν ἐπὶ τοῖς παρευρήμασιν αὐτῶν, ταύτῃ μᾶλλον εἰδέναι πλέον αὐτοὺς ἐνεργεῖσθαι ὑπὸ τῆς ὀγδοάδος τῶν πονηρῶν πνευμάτων. Καθάπερ οἱ εἰς φρενῖτιδα διάθεσιν ἐμπεσόντες, ᾗ πλέον γελῶσι καὶ ἰσχύειν δοκοῦσιν καὶ ὡς ὑγιαίνοντες πάντα πράττουσιν, ἵνια δὲ καὶ ὑπὲρ τὸ ὑγιαίνειν, ταύτῃ μᾶλλον κακῶς ἔχουσιν· ὁμοίως δὲ καὶ οὗτοι, ᾗ μᾶλλον ὑπερφρονεῖν δοκοῦσι καὶ ἐκνευρίζουσιν ἑαυτούς, ὑπέρτονα τοξεύοντες (10), ταύτῃ μᾶλλον οὐ σωφρονοῦσιν. Ἐξελθὸν γὰρ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα τῆς ἀγνοίας (11), ἔπειτα σχολάζοντας αὐτοὺς οὐ Θεῷ, ἀλλὰ κοσμικαῖς ζητήσεσιν εὑρὸν, προσπαραλαβὸν ἕτερα πνεύματα ἑπτὰ πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ χαυνώσαν αὐτῶν τὴν γνώμην, ὡς δυναμένων τὰ ὑπὲρ τὸν Θεὸν ἐννοεῖν, καὶ ἐπιτήδειον (12) εἰς ὑπερέκκρουσιν (13) κατασκευάσαν, τὴν ὀγδοάδα τῆς ἀνοίας (14) τῶν πονηρῶν πνευμάτων εἰς αὐτοὺς ἐνεθήκωσε.

BILLII INTERPRETATIO.

unam atque alteram admonitionem vitandos esse præcipit. Joannes vero, Domini discipulus, condemnationem eorum auxit, ut qui ne ipsis quidem salutem a nobis dici velit. *Qui enim*, inquit, *dicit eis, Ave, communicat operibus eorum malis.* Idque haud sane abs re. *Non enim est salus impiis, dicit Dominus.* Impii enim, imo omni impietate sceleratiores isti sunt, qui cœli ac terræ conditorem, solum Deum omnipotentem, præter quem Deus alius nullus est, ex defectu, eoque ex alio defectu orto, productum esse dicunt: ita ut, de eorum mente ac sententia, a tertio defectu ortum traxerit. Quam quidem sententiam profecto exsufflare et exsecrari debemus, proculque ab eis fugere: quoque asseverantius loquuntur, atque inventis suis impensius oblectantur, eo magis persuasum habere eos a malorum spirituum ogdoade vehementius afflari. Quemadmodum enim ii, qui in phrenesim inciderunt, quo effusius rident, ac valere se existimant, atque ut sani omnia faciunt, nonnulla etiam supra quam sani, eo gravius ac periculosius ægrotant: ad eumdem modum hi quoque, quo magis insigni quadam sapientia pollere sibi videntur, seque ipsos enervant, dum arcu immodice contento jaculantur, tanto magis desipiunt. Egressus

[75] Matth. XII, 43.

(1) *Digne.* Gr. ὄντως, *vere.*

(2) *Porro.* Ut Græcis πόρρω, sic et Latinis *porro* pro *procul* dicitur. Hac voce eo sensu utuntur Virgilius, Terentius et Livius.

(3) *Ab ogdoadis nequissimis spiritibus.* Sic Clarom., *spiritibus* nimirum, juxta Græc. πνευμάτων, pro *spiritalibus*, ut habent editt. omnes. Sed vertere debuisset interpres: *ab ogdoade nequissimorum spirituum*; ut paulo post scribit: *ogdoadem ignorantiæ nequissimorum spirituum.*

(4) *Aut plus rident.* Græc. ᾗ (non ἢ) πλέον γελῶσι, quod vertendum erat: *quanto plus rident.*

(5) *Super tonum sagittantes.* Barbara versio, pro *dum arcu immodice contento jaculantur.*

(6) *Infatuans illorum sententiam.* Melius Petavius, *inflatis vana persuasione eorum animis.*

(7) *In exclusionem compositam.* Vertendum erat: *in excussionem componens.* Vide not. 43.

(8) *Ignorantiæ.* Scribe, *insipientiæ*: ἀγνοίας enim pro ἀνοίας hic, ut et paulo superius, male legit interpres. Vide not. 11.

(9) Προβολὴν τρίτου ὑστερήματος. Passionis scilicet matris Achamoth, quæ ipsa ὑστέρημα est, seu passio ex Sophiæ passione oria.

(10) Ὑπέρτονα τοξεύοντες. Ὑπέρτονα, vel, ut legisse videtur interpres noster, ὑπέρτονον τοξεύειν, de iis communi proverbio dicitur, qui propriæ sortis obliti, majora conantur quam pro sua facultate. Metaphora sumitur a sagittariis, qui plus æquo nervum intendentes, arcum frangunt.

(11) Πνεῦμα τῆς ἀγνοίας. Sic quidem legit interpres. Sed malim cum Frontone Duc. pro ἀγνοίας legere ἀνοίας, *insipientiæ.* Magis enim cohærere videtur hæc lectio cum antecedentibus et consequentibus. Mox dixit Irenæus, Marcosios *quo magis sapere putantur, tanto magis non sapere.* Tum rationem afferens, statim subjungit: ἐξελθὸν γὰρ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα τῆς ἀνοίας, etc. Quasi diceret, ideo minus illos sapere, quia mentem eorum pervasit spiritus insipientiæ. Quod paulo post confirmans subdit, τὴν ὀγδοάδα τῆς ἀνοίας τῶν πονηρῶν πνευμάτων, *pravorum insipientiæ spirituum ogdoade in eos immissam esse.*

(12) Ἐπιτήδειον. Adverbialiter accipio, sicque accepisse videtur interpres, nisi legerit ἐπιτηδείως.

(13) Ὑπερέκκρουσιν. Ὑπέκκρουσιν legere malunt Billius et Petavius, et ita vertunt, ut idem significet quod παράκρουσιν, *fraudem.* Ego vero vocem ὑπερέκκρουσιν præferrem, interpretarerque, *vehementem agitationem*: quæ quidem significatio mihi videtur apprime convenire iis qui, a dæmone impulsi, *enervant semetipsos, dum arcu velut acrius intento sagittas emittentes*, nihil non moliuntur, ut *possint quæ sunt super Deum adinvenire.*

(14) Τῆς ἀνοίας. Legendum cum interp. volunt Billius et Petavius, τῆς ἀγνοίας, sed frustra. Vide not. 11.

Digitized by Google

CAPUT XVII [76].

Qui res creatas secundum imaginem invisibilium conditas fingerent Marcosii.

1. Βούλομαι δέ σοι καὶ ὡς αὐτὴν τὴν κτίσιν κατ' εἰκόνα τῶν ἀοράτων ὑπὸ τοῦ Δημιουργοῦ, ὡς ἀγνοοῦντος αὐτοῦ, κατασκευάσθαι διὰ τῆς Μητρὸς λέγουσι, διηγήσασθαι. Πρῶτον μὲν τὰ τέσσαρα στοιχεῖά φασι, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα, εἰκόνα προβεβλῆσθαι τῆς ἄνω πρώτης τετράδος· τάς τε ἐνεργείας αὐτῶν συναριθμουμένας, οἷον θερμόν τε καὶ ψυχρόν, ξηρόν τε καὶ ὑγρόν, ἀκριβῶς ἐξεικονίζειν τὴν ὀγδοάδα. Ἑξῆς δέκα δυνάμεις οὕτως καταριθμοῦσιν· ἑπτὰ μὲν σωματικὰ (1) κυκλοειδῆ, ἃ καὶ οὐρανοὺς καλοῦσιν· ἔπειτα τὸν περιεκτικὸν αὐτῶν κύκλον, ὃν καὶ ὄγδοον οὐρανὸν ὀνομάζουσι· πρὸς δὲ τούτοις ἡλιόν τε καὶ σελήνην. Ταῦτα δέκα ὄντα τὸν ἀριθμὸν, εἰκόνας λέγουσιν εἶναι τῆς ἀοράτου δεκάδος, τῆς ἀπὸ Λόγου καὶ Ζωῆς προελθούσης. Τὴν δὲ δωδεκάδα μηνύεσθαι διὰ τοῦ ζωδιακοῦ τοῦ καλουμένου κύκλου. Τὰ γὰρ δώδεκα ζώδια φανερώτατα τὴν τοῦ Ἀνθρώπου καὶ τῆς Ἐκκλησίας θυγατέρα δωδεκάδα σκιαγραφεῖν λέγουσι. Καὶ ἐπεὶ ἀντεπεζεύχθη, φασὶ, τὴν τῶν ὅλων φορὰν (2) ὠκυτάτην ὑπάρχουσαν, οὗπερ ὁ χρόνος (3) ὁ πρὸς αὐτῷ τῷ κύτει βαρύνων (4), καὶ ἀντιταλαντεύων τὴν ἐκείνων ὠκύτητα τῇ ἑαυτοῦ βραδυτῆτι, ὥστε αὐτὸν ἐν τριάκοντα ἔτεσι τὴν περίοδον ἀπὸ

1. Volo autem tibi referre quemadmodum et ipsam conditionem (5) secundum imaginem invisibilium a Demiurgo, quasi ignorante eo, fabricatam per Matrem dicunt. Primo quidem quatuor elementa dicunt, ignem, aquam, terram, et aerem, imaginem emissam esse superioris quaternationis : et operationes eorum cum eis annumeratas, id est, calidum et frigidum, humectum et aridum, diligenter imaginare (6) ogdoadem, ex qua (7) decem Virtutes sic enumerant : septem quidem corpora (8) circumlata (9), quæ etiam cœlos vocant : post deinde continentem eos circulum, quem octavum cœlum vocant, post deinde solem et lunam. Hæc cum sint decem numero, imagines dicunt esse invisibilis decadis ejus, quæ a Logo et Zoe progressa sit. Duodecadem autem ostendi per eum, qui Zodiacus vocatur circulus. Duodecim enim signa manifestissime Hominis et Ecclesiæ filiam duodecadem, quasi per quamdam umbram pinxisse (10) dicunt. Et e contrario superjunctum, inquiunt, universorum oneri cum sit velocissimum quod superpositum est cœlum (11), qui ad ipsam (12) concavationem aggravat, et ex contrarietate mode-

BILLII INTERPRETATIO.

enim immundus ignorantiæ spiritus, ac postea eus, non Deo, sed mundanis quæstionibus occupatos nactus, assumptis septem aliis spiritibus nequioribus se, eorumque animo, quasi quæ supra Deum sint cogitatione comprehendere queant, intumefacto, atque apte ad suscipiendam fraudem comparato, malorum ignorantiæ spirituum ogdoadem in eos immisit.

CAPUT XVII.

1. Libet etiam, quo pacto creationem ipsam ad invisibilium imaginem a Demiurgo, velut ignorante eo, per Matrem fabricatam esse aiunt, tibi exponere. Primum igitur quatuor elementa, ignem, aquam, terram, aerem, ad supernæ quaternitatis imaginem producta fuisse tradunt : eorum autem actiones, hoc est, caliditatem, frigiditatem, siccitatem et humiditatem in eumdem numerum adjunctas, ogdoadis imaginem plane referre : deinde Virtutes decem ad hunc modum recensent : primum septem corpora globosa, orbiculari forma prædita, quæ etiam cœlos appellant : tum orbem eum, cujus complexu illa

[76] Cap. 14.

(1) *Σωματικά.* Malim cum Billio et Petavio legere σώματα, quam cum Grabio σωματικά.

(2) *Τὴν τῶν ὅλων φοράν.* Legit Petavius in not. ad Epiphan. πρὸς τὴν ὅλων φοράν.

(3) *Οὗπερ ὁ χρόνος.* Corruptus est, inquit Billius, hic locus. Vetus interpres habet, *quod superpositum est cælum*, quasi in Græco legerit οὐρανός. Legendum est autem, ὁ ὑπερὼν, vel ὑπερκείμενος χρόνος. De Saturno enim Irenæum loqui perspicuum est.

(4) *Πρὸς αὐτῷ τῷ κύτει βαρύνων*, etc. Hinc patet solidos ab iis hæreticis fingi cœlos, duplicique motu circumactos inferiores planetarum orbes : altero ab ortu in occasum, secundum planum æquatoris ; altero ab occasu in ortum, lento et obliquo, secundum zodiacum. Vetus error. Sed de tota hac decem cœlorum hypothesi, eorumque conversione et situ, viderint astronomi.

(5) *Conditionem.* Sic κτίσιν, quæ Latine loquentibus *creatio* est, seu *res creatæ*, reddere amat barbarus interpres, *conditionem*.

(6) *Diligenter imaginare.* Pro, *accurate exprimere.*

(7) *Ex qua.* Perperam legens interpres ἐξ ἧς, pro ἑξῆς, perperam et vertit, *ex qua :* quasi decem illæ virtutes ex ogdoade ortum ducerent ; quod falsum. Lege ergo, *deinde, tum.*

(8) *Corpora.* Sic mss. Clarom., Pass., Voss. et Arund. cum editt. Eras., Gall. et Feuard. In Merc. 2 codd. legitur, *corporea :* quam quidem lectionem, quia Græco hodierno consentanea est, Grabio sequi placuit. Sed satius videtur Græca minus bona ex Latinis sanis emendare, quam Latina bona ex Græcis corruptis depravare.

(9) *Circumlata.* Ita mss. Clarom., Arund. et Merc. 2, cum edit. Oxon. Cæteræ editt. perperam, *circumdata. Circumlata* autem scribit interpres, pro *rotunda, orbicularis figuræ.* Nam hujus lib. cap. 25, *circumlationem* ponit pro *circulo :* quod lectionem nostram confirmat, legique *circulata*, ut suadet Fronto Duc., haud necesse esse probat.

(10) *Quasi per quamdam umbram pinxisse.* Melius *adumbrare*, vel *imaginem exprimere*, dixisset interpres.

(11) *Et e contrario superjunctum... quod superpositum est cælum*, etc. Admodum intricata versio, nec accurata. Græca sic ego redderem : *Et quoniam, inquiunt, velocissimæ universitatis conversioni* (non *oneri*, ut male vertit interpres) *desuper oppositus est cæteris orbibus sublimior Saturnus* (non *cælum*, ut male legens vertit noster), *qui propria mole gravans, illorum velocitatem tarditate sua moderatur, ita ut*, etc.

(12) *Qui ad ipsam.* Pass., Voss. et Feuard. in margine, *quia ipsam*, sed minus recte. Cæterum interpres ad Græcam vocem, magis quam ad Latinam attendens scripsit *qui* pro *quod*, sphalmate haud ipsi infrequenti.

Digitized by Google

ratur illorum velocitatem sua tarditate, ita ut in triginta annis circuitum a signo in signum faciat, imaginem dicunt eum Hori ejus, qui trigesimam nominis illorum matrem circumcontinet (1). Lunam quoque rursus suum cœlum circumeuntem triginta diebus, per dies numerum triginta Æonum significare. Et solem autem in duodecim mensibus circumeuntem, et perficientem circularem suam apocatastasin (2), per duodecim menses duodecadem manifestare. Et ipsos autem dies duodecim horarum mensuram habentes, typum non apparentis duodecadis esse. Sed et horam dicunt, quod est duodecimum diei, ex triginta partibus adornatam, propter imaginem triacontadis. Et ipsius autem zodiaci circuli circummensurationem (3) esse partium trecentarum sexaginta; quodque enim signorum, partes habere triginta. Sic quoque per circulum, imaginem copulationis eorum, quæ sunt duodecim, ad triginta custoditam dicunt. Adhuc etiam et terram in duodecim **86** climata divisam dicentes, et in unoquoque climate unamquamque virtutem ex cœlis secundum demis-

A σημείου ἐπὶ σημεῖον (4) ποιεῖσθαι, εἰκόνα λέγουσιν αὐτὸν τοῦ Ὅρου, τοῦ τὴν τριακοντώνυμον μητέρα αὐτῶν (5) περιέχοντος. Τὴν σελήνην τε πάλιν ἑαυτῆς οὐρανὸν ἐμπεριεχομένην (6) τριάκοντα ἡμέραις, διὰ τῶν ἡμερῶν τὸν ἀριθμὸν τῶν τριάκοντα Αἰώνων ἐκτυποῦν (7). Καὶ τὸν ἥλιον δὲ ἐν δεκαδύο μησὶ περιεχόμενον καὶ τερματίζοντα τὴν κυκλικὴν αὐτοῦ ἀποκατάστασιν, διὰ τῶν δώδεκα μηνῶν τὴν δωδεκάτην (8) φανερὰν ποιεῖν. Τὰς δὲ ἡμέρας, δεκαδύο ὡρῶν (9) τὸ μέτρον ἐχούσας, τύπον τῆς φαινῆς (10) δωδεκάδος εἶναι. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὴν ὥραν φασὶ, τὸ δωδέκατον τῆς ἡμέρας, ἐκ τριάκοντα μοιρῶν κεκοσμῆσθαι διὰ τὴν εἰκόνα τῆς τριακοντάδος. Καὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου τὴν περίμετρον εἶναι μοιρῶν τριακοσίων ἑξήκοντα (ἕκαστον γὰρ ζῴδιον μοίρας
B ἔχει (11) τριάκοντα). Οὕτως δὲ καὶ διὰ τοῦ κύκλου τὴν εἰκόνα τῆς συναφείας τῶν δώδεκα πρὸς τὰ τριάκοντα τετηρῆσθαι λέγουσιν. Ἔτι μὴν καὶ τὴν γῆν εἰς δώδεκα κλίματα διῃρῆσθαι φάσκοντες, καὶ καθ' ἕκαστον κλίμα δύναμιν (12) ἐκ τῶν οὐρανῶν κατὰ κάθετον ὑποδεχομένην (13), ἐοικότα (14) τίκτουσαν τέκνα τῇ καταπεμπούσῃ τὴν ὑπόρροιαν δύναμιν (15),

BILLII INTERPRETATIO.

continentur, quem item octavum cœlum nominant : postremo solem et lunam. Hæc, quæ decem numero sunt, invisibilis illius decadis, quæ a Sermone et Vita prodiit, imagines esse contendunt. At vero duodecadem per eum orbem, qui Signifer appellatur, indicari. Per duodecim enim signa duodecadem illam, ex Homine et Ecclesia natam, perspicue adumbrari dicunt. Et quoniam universitatis conversioni, cujus summa est celeritas, Saturnus subliniorem locum tenens, e contrario adjunctus est, qui ad cavitatem ipsam gravat, reliquorumque orbium celeritatem tarditate sua compensat : adeo ut ipse trigesimo quoque anno conversionem suam a centro ad centrum conficiat : qua etiam de causa Hori, qui ipsorum matrem triginta nominibus præditam continet, figuram eum esse aiunt. Lunam rursus cœlum suum triginta diebus peragrantem, per hos dies numerum triginta Æonum expressisse. Quin solem quoque duodecim mensibus orbem suum obeuntem, circularemque suam in integrum, ut ita dicam, restitutionem terminantem, per duodecim menses duodecadem aperte demonstrare. Dies item, qui duodecim horarum spatio definiuntur, illustris duodecadis figuram gerere. Horam item, quæ duodecima diei pars est, triginta gradibus ad exprimendam tricenarii figuram ornatam esse. Atque ipsius etiam signiferi orbis ambitum esse trecentorum sexaginta graduum : quodlibet enim signum triginta gradus habere. Eodemque modo per circulum, conjunctionis illius, quæ inter duodecim et triginta exsistit, imaginem servatam esse adstruunt. Quin in ipsam quoque terram (quam in duodecim climata divisam esse, ac singularem in singulis quibusque climatibus virtutem cœlitus ad perpendiculum suscipere, fetusque virtuti illi, quæ

(1) *Circumcontinet.* Sic in editt. Eras. et Gall. melius quam in Oxon. et codd. Clarom., Pass., Voss. et Merc. 2, *circumtinet* ; quia lib. II, cap. 2, ex codicum omnium tum editorum, tum mss. consensu scribitur, *circumcontinere*, et *circumcontineri*.

(2) *Apocatastasin.* Id est, *conversionem*, qua scilicet ad idem zodiaci signum et punctum revolvitur, unde primum discesserat.

(3) *Circummensurationem.* Al. *circumcommensurationem.*

(4) Ἀπὸ σημείου ἐπὶ σημεῖον. I. e. secundum duodecim zodiaci signa : Vel, ita ut ad idem zodiaci punctum redeat, a quo discesserat.

(5) *Τριακοντώνυμον μητέρα αὐτῶν.* Sophiam, puto, intelligit, Gnosticorum aviam, quia ex ea nata Achamoth. Τριακοντώνυμος vero dicitur, quia et nomine et ordine trigesima erat in Pleromate. Sicque accepisse videtur interpres vertens, *trigesimam nominis.* Hanc revera Horos veluti vallo circumplectitur, ne juvenili ardore iterum prorumpens, disperet.

(6) Ἐμπεριεχομένην. Leg. cum interp. ἐμπεριερχομένην, vel, ut mavult Petavius, ἐκπεριερχομένην, uti et paulo post, περιερχόμενον, pro περιεχόμενον. Utrobique enim vertit ille, *circumeuntem.*

(7) Ἐκτυποῦν. Sic Petavius. Reg. vero cod. et editt. Basil., Gall. et Feuard. ἐκτυποῦσι, pro quo Billius legi volebat ἐκτυπῶσαι. Sed melior est Petavii lectio.

(8) Δωδεκάτην. Legi mallem cum Grabio δωδεκάδα.

(9) Τὰς δὲ ἡμέρας δεκαδύο ὡρῶν. Recte observat Petavius *horam* apud Epiphanium duas æquinoctiales continere. Quod evidentius indicat id quod statim subjungitur, τὴν ὥραν, τὸ δωδέκατον τῆς ἡμέρας, ἐκ τριάκοντα μοιρῶν κεκοσμῆσθαι, *horam, quæ diei duodecima pars est, ex triginta partibus constare.* Sol enim diebus singulis circulum describit, qui in XII partes tricenarias divisus, gradibus constat CCCLX ac proinde singulis horis, æquinoctialis XV gradus ; duabus horis, sive XII diei parte, XXX gradus conficit.

(10) Φαεινῆς. Leg. cum interp. οὐ φαεινῆς, *invisibilis et occultæ.*

(11) Ἔχει. Ἔχειν legit vetus interpres.

(12) Δύναμιν. Leg. ex vet. ἑκάστην δύναμιν.

(13) Ὑποδεχομένην... τίκτουσαν. Hæc ad τὴν γῆν referenda.

(14) Ἐοικότα. Legit interpres, καὶ ἐοικότα.

(15) Δύναμιν. Leg. δυνάμει.

Digitized by Google

τύπον εἶναι τῆς δωδεκάδος καὶ τῶν τέκνων αὐτῆς σαφέστατον διαβεβαιοῦνται.

2. Πρὸς δὲ τούτοις θελήσαντά φασι τὸν Δημιουργὸν τῆς ἄνω ὀγδοάδος τὸ ἀπέραντον καὶ αἰώνιον καὶ ἄορι-στον καὶ ἄχρονον μιμήσασθαι, καὶ μὴ δυνηθέντα τὸ μόνιμον αὐτῆς καὶ ἄϊδιον ἐκτυπῶσαι, διὰ τὸ καρπὸν εἶναι ὑστερήματος, εἰς χρόνους καὶ καιροὺς, ἀριθμούς τε πολυετεῖς τὸ αἰώνιον αὐτῆς κατατεθεῖσθαι, οἰόμε-νον ἐν τῷ πλήθει τῶν χρόνων μιμήσασθαι αὐτῆς τὸ ἀπέραντον. Ἐνταῦθά τε λέγουσιν, ἐκφυγούσης αὐτὸν τῆς ἀληθείας, ἐπηκολουθηκέναι τὸ ψεῦδος· καὶ διὰ τοῦτο κατάλυσιν, πληρωθέντων τῶν χρόνων, λαβεῖν αὐτοῦ τὸ ἔργον.

A sionem (6) suscipientem, et similes generantem filios ei virtuti, quæ demiserit distillationem (7), typum esse duodecadis et filiorum ejus manifestissimum asseverant.

2. Ad hæc autem volentem aiunt Demiurgum superioris ogdoadis interminabile, et æternum, et infinitum, et intemporale imitari : et cum non potuisset perseverabile ejus et perpetuum deformare (8), ideo quod fructus sit labis, in temporum spatia, et tempora, et numeros multorum annorum æternitatem ejus deposuisse (9), existimantem in multitudine temporum imitari ejus interminatum. Hic dicunt, cum effugisset eum veritas, subsecutum mendacium : et propter hoc destructionem, adimpletis temporibus, accipere ejus opus.

CAPUT XVIII [17].

Quæ Mosis loca in suam hypothesim detorquerent hæretici.

1. Καὶ περὶ μὲν τῆς κτίσεως τοιαῦτα λέγοντες, καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιγεννᾷ ἕκαστος αὐτῶν, καθὼς δύναται, καινότερον (1). Τέλειος γὰρ οὐδείς, ὁ μὴ μεγάλα ψεύσματα παρ' αὐτοῖς καρποφορήσας. Ἐκ δὲ τῶν προφητικῶν ὅσα μεταμορφάζουσιν, ἀναγκαῖον (2) μηνύσαντα (3) τὸν ἔλεγχον αὐτοῖς ἐπάγειν. Ὁ γὰρ Μωϋσῆς, φασὶν, ἀρχόμενος τῆς κατὰ τὴν κτίσιν πραγ-ματείας, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τὴν μητέρα τῶν ὅλων ἐπέ-δειξεν, εἰπών· *Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.* Τέσσαρα οὖν ταῦτα ὀνομάσας, Θεὸν καὶ ἀρχὴν, οὐρανὸν καὶ γῆν, τὴν τετρακτὺν αὐ-τῶν, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, διετύπωσε. Καὶ τὸν ἀόρατον (4) δὲ καὶ τὸν ἀπόκρυφον αὐτῆς μηνύοντα εἰπεῖν· *ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος.* Τὴν δευτέραν (5) τετράδα, γέννημα πρώτης τετράδος, οὕτως αὐτὸν

B 1. Et de conditione quidem talia dicentes, quotidie adinvenit unusquisque eorum, quemadmodum potest, aliquid novi. Perfectus enim nemo, nisi qui maxima mendacia apud eos fructificaverit. De propheticis autem quæcunque transformantes coaptant, necessarium est manifestantes arguitionem (10) his inferre. Moyses enim, inquiunt, incipiens id quod est secundum conditionem opus, statim in principio matrem omnium ostendit, dicens : *In principio fecit Deus cœlum et terram* [18]. Quatuor hæc (11) nominans, Deum et principium, cœlum et terram, quaternationem ipsorum, **87** quemadmodum ipsi dicunt, figuravit. Et invisibile autem, et absconditum ejus manifestantem dicere : *Terra autem erat invisibilis et incomposita* [19]. Secundum autem

BILLII INTERPRETATIO.

influxionem suam trajicit, similes procreare aiunt), duodecadis, ejusque filiorum apertissimum typum esse affirmant.

2. Ad hæc Demiurgum aiunt, cum in anima habuisset supernæ ogdoadis infinitatem, æternitatem, interminatamque ac temporis expertem naturam imitari, nec, quia ex defectu ortus erat, ipsius constantiam et æternitatem exprimere potuisset, hanc rationem iniisse, ut æternitatem ipsius in tempora et temporum articulos, ingentesque annorum numeros deponeret : quod videlicet numerosa temporum copia infinitatem eam sese imitando consequi existimaret. Hic porro, cum veritas ei velut de manibus elapsa esset, subsecutum fuisse mendacium dicunt : ob eamque causam expletis temporibus fore, ut opus ipsius intercat.

CAPUT XVIII.

1. Atque hujusmodi sunt, quæ de rerum ortu afferunt, gignentes quotidie singuli pro virili sua aliquid novi. Neque enim perfecti viri apud eos existimatione floret, nisi qui ingentia mendacia produxerit. De propheticis autem scriptis, quæcunque ad institutum suum detorquendo accommodant, ostendere primum, ac deinde ea refellere operæ pretium est. Moyses enim, inquiunt, creationis opus exordiens, statim in ipso limine matrem omnium rerum ostendit, cum dixit : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Quatuor etenim hæc nominans, Deum, principium, cœlum et terram, quaternitatem ipsorum, ut quidem ipsi aiunt, expressit. Quin id quoque quod in ea obtutum oculorum fugit, tectumque atque abstrusum est, his verbis indicavit : *Terra autem erat invisibilis et incondita.* At secundum quaternitatem,

[17] Cap. 15. [18] Gen. i, 1. [19] Ibid. 2.

(1) *Καινότερον.* Adde τι ex vet.

(2) *Μεταμορφάζουσι.* Sic cod. Reg., Petav. et Grab. Alii omnes editi, μεταμορφόζουσι; nullus vero μεταμορφόζοντες, ut haud satis attentus asserit Grabius. Commutare vero μεταμορφάζουσι in μεταμορφόζουσι haud necesse videtur. Si quid immutandum esset, legendum foret, uti legisse videtur interp., μεταμορφάζοντες μεθαρμόζουσι.

(3) *Μηνύσαντα.* Legit interpres, μηνύσαντας.

(4) *Τὸν ἀόρατον δὲ, καὶ τὸν ἀπόκρυφον.* Utrobique repone τό pro τόν.

(5) *Τὴν δευτέραν.* Leg. τὴν δὲ δευτέραν.

C (6) *Secundum demissionem.* Melius Billius et Petavius κατὰ κάθετον verterunt, *ad perpendiculum.*

(7) *Demiserit distillationem. Influxum* mallem, quam *distillationem.*

(8) *Deformare.* Pro *exprimere.*

(9) *Deposuisse.* Mallem, *reposuisse.*

(10) *Arguitionem.* Pro *confutationem.* Sic Feuard. suffragantur Clarom. et Pass. In Arundel. *argumentationem.* In Eras. et Gall. *argutionem.*

(11) *Quatuor hæc.* Græc. *quatuor igitur hæc.*

Digitized by Google

quaternationem, progeniem primæ quaternationis, sic eum dixisse volunt, abyssum nominantem et tenebras, in quibus sunt et aquæ, et qui ferebatur super aquas spiritus. Post quam decadis commemorantem (1), lumen dicere, et diem, et noctem, et firmamentum, et vesperam, et quod vocatur mane, et aridam, et mare, adhuc etiam et herbam, et decimo loco lignum : sic quoque per decem nomina, decem Æonas manifestasse. Duodecadis autem sic (2) formatam apud eos (3) virtutem : solem enim dicere, et lunam, et stellas, et tempora, et annos, et cetos, adhuc etiam pisces, et serpentia, et volatilia, et quadrupedia, feras quoque, et super hæc omnia duodecimum hominem. Sic ab spiritu triacontadem per Moysen dictam docent. Nec non et formatum hominem secundum imaginem superioris virtutis, habere in se eam, quæ sit ab uno fonte, virtutem. Constitutam autem eam esse in eo, qui sit in cerebro locus (4), ex qua (5) defluant virtutes quatuor secundum imaginem supernæ tetradis, quæ vocantur (6), una quidem visio, altera autem auditus, tertia odoratus, et quarta gustatio. Octonationem autem dicunt significari per hominem sic : Aures quidem duas habentem, et totidem visus, adhuc etiam odorationes duas, et duplicem gustationem, amari et dulcis. Totum autem hominem omnem imaginem triacontadis sic habere docent : in manibus quidem per digitos decadem bajulare : in toto autem corpore, cum in duodecim membra dividatur, duodecadem. Dividunt autem illud, quemadmodum Veritatis apud eos divisum est corpus, de quo prædiximus [80]. Ogdoadem autem, inenarrabilem et invisibilem, **88** in visceribus absconditam intelligi.

A εἰρηκέναι θέλουσιν, ἄβυσσον ὀνομάζοντα καὶ σκότος, ἐν σφίσιν αὐτοῖς (7) καὶ ὕδωρ καὶ τὸ ἐπιφερόμενον τῷ ὕδατι πνεῦμα. Μεθ' ἣν τῆς δεκάδος μνημονεύοντα, φῶς λέγειν (8) καὶ ἡμέραν καὶ νύκτα, στερέωμά τε καὶ ἑσπέραν καὶ ὃ καλεῖται πρωΐ, ξηράν τε καὶ θάλασσαν, ἔτι τε βοτάνην καὶ δεκάτῳ τόπῳ ξύλον· οὕτω δὲ διὰ τῶν δέκα ὀνομάτων τοὺς δέκα Αἰῶνας μεμηνυκέναι. Τῆς δὲ δυοδεκάδος οὕτως ἐξεικονίσθαι παρ' αὐτῷ (9) τὴν δύναμιν· ἥλιον γὰρ λέγειν καὶ σελήνην, ἀστέρας τε καὶ καιρούς, ἐνιαυτούς τε καὶ κήτη, ἰχθύας καὶ ἑρπετά, πετεινά καὶ τετράποδα, θηρία τε καὶ (πετεινά που τοῖς (10)) δυοδέκατον τὸν ἄνθρωπον. Οὕτως ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τὴν τριάκοντα (11) διὰ Μωϋσέως εἰρῆσθαι διδάσκουσιν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν πλαστὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα τῆς ἄνω δυνάμεως, ἔχειν B ἐν αὐτῷ τὴν ἀπὸ τῆς μιᾶς πηγήν. Ἱδρῦσθαι δὲ ταῦτα (12) ἐν τῷ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον τόπῳ· ἀφ' ἧς ἀπορρεῖν δυνάμεις τέσσαρας κατ' εἰκόνα τῆς ἄνω τετράδος καλουμένας, τὴν μὲν ὅρασιν, τὴν δὲ ἀκοήν, τὴν δὲ τρίτην ὄσφρησιν καὶ τὴν τετάρτην γεῦσιν. Τὴν δὲ ὀγδοάδα φασὶ μηνύεσθαι διὰ τοῦ ἀνθρώπου οὕτως· ἀκοὰς μὲν δύο ἔχοντας (13) καὶ τοσαύτας ὁράσεις, ἔτι τε ὀσφρήσεις δύο καὶ διπλῆν γεῦσιν, πικροῦ τε καὶ γλυκέως. Ὅλον δὲ τὸν ἄνθρωπον πᾶσαν τὴν εἰκόνα τῆς τριακοντάδος οὕτως ἔχειν διδάσκουσιν· ἐν μὲν ταῖς χερσὶ διὰ τῶν δακτύλων τὴν δεκάδα βαστάζειν· ἐν ὅλῳ δὲ τῷ σώματι εἰς δεκαδύο μέλη διαιρουμένῳ τὴν δωδεκάδα. Διαιροῦσι δὲ αὐτὸ, καθάπερ τὸ τῆς Ἀληθείας διῄρηται παρ' αὐτοῖς τοῖς σώμασι (14), περὶ οὗ C προειρήκαμεν. Τήν τε οὖν ὀγδοάδα, ἄῤῥητόν τε καὶ ἀόρατον οὖσαν, ἐν τοῖς σπλάγχνοις κρυβομένην νοεῖσθαι.

BILLII INTERPRETATIO.

primæ quaternitatis sobolem, ita ipsum extulisse volunt, cum abyssum et tenebras, aquam et spiritum, qui super aquas ferebatur, nominavit. Moxque decadis mentionem haud obscure facientem, diem et noctem, et firmamentum et vesperam, et id quod vocatur mane, aridam item, et mare, et herbam, ac decimo loco lignum dixisse : sicque per decem hæc vocabula decem Æonas indicasse. Duodecadis porro virtutem ad hunc modum apud eum adumbrari : solem enim, et lunam, et stellas, et tempora, et annos, et cete, et pisces, et reptilia, et volatilia, et quadrupedia, et feras, et post hæc omnia duodecimo loco hominem dicere. Ad hunc scilicet modum a Spiritu tricenarium illum per Moysem commemoratum esse tradunt. Quin hominem quoque ad supernæ virtutis imaginem effectum, vim eam in se habere, quæ ab uno fonte promanat. Hanc autem in cerebri regione insidere, ex eaque vires quatuor ad supernæ quaternitatis imaginem profluere, quarum una visus, altera auditus, tertia odoratus, quarta gustus nuncupatur. At vero ogdoadem per hominem ita indicari : quod nimirum aures duas habeat, totidemque oculos, duas item nares, duplicemque gustum, amari nempe et dulcis. Totum vero hominem totam tricenarii illius imaginem ita referre docent : In manibus enim cum decadem per digitos gestare : in toto item corpore, quod duodecim membris constat, duodecadem. Illud enim perinde partiuntur, ac Veritatis cor-

[80] Sup. cap. 14.

(1) *Decadis commemorantem.* Græcismus est, pro *decada commemorantem*, vel melius, *decadis mentionem facientem.*

(2) *Formatam.* Pro *adumbratam.*

(3) *Apud eos.* Ex Græco lege, *apud eum*, Moysen videlicet.

(4) *Locus.* Ita Eras., Gall. et mss. omnes. Feuard. vero citra necessitatem et ms. codicis auctoritatem scripsit, *loco.*

(5) *Ex qua.* Ita Feuardentius emendavit ex Græco. Nam in Eras., Gall. et mss. omnibus, *ex quo.*

(6) *Quæ vocantur.* Sic recte Clarom. juxta Græcum. Cætera omnia exemplaria male, *quæ vocatur.*

(7) Ἐν σφίσιν αὐτοῖς. Melius legit interp. ἐν οἷς εἰσι.

(8) Φῶς λέγειν. In Basil. Epiphan. edit. indeque in Gall. et Feuard. σαφῶς λέγειν. Et hinc Billii et Gallasii in vertendo hallucinatio.

(9) Παρ' αὐτῷ. Legit interpres παρ' αὐτοῖς, sicque scripsisse Irenæum existimat Grabius : sed, meo quidem judicio, minus bene. Hic enim, non de Marcosiis, sed de Moyse sermo est.

(10) Πετεινά που τοῖς. Leg. cum interp. ἐπὶ πᾶσι τούτοις.

(11) Τριάκοντα. Leg. τριακοντάδα.

(12) Πηγήν... ταῦτα, Legendum cum interp. πηγῆς δύναμιν... ταύτην, recte monent Billius et Petavius.

(13) Ἔχοντας. Lege ἔχοντος.

(14) Τοῖς σώμασι. Dele τοῖς, et pro σώμασι lege σῶμα, vel, ut mavult Grabius, σωμάτιον.

Digitized by Google

2. Ἥλιον δὲ πάλιν, τὸν μέγαν φωστῆρα, ἐν τῇ τε- A τάρτῃ τῶν ἡμερῶν γεγονέναι διὰ τὸν τῆς τετράδος ἀριθμὸν φάσκουσι. Τῆς τε σκηνῆς, τῆς ὑπὸ Μωϋσέως κατασκευασθείσης, αἱ αὐλαὶ ἐκ βύσσου καὶ ὑακίνθου καὶ πορφύρας καὶ κοκκίνου γεγονυῖαι, τὴν αὐτὴν παρ' αὐτοῖς ἐπέδειξαν εἰκόνα. Τόν τε τοῦ ἱερέως ποδήρη, τέσσαρσι στοιχείοις (1) λίθων πολυτελῶν κεκοσμημένον, τὴν τετράδα σημαίνειν διορίζονται· καὶ εἴ τινα τοιαῦτα κεῖται ἐν ταῖς Γραφαῖς, εἰς τὸν τῶν τεσσάρων δυνάμενα ἄγεσθαι ἀριθμόν, διὰ τὴν τετρακτὺν αὐτῶν φασι γεγονέναι. Τὴν δὲ ὀγδοάδα πάλιν δείκνυσθαι οὕτως· Ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἡμερῶν πεπλάσθαι λέγουσι τὸν ἄνθρωπον· ποτὲ μὲν γὰρ αὐτὸν τῇ ἕκτῃ βούλονται γεγονέναι, ποτὲ δὲ τῇ ὀγδόῃ, εἰ μὴ τὸν μὲν χοϊκὸν ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν ἐροῦσι πεπλάσθαι, τὸν δὲ σαρκικὸν ἐν τῇ ὀγδόῃ· διέσταλται γὰρ ταῦτα παρ' B αὐτοῖς. Ἔνιοι δὲ ἄλλον θέλουσι τὸν κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ γεγονότα ἀρσενόθηλυν ἄνθρωπον, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν πνευματικόν· ἄλλον δὲ τὸν ἐκ τῆς γῆς πλασθέντα.

3. Καὶ τὴν τῆς κιβωτοῦ δὲ οἰκονομίαν (2) ἐν τῷ κατακλυσμῷ, ἐν ᾗ ὀκτὼ ἄνθρωποι διεσώθησαν, φανερώτατά φασι τὴν σωτήριον ὀγδοάδα μηνύειν. Τὸ αὐτὸ δὲ καὶ τὸν Δαβὶδ, ὄγδοον ὄντα τῇ γενέσει τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ, σημαίνειν. Ἔτι μὴν καὶ τὴν περιτομὴν, ὀκταήμερον γινομένην, τὸ περίτμημα τῆς ἄνω ὀγδοάδος δηλοῦν. Καὶ ἁπλῶς ὅσα εὑρίσκεται ἐν ταῖς Γραφαῖς, ὑπάγεσθαι δυνάμενα εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν ὀκτὼ, τὸ μυστήριον τῆς ὀγδοάδος ἐκπληροῦν λέγουσιν. Ἀλλὰ

2. Solem quoque iterum, qui sit magnum luminare, in quarta dierum fieri (5) propter quaternationis numerum dicunt. Tabernaculi quoque quod a Moyse compositum est, atria (4) de bysso, et hyacintho, et purpura, et coccino facta [81], eamdem apud eos ostenderunt (5) imaginem. Sacerdotis quoque poderem, quatuor ordinibus lapidum pretiosorum adornatum [82], quaternationem significare præfiniunt. Et si qua omnino talia sunt posita in Scripturis, quæ quatuor possunt numerum designare, propter quaternationem ipsorum dicunt facta (6). Octonationem rursus ostendi sic: In octavo dierum formatum dicunt hominem: aliquando enim volunt eum sexto die factum, aliquando autem octavo, nisi forte choicum quidem in sexto dierum dicunt formatum, carnalem autem in octavo; distincta (7) sunt enim hæc apud eos. Quidam autem et alterum esse volunt, qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus est homo masculofemineus, et hunc esse spiritalem: alterum autem, qui ex terra plasmatus sit.

3. Et arcæ autem (8) dispositionem in cataclysmo, in qua octo homines liberati sunt [83], manifestissime dicunt ogdoadem (9) ostendere. Hoc autem idem et David, cum octavus esset genitus inter fratres suos [84], significare. Adhuc etiam et circumcisionem, quæ octavo die fit [85], circumcisionem superioris ogdoadis manifestare. Et omnino quæcunque inveniuntur in Scripturis obduci (10) posse ad numerum octavum, mysterium ogdoadis

BILLII INTERPRETATIO.

pus apud ipsos dividitur: de quo superius a nobis dictum est. Ogdoadem denique, ut quæ nec verbis exponi, nec oculis cerni possit, in visceribus abstrusam intelligi.

2. Rursus ingens illud luminare, hoc est, solem, ob quaternitatis numerum quarto demum die idcirco conditum esse asserunt. Eodemque modo tabernaculi illius a Moyse constructi atria, ex bysso et hyacintho, et purpura et coccino elaborata, eamdem apud ipsos imaginem ostendunt. Poderque item sacerdotis, quatuor ingentis pretii lapillorum ordinibus adornatus, de eorum sententia quaternitatem designat. Et si quæ alia hujusmodi in Scripturis sita sunt, quæ ad quaternarium numerum revocari queant, quaternitatis suæ causa facta ea esse contendunt. Ogdoadem rursus ita demonstrari: Octavo die hominem effictum aiunt: quandoque enim eum sexto die, quandoque rursus octavo conditum esse ipsis placet; nisi fortasse hoc dicturi sunt, choicum quidem sexto die conditum fuisse, carnalem autem octavo: hæc enim apud eos distincta sunt. Quidam autem alium esse volunt hermaphroditum eum hominem, qui ad Dei imaginem ac similitudinem exstiterit, quem etiam spiritualem esse aiunt: alium, qui ex terra effictus sit.

3. Quin dispensationem quoque illam arcæ in diluvio, in qua octo homines exitio erepti sunt, perspi-

[81] Exod. xxvi, 1, et xxxvi, 8. [82] Exod. xxviii, 17. [83] I Pet. iii, 20. [84] I Reg. xvi, 10, 11. [85] Gen. xvii, 12.

(1) *Στοιχείοις*. Legendum censent Billius et Petavius, στοίχοις. Legi malim ego στίχοις, sic enim in Exodo scribitur non semel.

(2) *Οἰκονομίαν*. Edit. Basileensis, οἶκον μίαν, qua vitiosa lectione deceptus Gallasius perperam vertit *unicam domum*. Cujus quidem, ait merito Billius, tanta non dicam oscitantia, sed vecordia exstitit, ut ne illud quidem animadverterit, μίαν cum substantivo masculini generis minime jungi.

(3) *Fieri*. Græc. γεγονέναι, *factum esse*.

(4) *Atria*. Lubentius legerem, *aulæa*, vel, ut habet Vulgata nostra, *cortinas*.

(5) *Ostenderunt*. Sic. edit. Oxon. et omnes mss.; cæteræ editt. *ostendere*. In marg. Feuard. *ostendunt*.

(6) *Dicunt facta*. Sic ex Græco et Frontonis Duc. judicio restituimus, pro *factum*, ut vitiose legitur C in omnibus exemplaribus. Cujus quidem erroris culpam non in interpretem ipsum, sed in scribarum imperitiam conjecerim, qui, *u* pro *a* legentes, *factu* pro *facta*, deesse suspicati literam *m*, scripserunt *factum*. Qui veteres mss. codd. tantillum trivere, eam esse inter *u* et *a* affinitatem advertere potuerunt, quæ incautos facile decipere potuerit.

(7) *Distincta*. Feuard. edit. vitiose *distincti*.

(8) *Et arcæ autem*. Grabium hic sequimur. *Et*, loco *Seth* in Eras. et Gall., vel *Geth*, ut in Clarom., Pass., Arund. et Merc. 2 legitur, a Feuard. auctoritate Græci textus positum retinemus. *Autem* vero post *arca*, expuncto præcedente *sed*, addimus, quia omnes mss. ita habent.

(9) *Ogdoadem ostendere*. Ex Græco lege, *salutarem ogdoadem ostendere*.

(10) *Obduci*. Editt. *adduci*.

Digitized by Google

adimplere dicunt. Sed et decadem significari per decem gentes, quas promisit Deus Abrahæ in possessionem dare [86], dicunt : et dispositionem [89] autem (1) quæ est secundum Saram, quomodo post decem annos dat ei ancillam suam Agar [87], ut ex ea filium faciat, idem significare. Et servus autem Abraham missus ad Rebeccam, et super puteum dans ei armillas aureorum decem, et fratres ejus tenentes eam in dies decem (2) [88] : adhuc etiam Jeroboam, qui decem sceptra accepit [89], et tabernaculi decem atria (3) [90], et columnæ decem cubiterum [91], et decem filii Jacob ad emptionem tritici prima vice in Ægyptum missi [92], et decem apostoli, quibus manifestatur post resurrectionem Dominus, cum Thomas non esset præsens [93], invisibilem defigurabant (4) secundum eos decadem.

A καὶ τὴν δεκάδα σημαίνεσθαι διὰ τῶν δέκα ἐθνῶν, ὧν ἐπηγγείλατο ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ εἰς κατάσχεσιν δοῦναι, λέγουσι. Καὶ τὴν περὶ Σάρραν δὲ οἰκονομίαν, ὡς (8) μετὰ ἔτη δέκα δίδωσιν αὐτῷ τὴν ἑαυτῆς δούλην Ἄγαρ, ἵνα ἐξ αὐτῆς τεκνοποιήσηται (9), τὸ αὐτὸ δηλοῦν. Καὶ ὁ δοῦλος δὲ Ἀβραὰμ πεμφθεὶς ἐπὶ Ῥεβέκκαν, καὶ ἐπὶ τῷ φρέατι διδοὺς αὐτῇ ψέλλια χρυσῶν δέκα, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῆς κατέχοντες αὐτὴν ἐπὶ δέκα ἡμέρας· ἔτι τε Ῥοβοὰμ (10) ὁ τὰ δέκα σκῆπτρα λαμβάνων, καὶ τῆς σκηνῆς αἱ δέκα αὐλαῖαι (11), καὶ οἱ στύλοι οἱ δεκαπήχεις (12) καὶ οἱ δέκα υἱοὶ Ἰακὼβ, ἐπὶ τὴν ὠνὴν τοῦ σίτου τὸ πρῶτον εἰς Αἴγυπτον πεμφθέντες, καὶ οἱ δέκα ἀπόστολοι, οἷς φανεροῦται μετὰ τὴν ἔγερσιν ὁ Κύριος, τοῦ Θωμᾶ μὴ παρόντος, τὴν ἀόρατον διετύπουν κατ' αὐτοὺς δεκάδα.

B

4. Duodecadem autem, ergo quam et mysterium passionis labis fuisse, ex qua passione visibilia fabricata esse volunt, signanter et manifestissime positam ubique dicunt. Et duodecim (5) filios Jacob, ex quibus duodecim quoque tribus, et logion (6) varium (7), duodecim habens lapides et duode-

4. Τὴν δυοδεκάδα δὲ, περὶ ἣν καὶ τὸ μυστήριον τοῦ πάθους τοῦ ὑστερήματος γεγονέναι, ἐξ οὗ πάθους τὰ βλεπόμενα κατεσκευάσθαι θέλουσιν, ἐπισήμως καὶ φανερῶς πανταχῆ κεῖσθαι λέγουσιν, ὡς τοὺς δώδεκα υἱοὺς τοῦ Ἰακὼβ, ἐξ ὧν καὶ δεκαδύο φυλαὶ, καὶ τὸ λογεῖον τὸ ποικιλτὸν, δώδεκα λίθους ἔχον, καὶ τοὺς δώδεκα κώδω-

BILLII INTERPRETATIO.

cnam salutaris ogdoadis indicem esse aiunt. Idemque ipsum ex eo significari, quod David inter fratres suos natu octavus sit. Iisdemque per circumcisionem eam, quæ octavo die adhibebatur, supernæ ogdoadis circumcisionem declarari. In summa, quidquid in Scripturis invenitur, quod ad octonarium numerum referri queat, id ogdoadis mysterium explere asserunt. Consimilem etiam in modum decadem per eas gentes significari aiunt, quas Deus se Abrahæ in possessionem daturum receperat : atque item per id, quod Sara exactis decem annis ancillam suam Agar ei concessit, ut ex ea liberos gigneret, idem ostendi. Quin ille quoque Abrahæ servus ad Rebeccam missus, eique in puteo armillas decem aureorum dono offerens, et ipsius fratres decem dies eam retinentes : Jeroboam item decem sceptra accipiens, et decem tabernaculi atria, et columnæ decem cubitorum magnitudinis, et decem filii Jacob ad emercandum frumentum in Ægyptum primo missi, et decem apostoli, quibus absente Thoma Dominus apparuit, invisibilem apud eos decadem exprimebant.

4. Jam vero duodecadem, circa quam passionis defectus mysterium contigit, ex qua passione ea omnia, quæ in oculorum obtutum cadunt, constructa esse volunt, insigniter ac perspicue quibusvis Scripturæ locis positam et consignatam esse aiunt. Nam et duodecim filios Jacob, ex quibus duodecim etiam tribus manarunt, et rationale illud variegatum, duodecim lapillos habens, et duodecim tintinnabula, et doduecim lapides infra montem a Mose collocatos, eosque item, qui a Josue in flumine, toti-

[86] Gen. xv, 19. [87] Gen. xvi, 3. [88] Gen. xxiv, 22, 25. [89] III Reg. ii, 31. [90] Exod. xxvi, 1, et xxxvi, 8, 9. [91] Ibid. xxvi, 15 seq., et xxxvi, 20 seq. [92] Gen. xlii, 3. [93] Joan. xx, 24.

(1) *Et dispositionem autem.* Sic ex Græco emendavi, pro *et dispositio*, quod in textum intrusit in omnibus codd. tum editt. tum mss. aperta scribarum oscitantia : sicuti paulo superius, pro *arcæ dispositionem*, imperiti amanuenses scripsere in codd. Clarom. et Pass. *arcæ dispositio.*

(2) *In dies decem.* In Eras., Gall. et Feuard., *diebus decem.*

(3) *Decem atria.* Græc. δέκα αὐλαῖαι, quod vertendum erat cum Vulgata, *decem cortinæ*, non *decem atria.*

(4) *Defigurabant.* Pro *figurabant*, ut habent Merc. 2.

(5) *Et duodecim. Ut* pro *et* scripsit Feuard. ex solius Græci textus auctoritate. Omnes siquidem mss. cum editt. Eras. et Gall. habent *et.* Quam quidem lectionem immutare haud necesse, modo ab hac particula nova periodus incipiatur.

(6) *Logion.* Vulgatus Bibliorum interpres vertit *rationale.*

(7) *Varium.* Pro *opere vario contextum.*

(8) *Τὴν περὶ Σάρραν δὲ οἰκονομίαν*, ὡς. Frustra hic pro περὶ, κατὰ, et loco ὡς, πῶς legi vult Billius.

(9) *Τεκνοποιήσηται.* Cod. Reg. τεκνοποιήσῃ.

(10) *Ῥοβοάμ.* Ex III Reg. xi, liquet legendum esse Ἱεροβοάμ, non Ῥοβοάμ. Hic iterum a Billio vapulat merito Gallasius, qui hunc Scripturæ locum, vel veterem Irenæi interpretem consulere gravatus, *Roboam* pro *Jeroboam* in versione sua imprudenter omnino scripsit.

(11) *Δέκα αὐλαῖαι.* Cod. Reg. δέκα *αὐλαί.*

(12) *Καὶ οἱ στύλοι οἱ δεκαπήχεις.* Diu, multumque quæsivisse se in sacris Litteris dicit Grabius columnas decem cubitorum, donec tandem in editione Francofurtensi an. 1597 LXX interpretum, Exod. xxxvi, 17 seq., invenit hæc scripta : Καὶ ἐποίησε στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων· δέκα πήχεων τὸν στύλον τὸν ἕνα, etc. Sed rara sit in Anglia oportet, alibi terrarum notissima, Bibliorum edit. Antuerpiensis apud Plantinum an. 1569 (ut alias omittam) et apud Anglos ipsos concinnata Cantabrigiensis an. 1665. Utramque si consuluisset vir clarissimus, occurrisset in priori Exod. xxxvi, 20, 21, is ipse locus, quem citat. In utraque vero, Exod. xxvi, 15, 16, 17 : Καὶ ποιήσεις στύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Δέκα πήχεων ποιήσεις τὸν στύλον τὸν ἕνα.... οὕτω ποιήσεις πᾶσι τοῖς στύλοις τῆς σκηνῆς. Verum est autem quod addit vir eruditus, verba quæ ex Exod. xxxvi laudat in Romana Flaminii Nobilii, et V Waltoni editione minime exstare. Totum enim xxxvi et seqq. capita in codice Romano et Alexandrino, ait, immane quantum differunt.

Digitized by Google

νας (1), καὶ τοὺς ὑπὸ Μοϋσέως τεθέντας ὑπὸ τὸ ὄρος δώδεκα λίθους, ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ Ἰησοῦ ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ ἄλλους εἰς τὸ πέραν, καὶ τοὺς βαστάζοντας τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης, καὶ τοὺς ὑπὸ Ἠλία τεθειμένους ἐν τῇ ὁλοκαυτώσει τοῦ μόσχου, καὶ τὸν ἀριθμὸν δὲ τῶν ἀποστόλων· καὶ πάντα ἁπλῶς, ὅσα τὸν δωδέκατον ἀριθμὸν διασώζει, τὴν δωδεκάδα αὐτῶν χαρακτηρίζειν λέγουσι. Τὴν δὲ τούτων πάντων ἕνωσιν ὀνομαζομένην τριακοντάδα διὰ τῆς τριάκοντα πηχῶν τὸ ὕψος ἐπὶ Νῶε κιβωτοῦ, καὶ διὰ Σαμουὴλ κατακλίναντος τὸν Σαοὺλ ἐν τοῖς τριάκοντα κλητοῖς (2) πρῶτον, καὶ διὰ Δαβὶδ, ὅτε ἐπὶ τριάκοντα ἡμέραις (3) ἐκρύβετο ἐν τῷ ἀγρῷ, καὶ διὰ τῶν συνεισελθόντων αὐτῷ εἰς τὸ σπήλαιον (Ἰσραὴλ [4]), καὶ διὰ τοῦτο (5) τὸ μῆκος γίνεσθαι τῆς ἁγίας σκηνῆς τριάκοντα πηχῶν· καὶ εἴ τινα ἄλλα ἰσάριθμα τούτοις εὑρίσκουσι, τὴν τριακοντάδα αὐτῶν διὰ τῶν τοιούτων ἐπιδεικνύναι φιλεριστοῦσιν.

A cim tintinnabula [96], et eos qui a Moyse positi sunt sub monte duodecim lapides [97], similiter autem et eos qui a Jesu in flumine positi sunt [98], et alteros qui trans positi (6*) sunt, et portantes arcam testamenti [99], et eos qui ab Helia positi sunt in holocausto vituli [100], et numerum (7) quoque apostolorum; et omnia omnino, quæcunque duodecim numerum custodiunt, duodecadem ipsorum significare volunt. Horum autem unitatem (8) omnium, quæ vocatur triacontas, per eam arcam (9), cujus triginta cubitis altitudo fuit sub Noe [101]: et 90 per Samuelem (10) declinantem (11) Saul [1].... qui (12) triginta diebus abscondebatur in agro [2]; et per eos qui cum eo intraverunt in speluncam [3]; et propter id quod longitudo fuerit B sancti tabernaculi triginta cubitorum [4]; et quæcunque alia æqualia numeris his inveniuntur (13), triacontadem ipsorum per hujusmodi ostendunt asseverationes (14).

CAPUT XIX [5].

Quibus Scripturæ testimoniis probarent supremum Patrem incognitum fuisse ante Christi adventum.

1. Ἀναγκαῖον (6) ἡγησάμην προσθεῖναι τούτοις καὶ ὅσα περὶ τοῦ Προπάτορος αὐτῶν, ὃς ἄγνωστος

1. Necessarium autem duxi addere iis et quanta de Propatore ipsorum, qui incognitus erat omnibus

BILLII INTERPRETATIO.

demque alii trans flumen siti sunt, et eos, qui fœderis arcam gestabant, et lapides eos, qui ab Elia in vituli holocausto fixi sunt, et apostolorum numerum; ac denique omnia, quæ duodenarium numerum continent, duodecadem suam exprimere dicunt. Horum porro omnium conjunctionem, quem tricenarium appellant, per arcam Noe, cujus altitudo triginta cubitorum erat: et per Samuelem, qui Saulem inter eos, quos ad epulas invitaverat, primo loco collocavit: et per Davidem, qui triginta totos dies in agro delituit, et per eos, qui cum ipso in speluncam ingressi sunt: ac per id, quod sacrosanctum tabernaculum triginta altitudinis cubitos habebat, ac si quæ alia ejusdem numeri reperiunt, tricenarium suum per ea confirmare ac demonstrare contendunt.

CAPUT XIX.

1. Necessarium autem esse censui his ea adjungere, quæ ipsi quoque de Propatore suo, qui cunctis

[96] Exod. XXVIII, 4, et XXXIX, 8. [97] Exod. XXIV, 4. [98] Jos. IV, 3, 8, 9, et 20. [99] Jos. III, 12. [100] III Reg. XVIII, 31. [101] Gen. VI, 15. [1] I Reg. IX, 22. [2] I Reg. XX, 5. [3] II Reg. XXIII, 13. [4] Exod. XXVI, 8. [5] Cap. XVI.

(1) *Τοὺς δώδεκα κώδωνας.* Nihil de tintinnabulorum numero legitur in Scripturis. Scribit Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryph.*, p. 260, *traditum esse quod duodecim fuerint.* Quam quidem traditionem secuti sunt Marcosii. Sed alii 72, alii alium tintinnabulorum istorum numerum tradunt. Legesis Braunii tractatum *De vestitu sacerdotum Hebræorum* lib. II.

(2) *Ἐν τοῖς τριάκοντα κλητοῖς.* Hunc convivarum numerum exhibent quidem textus Hebræus et Vulgata nostra I Reg. IX, 22. At in LXX leguntur *circiter septuaginta viri* a Samuele invitati. Hinc que merito colligit Fronto Duc. Irenæum, vel hæreticos illos aliam Græcam editionem habuisse, in qua ex Hebræo, ut in Vulgata Latina, legebatur.

(3) *Ἐπὶ τριάκοντα ἡμέραις.* Vel sacros codices depravarunt hæretici, vel memoria lapsi sunt. Sive enim in Hebræo, sive in LXX, sive in Vulgata, neque I Reg. V, neque uspiam alibi David in agro latuisse legitur *triginta diebus*: sed secundum Vulgatam et Hebræum, *usque ad vesperam diei tertiæ* D duntaxat; et secundum LXX, ἕως δείλης, *usque ad vesperam* tantum. Idem dic de triginta illis quos cum David intrasse in speluncam comminiscuntur. Nam II Reg. XXIII, 13, non triginta, sed τρεῖς ἀπὸ τῶν τριάκοντα, secundum LXX; vel *tres, qui erant principes inter triginta*, secundum Vulgatam, et quædam exemplaria τῶν Ο', *venisse ad David in speluncam Odollam* dicuntur.

(4) *Σπήλαιον Ἰσραήλ.* Pro Ἰσραὴλ reponendum forte Ὀδολλάμ, quamvis neutrum legisse videatur C interpres.

(5) *Διὰ τοῦτο.* Pro τοῦτο lege τοῦ.

(6) *Ἀναγκαῖον.* Δέ adde ex vet.

(6*) *Trans positi.* Male junctas voces in editt. omnibus, recte divisit Grabius.

(7) *Et numerum.* Sic ex Græco restitui, pro *et numerus*, quod in omnibus tum editt., tum mss. manifesto scribarum errato legitur.

(8) *Unitatem.* Melius *unionem*, vel *conjunctionem.*

(9) *Eam arcam.* Ita mss. omnes, cum edit. Oxon. In aliis deest *eam.*

(10) *Per Samuelem.* In Arund., Voss. et Merc. 2, *per Samuel.* In Clarom. *per Samuhel.*

(11) *Declinantem.* Scribendum saltem erat, *reclinantem*; melius *discumbere facientem.* Neque enim *declino*, quidquid Fronto Duc. dicat, uspiam apud auctores Latinos, quod sciam, legitur pro *accumbere facio*: et quæ profert exempla vir doctus, *somnus declinat ocellos*; et, *agmen duces declinant*, id minime probant.

(12) *Saul, qui.* Clarom., Pass., Ottobon. et Arund., *Saul, in*: adeo ut, scite observat Grabius, interpretem *in triginta vocatis* scripsisse, et scribam ob recurrentem vocem *triginta* quædam omisisse plane pateat. Hæc ergo tu ex Græco ita suppleas: *Saul in triginta vocatis primum, et per Davidem, qui*, etc.

(13) *Inveniuntur.* Græc. *inveniunt.*

(14) *Ostendunt asseverationes.* Vertendum erat, *ostendere acerrime contendunt.*

Digitized by Google

ante adventum Christi, eligentes de Scripturis suadere contendunt, ut ostendant Dominum nostrum alterum annuntiare Patrem, præter fabricatorem hujus universitatis : quem, sicut prædiximus, impie blasphemantes, labis fructum esse dicunt. Prophetam igitur Isaiam dicentem : *Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit* [6]; invisibilis Bythi ignorantiam dixisse coaptant. Et in Osee quod dictum est : *Non est in eis veritas, neque agnitio Dei* [7]; in hoc idem tendere conantur. Et : *Non est intelligens, aut requirens Deum : omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* [8]; in Bythi ignorantia apponunt. Et per Moysem autem dictum : *Nemo videbit Deum, et vivet* [9]; in illum habere suadent relationem.

2. Et fabricatorem quidem a prophetis visum dicunt (1) : 91 illud autem quod scriptum est : *Nemo videbit Deum et vivet* ; de invisibili magnitudine, et incognita omnibus dictum volunt. Et quoniam quidem de invisibili Patre, factore omnium, dictum est : *Nemo videbit Deum*, omnibus nobis manifestum est : quoniam autem non de hoc, qui ab iis adinventus est Bythus, sed de Demiurgo (et ipse est invisibilis Deus) ostenditur (2) procedente sermone. Et Danielem autem hoc idem significare, in eo quod interrogat angelum absolutiones (3) parabolarum, quasi non scientem. Sed et angelum abscondentem ab eo magnum mysterium Bythi, dicere ei : *Recurre, Daniel : hi enim sermones obstructi sunt, quoadusque intellectores intelligant, et albi inalbentur* [10] : et seipsos esse albos et intellectores gloriantur.

A ἦν τοῖς πᾶσι πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας, ἐκλέγοντες ἐκ τῶν Γραφῶν πείθειν ἐπιχειροῦσιν, ἵν' ἐπιδείξωσι τὸν Κύριον ἡμῶν ἄλλον καταγγέλλοντα Πατέρα, παρὰ τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντός· ὃν, καθὼς προέφαμεν, ἀσεβοῦντες, ὑστερήματος καρπὸν εἶναι λέγουσι. Τὸν γοῦν προφήτην Ἡσαΐαν εἰπόντα· *Ἰσραὴλ δέ με οὐκ ἔγνω, καὶ ὁ λαός με οὐ συνῆκε* (4), τὴν τοῦ ἀοράτου Βυθοῦ ἀγνωσίαν εἰρηκέναι μεθαρμόζουσι. Καὶ διὰ Ὡσηὲ τὸ εἰρημένον· *Οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια οὐδὲ ἐπίγνωσις Θεοῦ*, εἰς τὸ αὐτὸ συντείνειν βιάζονται. Καὶ, *Οὐκ ἔστιν ὁ συνιὼν, ἢ ἐκζητῶν τὸν Θεόν· πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν*, ἐπὶ τῆς τοῦ Βυθοῦ ἀγνωσίας τάττουσι. Καὶ τὸ διὰ Μωϋσέως δὲ εἰρημένον, *Οὐδεὶς ὄψεται τὸν Θεὸν καὶ ζήσεται*, εἰς ἐκεῖνον ἔχειν

B πείθουσι τὴν ἀναφοράν.

2. Τὸν μὲν γὰρ ποιητὴν ἐπιψευδόμενοι ὑπὸ τῶν προφητῶν ἐωρᾶσθαι λέγουσι· τὸ δὲ, *Οὐδεὶς ὄψεται τὸν Θεὸν καὶ ζήσεται*, περὶ τοῦ ἀοράτου μεγέθους καὶ ἀγνώστου τοῖς πᾶσιν, εἰρῆσθαι θέλουσι. Καὶ ὅτι μὲν περὶ τοῦ ἀοράτου Πατρὸς καὶ ποιητοῦ τῶν ὅλων εἴρηται τὸ, *Οὐδεὶς ὄψεται τὸν Θεὸν*, πᾶσιν ἡμῖν φανερόν ἐστιν· ὅτι δὲ οὐδὲ περὶ τοῦ ἐπὶ τούτων (5) παρεπινεουμένου Βυθοῦ, ἀλλὰ περὶ τοῦ Δημιουργοῦ (καὶ αὐτός ἐστιν ὁ ἀόρατος Θεὸς), δειχθήσεται τοῦ λόγου προϊόντος. Καὶ τὸν Δανιὴλ δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο σημαίνειν, ἐν τῷ ἐπερωτᾷν τὸν ἄγγελον τὰς ἐπιλύσεις τῶν παραβολῶν, ὡς μὴ εἰδότα. Ἀλλὰ καὶ τὸν ἄγγελον ἀποκρυπτόμενον ἀπ' αὐτοῦ τὸ μέγα μυστήριον τοῦ Βυθοῦ, εἰπεῖν αὐτῷ· Ἀπότρεχε, *Δανιήλ* (6)·

C *οὗτοι γὰρ οἱ λόγοι ἐμπεφραγμένοι εἰσὶν, ἕως οἱ συνιέντες συνιῶσι καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι*· καὶ αὐτοὺς εἶναι τοὺς λευκοὺς, καὶ εὐσυνιέντας αὐχοῦσι.

BILLII INTERPRETATIO.

ante Christi adventum ignotus erat, ex Scripturis hinc atque hinc excerptis persuadere conantur, ut Dominum nostrum ostendant, alium Patrem annuntiare, præter universitatis hujusce conditorem : quem, uti superius diximus, impii homines ex defectu ortum esse volunt. Itaque hæc Isaiæ prophetæ verba : *Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit;* ad invisibilis Bythi ignorationem detorquent. Idque quod per Oseam dictum est : *Non est in eis veritas, nec Dei agnitio*, eodem pertinere contendunt. Illud item : *Non est qui intelligat, aut requirat Deum : omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt;* de Bythi ignoratione dictum esse statuunt. Eodemque modo id, quod per Moysem dictum est : *Nemo videbit Deum, et vivet;* ad eum referendum esse monent.

2. Conditorem enim illi a prophetis conspectum fuisse falso asserunt. Illud autem : *Nemo videbit Deum et vivet;* de invisibili , omnibusque ignota magnitudine dictum esse volunt. Et quidem de invisibili Patre, rerumque omnium conditore, hæc verba usurpata esse : *Nemo videbit Deum et vivet;* cuivis nostrum perspicuum est : quod autem non de eo, quem ipsi comminiscuntur, Bytho, sed de rerum omnium effectore, qui ipse invisibilis Deus est , inferius a nobis ostendetur. Quin Danielem etiam idem istud significare aiunt, cum parabolarum solutiones tanquam ei minime notas et exploratas ex angelo sciscitatur. Angelum item ipsum ingens Bythi mysterium ipsi occultantem, his ad eum verbis usum esse . *Abi quam celerrime, Daniel : hi enim sermones obsepti sunt quousque intelligant qui intelligunt, et qui albi sunt, dealbentur.* Seipsos porro albos illos ac perspicacis ingenii homines esse gloriantur.

[6] Isa. I, 3. [7] Ose. IV, 1. [8] Psal. XIII, 2, 3, et Rom. III, 11, 12. [9] Exod. XXXIII, 20. [10] Daniel. XII, 9, 10.

(1) *Visum dicunt.* Ex Græco lege, *visum, mendacia texentes dicunt.*

(2) *Ostenditur.* Græc. *ostenaetur.*

(3) *Absolutiones.* Pro *solutiones.*

(4) Ὁ λαός με οὐ συνῆκε. Sic quidem *soli* LXX *transtulerunt*, Hieronymo teste ad cap. I Isai. et ita legerunt e Patribus Græcis non pauci. Vulgata vero nostra : *Populus meus non intellexit.*

(5) Οὐδὲ περὶ τοῦ ἐπὶ τούτων. Leg. cum interp. οὐ περὶ τοῦ ὑπὸ τούτων.

(6) Ἀπότρεχε, Δανιήλ, etc. Locus ab hæreticis depravatus. Apud LXX siquidem legitur in codi- D cibus nostris : Δεῦρο, Δανιὴλ, ὅτι ἐμπεφραγμένοι, καὶ εἰσφραγισμένοι οἱ λόγοι, ἕως καιροῦ πέρας· ἐκλεγῶσι καὶ ἐκλευκανθῶσι, etc. Et in Vulgata nostra : *Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus. Eligentur et dealbabuntur*, etc. Paulo aliter vero Irenæus lib. IV, c. 26, et Cyprianus lib. I *cont. Jud.*, c. 5, legunt : *Muni sermones, et signa librum usque ad tempus consummationis, quoad addiscant multi, et implentur agnitio, quoniam cum fiet dispersio, cognoscent omnia hæc.* Sed nullibi legimus : ἕως οἱ συνιέντες συνιῶσι, καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι.

Digitized by Google

CAPUT XX [11].

De apocryphis et fictis Marcosiorum scripturis, ac Evangelii locis quibus abutebantur.

1. Πρὸς δὲ τούτοις ἀμύθητον πλῆθος ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ἃς αὐτοὶ ἔπλασαν, παρεισφέρουσιν (1) εἰς κατάπληξιν τῶν ἀνοήτων καὶ τὰ τῆς ἀληθείας μὴ ἐπισταμένων γράμματα. Προσπαραλαμβάνουσι δὲ εἰς τοῦτο κἀκεῖνο τὸ ῥᾳδιούργημα, ὡς τοῦ Κυρίου (2) τὰ διὰ τοῦ διδασκάλου (3) αὐτῷ φήσαντος, καθὼς ἔθος ἐστίν, *εἰπὲ ἄλφα*, ἀποκρίνασθαι τὸ *ἄλφα*. Πάλιν τε τὸ *βῆτα* τοῦ διδασκάλου κελεύσαντος εἰπεῖν, ἀποκρίνασθαι τὸν Κύριον· *Σύ μοι πρότερον εἰπὲ τί ἐστι τὸ ἄλφα, καὶ τότε σοι ἐρῶ τί ἐστι τὸ βῆτα.* Καὶ τοῦτο ἐξηγοῦνται, ὡς αὐτοῦ μόνου τὸ ἄγνωστον ἐπισταμένου, ὃ ἐφανέρωσεν ἐν τῷ τύπῳ τοῦ ἄλφα.

2. Ἕνια δὲ καὶ τῶν ἐν Εὐαγγελίῳ κειμένων εἰς τοῦτον τὸν χαρακτῆρα μεθαρμόζουσιν· ὡς τὴν πρὸς τὴν μητέρα αὐτοῦ, δωδεκαετοῦς ὄντος, ἀπόκρισιν· *Οὐκ οἴδατε* (4) *ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Πατρός μου δεῖ με εἶναι;* ὃν οὐκ ᾔδεισαν, φασὶ, Πατέρα κατήγγελλεν αὐτοῖς· καὶ διὰ τοῦτο ἐκπέμψαι τοὺς μαθητὰς εἰς τὰς δώδεκα φυλὰς, κηρύσσοντας τὸν ἄγνωστον αὐτοῖς Θεόν. Καὶ τῷ εἰπόντι αὐτῷ· *Διδάσκαλε ἀγαθέ*, τὸν ἀληθῶς ἀγαθὸν Θεὸν ὁμολογηκέναι εἰπόντα· *Τί με λέγεις ἀγαθόν; εἷς ἐστιν ἀγαθὸς, ὁ Πατὴρ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* (5)· οὐρανοὺς δὲ νῦν τοὺς Αἰῶνας εἰρῆσθαι λέγουσι. Καὶ διὰ τὸ μὴ ἀποκριθῆναι τοῖς

1. Super hæc autem, inenarrabilem multitudinem apocryphorum (6) et perperûm scripturarum, quas ipsi finxerunt, afferunt ad stuporem insensatorum, et quæ sunt veritatis non scientium litteras. Assumunt autem in hoc et illam falsationem, quasi Dominus cum puer esset, et disceret litteras, cum dixisset magister ejus (7), quemadmodum in consuetudine est: *Dic A*; responderit *A*. Rursum cum magister jussisset dicere (8) *B*, respondisse Dominum: *Tu prior dic mihi quid est A, et tunc ego dicam tibi quid est B.* Et hoc exponunt, quasi ipse solus incognitum **92** scierit, quod manifestavit in typum alphæ (9).

2. Quædam autem eorum, quæ in Evangelio posita sunt, in hunc characterem transfigurant: sicut illud quod ad matrem suam, duodecim annorum exsistens, respondit dicens: *Non scitis quoniam in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse* [12]? Hunc, quem non sciebant, dicunt (10), Patrem annuntiabat eis: et propter hoc emisisse discipulos in duodecim tribus, annuntiantes ignotum eis Deum. Et ei qui dixisset illi: *Magister bone;* eum, qui vere bonus esset Deus, confessum esse respondentem: *Quid me dicis bonum? unus est bonus, Pater in cœlis* [13]: cœlos autem nunc Æonas dictos dicunt.

BILLII INTERPRETATIO.

CAPUT XX.

1. Insuper, apocryphorum librorum, et adulterinarum scripturarum, quas ipsi confinxerunt, infinitam multitudinem afferunt, ut stultos ac vesanos homines, veritatisque litterarum ignaros in stuporem trahant. Commentum etiam illud assumunt, quod cum Dominus puerili ætate esset, atque elementa disceret, ac ludimagister, ut mos est, ei dixisset: *Age, dic alpha;* respondit: *alpha.* Cumque rursus præceptor *beta* dicere jussisset, respondit Dominus: *Tu mihi prius expone quid sit alpha, tumque quid beta sit, ex me audies.* Idque ita interpretantur, quasi solus ipse id, quod cognitionem superat, norit, quod quidem in figura ipsius alpha declaravit.

2. Quin nonnulla quoque eorum, quæ in Evangelio exstant, ad hunc characterem detorquent: velut id quod anno ætatis duodecimo matri respondit: *Nescitis quoniam in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quibus verbis, inquiunt, eum, quem non norant, Patrem eis annuntiabat: atque hac de causa discipulos ad duodecim tribus misit, ut ignotum ipsis Deum prædicarent. Atque etiam ei, qui eum his

[11] Cap. XVII. [12] Luc. II, 49. [13] Matth. XIX, 17; Marc. X, 18; Luc. XVIII, 19.

(1) *Παρεισφέρουσι.* Cod. Reg. παραφέρουσι.

(2) *Ὡς τοῦ Κυρίου*, etc. Hæc fabula reperitur etiam in apocrypho libro *De infantia Salvatoris*, qui Matthæo evangelistæ perperam ascriptus exstat cod. ms. 4316 bibliothecæ Regiæ Parisiis. Exstat et in eadem bibliotheca cod. 2908, alter apocryphus liber sub hoc titulo: *Liber de pueritia et miraculis Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi;* in quo eadem pene leguntur. Utriusque meminit Cotelerius, fragmentumque posterioris refert in notis ad lib. IV *Constit. apostol.* Clementis cap. 16. Idem commentum, teste Grabio, occurrit et in Evangelio infantiæ Christi, quod Arabice cum Latina versione edidit Henricus Sikius, pag. 144 et 146, necnon, licet paulo diversum, in Pseudo-Evangelio Leucii, quod ms. Oxonii exstat in bibliotheca Collegii Corporis Christi, ubi cap. *Quomodo Jesus discendus erat litteras*, hæc leguntur: *Et cœpit magister impiose* (leg. *imperiose*) *eum docere dicendo: Dic alpha. Jesus vero dixit ei: Tu mihi dic prius, quid sit beta, et ego dicam tibi quid sit alpha; et ob hæc magister iratus percussit Jesum, et postquam percussit eum, mortuus est.*

(3) *Τὰ διὰ τοῦ διδασκάλου.* Integra linea hic a scriba omissa, ex Billio et Petavio ita supplenda: παιδὸς ὄντος, καὶ γράμματα μανθάνοντος, καὶ τοῦ διδασκάλου, etc.

(4) *Οἴδατε.* In vulgatis N. Testam. codd. ᾔδειτε.

(5) *Εἷς ἐστιν ἀγαθὸς ὁ Πατὴρ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Hæc ex memoria citata, nam pro iis tres evangelistæ concorditer habent: οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. Quanquam tamen in quibusdam N. Testam. mss. codd. legatur: εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός, vel, εἷς ἐστιν ἀγαθὸς ὁ Θεός.

(6) *Apocryphorum.* Melius, *apocrypharum.*

(7) *Magister ejus.* Græc. *magister ei.*

(8) *Dicere. Eum* post *dicere* cum Grabio expunximus, auctoritate codd. Pass., Voss. et textus Græci.

(9) *In typum alphæ.* Sic Clarom., et Voss. juxta Græc. Editt. *in typum A.* Sed pro *in typum*, vertendum erat *in typo.*

(10) *Dicunt.* In Feuard. marg. et mss. Pass. et Voss., *dicit.* Quod consentit cum Basileensi edit. Epiphanii, et Irenæi Gallas. et Feuard. ubi pro φασὶ legitur φησί; nec male quidem, si ad Marcum referatur: quamvis præferendus pluralis numerus.

Digitized by Google

Et propter hoc non respondisse eis (1), qui ei dixerunt: *In qua virtute hoc facis?* sed econtrario interrogatione sua consternasse eos [14], inenarrabile Patris, in eo quod non dixerit, non ostendisse (2) eum interpretantur. Sed et in eo, quod dixerit: *Sæpius concupivi audire unum ex sermonibus istis, et non habui qui diceret mihi;* manifestantis (3) dicunt esse per hoc *unum*, eum qui sit vere unus Deus, quem non cognoverint (4). Adhuc in eo, quod appropinquans (5) ad Jerusalem ploraverit super eam, et dixerit (6): *Si cognovisses et tu hodie quæ sunt ad pacem; abscondita autem sunt a te* [15]; per eum sermonem qui est absconditus (7), apocryphon Bythi manifestasse. Et iterum dicentem: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, et discite a me* [16]; Veritatis Patrem annuntiasse. Quod enim nesciebant, inquiunt, hoc eis promisit se docturum.

A εἰποῦσιν αὐτῷ, *Ἐν ποίᾳ δυνάμει* (9) *τοῦτο ποιεῖς*, ἀλλὰ τῇ ἀντεπερωτήσει ἀπορῆσαι αὐτοὺς (10), τὸ ἄῤῥητον τοῦ Πατρὸς, ἐν τῷ εἰπεῖν (11), δεδειχέναι αὐτὸν ἐξηγοῦνται. Ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ εἰρηκέναι, *Πολλάκις ἐπεθύμησα* (12) *ἀκοῦσαι ἕνα τῶν λόγων τούτων, καὶ οὐκ ἔσχον τὸν ἐροῦντα*, ἐμφαίνοντός φασι δεῖν (13) διὰ τοῦ ἑνὸς τὸν ἀληθῶς ἕνα Θεὸν, ὃν οὐκ ἐγνώκεισαν. Ἔτι ἐν τῷ προσχόντα αὐτὸν τῇ Ἱερουσαλὴμ, δακρῦσαι ἐπ' αὐτὴν, καὶ εἰπεῖν· *Εἰ ἔγνως* (14) *καὶ σὺ σήμερον τὰ πρὸς εἰρήνην, ἐκρύβη δέ σου* (15), διὰ τοῦ, ἐκρύβη, ῥήματος τὸ ἀπόκρυφον τοῦ Βυθοῦ δεδηλωκέναι. Καὶ πάλιν εἰπόντα· *Δεῦτε πρός μὲ, πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς· καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ*, τὸν τῆς ἀληθείας Πατέρα κατηγγελκέναι. Ὃ γὰρ οὐκ ἤδεισαν, B φησὶ (16), τοῦτο αὐτοῖς ὑπέσχετο διδάξειν.

93 3. Ostensionem autem superiorum, et velut finem regulæ suæ afferunt hæc: *Confiteor tibi, Pater, Domine terræ et cœlorum* (8), *quoniam abscondisti ea a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater meus, quoniam in conspectu tuo placitum factum est. Omnia mihi tradita sunt a Patre:*

3. . . . (17) δὲ τὴν ἀνωτάτω, καὶ οἱονεὶ κορωνίδα τῆς ὑποθέσεως αὐτῶν φέρουσι ταῦτα· *Ἐξομολογήσομαί* (18) *σοι, Πάτερ, Κύριε τῶν οὐρανῶν καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας* (19) *ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. Οὐά* (20), *ὁ Πατήρ μου, ὅτι ἔμπροσθέν σου εὐδοκία μοι* (21) *ἐγένετο.*

BILLII INTERPRETATIO.

verbis allocutus erat: *Magister bone;* eum, qui vere bonus erat, his verbis ei ingenue confessus est: *Quid me dicis bonum? Unus est bonus, Pater qui in cœlis est:* cœlos enim hoc loco Æonas appellatos esse aiunt. Per id præterea quod his, qui ex eo sciscitabantur, in qua potestate hæc faceret, non responderit, sed mutua interrogatione eos perculserit, per id, inquam, quod dicere recusavit, Patris ineffabilitatem ab eo ostensam esse interpretantur. Itidemque in eo quod dixit: *Sæpe unum ex his sermonibus audire concupivi, nec præsto habui, qui diceret;* per *unum*, eum qui vere unus est Deus, quem ipsi non cognoverint, ab eo declaratum esse inquiunt. In eo præterea, quod cum Hierosolymis appropinquasset, super eam fleverit, ac dixerit: *Si cognovisses et tu hodie quæ ad pacem; abscondita sunt autem a te;* absconditi vocabulo, quod abditus abstrususque sit Bythus, planum fecisse. Et rursus in his verbis: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: discite a me*, etc.; in his, inquam, verbis Patrem Veritatis annuntiasse. Quod enim ignorabant, inquiunt, hoc se eos edocturum promittebat.

3. At vero pro summa hujusce commenti sui confirmatione, ac velut coronide hæc afferunt: *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater mi, quoniam sic tibi complacuit. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Patrem nisi Filius, et Filium nisi Pater, et cui Filius revelaverit.* In his enim verbis ab eo id liquido demonstra-

[14] Matth. xxi, 23; Marc. xi, 28; Luc. xx, 2. [15] Luc. xix, 42. [16] Matth. xi, 28, 29.

(1) *Et propter hoc non respondisse eis*, etc. Haud accurata versio. Scribendum erat: *et per hoc quod non responderit eis, sed alia quæstione proposita, eos in angustias adduxerit*, etc.

(2) *Non ostendisse.* Sic editi. Eras., Gall. et omnes mss. Feuardentius vero, quem secutus est Grab. male expunxit particulam negativam. Sensus enim est, Christum, in eo quod non responderit, inenarrabile Patris non ostendisse.

(3) *Manifestantis.* Feuardentius cum Eras. et Gall. *manifestantius.*

(4) *Cognoverint.* Pass. et Voss. *cognoverunt.*

(5) *Adhuc in eo, quod appropinquans.* Ita codd. Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon. juxta Græcum. In aliis male, *in eo quod appropinquavit.*

(6) *Ploraverit.... dixerit.* Al. *ploravit.... dixit.*

(7) *Per eum sermonem, qui est absconditus.* Vel Græca male legit interpres, vel non intellexit. Vertendum erat: *per istud verbum*, abscondita sunt, *apocryphon*, etc.

(8) *Terræ et cœlorum.* Ita Clarom., Pass. et Voss. cum edit. Oxon. juxta Græca hæreticorum. In aliis editi. *cœli et terræ*, ut apud evangelistas, legitur.

(9) *Δυνάμει.* Ἐξουσίᾳ habent tres evangelistæ.

(10) *Ἀπορῆσαι αὐτούς.* Frustra Petavius legendum conjicit, ἀπορῆσαι πρὸς αὐτούς.

(11) *Ἐν τῷ εἰπεῖν.* Ante et post εἰπεῖν ponendum οὐκ, vel μή.

(12) *Πολλάκις ἐπεθύμησα*, etc. Hæc verba frustra quæsieris in Scripturis sacris; nullibi extant. Ab hæreticis istis, vel male feriato quopiam conficta sunt.

(13) *Ἐμφαίνοντός φασι δεῖν.* Pro δεῖν legendum εἶναι; sicque reposuerunt in ipso textu Gallasius et Feuardentius; in hoc laudandi, si ms. alicujus faveret auctoritas. Sed male omnino, pro ἐμφαίνοντος, substituerunt, ἐμφατικώτερον.

(14) *Εἰ ἔγνως.* Hæc iterum ex memoria citata.

(15) *Σοῦ.* Leg. ἀπὸ σοῦ.

(16) *Φησί.* Leg. φασί.

(17) *Vox* ἀπόδειξιν, a scribis omissa, hic restituenda.

(18) *Ἐξομολογήσομαι.* Legit interpres ἐξομολογοῦμαι; sicque nostri codd. habent.

(19) *Ἀπέκρυψας.* Adde ταῦτα cum vet. interp. et nostris N. Test. codd.

(20) *Οὐά.* Hanc vocem pro ναί posuerunt hæretici.

(21) *Εὐδοκία μοι.* Vocem μοι nec legit interpres, nec habent nostri N. Test. codd.

Digitized by Google

Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ Πατρός μου· καὶ οὐδεὶς ἔγνω τὸν Πατέρα (1), εἰ μὴ ὁ Υἱὸς, καὶ τὸν Υἱὸν, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ καὶ ᾧ ἂν ὁ Υἱὸς ἀποκαλύψῃ. Ἐν τούτοις διαῤῥήδην φασὶ δεδειχέναι αὐτὸν, ὡς τὸν ὑπ' αὐτὸν (2) παρεξευρημένον Πατέρα ἀληθείας, πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ μηδενὸς πώποτε ἐγνωκότος· καὶ κατασκευάζειν θέλουσιν, ὡς τοῦ ποιητοῦ καὶ κτίστου ἀεὶ ὑπὸ πάντων ἐγνωσμένου καὶ ταῦτα τὸν Κύριον εἰρηκέναι περὶ τοῦ ἀγνώστου τοῖς πᾶσι Πατρὸς, ὃν αὐτοὶ καταγγέλλουσι.

A *et nemo cognovit Patrem, nisi Filius, et Filium, nisi Pater, et cuicunque Filius revelaverit* [17]. In his enim manifestissime aiunt ostendisse eum, quod ante adventum ejus nemo manifeste cognoverit Patrem Veritatis (3) : et aptare volunt, quod quasi fabricator et conditor semper ab omnibus cognitus sit : et hæc Dominum dixisse de incognito omnibus Patre, quem ipsi annuntiant.

CAPUT XXI [18].

Quid et quotuplex redemptio hæreticorum.

1. Τὴν δὲ τῆς ἀπολυτρώσεως (3) αὐτοῖς (4) παράδοσιν συμβέβηκεν ἀόρατον εἶναι καὶ ἀκατάληπτον, ἅτε τῶν ἀκρατήτων καὶ ἀοράτων μητέρα ὑπάρχουσαν. Καὶ διὰ τοῦτο ἄστατον οὖσαν, οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἐνὶ λόγῳ ἀπαγγέλλαι ἐστι· διὰ τὸ ἓν ἕκαστον (5) αὐτῶν, καθὼς αὐτοὶ βούλονται, παραδιδόναι αὐτήν. Ὅσοι γάρ εἰσι ταύτης τῆς γνώμης μυσταγωγοὶ, τοσαῦται καὶ ἀπολυτρώσεις. Καὶ ὅτι μὲν εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος, τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως καὶ πάσης τῆς πίστεως ἀπόθεσιν ὑποβέβληται τὸ εἶδος τοῦ (6) ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, ἐλέγχοντες αὐτοὺς ἀπαγγελοῦμεν ἐν τῷ προσήκοντι τόπῳ.

1. Redemptionis autem ipsorum traditionem evenit invisibilem esse, et incomprehensiblem : videlicet cum sit incomprehensibilium et invisibilium mater. Et propter hoc, cum sit instabilis, non simpliciter, B neque uno sermone referendum est (9) : quoniam unusquisque illorum, quemadmodum ipsi volunt, tradunt eam. Quanti (10) enim sunt hujusmodi sententiæ mystici antistites, tot sunt et redemptiones. Et quia (11) ad negationem baptismatis, ejus quæ est in Deum regenerationis, et universæ fidei destructionem remissa (12) est species hæc a Satana, arguentes eos referemus (13) aptiori loco.

2. Λέγουσι δὲ αὐτὴν ἀναγκαίαν εἶναι τοῖς τὴν τελείαν γνῶσιν εἰληφόσιν, ἵνα εἰς τὴν ὑπὲρ πάντα δύναμιν ὦσιν ἀναγεγεννημένοι. Ἄλλως γὰρ ἀδύνατον ἐντὸς Πληρώματος εἰσελθεῖν· ἐπειδὴ αὕτη ἐστὶν ἡ εἰς τὸ βάθος (7) κατάγουσα αὐτούς. Τὸ μὲν γὰρ βάπτισμα τοῦ φαινομένου Ἰησοῦ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κατ- C

2. Dicunt autem eam necessariam esse iis, qui perfectam 95 agnitionem acceperunt (14), ut in eam, quæ est super omnia virtus (15), sint regenerati. Aliter enim nobis (16) impossibile esse intra Pleroma (17) introire : quoniam hæc est, quæ in profundum Bythi deducit, secundum eos (18). Et baptisma quidem apparentis Jesu, in remissionem

BILLII INTERPRETATIO.

tum esse aiunt, quod eum Veritatis Patrem, quem ipsi confinxerunt, nemo ante ejus adventum unquam cognoverit : idque perinde astruere conantur, tanquam creator et opifex omnibus semper cognitus fuerit : hæc autem Dominus de cunctis ignoto Patre, quem ipsi annuntiant, dixerit.

CAPUT XXI.

1. Porro redemptionis traditionem invisibilem ipsis, atque incomprehensibilem esse contigit : ut quæ eorum parens sit, quæ nec comprehendi, nec oculis conspici queunt. Ac proinde, cum incerta et instabilis sit, fieri non potest ut uno ac simplici sermone a me exponatur : quandoquidem unusquisque eorum pro libitu suo eam tradit. Quot enim sunt hujus sententiæ doctores, tot etiam sunt redemptiones. Et quidem quod ad baptismi illius, per quem ad Deum regeneramur, inficiationem, totiusque adeo fidei abjectionem, hoc genus a Satana suggestum sit, cum ad eorum dogmata refellenda ventum erit, suo loco referemus.

2. Aiunt autem hanc iis, qui perfectam cognitionem consecuti sunt, necessariam esse, ut in eam virtutem, quæ supra omnia eminet, regenerentur. Aliter enim fieri non posse, ut cuiquam aditus ad Ple-

[17] Matth. XI, 25-27; Luc. X, 21-22. [18] Cap. XVIII.

(1) *Καὶ οὐδεὶς ἔγνω τὸν Πατέρα*, etc. Verborum ordinem data opera inverterunt hæretici. Legimus enim : Καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν Υἱὸν, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ· οὐδὲ τὸν Πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ Υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ Υἱὸς ἀποκαλύψαι. Vide lib. IV, c. 6.

(2) *Ὑπ' αὐτόν*. Leg. ὑπ' αὐτῶν.

(3) *Τῆς ἀπολυτρώσεως*. Quid sit hæc Marcosiorum *redemptio*, explicuimus cap. XIII, n. 6, not.

(4) *Αὐτοῖς*. Leg. αὐτῶν cum vet.

(5) *Διὰ τὶ ἓν ἕκαστον*. Leg. cum interp. διὰ τὸ ἕνα ἕκαστον.

(6) *Εἶδος τοῦ*. Leg. εἶδος τοῦτο.

(7) *Τὸ βάθος*. Τοῦ Βυθοῦ adde ex vet.

(8) *Patrem Veritatis*. Adde ex Græco, *quem ipsi confinxerunt*.

(9) *Referendum est*, i. e. *referri potest*.

(10) *Quanti*. Pro *quot*.

(11) *Et quia*. *Quia* pro *quod*.

(12) *Remissa*. In Eras. et Gallas. corrupte legitur, D *repromissionem inremisse*. In veteri vero Feuardentii codice, *repromissionem remissa*. Sed recte priorem vocem expunxit vir doctus, posteriorem retinuit. Favent Clarom. et Pass. in quibus vox *remissa* sine præfixa *repromissionem* legitur. At merito censet Feuardentius verbum Græcum ὑποβέβληται verti debuisse, non *remissa est*, sed *immissa*, vel *submissa est*.

(13) *Referemus*. Clarom. et Pass. *referimus*

(14) *Acceperunt*. Clarom. *acceperint*.

(15) *Virtus*. Feuard. *virtutem*.

(16) *Nobis*. Hæc vox deest in Græco, nec Irenæi esse videtur. Nec incommodum tamen sensum habebit, si eam ad Catholicos non coerceas, ut fecit Grabius; sed de hominibus, vel Christianis in genere dictam intelligas.

(17) *Intra Pleroma*. Quidam, *infra Pleroma*. Sed utriusque particulæ idem sensus.

(18) *Secundum eos*. Vocem *secundum*, quam ha-

Digitized by Google

esse peccatorum; redemptionem autem esse ejus, qui in eo descenderit Spiritus (1), ad perfectionem : et illud quidem animale, illam autem spiritalem esse repromittunt. Et baptisma quidem a Joanne annuntiatum in pœnitentiam (2); redemptionem autem ejus, qui in eo est Christi, positam esse ad perfectionem (3), et hoc esse, de quo dicit : *Aliud baptisma habeo baptizari, et valde propero ad illud*[19]. Sed et filiis Zebedæi, matre ipsorum postulante ut sedere faceret eos a dextris et a sinistris cum eo in regno, hanc apposuisse redemptionem Dominum dicunt, dicentem[20] : *Potestis baptisma* (4) *baptizari, quod ego habeo baptizari* (5)? Et Paulum manifeste dicunt eam, quæ sit in Christo Jesu, redemptionem sæpissime ostendisse : et esse hanc eam, quæ ab ipsis varie et inconsonanter traditur. B

A ελθόντος εἰς τελείωσιν· καὶ τὸ μὲν ψυχικὸν, τὴν δὲ πνευματικὴν εἶναι ὑφίστανται. Καὶ τὸ μὲν βάπτισμα ὑπὸ Ἰωάννου κατηγγέλθαι εἰς μετάνοιαν, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν ὑπὸ Ἰησοῦ κεκομίσθαι εἰς τελείωσιν. Καὶ τοῦτ' εἶναι, περὶ οὗ λέγει· *Καὶ ἄλλο βάπτισμα ἔχω* (6) *βαπτισθῆναι, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό.* Ἀλλὰ καὶ τοῖς υἱοῖς Ζεβεδαίου, τῆς μητρὸς αὐτῶν αἰτουμένης τὸ καθίσαι αὐτοὺς ἐκ δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν μετ' αὐτοῦ εἰς τὴν βασιλείαν, ταύτην προσθεῖναι τὴν ἀπολύτρωσιν τὸν Κύριον λέγουσιν, εἰπόντα· *Δύνασθε τὸ βάπτισμα βαπτισθῆναι* (7), *ὃ ἐγὼ μέλλω βαπτίζεσθαι;* Καὶ τὸν Παῦλον ῥητῶς φάσκουσι τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἀπολύτρωσιν πολλάκις μεμηνυκέναι· καὶ εἶναι ταύτην, τὴν ὑπ' αὐτῶν ποικίλως καὶ ἀσυμφώνως παραδιδομένην.

BILLII INTERPRETATIO.

roma pateat : quippe cum ea sit, quæ usque ad intimum Bythi sinum eos detrudat. Etenim per conspicui quidem Jesu baptismum peccata remitti : per Christi autem, qui in eum descenderit, redemptionem, perfectionem comparari. Illum item animalem, hanc spiritualem esse statuunt. Ac baptismum quidem a Joanne ad pœnitentiam annuntiatum; redemptionem vero a Jesu consequendæ perfectionis causa allatam. Eoque spectare id quod ait : *Baptismo alio habeo baptizari, et ad eum magnopere festino.* Quin etiam Zebedæi filiis, cum mater eorum ab ipso contenderet, ut eos secum in regno, alterum a dextris, alterum a sinistris collocaret, Dominum hanc redemptionem adjunxisse, cum dixit : *Potestis baptismo eo baptizari, quo ego baptizandus sum?* Paulum etiam expresso vocabulo eam, quæ in Christo Jesu est, redemptionem persæpe indicasse, hancque eam esse, quæ ab ipsis varie dissentienterque traditur.

3. Nonnulli enim ipsorum nuptiale cubiculum exstruunt, ac mysticum munus cum profanorum quorumdam verborum pronuntiatione obeunt iis, quos initiant, spiritualesque nuptias id quod agunt appellant, ad supernorum conjugiorum similitudinem. Alii ad aquam eos ducunt, atque inter baptizandum his verbis utuntur : *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum*

[19] Luc. XII, 50. [20] Marc. X, 38.

bent editt. Eras. et Gall. ac mss. omnes, tum Anglicani, male, meo quidem judicio, expunxerunt Feuardentius et Grabius. Sensus enim exigere videtur, ut, servata voce *nobis*, retineatur et *secundum*. Quod vero κατά desit in Græco, non adeo mirum : festinanti calamo facile excidere potuit ob præcedens κατάγουσα.

(1) *Spiritus*. Sic antiquiores, meliorisque notæ codd. Clarom., Pass. et Voss. In editt. et Græco *Christus*. At idem utrobique sensus : Spiritum enim in Jesum delapsum, Christum esse dicebant hæretici.

(2) *In pœnitentiam*. Sic ex Græca lectione et cod. Pass. emendo. Hic enim habet, *in pœnitentia in*. Procul dubio in codice, quem exscribebat amanuensis, scriptum erat *pœnitentiam;* sed litteram *m* male legens, scripsit *in :* quod idem amanuensi Claromontano paulo ante contigit, qui pro *spiritalem* scripsit *spiritale in*.

(3) *Redemptionem autem ejus, qui in eo est Christi, positam esse ad perfectionem*. In Græco legit interpres, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κεῖσθαι; sed male. Quare sic construenda versio : *Redemptionem autem a Jesu, obtinendæ perfectionis causa allatam esse.*

(4) *Baptisma*. Sic reposui ex mss. Clarom. et Pass. juxta Græcum τὸ βάπτισμα, sicque vertit paulo superius interpres. In Eras., Gall. et Feuard. minus bene, *baptismo :* paulo melius Grab. ex Merc. 2, *baptismum;* quod nomen non raro apud auctores infimæ Latinitatis usurpari pro *baptismus*, nemo nescit.

(5) *Quod ego habeo baptizari*. Ita Clarom., Voss., Arund., Merc. 2 et edit. Oxon. ex Græco, ὃ ἐγὼ μέλλω βαπτίζεσθαι. In cod. Pass. *quod ego debeo baptizari :* sed in aliis editt. *quod ego debeo baptizari*.

(6) *Καὶ ἄλλο βάπτισμα ἔχω*, etc. Locus hic ex C memoria, non ex libro citatus esse videtur. Nostra siquidem exemplaria pro, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό, habent : καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ!

(7) *Δύνασθε τὸ βάπτισμα βαπτισθῆναι*, etc. Paulo aliter in nostris codd. Nam pro, ὃ ἐγὼ μέλλω βαπτίζεσθαι, legitur : ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι. Verba hæc velut ex Matthæi XX desumpta citavit ad marginem editionis suæ Feuardentius. Exstant quidem in editis N. Testamenti codicibus Græcis, et in versionibus Syriaca et Arabica. Sed quod dudum generatim monuerat Hieronymus in sua *in evangelistas* ad Damasum *Præfatione*, quod nimirum *magnus hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt;* hic speciatim contigisse videtur. Scilicet laudatum comma ex Marci X, 3, in Matthæi textum translatum fuisse, jam ante nos observarunt doctissimi viri, inter quos Grabius. Idque ex eo colligitur, quod neque in vulgata Latina, neque in veteri Italica versione ab D erudito Martianæo nostro paucis ab hinc annis publici juris facta, neque in pluribus antiquioribus, iisque optimæ notæ mss. Novi Testamenti codd. neque apud Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, aliosque Latinos Patres legatur. Et hinc est quod nec in citatis monumentis occurrant ea verba versiculi sequentis : Καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε. Accedit et laudatus a clarissimo Grabio Origenes t. XVI *Comment. in Matthæum* p. 415, ubi ita habet : Ἀποκριθεὶς εἶπε μετὰ τό· Οὐκ οἴδατε, τι αἰτεῖσθε, τό· Δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, ἢ, ὡς ὁ Μάρκος ἀνέγραψε· Δύνασθε τὸ ποτήριον πιεῖν, ὃ ἐγὼ πίνω, ἢ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; Nusquam profecto Marcum huc vocasset Origenes, nisi quidpiam amplius in ejus textu legisset, quam in Matthæi, quem tunc expendebat.

Digitized by Google

3. Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν (1) νυμφῶνα κατασκευάζουσι καὶ μυσταγωγίαν ἐπιτελοῦσι, μετ' ἐπιῤῥήσεών τινων (2) τοῖς τελειουμένοις, καὶ πνευματικὸν γάμον φάσκουσιν εἶναι τὸ ὑπ' αὐτῶν γίνομενον, κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῶν ἄνω συζυγιῶν. Οἱ δὲ ἄγουσιν ἐφ' ὕδωρ, καὶ βαπτίζοντες οὕτως ἐπιλέγουσιν· *Εἰς ὄνομα ἀγνώστου Πατρὸς τῶν ὅλων* (3), *εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν* (4), *εἰς ἕνωσιν καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων.* Ἄλλοι δὲ Ἑβραϊκά τινα ὀνόματα ἐπιλέγουσι, πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι (5) τοὺς τελειουμένους, οὕτως· *Βασεμὰ χαμοσσὴ* (6) *βααιανορὰ, μισταδία ῥουαδὰ, κουστὰ, βαβοφὸρ καλαχθεῖ.* Τούτων δ' ἡ ἑρμηνεία ἐστὶ τοιαύτη· *Ὑπὲρ πᾶσαν δύναμιν τοῦ Πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον καὶ πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ ζωὴ· ὅτι* A B

3. Quidam enim ex ipsis sponsale cubiculum quoddam adaptant (7), et quasi mysticum conficiunt (8), cum quibusdam **95** profanis (9) dictionibus, iis qui sacrantur; et spiritales nuptias dicunt esse id, quod ab ipsis fit, secundum similitudinem supernarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aquam, et baptizantes ita dicunt: *In nomen incogniti* (10) *Patris omnium, in veritatem matrem omnium* (11), *in descendentem in Jesum* (12), *ad unitionem* (13), *et redemptionem, et communionem virtutum.* Alii autem et Hebraica nomina superfantur, ut stupori sint, vel deterreant (14) eos qui sacrantur, sic: *Basyma* (15) *cacabasa* (16) *eanaa, irraumista* (17) *diarbada, caeota* (18) *baſobor* (19) *camelanthi.* Horum autem interpretatio est talis: *Hoc quod est super omnem virtutem Patris* (20) *invoco,*

BILLII INTERPRETATIO.

descendit, in unione, et redemptione, et communione virtutum. Alii rursus Hebraica quædam vocabula, quo magis eos, quos initiant, in stuporem trahant, ad hunc modum effantur: *Basema, chamassi, bacnuora, mystadia, ruada, cusia, babephor, calathi.* Quorum verborum hæc est interpretatio: *Id quod virtutem omnem exsuperat, invoco, quod lux, et Spiritus bonus, et vita nominatur; quia in corpore regnasti.* Sunt

(1) *Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν*, etc. Hæc eadem, usque ad πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελειουμένους, ex Irenæo refert Eusebius lib. IV *Hist. eccles.* c. 11, et quidem eodem prorsus modo atque Epiphanius, nisi quod apud illum ista, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων, incuria forte scribarum omissa sint.

(2) *Ἐπιῤῥήσεών τινων.* Βεβήλων addi vult Billius ex vet. versione. Sed cum nec eam vocem legerit Eusebius, vero similius est *profanis* de suo addidisse vel interpretem, vel scribam.

(3) *Ὅλων.* In Euseb. cit. τῶν ὅλων, ut et mox, μητέρα τῶν πάντων, et paulo post, εἰς τὸν Ἰησοῦν. Nimirum præponit articulos, qui desunt apud Epiphanium.

(4) *Εἰς Ἰησοῦν.* Hinc Theodoretus emendandus, apud quem lib. I *Hær. Fab.* c. 9, male omissa præpositione εἰς, ante Ἰησοῦν, legitur, εἰς κατελθόντα Ἰησοῦν.

(5) *Καταπλήξασθαι.* Sic quidem et editi. Eusebii. Sed notat Valesius ad Eusebii locum, in quatuor ejusdem mss. codd., nempe cardinalis Mazarini, Mediczeo, Fukeriano et Henrici Savilii, hàberi καταπλῆξαι. Sicque legisse videtur interpres noster, verbo activæ significationis usus.

(6) *Βασεμὰ, Χαμοσσὴ*, etc. Hanc formulam aliter descripsit Nicetas in *Thesauro orthod. fid.*: *Camosi, Bae, anoora mystada rhuda custada, phagor calathi.* Cui hæc subnectitur interpretatio: *O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen, et Spiritus bonus, et vita nominaris: quoniam in corpore regnasti.* In cod. Reg. legitur, Χασιμὴ pro Χαμοσσὴ, βαιανοορά pro βαιανορά, et κουκά pro κουστά. Ab Epiphanio longius adhuc recedit interpres Latinus. Nec magis secum consentiunt mss. codd. Latini. Nihil mirum. Ut enim ait Joannes Croius in fine *Speciminis* conjecturarum in Irenæum, Tertullianum et Epiphanium, hæc et sequentes Marcosiorum formulæ ita corruptæ et depravatæ, ut vestigium aliquod veræ lectionis vix appareat. Eas quidem, addit, restituere quidam sunt conati, sed ita infelici successu, ut farraginem potius quamdam variarum dialectorum, sine ulla analogia et ratione grammatica, quam germanam proponant restitutionem. Ne vero farraginem farragini addamus, et in re quæ tam exiguum ad res Christianas momentum affert, operam ludamus, malumus aliorum conjecturas legi, quam nostras. Consulat ergo, cui per otium licebit, Joannis Croii *Specimen*, et Rhenferdi *Disput. de redempt. Marcosiorum et Heracleonitarum.*

(7) *Adaptant.* Ita ex Voss. et Merc. 2 codd. juxta Græc. κατασκευάζουσι reposuit Grab. pro *adaptantes*, quod in editt. exstat. Consentiunt Clarom. et Pass.

(8) *Mysticum conficiunt iis qui sacrantur.* Græca sic ego vertissem: *mysticis quibusdam ritibus initiandos suos consecrant.*

(9) *Profanis.* Deest in Græco.

(10) *In nomen incogniti.* Sic omnino cod. Pass. et Voss. Consentiunt Clarom. et Arund. quoad vocem *incogniti.* In editt. Eras. Gall. et Feuard. *in nomine incogniti*; a quibus recedimus, cum Grabio persuasi interpretem more suo stricte servantem Græca, εἰς ὄνομα ἀγνώστου vertisse, *in nomen incogniti.*

(11) *In veritatem matrem omnium.* Sic recte Grabius ex mss. Voss., Arund. et Merc. 2, juxta Græcum. Sic etiam Clarom. et Pass. ubi tamen licet legatur *matrem*, incuria amanuensium scriptum est *veritate*, omissa scilicet abbreviationis nota super *e*, quod non infrequens. In Feuard. vero, *in veritate matre omnium*: sed in Eras. et Gall. pejus, *in veritate matris omnium.*

(12) *In descendentem in Jesum.* Sic edit. Oxon. et Græca lectio, cui consonant mss. Clarom., Pass., Arund., Voss. et Merc. 2, nisi quod in omnibus desit præpositio *in* ante Jesum; quam quidem ex Græco et editt. Feuard. supplere cum doctissimo Grabio non dubitavi. In Eras. vero, Gall. et Feuard. legitur: *et in nomine descendentis Jesu*, vel *in Jesu.* Codicem mss. citat Billius, in quo pro *Jesu* exstat *Spiritus.*

(13) *Ad unitionem.* In Merc. 2, *ad junctionem.*

(14) *Deterreant.* Editt. *perterreant.*

(15) *Basyma.* Arundel. *Basymma.*

(16) *Cacabasa.* In Voss. *eacabasa.* Clarom. et Arund. *eachusaba.* Pass. *ecasabasa.*

(17) *Eanaa irraumista.* Eras., Gall. et Feuard. *eanaa irraurista.* Clarom. et Pass. *eanaa uramista.*

(18) *Diarbada, caeota.* Eras., Gall. et Feuard. *dyarbada, caeotaba.* Clarom. *diarvada, ceotaba.* Pass. *divarda cacotaba.* In Voss. *diavar.* In Arund. *caetota.*

(19) *Baſobor.* Alii *ſobor.*

(20) *Patris.* In Eras. et Gall. hæc vox deest.

Digitized by Google

quod vocatur lumen, et spiritus (1) *et vita : quoniam in corpore regnasti.* Alii autem rursus redemptionem profantur sic : *Nomen quod absconditum est ab universa deitate, et dominatione, et veritate, quod induit Jesus Nazarenus in zonis* (2) *luminis, Christus Dominus virentis* (3) *per Spiritum sanctum, in redemptionem angelicam.* Nomen quod est restaurationis : *Messia ufar* (4) *magno in seenchaldia mosomeda, eaacha faronepseha* (5) *Jesu Nazarene.* Et horum interpretatio est talis : *Christi* 96 *non divido spiritum, cor, et supercœlestem virtutem misericordem : fruar nomine tuo, Salvator veritatis.* Et hæc quidem profantur ipsi qui sacrant : qui autem sacratur (6), respondet : *Confirmatus sum, et redemptus sum, et redimo animam meam ab æone hoc* (7) *et omnibus quæ sunt ab eo in nomine Iao, qui redemit animam ejus, in redemptionem, in Christo vivente.* Deinde superfantur, qui astant : *Pax omnibus, in quos* (8) *hoc nomen requiescit.* Post deinde ungunt (9) sacratum opobalsamo. Unguentum enim hoc typum esse dicunt ejus suavitatis, quæ sit super universa.

4. Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam supervacuum esse dicunt; admiscentes autem oleum et aquam in unum, cum quibusdam profanis (10) dictionibus, similibus quæ prædiximus (11), mittunt super eorum caput, qui sacrantur : et hoc

ἐν σώματι ἐβασίλευσας. Ἄλλοι δὲ πάλιν τὴν λύτρωσιν ἐπιλέγουσιν οὕτως· *Τὸ ὄνομα τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ πάσης θεότητος καὶ κυριότητος καὶ ἀληθείας, ὃ ἐνεδύσατο Ἰησοῦς ὁ Ναζαρηνὸς ἐν ταῖς ζωαῖς τοῦ φωτὸς τοῦ Χριστοῦ, Χριστοῦ ζῶντος διὰ Πνεύματος ἁγίου, εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν* (12). Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως (13), *Μεσσία* (14) *οὐφαρὲτ, ναμεμψαιμὰρ* (15) *καλδαίαν μοσομηδαέα, ἀκφαραὶ* (16) *ψασύα, Ἰησοῦ Ναζαρία.* Καὶ τούτων δὲ ἑρμηνεία ἐστὶ τοιαύτη· *Οὐ διαιρῶ τὸ* (17) *πνεῦμα, τὴν καρδίαν καὶ τὴν ὑπερουράνιον δύναμιν τὴν οἰκτίρμονα· ἀναίμην τοῦ ὀνόματός σου, Σωτὴρ ἀληθείας.* Καὶ ταῦτα μὲν ἐπιλέγουσιν οἱ αὐτοὶ τελοῦντες· ὁ δὲ τετελεσμένος ἀποκρίνεται· *Ἐστήριγμαι καὶ λελύτρωμαι, καὶ λυτροῦμαι τὴν ψυχήν μου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰαὼ, ὃς ἐλυτρώσατο τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ἀπολύτρωσιν ἐν Χριστῷ τῷ ζῶντι.* Εἶτ' ἐπιλέγουσιν οἱ παρόντες· *Εἰρήνη πᾶσιν, ἐφ' οὓς τὸ ὄνομα τοῦτο ἐπαναπαύεται.* Ἔπειτα μυρίζουσι (18) τὸν τετελεσμένον τῷ ὀπῷ τῷ ἀπὸ βαλσάμου (19). Τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσιν.

4. Ἔνιοι δ' αὐτῶν τὸ μὲν ἄγειν ἐπὶ τὸ ὕδωρ περισσὸν εἶναι φάσκουσι, μίξαντες δὲ ἔλαιον καὶ ὕδωρ ἐπὶ τὸ αὐτὸ, μετ' ἐπιῤῥήσεων ὁμοιοτρόπων, αἷς προειρήκαμεν, ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τῶν τελειουμένων· καὶ τοῦτ' εἶναι τὴν ἀπολύτρωσιν θέλουσι.

BILLII INTERPRETATIO.

rursus qui redemptionem his verbis efferant : *Nomen quod absconditum est ab omni deitate, et dominatione, et veritate, quod induit Jesus Nazarenus in vitis luminis Christi Domini, virentis per Spiritum sanctum, in redemptionem angelicam.* Nomen restitutionis in integrum : *Messia upharea, namamsæman, chaldæam, mosomedæa, acphranæ, psana, Jesu Nazaria.* Quorum item verborum hujusmodi est interpretatio : *Non divido spiritum, nec cor, nec supercœlestem virtutem, quæ misericordia prædita est : ultiam fruar nomine tuo, Salvator veritatis.* Atque hæc quidem profantur qui initiant : qui autem initiatus est, respondet : *Confirmatus et redemptus sum ac redimo animam meam ab hoc sæculo, et omnium quæ ab eo sunt, in nomine Iao, qui redemit animam suam in redemptionem, in Christo vivente.* Ac postea ii, qui adsunt, his verbis utuntur : *Pax omnibus super quos hoc nomen requiescit.* Tum autem eum qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiæ illius, quæ omnia exsuperat, typum esse aiunt.

4. Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse dicant; oleo autem et aqua una permistis, cum vocibus quibusdam iis, quæ ante a nobis commemoratæ sunt, haud dissimilibus, in eorum quos initiant, caput injiciunt : idque redemptionem esse volunt. Atque ipsi quoque bal-

(1) *Spiritus.* Bonus adde ex Græco.

(2) *In zonis.* Ex Græco ζωαῖς lege, *Zeis*, i. e. *vitis.*

(3) *Christus Dominus virentis.* Male omnino. Græca sic vertenda cum Petavio : *Christi, Christi, inquam, viventis.*

(4) *Messia ufar.* Al. *messiau far.*

(5) *Magno in seenchaldia*, etc. Sic. om. edidt., sed Clarom. *maganaim seencaldia mosome dae abacfuron epsebe.* Voss. *magnaunse en caldia mosome dacaach faron epseba.* Arund. cum edidt. convenit, nisi quod habeat *magnounse* vel *magnoimse eacha*, denique *faronepseba.*

(6) *Sacratur.* Melius Billius : *initiatus est :* vel saltem, *sacratus est.*

(7) *Ab æone hoc.* Vertendum erat : *ab hoc sæculo.*

(8) *In quos.* In edidt. Eras., Gall. et Feuard. *in quibus.* Porro *in quos* hic scriptum pro *super quos.*

(9) *Ungunt.* Clarom. *unguent;* Pass. *ungent.*

(10) *Profanis.* Deest in Græco.

(11) *Quæ prædiximus.* Al. *quæ supra prædiximus.*

(12) *Εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν.* Clemens a Grabio citatus ex *Excerptis* pag. 793, col. 1, B, ait verba hæc, εἰς λύτρωσιν ἀγγελικήν, *hoc est*, inquit, *eam, cujus Angeli participes facti sunt*, τουτέστιν ἣν καὶ Ἄγγελοι ἔχουσιν, ab hæreticis proferri solita ἐν τῇ χειροθεσίᾳ, *in impositione manuum*, ea scilicet quæ baptismum excipit.

(13) Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως. Legere mavult Rhenferdius a Grabio laudatus ὀνόματα τὰ τῆς, etc. Sed, quidquid sit, non male ab his verbis novam periodum incipit cl. Grabius : videntur enim instar tituli cujusdam præfigi sequenti formulæ.

(14) *Μεσσία.* Cod. Reg. Μοσσία.

(15) *Ναμεμψαιμάρ.* Cod. Reg. Νεμεμψαιμάν.

(16) *Ἀκφαραί.* Cod. Reg. Ἐκφαναί.

(17) *Οὐ διαιρῶ τό.* Τοῦ Χριστοῦ adde ex vet. versione.

(18) *Ἔπειτα μυρίζουσι.* Ecclesiæ catholicæ ritum æmulati, in qua neophyti post baptismum inungi solebant.

(19) *Ἀπὸ βαλσάμου.* Cod. Reg. ἀπὸ τοῦ βαλσάμου.

Digitized by Google

Μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ. Ἄλλοι δὲ (1) ταῦτα πάντα παραιτησάμενοι φάσκουσι, μὴ δεῖν τὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀοράτου δυνάμεως μυστήριον δι' ὁρατῶν καὶ φθαρτῶν ἐπιτελεῖσθαι κτισμάτων, καὶ τῶν ἀνεννοήτων, καὶ ἀσωμάτων (2) δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν. Εἶναι δὲ τελείαν ἀπολύτρωσιν, αὐτὴν τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ ἀῤῥήτου μεγέθους. Ὑπ' ἀγνοίας γὰρ ὑστερήματος καὶ πάθους γεγονότων, διὰ γνώσεως καταλύεσθαι πᾶσαν τὴν ἐκ τῆς ἀγνοίας σύστασιν· ὥστε εἶναι τὴν γνῶσιν ἀπολύτρωσιν τοῦ ἔνδον ἀνθρώπου. Καὶ μήτε σωματικὴν ὑπάρχειν αὐτήν· φθαρτὸν γὰρ τὸ σῶμα· μήτε ψυχικὴν, ἐπεὶ καὶ ἡ ψυχὴ ἐξ ὑστερήματος, καὶ ἔτι τοῦ Πατρὸς ὥσπερ οἰκητήριον (3)· πνευματικὴν οὖν δεῖ καὶ τὴν λύτρωσιν ὑπάρχειν. Λυτροῦσθαι γὰρ διὰ Μωϋσέως (4) τὸν ἔσω ἄνθρωπον τὸν πνευματικὸν, καὶ ἀρκεῖσθαι αὐτοὺς τῇ τῶν ὅλων ἐπιγνώσει. Καὶ ταύτην εἶναι λύτρωσιν ἀληθῆ (5).

A esse redemptionem volunt; ungentes (6) et ipsi opobalsamo. Alii autem hæc omnia recusantes dicunt, non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas : et ea quæ mente concipi non possunt, et incorporalia, et insensibilia, per sensibilia et corporalia. Esse autem perfectam redemptionem, ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis. Ea enim quæ sunt de ignorantia labis, et passione facta (7), per agnitionem dissolvi universum ignorantiæ statum : uti sit agnitio, redemptio interioris hominis (8). Et neque corporalem esse eam; corruptibile enim est corpus : neque animalem, quoniam et anima de labe est, spiritus (9) velut habitaculum : spiritalem ergo oportere et redemB ptionem esse. Redimi enim per agnitionem interiorem hominem 97 spiritualem, et sufficere eis universorum agnitionem . et hanc esse redemptionem veram.

5. ..... τοὺς τελευτῶντας ἀπ' αὐτῶν καὶ ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἔξοδον φθάνοντας..... λυτροῦνται..... ποτὲ γάρ τινες ἐξ αὐτῶν ἔλαιον ὕδατι μίξαντες, ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τοῦ ἐξελθόντος. Οἱ δὲ μύρον τὸ λεγόμενον ὀποβάλσαμον καὶ ὕδωρ τὴν ἐπίκλησιν κοινὴν

5. Alii sunt, qui mortuos (10) redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum et aquam, sive prædictum unguentum cum aqua, et supradictis (11) invocationibus, ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant,

BILLII INTERPRETATIO.

samum adhibent. Alii vero hæc omnia improbantes ac repudiantes, ineffabilis et invisibilis virtutis mysterium per creaturas in aspectum cadentes, interituique obnoxias, et eorum quæ in cogitationem non cadunt, corporisque expertia sunt, per ea quæ sensibilia et corporea sunt, peragendum esse negant : perfectamque redemptionem in ineffabilis magnitudinis agnitione positam esse censent. Nam cum et defectus et passio ex ignoratione profluxerint, quidquid ex ignoratione coagmentatum fuerit, per cognitionem deleri, ac proinde nihil aliud esse cognitionem, quam interni hominis redemptionem. Nec vero corporalem hanc esse, cum corpus interitui sit obnoxium, nec animalem, cum anima ex defectu orta sit, sitque tanquam spiritus domicilium : quocirca spiritualem esse redemptionem oportere. Per cognitionem enim internum ac spiritualem hominem redimi aiunt, seque rerum universarum cognitionem adeptos, nihil præterea requirere, atque hanc veram redemptionem esse.

5. Sunt alii, qui jam jamque ex hac vita excessuros redimant, oleum aquæ immistum in eorum capita injicientes, una cum iis invocationibus, quas superius commemoravimus. Quod quidem eo faciunt, ut a superioribus principatibus et potestatibus apprehendi et teneri nequeant, atque ut internus eorum homo invisibili modo ulterius ascendat : perinde nimirum ac corpora eorum inter res conditas relinquantur. Jubent autem eos, cum ad principatus ac potestates venerint, his verbis uti : *Ego filius a Patre, Pater,*

(1) Ἄλλοι δέ. Ascodrutæ scilicet, seu Ascodrupitæ, de quibus Theodoretus lib. 1 *Hær. Fab.* c. 10.

(2) *Καὶ ἀσωμάτων.* Καὶ ἀναισθήτων adde ex vet.

(3) *Πατρὸς ὥσπερ οἰκητήριον.* Pro Πατρὸς lege cum interpr. πνεύματος. Spiritum enim ab anima distinguebant hæretici, illumque ab Achamoth in Demiurgum, eo nesciente, depositum esse asserebant, ut per eum in animam, quam condiderat, seminaretur. Vide cap. v.

(4) *Μοϋσέως.* Lege γνώσεως; sicque nedum legerunt, sed et ediderunt Gallasius et Billius, quamvis citra codicis ms. auctoritatem.

(5) *Λύτρωσιν ἀληθῆ.* Addit Epiphanius : ἕως ὧδε τὰ ὑπὸ Εἰρηναίου, *huc usque Irenæi verba.* Quæ sequuntur ex *Hær.* 36, quæ est Heracleonitarum, desumpta sunt : ut hinc pateat hos esse quos hic delineat Irenæus. Sic autem hujus verba, tacito nomine, mutuatur Epiphanius, ut sua faciat, paulloque fusiori stylo prosequatur, quod breviori scripsit Irenæus. Eapropter quæ formulam præcedunt omittere Grabio placuit. Mihi vero consultius visum est ea referre e regione Latinorum, iis tantum resectis, quæ paulo longius ab his absunt, et λυτροῦται commutato in λυτροῦνται; cum maxime, quamvis non ad amussim respondeant Græca Latinis, ab his tamen illa non adeo discedant, quin C propria Irenæi ex iis colligere facile possit eruditus lector.

(6) *Ungentes.* Ita Pass. et Voss. addita particula *autem.* In Clarom. *ungentes,* sed sine *autem.* Editt. *ungunt autem.*

(7) *Ea enim quæ sunt de ignorantia labis, et passione facta.* Græcorum sensum haud assecutus est interpres. Vertendum cum Billio : *Nam cum defectus et passio ex ignoratione profluxerint.*

(8) *Redemptio interioris hominis.* Sic juxta Græc., Clarom., Ottob., Arund., Voss. et Merc. 2, nisi quod in altero horum *at* male additum sit. In Eras., Gall. et Feuard. deest *redemptio.*

(9) *Spiritus.* Præpone *et,* ex Græco.

(10) *Mortuos.* Epiphanius, τελευτῶντας, quod verti deberet *morientes.* Hæc enim imminente obitu peracta fuisse, ejusdem verba perspicue demonstrant. Unde hæc Theodoreti lib. 1, cap. 11 : Ἕτεροι δέ τινες, μετὰ τὴν ἀποβίωσιν, ἔλαιον καὶ ὕδωρ ταῖς τῶν τελευτώντων ἐμβάλλουσι κεφαλαῖς, male ab ejus interprete reddita censeo : *Alii quidam post mortem oleum et aquam mortuorum capitibus injiciunt.* Vertendum existimo : *Alii quidam, instante interitu, oleum et aquam morientium capitibus injiciunt.* D

(11) *Et supradictis.* Editt. habent, *et cum.* At *et* deest in Merc. 2, *cum* in Pass. et Voss., utrumque in Clarom.

Digitized by Google

et ut superascendat super invisibilia interior (1) ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo. Et præcipiunt eis venientibus ad Potestates hæc dicere, posteaquam mortui fuerint: *Ego filius a Patre, Patris* (2) *qui ante fuit, filius autem in eo qui ante fuit. Veni autem* (3) *videre omnia, quæ sunt mea et aliena; non autem aliena in totum, sed sunt Achamoth, quæ est femina, et hæc sibi fecit; deducit* (4) *enim genus ex eo qui ante fuit; et eo rursus in mea, unde veni.* Et hæc dicentem evadere et effugere potestates dicunt. Venire quoque ad eos, qui sunt circa Demiurgum, et dicere eis: *Vas ego sum pretiosum, magis quam femina quæ fecit vos. Si mater vestra ignorat radicem suam, ego autem novi meipsum, et scio unde sim, et invoco incorruptibilem Sophiam, quæ est in Patre, mater autem est matris vestræ, quæ non habet patrem, neque conjugem: masculo-femina* (5) *autem a femina nata effecit vos, ignorans et matrem suam, et putans seipsam esse solam: ego autem invoco ejus matrem.* Hæc autem eos, qui circa Demiurgum **98** sunt audientes, valde conturbari, et reprehendere suam radicem, et genus matris: ipsos autem abire in sua, projicientes nodos ipsorum (6), id est animam. Et de redemptione quidem ipsorum hæc sunt quæ quidem in nos venerunt. Cum autem discrepent (7) ab invicem (8) et doctrina, et traditione, et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et

A ἔχοντες..... ἵνα δῆθεν..... ἀκράτητοι γένωνται καὶ ἀόρατοι ταῖς ἄνω ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, εἰς τὸ ὑπερβῆναι ἀοράτως τὸν ἔσω αὐτῶν ἄνθρωπον..... ὡς τῶν σωμάτων τούτων ἐν τῇ κτίσει καταλιμπανομένων· τῆς δὲ ψυχῆς αὐτῶν παρισταμένης τῷ Δημιουργῷ.... ἐγκελεύονται δέ..... ὅτι..... ἐὰν ἔλθῃ ἐπὶ τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, ἔχε ἐν μνήμῃ τάδε εἰπεῖν μετὰ τὴν ἐντεῦθεν τελευτήν· Ἐγὼ υἱὸς ἀπὸ Πατρὸς, Πατρὸς προόντος, υἱὸς δὲ ἐν τῷ παρόντι (9). Ἦλθον πάντα ἰδεῖν τὰ ἀλλότρια καὶ τὰ ἴδια· καὶ οὐκ ἀλλότρια δὲ παντελῶς, ἀλλὰ τῆς Ἀχαμώθ, ἥτις ἐστὶ θήλεια, καὶ ταῦτα ἑαυτῇ ἐποίησε. Κατάγω δὲ τὸ γένος ἐκ τοῦ προόντος, καὶ πορεύομαι πάλιν εἰς τὰ ἴδια, ὅθεν ἐλήλυθα. Καὶ ταῦτα εἰπόντα..... διαφεύγειν τὰς ἐξουσίας..... ἔρχεσθαι δὲ

B ἐπὶ τοὺς περὶ τὸν Δημιουργὸν, καὶ λέγειν..... Σκεῦός εἰμι ἔντιμον μᾶλλον παρὰ τὴν θήλειαν τὴν ποιήσασαν ὑμᾶς. Εἰ ἡ μήτηρ ὑμῶν ἀγνοεῖ τὴν ἑαυτῆς ῥίζαν, ἐγὼ οἶδα ἐμαυτὸν, καὶ γινώσκω ὅθεν εἰμὶ, καὶ ἐπικαλοῦμαι τὴν ἄφθαρτον Σοφίαν, ἥτις ἐστὶν ἐν τῷ Πατρὶ, μήτηρ δὲ τῆς μητρὸς ὑμῶν τῆς μὴ ἐχούσης μητέρα (10), ἀλλ' οὔτε σύζυγον ἄρρενα· θήλεια δὲ ὑπὸ θηλείας γενομένη ἐποίησεν ὑμᾶς, ἀγνοοῦσα καὶ τὴν μητέρα αὐτῆς καὶ δοκοῦσα ἑαυτὴν εἶναι μόνην· ἐγὼ δὲ ἐπικαλοῦμαι αὐτῆς τὴν μητέρα. Τούτους δὲ (11) τοὺς περὶ τὸν Δημιουργὸν ἀκούσαντας σφόδρα ταραχθῆναι καὶ καταγνῶναι αὐτῶν τῆς ῥίζης καὶ τοῦ γένους τῆς μητρός. Αὐτὸν δὲ πορευθῆναι εἰς τὰ ἴδια, ῥίψαντα τὸν

C δεσμὸν αὐτοῦ (12), τουτέστι τὴν ψυχήν. Καὶ περὶ μὲν

BILLII INTERPRETATIO.

unquam, præexsistente, filius autem in eo qui præexsistit. Veni ut tam mea, quam aliena cernerem: quamquam non etiam prorsus aliena; sed Achamoth, quæ femina est, atque hæc in usum suum effecit. Genus autem duco a præexsistente: ac rursus ad mea me confero, unde veni. Atque hac oratione habita, eum potestates effugere aiunt: ac deinde ad Demiurgum proficisci, eumque his verbis convenire: *Vas sum præstantius, quam femina ea, quæ vos procreavit. Si mater vestra radicem suam ignorat, ego meipsum novi, ac exploratum habeo unde venerim: atque incorruptibilis Sapientiæ opem imploro, quæ est in Patre, materque vestræ parentis, quæ patris est expers, ac ne conjugem quidem masculum habet: verum femina ex femina orta vos effecit, matrem etiam suam ignorans, seque solam esse existimans. Ego vero ipsius matrem imploro atque obtestor.* Hoc autem cum Demiurgus audierit, magnopere perturbari, radicemque suam et matris

(1) *Superascendat super invisibilia interior.* Mallem juxta Græca Epiphanii legeretur: *superascendat invisibiliter interior*, etc. Id magis in hæreticorum hypothesim quadraret.

(2) *Patre, Patris.* Sic omnes mss. cum Eras. et Gall.; Feuard. vero et Grab. *Patre, Patre.*

(3) *Veni autem.* Clarom., Voss. et Pass., *veniam;* Eras. pejus, *venit.*

(4) *Deducit.* Sic omnes mss. cum Eras. et Gall. At Feuard. et Grab. ex Græco, *deduco.*

(5) *Masculo-femina.* Sic recte Clarom., Pass., Voss. et Merc. 2. In editt. autem omnibus legitur, *masculum; femina*, favente quidem hodierno textu Græco, sed repugnante sensu. Cui enim de femina loquenti, unquam venit in mentem, dicere eam habere conjugem masculum? quasi alius feminæ conjux esse posset, quam masculus. Nostræ vero lectioni favet tota Valentinianorum hypothesis, qui Achamothæ suæ masculi et feminæ virtutem tribuebant: utpote quæ seipsa sola cunctarum rerum materiam, et Demiurgum ipsum condiderit. Hinc *Dominum* eam *masculiniter*, et Demiurgum *Apatora* vocabant cap. v quia hic ab Achamoth sine commistione conjugis productus. Græca igitur ex Latinis emendanda sunt; et pro ἄρρενα θήλεια, legendum, ἄρρενο-θήλεια.

(6) *Ipsos autem abire in sua, projicientes nodos ipsorum.* Ita omn. mss. et editt. Eras. et Gall. et Oxon., nisi quod in illis pro *abire*, legatur *abeuntes.* Sed Feuard., Græca Epiphanii hic male secutus, in singulari numero hæc omnia posuit: cum tamen certum sit Epiphanium Irenæi verbis non adeo scrupulose adhæsisse.

(7) *Discrepent.* Alii, *discrepant.*

(8) *Ab invicem.* Eras., Gall. et Feuard. perperam, *ad invicem.*

(9) *Ἐν τῷ παρόντι.* Legit interpres, ἐν τῷ προόντι; vertit enim, *in eo qui ante fuit.*

(10) *Μὴ ἐχούσης μητέρα.* Pro μητέρα legendum cum interp. πατέρα, ut secum et cum toto Valentinianorum systemate stare queat hoc comma. Achamoth siquidem a Sophia matre genita, sed *sine complexu conjugis Theleti.*

(11) *Τούτους δέ.* Lege τούτων.

(12) *Αὐτὸν δὲ.... ῥίψαντα τὸν δεσμὸν αὐτοῦ.* Ex veteri interp. liquet scripsisse Irenæum plurali numero: Αὐτοὺς δὲ... ῥίψαντας τοὺς δεσμοὺς αὐτῶν.

Digitized by Google

τῆς ἀπολυτρώσεως ταῦτά ἐστιν ὅσα εἰς ἡμᾶς συνελήλυθαμεν (1). . . . . A fructificare, quod nunquam quisquam excogitavit; durum est omnium describere sententias.

BILLII INTERPRETATIO.

genus incusare. Ipsum autem ad sua proficisci, projecto suo vinculo, et angelo, hoc est anima. Et de redemptione quidem hæc sunt, quæ ad nos devenerunt. . . . . .

CAPUT XXII [21].

Quæ regula veritatis, et in quo ab ea deflectant omnes hæretici.

1. Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus omnipotens; qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex B eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia, quemadmodum Scriptura dicit: *Verbo enim Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [22]; et iterum: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [23]: (ex omnibus autem nihil subtractum est; sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive sensibilia (2), sive intelligibilia, sive temporalia propter quamdam dispositionem, sive sempiterna, et æonia (3)) non per angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia (4); nihil enim indiget omnium Deus: sed et per Verbum et Spiritum suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse præstans: hic qui mundum fecit (etenim mundus ex omnibus), hic qui homi- C nem plasmavit, hic Deus (5) Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, super quem alius Deus non est, neque Initium (6), neque Virtus, neque Pleroma: hic Pater Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum ostendemus: hanc ergo tenentes regulam, licet valde varia et multa dicant, facile eos deviasse a veritate arguimus. Omnes enim fere quotquot sunt hæreses, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant, ingrati exsistentes ei, qui fecit eos, quemadmodum et gentes per idololatriam. Plasma (7) autem Dei contemnunt, contradicentes suæ saluti, ipsi sui accusatores amarissimi, et falsi testes exsistentes. Qui quidem resurgent in carne, licet nolint, uti agnoscant virtutem suscitantis eos a mortuis: cum justis autem non annumerabuntur, propter incredulitatem suam.

2. Cum sit igitur adversus omnes hæreticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum sit omnibus iis secundum ipsorum charactera contradicere, necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem, de qua defluxerunt tales fructus.

CAPUT XXIII [24].

Simonis Magi et Menandri sententia et mores.

1. Simon enim Samarites, magus ille, de quo discipulus et sectator apostolorum Lucas ait: *Vir quidam autem nomine Simon, qui ante erat in civitate magicam exercens artem* (8), *et seducens gentem Samaritanorum, dicens se esse aliquem magnum* (9), *quem auscultabant a pusillo usque ad magnum, dicentes: Hic est virtus* (10) *Dei, quæ vocatur magna. Intuebantur autem eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos* [25]. Hic igitur Simon, qui fidem simulavit, putans (11) apostolos et ipsos (12) sanitates per magicam (13), et non virtute Dei perficere; et per impositionem manuum Spiritu sancto adimplere credentes Deo per eum, qui ab ipsis evangelizatur Christus Jesus, per majorem quamdam magicam scientiam et hoc suspicans fieri, et offerens pecuniam apostolis, ut acciperet et ipse hanc potestatem quibuscunque velit dandi Spiritum sanctum, audivit a Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri: non est tibi pars, neque sors in sermone hoc: cor enim tuum*

[21] Cap. XIX. [22] Psal. XXXII, 6. [23] Joan. I, 3. [24] Cap. XX. [25] Act. VIII, 9 seq.

(1) *Συνελήλυθαμεν.* Legendum vult Billius, συνελήλυθε; Petavius, ἐλήλυθε.

(2) *Sive sensibilia.* Desunt hæc duo verba in Clarom., Pass. et Voss. Sed in Arund. perperam, *insensibilia.*

(3) *Et æonia.* Sic mss. Clarom., Pass., Arund. et Voss. melius quam editt. omnes, *et ea omnia*: mox enim præcessit, *omnia.* Æonia autem ex Græco αἰώνια.

(4) *Sententia.* Græce, ni fallor, scripsit Irenæus ἐννοίας, alludens ad Valentinianorum *Ennœam.* Quare melius vertisset interpres, *Ennœa*, vel *cogitatione.*

(5) *Hic Deus.* Sequor mss. codd. Clarom., Pass., Voss. et Arund. Editi vero minus bene, *hic qui Deus.*

(6) *Neque Initium.* Ἀρχὴ scilicet, seu Νοῦς Valentinianorum.

(7) *Plasma.* Arund., *plasmationem*, Eras., Gall. et Feuard., *plasmata.* Plasmatis autem nomine hic D carnem intelligi, quam resurrecturam negabant hæretici, sequentia demonstrant. Lege et lib. v, cap. 5 et 6.

(8) *Magicam exercens artem. Artem* addit Feuard. Consentiunt Pass. et Voss. Deest autem in Eras., Gall. et Clarom.

(9) *Magnum.* Deest in Clarom. et Pass.

(10) *Hic est virtus. Vere* ante *virtus* merito expunxit Grabius, quia nullus ms. Irenæi, nec canonicus S. Lucæ textus habet.

(11) *Putans.* Monet Grabius omnia mss. Anglicana in hac voce vitiata esse, dum in aliis legitur *portans*, in aliis *post.* At sana sunt nostra: in iis recte scriptum *putans.*

(12) *Et ipsos.* Sic Clarom., Voss. et edit. Oxon. melius quam, *et ipsas*, ut in cæteris.

(13) *Magicam.* Ita et hic et paulo post iterumque cum Grabio excudi fecimus, quia Pass., Arund. et Voss. perpetuo ita habent. Alii autem posuerunt *magiam*, haud advertentes *artem* subintelligi.

Digitized by Google

non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis, et obligatione injustitiæ video te esse [26]. Et cum adhuc magis (1) non credidisset Deo, et cupidus (2) intendit contendere adversus apostolos, uti et ipse gloriosus videretur esse, et universam magicam adhuc amplius scrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum : quippe cum esset sub Claudio Cæsare, a quo etiam statua honoratus esse dicitur propter magicam. Hic igitur a multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem (3) quasi Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines.

2. Simon autem Samaritanus, ex quo universæ hæreses substiterunt, habet hujusmodi sectæ materiam. Hic Helenam (4) quamdam ipse a Tyro (5) civitate Phœnices quæstuariam cum redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam (6) mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit angelos facere et archangelos. Hanc enim Ennoiam exsilientem ex eo, cognoscentem quæ vult pater ejus, degredi ad inferiora, et generare Angelos et Potestates, a quibus et mundum hunc factum dixit. Posteaquam autem generavit eos, hæc detenta est ab ipsis propter invidiam, quoniam nolleat progenies alterius cujusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis : Ennoiam autem ejus detentam ab iis, quæ ab ea emissæ sunt (7) Potestates et Angeli ; et omnem contumeliam ab iis passam, uti non recurreret sursum ad suum patrem, usque adeo ut et in corpore humano includeretur, et per sæcula veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria corpora. Fuisse autem eam et in illa Helena, propter quam Trojanum contractum est bellum : quapropter et Stesichorum (8) per carmina maledicentem eam, orbatum oculis : post deinde pœnitentem et scribentem eas, quæ vocantur, palinodias, in quibus hymnizavit eam, rursus vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo et semper (9) contumeliam sustinentem, in novissimis etiam in fornice prostitisse : et hanc esse perditam ovem.

3. Quapropter et ipsum venisse, uti eam assumeret primam, et liberaret eam (10) a vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum, et descendisse eum transfiguratum, et assimilatum Virtutibus, et Potestatibus, et Angelis : ut et in hominibus homo appareret ipse, cum non esset homo ; et passum autem in Judæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias : quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum (11) et in Helenam (12) ejus spem habeant, et ut liberos agere (13) quæ velint : secundum 100 enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti (14) ; quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines. Quapropter et solvi mundum, et liberari eos, qui sunt ejus, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit.

4. Igitur horum mystici sacerdotes libidinose quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorci-

[26] Act. VIII, 20 seqq.

(1) *Adhuc magis.* Ex Feuard. marg. et cod. Voss. (cui consentit et Pass.) reponere Grabio placuit, *adhuc magus.* Sed cæterorum exemplarium lectio, quam sequimur, magis probanda.

(2) *Cupidus.* Gall., Eras. et Feuard. *cupidius.* Sed repugnant omnes mss.

(3) *Qui inter Judæos quidem*, etc. Hæc Græce refert Theodoretus lib. I *Hær. Fab.* c. 1 : Καὶ Ἰουδαίοις μὲν ὡς Υἱὸν φανῆναι, πρὸς δὲ Σαμαρείτας ὡς Πατέρα κατελήλυθέναι, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἔθνεσιν ὡς Πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτῆσαι.

(4) *Helenam.* Ita Feuard. in marg. et omn. mss. In edit. autem Eras., Gall. et Feuard. corrupte, *Selenen*, *Helenam* enim vocant veteres fere omnes.

(5) *Ipse a Tyro.* Pronomen *quam* in omnibus edit. præfixum voci *ipse*, auctoritate cod. Clarom. delevi ; sensum enim turbat.

(6) *Dicens hanc esse primam*, etc. Hæc iterum ex Theodoreti loco cit. verbatim refert Grabius : Ἐλένην τὴν πρώτην αὐτοῦ ἔννοιαν ἔφασκεν εἶναι, καὶ Μητέρα τῶν ὅλων ὠνόμαζε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ τοὺς Ἀγγέλους καὶ Ἀρχαγγέλους πεποιηκέναι.

(7) *Emissæ sunt.* Al. *emissæ essent.*

(8) *Stesichorum.* Poeta lyricus fuit ex Himera Siciliæ urbe ; sic dictus, quod primus cum citharæ cantu chorum conjunxerit : nam verum nomen erat Tisias. Hic cum aliquando carmine invectus esset in Helenam, velut belli Trojani facem, a Castore et Polluce oculis orbatus fuisse, tum demum recantata palinodia, visum recepisse dicitur. Ejusdem meminere Tertullian. lib. *De anima*, Horatius ode 17 *Epodon*, Lucian. lib. II *Verarum histor.*, Philostrat. lib. VI *De vita Apollon.*, c. 4 ; Quintilian. lib. X, c. 1, et Voss., *Poet. Græc.* p. 16.

(9) *Et semper.* Al. vitiose, *ut semper.*

(10) *Et liberaret eam*, etc. Sic et Theodoret., loco cit. : Ὥστε καὶ αὐτὴν τῶν ἐπικειμένων ἐλευθερῶσαι δεσμῶν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις διὰ τῆς εἰς αὐτὸν ἐπιγνώσεως παράσχειν σωτηρίαν.

(11) *Curarent eos hi qui in eum.* Legendum exigit constructio : *curare eos, hos qui in eum.*

(12) *Helenam.* Sic iterum reponimus, pro *Selenen*, ut et paulo post *Helenæ* pro *Selenæ*, auctoritate omnium mss.

(13) *Et ut liberos agere.* Sic iterum Theodoretus : Ἀλλὰ πράττειν ὡς ἐλευθέρους, ἅπερ ἂν ἐθελήσωσιν· οὐ γὰρ διὰ πράξεων ἀγαθῶν, ἀλλὰ διὰ χάριτος τεύξεσθαι σωτηρίας.

(14) *Ex accidenti.* Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *ex accidentia ;* Clarom. *ex accedentia.*

Digitized by Google

amis et incantationibus utuntur. Amatoria quoque et agogima (1), et qui dicuntur paredri et oniropompi, et quæcunque sunt alia perierga (2) apud eos studiose exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, et Helenæ in figuram Minervæ, et has adorant : habent quoque et vocabulum a principe impiissimæ sententiæ Simone vocati (3) Simoniani, a quibus falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere (4).

[27] 5. Hujus successor (5) fuit Menander, Samarites genere, qui et ipse ad summum magiæ pervenit. Qui primam quidem Virtutem incognitam ait omnibus; se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus (6) Salvatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab Angelis; quos et ipse, similiter ut Simon, ab Ennoia emissos dicit (7). Dare quoque per eam (8), quæ a se doceatur, magiam, scientiam ad id (9), ut et ipsos, qui mundum fecerunt, vincat Angelos. Resurrectionem enim per id, quod est in eum baptisma, accipere ejus discipulos, et ultra non posse mori, sed perseverare non senescentes et immortales.

CAPUT XXIV [28].

De Saturnino et Basilide.

1. Ex iis Saturninus (10), qui fuit ab Antiochia

[27] Cap. XXI. [28] Cap. XXII.

(1) *Amatoria quoque et agogima.* Theodoret. ἐρωτικά τινα καὶ ἀγώγιμα ; Irenæus vero supra cap. 13, n. 5, φίλτρα καὶ ἀγώγιμα, ubi interpres, *amatoria et allectantia.*

(2) *Perierga.* Ita mss. omnes. In Eras., Gall. et Feuard. perperam, *parerga.*

(3) *Vocati.* Editt. *dicti.*

(4) *Discere.* Al. *dicere.*

(5) *Hujus successor*, etc. Ita et Euseb. lib. III *Hist. eccles.* c. 26 : Σίμωνα τὸν Μάγον Μένανδρος διαδεξάμενος.... ἦν καὶ οὗτος Σαμαρεύς· εἰς ἄκρον δὲ τῆς γοητείας οὐκ ἔλαττον τοῦ διδασκάλου προελθών.

(6) *Se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus*, etc. Id est, juxta Theodoretum lib. I, c. 2, *a prima illa Virtute.* Secundum Eusebium vero, *ab Æonibus.* Ita enim loco cit. : Ἑαυτὸν μὲν ὡς ἄρα εἴη λέγων ὁ Σωτὴρ, ἐπὶ τῇ τῶν ἀνθρώπων ἀνωθέν ποθεν ἐξ ἀοράτων Αἰώνων ἀποσταλμένος σωτηρίᾳ.

(7) *Mundum autem factum.... dicit.* Sic et Theodoretus cit.: Τοὺς δὲ Ἀγγέλους, τῷ Σίμωνι παραπλησίως, ὑπὸ τῆς Ἐννοίας ἔφησε προβληθῆναι, καὶ τούτους τὸν κόσμον δημιουργῆσαι.

(8) *Dare quoque per eam*, etc. His pœne respondent, quæ dicto loco habet Eusebius : Μὴ ἄλλως δύνασθαί τινα καὶ αὐτῶν τῶν κοσμοποιῶν Ἀγγέλων περιγεννήσεσθαι, μὴ πρότερον διὰ τῆς πρὸς αὐτοῦ παραδιδομένης μαγικῆς ἐμπειρίας ἀχθέντα, καὶ διὰ τοῦ μεταδιδομένου πρὸς αὐτοῦ βαπτίσματος· οὗ τοὺς κατηξιωμένους ἀθανασίαν αἴδιον ἐν αὐτῷ τούτῳ μεθέξειν τῷ βίῳ, μηκέτι θνήσκοντας, αὐτοῦ δὲ παραμένοντας, εἰς τὸ ἀεὶ ἀγήρως τινὰς καὶ ἀθανάτους ἐσομένους.

(9) *Magiam, scientiam ad id.* Sic ex codd. Clarom. et Pass. textum restituimus. Pass. tamen pro *magiam* habet *magia*, cui in hoc consentit et Voss.; Arund. vero quem secutus est Grabius, *magicam.* Sed omnes cum editt., tum etiam mss. Anglic. minus bene *addidit*, pro *ad id.*

(10) *Saturninus.* Σατορνῖλον vocant Epiphanius *Hær.* 23, et Theodoret. lib. I, c. 3. Hunc pariter cum Basilide, velut duos ejusdem magistri Menandri condiscipulos, jungunt Eusebius lib. IV, c. 7, et Epiphan. *Hær.* cit.

(11) *Antiochia ea.* Sic codd. Voss. et Clarom. cum edit. Oxon. In aliis perperam, *Antiochæa.*

(12) *Saturninus quidem similiter ut Menander*, etc. Theodoretus, loco cit.: Οὗτος, τῷ Μενάνδρῳ παραπλησίως, ἕνα ἔφησεν εἶναι Πατέρα παντάπασιν ἄγνωστον· τοῦτον δὲ Ἀγγέλους δημιουργῆσαι, καὶ τὰς ἄλλας δυνάμεις· ἑπτὰ δέ τινας ἐκ τούτων τὸν κόσμον ποιῆσαι. Epiphanius : Ἑπτὰ δέ τινας τὸν κόσμον πεποιηκέναι, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ.

(13) *Hominem autem*, etc. Epiphan.: Τοὺς Ἀγγέλους τὸν ἄνθρωπον πεποιηκέναι, κατὰ τὴν μορφὴν τῆς ἄνωθεν παρακυψάσης φωνῆς (legi vult Petavius καλλονῆς, Grabius vero, φωτεινῆς, subintelligendo εἰκόνος), ἣν μὴ δυνηθέντες κατακύψασαν κατέχειν, καὶ διὰ τὸ παραχρῆμα ἀναδραμεῖν, μιμήσασθαι ἐθέλησαν, etc.

(14) *Tenere.* Al. *continere.*

(15) *Similitudinem. Nostram* addunt editt. Eras., Gall. et Feuard. Sed eam vocem merito omittunt codd. Clarom., Pass. et Voss., quos secuti sumus. Scribit enim Epiphanius *Hær.* 23, § 1, vocem illam a Saturnino consulto prætermissam, ut errori fides astrueretur; quasi alii essent operis artifices, imago vero et similitudo ad alium referretur. Unde mirum in Theodoreto ἡμετέραν additum legi.

(16) *Qui cum factus esset.... vivere fecit.* Epiphan., loco cit.: Γενομένου δὲ, φησὶ, τοῦ ἀνθρώπου, διὰ τὸ αὐτῶν (Ἀγγέλων) ἀδρανὲς μὴ δύνασθαι αὐτὸν τελεσφορῆσαι, κεῖσθαι δὲ καὶ σκαρίζειν δίκην σκώληκος ἕρποντος, μὴ δύνασθαι δὲ ἀνορθοῦσθαι... ἕως ἡ ἄνω δύναμις.... σπλαγχνισθεῖσα διὰ τὴν ἰδίαν αὐτῆς εἰκόνα τε καὶ ἰδέαν, κατ' οἶκτον ἀπέστειλε σπινθῆρα τῆς αὐτῆς δυνάμεως (Theodoretus propius Irenæo, ζωῆς σπινθῆρα), καὶ δι' αὐτοῦ ἀνώρθωσε τὸν ἄνθρωπον, καὶ οὕτως ἐζωογόνησε.

(17) *Propter imbecillitatem.* Al. *per imbecillitatem.*

(18) *Hanc igitur scintillam*, etc. Ab his non multum abludunt Theodoreti verba : Τοῦτον δὲ τὸν σπινθῆρα τῆς ζωῆς, μετὰ τὴν ζώου διάλυσιν, ἀνατρέχειν πρὸς τὴν ἀποστείλασαν δύναμιν.

(19) *Salvatorem autem .... scintillam vitæ ejus,*

Digitized by Google

dissolvere voluerint Patrem ejus omnes principes (1), advenisse Christum ad destructionem Judæorum Dei, et ad salutem credentium ei; esse autem hos, qui habent scintillam vitæ ejus. Duo enim genera (2) hic primus hominum (3) plasmata esse ab Angelis dixit, alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Et quoniam dæmones pessimos adjuvant (4), venisse Salvatorem ad dissolutionem malorum hominum, et dæmoniorum, ad salutem autem bonorum. Nubere autem et generare, a Satana dicunt esse. Multi autem ex iis, qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, per fictam hujusmodi continentiam seducentes multos. Prophetias autem quasdam (5) quidem (6) ab iis Angelis, qui mundum fabricaverint, dictas; quasdam autem a Satana: quem et ipsum angelum adversarium mundi fabricatoribus ostendit, maxime autem Judæorum Deo.

[29] 3. Basilides autem (7), ut altius aliquid et verisimilius invenisse videatur, in immensum extendit sententiam (8) doctrinæ suæ, ostendens Nun primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, deinde a Logo Phronesin, a Phronesi autem

[29] Cap. XXIII.

A Sophiam et Dynamin, a Dynami autem et Sophia Virtutes, et Principes, et Angelos, quos et primos vocat, et ab iis primum cœlum factum. Dehinc ab horum derivatione (9) alios autem (10) factos, aliud cœlum simile priori fecisse, et simili modo ex eorum derivatione cum alii facti essent, antitypi eis qui super eos essent, aliud tertium deformasse cœlum: et a tertio deorsum descendentium quartum, et deinceps secundum eum modum alteros et alteros Principes et Angelos factos esse dicunt, et cœlos trecentos septuaginta quinque. Quapropter et tot dies habere annum, secundum numerum cœlorum.

4. Eos autem, qui posterius continent (11) cœlum, Angelos, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quæ sunt in mundo omnia, et partes sibi fecisse terræ, et earum, quæ super eam sunt, gentium. Esse autem principem ipsorum eum, qui Judæorum putatur esse Deus. Et quoniam hic suis hominibus, id est Judæis, voluit subjicere (12) reliquas gentes, reliquos omnes principes contra stetisse ei et contra egisse. Quapropter et reliquæ resiluerunt (13) gentes ejus genti. Innatum au-

Idem Theodoretus: Τὸν δὲ Σωτῆρα .... ἀγέννητον ἔφησε, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀνείδεον· φαντασίᾳ δὲ μᾶλλον, οὐκ ἀληθείᾳ, τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφανῆναι· τὸν δὲ τῶν Ἰουδαίων Θεὸν ἕνα τῶν Ἀγγέλων εἰρηκέναι.... Τὸν Πατέρα φησὶ τοῦ Χριστοῦ καταλύσαι βουλόμενον, μετὰ τῶν ἄλλων Ἀγγέλων, καὶ τὸν τῶν Ἰουδαίων Θεὸν, ἀποστεῖλαι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν κόσμον, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν εἰς αὐτὸν πιστευόντων ἀνθρώπων. Epiphanius, § 2, ἐπὶ καταλύσει τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πεισθομένων· εἶναι δὲ αὐτοὺς τοὺς ταύτης τῆς αἱρέσεως τοὺς ἔχοντας τὸν σπινθῆρα τοῦ ἄνωθεν Πατρός.

(1) *Et propter hoc quod dissolvere voluerint Patrem ejus omnes principes.* Existimat Grabius interpretem verba Irenæi, ob amphiboliam ex duobus accusativis ortam, perperam vertisse, cum ita reddere debuisset: *Propter hoc, quod dissolvere voluerit Pater ejus omnes principes*, etc. Id quidem, fateor, cum Theodoreti verbis magis conveniret. Sed non propterea ab Irenæi sensu recedit interpres noster: cum maxime scribat Epiphanius § 2 angelos rebelles factos, a Patre descivisse, quem proinde dissolvere voluerunt. Et hoc sensu, qui forte Irenæi est (cujus ipsa præcise verba referre Theodoreto animus non erat), vertere potuit interpres: *Propter hoc quod dissolvere voluerint Patrem ejus* (Christi) *omnes principes*, etc. Quare verba ejus haud sollicitanda esse puto. Consule Epiphanium.

(2) *Duo enim genera.... seducentes multos.* Hæc Græce ita sonant apud Epiphanium: Δύο γὰρ πεπλάσθαι ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρώπους φάσκει, ἕνα ἀγαθὸν, καὶ ἕνα φαῦλον· ἐξ ὧν δύο εἶναι τὰ γένη τῶν ἀνθρώπων ἐν κόσμῳ, ἀγαθόν τε καὶ πονηρόν. Ἐπειδὴ δὲ δαίμονες τοῖς πονηροῖς ἐβοήθουν....., ἦλθεν ὁ Σωτὴρ ἐπὶ βοηθείᾳ τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐπὶ καταλύσει τῶν πονηρῶν καὶ τῶν δαιμόνων. Τὸ γαμεῖν δὲ καὶ τὸ γεννᾶν.... ἐκ τοῦ Σατανᾶ ὑπάρχειν λέγει, ὅθεν καὶ οἱ πλείους αὐτῶν ἐμψύχων ἀπέχονται, ὅπως διὰ τῆς προσποιητῆς ὅθεν πολιτείας αὐτῶν τινας ἐπαγάγωνται εἰς τὴν αὐτῶν ἀπάτην.

(3) *Hominum.* Hanc vocem refer ad *genera*, non ad *primus*.

(4) *Adjuvant.* Editi. *adjuvabant.*

(5) *Prophetias autem quasdam*, etc. Hæc Græce referunt Theodoretus partim, partim Epiphanius. Theodoretus: Τῶν δὲ προφητειῶν τὰς μὲν ὑπὸ κοσμοποιῶν Ἀγγέλων ἔφησεν εἰρῆσθαι, τὰς δὲ ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. Epiphanius: Καὶ αὐτὸν δὲ τὸν Σατανᾶν Ἀγγελον φάσκει ἀντιπράττοντα τοῖς κοσμοποιοῖς Ἀγγέλοις, μάλιστα δὲ τῷ Θεῷ τῶν Ἰουδαίων.

(6) *Quidem.* Al. *quidam*, sed male.

(7) *Basilides autem*, etc. Non procul ab his distant, quæ Græce leguntur partim apud Eusebium, partim apud Epiphanium, partim apud Theodoretum. Euseb. lib. IV *Hist.*, c. 7, ex Irenæo refert, προσχήματι δὲ ἀπορρητοτέρων, τὸν Βασιλείδην εἰς τὸ ἄπειρον τεῖναι τὰς ἐπινοίας. Theodoretus c. 4: Ἔφησε γὰρ τὸν ἀγέννητον νοῦν πρῶτον γεννῆσαι, ἐκ δὲ τοῦ νοὸς προβληθῆναι τὸν λόγον, φρόνησιν δὲ ἀπὸ τοῦ λόγου, ἀπὸ δὲ τῆς φρονήσεως σοφίαν καὶ δύναμιν, ἐκ δὲ τούτων Ἀγγέλους καὶ Ἀρχαγγέλους. Epiphan. *Hær.* 24, § 1: Ἐκ δὲ τῆς δυνάμεώς τε καὶ Σοφίας Ἀρχαὶ, Ἐξουσίαι, Ἄγγελοι· ἐκ δὲ τούτων τῶν δυνάμεών τε καὶ Ἀγγέλων γεγονέναι ἀνώτερον πρῶτον οὐρανόν.

(8) *Sententiam.* Clarom. *scientiam.*

(9) *Dehinc ab horum derivatione*, etc. Theodoretus cit.: Ἐκ δὲ τούτων ἀπορροίας ἄλλους γενομένους Ἀγγέλους, ἄλλον οὐρανὸν ποιῆσαι τῷ πρώτῳ προσόμοιον· εἶτα πάλιν ἐκ τῆς τούτων ἀπορροίας ἑτέρους φύντας, τεκτήνασθαι καὶ τούτους ἕτερον οὐρανόν, etc.

(10) *Alios autem.* Eras., Gall. et Feuard., *alios item.*

(11) *Eos autem, qui posterius continent*, etc. Sic et Theodoretus loco citato: Τοὺς δὲ τὸν οὐρανὸν τὸν ἔσχατον, τὸν ὑφ' ἡμῶν ὁρώμενον, οἰκοῦντας Ἀγγέλους δημιουργῆσαι τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῆς γῆς διανείμασθαι δεσπόσειαν, ἕνα δὲ κληρωθῆναι τὴν τῶν Ἰουδαίων οἰκονομίαν, καὶ τοῦτον ἄρχειν τῶν ἄλλων. Βουλευθέντι δὲ τούτῳ τοῖς οἰκείοις ἅπαντα ὑποτάξαι τὰ ἔθνη, τοὺς ἄλλους ἄρχοντας ἀντιπράξασθαι.

(12) *Subjicere.* Al. *subigere.*

(13) *Resiluerunt.* Sic Clarom., Pass., Voss. et Feuard., pro quo in Eras., Gall., Merc. 2 et Ottob. corrupte legitur *residuæ erunt.* In Arund. vero, quem secutus est Grab. *restiterunt*; recte quidem nisi codicem hunc interpolatum suspicarer. Quid quid sit, *resiluerunt ejus genti*, hic scripsit interpres, pro *resiluerunt ab ejus gente.*

Digitized by Google

tem (1) et innominatum Patrem, videntem perditionem ipsorum, misisse primogenitum Nun suum (et hunc esse qui dicitur Christus), in libertatem credentium ei, a potestate eorum qui mundum fabricaverunt. Et gentibus (2) ipsorum autem apparuisse (3) enm in terra hominem, et virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum (4), sed Simonem quemdam Cyrenæum angariatum portasse crucem ejus pro eo : et hunc secundum ignorantiam et errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus : et ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, et stantem irrisisse eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, et Nus (5) innati Patris, transfiguratum quemadmodum vellet, et sic ascendisse ad eum qui miserat (6) eum, deridentem eos, cum teneri non posset, et invisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur (7) eos, qui hæc sciant, a mundi fabricatoribus principibus : et non oportere confiteri eum qui sit crucifixus, sed eum qui in hominis forma venerit, et putatus sit crucifixus, et vocatus sit Jesus, et missus a Patre, uti per dispositionem hanc opera mundi fabricatorum dissolveret. Si quis igitur, ait, confitetur crucifixum, adhuc hic servus est, et sub potestate eorum qui corpora fecerunt : qui autem negaverit, liberatus est quidem ab iis, cognoscit autem dispositionem innati Patris.

5. Animæ autem solæ (8) esse salutem : corpus **102** enim natura corruptibile (9) existit. Prophetias autem (10) et ipsas a mundi fabricatoribus fuisse ait Principibus, proprie autem legem a Principe ipsorum, qui (11) eduxerit populum de terra Ægypti. Contemnere autem et idolothyta (12), et nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis : habere autem et reliquarum operationum usum indifferentem, et universæ libidinis. Utuntur autem et hi magia, et imaginibus (13), et incantationibus, et invocationibus, et reliqua universa periergia (14) : nomina quoque (15) quædam affingentes quasi Angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo cœlo, hos autem in secundo : et deinceps nituntur trecentorum sexaginta quinque mentitorum (16) cœlorum et nomina, et principia, et Angelos, et Virtutes exponere. Quemadmodum et mundus nomen esse, in quo dicunt descendisse et ascendisse Salvatorem, esse Caulacau (17).

(1) *Innatum autem*, etc. Theodoret. : Τὸν δὲ ἀγέννητον ταῦτα θεώμενον, τὸν πρωτόγονον αὐτοῦ Νοῦν ἀποστεῖλαι, ὃν καὶ Χριστὸν προσηγόρευσε.

(2) *Et gentibus*. Edit. *in gentibus*.

(3) *Apparuisse*. Δοκήσει duntaxat, *specie tenus*, ut habet Epiphanius § 3.

(4) *Quapropter neque passum eum*, etc. Epiphanius loco cit. : Οὐχὶ Ἰησοῦν φάσκων πεπονθέναι, ἀλλὰ Σίμωνα τὸν Κυρηναῖον.... καὶ φησιν ἐκεῖνον ἐν τῷ βαστάζειν τὸν σταυρὸν μεταμορφοῦσθαι εἰς τὸν ἑαυτοῦ εἶδος, καὶ ἑαυτὸν εἰς τὸν Σίμωνα..... ἐκείνου δὲ σταυρωμένου, ἑστήκει κατάντικρυς ἀοράτως ὁ Ἰησοῦς, καταγελῶν τῶν τὸν Σίμωνα σταυροούντων.

(5) *Et Nus*. Ita Feuard. in marg. et omnes mss. nostri cum edit. Oxon. In aliis perperam, *æterna*.

(6) *Miserat*. Feuard., Eras. et Gall., *misit*.

(7) *Et liberatos igitur*. Theodoretus : Χρῆναι δὲ πιστεύειν ἔλεγεν, οὐκ εἰς τὸν ἐσταυρωμένον, ἀλλ' εἰς τὸν ἐσταυρῶσθαι δόξαντα· οὕτω γάρ φησι δυνατὸν τῆς τῶν κοσμοποιῶν δυναστείας ἀπαλλαγῆναι.

(8) *Animæ autem solæ*. Vocem *eorum* post *autem* ex mss. Voss. addidit Grabius. Eadem exstat in Pass., sed in Voss. *animam solam*. At in Eras., Clarom., Arund. et Merc. 2, *animæ autem solæ*; ubi *solæ* in dandi casu accipitur.

(9) *Corruptibile*. I. e. *non resurrecturum*; negabat enim hic hæreticus carnis resurrectionem, ut aiunt Theodoret. et Tertul. lib. *De præscrip.*, c. 46.

(10) *Prophetias autem*., etc. Theodoret. : Τὰς δὲ προφητείας καὶ αὐτὸς ὑπ' Ἀγγέλων ἔφησε γεγεννῆσθαι, τὸν δὲ νόμον ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος τεθῆναι τῶν Ἰουδαίων. Hinc videas interpretem Irenæi, perperam legentem καὶ αὐτάς, perperam et vertisse, *et ipsas*. Vertendum erat *et ipse*.

(11) *A principe ipsorum, qui*. Sic emendandum putavi partim ex editis, partim ex mss. Neque enim hi vel illi secum invicem consentiunt. Vocem *ipsorum* omissam in Eras. et Gall. supplevi ex Clarom., Pass., Voss. et Feuard. At particulam *autem* in Eras. et Gall. post *Principe*, et vocem *eum* in citatis tribus mss. ac editt. Feuard. et Grab. ante *qui* scriptas delevi : quia prior in his, posterior vero in Eras. et Gall. deest ; et utraque sensum et constructionem turbat.

(12) *Contemnere autem et idolothyta*, etc. Theodoretus : Τῶν δ' εἰδωλοθύτων ἀδεῶς μεταλαμβάνειν προσέταξε, καὶ τὰς ἀπειρημένας πράξεις ἀδιακρίτως ἐπιτελεῖν.

(13) *Hi magia et imaginibus*. Sic iterum restituo, partim ex mss. Clarom., Pass., Voss. et edit. Feuard., partim ex codd. Arund., Merc. 2 et editt. Eras. et Gall. Ex illis addo, *hi magia*, ex istis, *et imaginibus* : (incuria tamen amanuensis scriptum in Merc. 2 *imaginis* pro *imaginibus*) ut enim Eras. et Gal. perperam omiserunt *hi magia*; sic nec Feuardentius et Grabius expungere debuerunt *et imaginibus*. Nam cum Irenæus sit quod *utuntur et hi magia*, etc., illud *et* respicit procul dubio Simonem Magum, a quo hanc doctrinæ suæ partem mutuati fuerant Basilidiani. Atqui nedum magia, sed et superstitiosis quibusdam imaginibus utebatur Simon : quibus et usos fuisse Basilidianos certo certius evadit ex Basilidianis gemmis, etiamnum superstitibus, in quibus cælatas videmus tot portentosas imagines, apposito sæpe famoso illo nomine ΑΒΡΑΣΑΞ, quas suis amuleti loco exhibebant.

(14) *Periergia*. Ita ex Arund. et Merc. 2 bene restituit Grabius, quamvis in illis, ut et in Clarom., Pass. vitiose scriptum sit *periergia*; in Ottobon. vero *perierga*. Expunxit autem *parerga*, ut habent al. editi.

(15) *Nomina quoque*, etc. Theodoret. : Καὶ Ἀγγέλων δὲ ὀνόματα διαπλάσαντες, τοὺς μὲν τὸν πρῶτον ἔχειν ἔφασαν οὐρανόν, τοὺς δὲ τὸν δεύτερον. Καὶ ἑφεξῆς μέχρι τοῦ πέμπτου καὶ ἑξηκοστοῦ καὶ τριακοσιοστοῦ.

(16) *Ementitorum*. Cod. Arund., *eminentiorum*.

(17) *Quemadmodum et mundus nomen esse.... Caulacau*. In Pass., *quemadmodum et mundus non esse*. Pro *Caulacau* Clarom. et Pass. habent *Caulagau Deum*. Alii *Caulaucau*, *Çaulagau*, *Caulacave*, etc. Genuinam vero lectionem, *Caulacau*, ex Isaiæ XXVIII, 10, cum Grabio reposui, neglectis vitiosis editis et mss. Textum autem hic mutilum esse vel corruptum, indeque difficile genuinum elicere sensum, recte notat vir clarissimus. Vult Theodoretus *Caulacau* Salvatoris; Epiphanius vero *Hær.* 25, principis alicujus fuisse nomen. Id certius, vocabulum

Digitized by Google

6. Igitur qui didicerit, et Angelos omnes cognoverit, et causas eorum, invisibilem et incomprehensibilem cum Angelis (1) et Potestatibus universis fieri, quemadmodum et Caulacau fuisse. Et sicut Filium incognitum omnibus esse, sic et ipsos a nemine oportere cognosci; sed cum sciant ipsi omnes, et per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles et incognitos esse. Tu enim, aiunt, omnes cognosce (2), te autem nemo cognoscat. Quapropter et parati sunt ad negationem, qui sunt tales, imo magis ne pati quidem propter nomen possunt, cum sint omnibus similes. Non autem multos scire posse hæc, sed unum a mille, et duo a myriadibus (3). Et Judæos quidem (4) jam non esse dicunt, Christianos autem nondum : et non oportere omnino (5) ipsorum mysteria effari, sed in abscondito continere (6) per silentium (7).

7. Trecentorum autem sexaginta quinque cœlorum locales positiones distribuunt similiter ut mathematici. Illorum enim theoremata accipientes,

» Cap. XXIV.

A in suum characterem doctrinæ transtulerunt : esse autem principem illorum Ἀβράξας (8), et propter hoc trecentos sexaginta quinque numeros (9) habere in se.

103 CAPUT XXV ».

De Carpocrate.

1. Carpocrates autem, et qui ab eo, mundum quidem (10) et ea quæ in eo sunt, ab Angelis multo inferioribus ingenito Patre factum esse dicunt. Jesum autem e Joseph natum, et cum similis (11) reliquis hominibus fuerit, distasse a reliquis secundum id, quod anima ejus firma et munda cum esset, commemorata fuerit, quæ visa essent sibi in ea circumlatione (12), quæ fuisset ingenito Deo B (13) : et propter hoc ab eo missam esse ei virtutem, uti mundi fabricatores effugere posset, et per omnes transgressa (14), et in omnibus liberata, ascenderet ad eum : et eas, quæ similia ei amplecterentur, similiter (15). Jesu autem dicunt ani-

isud Hebræum ab hæreticis eo fine duntaxat adhibitum, ut vocis insolentia terrorem simplicium pectoribus inculerent. Nam קו לקו Epiphanio significat, *spes super spem*, aliis *linea ad lineam*, vel *regula ad regulam* : quæ qui Basilidianorum delirlis aptari possint non video.

(1) *Angelis et.* Hæc desunt in Eras. et Gall.

(2) *Tu enim, aiunt, omnes cognosce.* Epiphanius *Hær.* 24, § 5 : Ὑποτίθεται τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς λέγων· ὅτι ὑμεῖς πάντα (legit Irenæus πάντας) γινώσκετε, ὑμᾶς δὲ μηδεὶς γινωσκέτω.

(3) *Unum a mille, et duo a myriadibus.* Epiphan., loco cit. : Ἑνὶ δὲ ἀπὸ χιλίων ἀποκαλύπτειν, καὶ δυσὶν ἀπὸ μυρίων.

(4) *Et Judæos quidem*, etc. Epiphan. : Ἰουδαίους μὲν ἑαυτοὺς μηκέτι εἶναι φάσκουσι, Χριστιανοὺς δὲ μηκέτι γεγενῆσθαι.

(5) *Et non oportere omnino*, etc. Idem : Φάσκει δὲ μόνον περὶ Πατρὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ μυστηρίου μηδενὶ ἀποκαλύπτειν, ἀλλὰ σιγῇ ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς.

(6) *Continere.* Post hoc verbum addidit Grabius ex mss. Arund. et Merc. 2, *pertinere*, idemque esse ait quod *decere*. Sed cum hoc desit in omnibus aliis cum editt., tum mss. textuique obscuritatem magis quam lucem afferat, expungendum existimavi.

(7) *Per silentium.* Græce scriptum fuisse putat Pearsonius parte II *Vindic. epist. S. Ignat.*, c. 6, p. 64, non διὰ Σιγῆς, sed διὰ τὴν Σιγήν, id est *propter Sigen*. Ἔννοιαν enim et Σιγὴν vocatam a Basilide putat vir doctissimus. Sed quidquid sit de duplici Ἔννοίας nomine, vulgata lectio, cui etiam favet Epiphanius, præferenda videtur.

(8) *Esse autem principem illorum* Ἀβράξας, etc. Theodoret. : Εἶναι δὲ τὸν ἄρχοντα αὐτῶν φησιν Ἀβρασάξ· ἡ γὰρ ψῆφος τοῦ ὀνόματος, τῶν τξ' οὐρανῶν σημαίνει τὸν ἀριθμόν. Nec abludit Epiphanius. Uterque vero scripsit Ἀβρασάξ; Latini vero plerumque Ἀβράξας; quod satis indifferenter esse videtur. Asserunt autem illi Ἀβράξας esse nomen primi ac præcipui cœli, quod numerum CCCLXV. in se contineat. Si enim singulas, quibus constat Ἀβράξας, litteras ut totidem notas arithmeticas accipias, invenies CCCLXV. Aiunt vero Tertullianus lib. *De præscript.* c. 46, Hieronymus in cap. III Amos, et alii, a Basilide sic appellatum esse summum Deum. Addit Hieronymus *Mithran* sub eodem numero aliarum litterarum ethnicis esse, quem Basilides portentoso nomine vocat *Abraxan*. Frequenter ea vox inscripta legitur in Basilidianorum gemmis.

Sed ne frustra repetendo quæ alii ante nos ea de re scripserunt, erudito lectori fastidio simus, legatur Joannis Macarii canonici Ariensis *Abraxas*, seu *De gemmis Basilidianis Disquisitio*, etc., exhibita et commentario illustrata a Joanne Chifletio canonico Tornacensi, Antuerp. 1657, et doctissimi nostri domni Bernardi de Montfaucon opus singulare et omni eruditionis genere refertum *De palæographia Græca*, lib. II, cap. 8.

(9) *Numeros.* Sic omnes mss. ; at in editt., *numerum*.

(10) *Mundum quidem*, etc. Latinis Irenæi verbis C Græca hæc apud Epiphanium *Hær.* 27, § 2, p. 102, fere respondent : Τὸν δὲ κόσμον καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ὑπὸ Ἀγγέλων γεγενῆσθαι τῶν πολύ τι ὑπὸ τοῦ Πατρὸς τοῦ ἀγνώστου (legit Irenæi interpres ἀγεννήτου) ὑποδεεστέρων... Ἰησοῦν δὲ... ἀπὸ Ἰωσὴφ γεγενῆσθαι... εἶναι δὲ αὐτὸν ὅμοιον τοῖς πᾶσι... εὔτονον (καὶ καθαράν habet Theodoretus, c. 5) ἔσχε ψυχὴν παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, καὶ ἐμνημόνευε τὰ ὁραθέντα ὑπ' αὐτῆς, ὅτε ἦν ἐν τῇ περιφορᾷ τοῦ ἀγνώστου (l. ἀγεννήτου) Πατρὸς, ἀπέσταλται ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Πατρὸς εἰς τὴν αὐτοῦ ψυχὴν δυνάμεις (l. δύναμις), ὅπως... φύγῃ τοὺς κοσμοποιοὺς Ἀγγέλους,... καὶ ὅπως διὰ πασῶν τῶν πράξεων χωρήσασα καὶ ἐλευθερωθεῖσα, ἔλθοι πρὸς αὐτὸν ἄνω· ἀλλὰ καὶ τὰς ὁμοίας αὐτῇ ψυχὰς, τὰ ἴσα αὐτῇ ἀσπασαμένας, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐλευθερωθεῖσας ἄνω πτῆναι πρὸς ἄγνωστον Πατέρα. Hæc continenter exscribere visum est, ut hinc perspicias Epiphanium propria sibi fecisse Irenæi verba; quæ tamen, paucis vel immutatis vel addiD tis, instaurare haud arduum foret. Quod et sequentia a nobis referenda confirmabunt.

(11) *Et cum similis.* Sic Clarom. melius quam reliqui, *et qui similis*.

(12) *Circumlatione.* In Eras. et Gall., *circulatione*. Vide Dissert. I, cap. 5, num. 123.

(13) *Ingenito Deo. In*, quod ante *ingenito* exstat in edit. Eras., Gall. et Feuard., recte expunxit Grabius : deest enim in omnibus mss.

(14) *Per omnes transgressa*, i. e. ex Epiphanio, per omnes actiones etiam turpissimas (horrendum!) transgressa, omnibusque defuncta, sordidata potius, ascenderet ad Deum. Lege ipsum Epiphanium : fusiori enim et distinctiori stylo prosequitur, quam veluti summatim hic refert Irenæus.

(15) *Eas, quæ similia ei amplecterentur, similiter.* Ita recte Clarom., Voss., Merc. 2 et edit. Oxon. Sed in cæteris edit. perperam : *et ea, quæ similia ei amplecteretur, similiter.* Ut autem perfectus sit hu-

Digitized by Google

mam (7) in Judæorum consuetudine nutritam contempsisse eos, et propter hoc virtutes accepisse, per quas evacuavit quæ fuerunt in pœnis passiones, quæ inerant hominibus.

2. Eam igitur (8), quæ similiter atque illa Jesu anima, potest contemnere mundi fabricatores archontas, similiter accipere virtutes ad operandum similia. Quapropter et ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam quidem similes sese dicant Jesu : quidam autem adhuc et secundum aliquid illo fortiores, qui sunt distantes amplius (9) quam illius discipuli, ut puta quam Petrus et Paulus, et reliqui apostoli : hos autem in nullo deminorari (10) a Jesu. Animas enim ipsorum ex eadem circumlatione devenientes, et ideo similiter contemnentes mundi fabricatores, eadem dignas habitas esse virtute, et rursus in idem abire. Si quis autem plus quam ille contempserit ea quæ sunt hic, posse meliorem quam illum esse.

3. Artes enim magicas operantur et ipsi, et incantationes, philtra quoque et charitesia (11), et paredros, et oniropompos, et reliquas maligna-

nes, dicentes se potestatem habere ad dominandum jam principibus et fabricatoribus hujus mundi : non solum autem, sed et his omnibus, quæ in eo sunt facta. Qui et ipsi (12) ad detractionem divini Ecclesiæ nominis (13), quemadmodum et gentes, a Satana præmissi sunt, uti secundum alium et alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a præconio veritatis : aut et (14) videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione. Sed vitam quidem luxuriosam, sententiam autem impiam ad velamen malitiæ ipsorum nomine abutuntur (15), *quorum judicium justum est* [31], recipientium dignam suis operibus a Deo retributionem.

4. Et in tantam insaniam (16) effrenati sunt, uti et omnia quæcunque sunt irreligiosa et impia, in potestate habere, et operari se dicant (17). **104** Sola enim humana opinione (18) negotia mala et bona dicunt. Et utique secundum transmigrationes in corpora oportere in omni vita (19), et in omni

[31] Rom. III, 8.

jusce commatis sensus, supple ex Epiphanio : *et eas animas... similiter liberatas, ad ingenitum Patrem evolare sursum.*

(7) *Jesu autem dicunt animam*, etc. Epiphanius : Τὴν δὲ ψυχὴν τοῦ Ἰησοῦ ἐν τοῖς τῶν Ἰουδαίων ἔθεσιν ἀνατραφεῖσαν καταφρονῆσαι αὐτῶν, καὶ διὰ τοῦτο δυνάμεις εἰληφέναι, δι' ὧν τὰ ἐπὶ κολάσεσι πάθη προσόντα τοῖς ἀνθρώποις δυνηθεὶς πρᾶξαι, ὑπερβῆναι τοὺς κοσμοποιοὺς ἴσχυσεν· οὐ μόνον δὲ αὐτὴν τὴν ψυχὴν τοῦ Ἰησοῦ τοῦτο δεδυνῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τὴν δυναμένην... ὑπερβῆναι τοὺς κοσμοποιοὺς Ἀγγέλους, καὶ αὐτὴ ἐὰν λάβῃ δυνάμεις, καὶ τὰ ὅμοια πρᾶξῃ. (Theodoretus Irenæo propius : ... δυναμένην ὁμοίως λαμβάνειν δύναμιν πρὸς τὸ πρᾶξαι ὅμοια.) Ὅθεν εἰς τύφον οὗτοι ἐληλακότες μέγαν... (Theodoret. εἰς τοσαύτην τύφου μανίαν ἐξώκειλαν ἄνδρες), ἑαυτοὺς προχριτέους ἡγοῦνται καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ· ἄλλοι δὲ ἐξ αὐτῶν, οὐκ Ἰησοῦ φασιν, ἀλλὰ Πέτρου, καὶ Ἀνδρέου, καὶ Παύλου, καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων ἑαυτοὺς ὑπερφερεστέρους εἶναι· ἄλλοι δὲ ἐξ αὐτῶν φάσκουσι μηδὲν διενηνοχέναι τοῦ Ἰησοῦ· αἱ γὰρ ψυχαὶ ἐκ τῆς αὐτῆς περιφορᾶς εἰσι, καὶ ὁμοίως κατὰ τὴν τοῦ Ἰησοῦ πάντων καταφρόνησιν ποιούμεναι, τῆς αὐτῆς δυνάμεως ἠξιώθησαν... Εἰ δὲ καί τις πάλιν δυνηθείη ὑπὲρ τὸν Ἰησοῦν καταφρονῆσαι, διαφορώτερος ἔσται αὐτοῦ.

(8) *Eam igitur.* Sic ex Epiphanio, ipsa constructionis lege ita exigente, restituo pro *ea*, ut vitiose legitur in omnibus codd. aperto scribarum sphalmate.

(9) *Distantes amplius.* Vertere debuisset interpres, *præstantiores, excellentiores*, juxta Græcum ὑπερφερεστέρους.

(10) *Deminorari.* I. e *minores*, vel *inferiores esse Jesu.*

(11) *Charitesia.* Forte legendum *charisteria.* Nam ex Gloss. vet. χαριστήριον est *amatorium*, quod huic Irenæi loco apprime convenit. At *charitesia* legatur, per me licet; sed idem erit significatum. Quæ enim Latine reddidit interpres, *incantationes, philtra*, et *charitesia*, Græce dixit Epiphanius, ἐπῳδάς, φίλτρα καὶ ἀγώγιμα. Per *charitesia* ergo nihil aliud intellexisse videtur interpres, quam quod Irenæus, seu Epiphanius, per ἀγώγιμα, quod ille superius vertit *adlectantia.*

(12) *Qui et ipsi*, etc. Sic fere Epiphanius : Εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ Σατανᾶ παρεισκευασμένοι, καὶ προβεβλημένοι εἰς ὄνειδος τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας... εἰ τὰ τὰ ἔθνη κατανοοῦντα αὐτῶν τὰ ἔργα, νομίσαντα καὶ τοὺς τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας τοιούτους εἶναι, ἀποστρέφειν τὴν ἀκοὴν ἀπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ κατ' ἀλήθειαν διδασκαλίας, ἢ καὶ ὁρῶντάς τινας πάντω[l. πάντας] ὁμοίως βλασφημεῖν.

(13) *Detractionem divini Ecclesiæ nominis.* Edit. Eras., Gall. et Feuard., *detractionem divini nominis et Ecclesiæ.*

(14) *Aut et.* Clarom. *ut et.* Eras., Gall. et Feuard. *aut ut.*

(15) *Sed vitam quidem luxuriosam.. abutuntur.* Hic Arund., Voss., Merc. 2. Feuard. in marg. et edit. Oxon. sequi malim quam Clarom., Pass. et cæteras editt. in quibus legitur, *abutantur.* Sed verba quæpiam e textu excidisse perspicuum est : frustra enim in iis, quæ exstant, sensum, aut connexionem requiras. Quantum ex Epiphanio colligere fas est, hoc, aut quidpiam simile scripsisse videtur Irenæus : *Sed vitam quidem luxuriosam dicunt ; sententiam autem impiam ut tegant, ad velamen malitiæ ipsorum Christiani nomine abutuntur.* Scribit enim ille : *Porro isti in luxu atque deliciis assidue versantur, neque ad nos penitus accedunt, nisi forte ut imbecilles animos ad impia sua dogmata pelliciant. Neque enim alia re nobis similes sunt, quam quod Christiani nomine gloriantur, ut ementiti hujus vocabuli specie improbitatem suam exerceant. Sed eorum, uti scriptum est, judicium legitimum est*, etc.

(16) *In tantam insaniam.* Edit., *in tantum insania.*

(17) *In potestate habere et operari se dicant.* Hic ab editt. discrepant mss., nec secum invicem consentiunt. In Eras., Gall. et Feuard. legitur, *potestatem habere operandi se dicant* ; mss. vero omnes concorditer habent, *in potestate*, ac *et operari*, uno excepto Arund. quem secutus est Grabius, in quo omittitur particula *et.* At in aliis legitur, *habere*, ut in Arund. et Pass., in aliis *habeant* ut in cæteris. Priorum lectionem sequi malui, cujus hic sensus : *in potestate habere*, id est *sibi licere, et operari se dicant.*

(18) *Sola enim humana opinione*, etc. Ita et Theodoretus : Δόξῃ γὰρ, φησὶν, οὐκ ἀληθείᾳ, τὰ μὲν τῶν πραγμάτων κακὰ εἶναι δοκεῖ, τὰ δὲ ἀγαθά.

(19) *Oportere in omni vita*, etc. Hæc clarius explicat Irenæus lib. II, c. 32, et ex eo Epiphanius

Digitized by Google

actu fieri animas (si non præoccupans quis in uno adventu omnia agat semel ac pariter, quæ non tantum dicere et audire non est fas nobis, sed ne quidem in mentis conceptionem venire, nec credere si apud homines conversantes in his, quæ sunt secundum nos civitates, tale aliquid agitatur) uti, secundum quod scripta eorum dicunt, in omni usu vitæ (20) factæ animæ ipsorum, exeuntes in nihilo adhuc minus habeant (21) ad operandum (autem) in eo: ne forte, propterea quod deest libertati aliqua res, cogantur (22) iterum mitti in corpus. Propter hoc dicunt Jesum hanc dixisse parabolam: *Cum es cum adversario tuo in via, da operam, ut libereris ab eo, ne forte te det judici, et judex ministro, et mittat te* (23) *in carcerem. Amen dico tibi, non exies* (24) *inde, donec reddas novissimum quadrantem*[25]. Et adversarium dicunt (25) unum ex angelis, qui sunt in mundo, quem diabolum vocant, dicentes factum eum ad id, ut ducat eas, quæ perierunt, animas a mundo (26) ad principem (et hunc dicunt esse primum ex mundi fabricatoribus); et illum alterum angelo (27), qui ministrat ei, tradere tales animas, uti in alia corpora includat: corpus enim dicunt esse carcerem. Et id quod sit: *Non exies inde, quoadusque novissimum quadrantem reddas*, interpretantur, quasi non exeat quis a potestate angelorum eorum, qui mundum fabricaverunt; sic transcorporatum (28) semper, quoadusque in omni omnino operatione, quæ in mundo est, fiat: et cum nihil defuerit ei, tum liberatam ejus animam elevari (29) ad illum Deum, qui est supra angelos mundi fabricatores. Sic quoque salvari et omnes animas, sive ipsæ præoccupantes in uno adventu in omnibus misceantur operationibus, sive de corpore in corpus transmigrantes, vel immissæ in unaquaque specie vitæ, adimplentes et reddentes debita liberari, uti jam non faciant (30) in corpore.

5. Καὶ εἰ μὲν πράσσεται (31) παρ' αὐτοῖς τὰ ἄθεα, καὶ ἐχθεσμα, καὶ ἀπειρημένα, ἐγὼ οὐκ ἂν πιστεύσαιμι (32)· ἐν

5. Et si quidem fiant hæc apud eos, quæ sunt irreligiosa, et injusta, et vetita, ego nequaquam credam. In conscriptio-

[25] Luc. XII, 58, et Matth. V, 25.

et Theodoret. locis cit., oportere scilicet animas, dum in præsenti vita degunt, omni turpissimarum actionum, et horrendarum etiam libidinum genere expleri, ne si quid prætermiserint, quasi alicujus in hoc mundo actionis debito obligatæ, iterum in alia corpora transfundi necesse habeant. Horum ergo verborum, *et utique secundum transmigrationes*, etc., sensus est: *Et utique oportere animas tandiu varia in corpora transfundi, donec in omni vita et in omni actu factæ fuerint*; id est, *donec omne vivendi et agendi genus expertæ fuerint: nisi forte præoccupans quis in uno adventu, id est in una migratione, seu vita, omnia agat semel et pariter*, etc.

(20) *In omni usu vitæ*, etc. Epiphan.: Φασὶ γάρ, δεῖν πάντως πᾶσαν χρῆσιν τούτων ποιεῖσθαι, ἵνα μὴ ἐξελθοῦσαι καὶ ὑστερήσασαί τινος ἔργου, τούτου ἕνεκα καταστραφῶσιν εἰς σώματα πάλιν αἱ ψυχαὶ, εἰς τὸ πρᾶξαι αὖθις ἃ μὴ ἔπραξαν. Καὶ τοῦτό ἐστι, φασὶν, ὅπερ ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ εἶπε διὰ παραβολῆς, ὅτι « Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου, ἐν ᾧ ἦς ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ, καὶ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, μή πως ὁ ἀντίδικος παραδῷ σε τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτὴς τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ ὁ ὑπηρέτης βάλῃ σε εἰς φυλακήν· ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

(21) *In nihilo adhuc minus habeant*, etc. Hic in omnibus editt. pravæ interpunctionis vitio misere pervertitur sensus, dum ab his verbis, *ad operandum in eo*, etc., quæ ad præcedens colon pertinent, nova incipit periodus, quæ male protrahitur usque ad, *dixisse parabolam*. Sic ergo restituo, legendo consequenter: *In nihilo adhuc minus habeant ad operandum in eo*: i. e. nihil, ne minimum quidem supersit, vel, amplius habeant ad operandum in eo vitæ usu. Expungenda vero particula *autem*, quam ideo parenthesi inclusi, quia sensum turbat. Tum præmissis punctis duobus lego: *ne forte*, etc., et a *propter hoc*, etc., novam instituo periodum. Sic distinguendo, caligo huic Irenæi loco offusa facile discutietur.

(22) *Propterea quod deest libertati aliqua res, cogantur*, etc. Sic probe restituit Grabius ex omn. codd. Anglic. junctim sumptis, singulis in una alterave harum vocum corruptis. Genuinam hanc lectionem haberent vetus Feuard. codex, Clarom. et Pass., nisi oscitantes librarii pro *propterea* scripsissent *propter eam*. Sed in aliis editt. perperam omnino: *propter eam quod deest libertati aliqua re cogantur*.

(23) *Mittat te*. Editt. Eras., Gall. et Feuard. addunt *minister*; sed hanc vocem nullus mss. codex agnoscit.

(24) *Non exies*. Clarom. *non exeas*; et sic etiam inferius.

(25) *Et adversarium dicunt*, etc. Epiphanius: Καὶ φασιν εἶναι τὸν ἀντίδικον ἐκεῖνον, τῶν τὸν κόσμον πεποιηκότων Ἀγγέλων ἕνα (addit inferius, ὄνομα ἔχοντα διάβολον; sic enim legendum et Irenæus et res ipsa docet, non Ἄβολον, ut in omnibus editt. perperam habetur), καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο κατεσκευάσθαι, εἰς τὸ ἁπάγειν τὰς ψυχὰς πρὸς τὸν κριτὴν, τὰς ἐντεῦθεν ἐξερχομένας ἐκ σωμάτων... παραδίδοσθαι δὲ ἀπὸ τοῦ ἄρχοντος τῷ ὑπηρέτῃ... εἰς τὸ φέρειν τὰς ψυχὰς πάλιν, καὶ εἰς σώματα καταγγίζειν διάφορα... φασὶ γὰρ εἶναι τὴν φυλακὴν τὸ σῶμα.

(26) *A mundo*. In Feuard., Voss. et Pass., *immundo*.

(27) *Alterum angelo, qui*. Ita Clarom. (nisi quod addat et ante *qui*), Voss. et Merc. 2. At editt. cum Arund. et Pass., *altero angelo, qui*. Sed prior lectio præferenda; et *illum alterum* ad diabolum referri debet.

(28) *Sic transcorporatum*. Ita Clarom., Arund., Merc. 2, cum Eras. et Gall. In cæteris, *sed sit transcorporatum*; quod minus placet: legendum enim esset, *sed sit transcorporatus*.

(29) *Elevari*. Ita Feuard., Grab. et Voss., favente Epiphanio. Sed Eras., Gall., Clarom., Pass., Ottobon. et Merc. 2, *eliberari*; Arund. vero pejus, *et liberari*.

(30) *Non faciant*. Sic antiquiores tres codd. Clarom., Pass. et Voss. In aliis, *non fiant*; quæ recentiorum scribarum emendatio esse videtur, haud advertentium verbum Græcum πράττωσι (sic enim scriptum fuisse conjicio), *agunt, vitam agunt, degunt*, seu potius *operentur* (uti paulo superius scriptum, *ad operandum in eo*), perperam ab interprete redditum *faciant*.

(31) *Καὶ εἰ μὲν πράσσεται*. Græca hæc ex Irenæo descripsisse se affirmat Theodoretus lib. I *Hær. fab.*, c. 5.

(32) *Οὐκ ἂν πιστεύσαιμι*. Petavius in suis ad Epiphanium notis hic legendum vult: οὐκ ἂν πι-

Digitized by Google

δὲ τοῖς συγγράμμασιν αὐτῶν οὕτως ἀναγέγραπται, καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐξηγοῦνται, τὸν Ἰησοῦν λέγοντες ἐν μυστηρίῳ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ ἀποστόλοις κατ' ἰδίαν λελαληκέναι, καὶ αὐτοὺς ἀξιῶσαι, τοῖς ἀξίοις καὶ τοῖς πειθομένοις ταῦτα παραδιδόναι· διὰ πίστεως γὰρ καὶ ἀγάπης σώζεσθαι· τὰ δὲ λοιπὰ ἀδιάφορα ὄντα, κατὰ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων, τὴ μὲν ἀγαθὰ, τὴ δὲ κακὰ νομίζεσθαι, οὐδενὸς φύσει κακοῦ ὑπάρχοντος.

nibus autem illorum sic conscriptum est, et ipsi ita exponunt; Jesum dicentes in mysterio discipulis suis et apostolis seorsum locutum, et illos expostulasse, ut dignis et assentientibus seorsum hæc traderent. Per fidem enim et charitatem salvari: reliqua vero, indifferentia cum sint, secundum opinionem hominum quædam quidem bona, quædam autem mala vocari, cum nihil natura malum sit.

6. Alii vero ex ipsis signant (33), cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus exstantiæ dextræ auris. Unde et Marcellina (34), quæ Romam sub Aniceto venit, cum esset hujus doctrinæ, multos exterminavit. Gnosticos se **105** autem vocant: et imagines (35) quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, et Platonis, et Aristotelis (36) et reliquorum; et reliquam observationem circa eas, similiter ut gentes, faciunt.

CAPUT XXVI [32].

De Cerintho, Ebionitis et Nicolaitis.

1. Et Cerinthus autem quidam in Asia, non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a Virtute quadam valde separata, et distante ab ea principalitate, quæ est super universa, et ignorante eum, qui est super omnia, Deum (37). Jesum autem subjecit (38), non ex Virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est); fuisse autem Joseph et Mariæ filium similiter ut reliqui omnes homines, et plus potuisse justitia et prudentia, et sapientia ab hominibus (39). Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quæ est super omnia, Christum figura columbæ; et tunc annuntiasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse: in fine autem revokasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse, et resurrexisse; Christum autem impassibilem perseverasse, exsistentem spiritalem.

2. [33] Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum a Deo factum: ea autem, quæ sunt erga Dominum, non similiter (40) ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Solo autem eo (41)

[32] Cap. XXV. [33] Cap. XXVI.

στώσαιμι, *affirmare non ausim*. Quam quidem lectionem et ego mallem, nisi repugnaret vetus Irenæi interpres.

(33) *Alii vero ex ipsis signant*, etc. Ut videlicet, quemadmodum optime notat Feuardentius, primo occursu ejusdem secum factionis asseclas agnoscerent, consilia communicarent, et promiscuis concubitibus miscerentur.

(34) *Unde et Marcellina*, etc. Ab his non procul recedunt Græca hæc Epiphanii verba: Μαρκελλίνα τις ὑπ' αὐτῶν ἀπατηθεῖσα... ἐν χρόνοις... Ἀνικήτου... ἐν Ῥώμῃ γενομένη... πολλοὺς τῶν ἐκεῖσε λυμηναμένη ἠφάνισε· καὶ ἔνθεν γέγονεν ἡ ἀρχὴ Γνωστικῶν τῶν καλουμένων· ἔχουσι δὲ εἰκόνας ἐνζωγράφους διὰ χρωμάτων, τινὲς δὲ... καὶ λοιπῆς ὕλης, ἃ τινα ἐκτυπώματά φασιν εἶναι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ταῦτα ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου γεγενῆσθαι... ὅτε ἐνεδήμει τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει... ἔχουσιν εἰκόνας... καὶ Φιλοσόφων τινῶν, Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους, καὶ λοιπῶν, μεθ' ὧν καὶ ἕτερα ἐκτυπώματα τοῦ Ἰησοῦ τιθέασιν, ἰδρύσαντές τε προσκυνοῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἔθη λοιπὸν ποιοῦσι.

(35) *Et imagines*. Al. *etiam imagines*.

(36) *Platonis et Aristotelis*. Augustinus lib. *De hær.* non Platonis et Aristotelis, sed Pauli et Homeri imagines memorat a Carpocratianis adoratas, thuraque eis oblata.

(37) *Ignorante eum, qui est super omnia, Deum*. Theodoret. lib. II *Hær. fab.*, c. 3, fere ut Irenæus, scribit: Ἐδίδαξε δὲ οὗτος, ἕνα μὲν εἶναι τὸν τῶν ὅλων Θεὸν, οὐκ αὐτὸν δὲ εἶναι τοῦ κόσμου δημιουργὸν, ἀλλὰ δυνάμεις τινὰς κεχωρισμένας, καὶ παντελῶς αὐτὸν ἀγνοούσας.

(38) *Jesum autem subjecit*, etc. Idem Theodoretus immediate post citata verba: Τὸν Ἰησοῦν δὲ.... ἔφησε κατὰ φύσιν ἐξ ἀνδρὸς γεγεννῆσθαι καὶ γυναικὸς, τοῦ Ἰωσὴφ καὶ τῆς Μαρίας, σωφροσύνῃ δὲ, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς διαπρέψαι. Τὸν δὲ Χριστὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς ἄνωθεν εἰς αὐτὸν κατελθεῖν, καὶ τηνικαῦτα τὸν ἀγνοούμενον κηρύξαι Θεὸν, καὶ.... ἐπιτελέσαι θαυματουργίας.

(39) *Ab hominibus*. Sic quoad vocem *ab* omnes mss., et quoad *hominibus*, vetus Feuard., cod. Clarom., Pass. et Voss. Porro *ab hominibus* hic scriptum pro *præ hominibus*, ut habent Eras., Gallus. et Feuardent., quemadmodum Lucæ XVIII, 14: *Justificatus ab illo*, id est *præ illo*.

(40) *Non similiter*. Particulam negativam expungendam censet Cotelerius in not. ad lib. VI *Constit. apost.*, c. 6. Suspicatur vero Grabius *consimiliter*, pro *non similiter* legendum. Sed vereor ne huic conjecturæ contradicat Epiphanius. Siquidem hær. 50 § 14, postquam dixit *Cerinthum et Carpocratem eodem Matthæi Evangelio fretos, ex ejus initio Christique genealogia probare niti, Christum e Josephi et Mariæ semine esse procreatum*; de Ebionæis statim addit: οὗτοι δὲ ἄλλα τινὰ διανοοῦνται, *illi contra alia quædam statuunt. Nam vanam illam genealogiam amputant*. Et revera § 3 docet, principio quidem Ebionæos Christum e viri semine, nimirum Josephi, genitum affirmasse: verum postea alia de Christo effutire cœpisse, quæ a Carpocratis et Cerinthi dogmatibus immensum distabant. Addunique Theodoretus lib. II, c. 1, et Euseb. lib. III *Hist.*, c. 27, quamdam Ebionæorum classem Servatorem nostrum e virgine natum asseruisse; quod negabant Cerinthus et Carpocrates. Quare cum Irenæus hic de Ebionæis in genere disserat, scribere potuit, imo et debuit, eos non similiter ut Cerinthum et Carpocratem de Domino opinatos fuisse. Itaque haud sollicitanda esse ejus verba censerem.

(41) *Solo autem eo*, etc. Ita fere Eusebius lib. III *Histor.*, c. 27: Οὗτοι δὲ μὲν Ἀποστόλου πάσας τὰς ἐπιστολὰς ἀρνητέας ἡγοῦντο εἶναι, ἀποστατὴν ἀποκαλοῦντες αὐτὸν τοῦ νόμου· Εὐαγγελίῳ δὲ μόνῳ τῷ καθ' Ἑβραίους λεγομένῳ χρῶμενοι.

Digitized by Google

quod est secundum Matthæum, Evangelio utuntur, et apostolum Paulum recusant, apostatam eum legis dicentes. Quæ autem sunt prophetica, curiosius exponere nituntur; et circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus, quæ sunt secundum legem, et Judaico charactere vitæ, uti et Hierosolymam adorent (42), quasi domus sit Dei.

3. [35] Nicolaitæ autem magistrum quidem habent Nicolaum, unum ex VII qui primi ad diaconium ab apostolis ordinati sunt: qui indiscrete vivunt. Plenissime autem per Joannis Apocalypsin manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in morchando, et idolothyton edere. Quapropter dixit et de iis sermo: *Sed hoc habes quod odisti opera Nicolaitarum, quæ et ego odi* [36].

A

CAPUT XXVII [37].
De Cerdone et Marcione.

1. Κέρδων δέ τις (43) ἀπὸ τῶν περὶ τὸν Σίμωνα τὰς ἀφορμὰς λαβών, καὶ ἐπιδημήσας ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Ὑγίνου, ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπικῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἔχοντος, ἐδίδαξε τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένον Θεὸν, μὴ εἶναι Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τὸν μὲν γὰρ γνωρίζεσθαι, τὸν δὲ ἀγνῶτα εἶναι· καὶ τὸν μὲν δίκαιον, τὸν δὲ ἀγαθὸν ὑπάρχειν.

1. Et Cerdon autem quidam (44) ab iis qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cum venisset Romam sub Hygino, qui octavum locum (45) episcopatus per successionem ab apostolis habuit, docuit eum **106** qui a lege et prophetis annuntiatus sit Deus, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Hunc enim cognosci, illum autem ignorari: et alterum quidem justum, alterum autem bonum esse.

B

Διαδεξάμενος δὲ αὐτὸν Μαρκίων ὁ Ποντικὸς, ηὔξησε τὸ διδασκαλεῖον, ἀπηρυθριασμένως βλασφημῶν.

2. [38] Succedens autem ei Marcion Ponticus ad ampliavit doctrinam, impudorate blasphemans eum, qui a lege et prophetis annuntiatus est Deus; malorum factorem, et bellorum (46) concupiscentem, et inconstantem quoque sententia, et contrarium sibi ipsum dicens. Jesum autem ab eo Patre, qui est super mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati præsidis, qui fuit procurator Tiberii Cæsaris, in hominis forma manifestatum his qui in Judæa erant, dissolventem prophetas et legem, et omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem et Cosmocratorem dicit. Et super hæc, id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quæ sunt de generatione Domini conscripta auferens (47), et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem (48) hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est; semetipsum esse veraciorem, quam sunt hi, qui Evangelium tradiderunt, apostoli, suasit discipulis suis; non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens eis. Similiter autem et apostoli Pauli Epistolas abscidit, auferens quæcunque manifeste dicta sunt ab Apostolo de eo Deo, qui mundum fecit, quoniam hic Pater Domini nostri Jesu Christi, et

C

[35] Cap. XXVII. [36] Apoc. II, 6. [37] Cap. XXVIII. [38] Cap. XXIX.

(42) *Et Judaico charactere vitæ, uti et Hierosolymam adorent.* Sic Clarom., Arund. et Merc. 2. In Eras., Gall. et Feuard. perperam omnino *et Judaico charactere vitæ uti, et Hierosolymam adorant.*

(43) *Κέρδων δέ τις* etc. Hæc Eusebius lib. IV *Hist.*, cap. 11, ex Irenæo transcripsit.

(44) *Quidam.* Ita Eras., Gall., Clarom. et Pass. juxta Græcum. At in Feuard., Oxon. et Valesiana Eusebii versione perperam, *quidem*; quod erratum cum animadverterit Grabius, mirum cur ex Eras. saltem et Gallas. non correxerit.

(45) *Octavum locum.* Sic cod. Pass., cæteri vero cum edit. tum mss. *nonum locum.* Sed priorem lectionem licet textui Græco repugnantem eo fidentius sequor quod constare mihi videatur, Eusebium vitiosis deceptum exemplaribus perperam in citato cap. 11 bis scripsisse ἔνατον, Irenæo scilicet repugnante. Argumentum est 1° quod vetus interpres Irenæi verba lib. III, cap. 4, n. 3, ab Eusebio relata initio capitis 11 vertens, legerit ὄγδοος, non ἔνατος; vertit enim, *octavus.* 2° et id præcipuum est, Irenæus ipse, ejusdem libri cap. 3 (cujus verba citat Eusebius lib. V *Hist.*, c. 6), Romanos pontifices ordine referens, sextum ab apostolis Xystum recenset, ἕκτος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων καθίσταται Ξύστος, tum Telesphorum, ac deinde Hyginum, qui proinde octavus est. Hunc excipit Pius, istum Anicetus, cui succedit Soter, ac tandem δωδεκάτῳ τόπῳ, *duodecimo loco*, Eleutherius. Nihil clarius. Ut ergo Irenæus cum Irenæo consentiat, ubique legendum ὄγδοος, *octavus*, non ἔνατος, *nonus.* Equidem scio et Cyprianum epist. 74 ad P[illegible]pcium, et Epiphanium hær. 41 et 42, Hyginum nono loco inter pontifices Romanos numerasse, doctissimumque Cotelerium in suis ad lib. VII *Constit. apost.*, c. 46, notis legentem apud Irenæum lib. I, c. 27 al. 28, ἔνατον, et lib. III, c. 4 ὄγδοος, hæc secum invicem conciliare niti, dicendo Hyginum et octavum et nonum nuncupari potuisse, sed diversa ratione: nonum numerato, octavum omisso Petro: celebrem quippe morem esse apostolos indiculis antistitum præfigere, aut ex iis eximere. De more veteribus solemni cum eruditissimo viro contendere mens non est: sed hoc, si priori loco *nonum* legamus, solvi nodum posse non putem. Neque enim simpliciter scribit Irenæus, *nonum locum episcopatus*, sed addit, *per successionem ab apostolis*: quo loquendi modo apostolos ab indiculo perspicue removet. Tutius ergo, et ad Irenæi mentem accommodatius, et hic ex Pass. cod. reponere *octavum*, pro *nonum.*

D

(46) *Bellorum.* Clarom., Pass., et Voss., *bellatorum.*

(47) *Auferens.* Quid ab Evangelio Lucæ, divique Paul. Epistolis effreni audacia resecasset, quid addidisset, immutasseque perfidus impostor, fuse satis descriptum reperies apud Epiphanium hær. 42, § 11. Hominis facinus frequenter arguit Tertullianus.

(48) *In quibus manifestissime conditorem*, etc. Digitum intendit Irenæus in ea Christi verba Luc. X, 21, quæ misere ab hæretico depravata leguntur apud Epiphanium loco cit. Nam pro *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ*, legebat Marcion, *Gratias ago tibi, Domine cœli*, cæteris vocibus omissis.

Digitized by Google

quæcunque ex propheticis memorans Apostolus docuit, prænuntiantibus adventum Domini (49).

3. Salutem autem solum animarum esse futuram, earum quæ ejus doctrinam didicissent (50), corpus autem, videlicet quoniam a terra sit sumptum, impossibile esse participare salutem. Super blasphemiam autem quæ est in Deum, adjecit et hoc, vere diaboli os accipiens, et omnia contraria dicens veritati: Cain, et eos (51) qui similes sunt ei, et Sodomitas, et Ægyptios, et similes eis, et omnes omnino gentes, quæ in omni permistione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, cum descendisset ad inferos, et accucurrissent ei, et in suum assumpsisse regnum: Abel autem, et Enoch, et Noe, et reliquos justos, et eos qui sunt erga Abraham patriarcham (52), cum omnibus prophetis, et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem, qui in Marcione fuit serpens præconavit. Quoniam enim sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos; et tunc tentare eum (53) suspicati, non accucurrerunt Jesu, neque crediderunt annuntiationi ejus: et propterea remansisse animas eorum apud inferos dixit.

4. Sed huic quidem, quoniam et solus (54) manifeste ausus est circumcidere Scripturas, et impudorate super omnes obtrectare Deum, seorsum contradicemus, ex ejus scriptis arguentes eum; et ex his sermonibus, qui apud eum observati sunt, Domini et Apostoli, quibus ipse utitur, eversionem ejus faciemus, præstante Deo. Nunc autem necessario meminimus ejus, ut scires quoniam omnes qui quoquo modo adulterant veritatem, et præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis Samaritani Magi discipuli et successores sunt. Quamvis non confiteantur nomen magistri sui, ad seductionem reliquorum; attamen illius sententiam docent: Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum proferentes (55), Simonis autem impietatem varie introducentes, mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam male disperdentes, et per dulcedinem et decorem nominis, amarum et malignum principis apostasiæ serpentis venenum porrigentes eis.

[a] Cap. XXX. [b] Cap. XXXI.

CAPUT XXVIII [a].

De Tatiano, et Continentibus, ac aliis quibusdam.

1. Ab his autem, qui prædicti sunt, jam multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes velint (56) doctores esse, et abscedere quidem ab hæresi in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove (57) docere insistunt, semetipsos adinventores sententiæ, quamcunque compegerint, enarrantes. Ut exempli gratia dicamus:

ἀπὸ Σατορνίνου (58) καὶ Μαρκίωνος οἱ καλούμενοι Ἐγκρατεῖς ἀγαμίαν ἐκήρυξαν, ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἠρέμα κατηγοροῦντες τοῦ ἄρρεν καὶ θῆλυ εἰς γένεσιν ἀνθρώπων πεποιηκότος· καὶ τῶν λεγομένων παρ' αὐτοῖς ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, ἀχαριστοῦντες τῷ πάντα πεποιηκότι Θεῷ. Ἀντιλέγουσί τε τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ· καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη παρ' αὐτοῖς, Τατιάνου τινὸς πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν. Ὃς Ἰουστίνου ἀκροατὴς γεγονὼς, ἐφόσον μὲν συνῆν ἐκείνῳ, οὐδὲν ἐξέφηνε τοιοῦτον· μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς Ἐκκλησίας, οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς, ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν, ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο· Αἰῶνάς τινας ἀοράτους, ὁμοίως τοῖς ἀπὸ Οὐαλεν-

a Saturnino et Marcione, **107** qui vocantur Continentes, abstinentiam a nuptiis annuntiaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, et oblique accusantes eum, qui et masculum et feminam ad generationem hominum fecit: et eorum quæ dicuntur apud eos animalia abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei, qui omnia fecit, Deo. Contradicunt quoque ejus saluti, qui primus plasmatus est: et hoc nunc (59) adinventum est apud eos, [b] Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam. Qui cum esset Justini auditor, in quantum quidem apud eum erat nihil enarravit tale: post vero illius martyrium absistens ab Ecclesia et præsumptione magistri (60) elatus et inflatus, quasi præ cæteris esset, proprium characterem doctrinæ constituit:

(49) *Prænuntiantibus adventum Domini. Domini* loco *Dei* cum Grabio scribo ex Clarom. et omn. Anglic.

(50) *Didicissent. Audissent* exstat in marg. editt. Eras., Gall. et Feuard.

(51) *Cain et eos*, etc. Græca hujus loci, paucis omissis, leguntur apud Theodoretum lib. I *Hær. fab.*, c. 21: Οὗτος τὸν μὲν Κάϊν, καὶ τοὺς Σοδομίτας, καὶ τοὺς δυσσεβεῖς ἅπαντας σωτηρίας ἔφησεν ἀπολελαυκέναι, προσεληλυθότας ἐν τῷ ᾅδῃ τῷ Σωτῆρι Χριστῷ, καὶ εἰς τὴν βασιλείαν ἀναληφθῆναι· τὸν δὲ Ἄβελ, καὶ τὸν Ἐνὼχ, καὶ τὸν Νῶε, καὶ τοὺς πατριάρχας τε, καὶ τοὺς λοιποὺς προφήτας, καὶ τοὺς δικαίους, οὐ μεταλαχεῖν τῆς ἐκείνοις δεδομένης ἐλευθερίας, προσδραμεῖν αὐτῷ μὴ βουληθέντας. Οὗ δὴ χάριν, φησὶ, καὶ τὸν ᾅδην οἰκεῖν κατεκρίθησαν.

(52) *Qui sunt erga Abraham patriarcham.* Ita Feuard. in marg. Clarom., Voss. et Pass.; cæteri *patriarchas.* Melius autem vertisset interpres: *eos qui ex Abrahamo patriarcha orti sunt.*

(53) *Eum.* Feuard. in marg., Voss. et Grab. *eos.*

(54) *Quoniam et solus.* Pass. et Feuard. in marg., *quomodo et solus.*

(55) *Proferentes.* Editt. *præferentes;* minus bene, ut attendenti patebit.

(56) *Velint.* In Eras., Arund. et Merc. 2, *volunt.*

(57) *Nove.* Editt. Eras., Gall. et Feuard., *nova.*

(58) *Ἀπὸ Σατορνίνου*, etc. Hæc, et quæ de Tatiano sequuntur Græca ex Irenæo refert Eusebius lib. IV *Hist.*, c. 29.

(59) *Nunc.* Melius vertisset interpres, *nuper.* Ut enim scite observat Valesius, νῦν apud Græcos interdum idem valet ac *nuper;* et ita hoc in loco sumitur ab Irenæo.

(60) *Magistri.* Alii, *magisterii.*

Digitized by Google

τίνου, μυθολογήσας· τὸν γάμον τε φθορὰν καὶ πορνείαν, παραπλησίως Μαρκίωνι καὶ Σατορνίνῳ, ἀναγορεύσας· τῇ δὲ τοῦ Ἀδὰμ σωτηρίᾳ παρ' ἑαυτοῦ τὴν αἰτιολογίαν ποιησάμενος.

Æonas quosdam invisibiles, similiter atque hi qui a Valentino sunt, velut fabulam enarrans (64): nuptiarum(62)autem corruptelas et fornicationes, similiter ut Marcion et Saturninus, dicens (63); Adæ autem salute ex se contradictionem (64) faciens.

A

2. [61] Alii autem rursus a Basilide et Carpocrate occasiones accipientes, indifferentes coitus (65), et multas nuptias induxerunt, et negligentiam ipsorum, quæ sunt idolothyta, ad manducandum; non valde hæc curare dicentes Deum. Et quid enim? non est (66) numerum dicere eorum, qui secundum alterum et alterum modum exciderunt a veritate.

B

CAPUT XXIX [62].

De variis Gnosticorum sectis, ac primo de Barbeliotis, seu Borborianis.

1. Super hos autem ex his, qui prædicti sunt Simoniani, multitudo Gnosticorum, Barbelo exsurrexit, et velut a terra fungi (67) manifestati sunt, quorum principales apud eos sententias enarramus. Quidam enim eorum (68) Æonem quemdam (69) nunquam senescentem in virginali spiritu subjicient (70), quem Barbelon nominant. Ubi esse patrem quemdam innominabilem dicunt; voluisse autem hunc manifestare se ipsi Barbeloni. Eunoeam autem hanc progressam stetisse in conspectu ejus, et postulasse Prognosin. Cum prodiisset autem et Prognosis, his rursum petentibus prodiit (71) Incorruptela, post deinde Vita æterna; in quibus gloriantem Barbelon. et prospicientem in magnitudine (72) et conceptu, delectatam in hanc gene resse simile ei lumen. Hanc initium (73) et luminationis, et generationis omnium dicunt; et videntem Patrem lumen hoc, unxisse illud sua benignitate, ut perfectum fieret. Hunc autem dicunt esse Christum: qui rursus postulat (74), quemadmodum dicunt, adjutorium sibi dari Nun; et progressus est Nus. Super hæc autem emittit Pater Logon. Conjugationes autem fient Ennoiæ et Logi, et Aphtharsias et Christi: et æonia autem Zoe Thelemati conjuncta est, et Nus Prognosi. Et magnificabant hi magnum lumen et Barbelon.

108 2. Post deinde (75) de Ennoia et de Logo Autogenem emissum dicunt, ad repræsentationem magni luminis; et valde honorificatum dicunt, et omnia huic subjecta. Coemissam autem ei Alethiam et esse conjugationem Autogenus et Alethiæ. De lumine autem, quod est Christus, et de incorruptela, quatuor emissa luminaria ad circumstantiam Autogeni dicunt; et de Thelemate rursus et æonia Zoe quatuor emissiones factas, ad subministrationem quatuor luminaribus, quas nominant, Charin, Thelesin, Synesin, Phronesin. Et Charin quidem magno et primo luminario adjunctam; hunc autem esse Sotera volunt, et vocant eum Harmogenes (76):

[61] Cap. XXXII. [62] Cap. XXXIII.

(61) *Velut fabulam enarrans.* Melius unica voce, *commentus*, Græcam μυθολογήσας reddidisset interp.

(62) *Nuptiarum.* Feuard. et Grab. citra ullius ms. codicis auctoritatem, et necessitatem, reposuerunt *nuptias.*

(63) *Dicens.* Græc. ἀναγορεύσας, pro quo in mss. quibusdam codd. legi ἀπαγορεύσας, notat Valesius ad cap. 29 lib. IV *Hist.* Eusebii. Sed vera lectio est, ἀναγορεύσας, quod vertendum erat, *prædicans*, non, *dicens.*

(64) *Contradictionem.* Hinc liquet interp. legisse, ἀντιλογίαν, et quidem melius forte quam Eusebius, qui scripsit αἰτιολογίαν. Nam paulo ante eodem sensu scripsit Irenæus: ἀντιλέγουσι τῇ τοῦ πρωτοπλάστου σωτηρίᾳ. Vide Valesii notam in hunc locum.

(65) *Coitus.* Clarom. et Pass., *cœtus.*

(66) *Et quid enim? non est*, etc. Feuard. edit. minus recte, *Et quid? etenim non est numerum dicere*, etc. In Pass. bene, *et quid demum? non est*, etc.

(67) *Velut a terra fungi*, etc. Ad hæc respiciebat Epiphanius, cum hær. 31, § 1, de Gnosticis omnibus scribebat: ἐν ἑνὶ γὰρ χρόνῳ οὗτοι πάντες ὡς μύκητες ἐκ γῆς ἀνεβλάστησαν.

(68) *Quidam enim eorum.* Hos Theodoretus lib. I *Hæret. fabul.*, cap. 13, appellat Βαρβηλιωτὰς, Βορβοριανοὺς, Νασσινοὺς, Στρατιωτικοὺς, Φιβιονίτας; sic enim legendum, non Φημιονίτας, uti ex Epiphanio constat hær. 25. § 2, quanquam tamen ibidem Epiphanius distinguere videatur inter Phibionitas et Stratioticos, seu Militares, quasi duæ essent distinctæ hæreticorum species.

(69) *Æonem quemdam*, etc. Ad hæc prope accedunt Græca Theodoreti verba loc. cit., nisi quod Irenæi quædam omisit, alia minus recte accepit. Ὑπέθεντο γὰρ Αἰῶνά τινα ἀνώλεθρον (Iren. ἀγήρατον) ἐν παρθενικῷ διάγοντα πνεύματι, ὃ (leg. ὃν) Βαρβηλὼθ ὀνομάζουσι· τὴν δὲ Βαρβηλὼθ (Irenæus, τὴν δὲ Ἔννοιαν) αἰτῆσαι πρόγνωσιν παρ' αὐτοῦ· προελθούσης δὲ ταύτης, εἶτ' αὖθις αἰτησάσης (Iren. τούτων αὖθις αἰτησασῶν) προελήλυθεν ἀφθαρσία, ἔπειτα αἰωνία ζωή· εὐφρανθεῖσαν δὲ τὴν Βαρβηλὼθ, ἐγκύμονα γενέσθαι, καὶ ἀποτεκεῖν τὸ φῶς· τοῦτο, φασὶ, τῇ τοῦ πνεύματος (ex Cotelerii not. ad tom. I *Monument. Ecclesiæ Græcæ*, col. 764, lege πατρὸς) χοισθὲν ταλειότητι, ὀνομασθῆναι Χριστόν.

(70) *Subjicient.* Græcum, ὑπέθεντο, vertendum erat, *supponunt.*

(71) *Prodiisset... prodiit.* Cod. Pass., *produxisset... prodidit.* Consentit quoad ultimam vocem Clarom.

(72) *Magnitudine.* Clarom. et Pass., *magnitudinem*, bene quidem, si sequeretur *conceptum.*

(73) *Hanc initium.* Græce, ait Grabius, ταύτην ἀρχήν, quod vertendum fuisset, *hoc initium*, sive, *principium.* Sed sequentia demonstrare videntur pronomen, *hanc*, referendum esse ad Barbelonem, quæ, juxta eorum hæreticorum hypothesim, generationis omnium principium erat, potiori jure quam Christus.

(74) *Qui rursus postulat*, etc. Theodoret. loc. cit.: Οὗτος πάλιν ὁ Χριστὸς ἐπήγγειλεν Νοῦν, καὶ ἔλαβεν· ὁ δὲ Πατὴρ προσέθεικε καὶ Λόγον· εἶτα συνεζύγησαν Ἔννοια καὶ Λόγος, Ἀφθαρσία καὶ Χριστὸς, Ζωὴ αἰώνιος καὶ τὸ Θέλημα, ὁ Νοῦς καὶ ἡ Πρόγνωσις.

(75) *Post deinde*, etc. Theodoret.: Ἔπειτα πάλιν, ἐκ τῆς Ἐννοίας καὶ τοῦ Λόγου προβληθῆναί φασι τὸν Αὐτογενῆ, καὶ σὺν αὐτῷ τὴν Ἀλήθειαν, καὶ γενέσθαι πάλιν συζυγίαν ἑτέραν Αὐτογενοῦς καὶ Ἀληθείας.

(76) *Harmogenes.* Sic omnes mss., sed editi. Eras.,

Digitized by Google

Thelesin autem secundo, quem et nominant Raguel : Synesin autem tertio luminario, quem vocant David (77) : Phronesin autem quarto, quem nominant Eleleth.

3. Confirmatis igitur sic omnibus, super hæc emittit Autogenes (78) hominem perfectum et verum, quem et Adamantem vocant : quoniam neque ipse domatus est, neque il ex quibus erat, qui et remotus est cum primo lumine ab Harmoge (79). Emissam autem (80) cum homine ab Autogene agnitionem perfectam, et conjunctam ei (unde et hunc agnovisse eum qui est super omnia) : virtutem quoque ei invictam datam a virginali spiritu : et refrigerant (81) in hoc omnia hymnizare magnum Æona. Hinc autem (82) dicunt manifestatam Matrem, Patrem, Filium : ex Anthropo autem et Gnosi natum lignum, quod et ipsum Gnosim vocant.

4. Deinde ex primo angelo, qui adstat Monogeni, emissum dicunt Spiritum sanctum, quem et Sophiam et Prunicum vocant (83). Hunc igitur videntem reliqua omnia conjugationem habentia, se autem sine conjugatione, quæsisse cui adunaretur : et cum non inveniret, asseverabat (84), et extendebatur, et prospiciebat ad inferiores partes, putans hic invenire conjugem : et non inveniens exsilii (85), tædiata quoque, quoniam sine bona voluntate Patris impetum fecerat. Post deinde simplicitate et benignitate acta generavit opus (86), in quo erat ignorantia et audacia. Hoc autem opus ejus esse Proarchontem (87) dicunt, fabricatorem conditionis hujus : virtutem autem magnam abstulisse eum a matre narrant, et abstitisse (88) ab ea in inferiora, et fecisse firmamentum cœli, in quo et habitare dicunt eum. Et cum sit ignorantia, fecisse eas, quæ sunt sub eo, potestates, et angelos, et firmamenta, et terrena omnia. Deinde dicunt adunitum eum authadiæ (89), generasse kakian, zelon, et phthonum, et erinnyn, et epithymiam. Generatis autem his, mater Sophia contristata refugit, et in altiora secessit, et fit deorsum numerantibus octonatio. Illa igitur secedente, se solum opinatum (90) esse, et propter hoc dixisse : *Ego sum Deus zelator* (91), *et præter me nemo est* [a]. Et hi quidem talia mentiuntur.

CAPUT XXX [b].

De Ophitis et Sethianis.

1. Alii (92) autem rursus portentuosa loquuntur, esse quoddam primum lumen in virtute Bythi (93), beatum, et incorruptibile, et interminatum : esse autem

[a] Exod. xx, 5 ; Isa. xlv, 5, 6, xlvi, 9. [b] Cap. XXXIV.

Gallas. et Feuard., *Harmogen*. Ad id nomen et similia respexisse videtur Hieronymus, cum epist. 53, al. 29, ad Theodoram viduam de Lucinio scripsit : *Nequaquam suscipiens Armagil, Barbelon, Balsamum, et ridiculum Leusiboram, cæteraque magis portenta, quam nomina, quæ ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, et quasi de Hebraicis fontibus hauriunt, barbaro simplices quosque terrentes sono, ut quod non intelligunt plus mirentur.*

(77) *David*. In margine edit. Eras. legitur : alias *Dadud*.

(78) *Emittit Autogenes*. Theodoretus Græce scripsit : Τὸν Αὐτογενῆ προβαλέσθαι ἄνθρωπον τέλειον καὶ ἀληθῆ, ὃν καὶ Ἀδάμαντα καλοῦσι.

(79) *Harmoge*. In Arund. et Merc. 2, *Harmoze* ; in Clarom. et Pass., *Armoze*.

(80) *Emissam autem*, etc. Theodoretus : προβεβλῆσθαι δὲ σὺν αὐτῷ καὶ ὁμόζυγα γνῶσιν τελείαν.

(81) *Refrigerant*. Colligit Grabius ex vet. Glossario, in Græco Irenæi textu fuisse verbum, ἠγαλλιάσαντο, quod proinde reddere debuisset interp. *gestierunt*. Colligerem ego ex parallelo loco, cap. 11 : Καὶ ἀναπαυσάμενα τελέως, μετὰ μεγάλης χαρᾶς φησὶν ὑμνῆσαι τὸν Προπάτορα, et *requiescentia ad perfectum*, (tandem) *cum magno gaudio dicunt hymnizare Propatorem*, interpretem et hic legisse, ἀναπαύονται. Verbum enim ἀναπαύεσθαι, *requiescere*, reddere amat, *refrigerare*, ut patet ex cap. 7 et 8, unde vertendum ei fuisset, *requiescunt in hoc omnia hymnizantia*, etc.

(82) *Hinc autem*, etc. Theodoretus : Ἐντεῦθεν πάλιν ἀναδειχθῆναι μητέρα, πατέρα καὶ υἱόν· ἐκ δὲ τοῦ ἀνθρώπου καὶ τῆς γνώσεως βεβλαστηκέναι ξύλον, γνῶσιν δὲ καὶ τοῦτο προσαγορεύουσιν· ἐκ δὲ τοῦ πρώτου Ἀγγέλου προβληθῆναι λέγουσι Πνεῦμα ἅγιον, ὃ Σοφίαν καὶ Προύνικον προσηγόρευσαν.

(83) *Prunicum*. De vocis illius significatione id observare sufficiat, obscenam esse, testibus Epiphan. hær. 26, § 4, et Niceta lib. 1 *Thesauri*.

(84) *Asseverabat*. Conjicit Grabius Irenæum scripsisse, διισχυρίζετο. Quæ quidem doctissimi viri conjectura hactenus satis arridet. Sed quod addit, διισχυρίζομαι, hic accipiendum pro ἀμφιβάλλω (ut interdum accipi patet, non ex Suidæ modo, sed et ex vulgatis Lexicis), *ambigo*, *animi pendeo*, ut non contemnendum, non tamen adeo placet. In id magis propendeo, διισχυρίζομαι, vel ἰσχυρίζομαι (quo etiam uti potuit Irenæus), hic significare, *niti*, *impetum facere*. Idque colligo ex eo quod statim additur : *quoniam impetum fecerat*. Quod proxime accedit ad *naturalem* illum Valentinianorum Sophiæ *impetum*, quo et ipsa *extendebatur*, de quo cap. 11. Eadem enim utrobique fabula esse videtur, nisi quod hic paululum immutetur. Itaque vertere debuisset interpres, *impetum faciebat*.

(85) *Exsilii*. Melius forte, *resilii*.

(86) *Generavit opus*, etc. Theodoret. : Ταύτην φασὶν ἐφιεμένην ὁμόζυγον, ἔργον ἀποκυῆσαι ἐν ᾧ ἦν ἄγνοια καὶ αὐθάδεια. Τὸ δὲ ἔργον τοῦτο Πρωτάρχοντα καλοῦσι, καὶ αὐτὸν εἶναι λέγουσι τῆς κτίσεως ποιητήν.

(87) *Proarchontem*. Ex Theodoreto mox cit. lege *Protarchontem*.

(88) *Abstitisse*. Eras., Gall. et Feuard. perperam, *abstulisse*.

(89) *Authadiæ*. Sic recte codd. Clarom., Pass. et Voss. cum edit. Oxon. juxta Græca hæc Theodoreti : τοῦτον δὲ τῇ αὐθαδείᾳ συναφθέντα, τὴν κακίαν ἀπογεννῆσαι. At in omnibus aliis editt. vitiose habetur, *Atabadiæ* ; in Arund. vero, *authabadiæ*.

(90) *Se solum opinatum*. In Pass. et Voss., *solum opinantem*.

(91) *Zelator*. In editt. ut et Exod. xx, 5, *Zelotes*.

(92) *Alii*. Sethiani sunt, ex Theodoreto lib. 1 *Hæretic. Fab.*, c. 14, quos, inquit, Ophianos, vel Ophitas quidam *vocant*. Epiphanius tamen hær. 37 et 39, Sethianos ab Ophitis distinguit : quanquam maxima pars dogmatum quæ Ophitis tribuit, ea ipsa sint, quæ hic, auctorum tacito nomine, refert Irenæus : forte quia utrisque hæreticis communia erant.

(93) *In virtute Bythi*. l. c. ex Theodoreto, ἐν Βυθῷ τὴν οἴκησιν ἔχον, *in Bytho domicilium habens*.

Digitized by Google

hoc Patrem omnium, et invocari (94) primum hominem. Ennœam autem ejus (95) progredientem, filium dicunt emittentis, 109 et esse hanc filium (96) hominis, secundum hominem. Sub his autem Spiritum sanctum esse, et sub superiori spiritu segregata elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos, super quæ ferri Spiritum dicunt, primam feminam eum vocantes (97). Postea, dicunt, exsultante primo homine cum filio suo super formositatem (98) Spiritus, hoc est, feminæ, et illuminante (99) eam, generavit ex ea lumen incorruptibile, tertium masculum, quem Christum vocant, filium primi et secundi hominis, et Spiritus sancti, primæ feminæ.

2. Concumbentibus autem patre et filio feminæ, quam et matrem viventium dicunt, cum [autem (1)] non potuisset portare, nec capere magnitudinem luminum, superrepletam et superebullientem secundum sinisteriores partes dicunt: et sic quidem filium eorum solum Christum, quasi dextrum, et in superiora allevatitium, arreptum statim cum matre in incorruptibilem Æonem. Esse autem hanc et veram, et sanctam Ecclesiam, quæ fuerit appellatio, et conventio, et adunatio Patris omnium primi hominis, et Filii secundi hominis, et Christi filii eorum, et prædictæ feminæ.

3. Virtutem autem (2), quæ superebulliit ex feminina, habentem (3) humectationem luminis, a patribus decidisse deorsum docent, sua autem voluntate habentem humectationem luminis: quam (4) et sinistram, et Prunicon, et Sophiam, et masculo-feminam vocant. Et descendentem simpliciter (5) in aquas, cum essent immobiles, et movisse (6) quoque eas, petulanter agentem usque ad abyssos: et assumpsisse ex eis corpus. Humectationi enim luminis ejus omnia accurrisse, et adhæsisse dicunt, et circumtenuisse eam: quam nisi habuisset, tota absorpta fortasse fuisset et demersa a materia. Deligatam igitur hanc a corpore, quod erat a materia, et valde gravatam resipisse (7) aliquando, et conatam esse fugere aquas, et ascendere ad matrem: non potuisse eam autem propter gravedinem circumpositi corporis. Valde autem male se habentem, machinatam esse abscondere illud, quod erat desuper, lumen; timentem ne et ipsum læderetur ab inferioribus elementis, quemadmodum et ipsa. Et cum virtutem accepisset ab humectatione ejus, quod erat secundum eam lumen, resiliit (8), et in sublimitatem elata est: et facta in alto dilatavit, et cooperuit (9), et fecit cœlum hoc, quod apparet, a corpore ejus; et remansit sub cœlo quod fecit, adhuc habens aquatilis corporis typum. Cum accepisset concupiscentiam superioris luminis, et virtutem sumpsisset per omnia, deposuisse (10) corpus et liberatam ab eo. Corpus autem hoc exuisse (11) dicunt eam, feminam a femina nominant.

4. Et filium autem ejus dicunt habuisse et ipsum adspirationem quamdam in se incorruptelæ a matre relictam ei, per quam operatur, et potens factus emisit et ipse, sicut dicunt, ab aquis filium sine matre: neque enim cognovisse matrem eum volunt. Et filium ejus, secundum patris imitationem, alterum emisisse filium. Hic quoque tertius quartum generavit, et quartus et ipse generavit filium; de quinto sextum filium generatum dicunt; et sextus septimum generavit. Sic quoque hebdomada perfecta est apud eos, octavum matre habente locum: et quemadmodum generationibus, sic et dignitatibus, et virtutibus præcedere eos ab invicem.

(94) *Invocari.* In Feuard. et Oxon. edilt, *vocari*, sed citra ms. codicis auctoritatem. *Invocari* autem, hic accipitur pro *vocari*.

(95) *Ennœam autem ejus.* etc. Ita fere Theodoretus: Τὴν δὲ ἔννοιαν αὐτοῦ, Υἱὸν ἀνθρώπου καλοῦσι, καὶ δεύτερον ἄνθρωπον· μετὰ δὲ τοῦτον ὑπάρχειν τὸ ἅγιον Πνεῦμα, κάτω δὲ τούτων τέσσαρα στοιχεῖα, ὕδωρ, σκότος, ἄβυσσον, χάος. Θῆλυ δὲ τὸ Πνεῦμα καλοῦσι, καὶ τοῖς στοιχείοις ἐπιφέρεσθαι· ἐρασθῆναι δέ φασι τὸν πρῶτον ἄνθρωπον, καὶ τὸν δεύτερον τῆς ὥρας τοῦ Πνεύματος, καὶ παιδοποιῆσαι φῶς, ὃ καλοῦσι Χριστόν· μὴ δυνηθέισαν δὲ βαστάσαι τὴν θήλειαν τοῦ φωτὸς τὴν ὑπερβολήν, ὑπερβύσαι· καὶ τὸν μὲν Χριστὸν σὺν τῇ μητρὶ, εἰς τὸν ἄφθαρτον ἀναπαύεσθαι Αἰῶνα, ἣν καὶ ἀληθινὴν Ἐκκλησίαν καλοῦσι.

(96) *Hunc filium.* Ita codd. Clarom., Pass. et Voss. Cæteri, *hunc*. Porro, *hanc*, refer ad Ennœam.

(97) *Vocantes.* Pass. et Voss. *invocantes*.

(98) *Formositatem.* Ita Clarom., Pass. et Voss Reliqui, *formositate*.

(99) *Illuminante.* Sic restituit Feuard. merito ratus constructionis seriem ablativum postulare. In Eras. autem, Gallas. et omnibus mss. *illuminantem*, manifesta scribarum incuria, ut patet.

(1) *Autem.* Prorsus redundat hæc particula. Extat tamen in omnibus cum editt. tum mss.

(2) *Virtutem autem.* Theodoretus: Τὴν δὲ ἀναβλυθείσαν τοῦ φωτὸς ἰκμάδα ἐκπεσεῖν κάτω φασὶ, καὶ κληθῆναι Σοφίαν, καὶ Προύνικον, καὶ ἀρσενόθηλυν, διαπεχομένην δὲ ἐν τοῖς ὕδασι, προσλαβεῖν μὲν ἐξ αὐτῶν σῶμα, καὶ βαρυνθῆναι, καὶ ὑποβρύχιον κινδυνεῦσαι γενέσθαι.

(3) *Habentem.* Sic recte Grab. ex Feuard. marg. et mss. Arund. et Voss. Consentiunt Clarom. et Pass. faveteque Theodoretus mox cit. In cæteris exemplaribus, *habente*.

(4) *Quam.* Sic mss. In Eras., Gall. et Feuard. corrupte, *quem*.

(5) *Simpliciter.* Græce ἁπλῶς; quod hic vertendum erat, *temere*, non *simpliciter*.

(6) *Movisse.* Particulam *ne*, quæ in omnibus editt. legitur ante *movisse*, expunxi auctoritate codd Clarom. et Pass., repugnat enim Sophiam in aquis petulanter egisse, nec tamen eas movisse.

(7) *Resipisse.* (Pro *resipuisse*.) Ita Clarom. Voss. et Pass. Cæteri omnes perperam, vel *repsisse* vel, *repisse*. Sensus enim est Sophiam, cum a materia deligatam et valde gravatam se sensisset, resipuisse tandem ac pœnituisse, quod in aquas temere descendisset.

(8) *Resiliit.* Epiphan. loco proxime cit., ἐπῆρε δὲ ἑαυτὴν κατὰ βίαν εἰς τὰ ἀνώτερα, καὶ ἐξέτεινεν ἑαυτήν. *Se violenter extulit rursum, et extendit seipsam.*

(9) *Et cooperuit.* Clarius Theodoretus: Καὶ ἐκ τοῦ περικειμένου σώματος κατεσκευάσθαι τὸν οὐρανόν. *Et ex corpore, quo tegebatur, fecit cœlum.*

(10) *Deposuisse.* In codd. omnibus legitur *deposuisset*, aperto scribarum sphalmate.

(11) *Hoc exuisse.* Legendum, *hoc quod exuisse.*

Digitized by Google

5. Et nomina autem (12) mendacio suo talia posuerunt: eum enim qui a matre primus sit, Ialdabaot (13) vocari: eum autem qui sit ab eo, Iao (14); et qui ab eo, Sabaoth magnum (15); quartum autem Adoneum, et quintum Eloeum, et sextum Horeum (16), septimum autem et novissimum omnium Astaphæum (17). Hos autem cœlos, et areothas (18), et Virtutes, et Angelos, et conditores subjiciunt per ordinem sedentes in cœlo, secundum generationem ipsorum, non apparentes (19), regere quoque cœlestia et terrestria: primo ipsorum Ialdabaoth contemnente matrem, in eo quod filios et nepotes sine ullius permissu fecerit, adhuc etiam Angelos, et Archangelos, et Virtutes, et Potestates, et Dominationes. Quibus actis ad litem et jurgium adversus eum (20) conversos esse filios ejus de principatu; propter quæ contristatum 110 Ialdabaoth (21), et desperantem (22), conspexisse in subjacentem fæcem materiæ, et consolidasse concupiscentiam suam in eam, unde natum filium dicunt (hunc autem ipsum esse Nun in figura serpentis (25) contortum): dehinc et Spiritum, et animam, et omnia mundialia: inde generatam omnem oblivionem, et malitiam, et zelum, et invidiam, et mortem. Hunc autem serpentiformem et contortum Nun eorum adhuc magis evertisse Patrem dicunt tortuositate, cum esset cum Patre ipsorum in cœlo et in paradiso.

6. Unde exsultantem Ialdabaoth, in omnibus his quæ sub eo essent gloriatum, et dixisse (24): *Ego Pater, et Deus, et super me nemo.* Audientem autem matrem clamasse adversus eum: *Noli mentiri, Ialdabaoth: est enim super te Pater omnium primus Anthropus, et Anthropus filius Anthropi.* Conturbatis autem omnibus ad novam vocem, et inopinabili nuncupatione, et quærentibus unde clamor; ad advocandos (25) eos, et ad se seducendum (26), dixisse Ialdabaoth (27) dicunt: *Venite, faciamus hominem ad imaginem nostram.* Sex autem Virtutes audientes hæc, matre dante illis excogitationem hominis, uti per eum evacuet eos a principali Virtute, convenientes formaverunt hominem immensum latitudine et longitudine: scarizante autem eo tantum, advexerunt (28) eum patri suo, et hoc Sophia operante, uti et illum evacuet (29) ab humectatione luminis, uti non posset erigi adversus eos, qui sursum sunt (30), habens virtutem. Illo autem insufflante in hominem spiritum vitæ, latenter evacuatum eum a virtute dicunt: hominem autem inde habuisse Nun, et Enthymesin [et hæc esse quæ salvantur, dicunt (31)], et statim gratias agere eum primo homini, relictis fabricatoribus.

7. Zelantem autem Ialdabaoth voluisse excogitare evacuare hominem per feminam, et de sua Enthymesi eduxisse feminam, quam illa Prunicos suscipiens invisibiliter evacuavit a virtute. Reliquos autem venientes et miratos formositatem ejus, vocasse eam Evam, et concupiscentes hanc (32), generasse ex ea (33) filios, quos et angelos

(12) *Et nomina autem*, etc. De nominibus istis Theodoretus: Ἐπέθεσαν δὲ καὶ ὀνόματα τοῖς προειρημένοις υἱοῖς, τῇ Ἑβραΐων χρησάμενοι γλώττῃ, ὧν ἐπιμνησθῆναι περιττὸν ἄγαν ὑπέλαβον. *Imposuerunt autem prædictis filiis ex Hebraica lingua petita nomina, quæ commemorare supervacaneum plane duxi.* Quæ vel commemorare supervacaneum duxit Theodoretus, explicare foret inutilius.

(13) *Ialdabaoth.* Sic Epiphanius scripsit hær. 25, § 3, et hær. 37, § 3; et Tertull. lib. *De præscript.*, c. 47, hancque genuinam lectionem interdum exhibent codd. Clarom., Arund. et Voss.; interdum vero male, *Ialdabooth*, vel, *Ialdaboth.*

(14) *Iao.* De hoc nomine vide quæ diximus sup. ad cap. 4, pag. 19, not.

(15) *Sabaoth magnum.* In Clarom. et Pass. deest, *magnum.*

(16) *Horeum.* Alii, *Oreum.*

(17) *Astaphæum.* Clarom. *Adstapeum*; Pass. et Voss. *Artapheum.*

(18) *Areothas.* Sic omnes mss. cum edit. Oxon. In cæteris, *arotheas.* Sed forte legendum, *Aretas*; id enim recte convenit cum sequentibus: *et virtutes*, etc.

(19) *Non apparentes.* In Eras., Gall. et Feuard. deest, *non.*

(20) *Adversus eum.*; Clarom., Pass., Voss. et Merc. 2, *adversus eos*, sed perperam, ut patet ex his Theodoreti verbis: διαστασιάσαι δέ φασι τοὺς ἄλλους πρὸς τὸν πρῶτον· τῶν μὲν ὄντα πάππον, τῶν δὲ ἐπίπαππον, ἐνίων δὲ πρόγονον.

(21) *Contristatum Ialdabaoth*, etc. Ita fere Theodoretus statim post proxime citata verba: Τὸν δὲ ἀθυμήσαντα εἰς τὴν τρύγα τῆς ὕλης ἐρεῖσθαι τὴν ἔνοιαν, καὶ γεννῆσαι τὸν υἱὸν ὁφιόμορφον ἐξ αὐτῆς. Nec procul ab his discedit Epiph. hær. 37, § 4: Ἐπέβλεψε κάτω ἐν πικρίᾳ πρὸς τὴν ὑποστάθμην τῆς ὕλης, καὶ γεγέννηκε δύναμιν ὁφιόμορφον εἰδέαν ἔχουσαν, ἣν καὶ υἱὸν αὐτοῦ καλοῦσι.

(22) *Desperantem.* Alii, *desperatum.*

(25) *Hunc autem esse Nun in figura serpentis*, etc. Id erroris portentum Ophitis adscribunt Epiph. hær. mox citata, Tertull. lib. *De præscript.*, cap. 47, Clemens Alexand. lib. VII *Strom.*, Philastrius, August., etc.

(24) *Gloriatum, et dixisse*, etc. Theodoret. Græce: Εἶτα καυχώμενον τὸν τοῦ ὀφιομόρφου πατέρα εἰπεῖν· « Ἐγὼ θεὸς καὶ Πατὴρ, καὶ ὑπὲρ ἐμὲ οὐδείς· » τὴν δὲ μητέρα δυσχεράνασαν ἐπιβοῆσαι αὐτῷ· « Μὴ ψεύδου, ἔστι γὰρ ὑπέρ σε πατὴρ ἁπάντων, πρῶτος ἄνθρωπος (addit Irenæus, quod forte a Theodoreti scribis omissum, καὶ ἄνθρωπος), υἱὸς ἀνθρώπου. »

(25) *Ad advocandos.* In Arund. perperam, *advocans.* Reliqui, et *ad vocandos.*

(26) *Ad se seducendum.* Sic ex cod. Clarom. reposui, pro, *ad esse seducendum*, ut corrupte habent Eras. et Gallas. vel, *ad seducendum*, ut habent alii. Nostramque lectionem confirmant quæ sequuntur: *uti per eum evacuet eos a principali Virtute.* Nam *ad se seducendum* ponitur pro *ut eos a principali Virtute divelleret, et in suas partes perduceret.*

(27) *Dixisse Ialdabaoth*, etc. Theodoret. Ἔφη, Δεῦτε, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμῶν.

(28) *Advexerunt.* Sic ex codd. Clarom., Pass. et Voss. reposui. Cæteri, *adduxerunt.* Sed prior lectio magis congruit cum præced. *scarizante*, seu *replante.*

(29) *Uti et illum evacuet*, etc. Epiphan. hær. 37, § 4: βουλομένη κενῶσαι τὸν Ἰαλδαβαὼθ ἀπὸ τῆς αὐτῆς δυνάμεως.

(30) *Eos qui sursum sunt.* In aliis, *eum qui sursum est.*

(31) *Dicunt. Ut* ante *dicunt* addunt Eras., Gall. et Feuard.

(32) *Hanc. Eam* ante *hanc* delemus, quia plane abundat, et deest in omnibus mss.

(33) *Ex ea. Sibi* additum in edit. ac Arund. et Merc. 2.

Digitized by Google

esse dicunt. Mater autem ipsorum argumentata est (34) per serpentem seducere Evam et Adam, supergredi præceptum Ialdabaoth : Eva autem quasi a filio Dei hoc audiens, facile credidit, et Adam suasit manducare de arbore, de qua dixerat Deus, non manducare. Manducantes autem eos cognovisse eam, quæ est super omnia, virtutem dicunt, et abscessisse ab his, qui fecerant eos. Prunicum autem videntem, quoniam et per suum plasma (35) victi sunt, valde gratulatum (36), et rursum exclamasse, quoniam, cum esset Pater incorruptibilis, olim hic semetipsum vocans Patrem, mentitus est : et cum homo olim esset et prima femina, et hæc adulterans peccavit.

8. Ialdabaoth autem propter eam, quæ circa eum erat oblivionem, ne quidem intendentem ad hæc, projecisse Adam et Evam de paradiso, quoniam transgressi erant præceptum ejus. Voluisse enim filios ei ex Eva generari, et non adeptum esse, quoniam mater sua in omnibus contrairet ei, et latenter evacuans Adam et Evam ab humectatione luminis, uti neque maledictionem participaret, neque opprobrium, is qui esset a principalitate Spiritus. Sic quoque vacuos a divina substantia factos, maledictos esse ab eo, et dejectos a cœlo in hunc mundum docent. Sed et serpentem adversus patrem operantem (37) dejectum ab eo in deorsum mundum : in potestatem autem suam redigentem angelos, qui hic sunt, et ipsum sex filios generasse, septimo ipso exsistente ad imitationem ejus, quæ circa Patrem est, hebdomadis. Et hos septem dæmonas mundiales esse dicunt, adversantes et resistentes semper generi humano, quoniam propter eos pater filiorum projectus est deorsum.

9. Adam autem et Evam prius quidem habuisse levia et clara, et velut spiritalia corpora, quemadmodum et plasmati sunt ; venientes autem huc, demutasse in obscurius, et pinguius, et pigrius ; sed et animam dissolutam et languidam, quippe a factore tantummodo insufflationem mundialem habentes : quoadusque Prunicos (38) miserata eorum, reddidit eis odorem suavitatis humectationis luminis, per quam in commemorationem venerunt suam ipsorum, et cognoverunt semetipsos nudos, et corporis materiam ; et cognoverunt, quoniam mortem bajulant ; et magnanimes exstiterunt, cognoscentes quoniam ad tempus corpus circumdatum est eis : et escas quoque invenisse eos, præeunte eis Sophia, et satiatos coisse invicem carnaliter, et generasse Caïn, quem dejectibilis serpens cum filiis suis statim suscipiens evertit, III et adimplevit mundialia oblivione (39), in stultitiam (40) et audaciam immittens, ita ut et dum fratrem suum Abel occideret, primus zelum et mortem ostenderit. Post quos secundum providentiam Prunici dicunt generatum Seth ; post Noream : ex quibus reliquam multitudinem hominum generatam dicunt, et ab inferiori hebdomade in omnem malitiam immissam, et apostasiam superiorem sanctæ hebdomadæ (41), et idololatriam, et reliquam universam contemptionem, cum contraria eis esset semper mater invisibiliter, et proprium salvaret, hoc est humectationem luminis. Sanctam autem hebdomadam septem stellas, quas dicunt planetas, esse volunt ; et projectibilem serpentem duo habere nomina, Michael, et Samael (42), dicunt.

10. Iratum autem Ialdabaoth hominibus, quoniam eum non colebant, neque honorificabant quasi Patrem et Deum, diluvium eis induxisse (43), ut omnes simul perderet. Contra stante autem et hic Sophia, salvatos eos esse qui circa Noe erant in arca, propter humectationem illius luminis quod ab ea erat, per quam iterum adimpletum esse mundum hominibus : ex quibus quemdam Abraham elegisse ipsum Ialdabaoth, et testamentum posuisse ad eum, si perseveraverit semen ejus serviens ei, dare ei hæreditatem terræ. Post per Moysen

(34) *Argumentata est.* Forte scripsit interpr. *argutate est*, a Græco, ἰσοφίσατο, quod vertendum fuerat, *callide molita est, excogitavit.* Sic enim Epiphan. hær. 37, § 4, πρὸς ἐπιβουλὴν ἐνήργησε.

(35) *Per suum plasma.* Sic emendamus ex Feuard. margine, Voss. et Clarom., rejectis *per suam blasphemiam*, ut in Eras., Gall. et Feuard. ; vel, *per sua blasphema*, ut in Arund. et Merc. 2 ; vel, *per suum blasphema*, ut in Pass. legitur.

(36) *Valde gratulatum.* Sic Clarom. et Voss., omisso altero *valde*, quod etiam omittunt tres alii Anglic. codd. At in Eras., Gall. et Feuard. *valde valde gratulatum* ; cum alterum *valde* superfluum sit, *et Prunicus*, feminæ nomen, femininum genus exigat.

(37) *Adversus patrem operantem.* Quia invito Ialdabaoth, supernarum Virtutum notitiam Adami et Evæ animis ingeneraverat, eosque ab illo disjunxerat, ut paulo ante dicitur.

(38) *Prunicos.* Vocem *iterum*, quæ ante *Prunicos* in omnibus edit. legitur, auctoritate codd. Clarom., Pass. Voss. et Merc. 2, expunxi, quia sensum obscurat.

(39) *Mundialia oblivione.* In Clarom., Pass. et Voss legitur, *mundialia oblivionem* ; in aliis *mundiali oblivione* : ex quibus omnibus genuinam lectionem colligo, quæ magis cohæret cum sequentibus.

(40) *In stultitiam.* Sic recte Clarom. et Pass., quia paulo post sequitur, *in omnem malitiam immissam.* In Feuard. et Grab. deest *in* : sed in Eras. et Gallas. pejus scriptum, *stultitia et audacia.*

(41) *Superiorem sanctæ hebdomadæ.* Sic Clarom., Voss., Pass., et Feuard. in marg.. nisi quod tres posteriores perperam habeant *secundæ*, pro *sanctæ*. In aliis omnibus vitiose, *superiori sanctæ hebdomadæ*. Porro malitiam et apostasiam hic dici puto *superiorem sanctæ hebdomadæ*, quam videlicet avertere non valuit superior sancta hebdomas. Idque persuadere videtur quæ mox subjicitur ratio : *quia contraria eis erat semper mater invisibiliter.* Nisi dicere malis, hanc apostasiam superiorem esse sanctæ hebdomadæ, quia ipsa eadem erat, in quam inciderat sancta hebdomas, utpote quæ a matre defecisset, et ad jurgia et contentiones sese convertisset.

(42) *Samael*, In Clarom. *Samahel.* Editt. Eras., Gallas. et Feuard., *Samuel* ; Arund., *Semuhel.* Apud Theodoretum denique, *Samana.*

(43) *Induxisse.* Alii, *immisisse.*

Digitized by Google

eduxisse eos ex Ægypto, qui ab Abraham essent, et dedisse eis Legem, et fecisse eos Judæos : ex quibus elegisse septem dies, quos et sanctam hebdomadam vocant, et unusquisque eorum suum præconem ad semet gloriandum (44), et Deum annuntiandum : uti et reliqui audientes glorias, servirent et ipsi his, qui a prophetis annuntiarentur dii.

11. Sic autem prophetas distribuunt : hujus quidem Ialdabaoth Moysen fuisse, et Jesum Nave, et Annæ, et Abacuc ; illius autem Iao, Samuel, et Nathan, et Jonam, et Michæam ; illius autem Sabaoth, Heliam, et Joel, et Zachariam ; illius autem Adonei (45), Esaiam (46), et Ezechiel, et Jeremiam, et Daniel ; illius autem Eloei (47), Tobiam, et Aggæum ; illius autem Horei, Michæam, et Nahum ; illius autem Astaphæi (48), Hesdram et Sophoniam. Horum igitur unusquisque glorificans (49) suum patrem et Deum. Sophiam et ipsam per eos multa locutam esse de primo homine, et incorruptibili Æone, et de illo Christo, qui sit sursum, dicunt, præmonentem et rememorantem homines in incorruptibile lumen, et in primum hominem, et de descensione (50) Christi : in quibus conterritis principibus, et admirantibus novitatem in his, quæ a prophetis annuntiabantur, operatam esse Prunicum per Ialdabaoth nescientem quid faciat, duorum hominum factas esse emissiones ; alterum quidem de sterili Elizabeth, alterum autem ex Maria virgine.

12. Et quoniam non haberet eadem ipsa requiem, neque in cœlo, neque in terra, contristatam invocasse in adjutorium matrem. Mater autem ejus, prior femina, miserata est super pœnitentia filiæ, et postulavit a primo homine adjutorium ei mitti Christum ; qui et descendit emissus ad sororem suam, et ad humectationem luminis. Cognoscentem autem eam, quæ deorsum est, Sophiam, descendere ad fratrem ejus (51), et annuntiasse ejus adventum per Joannem, et præparasse baptismum pœnitentiæ, et ante adaptasse Jesum uti descendens Christus inveniat vas mundum, et uti per filium ejus Ialdabaoth femina a Christo annuntiaretur. Descendisse autem eum per septem cœlos, assimilatum filiis eorum dicunt, et sensim eorum evacuasse virtutem. Ad ipsum enim universam humectationem luminis concurrisse dicunt, et descendentem Christum in hunc mundum, induisse primum sororem suam Sophiam, et exsultasse utrosque refrigerantes super invicem : et hoc esse sponsum et sponsam definiunt. Jesum autem, quippe ex Virgine per operationem Dei generatum, sapientiorem, et mundiorem, et justiorem hominibus omnibus fuisse : Christum (52) perplexum Sophiæ descendisse, et sic factum esse Jesum Christum.

13. Multos igitur ex discipulis ejus non cognovisse Christi descensionem in eum dicunt : descendente autem Christo in Jesum, tunc coincepisse virtutes perficere, et curare, et annuntiare incognitum Patrem, et se manifeste filium primi hominis confiteri. In quibus irascentes principes, et patrem Jesu, operatos ad occidendum **112** eum : et in eo cum adduceretur, ipsum quidem Christum cum Sophia abstitisse in incorruptibilem Æonem, dicunt ; Jesum autem crucifixum : non autem oblitum suum Christum (53), sed misisse desuper virtutem quamdam in eum, quæ excitavit eum in corpore : quod et corpus animale et spirituale vocant ; mundialia enim remisisse eum in mundo. Videntes autem discipuli resurrexisse eum, non eum cognoverunt, sed ne ipsum quidem Jesum, cujus gratia a

(44) *Ex quibus elegisse septem dies.... unusquisque eorum.... ad semet gloriandum.* Hic pro *unusquisque*, legendum puto, *unumquemque*, et cum Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2, *ad semet* (sic enim habere tres istos Anglic. mss. conjicio ex Grabii silentio), pro *assumet*, ut in Feuard. marg., Clarom., Pass. et Voss., vel, *assumet ad*, ut in Grabio legitur. Hujus autem loci sensum haud assecuti omnes Irenæi editores, minus feliciter restituerunt. Offendiculum præbuit una vocula, *dies*, quam ab interprete perperam positam pro, *lumina*, intellexerunt illi de spatio 24 horarum. Græce quippe scripsisse puto Irenæum, φάτα, vel quid simile, quod vertendum erat, *lumina*. Septem itaque *dies* hic idem sunt atque *septem lumina*, septem nimirum Virtutes, seu Angeli paulo post enumerati : idque contextus sermonis palam ostendit. Paulo ante dictum : *Sanctam hebdomadam septem stellas esse volunt :* iisdem pene verbis, eodem certe sensu, nunc repetitur : *septem dies* (lumina) *quos et sanctam hebdomadam vocant :* alias non cohæreremt, *fecisse eos Judæos, ex quibus elegisse septem dies ;* qui enim ex Judæis hominibus eligi possent septem dies? Jam vero sponte fluit sensus : *septem Angelos, et unumquemque eorum, ex Judæis elegisse suum sibi præconem, seu prophetam ad semet gloriandum.* Tum statim unicuique eorum suus assignatur propheta.

(45) *Adonei.* Sic recte cod. Clarom., nam supra scribitur, *Adoneum.* Alii omnes. *Adonai.*

(46) *Esaiam.* Feuard. in marg., Voss. et Pass., *Oseam.*

(47) *Eloei.* Sic iterum cod. Clarom. et interpres supra. Alii, *Eloi.*

(48) *Astaphæi.* Sic repono ex ipso Irenæo supra, et ex Origene lib. VI *contra Celsum* aptata codicum tum mss. tum editorum vitiosa lectione, *Astanfei*, vel *Artanfei.*

(49) *Unusquisque glorificans.* Supple *est.*

(50) *De descensione.* Sic Clarom. et Pass., nec procul distant Voss. in quo *descensione*, et Arund. in quo *inde descensione.* In edit. Oxon. et Merc. 2, *in descensionem ;* in aliis, *in descensione.*

(51) *Descendere ad fratrem ejus.* Legendum puto : *descendere ad se fratrem ejus*, vel potius *suum ;* aut expungenda præpositio *ad.*

(52) *Christum.* Præpositionem *in* huic voci præfixam delevi auctoritate Clarom., Pass. et Voss., falsum enim gignit sensum, Jesum videlicet in Christum descendisse ; quod cum hæreticorum hypothesi e diametro pugnat. Quidpiam tamen hic necessario supplendum est, scilicet : *et in hunc*, nimirum Jesum, *Christum perplexum*, etc. At donec suffragetur ms. codex, præstat abesse particulam *in.*

(53) *Non autem oblitum suum Christum.* Sensus est, *Christum non esse oblitum sui hominis*, seu *quod suum erat.*

Digitized by Google

mortuis resurrexit. Et hunc maximum errorem inter discipulos ejus fuisse dicunt, quoniam putarent eum in corpore mundiali resurrexisse, ignorantes quoniam *caro et sanguis regnum Dei non apprehendunt* [65].

14. Confirmare autem volunt descensionem Christi et ascensionem ex eo, quod neque ante baptismum (54), neque post resurrectionem a mortuis, aliquid magni fecisse Jesum dicunt discipuli, ignorantes advenitum esse Jesum Christo, et incorruptibilem Æonem hebdomadali (55), et mundiale corpus animale (56) dicunt. Remoratum (57) autem eum post resurrectionem XVIII mensibus, et sensibilitate in eum descendente (58) didicisse quod liquidum est : et paucos ex discipulis suis, quos sciebat capaces tantorum mysteriorum, docuit hæc; et sic receptus est in cœlum, Christo sedente ad dexteram patris Ialdabaoth : uti animas eorum qui cognoverunt eos (59), post depositionem mundialis carnis recipiat in se, ditans semetipsum, Patre ejus ignorante, sed ne vidente quidem eum : uti in quantum Jesus semetipsum ditat in sanctis animabus, in tantum Pater ejus in detrimentis factus deminoretur, evacuatus a virtute sua per animas. Jam enim non habiturum eum animas sanctas, ut rursus demittat eas in sæculum, sed tantum eas quæ sunt ex substantia ejus, id est quæ sunt ex insufflatione. Consummationem autem futuram, quando tota humectatio spiritus luminis colligatur, et abripiatur in Æonem incorruptibilitatis.

15. Tales quidem secundum eos sententiæ sunt : a quibus, velut Lernæa hydra, multiplex capitibus fera de Valentini schola generata est.

Quidam enim (60) ipsam Sophiam serpentem factam dicunt : quapropter et contrariam exstitisse factori Adæ, et agnitionem hominibus immisisse, et propter hoc dictum serpentem omnium sapientiorem. Sed et propter positionem intestinorum nostrorum, per quæ (61) esca infertur, eo quod talem figuram habeant, ostendentem absconsam generatricem serpentis figuræ (62) substantiam in nobis.

CAPUT XXXI [66].

De Cainis.

1. Alii autem rursus Cain (63) a superiore principalitate dicunt ; et Esau, et Core (64), et Sodomitas, et omnes tales cognatos suos confitentur ; et propter hoc a factore impugnatos, neminem ex eis male acceptos (65). Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semetipsam. Et hæc Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, et solum præ cæteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium : per quem et terrena et cœlestia omnia dissoluta dicunt. Et confectionem afferunt hujusmodi, Judæ Evangelium illud vocantes.

2. Jam autem et collegi eorum conscriptiones, in quibus dissolvere opera Hysteræ (66) adhortan-

[65] I Cor. xv, 50. [66] Cap. XXXV.

(54) *Ante baptismum.* Sic recte restituit Grabius ex cod. Voss. (cui consentit Clarom.) pro *post baptismum*, ut perperam legitur in omnibus editt.

(55) *Hebdomadali.* Ita Pass. et Voss., quod malim quam *hebdomadi*, ut in aliis legitur. Sensus enim est, Christum, *incorruptibilem Æonem*, unitum esse *hebdomadali*, Sophiæ videlicet, quæ hebdomadis princeps erat.

(56) *Animale.* In Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon., *animalium ;* perperam quidem, ut puto. Hic enim de Jesu discipulis sermo est, qui *ne ipsum quidem Jesum cognoscentes*, ut mox dictum est, *mundiale corpus animale dicebant.*, id est animale corpus, quod post resurrectionem gestabat Jesus, mundiale esse errantes dicebant ; cum tamen jam *mundialia remisisset in mundo.*

(57) *Remoratum.* Clarom., Pass. et Voss., *rememoratum ;* quam pravam lectionem miror elegerit Grabius. Idipsum enim hic asseritur, quod cap 5, n. 2, effutiebant Valentiniani : atqui contendebant hi Jesum, μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν δεκαοκτὼ μησι διατετριφέναι σὺν τοῖς μαθηταῖς, *post resurrectionem a mortuis, decem et octo mensibus commoratum esse cum discipulis.* Et hic ergo et illic scripsit Irenæus διατετριφέναι, *remoratum*, *commoratum*, non certe *rememoratum.*

(58) *Sensibilitate in eum descendente.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Pass., Voss. et Grab., cæteri vitiose, *sensibilitatem in eum descendentem.*

(59) *Eos.* Christum scilicet et Jesum.

(60) *Quidam enim.* Hæc et sequentia Theodoretus Græce sic enuntiat : Τινὲς δὲ αὐτῶν τὸν ὄφιν τῇ Σοφίᾳ συνεῖναί φασι, καὶ ὡς ἐναντίῳ θεῷ τῷ ποιητῇ πολεμοῦντα, ὃν Ἀδὰμ ἐξαπατῆσαι, καὶ δεδωκέναι τὴν γνῶσιν, καὶ τούτου χάριν εἰρῆσθαι φρονιμώτατον εἶναι πάντων τὸν ὄφιν. Καὶ τὴν πολυείλικτον δὲ τῶν ἡμετέρων ἐντέρων θέσιν τοῦ ὄφεως περικεῖσθαι τὸ σῶμα, δεικνῦσαν τὴν ζωογόνον σοφίαν τοῦ ὄφεως.

(61) *Per quæ.* Alias vitiose et scribarum culpa, *per quas*, e videlicet male transmutata in *s*. Sed addendum conjicio ex Theodoreti verbis : *serpentis corpus exprimi, eo quod*, etc.

(62) *Serpentis figuræ.* Forte legendum, *serpentis sapientiæ ;* sic enim scripsit Theodoretus.

(63) *Alii autem rursus Cain*, etc. Καϊανούς vocat Epiphan. hær. 38. Καΐνους Theodoret. lib. I *Hær. fabul.*, c. 15, unde optime monet Cotelerius in not. ad tom. I *Monumentorum Eccles. Græcæ*, col. 770, apud eumdem Theodoret. ejusdem libri caput 1, pro Κανισταί, legi debere Καϊνισταί. Latini vero *Cainos*, *Cajanos*, *Cainianos*, etc., appellant. Prius autem istud colon Epiphanius ita Græce exhibet : οὗτοί φασι τὸν Κάϊν ἐκ τῆς ἰσχυροτέρας δυνάμεως ὑπάρχειν, καὶ τῆς ἄνωθεν αὐθεντείας. Sed paulo aliter Theodoretus : ἄλλοι δὲ ... καὶ τὸν Κάϊν φασὶν ἐκ τῆς ἄνωθεν αὐθεντίας λελυτρῶσθαι. *Alii autem et Cain dicunt a superna auctoritate liberatum.*

(64) *Et Esau, et Core*, etc. His gemina sunt ista Theodoreti : Καὶ τὸν Ἠσαῦ, καὶ τὸν Κορὲ, καὶ τοὺς Σοδομίτας, καὶ πάντας δὲ τοὺς τοιούτους συγγενεῖς ἰδίους ὁμολογοῦσι. Καὶ (Epiphan. διὸ καὶ) τούτους ὑπὸ μὲν τοῦ ποιητοῦ μισηθῆναι, μηδεμίαν δὲ βλάβην εἰσδέξασθαι. Ἡ γὰρ σοφία ὅπερ εἶχεν ἐν αὐτοῖς, ἀνήρπασεν ἐξ αὐτῶν. Καὶ τὸν προδότην δὲ Ἰούδαν μόνον ἐκ πάντων τῶν ἀποστόλων ταύτην ἐσχηκέναι τὴν γνῶσιν φασὶ (Epiphan. καὶ τὸν Ἰούδαν ἀκριβῶς τὰ περὶ τούτων ἐπεγνωκέναι λέγουσι) καὶ διὰ τοῦτο εὖ τῆς προδοσίας ἐνεργῆσαι μυστήριον.

(65) *Male acceptos.* Large, *male acceptum.*

(66) *Hysteræ.* Ὑστέρα Græce, Latine *uterus*, *vulva* est.

Digitized by Google

tur; Hysteram autem (67) fabricatorem cœli et terræ vocant : nec enim aliter salvari eos nisi per omnia eant, quemadmodum et Carpocrates dixit. Et in unoquoque peccatorum et turpium operationum angelum assistere, et operantem audire (68) audaciam et immunditiam inferre (69), id quod inest ei operationi, Angeli nomine dicere (70): *O tu, Angele* (71), *abutor opere tuo : O tu, illa* (72) *Potestas, perficio tuam operationem.* Et hoc esse scientiam perfectam, sine timore in tales abire operationes, quas ne nominare quidem fas est.

5. A talibus matribus, et patribus, et proavis eos, qui a Valentino sint, sicut ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere (73), et in medium afferre dogmata ipsorum, si qui forte ex iis pœnitentiam agentes, et convertentes ad unum solum conditorem, et Deum factorem universitatis, salvari possint : reliqui autem non jam abstrahantur a prava, quasi verisimili, suasione eorum, putantes majus et aliquid altius ab iis scituros se mysterium : sed a nobis bene discentes quæ ab illis male docentur, derideant quidem doctrinam eorum ; illorum autem misereantur, qui adhuc in his tam miserrimis et instabilibus fabulis tantam elationem assumpserunt, ut meliores semetipsos reliquis propter talem agnitionem, imo ignorantiam, arbitrentur. Delectatio autem eorum hæc est (74), sive adversus eos victoria est, sententiæ eorum manifestatio.

4. Quapropter conati sumus nos universum male compositæ (75) vulpeculæ hujus corpusculum in medium producere, et per te (76) facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum, manifestam omnibus factam. Quemadmodum bestiæ alicujus in silva absconditæ (77) et inde impetum facientis, et multos vastantis; qui segregat et denudat silvam, et ad visionem adduxit (78) ipsam feram, jam non elaboravit (79) adcapiendam, videntes quoniam ea fera fera est: ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus, et jaculari undique, et vulnerare, et interficere vastatricem illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita, et apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis eorum destruere sententiam. Adest enim et tibi, et omnibus qui tecum sunt, ad hæc quæ prædicta sunt exerceri, et evertere (80) nequam ipsorum doctrinas, et inconditas, et apta veritati ostendere dogmata. Cum igitur hæc sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro (enarratio enim in longum pergit, ut vides) ; et viatica (81) quoque dabimus ad eversionem ipsorum, occurrentes omnibus sententiis secundum narrationis ordinem : ut simus non tantum ostendentes, sed et vulnerantes undique bestiam.

(67) *Hysteram autem*, etc. Epiphan. in fine § 1 : Ὑστέραν τὸν ποιητὴν ... οὐρανοῦ τε καὶ γῆς καλοῦσι. Καὶ μὴ δύνασθαί φασι σωθήσεσθαί τινα, ἐὰν μὴ διὰ πάντων χωρήσωσιν, ὡς καὶ ὁ Καρποκράτης λέγει.

(68) *Et operantem audire*, etc. Sic codd. Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon.; in aliis editt., *et operantem accidere ;* in Arund. *accedere*. Priorem autem lectionem elegi, non quod genuinam, sed quod genuinæ propiorem eam esse censeam. Quantum enim ex Epiphanii et Theodoreti verbis conjicere fas est, legendum videtur *audere*.

(69) *Inferre*. Nisi scripserit Irenæus ἀναφέρειν, quod verti debuisset *offerre* non *inferre ; inferre* hic accipio pro *attribuere*, *ascribere ;* et sic Irenæi verba interpretor : *operantem audere audaciam* (scilus) *et immunditiam* ei (Angelo), *attribuere*.

(70) *Id quod inest ei operationi, Angeli nomine dicere*. Ita Feuard. ex vet. cod., cui consentiunt Clarom., Pass., Voss. et edit. Oxon. In Eras. vero Gallas., Arund. ac Merc. 2, *Angeli nomen edicere*. In Ottob., *Angeli nomine edicere*. Sed quoquomodo legas, hic mutilum esse textum fateris necesse est. Sic porro, priorem retinendo lectionem, restituerem : *et id quod inest ei operationi, Angeli nomine jacere, ac dicere*. Lege Epiphan. ac Theodoret. locis supra cit.

(71) *O tu Angele*. Epiphan. § 2 hæc ita Græce profert : Ὦ δεῖνα Ἄγγελε, κατοχρῶμαί σου τὸ ἔργον· ἡ δεῖνα ἐξουσία, πράττω σου τὴν πρᾶξιν. Καὶ τοῦτο γνῶσις τελεία παρ' αὐτοῖς ἐστι λεγόμενον, ἀδεῶς ἐπὶ τὰς ἀθεμίτους αἰσχρουργίας ὁρμᾶν.

(72) *Abutor o... tu illa*. Ita pro *ab. a. te. or.* vel *abuteor*, et *fatua illa*, quomodo omnia edita et mss. exemplaria vitiose habebant, Epiphanii et Nicetæ auctoritate reposuit Feuard. præeunte Heraldo in not. ad Arnobii, lib. III *Contra gentes*, pag. 226.

(73) *Necessarium fuit manifeste arguere*. Sensus est : *a talibus matribus et patribus ortum ducere Valentinianos, necesse fuit demonstrare;* vel, *a talibus matribus et patribus repetito argumento, necesse fuit Valentinianos impugnare*.

(74) *Delectatio autem eorum hæc est*, etc. Id est, inquit Feuard., his nugis, imo exsecrandis et detestandis blasphemiis gloriantur et triumphant, quarum oportet penitus erubescere. Sed conjicit idem Feuard. pro *delectatio*, legendum esse *detectio;* eamque lectionem constabiliri posse, ex eo quod supra cap. 22 legitur, *cum sit adversus omnes hæreticos detectio*, etc., et mox Præfat. in lib. II, *quod sit detectio et eversio sententiæ eorum ;* iterumque Præfat. in lib. IV, *de detectione et eversione falsæ cognitionis*, quæ quidem docti viri conjectura non omnino spernenda videtur.

(75) *Compositæ*. Alii, *compositum*.

(76) *Perte*. Sic ex Clarom., Pass. et Voss. reponere placuit, pro *apertum*, vel *aperte*, vel *a parte*, ut in aliis exemplaribus minus bene scribitur. Amicum enim alloquitur Irenæus, ad quem libros suos mittit, ut portentosa Valentinianorum dogmata in lucem proferens, facilius everteret.

(77) *Bestiæ... absconditæ*. Hellenismus est; genitivus, pro ablativo absoluto.

(78) *Segregat.. denudat.. adduxit*. Vel hæc in plurali numero ponenda erant, vel sequentia in singulari, ut secum omnia congruerent.

(79) *Elaboravit*. Lege *elaborant*.

(80) *Evertere*. Al. *excutere*.

(81) *Viatica*. Id est *subsidia, auxilia*. Vide quæ in fine Præfationis hujus libri notavimus ad vocem ἐφόδια.

Digitized by Google

ANALYSIS LIBRI SECUNDI.

114 Falsa omnis hæreticorum, atque in primis ea Valentinianorum dogmata, quæ in primo libro Irenæus enucleavit, illa in secundo argumentis a ratione petitis evellit radicitus, et funditus evertit. Ac primum quidem ipsum hydræ petit caput; et contra præcipuum hæreticorum errorem variis rationibus probat, Deum unum esse, supra aut infra quem alius Deus, Principium, Pleroma, vel Potestas esse non possit : huncque esse supremum omnium, et Domini nostri Jesu Christi Patrem; a quo solo ut mente conceptus, sic et per Verbum ipsius conditus mundus; non a Marcionis Deo, vel ab Angelis, aut alio quovis, præter sententiam illius. Vana proinde esse et absurda, quæ Valentiniani de Bytho suo, Pleromate, Demiurgo, ejusque ignoratione, labe, umbra, et vacuo comminiscebantur; neque enim in iis, quæ continentur a Patre, labes, vacuum, aut umbra supponi possunt, quia id in paterni luminis dedecus redundet, Christusque hæreticorum, ignorantiæ causa, Salvator vero ignorationi obnoxius arguatur [57]. Tum probat ab Angelis, aut a mundi fabricatore ignorari non potuisse summum Deum, quem ratio naturalis demonstrat [58]. Deinde ea insectatur, quæ garriebant Valentiniani, in mundi creatione Salvatorem per eorum, quæ sursum sunt, imagines atque similitudines, a matre Achamoth emissas, honorasse Pleroma : repugnat siquidem, res creatas aut Æonum, qui rursum sunt intra Pleroma, imagines, aut Pleromatis umbram esse [59]. Hinc variis rationum momentis confirmat, mundum, atque materiam verum unius, soliusque Dei esse opus [60].

Post hæc contra triginta Valentinianorum *Æones*, et constitutum ab eis fictitiæ eorumdem *Æonum* emissionis ordinem, vanasque illorum *conjugationes* validissime disputat; atque ea omnia ab aliis scriptoribus etiam ethnicis desumpta, et mera vigilantium hominum somnia, anilesque fabulas esse aperte ostendit [61]. Debinc vero demonstrat eos absurde omnino asserere, *Sophiam in ignorantia, deminorationem et passione fuisse*, atque ejus *enthymesim*, id est cogitationem seorsim conditam, ab ea separari [62]. Nec minus certe ridiculum illud esse probat, quod de origine sua iidem hæretici, et de *Demiurgo* plura illis notissima prorsus nesciente, nec non de animarum suarum ob semen a *Matre conceptum*, præstantiore cæteris ordine jactitabant [63].

Inde vero ad diluenda eorum argumenta transit : nihilque levius aut imbecillius esse docet, quam id quod inepte objiciebant, cum Judam proditorem, tum hæmorroissam Æonis duodecimi, apostolos vero conjugationis *Hominis* et *Ecclesiæ*, ac Christum tandem, cum annos natus triginta baptizabatur, totidem Æonum fuisse typum et imaginem [64]. Nec majoris profecto ponderis ea esse urget, quæ ex litteris, syllabis, et numeris in errorum suorum confirmationem colligi posse arbitrabantur [65]. Ex quibus concludit plura hominibus de Deo curiosius inquirenda non esse, quam quæ in Scripturis sacris clara sunt et aperta, quæque ipsis scire et intelligere concessum est [66]. Scimus autem Deum esse simplicissimum : sed quomodo ab eo aut genitum Verbum, aut creata sit materia, plane ignoramus [67]. Quamobrem ridiculam Valentinianorum de scientia sua jactantiam scite castigat : eosque merito arguit, quod negata corporum resurrectione, asseverarent animas justorum *requiescere in mediotatis* loco [68], aut eas supra *Demiurgum* (quo se meliores esse impie dicebant), ad *Matrem* conscendere, fierique spiritualium Angelorum sponsas [69].

His autem Valentini erroribus ita subversis, cæteras omnes aliorum hæreticorum falsas opiniones obrui et se ipsis ruere demonstrat. Quod quidem, sicut et fidei Christianæ veritatem, eo egregie astruit, quod nulla unquam ab hæreticis, sed duntaxat ab orthodoxis edita fuerint vera miracula, ac quotidie ederentur [70]. Tum eversa flagitiosa hæreticorum sententia : omne actionis, etiam pessimæ, genus experiendum esse, solaque opinione humana quædam justa, quædam injusta esse [71], subinde metempsycosim, seu animarum de corpore in corpus transmigrationem, impugnat; manifestumque facit in unumquodque hominis corpus suum, quæ cum eo nec nascitur, nec moritur, ita infundi animam, ut post mortem corpus debeat rursum ab ea informari [72]. Tum vero destructa Basilidis, de falsa multitudine cœlorum, opinione, ostendit a Gnosticis perperam asseri, varia prophetarum oracula ex variis diis manasse. Denique eorum occurrit objectioni, qui ex diversis nominibus Dei plures deos præposteræ omnino inducere conabantur [73].

LIBER SECUNDUS.

115 PRÆFATIO.

1. In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his, qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse A falsiloquium; etiam sententias exposuimus eorum, qui priores exstiterunt (82), discrepantes eos sibimetipsis ostendentes, multo autem prius ipsi veritati. Et Marci quoque magi sententiam, cum sit ex his, cum operibus ejus omni diligentia expo-

[57] Cap. 1 et seqq. [58] Cap. 6. [59] Cap. 7 et 8. [60] Cap. 9, 10 et 11. [61] Cap. 12 et seqq. [62] Cap. 18. [63] Cap. 19. [64] Cap. 20 et seqq. [65] Cap. 24 et seqq. [66] Cap. 26 et seqq. [67] Cap. 28. [68] Cap. 29. [69] Cap. 30. [70] Cap. 31. [71] Cap. 32. [72] Cap. 33 et 34. [73] Cap. 35.

(82) *Eorum qui priores exstiterunt.* Veterum scilicet Gnosticorum, Simonis Magi, Nicolaitarum, etc., quos lib. I, cap. ult., Valentinianorum *patres* et *proavos* dixit.

Digitized by Google

suimus : et quanta ex Scripturis eligentes, adaptare conantur fictioni suæ, diligenter retulimus : et quonam modo (83) per numeros, et per viginti quatuor elementa alphabeti, veritatem affirmare (84), conantur et audent, minutatim perexivimus (85). Et quemadmodum conditionem secundum imaginem Invisibilis apud eos Pleromatis factam dicunt, et quanta de Demiurgo sentiunt ac docent, renuntiavimus; et progenitoris ipsorum doctrinam, Simonis Magi Samaritani, et omnium eorum, qui successerunt ei, manifestavimus. Diximus quoque multitudinem eorum, qui sunt ab eo Gnostici; et differentias ipsorum, et doctrinas, et successiones adnotavimus; quæque ab eis hæreses institutæ sunt, omnes exposuimus. Et quoniam omnes a Simone hæretici initia sumentes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam, ostendimus; et redemptionem ipsorum, et quomodo initiant eos qui perficiuntur, et affationes (86) eorum, et mysteria manifestavimus; et quia unus Deus conditor, et quia non postremitatis (87) fructus, et quia neque super illum, neque post eum est aliquid.

2. In hoc autem libro instruemus quæ nobis apta sunt, et quæ permittit tempus, et evertemus per magna capitula omnem ipsorum regulam : quapropter quod sit detectio et eversio sententiæ ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus. Oportet enim absconditas ipsorum conjugationes, per manifestarum conjugationum indicium et eversionem, Bythum dissolvere; et quoniam (88) neque fuerit aliquando, neque sit, accipere ostensionem.

116 CAPUT PRIMUM.

Deum unum esse, nec supra aut infra eum, aliumve Deum, vel Principium, aut Pleroma, aut Potestatem esse posse.

Bene igitur habet a primo, et maximo (89) capitulo inchoare nos, a Demiurgo Deo, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, quem ii blasphemantes extremitatis fructum dicunt, et ostendere, quoniam (90) neque super eum, neque post eum est aliquid : neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere (91) fecit omnia, cum sit solus Deus, et solus Dominus, et solus conditor, et solus Pater, et solus continens omnia, et omnibus, ut sint, ipse præstans.

2. Quemadmodum enim poterit super hunc alia Plenitudo, aut Initium (92), aut Potestas, aut alius Deus esse : cum oporteat Deum horum omnium Pleroma in immenso omnia circumcontinere, et circumcontineri a nemine? Si autem extra illum est aliquid, jam non omnium est Pleroma, neque continet omnia. Deerit enim Pleromati, aut ei qui sit super omnia Deo, hoc quod extra eum dicunt. Quod autem deest, et delibatum est ab aliquo, hoc non est omnium Pleroma. Et terminum autem, et medietatem, et finem habebit ad eos qui sunt extra eum. Si autem finis est in ea quæ sunt deorsum, initium est et in ea quæ sunt sursum. Similiter autem et ex reliquis partibus necessitas est omnis (93) id ipsum experiri, et ab eis qui foris sunt contineri, et determinari, et includi. Is enim qui est deorsum finis, necessario omni modo circumscribit, et circumdat eum qui finiatur (94) in eum. Erit enim (95), secundum eos, Pater omnium (quem videlicet et Proonta, et Proarchen vocant), cum Pleromate ipsorum, et Marcionis bonus Deus, in aliquo conditus, et inclusus (96), et a foris circumdatus ab altera principalitate, quam necesse est majorem esse; quoniam id quod continet, eo quod continetur majus est : quod autem majus est, id et firmius est, et magis Dominus : et quod majus est, et firmius, et magis Dominus, hoc erit Deus.

3. Cum enim sit, secundum eos, et aliud quid, quod quidem extra Pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur, necesse est omni modo, aut continere (97) id quod extra est, contineri autem Pleroma (alioquin non erit extra Pleroma : si enim extra Pleroma est aliquid, intra hoc ipsum, quod extra Ple-

(83) *Et quonam modo.* Sic ex Clarom. reponere satius visum est. Consentit Voss., nisi quod pro *quonam*, vitiose habeat, *quoniam*. In Feuard., *iidem quodam modo*. In cæt., *iidem quonam modo*.

(84) *Affirmare.* Billius lib. I *Observat. sacrar.*, cap. 33, legendum conjicit, *infirmare*. Sed vanam esse conjecturam deprehendet, quisquis legerit lib. I, cap. 15, n. 4, et cap. 16, n. 3.

(85) *Minutatim perexivimus. Perexire*, inquit optime Billius, novo ac Latinis prorsus inusitato more dixit, quod Græci διεξελθεῖν, id est *commemorare, enarrare*, etc., dicunt.

(86) *Affationes.* Sic recte cod. Clarom. In Feuard. marg., Pass. et Voss., *affectiones;* editi. *factiones;* sed corrupte. Genuinam enim esse nostram lectionem demonstrant quæ immediate præcedunt : *et redemptionem eorum, et quomodo initiant eos qui perficiuntur. Affationes* vero sunt profanæ illæ hæreticorum redemptionis, de qua hic loquitur, formulæ, seu invocationes, quas superius retulit lib. I, c. 21. Eadem voce pro *invocationibus* utitur inferius, hoc scilicet lib. II, c. 6.

(87) *Postremitatis.* Græce ὑστερήματος, quod alibi pas im vertit, *labis, defectus, passionis*, et cap. 1 sequenti, *extremitatis.*

(88) *Eversionem Bythum dissolvere, et quoniam*, etc. Hæc ita translocanda esse conjicit Grab., *eversionem dissolvere, et Bythum, quoniam*, etc., sed frustra. Sensus est, ni fallor, absconditis ipsorum conjugationibus semel patefactis, et eversis, Bythum ipsum dissolvi.

(89) *Maximo.* In editt. Eras. et Gallas. necnon mss. Arund. et Merc. 2, *proximo.*

(90) *Quoniam.* Al. *quod. Quoniam* autem in toto hoc opere frequens, pro *quod.*

(91) *Libere.* Al. *liber.*

(92) *Initium.* Scribendum erat, *Principium;* nam Ἀρχὴ procul dubio fuit in Græco.

(93) *Necessitas est omnis.* Græcismus, pro *omnino necesse est.*

(94) *Finiatur.* Sic auctoritate codd. Clarom. et Arund. restitui, ita exigente sensu, pro *firmatur.*

(95) *Erit enim.* Genuinam hanc lectionem habet cod. Clarom. In cæteris omnibus, *et iterum.*

(96) *Inclusus.* Alii, *reclusus.*

(97) *Aut continere.* Sic mss. omnes cum edit. Oxon. Aliæ omnes perperam, *et continere.*

Digitized by Google

roma dicunt, erit Pleroma, et continebitur Pleroma ab eo quod est extra; cum Pleromate autem (98) subaudiatur (99) et primus Deus); aut rursus in immensum distare et separata esse ab invicem, id est, et Pleroma, et quod est extra illud. Si autem hoc dixerint, tertium quid erit, quod in immensum separat Pleroma, et hoc quod est extra illud; et hoc tertium circumfinit (1) et continebit utraque, et erit majus tertium hoc, et Pleromate, et eo quod est extra illud, sicut in suo sinu continens utraque: et in infinitum de his quæ continentur, et de his quæ continent, incidet sermo. Si enim tertium hoc initium habebit in superiora, et finem in inferiora, omnino necessitas est et a lateribus definiri illud, vel inchoans, vel deficiens (2) ad alia quædam: et illa rursus, et alia quæ sunt sursum, et quæ deorsum, ad alia quædam habebunt initia, et hoc usque in infinitum; ut nunquam stet eorum excogitatio (3) in uno Deo, sed per occasionem plus quam est quærendi, in id quod non sit, excidat, et absistat a vero Deo

4. Similiter autem hæc et adversus eos qui sunt a Marcione, aptata sunt. Continebuntur enim et circumfinientur et duo Dei ejus ab immenso intervallo, quod separat eos ab invicem. Sic autem ad excogitandum (4) est necessitas secundum omnem partem multos deos immensa separatione distantes, ab invicem quidem inchoantes, ad invicem autem finientes: et illa ratione, qua nituntur docere super fabricatorem cœli et terræ esse aliquod Pleroma, aut Deum, eadem ratione utens quisque astruet, super Pleroma alterum esse Pleroma, et super illud rursus aliud, et super Bythum aliud pelagus Dei, et a lateribus autem similiter eadem esse: et sic in immensum excidente (5) sententia, et semper necessitas erit excogitare altera Pleromata, et alteros Bythos, et nunquam aliquando consistere, semper quærentes alios, præter dictos. Erit autem incertum, utrumnam **117** hæc sint deorsum, quæ sunt secundum nos an hæc ipsa superiora sint; et quæ dicuntur ab eis sursum, utrumnam sursum, aut deorsum sint: et nullus status, neque firmitas continebit sensum nostrum, sed in immensos mundos, et indeterminatos deos excedere necessitas erit.

5. Et cum hæc sic se habeant, unusquisque Deus suis contentus erit, et non curiose a et de alienis: si quo minus, injustus erit, et avarus, et cessans esse quod Deus est. Et unaquæque conditio (6) suum fabricatorem glorificabit, et ipso sufficiens (7) erit, et alterum non cognoscet: si quo minus, apostata justissime ab omnibus judicata (8), diguissimam concipiet pœnam. Oportet enim aut unum esse, qui omnia continet, et in suis fecit unumquodque eorum quæ facta sunt, quemadmodum ipse voluit: aut multos rursus et indeterminatos factores et deos (9), ab invicem quidem incipientes (10), ad invicem autem desinentes per omnem partem: et alios omnes a foris ab altero quodam majore contineri (11), et velut inclusos (12) et manentes in suis, unumquemque eorum confiteri necessitas erit; neminem autem horum omnium esse Deum. Deerit enim unicuique eorum, partem minutissimam (13) habenti, ad comparationem omnium reliquorum, et solvetur omnipotentis appellatio, et necessitas erit in impietatem cadere talem sensum.

(98) *Cum Pleromate.* Hic Feuardentium merito castigat Grabius, quod in sua editione, ab his verbis non modo cum Eras. et Gallasio novam inchoarit periodum, sed alteram plane, sive novam hujus capitis sectionem fecerit; cum semicolon solum illa distinguat. Quo ipso factum, addit vir clariss. ut et præcedentia et sequentia haud perfectum habeant sensum; ac lectori meræ offundantur tenebræ.

(99) *Subaudiatur.* In edit. Oxon., *subauditur;* quod quidem mallem, si faveret ms. alicujus codicis auctoritas. Sed non favere conjicio ex cl. Grab. nota. Cod. Voss., inquit, habet, *subaudiatur.* Atqui nedum cod. Voss. ita habet, sed et Clarom., Pass., Ottob. et editt. Eras., Gallas. et Feuard. Quare vulgatam retineo lectionem, quæ rectum habet sensum, si *subaudiatur*, in imperandi modo intelligatur.

(1) *Circumfinit.* Alii, *circumdefinit.* Legendum tamen esset, *circumfiniet*, quia mox sequitur, *continebit.*

(2) *Deficiens.* Ita Clarom., Arund. et Merc. 2, pro quo in Pass. et Feuard. margine vitiose, *definiens.* In editt. *desinens.*

(3) *Excogitatio.* Al. *cogitatio.*

(4) *Sic autem ad excogitandum.* In Eras., Gallas., Feuard. et mss. aliquibus male, *si autem id excogitandi.* Sensus enim est: *eo autem semel posito, necessario sequitur excogitari posse secundum omnem partem multos deos*, etc.

(5) *Excidente.* Frustra doctissimus Bullus in *Defensione fidei Nicænæ*, pag. 305, legere mavult, *excedente.* Nam præterquam quod *excidere* melioris notæ codicum mss. auctoritate nititur, et in eumdem sensum accipi potest; hic familiaris est Irenæo, seu potius ejus interpreti loquendi modus: *in immensum excidit sententia, sermo*, etc., ut ex sequentibus patebit.

(6) *Conditio.* Pro *creatura.* Id in hoc opere frequens.

(7) *Sufficiens.* Pro *contenta.*

(8) *Judicata.* Sic cum cod. Arund. scribere malim, quam cum cæteris, *judicatus:* id enim refertur ad *conditio;* in Clarom. autem, Ottob. et Merc. 2, scribarum vitio scriptum legitur, *apostatam.. judicatam:* quod procul dubio factum ex *apostata... judicata.* Et hinc confirmatur nostra lectio.

(9) *Factores et deos.* Supple, *esse.*

(10) *Incipientes.* Codd. Arund et Merc. 2, *accipientes.*

(11) *Ab altero quodam majore contineri.* Sic Feuard. in marg. et codd. Clarom., Pass. et Voss., melius et cum antecedentibus congruentius, quam Arund., Merc. 2, et editi, *ab alterutro quodammodo contineri.*

(12) *Velut inclusos. Velut*, pro *vel*, ex cod. Voss. reposuit Grabius. Consonant Clarom. et Feuard. in marg.

(13) *Minutissimam.* Sic cod. Clarom. pro quo barbare in Arund., Voss. et edit. Oxoniensi, *minimissimam.* In aliis, *minimam.*

Digitized by Google

CAPUT II.

Ab Angelis, vel ab alio quovis, præter sententiam supremi omnium Patris; fabricatum non esse mundum, sed ab eodem Patre per Verbum conditum fuisse.

1. Qui autem ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, præter sententiam ejus, qui super omnia Pater est, primo quidem ex hoc ipso peccant, præter voluntatem primi Dei talem et tantam conditionem Angelos fecisse dicentes: quasi efficaciores sint Angeli quam Deus, aut rursus quasi ille negligens sit, aut minor exsistens, aut nullam curam habens eorum, quæ in propriis ipsius fiant, utrumnam male, an bene fiant, ut illud quidem dissipet et prohibeat, alterum autem laudet et gaudeat: hoc autem (14-32) ne homini quidem solerti applicet quis, quanto magis Deo (33)?

2. Post deinde dicant nobis: Utrumnam in his, quæ ab illo continentur, et in propriis ejus, fabricata sunt hæc; an in alienis et extra eum positis? Sed si quidem dicant extra eum, similiter omnia prædicta inconvenientia occurrent eis, et includetur primus Deus ab eo qui extra eum est, in quo et desinere eum necesse erit. [a] Si autem in illius propriis (34), valde vanum erit præter sententiam ejus, in ejus propriis, ab Angelis et ipsis qui sunt in potestate ejus, aut ab alio quodam dicere fabricatum esse mundum, aut quasi non omnia prospiciat (35) ipse quæ sint in suis, ut non (36) sciat quæ ab Angelis futura sint.

3. Si autem non præter voluntatem ejus, sed volente et sciente, quemadmodum quidam opinantur; jam non Angeli, vel mundi fabricator causæ erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei. Si enim mundi fabricator est, Angelos ipse fecit, aut etiam causa creationis eorum ipse fuit; et mundum ipse videbitur fecisse, qui causas fabricationis ejus præparavit. Licet per longam successionem deorsum Angelos dicant factos, vel mundi fabricatorem a primo Patre, quemadmodum Basilides ait; nihilominus id quod est causa eorum quæ facta sunt, in illum, qui prolator fuit talis successionis, recurret: quemadmodum in regem correctio belli (37) refertur, qui præparavit ea quæ sunt causa victoriæ; et conditio hujus civitatis, aut hujus operis, in eum, qui præparavit causas ad perfectionem eorum, quæ deorsum facta sunt. Quapropter non jam securim dicimus concidere ligna, vel serram secare, sed hominem concidere et secare rectissime quis dicat eum, qui ipsam securim et serram ad hoc fecit, et multo prius armamenta omnia, per quæ fabricata sunt securis et serra. Sic igitur juste, secundum illorum rationem, Pater omnium dicetur fabricator hujus mundi, et non Angeli, neque alius quis mundi fabricator, præter illum qui fuit prolator, et primus (38) causa factionis hujusmodi præparationis exsistens.

4. Sit fortasse hic sermo suasorius, sive seductorius apud eos, qui ignorant Deum, et qui hominibus assimilant eum inopibus, et his qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum (39) fabricationem: non autem verisimilis in totum **118** apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium Deus (40), Verbo condidit omnia et fecit, neque Angelis indigens adjutoribus ad ea, quæ fiunt; neque Virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem; neque aliqua labe, neque ignorantia, ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret (41): sed ipse in semetipso, secundum id quod est enarrabile, et inexcogitabile nobis, omnia prædestinans fecit quemadmodum voluit; omnibus consonantiam (42), et ordinem suum, et initium creationis donans; spiritalibus quidem spiritalem et invisibilem, et supercœlestibus cœlestem, et Angelis angelicam, et animalibus animalem, et

[a] Cap. II.

(14-32) *Hoc autem*, etc. Eadem sententia usus est Epiphanius Ptolemæi ineptias refellens, *Hær.* 33, § 2: Τοῦτο οὐκ ἂν οὐδὲ ἐπὶ ἀνθρώπου λαμβάνοιτο παρά τινι τῶν ἐχόντων ἐρρωμένην τὴν διάνοιαν, μή· τοιγε ἐπὶ Θεοῦ. *Nemo sanæ mentis de homine quidem, nedum de Deo, tale quid audeat statuere.*

(33) *Quanto magis Deo.* Pro, *quanto minus Deo*, Græcorum more, ait Feuard. post Billium.

(34) *In illius propriis.* Sic recte Grab. ex cod. Voss. In Eras. et Gallas. tria hæc verba desunt; in Feuard., Clarom. et Pass. vox, *propriis.*

(35) *Prospiciat.* Ita Clarom., in Voss., *perspiciat*; cæteris, *respiciat.*

(36) *Ut non.* Eras., Gallas. et Feuard. *aut non.*

(37) *Correctio belli.* Scite notat Billius lib. 1 *Observat. sacrar.*, c. 33, interpretem hic non satis apte κατόρθωμα, vel κατόρθωσιν πολέμου, vertisse *belli correctionem*, cum potius, *bellicum successum* significet. Nam πόλεμον κατόρθωσε, qui bellum ex animi sententia confecit: quemadmodum et κατορθοῦν σωφροσύνην, idem est quod omnes temperantiæ numeros implere. Hactenus vir doctissimus.

(38) *Et primus.* Al. *et prius.*

(39) *Ad eorum.* Græcismus est pro *ad suam.*

(40) *Verisimilis... omnium Deus.* Hæc omnia in Feuard. edit. per incuriam typographi omissa esse dicit Grabius. Sed semel monuisse sufficiat cl. virum vitiosis omnino Feuard. editionibus usum fuisse. Pleraque enim quæ in Feuardentio deesse, vel corrupta esse queritur, sana et integra sunt in iis editionibus quas habeo ad manum; Paris. scilicet, an. 1576, et Colon. an. 1596. Has si per otium consuluisset vir eruditus, pluribus notis abstinuisset.

(41) *Ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret.* Regeneratio quidem hominis, inquit hic Grabius, fit per cognitionem Dei: sed qua ratione quis Deum cognoscere incipiens, homo primum creetur et fiat, haud capio. Id reipsa capi non potest; sed neque is est verborum sensus. At si advertisset vir eruditus τό, *inciperet eum cognoscere*, Græcismum esse interpreti familiarem, pro, *cognituros eum erat*, perspicua ei evasisset Irenæi sententia; scilicet *Deum neque labe, neque ignorantia indiguisse, ut is homo fieret, qui eum cognituros erat*, seu, *ad eum cognoscendum destinatus.*

(42) *Consonantiam.* Græce, ἁρμονίαν.

Digitized by Google

natantibus aquatilem, et terrigenis terrigenam, omnibus aptam qualitatis substantiam : omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit.

5. Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ, non indigere aliis organis ad conditionem (43) eorum, quæ fiunt : et idoneus (44) est et sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, quemadmodum et Joannes Domini discipulus ait de eo [65] : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (45). In omnibus autem, est et hic, qui est secundum nos mundus (46). Et hic ergo a Verbo ejus factus est, sicut Scriptura Geneseos dicit, omnia (47), quæ sunt secundum nos, fecisse Deum per Verbum suum. Similiter autem et David exsequitur : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt* [66]. Cui igitur magis credemus de mundi fabricatione, his ne, qui prædicti sunt, hæreticis, sic fatua et inconstantia garrientibus; an discipulis Domini, et fideli famulo Dei Moysi, et prophetæ? Qui et primo genesim mundi enarravit, dicens : *In principio Deus fecit cœlum et terram* [67], et deinceps reliqua omnia : sed non dii, neque angeli.

6. [68] Quoniam autem hic Deus est Pater Domini nostri Jesu Christi ; et ideo (48) Paulus apostolus dixit [69] : *Unus Deus Pater* (49), *qui super omnes* (50), *et per omnia* (51), *et in omnibus nobis* (52). Jam quidem ostendimus unum esse Deum : ex ipsis autem apostolis, et ex Domini sermonibus adhuc ostendemus. Quale enim est, prophetarum, et Domini, et apostolorum relinquentes nos voces, attendere his, nihil sani dicentibus?

CAPUT III.

Valentinianorum Bythum et Pleroma, et Marcionis Deum repugnare. Ab eodem factum esse mundum, a quo mente conceptus; nec fructum esse labis et ignorantiæ.

1. Instabilis (53) igitur qui est secundum eos Bythus, id quod est hujus Pleroma, et Marcionis Deus. Si quidem, quemadmodum dicunt, extra se habet subjacens aliquid, quod vacuum et umbram

[65] Joan. I, 3. [66] Psal. XXXII, 9, et CXLVIII, 5. [67] Gen. I, 1. [68] Cap. III, [69] Ephes. IV, 6.

(43) *Conditionem.* Pro *creationem*, passim apud interpretem.

(44) *Idoneus.* Haud attendens interpres *Verbum* Latinorum non ejusdem generis esse ac Λόγος Græcorum, masculinum genus posterioris passim tribuit priori. Ne mireris ergo si deinceps masculina vox cum *Verbo* juncta occurrat.

(45) *Et sine ipso factum est nihil.* Ita huic sententiæ finem imponunt non Irenæus modo hic, et lib. I, c. 22, ac libr. III, c. 11, n. 7, alibique non raro, sed et Tertull., Cyprianus, Hilarius, Augustin., Hieron., ex Græcis quoque Origenes, Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, etc., tametsi, inquit Feuardent., aliter videatur locus interpungendus Chrysostomo et Theophylacto. Lege sis Ambrosium lib. III *De fide*, cap. 6. Quod autem addit Feuard., Irenæum nostrum utramque admittere lectionem lib. III, c. 11, falsum esse apparebit editionem nostram consulenti.

(46) *Qui est secundum nos mundus.* Hellenismus est, pro *mundus noster*. Sed ejusmodi phrases Græcæ et frequentiores et faciliores sunt, ut singulis in locis notari debeant.

(47) *Sicut Scriptura Geneseos dicit omnia*, etc. Sensum, non verba Geneseos profert Irenæus. Respicit enim primum caput, cujus initio rerum omnium creatio summatim refertur his verbis : *In principio creavit Deus cœlum et terram :* tum postea sigillatim et ordine describitur ; ubique vero Dei Verbo facta dicitur. Nam illud, *in principio*, et ista, *dixit Deus*, de Verbo Dei substantiali intelligenda esse volunt antiquissimi Patres, il potissimum qui contra Arianos scripserunt ; et cum Irenæo probant ex illo Joannis, *omnia per ipsum facta sunt.* Lege sis Tertullian. *cont. Praxeam*, et Hilar. lib. IV *De Trinitate* circa med., ut de aliis sileam.

(48) *Et ideo.* Sic Feuard. in marg., Voss. et Pass. Reliqui, *et de hoc :* solus Otteb., *et de his.*

(49) *Unus Deus Pater.* In omnibus nostris sive Græcis, sive Latinis Nov. Test. codicibus legitur : Καὶ Πατὴρ πάντων, *et Pater omnium ;* sicque legunt omnes SS. Patres. Omittunt quidem conjunctionem καί, *et*, Chrysostom. in hunc locum, et interpretatio Syriaca : sed qui πάντων, *omnium*, omiserint, alios vix reperias, præter Irenæum. Nec hoc loco duntaxat omittit, sed et lib. IV, c. 20, et lib. V, c. 18. Si vero lib. IV, c. 52 edit Feuard. (nunc 32) legatur, hanc vocem addidit Feuard., sed contra præcedentium editt. et majoris partis mss. codicum fidem, ut ante me observavit Grabius. Nollem tamen cum doctissimo viro hinc inferre tam copulativam καί, quam vocem πάντων in Irenæi codice defecisse. Id saltem de copulativa dici non potest, quæ ex omnium cum editt. tum mss. consensu legitur lib. IV cit. cap. 32. Sed nec πάντων abfuisse ab Irenæi exemplari demonstrat ab cl. viro allata ratio, scilicet Irenæum ex hoc loco probare Deum esse Patrem Domini nostri J. C., nullam autem fore consequentiam, si Πατὴρ πάντων ibi dicatur. Imo ex eo quod *Pater omnium* dicatur, et *ex quo*, ut dixerat Apostolus cap. præcedenti, *omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur*, recte sequitur esse Patrem et Domini nostri Jesu Christi : qui enim *omnium* dicit, nullum excipit.

(50) *Qui super omnes. Est* in editt. Eras., Gallas. et Feuard. ex Latina Vulgata additum merito delevit Grabius, quia abest a codd. Clarom., Arund., Voss. et Merc. 1, nec in Græco apparet vox ἐστί. Quin et in antiquissimis mss. Novi Test. codd. omittitur verbum *est*. Tres hic asservantur in bibliotheca nostra San Germanensi, alter Græco-Latinus annorum circiter mille, alii duo annorum plusquam octingentorum, in quibus scriptum legitur ut hic, *qui super omnes*, absque verbo *est*.

(51) *Per omnia.* Codd. Clarom. et Voss., *ipse per omnia.*

(52) *Nobis.* In Græcis nostris Novi Testam. codd. ut et apud Chrysost. hom. 11 in Epist. ad Ephes. legitur, ὑμῖν. Sed *nobis* cum Irenæo habent, præter Vulgatam nostram, tres supra citati bibliothecæ nostræ codd. mss. (in eo qui Græce scriptus est, ὑμῖν) aliique Græci plures in Oxoniensi Novi Testam. edit. an. 1675 laudati, Firmilianus epist. 75 (edit. Oxon.) inter Cyprianicas, Hilarius lib. IV *De Trinit.* n. 34, Hieron. in *divina Bibliotheca* ab eruditissimo Martianæo nostro vulgata tom. I novæ edition. Hieronymianæ, etc., quanquam tamen non desint mss. codices Novi Test. in quibus neutra vox occurrat, qualis est Alexandrinus, aliique quos recensent clarissimus Millius in sua Novi Test. edit. et auctor edit. Oxon. mox citatæ.

(53) *Instabilis.* Græce ἀσύστατος. Porro, inquit Billius loco sup. cit., aliquid ἀσύστατον εἶναι, sem *instabile esse, non constare*, etc., ut sæpe loquitur interpres noster, quamvis non satis proprie; est

Digitized by Google

vocant; et vacuum hoc majus Pleromate (54) ipsorum ostenditur. Instabile **119** est autem et hoc dicere, infra se (55) omnia continente eo (56), ab altero quodam fabricatam esse conditionem. Oportet enim illos necessario vacuum aliquid et informe confiteri, in quo fabricatum est hoc quod est universum, infra spiritale Pleroma; et informe hoc, utrum (57) sciente (58) Propatore, quæ in eo futura erant, ex studio sic reliquisse (59), an ignorante? Et si quidem ignorante, jam non omnium erit præscius Deus. Sed ne quidem causam reddere habebunt (60), propter quam rem locum hunc temporibus tantis otiosum sic reliquit. Si autem præscius est, et mente contemplatus est eam conditionem, quæ in eo loco futura esset; ipse fecit eam, qui etiam præformavit eam in semetipso.

2. Quiescant igitur dicere, ab alio factum esse mundum: simul enim ac mente cepit Deus, et factum est hoc, quod mente conceperat. Nec enim possibile erat alium quidem mente concipere, alium vero facere, quæ ab illo mente concepta fuerant. Sed aut æternum mundum mente concepit, secundum eos hæreticos, Deus, aut temporalem: quæ utraque incredibilia. Sed, si quidem æternum eum mente concepit, et spiritalem, et visibilem (61); talis et factus fuisset. Si autem talis qualis est, et ipse fecit eum talem, qui talem quidem mente conceperat. Aut in præsentia Patris voluit (62) esse eum secundum mentis conceptionem talem, et compositum, et mutabilem, et transeuntem. Cum autem sit talis, qualem Pater deformaverat apud semetipsum, dignam esse Patris fabricationem (63). Quod autem a Patre universorum mente conceptum est, et præformatum sic, quemadmodum et factum est, labis esse dicere fructum, et ignorantiæ prolationem, magnæ blasphemiæ est. Erit enim, secundum illos, Pater omnium secundum suam mentis conceptionem in pectore suo labis emissiones et ignorantiæ fructus generans: quæ enim mente conceperat, hæc et facta sunt.

CAPUT IV.

Vacui et labis hæreticorum absurditas demonstratur.

1. Causa igitur quærenda est hujusmodi dispositionis Dei, sed non fabricatio mundi alteri ascribenda: et ante præparata omnia dicenda sunt a Deo, ut fierent, quemadmodum et facta sunt, sed non umbra et vacuitas confingenda est. Cæterum, unde vacuitas? quæretur. Utrum ab omnium Patre et prolatore, secundum eos, et ipsum prolatum, et est æqualis honore, et cognatum reliquis Æonibus, forte autem et antiquius (64) ipsis? Si autem ab eodem emissum est, simile est ei qui emisit, et his cum quibus emissum est. Necessitas ergo erit omni modo, et Bythum ipsorum cum Sige vacuo similem esse, hoc est, vacuum esse: et re-

id nullo modo constare posse, ab omni verisimilitudine abhorrere, ita prodigiose et absurde confictum esse, ut omnem verisimilitudinem excedat, etc.

(54) *Majus Pleromate.* Ita recte Feuard. in marg. Eras., Clarom., Voss., Merc. 2 et edit. Oxon., Gallas. vero et Feuard. in textu, ac cod. Pass., *magis Pleromate*: quam lectionem genuinam censet Billius, nostramque sensu ipso refelli contendit. Etenim, inquit, Græcismo hoc, *vacuum hoc magis Pleromate ipsorum ostenditur instabile*, vult Irenæus vacuum illud, quod Valentiniani inducebant, stultius adhuc, absurdiusque esse Pleromate illo, quod jam confutarat. Sed viro doctissimo fucum fecit tum prava editorum interpunctio, in quibus, *instabile* periodum claudit; cum tamen ex codd. Clarom. et Voss. et ipso sensu ita exigente, ea vox novam inchoare debeat: tum quod non satis attendit ad argumentum quod Irenæus hujus lib. c. 1 adversus Valentinianos intorquet: si quid sit extra Pleroma (vacuum et umbram dicebant illi, ut lib. 1, cap. 4 videre est), eo Pleroma continebitur: unde jam argumentum breviter resumens concludit, *vacuum hoc majus Pleromate ipsorum fore.*

(55) *Infra se.* Pro, *intra se.* Sed in Clarom. et Voss. deest, *se.*

(56) *Continente eo.* Bytho scilicet.

(57) *Utrum... an.* Particulas ἤ... ἤ vertere debuisset interp. *aut... aut*, non, *utrum... an.*

(58) *Sciente.* Codd. Arund., Merc. 2. et Grab., *præsciente.*

(59) *Reliquisse.* Suppl. *Demiurgum.*

(60) *Causam reddere habebunt.* Hellenismum esse bene monet Feuard. αἰτίαν οὐκ ἔχουσιν ἀποδοῦναι, id est, *causam assignare non poterunt.*

(61) *Et visibilem.* Legendum videtur, *et invisibilem.* Nisi forte in Græco scriptum fuerit θεωρητόν, *sola mente percipiendum*, quod male verterit interpres, *visibilem.*

(62) *In præsentia Patris voluit.* Sic edidit. Eras., Gallas. et Feuard. At mss. cum edit. Oxon. pro, *voluit*, habent *volunt.* Quam lectionem ex scribarum imperitia profectam esse puto. Cum enim Irenæi argumentationem haud assequerentur, ad hæreticos retulerunt, quod ad Marcionis Deum, quem refellit auctor, ipsa orationis series referendum esse demonstrat. Id adeo verum est, ut Grabius ipse, qui mss. codicum lectionem vulgatæ prætulit, fateatur totam hanc periodum vix intelligi posse, nisi pro *in præsentia*, legatur *præscientia*: cum tamen hæc ipsa vox, *præsentia*, quam unanimi consensu codices omnes exhibent, alteram *voluit*, cum qua tam male cohæret, in suspicionem apud cl. virum vocare debuisset. Nostra vero lectio, nulla vi textui illata, apte secum omnia compingit. Quia nempe quispiam e Marcionitarum grege, ad angustias redactus respondere forte potuisset, a supremo Patre rerum omnium ideam mente quidem conceptam fuisse, a Demiurgo vero structuram ad effectum perductam; subsumens Irenæus reponit: non ergo Deo Patre indignam, nec proinde malam, dicendam esse structuram, cujus archetypum, juxta quod ageret opifex, effingere dedignatus non fuerat. *Aut*, inquit, *in præsentia Patris*, id est, conscio, vidente, et approbante Patre, *voluit* Demiurgus, seu Marcionis Deus, *esse eum secundum mentis conceptionem talem*, talem condere mundum, qualem mente concepit Pater, *compositum* videlicet, et *mutabilem et transeuntem.* Si vero *sit talis, qualem Pater deformaverat apud semetipsum*, sequitur *dignam esse Patris fabricationem*, seu culpandam non esse; nec Patrem dedecere eam fabricationem.

(63) *Dignam esse Patris fabricationem.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Consentire videntur et Arund. ac Merc. 2; habent enim *fabricationem.* In cæteris vero legitur, *dignum esse Patris fabricatione*, mundum scilicet; quæ quidem lectio bona est; sed prior melior videtur, et Irenæi scopo et argumento magis consentanea.

(64) *Et ipsum prolatum... cognatum... anti-*

Digitized by Google

liquos Æonas, cum sint vacui (65) fratres, vacuam et substantiam habere. Si autem non est emissum, a se natum est, et a se generatum est, et æquiparans in tempore ei, qui est secundum eos, Bytho omnium Patri; et sic ejusdem naturæ, et ejusdem honoris erit vacuum ei, qui est secundum eos, omnium Patri. Oportet enim illum (66) aut emissum esse ab aliquo; aut a se generatum, et a se natum esse. Sed si quidem emissum est vacuum, vacuus et prolator (67) est Valentinus, vacui et sectatores ejus. Si autem non prolatum est, sed a se generatum est; et simile est, et fraternum, et ejusdem honoris id quod est vacuum, ei Patri qui prædictus est a Valentino : antiquius autem et multo ante exsistens, et honorificentius reliquis Æonibus ipsius Ptolemæi, et Heracleonis, et reliquis omnibus (68) qui eadem opinantur.

2. Si autem aporiati (69) in his confiteantur continere omnia Patrem omnium, et extra Pleroma esse nihil (nam necessitas est (70) omni modo definiri eum, et circumscribi ab aliquo majore): et id quod extra, et quod intus, dicere eos secundum agnitionem et ignorantiam, sed 120 non secundum localem distantiam (71) : in Pleromate autem, vel in his quæ continentur a Patre, facta a Demiurgo, aut ab Angelis, quæcunque et facta scimus, contineri ab inenarrabili magnitudine, velut in circulo centrum, aut velut in tunica maculam : primo quidem qualis Bythus erit sustinens in sinu suo maculam fieri; et permittens in suis alterum quemdam condere, vel proferre, præter suam mentem? Quod quidem indecibilitatem (72) universo Pleromati afferre inciperet (73), cum posset ab initio abscindere labem, et eas, quæ ab eo (74) initium acceperunt, emissiones; neque in ignorantia, neque in passione, neque in labe constitutionem creationis permittere accipere. Qui enim postea emendat labem, et velut maculam emundat habem, multo prius poterat observare, ne quidem initio in suis fieri talem maculam. Vel si initio quidem concessit, quoniam aliter fieri non poterant, quæ facta sunt; oportet et semper sic fieri illa. Quæ enim initio non possunt emendationem percipere, quemadmodum hanc postea percipient? Aut quemadmodum homines advocari ad perfectum dicunt, cum illa ipsa quæ sunt causæ, ex quibus facti sunt homines, vel ipse Demiurgus, vel Angeli, in labe dicantur esse? Et si ideo quod benignus sit, in novissimis temporibus misertus est hominum, et perfectum eis dat; illorum primo misereri debuit, qui fuerunt hominis factores, et dare eis perfectum. Sic utique et homines miserationem percepissent, de perfectis (75) perfecti facti. Si enim operis ipsorum misertus est, multo prius illorum misereri debuit, et non sinere in tantum cæcitatis venire eos.

3. Solvètur autem eorum et ille, qui est de umbra et vacuo, sermo, in quibus eam, quæ est secundum nos, factam dicunt conditionem, si in his quæ continentur a Patre facta sunt hæc. Si enim paternum illorum lumen tale opinantur, ut omnia adimplere possit, quæ intra eum sunt, et omnia illuminare : quemadmodum vacuum, vel umbra (76) in his, quæ a Pleromate et a paterno lumine continentur, poterat esse? Oportet enim eos locum ostendere intra Propatorem, aut intra Pleroma, non illuminatum, nec retentum ab aliquo, in quo aut Angeli, aut Demiurgus fecit quæcunque voluit. Nec enim modicus locus est, in quo tanta et talis conditio facta est. Necessitas erit itaque universa, intra Pleroma, aut intra Patrem ipsorum localiter vacuum aliquid, et informe, et tenebrosum fieri eos (77), in quo fabricata sunt, quæ fabricata sunt. Incusationem quoque recipiet paternum ipsorum

quius. Syntaxi pessime consultum hic. Κένωμα quidem neutrius generis est apud Græcos, sed *vacuitas* feminini apud Latinos. Hæc igitur omnia in feminino reponenda.

(65) *Vacui*. Græce κενώματος, in genitivo proinde.

(66) *Illum*. Pro *illud*.

(67) *Vacuus et prolator*. In codd. Pass. et Voss., *cujus et prolator*; in Clarom., *a cujus et prolator*. Sed frustra suspicatur Grabius utraque lectione retenta legendum : *cujus prolator Valentinus, vacuus et prolator est Valentinus*.

(68) *Et reliquis omnibus*. Mallem, *et reliquorum omnium*. Hæc enim ad hæreticos, non ad Æones referuntur.

(69) *Aporiati*. Græce ἀπορούμενοι, *ad angustias redacti*.

(70) *Nam necessitas est*. Hæc verba parenthesi recte incluserunt Feuard. et Grab. Sed eam utercque nimium protendit, hic usque ad *localem distantiam*, ille usque ad *in tunica maculam*; cum desinere debeat in his verbis, *ab aliquo majore*. Quæ enim sequuntur, alia sunt hæreticorum responsionis membra, ut ex sequenti capite liquet.

(71) *Non secundum localem distantiam*. Genuinam hanc lectionem suppeditat cod. Clarom.; cæteri omnes corrupte, *non secundum localem sententiam*, ut in editt. omnibus; vel *localem substantiam*, ut in Feuard. marg., Voss. et Pass. legitur. Et mirum Billio *localem sententiam* arridere potuisse : si enim Græci quandoque dicant, τοπικὴν ἔννοιαν (ut contendit vir eruditus, nullo exemplo probat), eo certe sensu dicunt, qui huic loco repugnet. *Localis distantia*, ut et cap. sequenti τὸ *localiter*, opponitur *agnitioni et ignorantiæ*; adeo ut sensus sit : si ad angustias redacti hæretici fateantur, supremum Patrem omnia continere, nihilque extra Pleroma esse; et illud, *intus*, vel *extra Pleroma*, non de locali quadam distantia, seu extensione accipiendum esse, sed ratione agnitionis et ignorantiæ: adeo ut esse intra Pleroma, nihil aliud sit quam in agnitione versari; extra Pleroma esse, sit in ignorantia degere, ut cap. sequenti explicatur, etc.

(72) *Indecibilitatem*. Sic feliciter restituit Grabius ex codd. Arund., Voss. et Merc. 2. Consentiunt Ottob. et Clarom. In aliis editt. male, *imbecillitatem*.

(73) *Afferre inciperet*. Græcismus, pro *allaturum esset*.

(74) *Ab eo. Demiurgo* videlicet.

(75) *De perfectis*. Quidam, *de perfecto*. Hic vero *de* pro *a* accipitur.

(76) *Vel umbra*. Alii, *et umbra*.

(77) *Fieri eos*. Sic Clarom. et Anglic. cum edit.

Digitized by Google

lumen, quasi non possit ea, quæ intra ipsum sunt, illuminare et implere. Adhuc autem et labis fructus (78) dicentes ea, et erroris operam, labem et errorem inducent (79) intra Pleroma, et in sinum Patris.

CAPUT V.

In iis quæ continentur a Patre mundum hunc ab aliis factum non esse.

1. Adversus eos igitur qui dicunt, extra Pleroma, vel sub bono Deo hunc mundum factum, ea quæ paulo ante[70] dicta sunt a nobis, apta sunt; et concludentur tales cum Patre suo, ab eo qui est extra Pleroma, in quo etiam et desinere eos necesse est. Adversus eos autem qui dicunt, in his quæ continentur a Patre, ab aliis quibusdam factum hunc mundum, omnia, quæ nunc dicta sunt[71], absurda et inconvenientia occurrent; et cogentur aut omnia lucida, et plena, et operosa, ea quæ sunt intra Patrem confiteri : aut paternum lumen accusare, quasi qui non possit (80) omnia luminare : aut sicut pars, sic et universum Pleroma ipsorum vacuum, et indispositum, et tenebrosum confitendum. Et reliqua omnia, quæcunque sunt conditionis (81), accusant, quasi temporalia sint: aut æterno-choica (82), aut inaccusabilia esse oportet, cum 121 sint intra Pleroma et in sinu Patris : aut etiam in universum Pleroma similiter venient incusationes; et causa ignorantiæ invenitur Christus eorum. Sicut enim (83) dicunt, cum formasset secundum substantiam Matrem ipsorum, foras projecit extra Pleroma, id est, separavit ab agnitione. Ipse igitur in ea ignorantiam fecit, qui separavit eam ab agnitione. Quomodo igitur idem ipse reliquis quidem Æonibus, iis qui eo anteriores erant, præstare agnitionem poterat (84); Matri autem ejus causa esse ignorantiæ? Extra agnitionem enim fecit eam, extra Pleroma eam projiciens.

2. Adhuc quoque si secundum agnitionem et ignorantiam, intra Pleroma et extra Pleroma dicunt, sicut quidam ex ipsis dicunt, quoniam qui in agnitione est, intra id (85) est, quod agnoscit; ipsum Salvatorem (quem omnia esse dicunt) in ignorantia fuisse consentire eos necesse est. Dicunt enim eum, cum foras extra Pleroma venisset, formasse Matrem ipsorum. Si igitur id quod est extra, ignorantiam dicunt universorum; exiit autem Salvator ad formationem Matris ipsorum, extra agnitionem universorum factus est, hoc est, in ignorantia. Quomodo igitur illi agnitionem præstare poterat, cum et ipse (86) extra agnitionem esset? Et nos enim, extra agnitionem cum simus ipsorum, extra Pleroma esse dicunt. Et iterum : Si igitur Salvator exivit extra Pleroma ad investigationem perditæ ovis, Pleroma autem est agnitio, extra agnitionem factus est, quod est in ignorantia (87). Aut enim localiter quod est extra Pleroma

[70] Sup. cap. I. [71] Cap. II, III et IV.

Oxon. In aliis deest *eos*. Hæreticos autem, inquit Grabius, hic more solito salse perstringit Irenæus. Et quoniam hi aliud *vacuum et tenebrosum* intra Bythum ostendere haud poterant, illos ipsos ejusmodi esse concludit. Ingeniosa quidem explicatio: verum suspicarer Græce scripsisse Irenæum, ποιεῖσθαι αὐτούς, quod vertere debuisset interpres, *fingere eos*, seu *efformare eos*; non passiva significatione, *fieri*; ut sensus sit : cum *vacuum* aliquid et *tenebrosum* intra Bythum, aut Pleroma ostendere non valeant, necesse est, si quidpiam ejusmodi esse velint, ipsimet effingant, fabricenturque. Tum vero id in paterni luminis dedecus redundabit, etc. Sic Irenæum explicando sequens hæc periodus, *incusationem quoque*, etc., cum præcedenti facile cohærebit.

(78) *Labis fructus*. Editt., *labis fructum*.

(79) *Inducent*. Sic ex Feuard. marg., Clarom., Pass. et Voss. reposui, pro *adducent*.

(80) *Quasi qui non possit*. *Qui* ante *non* deest in Arund. nec admodum necessarium est. Retineri tamen potest, modo referatur ad Patrem.

(81) *Quæcunque sunt conditionis*. Id est, *quæcunque creata sunt*.

(82) *Aut æterno-choica*. Genuinam hanc lectionem solus habet cod. Clarom.; cæteri omnes cum editt. tum mss. corrupte, *et æterna-choica*. Loci hujus corruptionem sensit quidem Grabius, sed restitutionem infeliciter tentavit, legi volens, *ac terrena et choica*; quam quidem lectionem totus contextus respuit. Ei vero qui mecum legerit, *aut æterno-choica*, plana evadent omnia. Argumentatur nimirum Irenæus *adversus eos qui dicunt, in his quæ continentur a Patre, ab aliis quibusdam factum esse hunc mundum*, et mala esse ac culpanda quæcunque creata sunt, quia temporalia sunt. Eos vero pro more dilemmate isto premit: quæcunque creata accusant, quia temporalia sunt, *aut æterno-choica*, seu æterna simul et choica esse fateantur necesse est, *aut inaccusabilia*. *Æterno-choica quidem*, quia *in æternis, in incorruptibilibus, intra* ipsum *Pleroma, et in sinu* ipso *Patris* condita choica et corruptibilia. *Inaccusabilia vero*, alias *in universum Pleroma similiter venient incusationes*. Hancque Irenæi mentem esse, genuinamque nostram lectionem concedet, quisquis ad id attenderit quod aliquanto post paulo enucleatius repetit S. doctor: *Jam igitur non est fabricator causa hujus operationis, valde bene putans semetipsum fabricare, sed qui in suis concedit et probat labis prolationes et erroris opera fieri, et in æternis temporalia, et in incorruptibilibus corruptibilia, et in his quæ veritatis sunt, ea quæ sunt erroris*. Quæ hic dicit, *in æternis temporalia, et in incorruptibilibus corruptibilia*, ea ipsa sunt quæ, priori loco, una voce appellat *æterno-choica*.

(83) *Sicut enim*. In Eras., Gall. et Feuard. male, *sic enim*.

(84) *Præstare agnitionem poterat*. *Sidus* enim Pleromatis dicitur lib. I, c. 11, n. 6.

(85) *Qui in agnitione est, intra id*, etc. Ita Feuard. in marg., Clarom., Pass., Voss. et editio Oxon. Alia exemplaria vitiose *qui ignorantiæ est intra, id*, etc.

(86) *Cum et ipse*. In Eras, Gall. et Feuard. male, *ipsa*, quasi ad Matrem referretur.

(87) *Quod est in ignorantia*. Quidam tam hic, quam paulo ante, et paulo post, omittunt *in*: Grabius vero omisit *quod est*; utrique male. Sensus enim est, Salvatorem, si extra Pleroma exierit, extra agnitionem versatum fuisse : Pleroma quippe *agnitio* est, et intra Pleroma esse, est in agnitione degere, ut mox dictum est : ac proinde Salvatorem *in ignorantia factum*, seu versatum esse, et ideo ignorationi obnoxium.

Digitized by Google

consentire eos necesse est; et omnia quæ prædicta sunt contraria occurrent eis: vel si secundum agnitionem dicunt quod est intus, et ignorantiam quod est extra; Salvator illorum, et multo ante Christus, in ignorantia facti erunt, extra Pleroma egressi ad formationem Matris ipsorum, quod est extra agnitionem.

3. Hæc autem adversus omnes, qui quolibet modo vel ab Angelis, vel ab alio quodam, præter verum Deum (88), mundum factum esse dicunt, similiter adaptabuntur. Quam enim incusationem faciunt de Demiurgo, et de his, quæ facta sunt materialia, et temporalia, recurret (89) in Patrem: siquidem quemadmodum (90) in ventre Pleromatis facta sunt, quæ incipierent mox demum dissolvi, secundum concessionem et ad placitum Patris? Jam igitur non est fabricator causa hujus operationis, valde bene putans semetipsum fabricare; sed qui in suis concedit et probat labis prolationes et erroris opera fieri, et in æternis temporalia, et in corruptibilibus corruptibilia, et in his quæ veritatis sunt, ea quæ sunt erroris. Si autem non concedente, neque approbante Patre universorum, facta sunt hæc; potentior, et fortior, et dominatior is, qui fecit in iis, quæ propria illius sunt, quæcunque ille non concessit. Si autem non approbans concessit Pater ipsorum, quemadmodum quidam dicunt; aut potens prohibere concessit propter necessitatem quamdam, aut non potens. Sed si quidem non poterat, invalidus et infirmus est: si autem potens, seductor, et hypocrita, et necessitatis servus; non consentiens quidem, concedens autem quasi consentiat (91). Et initio concedens sistere errorem (92), et crescere illum, in posterioribus temporibus solvere illum conatur, quando jam multi male perierunt propter labem (93).

4. Non decet autem eum qui super omnia sit Deus, cum sit liber et suæ potestatis, necessitati servisse dicere, ut sit aliquid secundum concessionem præter sententiam ejus: alioquin necessitatem majorem et dominatiorem facient quam Deum, quando id quod magis potest, antiquius (94) sit omnibus. Et statim in principio causas abscidere

[72] Iliad. Δ, 43. [72] Luc. x, 22, et Matth. xi, 27.

A necessitatis debuit, et non concludere semetipsum ad habendam necessitatem, concedendo aliquid præterquam deceat eum. Multo enim melius, et consequentius, et magis deificum erat, ut in principio initium (95) excideret hujusmodi necessitatis, quam postea, quasi de pœnitentia (96), conaretur tantam fructificationem necessitatis eradicare. Et si necessitati serviens erit Pater universorum, et sub fatum cadet moleste (97) ferens in his quæ fiunt, præter necessitatem autem et fatum nihil agere possit (similiter atque Homericus Jupiter, qui per necessitatem dicit (98): *Et ego enim tibi dedi velut volens, nolente animo* [72]): secundum igitur (99) hanc rationem necessitatis et fati inveniet servus Bythus ipsorum.

B

122 CAPUT VI.

Ab Angelis, aut a mundi fabricatore supremum Deum ignorari non potuisse.

1. Quomodo autem et ignorabant vel Angeli, aut mundi fabricator, primum Deum, quando in ejus propriis essent, et creaturæ existerent ejus, et continerentur ab ipso? Invisibilis quidem poterat eis esse, propter eminentiam; ignotus autem nequaquam, propter providentiam. Etenim licet valde per descensionem multum separati essent ab eo, quomodo dicunt; sed tamen dominio in omnes extenso, oportuit cognoscere dominantem ipsorum, et hoc ipsum scire, quoniam qui creavit eos, est Dominus omnium. Invisibile enim ejus cum sit potens, magnam mentis intuitionem et sensibilitatem C omnibus præstat potentissimæ et omnipotentis eminentiæ. Unde etiamsi *nemo cognoscit* (1) *Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater, et quibus Filius revelaverit* [72]; tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixa moveat ea, et revelet eis, quoniam est unus Deus, omnium Dominus.

2. Et propter hoc Altissimi et Omnipotentis appellationi omnia subjecta sunt: et hujus invocatione etiam ante adventum Domini nostri salvabantur homines et a spiritibus nequissimis, et a dæmoniis universis, et ab apostasia universa (2): non quasi vidissent eum terreni spiritus, aut dæ-

(88) *Verum Deum.* Ita Feuard. in marg. et Clarom. melius quam cæteri *Verbum Dei.* Arund., *Verbum Deum.*

(89) *Recurret.* Alii, *recurreret.*

(90) *Quemadmodum.* Pro *quomodo*; passim.

(91) *Quasi consentiat.* In Eras., Gallas. et Feuard. edit. 1576, *quasi consentiens*, et ita bene. Sed in altera Coloniensi et in codd. Clarom. et Pass. perperam, *quasi non consentiat*,

(92) *Sistere errorem. Sistere*, inquit Billius, hic pro *consistere* et *emergere* accipitur, Græce συνίστασθαι.

(93) *Propter labem.* Eras., Gall. et Feuard., *per labem.*

(94) *Antiquius.* Id est, præstantius, melius.

(95) *Initium.* Græce ἀρχήν, quod hic vertendum erat *principium, causam.*

(96) *De pœnitentia.* Græce ἐκ μεταβολῆς, ait Billius: sed melius Grabius, ἐκ μετανοίας, id est *mutata sententia.* D

(97) *Moleste.* Sic Grabius ex Arund. (cui consentit et Clarom.) melius quam cæteri, *modeste.*

(98) *Dicit.* Ἰλιάδ. Δ, v. 43.

Καὶ γὰρ ἐγώ σοι δῶκα ἑκὼν, ἀέκοντί γε θυμῷ.

(99) *Secundum igitur*, etc. Male in omnibus editt. ab his verbis nova inchoatur periodus, nondum absoluto sensu præcedentis.

(1) *Nemo cognoscit.* De hoc Evangelii testimonio ab hæreticis depravato vide supra lib. I, cap. 20, et ibidem adnotata, et infra lib. IV, cap. 6.

(2) *Ab apostasia universa.* Id est ab omni potestate tenebrarum. Nam cacodæmones passim vocat apostatas, eorumque principem diabolum, *principem apostasiæ, principem abscessionis.* Vide lib. III, cap. 23, n. 3, lib. IV, c. 41, n. 2.

Digitized by Google

mones, sed cum scirent quoniam est, qui est super omnia Deus, cujus et invocationem tremebant, et tremit universa creatura, et Principatus, et Potentia, et omnis subjecta Virtus. Aut nunquid hi, qui sub Romanorum imperio sunt, quamvis nunquam viderint Imperatorem, sed valde et per terram, et per mare separati ab eo, cognoscent, propter dominium, eum qui maximam potestatem habet principatus; qui autem super nos erant Angeli, vel ille quem mundi fabricatorem dicunt, non cognoscent Omnipotentem, quando jam et muta animalia tremant et cedant tali invocationi? Et utique non viderunt eum, tamen Domini nostri (3) nomini subjecta sunt omnia: sic et ejus (4) qui omnia fecit et condidit vocabulo, cum alter non sit, quam ipse qui mundum fecit. Et propter hoc Judæi usque nunc hac ipsa adfatione (5) dæmonas effugant, quando (6) omnia timeant invocationem ejus qui fecit ea.

3. Si itaque mutis animalibus irrationabiliores noluerint Angelos esse, invenient quoniam oportebat, licet non vidissent hi eum, qui super omnia Deus est, uti cognoscerent potentatum et dominium ejus. Ridiculum enim vere apparebit, si se quidem, qui super terram sunt, cognoscere dicunt eum, qui super omnia est Deus, quem nunquam viderunt; ei autem qui eos fecit, et universum mundum, secundum eos, non permittant (7), cum sit in summis et super cœlos, cognoscere ea, quæ ipsi, cum sint in humilibus, sciunt. Nisi forte sub terra in Tartaro esse Bythum suum dicunt: quapropter et primos se cognovisse eum, quam hi qui in altitudine habitarent (8) Angeli; in tantam amentiam venientes, uti dementem pronuntient mundi fabricatorem: quorum vere quidem est misereri, cum in tanta dementia dicant, neque Matrem agnovisse eum (9) neque semen ejus, neque Pleroma Æonum, neque Propatorem, neque quid essent quæ fabricavit; [74] esse autem imagines eorum, quæ intra Pleroma sunt, latenter Salvatore operato sic fieri (10) in honorem eorum, qui sursum sunt.

[74] Cap. VI.

CAPUT VII.

Res creatas imagines non esse Æonum, qui sursum sunt intra Pleroma.

1. Ignorante itaque (11) Demiurgo universa, Salvatorem dicunt honorasse Pleroma in conditione per Matrem, similitudines et imagines eorum, quæ sursum sunt, emittentem. Sed quoniam quidem impossibile erat, extra Pleroma esse aliquid, in quo imagines dicunt factas esse eorum, qui sunt intra Pleroma, vel ab alio quodam præter primum Deum fabricari hunc mundum, ostendimus. Si autem suave est undique evertere eos, et mendaces arguere, dicemus adversus eos, quoniam, si in honorem eorum quæ sursum sunt (12), facta sunt hæc secundum illorum imaginem a Salvatore, semper ea oportet perseverare, uti et semper sint in **123** honore, quæ sunt honorata. Si autem transeunt, quæ utilitas hujus brevissimi temporis honoris, qui aliquando quidem non fuit, rursus autem non erit? Vanæ igitur gloriæ appetitor magis (erit) (13) Salvator, quam honorans quæ sunt sursum arguitur a nobis (14). Quis enim honor est æternorum eorum quæ semper sunt, ea quæ sunt temporalia; eorum quæ stant, ea quæ prætereunt; incorruptibilium, corruptibilia? Quandoquidem et apud homines, qui sunt temporales, nulla gratia est ejus honoris, qui celeriter præterit: sed ejus qui in plurimum (15), quantum potest, perseverat. Quæ autem statim ut facta sunt exterminantur, in contumeliam magis eorum, qui putantur honorari, facta esse juste dicentur: et contumeliose tractari id quod est æternum, corrupta ejus et soluta imagine. Quid autem, si non plorasset, et risisset, et aporiata esset Mater ipsorum; non habuisset (16) Salvator per quæ honoraret plenitudinem, extremæ confusionis non habentis propriam substantiam (17), per quam honoraret Propatorem?

2. O vanæ gloriæ honor, qui statim præterit, et

(3) *Domini nostri.* Hæc ad imperatorem refero. Grabius vero de Jesu Christo interpretatur, sed minus recte. Ista enim, quæ immediate præcedunt, *non viderunt eum*, demonstrare videntur Irenæum jam cœptam comparationem prosequi, et ex eo quod imperatori Romanorum, cujus dominio tunc parebat Lugdunum, subjecta essent omnia, licet a plurimis visus nunquam fuisset, colligere et Dei Patris imperio subditos fore Angelos, quamvis hunc nunquam conspexissent.

(4) *Sic et ejus.* Alias vitiose, *sic et unus.*

(5) *Adfatione.* Sic Clarom., Arund. et edit. Oxon. In Voss., *affatione.* Sed in aliis editt. *advocatione.*

(6) *Quando.* Feuard. in marg. et codd. Pass. ac Voss., *quoniam.*

(7) *Permittant.* Alii, *permittent.*

(8) *Habitarent.* Alii, *habitant.*

(9) *Neque Matrem agnovisse eum.* Hæc de mundi fabricatore intelligenda, qui nempe neque Matrem agnoverit, neque semen ejus, etc.

(10) *Latenter Salvatore operato sic fieri*, etc. Id est, Salvatore Demiurgum inscium, et ignorantem quæ faceret, agente, et curante ut per eum sic fierent, etc.

(11) *Ignorante itaque.* Sic mss. nostri. In Eras., Gall. et Feuard. male, *ignoranteque.*

(12) *Quæ sursum sunt.* In Arund. deest, *sunt.* In Clarom. vero et Pass. legitur *qui*, pro *quæ*; nec ita male, si *qui* ad Æones referatur, ut paulo ante: *imagines eorum, qui sunt intra Pleroma.* Et in fine præcedentis cap. *in honorem eorum, qui sursum sunt.*

(13) *Magis erit.* Verbum *erit* redundat.

(14) *A nobis.* Arund. et Merc. 2, *a vobis.*

(15) *In plurimum.* Sic Clarom. et Voss. Alii omittunt *in.*

(16) *Quid autem, si non plorasset et risisset? Non habuisset.* Ita recte codd. Clarom. et Voss. ac edit. Oxon. Sed in Feuard. edit. et cod. Pass. perperam, *quid autem plorasset et risisset ... non habuisse?* In Eras. et Gallas. pejus, *quid autem non plorasset, et aporiata esset ... non habuisse?*

(17) *Extremæ confusionis non habentis propriam*

Digitized by Google

jam non apparet! Erit aliquis Æon, in quo in totum (18) talis honor fuisse non reputabitur, et inhonorata erunt tunc quæ sunt sursum : aut aliam iterum necesse erit Matrem emittere plorantem, et aporiatam, in honorem Pleromatis. O indissimilis, simul autem et blasphemæ imaginis (19)! Imaginem mihi dicitis emissam a mundi fabricatore (20) Unigeniti; et Nun (21) vultis esse Patris universorum : et imaginem hanc ignorare quidem semetipsam, ignorare autem et conditionem, ignorare autem et Matrem, et omne quodcunque est eorum quæ sunt, et eorum quæ ab eo facta sunt : et non erubescitis adversus vos ipsos, ignorantiam inducentes usque ad ipsum Monogenen? Si enim secundum similitudinem eorum, quæ sunt sursum, a Salvatore facta sunt hæc, ignorante eo tanta, qui secundum similitudinem factus est; necesse est et circa eum, et secundum eum, ad cujus similitudinem factus est is qui ignorat, hujusmodi ignorantiam exsistere spiritaliter (22). Non enim possibile est, cum sint utrique spiritaliter emissi, neque plasmati, neque compositi, in quibusdam quidem similitudinem servasse, in quibusdam vero depravasse imaginem similitudinis (23), quæ in hoc sit emissa, ut sit secundum similitudinem ejus, quæ sursum est, emissionis. Quod si non est similis (24), Salvatoris erit incusatio, qui dissimilem emisit imaginem, quasi reprobabilis artifex. Nec enim dicere possunt, quasi non haberet potestatem emissionis Salvator, quem Omnia esse dicunt. Si igitur dissimilis est imago, malus est artifex, et est (25) culpa Salvatoris, secundum eos. Si autem similis est, eadem ignorantia invenietur circa Nun Propatoris ipsorum, hoc est, Monogenen : et ignoravit quidem (26) semetipsum Nus Patris, ignoravit autem et Patrem, ignoravit autem et ea quæ ab eo facta sunt. Si autem cognoscit ille; et eum, qui ad similitudinem ejus factus est a Salvatore, necesse est cognoscere quæ sunt similia : et soluta est ipsorum, secundum suam regulam, maxima blasphemia.

3. Et sine hoc autem, quonam modo ea quæ sunt creaturæ, sic varia et multa (27), et innumerabilia, eorum Æonum, qui sunt intra Pleroma triginta imagines esse possunt, quorum et nomina quæ sint, secundum quod dicunt, in eo qui est ante hunc libro posuimus? Et non tantum universæ creaturæ varietatem, sed ne quidem partis (28) alicujus aut cœlestium, aut superterrestrium, aut aquatilium poterunt adaptare Pleromatis ipsorum parvitati. Quoniam enim Pleroma ipsorum triginta Æones sunt, ipsi testantur : quoniam autem in una parte eorum quæ dicta sunt, non triginta sed multa millia specierum esse annumerantes (29) eos, ostendere

substantiam. Hellenismus; genitivi pro ablativis absolutis. Latine scribendum erat : *extrema confusione non habente propriam substantiam*. Respicit Irenæus ad tabulam illam tristis Achamothæ sortis, quæ *in umbræ et vacuitatis locis* effervescens, jacebat *informis et sine specie*, imo et sine substantia : donec *misertus ejus* superior Christus, *formam* ei indidisset, *quæ esset secundum substantiam*. Hæc proinde ante expertam Christi miserationem, *in extrema confusione* constituta, *propriam non habebat substantiam, per quam honoraret Propatorem*. Vide lib. 1, cap. 4, n. 1.

(18) *Erit aliquis Æon, in quo in totum*, etc. Obscuræ hujus periodi sensus est : Erit aliquando, vel forte etiam jam nunc est aliquis Æon tali honore penitus orbatus, destructis videlicet iis rebus creatis, quas honoris causa ad ejus imaginem condiderat Salvator : et tunc honoris expertia manebunt quæ sunt sursum, etc.

(19) *O indissimilis ... et blasphemæ imaginis*. Alter Hellenismus, pro *o indissimilem et blasphemam imaginem*.

(20) *A mundi fabricatore*. Id est, a Salvatore, cui hic ascribitur rerum creatio, quia per Achamoth et Demiurgum ipsum cuncta fabricatus est. Hunc que genuinum esse verborum istorum sensum, cuivis legenti demonstrant quæ sequuntur : *si enim secundum similitudinem eorum quæ sunt sursum, a Salvatore facta sunt hæc*, etc. Hinc paulo post vocatur, *reprobabilis artifex, malus artifex*. Quid ergo doctissimo Grabio in mentem venit, nescio, dum tam confidenter asseruit, pro, *a mundi fabricatore*, legendum esse, *mundi fabricatorem*, vel, *a Salvatore mundi fabricatorem*. His lectionibus tantum abest faveat integer contextus, quin potius totus repugnat. Hic igitur ordo verborum est : *imaginem Unigeniti* (Demiurgum scilicet) *mihi dicitis emissam a mundi fabricatore, Salvatore nimirum*, etc.

(21) *Et Nun*. *Quem* ante *et* delevi auctoritate cod. Clarom. *Nun* autem in genitivo accipe.

(22) *Qui ignorat, hujusmodi ignorantiam exsistere spiritualiter*. Sic cod. Claromont., nisi quod pro *ignorantiam*, habeat, æque ac Voss. et Pass., *ignorantiæ*. Sed legendum esse *ignorantiam* demonstrat tum editt. omnium et aliorum mss. consensus, tum ipsa constructio. In edit. Eras. Gallas. ac Feuard. corrupte omnino legitur, *qui ignorat, hujusmodi ignorantiam, non exstiterit spiritaliter*. In Oxon. vero, *qui ignorat, hujusmodi ignorantia exstiterit spiritaliter*. Recte quidem, quod sensum spectat : sed paulo liberius quoad verba; nullus enim codex habet, *ignorantia*. Quare retenta, quam habent plerique codices, voce, *ignorantiam*, in cæteris Claromontanum sequi consultius visum est. In Arundel. etiam et Voss. deest particula *non*.

(23) *Imaginem similitudinis*. In Feuard. marg., Pass. et Voss., *imaginum similitudines;* non male, si pluralis numerus sequeretur.

(24) *Similis*. Ita editt. Eras., Gallas., Oxon. et cod. Arund. Feuard. autem veteris cod. (cui consentiunt Clarom. et Pass.) auctoritatem secutus, posuit *simile*, sed minus recte. Subintelligitur enim, *imago*, quæ præcessit, unde et mox sequitur : *si igitur dissimilis est imago*, etc.

(25) *Et est*. Ita Feuard. Grab. et codd. Clarom., Pass. et Voss., in reliquis aut *et*, aut *est* deficit.

(26) *Ignoravit quidem*. In Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2, *ignorabit;* recte quidem, si mox sequeretur, *ignorabit ... ignorabit*.

(27) *Varia et multa*. Sic editt. omnes cum cod. Pass., sed mss. Clarom., Ottob. et Anglic. habent *vacua et multa*, repugnante contextu.

(28) *Partis*. Sic pro *Patris* bene reposuit Grab. ex cod. Arund. Huic consentit et Clarom. Hujus lectionis veritatem confirmant quæ mox sequuntur : *quoniam autem in una parte eorum*, etc.

(29) *Annumerantes eos*. Sic recte Feuard. in marg. et cod. Pass. Consentiunt Clarom. et Voss., nisi quod *eos* non habent. Lectionem hanc hic repositurum se fuisse dicit Grab. si *sint*, loco *esse*, præ-

Digitized by Google

omnis quicunque confitebitur (30). Quo modo igitur ea, quæ tam multæ sunt conditionis (31), et contrariis 124 subsistentia, et repugnantia invicem, et interficientia alia alia (32), imagines et similitudines esse possunt triginta Æonum Pleromati; siquidem unius naturæ (33), quemadmodum dicunt, ex æquali et simili exsistant, et nullam habeant differentiam? Oportebat autem, si hæc illorum imagines sunt, quemadmodum natura nequam homines dicunt quosdam, et natura rursus bonos, et Æonum ipsorum ostendere tales differentias, et quosdam quidem ex ipsis natura bonos dicere emissos, quosdam autem natura malos, ut imaginis illorum adinventio congruens esset Æonibus. Adhuc autem quoniam in mundo altera quidem sunt mansueta, altera vero fera, et quædam quidem non nocentia, quædam nocentia, et reliquorum corrumpentia; et quædam quidem superterrestria, quædam aquatilia, quædam volatilia, quædam cœlestia: similiter et Æonas ostendere debent tales habere affectiones, si quidem hæc illorum imagines sunt. Et *ignis* autem *æternus, quem præparavit Pater diabolo et angelis ejus* [75], cujus eorum, qui sunt sursum Æones, imago sit, interpretari debent: et ipse enim in conditione numeratur.

4. Si autem excogitationis (34) ejus, qui passus est, Æonis dicent imagines hæc esse, primum quidem impie (35) agent adversus Matrem suam, malarum (36) et corruptibilium (37) imaginum (38) initiatricem esse eam dicentes. Deinde autem ea quæ sunt multa, et dissimilia, et contraria natura, quonam modo unius et ejusdem imagines erunt (39)? Et si Pleromatis Angelos multos esse dicent, et horum illa quæ sunt multa imagines esse; nec sic eis constabit ratio (40). Primo enim differentias Pleromatis Angelorum contrarias invicem debent ostendere, quemadmodum et subjacentes imagines contrariæ naturæ invicem sunt. Deinde autem cum sint multi et innumerabiles circa factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur prophetæ, *dena millia denum millium* (41) *assistere ei, et multa millia millium ministrare ei* [76]; et secundum eos, Pleromatis Angeli Angelos factoris imagines habebunt, et manet conditio integra (42) in imagine Pleromatis, jam non consequentibus triginta Æonis in multiformem (43) conditionis varietatem.

5. Adhuc etiam, si secundum similitudinem hæc illorum facta sunt, illa rursus ad quorum similitudinem erunt facta? Si enim mundi fabricator non a semetipso fecit hæc, sed quemadmodum nullius

[75] Matth. xxv, 41. [76] Dan. vii, 10.

cederet: sed subintelligendo *sint*, vel *sunt* post *triginta*, evanescit hæc difficultas, et planus evadit sensus; qui, legendo cum editt. omnibus, *esse annumerant eos ostendere*, etc., intricatus omnino fit.

(30) *Ostendere ... confitebitur.* Græce ἀποδεικνύειν ... ἐξομολογήσεται, i. e. demonstraturum se quilibet recipiet, spondebit, etc.

(31) *Multæ sunt conditionis. Multæ* pro *multa* ex cod. Arund. reposuit Grab. Suspicor idem habere et Clarom., asserere tamen non ausim, quia *a* propius adhærens sequenti *s* discerni satis non valet.

(32) *Alia alia.* In aliis semel duntaxat, *alia.*

(33) *Unius naturæ.* In Clarom. et Voss., *unius creaturæ.*

(34) *Excogitationis.* Græce, ut opinor, ἐνθυμήσεως. Enthymesis est, de qua tam multa lib. I.

(35) *Impie.* Cod. Arund., *inique.*

(36) *Malarum.* Ita Feuard. in marg. edit. 1576, Clarom., Pass. et Vos. Sed editi, omnes perperam habent, *malorum*; nam de imaginibus sermo est.

(37) *Et corruptibilium*, Feuard. in marg. cit. edit. Clarom., Pass. et Voss., *incorruptibilium*, omisso *et*; sed male, ut videtur.

(38) *Imaginum.* Eras., Gallas. et Feuard, vitiose, *imaginem.*

(39) *Imagines erunt.* Genuinam hanc lectionem unicus habet cod. Clarom., cæteri omnes cum editt. tum mss. corrupte, *imaginis.*

(40) *Eis constabit ratio.* In Feuard. edit., *eis constat ratio.* In Eras. et Gallas. idem, sed sine *eis.*

(41) *Dena millia denum millium.* Hæc Danielis verba eodem prorsus modo, atque Irenæus, citat S. Clemens in *Epist. ad Corinth.* c. 34, inverso nimirum ordine verborum: Λέγει γὰρ ἡ Γραφή· Μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ, καὶ χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ. Cum, inquit Cotelerius in not. ad hanc epist., a LXX convenienter archetypo redditum fuerit: χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ. Consentiunt tamen cum Clemente et Irenæo, Gregorius Nyss. homil. 8 in Ecclesiasten, et Cyrill. Alexand. epist. in Symbolum. Plura alia de varia loci hujus lectione reperies apud cit. Cotelerium, nec consuluisse pœnitebit.

(42) *Et manet conditio integra*, etc. Crucem mihi diu fixit obscurissimus hic locus. Eum tamen etiam atque etiam animo revolventi, sensus hic occurrit. Si tam multæ, tamque diversæ res creatæ, quas in hoc mundo conspicimus, Angelorum Pleromatis, quos multos esse volunt, imagines sint; præterquam quod non ea in his animadvertitur contrarietas, quam in rebus creatis videre est, aliud nec minus sequetur incommodum. *Cum enim multi sint et innumerabiles Demiurgi*, seu factoris *Angeli*, hi soli plus quam sufficient ad exprimendam Pleromatis Angelorum imaginem, singulis factoris Angelis plus satis respondentibus singulis Pleromatis Angelis; ac proinde eadem semper redibit, nec solvetur difficultas: qui scilicet tot et tantæ, tamque diversæ aliæ res creatæ manere queant in imagine Pleromatis, seu ad imaginem Pleromatis factæ dici: neque enim triginta, qui supersunt, Æones, cum pauciores sint, consequi possunt, seu adæquare tam multiformem rerum creatarum varietatem, quæ ex Enthymesi passi Æonis ortum accepisse dicuntur. Qui locum hunc melius explicet, lubenter audiam.

(43) *Æonis in multiformem. In* quod est in edit. ac mss. nostris, ante *multiformem*, Grabius delevit auctoritate Merc. 2 codd. Quod autem *Æonibus*, pro *Æonis*, substituendum vult vir doctus, haud necesse putem. Interdum enim scribit interpres in sexto casu *Æonis*, quasi ab *Æonæ Æonarum*, ut patet ex cap. 14 sequenti, ubi sub finem scriptum legitur: *Æonis exsistentibus*, pro *Æonibus exsistentibus.*

Digitized by Google

momenti artifex, et quasi primum discens puer, de alienis archetypis transtulit; Bythus ipsorum unde habuit species (44) ejus, quam primum emisit, dispositionis? Consequens est igitur, illum ab altero quodam, qui super eum est, exemplum accepisse; et illum rursus ab altero. Et nihilominus in immensum excidet de imaginibus sermo, quemadmodum et de diis (45), si non fixerimus sensum in unum artificem, ut in unum (46) Deum, qui a semetipso fecit ea quæ facta sunt. Aut de hominibus quidem aliquis permittit, a semetipsis utile aliquid ad vitam adinvenisse: ei autem Deo qui mundum consummavit, non permittit a semetipso fecisse speciem eorum quæ facta sunt, et adinventionem ornatæ dispositionis?

6. Unde autem et hæc illorum imagines, cum sint illis contraria (47), et in nullo possint eis communicare? Quæ enim sunt contraria, eorum quorum sunt contraria esse quidem possunt exitiosa; imagines vero nullo modo: quemadmodum aqua igni, et rursus lumen tenebris, et alia tanta, nequaquam erunt invicem imagines. Sic nec ea quæ sunt corruptibilia, et terrena, et composita, et prætereuntia, eorum, quæ secundum eos sunt, spiritalium imagines erunt: nisi et ipsa composita, et in circumscriptione, et in figuratione confiteantur esse, et non jam spiritalia, et effusa, et locupletia, et incomprehensibilia. Necesse est enim ea in figuratione esse, et circumscriptione, ut sint imagines veræ: et absolutum est ea non esse spiritalia. Si autem illa spiritalia, et effusa, et incomprehensibilia dicunt; quomodo possunt, quæ sunt in figura, et in circumscriptione, imagines illorum esse, qui sunt sine figuratione et incomprehensibiles (48)?

7. Si autem [non] secundum figurationem (49), nec secundum formationem, sed secundum numerum **125** et ordinem emissionis imagines ea dicent esse; primo quidem non essent (50) imagines dicenda hæc et similitudines eorum, qui sursum sunt Æonum. Quæ enim nec habitum, nec figuram illorum habent, quemadmodum imagines sunt ipsorum? Post deinde, et numeros, et emissiones superiorum Æonum, eosdem et similes ad eos, qui sunt conditionis, adaptent. Nunc autem triginta ostendentes Æones, et tantam multitudinem eorum, quæ sunt in conditione, imagines eorum qui sunt (51) triginta dicentes, juste ut insensati arguentur a nobis.

CAPUT VIII[77].

Quam abhorreat a verosimili res creatas esse umbram Pleromatis.

1. Si autem hæc illorum umbram dicent esse, quemadmodum quidam ipsorum audent dicere, ut secundum hoc imagines esse (52), necesse erit et corpora ipsos ea, quæ sunt sursum, confiteri. Ea enim, quæ sursum sunt, corpora, umbram faciunt; non autem jam spiritalia, quandoquidem nulli obscurare possunt (53). Si autem et demus illis hoc, quod quidem est impossibile, eorum quæ sunt spiritalia et lucida umbram esse, in quam Matrem suam descendisse dicunt: tamen cum illa sint æterna, et ea quæ ex ipsis efficitur umbra sempiterna perseverat, et non jam transeunt hæc, sed perseverant cum his, quæ se adumbrant (54). Si autem hæc transeunt, et illa necesse est, quorum hæc sunt umbra (55), transire: illis autem perseverantibus, perseverat et umbra (56) ipsorum.

2. Si autem non secundum id quod obumbretur, dicent (57) eam umbram esse, sed secundum id quod multo ab illis separata sint; paternum luminis ipsorum pusillitatem et infirmitatem accusabunt, quasi non attingat usque ad hæc, sed deficiat adimplere id quod est vacuum, et dissolvere umbram, et hoc quando nemo sit impedimento. In caliginem enim convertetur, secundum eos, et obcæcabitur paternum lumen eorum, et deficiet in his quæ sunt vacuitatis locis, cum minime possit adimplere omnia. Non igitur jam dicant Pleroma esse omnium Bythum ipsorum, siquidem id quod est vacuum et umbra, neque adimplevit, neque illuminavit: aut iterum umbram et vacuum prætermittant; siqui-

[77] Cap. VII.

(44) *Species.* Edit., *speciem.*

(45) *Diis.* Genuinam hanc lectionem pro *his* substituit Grab. ex cod. Arund., quam et codd. Merc. 2 quodammodo confirmant: nam in altero legitur *dedi is*, in altero *deditis.*

(46) *Ut in unum.* Edit. Oxon. ex mss. Arund. et Voss., *et in unum Deum.*

(47) *Hæc ... contraria.* Ita Claromont. et Arund. In Merc. 2 quoque, *hæc*: sed in aliis minus recte, *hæ contrariæ.*

(48) *Qui sunt ... incomprehensibiles.* Ita Ottob. cod. cui quoad postremam vocem consentiunt cæteri omnes mss. In editt., *quæ sunt ... incomprehensibilia.*

(49) *Non secundum figurationem. Non* addendum esse, et res ipsa docet, et paulo post sequentia verba: *quæ enim nec habitum, nec figuram illorum habent*, etc., omnino confirmant. Hanc tamen particulam quia nullo mss. fretus addidi, hamulis inclusi.

(50) *Non essent.* Ita Clarom., Voss. et Arund., cæteri, *non sunt.*

(51) *Qui sunt.* Editt. omnes, *quæ sunt.*

(52) *Ut secundum hoc imagines esse*, etc. Eras., Gall., et Feuard., *aut secundum hoc imagines esse.* At recta conjicit Grab. Irenæum Græce scripsisse, ὥστε κατὰ τοῦτο εἰκόνας εἶναι, quod vertere debuisset interpres: *adeo ut secundum hoc imagines sint.*

(53) *Nulli obscurare possunt.* Græca locutio, ait Billius, pro, *nulli caliginem offundere, nihil obumbrare possunt*; τὰ πνευματικὰ μηδένι ἐπισκοτεῖν δύναται.

(54) *Quæ se adumbrant.* Pro, *quibus adumbrantur*, seu *quæ hanc umbram efficiunt.*

(55) *Illa.... umbra.* Sic Clarom. et Merc. 2. Voss. vitiose, *illum.... umbram.* Cæteri, *illa.... umbræ*: minus bene, nam de umbra in singulari in toto hoc capite loquitur auctor.

(56) *Perseverat et umbra.* Alii, *perseverant et umbræ.*

(57) *Dicent.* Ita Clarom., Pass., Voss. et Feuard. in marg. Sed in textu, perinde ut Eras. et Gallas. perperam, *dicentes.*

Digitized by Google

dem adimplet omnia paternum ipsorum lumen.

3. Neque igitur extra primum Patrem, id est (58), qui super omnia est Deus, aut Pleroma aliquid esse potest, in quod Enthymesin passi Æonis descendisse dicunt, ut non definiatur et circumscribatur ab eo qui est extra, et contineatur ipsum Pleroma, vel primus Deus : neque vacuum esse, aut umbram capiet (59), cum jam ante sit Pater, uti ne deficiat lumen ejus, et definiatur (60) in vacuum. Irrationale est autem et impium adinvenire locum in quo cessat et finem habet, qui est secundum eos Propator, et Proarche, et omnium Pater, et hujus Pleromatis. Nec rursus in Patris sinu alterum quemdam dicere tantam fabricasse conditionem fas est, vel consentiente, vel non consentiente eo, propter prædictas causas [78]. Impium est enim similiter et demens dicere, tantam conditionem ab Angelis, aut ab emissione quadam ignorante verum Deum, in his quæ sunt ipsius, fabricasse (61) : neque infra Pleroma (62) ipsorum, cum sit universum spiritale, ea quæ sunt terrena et choica possibile facta esse : sed ne quidem secundum illorum imaginem, cum dicuntur (63) pauci (64), et similis formationis et unum esse, possibile est, et quæ sunt multæ conditionis, et contraria invicem facta esse. Falsus autem apparuit, et qui est de umbra [79] cenomatis (65), id est, vacui, ipsorum sermo, secundum omnia. Itaque vacuum ostensum est figmentum eorum, et inconstans doctrina : vacui autem et hi (66) qui attendunt eis, vere in profundum perditionis descendentes.

126 CAPUT IX.

Unum esse mundi conditorem, Deum Patrem; veteresque omnes in hac traditione cum Ecclesia consentire.

1. Quoniam quidem (67) est mundi fabricator Deus, constat et ipsis, qui multis modis contradicunt ei, et confitentur eum, fabricatorem eum vocantes, et Angelum dicentes : ut non dicamus, quoniam omnes clamant Scripturæ, et Dominus hunc Patrem qui est in cœlis docet (68), et non alium : quemadmodum ostendemus procedente sermone. Nunc autem sufficit id quod est ab eis, qui contraria nobis dicunt testimonium, omnibus hominibus ad hoc demum consentientibus, veteribus quidem, et in primis a primoplasti traditione hanc suadelam custodientibus, et unum Deum fabricatorem cœli et terræ hymnizantibus : reliquis autem post eos a Prophetis Dei hujus rei commemorationem accipientibus : ethnicis vero ab ipsa conditione discentibus. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam; et ipsa factura suggerit eum, qui fecit (69); et mundus manifestat eum, qui se disposuit. Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab apostolis traditionem.

2. Constante igitur hoc Deo, quemadmodum diximus, et testimonium ab omnibus accipiente, quoniam est : ille sine dubio, qui secundum eos adinvenitur Pater, inconstans et sine teste est; Simone Mago primo dicente semetipsum esse super omnia Deum, et mundum ab Angelis ejus factum; post deinde his qui successerunt ei, secundum quod ostendimus in primo libro [80], variis sententiis impias et irreligiosas adversus fabricatorem circumducentibus doctrinas : quorum discipuli cum sint hi (70), ethnicis pejores efficiunt eos, qui assentiunt eis. Illi enim *creaturæ potius quam Creatori servientes* [81], *et his qui non sunt dii* [82], verumtamen primum deitatis locum attribuunt fabricatori hujus universitatis Deo. Hi autem, hunc quidem labis fructum dicentes, et animalem eum vocantes, et non cognoscentem eam quæ super eum est Virtutem, dicentem quoque : *Ego sum Deus, et præter me non est alius Deus* [83]; mentiri eum dicentes, ipsi mentientes; omnem malitiam copulantes ei, eum qui non est super hunc, quod sit fingentes, secundum sententiam suam deteguntur, eum quidem qui est Deus blasphemantes, eum autem qui non est, Deum fingentes, in suam ipsorum condemnationem [84]. Et qui dicunt semetipsos perfectos, et universorum habere agnitionem, ethnicis pejores, et magis blasphemi sensu etiam adversum suum factorem inveniuntur.

CAPUT X.

Quam male ab hæreticis explicentur Scripturæ. Omnia ex nihilo, non ex subjacenti materia, creavit Deus.

1. Perquam itaque irrationale est, prætermittentes

[78] Cap. 2 et 5 hujus libri. [79] Cap. 8. [80] Cap. 23 et seqq. [81] Rom. I, 25. [82] Gal. IV, 8. [83] Isa. XLVI, 9. [84] Cap. 10.

(58) *Id est.* Feuard. in marg. et Pass., *idem.*

(59) *Neque vacuum esse*, etc., *capiet.* Græcismus, οὐδὲ τὸ κενὸν εἶναι ἢ σκίαν ἐνδέξεται, id est neque fieri poterit, ut vacuum, aut umbra sit.

(60) *Definiatur.* Id est, *terminetur, desinat.*

(61) *Fabricasse.* Vel lege *fabricatam esse*, vel *fabricasse* passiva significatione accipe.

(62) *Infra Pleroma.* Probare satagit Grabius hic legendum esse *intra Pleroma.* Sed frustra : jam enim monuimus *infra*, pro *intra*, apud infimæ Latinitatis auctores passim occurrere. Vide Cangii *Glossarium.*

(63) *Cum dicuntur.* Ita recte cod. Voss. pro *dicitur*, ut est in editt. Eras., Gallas. et Feuard. In cod. Clarom. scriptum erat, *dicuntur;* sed imperitus quis emendator reposuit, *dicitur.*

(64) *Pauci.* Æones scilicet.

(65) *Cenomatis.* Ex Græco κενώματος. Vid. lib. I, c. 4, n. 1.

(66) *Vacui autem et hi.* Observat Billius ludere hoc loco Irenæum in ambiguitate vocabuli κενόν, quod initio capitis *vacuum* significat, hic autem *stultum et inane.*

(67) *Quoniam quidem.* In editt. minus bene, *quando quidem.*

(68) *Et Dominus docet.* Nimirum, ut notat Feuard. Matth. V, 16: *Glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*; v. 45 : *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Matth. VI, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis*, etc.

(69) *Qui fecit. Eam* delevit Grabius, quia deest in omnibus mss. Sed addatur vel demantur, parum interest.

(70) *Cum sint hi.* Valentiniani scilicet.

Digitized by Google

eum, qui vere est Deus, et qui ab omnibus habet testimonium, quærere si est super eum is, qui non est, et qui a nemine unquam annuntiatus est. Quoniam enim manifeste nihil dictum est de eo, et ipsi testimonium perhibent : quia autem parabolas, quæ quæruntur et ipsæ quomodo dictæ (71) sint, male ad eum, qui adinventus est ab ipsis, transfigurantes, alium nunc, qui ante nunquam quæsitus est, generant, manifestum est. Per hoc enim quod velint ambiguas exsolvere Scripturas (ambiguas autem non quasi ad alterum Deum, sed quasi ad dispositiones Dei) alterum Deum fabricaverunt (72); quemadmodum prædiximus, de arena resticulas nectentes (73), et quæstioni minori quæstionem majorem adgenerantes. Omnis autem quæstio non per aliud, quod quæritur, habebit resolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos, qui sensum habent, aut ænigmata per aliud majus ænigma, sed ea quæ sunt talia, ex manifestis, et consonantibus, et claris accipiunt absolutiones.

2. Hi autem quærentes (74) exsolvere Scripturas et parabolas, alteram majorem et impiam quæstionem introducunt, si quidem super mundi fabricatorem Deum alius sit Deus (75); non exsolventes quæstiones (unde enim?), sed minori quæstioni magnam quæstionem adnectentes, et nodum insolubilem inserentes (76). Ut enim sciant (77) hoc ipsum scire, quod utique triginta annorum Dominus venit ad baptismum veritatis, hoc non discentes; ipsum Deum fabricatorem, **127** qui misit eum ad salutem hominum, impie contemnunt : et ut putentur posse enarrare unde substantia materiæ, non credentes quoniam Deus ex his quæ non erant, quemadmodum voluit, ea quæ facta sunt, ut essent, omnia fecit, sua voluntate et virtute substantia usus (78), sermones vanos (79) collegerunt; vere ostendentes suam infidelitatem (80) : quoniam quidem his quæ sunt, non credunt, in id quod non est, deciderunt.

[83] Cap. XI. [84] Luc. XVIII, 27.

3. Quod enim dicunt ex lacrymis Achamoth, humectam prodisse substantiam, a risu autem lucidam, a tristitia autem solidam et a timore mobilem, et in his altum sapere et inflatum esse, quomodo hæc non digna irrisione, et vere ridicula? qui non credunt quidem, quoniam ipsam materiam, cum sit potens et dives in omnibus Deus, creavit, nescientes quantum potest spiritalis et divina substantia; credentes autem quoniam Mater ipsorum, quam (81) feminam a femina vocant, a prædictis passionibus emisit tantam conditionis materiam: et quærentes (82) quidem unde suppeditavit fabricatori conditionis substantia; non quærentes autem unde Matri ipsorum, quam Enthymesin et impetum Æonis errantis dicunt, lacrymas tantas, aut sudores, aut tristitias, (83) aut reliqua materiæ emissio.

4. [83] Attribuere enim substantiam eorum, quæ facta sunt, virtuti et voluntati ejus, qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans, et in hoc bene dicetur (84) : quoniam *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* [84]. Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti; Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse adinvenit. Dicere autem de Enthymesi Æonis errantis prolatam materiam, et longe quidem Æonem ab Enthymesi ejus separatam, et hujus rursus passionem et affectionem extra ipsam quidem ejus esse materiam; et incredibile, et fatuum, et impossibile, et inconstans.

CAPUT XI.

Hæreticos veritati non credentes in profundum erroris incidisse. Cur eos interrogare statuat Irenæus?

1. Et non credentes quidem quoniam is qui est super omnia Deus, in his quæ sunt ejus, varia et dissimilia verbo fabricavit, quemadmodum ipse voluit, cum sit omnium fabricator, ut sapiens ar-

(71) *Dictæ.* Feuard. in marg. et cod. Voss., *dictatæ.*

(72) *Fabricarerunt.* Sic Feuard. in marg. ac codd. Voss. et Clarom. In aliis, *prædicarerunt.*

(73) *De arena resticulas nectentes.* Vide quæ de hoc proverbio notavimus lib. I, pag. 36, not.

(74) *Quærentes. Bis*, quod in editt. legitur ante, *quærentes*, et lectorem male turbat, recte omittunt mss. Arund., Voss., Merc. 1 et Clarom.

(75) *Alius sit Deus.* Textum hic esse mutilum suspicatus est Billius. Sed frustra : expuncta enim voce *quod*, quæ in editt. Eras., Gallas. et Feuard. ante *alius* perperam inserta est, planus evadit. Expungendam autem esse docent mss. omnes, in quorum nullo comparet.

(76) *Inserentes.* Quidam, *inferentes.*

(77) *Sciant.* Legendum putat Grabius, *sciantur*; sed frustra. Sensus est, *ut enim sciant se hoc ipsum scire.*

(78) *Sua voluntate et virtute substantia usus.* Græce, inquit Billius, τῇ οἰκείᾳ βουλήσει καὶ δυνάμει, οὐσιώσει χρησάμενος : id est, *sola sua voluntate ac potentia pro creatis rebus omnibus usus.* Sed melius explicat Grabius : *sola sua voluntate ac potentia loco substantiæ*, sive materiæ, ex qua res creatas formaret, *usus.* Hanc explicationem confirmant sequentia.

(79) *Vanos.* Alias minus recte, *varios.*

(80) *Infidelitatem.* Sic ex codd. Clarom. et Voss. ac Feuard. marg. reposui, pro *infirmitatem*, quia mox sequitur : *quoniam quidem his quæ sunt, non credunt*, etc.

(81) *Feminam a femina vocant.* Supra lib. I, cap. 21, n. 5, *masculo-feminam a femina* dicunt. Sed quemadmodum Sophiam modo masculo-feminam, modo masculum, modo feminam exhibent; sic et Achamoth nunc *Dominum masculiniter*, nunc *masculo-feminam*, nunc feminam appellant.

(82) *Et quærentes.* In aliis, *exquirentes.*

(83) *Lacrymas tantas, aut sudores, aut tristitias.* Solœcismus apertus est, inquit Billius; hæc enim omnia recto casu efferenda sunt.

(84) *Dicetur.* Alii, *diceretur.*

Digitized by Google

chitectus, et maximus rex;[76] credentes autem quoniam angeli, aut virtus aliqua separata a Deo, et ignorans eum, fecit hanc universitatem: sic igitur veritati non credentes, in mendacio autem volutantes, perdiderunt panem vitæ veræ, in vacuum (85) et in profundum umbræ incidentes; similes Æsopi cani, ei qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam. Et ex ipsis (86) autem Domini verbis facile est ostendere, confitentis unum Patrem, et factorem mundi, et plasmatorem hominis, qui a lege et prophetis annuntiatus sit, et alterum nescientis, et hunc esse super omnia Deum: docentis autem, et per se eam, quæ est ad Patrem adoptio filiorum, quæ est æterna vita, omnibus justis attribuentis.

2. Sed quoniam amant incusare, et ea, quæ sunt sine calumnia, ut calumniosi concutiunt, multitudinem parabolarum, et quæstionum inferentes (87) nobis; bene hæc arbitrati sumus primo interrogare eos e contrario de suis dogmatibus, et quod non est verisimile ipsorum ostendere (88), et temeritatem ipsorum excidere: post deinde, Domini sermones inferre (89), ut non sint tantum ad proponendum vacantes; sed propter hoc quod non possint ad ea, quæ interrogantur, ratione respondere, dissolutam suam videntes argumentationem, aut revertentes ad veritatem, et semetipsos humiliantes, et cessantes a multifaria sua phantasia, placantes Deum de his, quæ adversus eum blasphemaverunt, salventur: aut si perseverarint in ea, quæ præoccupavit animum ipsorum, vana gloria, argumentationem suam immutent.

128 CAPUT XII[88].

Triacontadem hæreticorum, et deficere et redundare. Cum unitæ et inseparabiles sint eorum conjugationes, Sophiam sine permistione conjugis quidpiam pati aut generare non potuisse. Logon et Sigen simul esse non posse.

1. Primo quidem de triacontade ipsorum sic dicemus (90), universam eam utrinque mire decidere (91), et secundum id quod minus habet, et secundum id quod plus; propter quam (92) dicunt triginta annorum Dominum ad baptismum venisse. Hæc autem dicente (93), manifesta erit universæ argumentationis ipsorum eversio. Et secundum deminorationem quidem sic: primo quidem, quoniam annumerant reliquis Æonibus Propatorem. Pater enim omnium enumerari non debet cum reliqua emissione: qui non est emissus, cum ea quæ emissa est: et innatus, cum ea quæ nata est: et quem nemo capit, cum ea quæ ab eo capitur, et propter hoc incapabilis: qui infiguratus est (94), cum ea quæ figurata est. Secundum enim id quod melior quam reliqui, non debet cum eis annumerari; et hoc cum Æone passibili, et in errore constituto, qui est impassibilis, et non errans.[89] Quoniam enim a Bytho inchoantes, triacontadem enumerant usque ad Sophiam, quam Æonem errantem dicunt, ostendimus in eo libro[90], qui est ante hunc librum, et quæ dicunt nomina ipsorum posuimus: hoc autem (95) non annumerato, jam non sunt triginta secundum eos emissiones Æonum, sed viginti et novem fiunt.

2. Post deinde, primam emissionem Ennoiam, quam Sigen (96), vocantes, ex qua rursum Nun (97) et Alethiam emissos dicunt, in utrisque exorbitant. Impossibile est enim ennœan alicujus, aut silentium separatim intelligi, et extra eum emissum propriam habere figurationem. Si autem non dicent esse emissam illam extra, sed adunatam Propatori; ut quid cum reliquis Æonibus annumerant eam, his qui non sunt adunati, et propter hoc ignorant magnitudinem ejus? Si autem et unita est (98) (consideremus et hoc), necessitas est omnis ab unita (99) conjugatione, et inseparabili, et unum exsistente (1), indiscretam, et unitam eam, quæ ex ea est, emissionem fieri, ut non dissimilis sit ab eo qui emisit. Hoc autem sic se habente, unum et idem fiet, quemadmodum Bythus et Sige, sic et Nus et Alethia, semper adhærentes invicem (2). Et quod non possit alterum sine altero intelligi, quemadmodum neque aqua sine humectatione, neque ignis sine calore, neque lapis sine duritia (unita sunt enim invicem hæc); et alterum ab altero separari non potest sed semper coexsistere ei: sic et Bythum cum Ennœa adunitum esse oportet, et Nun cum Alethia eodem modo. Rursus et Logos et Zoe ab unitis emissi, unitos

[76] Cap. XII. [88] Cap. XIII. [89] Cap. XIV. [90] Cap. I.

(85) *In vacuum.* Alludit ad *vacuum* et *umbram* hæreticorum.

(86) *Ipsis.* Alii, *ipsius.*

(87) *Inferentes.* Ms. Voss., *inserentes.*

(88) *Et quod non est verisimile ipsorum ostendere.* Græce, ait Billius, Καὶ τὸ ἀπίθανον αὐτῶν δεικνύειν. Itaque *quod* hoc loco relativum est, non causale.

(89) *Inferre.* Editt., *inserere.*

(90) *Dicemus.* Alii, *dicamus.*

(91) *Mire decidere.* Sic codd. Clarom., Arund., Voss. ac Feuard. in marg. pro unica voce, *concidere.*

(92) *Propter quam.* Sic Feuard. in marg. et Clarom.; cæteri minus recte, *propter quod.*

(93) *Dicente.* In Eras. Gallas. et Feuard., *dicentes.*

(94) *Infiguratus est.* Editt. *figuratus non est.*

(95) *Hoc autem.* Bytho videlicet, non Æone errante, ut male interpretatur Feuardentius.

(96) *Quam Sigen.* Pro *quam et Sigen;* supple *etiam vocant:* nisi pro *quam* legere malis, *et.*

(97) *Nun.* Hanc vocem, licet proprio judicio, et citra ms. cod. auctoritatem, recte tamen adjecit Feuard.; eam enim ab Irenæo, id exigente sensu, scriptam esse, et a scribis, ob affinitatem soni ultimæ syllabæ vocis præcedentis, perperam omissam esse, quilibet videt. *Nun* siquidem et *Alethiam* in secunda conjugatione copulabant hæretici; et paulo post Irenæus utrumque copulat.

(98) *Unita est.* Clarom., Ottob., Voss. et Merc. 2, *unitus est;* nec male, si de Bytho Ennoiæ unito intelligatur.

(99) *Ab unita.* Eras., Gallas., Grab., Arund. et Merc. 2, *adunita.*

(1) *Unum exsistente.* Sic codd. Clarom., Voss. et Ottob.; cæteri, *una exsistente.*

(2) *Invicem.* Arund., *in unam.*

Digitized by Google

esse (3), et unum esse debeat. Secundum hæc autem, et Homo et Ecclesia, et universa reliquorum Æonum conjugationis emissio unita esse debet, et semper coexsistere alterum altero (4). Feminam enim Æonem (5) pariter esse oportet cum masculo, secundum eos, cum sit velut affectio ejus.

3. Et hæc cum ita se habeant, et cum hæc dicantur ab ipsis, rursus impudorate audent docere, junioremduodecadis Æonem, quem et Sophiam appellant, sine permistione conjugis, quem Theletum vocant, passam esse passionem, et separatim sine eo fructum generasse, quem et feminam a femina nominant; in tantum dementiæ progressi, ita ut manifestissime duas contrarias de eodem sententias censeant. Si enim Bythus adunitus est cum Sige, et Nus cum Alethia, et Logos cum Zoe, et reliqui deinceps; quemadmodum poterat Sophia sine conjugis perplexione pati aliquid, vel generare? Si autem hæc sine illo passa est, necesse est et reliquas conjugationes abscessionem et separationem a semetipsis accipere: quod est impossibile, sicut prædiximus. Impossibile est ergo et Sophiam passam esse sine Theleto: et soluta est ipsorum rursus omnis argumentatio. [91] De passione enim, quam sine complexione conjugis passam eam dicunt, iterum reliquam universam velut tragœdiæ compositionem affinxerunt.

4. Si autem impudorate et reliquas conjugationes disjunctas ab invicem dixerint esse separatas, propter novissimam conjugationem, uti non solvatur illorum vaniloquium: primo quidem impossibili insistunt rei. Quemadmodum enim separabunt Propatorem ab Ennœa ejus, aut Nun ab Alethia, aut Logon a Zoe, et reliquos similiter? Quemadmodum autem et ipsi ad unitatem recurrere dicunt, et omnes unum esse; si quidem hæ, quæ sunt intra Pleroma conjugationes, unitatem non custodiunt, sed distantes sunt ab invicem: in tantum uti et patiantur, et generent sine alterius complexu, quemadmodum gallinæ sine caponibus?

129 5. Post demum, et sic solvetur illorum rursum prima et archègonos ogdoas. Erunt enim specialiter in eodem Pleromate Bythus et Sige, Nus et Alethia, Logos et Zoe, Anthropos et Ecclesia. Impossibile est autem Logo præsente Sigen esse, aut iterum Sige præsente Logon ostendi. Hæc enim consumptibilia sunt invicem, quemadmodum lumen et tenebræ in eodem nequaquam erunt: sed si quidem lumen sit, non sunt tenebræ; ubi autem tenebræ sunt, non erit lumen: veniente enim lumine, solutæ sunt tenebræ. Sic ubi est Sige, non erit Logos; et ubi Logos, non utique est Sige. Si autem endiatheton Logon (6) dixerint, endiathetos erit et Sige; et nihilominus solvetur ab endiatheto Logo. Quoniam autem non est endiathetos, ipsa hæc ordinatio ipsorum emissionis (7) significat.

6. Jam igitur non dicant, primam et principalem ogdoadem ex Logo et Sige constare, sed aut Sigen, aut Logon refutent: et soluta est illorum prima et principalis ogdoas. Si enim unitas conjugationes dixerint, soluta est eorum universa argumentatio. Quomodo enim unitis eis, Sophia sine conjuge labem generavit? Si autem, sicut in emissione, unumquemque ex Æonibus propriam substantiam habere dicent: quemadmodum in eodem ostendi potest Sige et Logos? Et hæc quidem secundum diminutionem.

7. Secundum autem id quod plus est, rursus solvitur triacontas ipsorum sic: Emissum enim a Monogene dicunt, sicut et reliquos Æonas, Horon, quem plurimis nominibus vocant, sicut prædiximus in eo [92], qui ante hunc est liber. Hunc autem Horon quidam quidem a Monogene emissum dicunt, alii vero ab ipso Propatore in similitudine sua. Adhuc etiam emissionem dicunt factam a Monogene Christum et Spiritum sanctum (8), et hos non annumerant ad numerum Pleromatis: sed neque Salvatorem, quem etiam Totum esse dicunt. Hoc enim manifestum est et cæco, quoniam non solum triginta emissiones secundum illos emissæ sunt, sed et quatuor cum istis triginta. Ipsum enim Propatorem annumerant in Pleroma, et eos qui ex successione ab invicem emissi sunt. Quid quod (9) isti non annumerabantur illis in eodem Pleromate exsistentes, qui adepti sunt eamdem emissionem? Quam enim edicere (10) possunt justam causam,

[91] Cap. XV. [92] Lib. I, cap. 2, n. 5.

(3) *Unitos esse*. Scribere debuisset interp., *uniti esse*.

(4) *Alterum altero*. Ab ante *altero* bene delevit Grab. auctoritate cod. Voss.

(5) *Feminam enim Æonem*. Sic ex cod. Voss. reposui pro *Æonum*, ut in editt. omnibus legitur. Nullus enim ms. habet *Æonum*: sed alii *Æonam*, ut Clarom., Arund. et Merc. 2; alii *Æonem*, ut Voss., quod magis placet.

(6) *Si autem Endiatheton Logon*, etc. Græce, ait Billius, ἂν δὲ ἐνδιάθετον λόγον εἴπωσιν. Id est, *si autem intus conditum sermonem dixerint*. Ἐνδιάθετῳ λόγῳ Græci opponunt προφορικόν, hoc est, ut c. 13 vertit interpres, *emissibile verbum*: vel ut cap. 28, *emissionis verbum*: vel denique ut cit. cap. 13, *prolativum*. Hactenus Billius. Verborum itaque sensu est, ut bene advertit Feuardentius, talem esse Sigen, qualem et Logon; si hic internus sit, et illam internam esse, et ea propter neutrum posse dici emissum.

(7) *Emissionis*. In Feuard. perperam, *emissiones*.

(8) *Christum et Spiritum sanctum*. Sic pro *Christo et Spiritu sancto* (uti librariorum culpa habent omnes codd. aperte repugnante tum sensu, tum ipsa Valentinianorum hypothesi) restituo ex lib. I, cap. 11, n. 5, ubi dicitur: *Monogenem alteram emisisse conjugationem, Christum et Spiritum sanctum*. Et in hoc ipso capite, paulo post: *Christum a Monogene dicunt emissum*.

(9) *Quid quod*. In Eras., Gallas. et Feuard., male omissum *quid*. Hæc enim interrogando dicta esse, perspicuum est ex contextu. Unde *quid quod* hic scribitur, pro *quid est causæ quod?*

(10) *Edicere*. Pro *et dicere* ex cod. Voss. bene reposuit Grab.

Digitized by Google

ob quam non annumerant cum reliquis Æonibus, neque Christum, quem volente Patre a Monogene dicunt esse emissum, neque Spiritum sanctum, neque Horon, quem et Sotera (11) dicunt; sed neque ipsum Salvatorem, qui venit ad auxilium et formationem Matris ipsorum? Utrum quasi sint isti infimiores (12) illorum (13), et idea indignos esse Æonum appellatione et numero : aut quasi meliores sint et differentes (14)? Sed infimi quidem quomodo fient, qui etiam in fixionem et emendationem reliquorum emissi sunt? Meliores autem rursus prima et principali tetrade esse non possunt, a qua et emissi sunt : et illa enim enumeratur in prædictum numerum. Oportuerat autem et istos annumerari in Pleromate Æonum : aut et illorum Æonum (15) honorem hujusmodi appellationis auferri.

8. Cum ergo sit soluta illorum triacontas, sicut ostendimus, et secundum id quod minus est, et secundum id quod plus est (in tali enim numero si plus fuerit, aut minus, reprobabilem faciet numerum, quanto magis tanta (16)?) : instabilis igitur ea quæ est de ogdoade ipsorum, et de duodecade fabula. Instabilis autem et universa illorum regula, ipso firmamento ipsorum dissipato, et in Bythum (17), hoc est, in id quod non est, dissoluto. Quærant igitur jam amodo alias causas ostendere, quare triginta annorum Dominus ad baptismum venerit; et duodecadis apostolorum; et ejus quæ est sanguinis profluvium passa; et reliquorum quæcunque vane laborantes delirant.

CAPUT XIII [92].

Primum ordinem emissionis hæreticorum nulla ratione defendi posse.

1. Et ipsum quidem primum ordinem emissionis

[92] Cap. XVI.

(11) *Soteram*. Mirum, inter varia quæ lib. I, cap. 11, n. 4, recenset Irenæus Hori cognomina, illud *Soteris* omissum fuisse. Hinc suspicatur Grabius vel textum Græcum hic corruptum fuisse, vel pro σταυρόν (quod Hori cognomen est), forte per abbreviationem scriptum, στρν, male legisse interpretem σωτῆρα. Sed cum loco mox citato dicatur λυτρωτής, *Redemptor*, qui Sophiam ab imminenti ruina liberaverit, *Salvatorem* dici quid vetat? Sic ut duplex Christus, sic et duplex erit Salvator, superior alter, alter inferior.

(12) *Infimiores*. In cod. Arund. et marg. Feuard., *infirmiores*. Sed prior lectio præferenda : mox enim sequitur, *infimi quidem quomodo fient?* Ubi omnes codd. inter se consentiunt.

(13) *Illorum*. Græcismus, pro *illis*.

(14) *Differentes*. Græce, ait optime Billius, διαφορώτεροι, id est *præstantiores*.

(15) *Illorum Æonum*. Mallem, *ab illis Æonibus*.

(16) *Quanto magis tanta?* Id est, quanto magis tantus Æonum excessus, defectusque reprobabilem facient tricenariam ab hæreticis confictum numerum?

(17) *Bythum*. Ludit auctor in voce βυθός, quæ Valentinianis *primum Patrem*, hic *profundum gurgitem* significat.

(18) *Non capit*. Græca phrasis, qua non raro utitur interp. a Græco, οὐκ ἐνδέχεται, *fieri non potest*, etc.

(19) *Quemadmodum*. Pro *quomodo*.

ipsorum reprobabilem esse sic ostendimus. Emissum enim dicunt de Bytho et hujus Ennœa Nun et Alethian, quod quidem contrarium ostenditur. Nus enim est ipsum quod est principale, et summum, et velut principium, et fons universi sensus. Ennoia autem, quæ ab hoc, est qualislibet et de quolibet facta motio. Non capit (18) igitur ex Bytho et Ennoia emissum esse Nun : verisimilius enim erat dicere eos, de Propatore et de hoc Nu emissam esse filiam Ennoiam. Non enim Ennoia mater est 130 Noos, sicut dicunt; sed Nus pater fit Ennoiæ. Quemadmodum (19) autem et emissus est Nus a Propatore, qui principalem, et primum ejus, quæ est intus, absconditæ et invisibilis affectionis locum continet? a qua sensus generatur, et Ennoia, et Enthymesis, et talia (20), quæ non alia sunt præter Nun; sed illius ipsius, quemadmodum prædiximus, de aliquo in cogitatu dispositæ qualeslibet motiones; secundum perseverationem et augmentum, non secundum immutationem vocabula accipientes (21), et in cognitionem conterminatæ, et in verbum coemissæ, sensu manente intus, et condente, et administrante, et gubernante libere et ex sua potestate, quemadmodum et vult, quæ prædicta sunt.

2. Prima enim motio ejus de aliquo, ennoia appellatur; perseverans autem et aucta, et universam apprehendens animam, enthymesis vocatur. Hæc autem enthymesis multum temporis faciens in eodem, et velut probata, sensatio (22) nominatur. Hæc autem sensatio in multum dilatata, consilium facta est; augmentum autem et motus in multum dilatatus consilii, cogitationis examinatio : quæ etiam in mente perseverans, verbum rectissime appellabitur (23); ex quo emissibilis emittitur

(20) *A qua... talia*. Alii, *a quo... et alia*.

(21) *Dispositæ qualeslibet motiones... accipientes*. Sic Clarom., Arund. et Merc. 2, cum editt. Oxon.; aliæ omnes vitiose, *dispositæ qualislibet motionis... accipientis*. Id vero vult Irenæus ennoian, enthymesin, aliasque mentis cogitantis actiones, seu *motiones*, ut loquitur, nihil aliud esse quam seriem quamdam unius et ejusdem mentis affectionum, quæ varia, habita ratione perseverationis et augmenti, sortiantur nomina; sed inter quas nulla intercedat substantialis et realis, ut loquuntur, diversitas; utpote quæ sint tantum cognitionis modificationes, in verbum interius, ἐνδιάθετον λόγον, desinentes.

(22) *Sensatio*. Græce, ni fallor, νόησις.

(23) *Verbum rectissime appellabitur*. Hunc igitur ordinem inter mentis de re aliqua cogitantis actiones statuit auctor noster. Præcedit ἔννοια, sequitur ἐνθύμησις, tum νόησις, postea βουλή, seu βούλημα, deinde βουλήματος ἐξέτασις, ac denique ἐνδιάθετος λόγος, qui si proferatur exterius, προφορικός dicitur; quas sic explicat. Cum primum menti sese offert res aliqua, leviorque tum ejusdem perceptio est, ἔννοια dicitur. Si vero intentiori facto animo augeatur perceptio, ἐνθύμησις est. Porro ἐνθύμησις esse non potest, quin menti sapiat sua perceptio, ac sensu intimo noverit, sibive conscia sit percipere se; quod νόησις vocatur. Dum autem νόησις, collatis secum pluribus ideis, penitius exploratur, fit βούλημα, quo videlicet ferur

Digitized by Google

verbum (24). Unum autem et idem est omnia quæ prædicta sunt, a Noo initium accipientia; et secundum augmentum assumentia appellationes (25). Quemadmodum et corpus hominis, aliquando quidem novellum, aliquando quidem virile, aliquando autem senile, secundum augmentum et perseverantiam accepit appellationes, sed non secundum substantiæ demutationem, neque secundum corporis amissionem : sic et illa. De quo enim quis contemplatur, de eo cogitat : et de quo cogitat, de hoc et sapit : de quo autem et sapit, de hoc et consiliatur : et quod consiliatur, hoc et animo tractat : et quod animo tractat, hoc et loquitur. Hæc autem omnia, quemadmodum diximus, Nus gubernat, cum sit ipse invisibilis, et a semetipso per ea, quæ prædicta sunt, sicut per radium, emittens verbum : sed non ipse ab alio emittitur.

3. Et hæc quidem in hominibus capit dici (26), cum sint compositi natura, et ex corpore et anima subsistentes. Qui autem dicunt ex Deo emissam esse Ennœam, et ex Ennœa Nus, deinceps ex iis Logon; primo quidem arguendi sunt improprie emissionibus usi; post deinde, hominum affectiones, et passiones, et intentiones mentis describentes, Deum autem ignorantes : qui quidem ea, quæ obveniunt hominibus ad loquendum eos (27), applicant omnium Patri, quem etiam ignotum omnibus dicunt, negantes quidem ipsum mundum fecisse, ut ne quidem pusillus putetur (28); nominum autem affectiones et passiones donantes. Si autem Scripturas cognovissent, et a veritate docti essent, scirent utique quoniam non sic Deus (29), quemadmodum homines; et non sic cogitationes ejus, quomodo cogitationes hominum. Multum enim distat omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus et passionibus : et simplex, et non compositus, et similimembrius (30), et totus ipse sibimetipsi similis, et æqualis est; totus cum sit sensus (31), et totus spiritus, et totus sensibilitas (32), et totus ennœa, et totus ratio, et totus auditus, et totus oculus, et totus lumen, et totus fons omnium bonorum; quemadmodum ad est religiosis ac piis dicere de Deo.

4. Est autem et super hæc, et propter hæc inenarrabilis. Sensus enim capax omnium bene et recte dicetur, sed non similis hominum sensui : et lumen rectissime dicetur, sed nihil simile (33) ei, quod est secundum nos, lumini. Sic autem (34) et in reliquis omnibus nulli similis erit omnium Pater hominum pusillitati : et dicitur **131** quidem secundum hæc propter dilectionem, sentitur autem super hæc secundum magnitudinem. Si igitur et in hominibus ipse quidem sensus non emittitur, neque separatur a vivo is, qui emittit reliqua, motiones (35); autem ejus et affectus perveniunt ad manifestum; multo magis Dei, qui totus sensus

sententia. Judicium nos diceremus. Id si accuratius perpendatur, aliaque ex eo judicia, comparatione facta, inferantur, βουλήματος ἐξέτασις est. Argumentationem vocant philosophi. Hinc ἐνδιάθετος λόγος, internum animi verbum : neque enim expendi possunt *consilia*, resque aliqua animo tractari, quin mens secum veluti colloquatur. Inde et προφορικὸς λόγος, si quod intus animo pertractatum fuit, sermone prodeat exterius. Ita se habet, ut quidem arbitror, Irenæi hypothesis, de qua viderint philosophi.

(24) *Emissibilis.* Ita Eras., Gallas. et mss. omnes. Frustraque Feuardentius correxit, *emissibile.* Nam interpres ad substantivi, λόγος, magis quam ad *Verbi* genus attendens, masculinum genus cum neutro passim conjungit.

(25) *Secundum augmentum assumentia appellationes.* Sic recte Clarom. cod. pro, *secum augmentum assumentia appellationis*, ut perperam legitur in Eras., Gallas. et Feuard. Consentiunt cod. Voss., Feuard. in marg. edit. 1576 et edit. Oxon. quoad vocem *secundum* : sed male in omnibus, *appellationis.* Lectionem nostram confirmant quæ paulo ante scripta legimus : *secundum augmentum vocabula accipientes*; et quod mox sequitur, *secundum augmentum accepit appellationes.*

(26) *Capit dici.* Pro, *dici fas est.*

(27) *Ad loquendum eos.* Sic mss. omnes cum edit. Oxon., melius quam, *ad loquendum ei*, ut in Feuard., vel *eis*, ut in Eras. et Gallas. legitur. Græce πρὸς τὸ λαλεῖν αὐτούς, id est, *ut ipsi loquantur.*

(28) *Ut ne quidem pusillus putetur.* Id est, ne infirmus ac impotens existimetur, utpote qui malum a rebus creatis avertere non potuisset.

(29) *Non sic Deus.* Ita pro *non sit Deus*, ex cod. Clarom. et Feuard. marg. reposui; mox enim sequitur : *non sic cogitationes ejus quomodo*, etc. Alludit Irenæus ad verba Isaiæ LV, 8 : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.*

(30) *Similimembrius.* Ὁμοιόκωλος in Græco fuisse suspicatur Feuardentius; Grabius vero, ὁμοιομερής. Sed alterutrum scripserit Irenæus, idem sensus est. Scilicet ὁμοιόκωλος, vel ὁμοιομερής dicitur Deus, quia partes ejus, si quas dici fas esset, nihil a toto ipso differunt, seu, ut mox addit Irenæus, quia *totus ipse sibimetipsi similis et æqualis est.* Idipsum est quod Cyrillus Catech. 6, hunc Irenæi locum imitatus dixit : Ὅμοιον ἀεὶ ἑαυτῷ ὄντα, μονοειδῆ τὴν ὑπόστασιν, οὐκ ἐν μέρει ἐλαττούμενον, ἀλλ' ἐν πᾶσιν ὅμοιον ὄντα αὐτὸν ἑαυτῷ. *Sui semper similem, essentia uniformem et uniusmodi, qui non plus habeat ex aliqua parte, ex aliqua minus, sed in omnibus ipse sui similis sit.*

(31) *Totus cum sit sensus.* Lib. I, cap. 12, n. 2, ubi totum hunc fere locum Græce scriptum reperies, habet ὅλος νοῦς· νοῦν vero *sensum* passim vertit interpres : *mentem* melius vertisset. Cæterum horum Irenæi verborum partem exscripsit Cyrill. loc. cit.: ὅλος ὢν ὀφθαλμός, καὶ ὅλος ἀκοή, καὶ ὅλος νοῦς, *totus cum sit oculus, et totus auditus, et totus mens.*

(32) *Sensuabilitas.* Ita Arund., Clarom., Feuard. in marg. et Grab.; cæteri minus recte, *sensuhabilitas.* Pro *sensuabilitas* superius scripsit interpres *sensatio*; Græce νόησις, *cogitatio.*

(33) *Nihil simile. In his*, quod ante *nihil* præfixum legitur in editt. Feuard. et Oxon. sensumque turbat, expunxi, quia deest in editt. Eras. et Gallas. ac mss. Clarom., Arundel. 3 c Merc. 2.

(34) *Sic autem.* Ita recte solus Clarom.; cod. cæteri omnes perperam, *si autem.*

(35) *Motiones.* Sensus est : si in hominibus ipsa mens non emittatur, hæcque propriæ actiones, affectionesve sic exterius velut emittendo prodat, ut neque mens, neque mentis actiones a vivente

Digitized by Google

est, ipse (36) a semetipso nequaquam separabitur, neque quasi ab alio aliud emittitur (37).

5. [86] Si enim sensum emisit, ipse qui emisit sensum, secundum eos, compositus et corporalis intelligitur, ut sit separatim quidem qui emisit, Deus; separatim autem qui emissus est, sensus. Si autem de sensu sensum dicant emissum, præcidunt sensum Dei et partiuntur. Quo autem, et unde emissus est? Quod enim ab aliquo emittitur, in aliquid subjectum emittitur. Quid autem subjacebat antiquius, quam sensus Dei, in quod emissum (38) dicunt eum? Quantus autem et erat locus, ut susciperet et caperet Dei sensum? Si autem, quemadmodum a sole radium, dicant; sicut subjacet aer hic susceptor (39); et antiquior erit, quam ipse radius : et illic ostendant subjacens aliquid, in quod emissus (40) est sensus Dei, capabile ejus et antiquius. Post oportebit, quemadmodum solem minorem esse quam omnia (41) videmus, longe a semetipso emittentem radios; sic et Propatorem dicere extra et longe a semetipso emisisse radium. Quidnam autem extra, aut longe sentiri a Deo potest, in quod radium emisit?

6. Si autem non emissum extra Patrem illum dicant, sed in ipso Patre; primo quidem superfluum erit etiam dicere emissum esse eum. Quemadmodum enim emissus est, si intra Patrem erat? Emissio enim est ejus, quod emittitur, extra emittentem manifestatio. Post deinde, hoc emisso (42), et is qui est ab eo Logos erit intra Patrem; similiter autem et reliquæ Logi emissiones (43). Jam igitur non ignorabunt Patrem, cum intra eum sint; nec secundum descensionem emissionum minus aliquis (44) cognoscet eum, undique omnes a Patre æqualiter circumdati; sed et impassibiles omnes similiter perseverabunt, cum sint in paternis visceribus, et in deminoratione nemo ipsorum erit. Non enim est deminoratio Pater : nisi forte, velut in circulo magno minor continetur circulus, et intra hunc rursus alter minor, aut velut sphæræ similitudine, aut tetragoni. Patrem dicant intra se undique continere sphæræ similitudinem, vel quadratam reliquam Æonum emissionem, unoquoque illorum circumdato ab eo, qui est super eum major; et circumdante eum, qui post se est, minorem, et propter hoc minorem et ultimum omnium in medio constitutum, et multum a Patre separatum, ignorasse Propatorem. Si autem hæc dixerint, in figura et circumscriptione concludent Bythum ipsorum, et circumdantem, et circumdatum; cogentur enim et extra illum confiteri esse aliquid, quod circumdet eum. Et nihilominus in immensum de his qui continent (45) et continentur, incidet sermo : et corpora inclusa esse omnes (46) manifeste apparebunt.

7. Adhuc etiam aut vacuum esse eum confitebuntur; aut omne quod est intra eum, omnes similiter participabunt de Patre.[87] Quemadmodum in aqua circulos si quis faciat, vel rotundas vel quadratas figuras, omnia hæc similiter participabunt de aqua : quemadmodum et quæ in aere fabricantur (47), necesse est participare de aere; et quæ in lumine, de lumine : sic et qui sunt intra eum, omnes similiter participabunt de Patre, ignorantia apud eos locum non habente. Ubi enim participatio Patris adimplentis? Si autem adimplevit, illic et ignorantia non erit. Solvetur igitur ipsorum deminorationis opera, et materiæ emissio, et reliqua mundi fabricatio; quæ ex passione et ignorantia volunt substantiam habuisse. Si autem vacuum illum confitebuntur, in maximam incidentes blasphemiam, denegabunt id quod est spiritale ejus. Quemadmodum enim est spiritalis is, qui ne quidem ea quæ intra eum sunt, adimplere potest?

8. Hæc autem, quæ dicta sunt de sensus emis-

[86] Cap. XVII. [87] Cap. XVIII.

homine separentur : multo minus Dei, qui totus mens est, mens emittetur, ejusque mentis actiones divisæ ac separatæ ab eo emittentur, ne Deus a Deo separetur.

(36) *Ipse.* Sensus videlicet.

(37) *Emittitur.* Arundel., *emittetur.*

(38) *In quod emissum.* Sic Clarom., cod. cæteri omnes minus bene, *in quo* : nam paulo inferius legitur in omnibus codd., *in quod radium emisit.*

(39) *Susceptor.* Sic editt. Eras., Gallas. et Feuard. : mss. vero omnes ac edit. Oxon., *susceptior*, sed male, quidquid dicat Grab. Quid sit enim *aer susceptior*, ne quidem vir clarissimus dixerit; nec cum ea lectione sequentia facile composuerit. Id sensit ipsemet : monet enim, ut textus optime cohæreat, delendum esse verbum *erit.* Atqui nihil expungendum; vox una, *susceptor*, duntaxat restituenda, et sensus erit planissimus. *Si autem, velut a sole radium, emissum dicant; sicut subjacet aer hic radii susceptor*, seu radium suscipiens, *et* proinde *antiquior erit, quam ipse radius* : sic *et illic ostendant* necesse est *aliquid*, etc.

(40) *In quod emissus.* Ita recte Clarom., Voss. et Feuard. in marg. Alii omnes, *in quo.*

(41) *Minorem esse quam omnia. Quam* pro *quem* recte posuit Grab. ex cod. Arund. Sed frustra putat, aut quatuor has voces in textum irrepsisse, aut plures excidisse. Sat commodus videtur sensus, si quidpiam, nec procul petitum, mente suppleatur : *quemadmodum solem* procul a nobis dissitum, *et ideo minorem quam omnia videmus*, etc.

(42) *Hoc emisso.* Sic Clarom. et Voss. Alii perperam, *hæc emissio.*

(43) *Emissiones. Dicuntur*, quod in editt. Feuard. et Oxon. additum legitur post *emissiones*, delevi auctoritate editt. Eras. et Gallas. ac mss. Clarom., Arund. et Merc. 2, quia sensum obscurat.

(44) *Minus aliquis.* Ita recte Grab. ex cod. Voss.; consentit et Clarom., nisi quod pro *aliquis*, imperitus amanuensis scripsit *aliquid.* In reliquis omnibus deest *minus*; et *quis*, vel *quid* solum legitur, unde perversus oritur sensus.

(45) *Qui continent.* In Arund., *quæ continent.*

(46) *Omnes.* Præter Irenæi mentem, *omnibus* legendum vellet Grabius. Illic enim ordo verborum est : *omnes* (Æones scilicet) *apparebunt esse corpora inclusa.*

(47) *Fabricantur.* Eras., Gallas. et Feuard. *fabricabuntur.*

Digitized by Google

sione, similiter et adversus eos, qui a Basilide sunt, aptata sunt : et adversus reliquos Gnosticos, a quibus et hi initia emissionum accipientes, convicti sunt in primo libro. Sed quoniam quidem reprobabilis et impossibilis prima Noos, id est sensus ipsorum, emissio est, manifeste ostendimus. Videamus autem et de reliquis. Ab hoc enim Logon et Zoen fabricatores hujus Pleromatis dicunt emissos, et Logi, id est Verbi, quidem emissionem ab hominum affectione accipientes, et addivinantes adversus Deum (48), quasi aliquid magnum adinvenientes in eo quod dicunt, a Nu esse emissum Logon : quod quidem omnes videlicet sciunt, quoniam in hominibus quidem consequenter dicatur; in eo autem qui sit super omnes Deus, totus Nus et totus Logos cum sit, quemadmodum prædiximus, et nec aliud antiquius, **132** nec posterius, aut aliud alterius (49) habente in se, sed toto æquali et simili et uno perseverante, jam non talis hujus ordinationis sequitur emissio (50). Quemadmodum qui dicit eum totum visionem, et totum auditum, (in quo autem videt, in ipso et audit; et in quo audit, in ipso et videt) non peccat; sic et qui ait, totum illum sensum, et totam verbum, et in quo sensus est, in hoc et verbum esse, et verbum esse ejus hunc Nun, minus quidem adhuc de Patre omnium sentiet; decentiora autem magis quam hi, generationem prolativi hominum verbi (51) transferunt in Dei æternum Verbum, et prolationis initium donantes et genesin, quemadmodum et suo verbo. Et in quo distabit Dei Verbum, imo magis ipse Deus, cum sit Verbum, a verbo hominum, si eamdem habuerit ordinationem et emissionem generationis ?

9. Peccaverunt autem et circa Zoen, dicentes eam sexto loco emissam, quam oportebat omnibus præponere, quoniam Deus vita est, et incorruptela, et veritas. Et non secundum descensionem, et quæ sunt talia (52) acceperunt emissiones; sed earum virtutum quæ semper sunt cum Deo, appellationes sunt, quemadmodum possibile est et dignum hominibus audire et dicere de Deo. Appellatione (53) enim Dei coobaudientur (54) sensus, et verbum, et vita, et incorruptela, et veritas, et sapientia, et bonitas, et omnia talia. Et neque sensum vita antiquiorem aliquis potest dicere; ipse enim sensus vita est : nec vitam posteriorem a sensu, uti non fiat aliquando sine vita is qui est omnium sensus, id est Deus. Si autem dixerint, in Patre quidem fuisse vitam, sexto autem loco prolatam, ut vivat Verbum; multo ante, eam (55) quidem oportebat quarto loco emitti, ut vivat Nûs, et adhuc etiam ante hunc cum Bytho, ut vivat Bythus ipsorum : cum Propatore enim ipsorum annumerare quidem Sigen, et hanc conjugem ei donare, non connumerare autem Zoen, quomodo non super omnem est insipientiam?

10. De ea autem, quæ est ex his, secunda emissione Hominis et Ecclesiæ, ipsi patres eorum, falso cognominati Gnostici, pugnant (56) adversus invicem, sua propria vindicantes (57), et malos fures semetipsos (58) convincentes; aptabile esse magis emissioni (59) dicentes, uti verisimile, ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem (60) emissum : et esse Hominem Verbo anteriorem, et hunc esse, qui est super omnia Deus. Et usque hoc quidem, quemadmodum prædiximus, omnes hominum affectiones, et motiones (61) mentis, et

(48) *Addivinantes adversus Deum.* Id est, temere de Deo conjicientes, resque divinas ex humanis male metientes.

(49) *Alterius.* Sic mss. quinque. In Ottobon. *alternius*, forte pro *alternis*, quod postremum præferrem, si auctoritate fulciretur. In aliis *anterius*; sed minus recte. Quemadmodum enim *Deum totum æqualem et sibi similem* hic dicit Irenæus, quod *nec aliud antiquius, nec posterius* habeat in se; sic *unum perseverare*, sive simplicem esse asserit, quod *nec aliud alterius*, id est, nihil diversum *habeat in se.*

(50) *Sequitur emissio.* Al. *sequetur.*

(51) *Generationem prolativi hominum verbi.* Sic cod. Claromont. et Feuard. in marg. edit. an. 1576, melius quam cæteri, *lationem*; quanquam tamen postremam hanc lectionem præfert Billius. Græce, inquit, οἱ τὴν φορὰν τοῦ τῶν ἀνθρώπων λόγου προφορικοῦ ἀναφέρουσιν εἰς τὸν ἴδιον τοῦ Θεοῦ Λόγον.

(52) *Et quæ sunt talia. Alia* in *talia* auctoritate codicis Voss. cui consentit Clarom. recte mutavit Grab., quia mox iterum sequitur : *omnia talia.* Mallem autem pro *et* legeretur *ea*, vel illa conjunctio expungeretur.

(53) *Appellatione.* Sic lego ex editt. Eras., Gallas. et cod. Voss. In Arund. vero Merc. 2, Clarom. et edit. Oxon. minus recte *appellationi*, ut ex sequenti nota patebit.

(54) *Coobaudientur.* Ita Voss., Arund. et Clarom. *Coobaudientur* autem hic positum pro *simul intelligentur*, seu *simul intelligenda venient sensus, et verbum*, etc., unde sensus est : *appellatione enim Dei simul intelligentur*; et hinc liquet legendum esse *appellatione*, non *appellationi.*

(55) *Eam.* Ordo verborum est : *multo ante oportebat quidem, eam quarto loco emitti.* Cave ergo *ante* hic ut præpositionem accipias, quæ *eam* in accusativo regat : accipitur pro *prius.*

(56) *Pugnant.* Al. *impugnant.*

(57) *Vindicantes.* Ita Clarom., Voss., Arund. et Feuard. in marg. In aliis, *indicantes.*

(58) *Semetipsos. Invicem semetipsos* habet cod. Arund. Porro *semetipsos* hic accipio pro *eos ipsos*, ut et paulo antea, *adversus invicem*, pro *adversus eos*, Valentinianos scilicet. Id enim exigere videtur sensus, et usus interpreti haud infrequens.

(59) *Aptabile esse magis emissioni.* In editis male : *aptabiles esse emissiones.*

(60) *Ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem.* Valentinianæ hypotheseos hoc in capite absurditatem sentientes Valentini discipuli, a magistro descíverunt; a Gnosticisque moniti, Valentinianarum emissionum ordine inverso, *ex Homine Verbum, sed non*, ut Valentinus, *ex Verbo Hominem emissum* voluerunt. Tales fuere Colorbasæi, et alii, de quibus lib. 1.

(61) *Motiones.* Sic recte solus Clarom. cod. In Arund., Merc. 2, et editt. Eras., Gallas. et Feuard. vitiose, *monitiones.* Paulo melius in cod. Voss. Feuard. marg. et edit. Oxon. *notiones.* Sed præferenda vox *motiones*, qua hactenus usus est Irenæus, ad exprimendas mentis actiones.

Digitized by Google

generationes intentionum, et emissiones verborum conjicientes verisimiliter, non verisimiliter mentiti sunt adversus Deum. Ea enim quæ accidunt hominibus, et quæcunque patientes ipsi recognoscunt, ad divinam rationem adducentes, apta dicere videntur apud eos, qui ignorant Deum; et per humanas has passiones transducentes eorum sensum (62), genesin et probolen quinto loco Verbo Dei (63) enarrantes, mirabilia mysteria, et inenarrabilia, et alta, a nullo alio cognita (64) dicunt se docere, de quibus et dixerit Dominus: *Quærite et invenietis* [96]; ut quærant scilicet, qui de Bytho et Sige Nus (65), et Alethia processerunt; si sunt ex eis rursus Logos et Zoe, dehinc ex Logo et Zoe, Anthropos et Ecclesia.

A ipsum autem universorum generationis initium et emissionem ostendentes: pro nocte et silentio, Bythum et Sigen nominantes; pro Chao autem, Nun; et pro cupidine (*per quem*, ait comicus, *reliqua omnia disposita*), hi Verbum attraxerunt; et pro primis ac maximis diis, Æonas formaverunt, et pro secundis diis, eam, quæ est extra Pleroma, Matris ipsorum enarrant dispositionem, secundam ogdoaden vocantes eam; ex qua mundi fabricationem et plasmationem hominum, similiter atque ille, annuntiant (67) inenarrabilia et incognita mysteria solos se dicentes scire: quæ ubique in theatris ab hypocritis splendidissimis (68) vocibus comœdizantur, transferentes in suum argumentum, imo vero hisdem argumentis docentes, tantum immutantes nomina.

133 CAPUT XIV [97].

Valentinum et sequaces a gentilibus doctrinæ suæ principia, mutatis tantum nominibus, accepisse.

1. Multo verisimilius et gratius de universorum genesi dixit unus de veteribus comicis Antiphanes (66) in *Theogonia*. Ille enim de nocte et silentio Chaos emissum dicit, dehinc de Chao et nocte cupidinem, et ex hoc lumen, dehinc reliquam secundum eum primam deorum genesin. Post quos rursus secundam deorum generationem inducit, et mundi fabricationem; dehinc de secundis diis narrat hominum plasmationem. Unde ipsi assumentes sibi fabulam, quasi naturali disputatione commenti sunt, solummodo demutantes eorum nomina, id-

B

2. Et non solum quæ apud comicos posita sunt, arguuntur quasi propria proferentes; sed etiam quæ apud omnes, qui Deum ignorant et qui dicuntur philosophi, sunt dicta, hæc congregant et quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes, finctum superficium (69) subtili eloquio sibi ipsis præparaverunt: novam quidem introducentes doctrinam, propterea quod nunc nova arte substituta (70) sit; veterem autem et inutilem, quoniam quidem de veteribus dogmatibus, ignorantiam et irreligiositatem olentibus, hæc eadem subsuta sunt (71). Thales quidem Milesius universorum generationem et initium aquam dixit esse (72). Idem

[96] Matth. VII, 7. [97] Cap. XIX.

(62) *Transducentes eorum sensum. Passiones* ante *sensum* cum Grabio delevi auctoritate codd. Clarom. et Arund.

(63) *Verbo Dei.* Mallem, *Verbi Dei.*

(64) *Cognita.* Eras., Gallas. et Feuard. *cogitata.*

(65) *Et Sige, Nus.* Ita Clarom.; consentiunt Arund. et Voss., nisi quod forte *et* ante *Nus* præfixum habeant; neque enim deesse monet Grabius. In editt. vero omnibus, *et Sige et Nu.* At lectio nostra cum sequentibus magis cohærere videtur. Sensus vero est: *qui* (pro *quomodo*) *de Bytho et Sige, Nu et Alethia processerunt.*

(66) *Antiphanes.* Quis sit iste Antiphanes, vix dici potest. Plures ejus nominis leguntur poetæ comici; alter Smyrnæus, vel Rhodius, qui teste Suida vixit Olympiade 93 cujusque non semel meminit Athenæus; alter Bergæus, quem memorat Stephanus in *Βέργη*; alter Atheniensis, Panætio junior. Sed nullus eorum memoratur *Theogoniam* scripsisse. Satis verisimilis tamen doctissimi Grabii conjectura, Antiphanem hic citatum, eum esse, cujus Ἀφροδίτης γοναί citantur ab Athenæo p. 487 et 666, quique ab Irenæo de *Theogonia* scripsisse dictus fuerit, non quod forte librum ullum sub hoc titulo vulgaverit, sed quod de *Veneris prosapia* scripserit.

(67) *Ille, annuntiant. Ille*, scilicet Antiphanes, melius legitur in Clarom., Voss. et Merc 2 quam in aliis, *illi.* Pro *annuntiant* autem, *annuntiantes* habent iidem mss.

(68) *Splendidissimis. Et* huic voci male præfixit Feuard.

(69) *Finctum superficium.* Sic mss. omnes, tum nostri, tum Anglic., quoad vocem *finctum;* et quoad *superficium*, saltem Clarom. et Arund. (nam de Voss. et Merc. 2 nec affirmare potest Grabius); quoad utramque, margines editt. Eras., Gallas. ac Feuard., nisi quod, pro *finctum* habent, (quod idem est) *fictum.* Sed in textu habent *superficiem*, omittunt vero *finctum*, vel *fictum.* Porro ea vox *superficium*, eo saltem sensu, qui huc quadret, mihi hactenus invisa. Legitur quidem in *Inscriptionibus* Gruteri pag. 138, col. 2, et pag. 608, Inscript. 8; sed ut notat eruditissimus Cangius in *Glossario Latino*, ibi significare videtur, ἐποικοδόμημα. In *Glossario* Cyrilli, *superficium*, ἀνώγεων, ὑπερῷον; sed hæc nihil ad rem nostram faciunt. Perspicuum est enim ex contextu sermonis, *superficium* hic *vestem quamdam exteriorem* significare, eam forte quæ a Græcis ἐπενδύτης, et in vet. Glossario *superaria* dicitur. Nam in *Glossis* Isidori dictis, *superaria, est vestis quæ superinduitur;* inde ab interpr. Irenæi dicta *superficium*, quod cæteris supereminere ac superponeretur. In hac significatione *superficiem* usurpari a Tertulliano lib. *De cultu fem.* cap. 11 et 13, existimat Grab. Putem ego, *superficiem* ibi generalius a Tertulliano accipi pro toto corporis habitu exteriori, qui oculis subjicitur. Consulesis loca.

(70) *Substituta.* Cod. Arund. *substructa.*

(71) *Subsuta sunt.* In editt. Eras., Gallas. et Feuard. *subsecuti sunt.* At longe melior lectio, *subsuta sunt*, quam ex cod. Voss. expressit Grab. quæque cum præcedentibus optime cohæret: *quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes.* In cod. Clarom. scriptum quidem fuit, *subsuta*, sed additus postea apex supra primum *u.* Unde videtur emendatoris consilium fuisse, ut legeretur *sumbta*, seu *sumpta* (non infrequenter enim in hoc ms. *b* scribitur pro *p*): quæ lectio et ipsa bona est, et cum antecedentibus congruit. Quare utrumvis legas, *subsuta*, an *sumpta*, bene legas.

(72) *Aquam dixit esse.* Genuinam hanc lectionem

Digitized by Google

autem est dicere aquam, et Bythum. Homerus autem poeta Oceanum deorum genesin, et matrem Thetin dogmatizavit : quæ quidem hi in Bythum et Sigen transtulerunt. Anaximander autem hoc quod immensum est, omnium initium subjecit, seminaliter habens in semetipso omnium genesin, ex quo immensos mundos constare ait; et hoc autem in Bythum et in Æonas ipsorum transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui et Atheus cognominatus est, dogmatizavit facta animalia, decidentibus e cœlo in terram seminibus : quod et hi ipsi in Matris suæ transtulerunt semina, et esse hoc semen seipsos : statim confitentes apud eos, qui sensum habent, et ipsos esse quæ sunt (73) Anaxagoræ irreligiosi semina.

3. Umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes, sibimetipsis aptaverunt, cum illi primum multum sermonem fecerint de vacuo et de atomis; quorum alterum quidem quid esse (74) vocaverunt; alterum vero, quod (75) non est appellaverunt : quemadmodum et hi esse quidem illa, quæ sunt intra Pleroma, vocant, quemadmodum illi atomos; non esse autem hæc, quæ sunt extra Pleroma, quemadmodum illi vacuum. Semetipsos ergo in hoc mundo, cum sint extra Pleroma, in locum qui non est, deputaverunt. Quod autem dicunt imagines esse hæc eorum quæ sunt, rursus manifestissime Democriti et Platonis sententiam edisserunt. Democritus enim primus ait, multas et varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum. Plato vero rursus materiam dicit, et exemplum, et Deum (76); quos isti sequentes, figuras illius et exemplum (77), imagines eorum, quæ sunt sursum, vocaverunt, per demutationem nominis semetipsos inventores **134** et factores hujusmodi imaginariæ fictionis gloriantes.

4. Et hoc autem quod ex subjecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, et Anaxagoras, et Empedocles, et Plato primi ante hos dixerunt; ut videlicet datur intelligi, et ipsi a Matre sua inspirati. Quod autem ex necessitate unumquodque in illa secedit, ex quibus et factum esse dicunt, et hujus necessitatis servum esse Deum, ita ut non possit mortali immortalitatem addere, vel corruptibili incorruptelam donare, sed secedere unumquemque in similem naturæ suæ substantiam; et hi qui ex porticu Stoici appellantur, et universi quotquot Deum ignorant, poetæ et conscriptores affirmant. Qui eamdem habentes infidelitatem, spiritalibus quidem suam regionem attribuerunt, eam quæ est intra Pleroma; animalibus autem, medietatis : corporalibus autem, quod cholcum; et præter hæc nihil posse Deum, sed unumquemque prædictorum ad ea, quæ sunt ejusdem substantiæ, secedere affirmant.

5. Quod autem Salvatorem ex omnibus factum esse Æonibus dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquid afferunt. Quæ enim ille ait de illa, hæc hi de Salvatore insinuant, Pandoron introducentes eum, quasi unusquisque Æonum, quod haberet optimum, donaverit ei. Ipsam autem eduliorum, et reliquarum operationum indifferentem sententiam, et quod putent a nemine (78) in totum posse coinquinari propter generositatem (79), licet quodcunque (80) manducent vel operentur, a Cynicis possederunt, cum sint cum eis ejusdem testamenti (81). Et minutiloquium (82), et subtilitatem (83) circa quæstiones, cum sit Aristotelicum, inferre fidei conantur.

6. Quod autem velint in numeros transferre universum hoc, a Pythagoricis acceperunt. Primum enim hi initium omnium numeros substituerunt (84),

solus suppeditat cod. Clarom., in aliis omnibus cum editt. tum mss. corrupte, *aquam dixisse*.

(73) *Quæ sunt*. Clarom. *qui sunt*.

(74) *Quid esse*. Sic Eras., Gallas., Feuard. edit. 1576, et codd. Clarom. Arund. et Merc. 2. In altera Feuard. edit. Colon. et in Oxon. *quid esset;* male : nam præterquam quod constructionis ordo sic legi non sinit, mox sequitur : *hi esse quidem illa... vocant... non esse autem hæc*, etc.

(75) *Quod*. Editt. *hoc quod*.

(76) *Materiam... et exemplum et Deum*. Hæc tria sunt Platonis principia omnibus nota, de quibus fuse Dissert. 1 diximus.

(77) *Figuras illius et exemplum*. Græce, ut probe notat Grab., ἰδέας αὐτοῦ καὶ παράδειγμα.

(78) *A nemine*. Græce ὑπ' οὐδενός, quod vertendum erat, *a nullo*, id est *nulla re*.

(79) *Propter generositatem*. Græce διὰ τὴν εὐγένειαν, id est, propter generis splendorem; id enim in Gloss. vet. significant εὐγένεια et *generositas*. Sic fere generositatem accipit Tertull. lib. IV *contra Marc.*, c. 5, ubi Ecclesias ab apostolis fundatas esse probans : *Sic*, inquit, *et cæterarum* (Ecclesiarum) *generositas recognoscitur*. Ubi *generositas* pro *origine* usurpatur, ut ante me observavit Grab. Vide et lib. *De carne Christi* c. 9. Porro *generositatem* suam jactabant Valentiniani, quia ex angelico semine progenitos esse se, et semina electionis gloriabantur.

(80) *Quodcunque*. Al. *quodque*.

(81) *Cum sint ejusdem testamenti*. Vertendum erat, *cum sint ejusdem societatis, sodalitii, fœderis*. Vox enim Græca, διαθήκη, qua hic usus est Irenæus, in singulari accipitur pro συνωμοσίᾳ, *conjuratione, sodalitio* : διαθήκαι vero in plurali pro *testamento*, inquit Hesychius in *Lexico*. Quin et ea voce, *fœdus, pactum* (quod eodem redit) interdum significari, vel ipsa vulgata Lexica docent, et Scripturæ sacræ usus.

(82) *Minutiloquium*. Vetus Feuardent. cod. Ottob. et Voss. *multiloquium*.

(83) *Subtilitatem*. Alii minus bene, *sublimitatem*.

(84) *Primum enim hi initium omnium numeros substituerunt*, etc. Hæc eadem ante Irenæum Plutarchus dixit lib. I *De placitis philosoph.* c. 3. Verba referre non pigebit; ex iis enim, Irenæi sententiæ paulo obscuriori, lux accedet. Πυθαγόρας Μνησάρχου, Σάμιος, ὁ πρῶτος φιλοσοφίαν τούτῳ τῷ ῥήματι προσαγορεύσας, ἀρχὰς τοὺς ἀριθμους καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετα στοιχεῖα, καλούμενα δὲ γεωμετρικά. Πάλιν δὲ τὴν μονάδα καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. Σπεύδει δὲ αὐτῷ τῶν ἀρχῶν, ἡ μὲν

Digitized by Google

et initium ipsorum (85) parem et imparem, ex quibus et ea quæ sensibilia et insensata sunt, subjecerunt. Et altera quidem substitutionis initia esse; altera autem sensationis et substantiæ; ex quibus primis (86) omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de æramento et de formatione. Hoc autem ii bis qui sunt extra Pleroma aptaverunt. Sensationis autem initia dixerunt (87), in quem sensus intelligens est ejus quod primum assumptum est, quærit quoadusque defatigata ad unum et indivisibile concurrat. Et esse omnium initium, et substantiam universæ generationis Hen, id est *unum*;

ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικὸν, ὅπερ ἐστὶ νοῦς ὁ Θεὸς, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε καὶ ὑλικὸν, ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος. *Pythagoras Mnesarchi filius, Samius, is qui primus philosophi nomen usurpavit, rerum principia censuit esse numeros, eorumque inter se proportiones, quas et harmonias vocat, et ex utrisque composita elementa quæ geometrica dicuntur. Rursus unitatem et indefinitum binarium in principiis ponit. Tendunt autem principia ejus, alterum ad causam effectricem et formalem, quæ mens est, Deus; alterum ad patibilem et materialem, quæ est mundus hic aspectabilis.* Ex quibus haud obscure colligitur, totum istud Pythagoricorum numerorum mysterium in verbis hæsisse, re eamdem fuisse cum cæteris philosophis, de rerum naturalium principiis, sententiam. Quod enim hi *materiam et formam* dicebant, illi *numeros, numerorumque proportionem et concentum*, seu *unitatem et binarium* vocabant; per *numeros*, et *binarium*, materiam; per *unitatem, numerorumque proportionem*, formam, seu, quod idem est, materiam certo partium numero, certo ordine et mensura distinctam, ac dispositam, certoque motu agitatam, designantes. Rem totam, si quid dubii adhuc supersit, explicat Simplicius *ad Phys.* lib. 1: Εἰ δὲ τὸ εἶδος ἕν, τὴν δὲ ὕλην δύο, κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἦθος, διὰ τῶν ἀριθμῶν σημαίνων πράγματα, εἰκότως ἓν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγεν, ὡς ὁρίζον ὅπερ ἂν καταλάβῃ, καὶ περατοῦν· δύο δὲ τὴν ὕλην, ὡς ἀόριστον, καὶ ὄγκου καὶ διαιρέσεως αἰτίαν. *Si autem formam unum, materiam vero duo, more Pythagorico res significans, merito unum quidem formam dixit, ut quæ finiat, terminetque quod comprehenderit; duo autem materiam, ut indefinitam, et quæ tumoris causa sit, et divisionis.* Clara sunt hæc. Binarius materia est, quia quemadmodum binarius jam dividi potest, et multitudinem facere; sic et materiæ dividi et extendi proprium est. Indefinitum autem binarium appellant, quod, inquit Themistius lib. 1 *De anima, terminum proprium non habeat, sed ab unitate terminum uniuscujusque speciei accipiat.* Unum vero forma est, quia sicut unitas numerum finit terminatque, sic et forma materiam definit, et ad certam quamdam speciem determinat. Formam etiam, et Deum et mentem appellabant, quod sicuti Deus rebus universis, mens corpori quod regit; sic et forma materiæ motum, efficientiam et vitam inspirat. Hæc ad explicationem difficilis Irenæi loci, omissis, non tamen spretis, Grabii notis, præmittere operæ pretium duxi. Jam planus evadit, ex dictis, Irenæi sensus. Primo generatim asserit, Pythagoreos rerum omnium principium in numeris reposuisse, quod verum est; tum id accuratius explicans subjungit, *initium ipsorum* esse *parem et imparem*, id est omnium principium esse binarium numerum (qui par est), seu materiam; et unitatem, imparem scilicet numerum, seu formam; ex quibus cum *sensibilia*, tum *insensata*, id est sensu tum prædita, tum destituta constitui volunt. Hic enim *sensibilia* pro *sensu prædita*, nec ita jam semel, posuit interpres. Tum pergit Irenæus:

ex hoc autem dyadem, et tetradem, **135** et pentadem, et reliquorum multifariam generationem. Hæc hi ad verbum de Plenitudine suorum (88) et Bytho dicunt; unde etiam et eas quæ sunt de uno, conjugationes adnituntur introducere, quæ Marcus velut sua jactans, velut novius aliquid visus est præter reliquos adinvenisse; Pythagoræ quaternationem, velut genesin et matrem (89) omnium enarrans.

7. Dicemus autem adversus eos: utrumne hi omnes, qui prædicti sunt, cum quibus eadem dicentes arguimini, cognoverunt veritatem, aut non

Et altera quidem substitutionis initia esse, altera autem sensationis et substantiæ. Græce, ni fallor, καὶ τὰ μὲν ὑποκαταστάσεως ἀρχὰς εἶναι, τὰ δὲ νοήσεως, καὶ οὐσίας. Quasi diceret: *Et altera quidem principia materialia esse, altera formalia.* Nempe materiam ὑποκατάστασιν, *substitutionem*, vocat, quia formis omnibus substituitur seu subjicitur, omnes excipiens, omnium subjectum; formam vero νόησιν et οὐσίαν, ex Pythagoreorum mente, qui formam νοῦν et οὐσίαν passim nuncupabant. Hancque nostram explicationem confirmant, quæ subdit Irenæus: *Ex quibus primis omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de æramento et de formatione.* Ex materia siquidem et forma, tanquam *primis* principiis *perfecta omnia* dicebant Pythagorici. Et in exemplo allato, quo mentem explicat Irenæus, statuæ materia *æramentum* est; utpote quod *formationi*, vel formæ substituatur, id est subjiciatur.

(85) *Initium ipsorum.* In edit. Feuard. perperam *initio.*

(86) *Primis.* Alias male, *prima.*

(87) *Sensationis autem initia dixerunt*, etc. Locum hunc mutilum esse, et quidpiam e textu excidisse puto: nec enim hæc quæ supersunt, cohærere videntur vel secum invicem, vel cum præcedentibus et subsequentibus. Sic corrigendum censet Grabius: *sensationis autem initia dixerunt, in quantum*, Græce ἐφ' ὅσον (pro *in quem*; nam utraque vox eadem fere modo abbreviata in quibusdam mss. occurrit), *sensus intelligens* (omisso *est*, Græce διάνοια συνιεῖσα) *ejus quod primum assumptum est, quærit quoad usque defatigatus* (pro *defatigata*) *ad unum et indivisibile concurrat.* Sic ille. Sed hæc explicatio textus tenebras non omnino dispellit. Sic igitur locum perobscurum explicari utcunque posse putem. Nempe rationem affert Irenæus, cur formam *sensationis initium* dixerint Pythagorei. Quia, inquit, sensus, seu mens rei cujuspiam naturam investigare sollicita, *intelligens id quod primum assumptum est*, materiam scilicet, quæ tum primum exploranti sese offert, non illic tamen conquiescit; cum enim materia sit vagum quid et omnino incertum, ea proinde cognita nulla res distincte cognoscitur, aut ad genus aliquod definitum revocari potest. Rursus igitur mens *quærit*, ac singulas, quæ materiæ insunt, proprietates, affectiones et qualitates penitius inspicit, donec tandem accuratiori examine veluti *defatigata ad unum et indivisibile*, formam nimirum, *concurrat*, seu deveniat. Formam itaque ex Pythagoreorum mente, *sensationis initium* dici vult, quia primarium ac præcipuum mentis, compositi cujuspiam naturam et partes investigantis objectum, ac ejusdem inquisitionum et actionum finis et terminus est. Loci hujus ambages resolvat melius qui possit.

(88) *Plenitudine suorum.* Græce Πληρώματος ἑαυτῶν, quod vertendum erat, *Pleromate suo.*

(89) *Matrem.* Ita Feuard. in marg. Clarom., Voss. et edit. Oxon. In cæteris, *patrem.*

Digitized by Google

cognoverunt? Et si quidem cognoverunt, superflua est Salvatoris in hunc mundum descensio. Utquid enim descendebat? Nunquid ut eam, quæ cognoscebatur veritas, in agnitionem adduceret his, qui cognoscunt eam, hominibus (90)? Si autem non cognoverunt, quemadmodum eadem cum his, qui veritatem non cognoscebant, dicentes, solos vosmetipsos eam, quæ est super omnia cognitio, habere gloriamini, quam etiam, qui ignorant Deum, habent? Secundum antiphrasin ergo, veritatis ignorantiam, agnitionem vocant : et bene Paulus ait [96], *vocum novitates* (91) *falsæ agnitionis* (92). Vere enim falsa agnitio ipsorum inventa est. Si autem impudenter agentes super hæc dicent, homines quidem non cognovisse veritatem, Matrem autem ipsorum, [vel] semen paternale (93) per tales homines, quemadmodum et per prophetas, enuntiasse mysteria veritatis, ignorante Demiurgo : primo quidem non talia erant (94), quæ sunt prædicta, ut non a quolibet intelligantur : etenim ipsi homines sciebant, quæ dicebant, et discipuli ipsorum, et horum successores. Post deinde, vel Mater, vel semen, si (95) cognoscebant et enarrabant ea quæ erant veritatis; veritas autem Pater : Salvator ergo, secundum eos, erit mentitus, dicens : *Nemo cognovit Patrem, nisi Filius* [97]. Si enim cognitus est vel a Matre, vel a semine ejus; solutum est illud, quod *nemo cognovit Patrem, nisi Filius;* nisi si semen ipsorum, vel Matrem *neminem* esse dicunt.

8. Et usque hoc quidem per humanas affectiones, et per id quod similia dicant multis ignorantibus Deum, verisimiliter visi sunt abstrahere quosdam; attrahentes per ea quæ assueti sunt, in eum qui est de omnibus sermonem, Verbi Dei genesin exponentes, et Vitæ, adhuc etiam Sensus (96), et Dei emissiones obstetricantes. Quæ autem ex his non verisimiliter et sine ostensione, omnia ex omnibus mentiti sunt. Quemadmodum qui assuetas escas, et ut illiciant, præmittunt, uti capiant aliquod animal, sensim blandientes eis per assueta pabula, quousque accipiant; sumentes autem ea captiva, alligant amarissime, et ducunt per vim abstrahentes quocunque ipsi voluerint; sic autem et hi paulatim mansueti dissuadentes (97) per pithanologiam (98) assumere prædictam emissionem, inferunt neque congruentia, neque opinatas reliquarum emissionum species; ex Logo quidem et Zoe decem dicentes Æonas (99) emissos, de Anthropo autem et Ecclesia, duodecim : et horum nec ostensionem, nec testimonia, nec verisimilitudinem; nec in totum aliquid talium habentes, frustra autem, et prout evenit (1), credi volunt, ex Logo et Zoe, Æonis exsistentibus (2), emissum esse Bythium et Mixin, Insenescibilem (3) et Unitionem, Naturalem et Delectamentum, Immobilem et Contemperamentum (4), Monogenem et Macariam. De Anthropo autem et Ecclesia, similiter Æonis exsistentibus, emissum esse Paracletum et Pistin, Patricon et Elpida, Metricon et Agapen, Ænon (5) et Synesin; Ecclesiasticum et Macarioteta, Theleton et Sophiam.

9. Hujus autem Sophiæ passiones, et errorem, et quemadmodum periclitata est perire propter inquisitionem Patris, quemadmodum dicunt, et extra Pleroma operositatem (6), et ex quali labe mundi fabricatorem emissum docent, in eo, qui est ante hunc, libro sententias hæreticorum enarrantes (7), cum omni diligentia exposuimus : Chri-

[96] I Tim. vi, 20. [97] Matth. xi, 27.

(90) *Hominibus. In omnibus hominibus* legitur in editt. Eras., Gallas. et Feuard. Sed *omnibus* nullis exstat in mss., *in* vero deest in Clarom. et Voss. quos sequi placuit.

(91) *Vocum novitates.* Vel scripsit Irenæus, vel saltem legit interpres καινοφωνίας. Sic etiam legit Chrysostomus, saltem in II ad Timoth. c. XVI, et omnes fere Latini cum vulgato Novi Test. interprete scribunt, *vocum novitates.* At Græcus Novi Test. textus hodiernus habet, κενοφωνίας.

(92) *Falsæ agnitionis.* In Græco N. Test. textu habetur, ψευδωνύμου, non ψευδοῦς. Sed Irenæus modo *falsam agnitionem*, modo *falso cognominatam agnitionem*, vel *falsi nominis scientiam* scribit.

(93) *Semen paternale. Vel* ante *semen* ponendum esse, contextus orationis demonstrat. Idque confirmat, quod mox sequitur, *vel mater, vel semen.*

(94) *Erant.* Sic cod. Clarom. melius quam alii omnes, *enarrant.*

(95) *Si.* Alii, *sic.*

(96) *Sensus.* Græce, Νόος.

(97) *Paulatim mansueti dissuadentes.* Hic per imperitiam scribarum male legentium corruptus est textus. Legendum : *paulatim assuetis his suadentes* ; id est *paulatim per assueta suadentes.* Hoc ipsum enim est quod superius dixerat : *attrahentes per ea, quæ assueti sunt* ; et postea : *blandientes per assueta pabula.*

(98) *Per pithanologiam.* Id est, per sermonem quadam vi alliciendi et suadendi pollentem.

(99) *Decem dicentes Æonas. Decem* recte addidit Grab. auctoritate cod. Voss.

(1) *Frustra autem et prout evenit.* Græce, alt Billius, εἰκῇ δὲ καὶ ὡς ἔτυχε. Loquendi formula huic auctori frequens, pro *frustra et temere.*

(2) *Æonis exsistentibus.* Pro *Æonibus exsistentibus.*

(3) *Insenescibilem.* Eras. et Gallas. perperam, *innascibilem* ; nec melius mss. omnes, *insensibilem.* Genuina lectio est quam Feuard. ex solius Frontonis Ducæi judicio resposuit ; nam lib. I, c. 1, ubi istorum Æonum Græca nomina referuntur, scribitur, *Ageratos et Henosis.*

(4) *Naturalem et Delectamentum, Immobilem et Contemperamentum.* Ex lib. I, cap. 1. Græca nomina sunt, *Autophyes et Hedone, Acinetos et Syncrasis.*

(5) *Ænon.* Billii judicio *Ainon* hic reposuit Feuardent. pro *Ænon.* Hunc secutus est Grabius, cum tamen uterque lib. I, c. 1, scripserit *Ænos*, non *Ainos.* Cum igitur in omnibus aliis codd. tum hic, tum cap. 1, cit. legatur *Ænos*, et Latini plerumque diphthongum Græcam αι, per æ exprimant, a vulgata codd. omnium lectione recedere superfluum duxi.

(6) *Operositatem.* Græce πραγματείαν.

(7) *Enarrantes.* Eras., Gallas. et Feuard. *enarratas.*

Digitized by Google

stum autem, quem postgenitum his omnibus emissum esse dicunt, et Sotera ; aut (8) ex his, qui in labe facti sunt (9), Æonibus habuisse substantiam. **136** Necessarie autem nunc nominum istorum meminimus, ut ex istis sit manifestum absurdum eorum mendacium, et confusio (10) fictæ nominationis. Ipsi autem detrahunt Æonibus suis hujusmodi appellationibus multis ; ethnicis verisimilia et credibilia apponentibus nomina his, qui vocantur duodecim dii ipsorum (11), quos et ipsos imagines duodecim Æonibus esse volunt ; imaginibus multo decentiora, et magis potentia, per etymologiam ad intentionem divinitatis adducere nomina habentibus (12).

CAPUT XV [1].

Emissionum rationem nullam afferri posse.

1. Revertamur autem nos ad prædictam emissionum quæstionem. Et primo quidem dicant nobis causam hujusmodi emissionis Æonum, ut nihil tangant eorum quæ sunt conditionis. Non enim illa (13) propter conditionem dicunt facta, sed conditionem propter illa ; et non illa (14) horum imagines, sed hæc illorum esse dicunt. Quemadmodum igitur imaginum causam reddunt dicentes, mensem quidem triginta habere dies propter triginta Æonas, et diem duodecim horas, et annum duodecim menses, propter duodecim Æonas, quæ sunt intra Pleroma, et quæcunque talia delirant ; nunc dicant nobis causam istam Æonum emissionis, quid quia (15) facta est talis : propter quid autem prima et archegonos omnium octonatio emissa est, et non quinio, vel trinitas, aut septenatio, aut aliquid eorum, quæ in alterum numerum conveniuntur ? Et quid quia ex Logo et Zoe decem emissi sunt Æones, et non plures aut minus : et rursus ex Anthropo et Ecclesia duodecim, cum possent et hæc, aut plus (16), aut minus fieri ?

2. Universum quoque Pleroma, quid utique tripartitum est in octonationem, et decadem, et duodecadem : et non alterum quemdam, præter hos, numerum ? Et divisio autem ipsa, quid utique in tres, et non in quatuor, vel quinque, vel sex, vel in alterum quemdam facta est numerum nihil tangentes (17), eorum numerorum, qui sunt conditionis (antiquiora enim illa his dicunt, et oportet ea (18) propriam habere rationem, eam quæ est ante constitutionem, sed non eam quæ est secundum constitutionem), consentientes ad consonationem (19).

3. Quam quidem nos de conditione enuntiantes, aptabilia dicimus (apta est enim hæc rhythmizatio (20) his quæ facta sunt) huic rhythmizationi ; illos autem propriam causam de his, quæ anteriora sunt, et a semetipsis perfecta, non habentes enuntiare, in summam aporiam incidere necesse est. Quæ enim nos de constitutione velut ignorantes interrogant, ipsi de Pleromate econtrario interrogati, vel humanas affectiones enarrabunt, vel in eum descendent sermonem, qui est erga consonantiam (21) quæ est in creatura, improprie re-

[1] Cap. XX.

(8) *Aut.* Sic editi. Eras. et Gallas. melius quam reliqui codd. *autem.*

(9) *Ex his, qui in labe facti sunt*, etc. Hæc ad Christum superiorem, eum quem a Nu, seu Monogene, una cum Spiritu sancto emissum legimus lib. I, c. 2, referri non possunt ; neque enim ille *ex his qui in labe facti sunt Æonibus habuisse substantiam dici potest* : utpote qui ortum ducat a Monogene solo, qui labis particeps nusquam exstitit. Frustraque Grabius contrarium probare nititur ex iis cap. 1 verbis : *quæ* (passio qua laboravit Sophia) *exorsa fuerat in iis, quæ sunt erga Nun et Alethiam ; derivavit autem in hunc Æonem, id est Sophiam.* Hæc enim illud duntaxat probant, *passionem* in iis, quos genuit Nus Æonibus, sed non in ipso Nu initium habuisse. Quod ex hujus lib. II, cap. 16, n. 7, evidenter confirmatur, ubi conceptis verbis asseritur, passionem *a Logo cœpisse.* Itaque de solo Christo inferiori hic sermo est, quem duplici nomine et *Christi et Soteris* designat Irenæus ; quique *ex his qui in Labe facti sunt Æonibus, habuisse substantiam* dicitur, quod ab omnibus Æonibus simul conspirantibus editus fuerit, ab iis etiam proinde quos labes infecerat, id est Logo, cæterisque inferioribus. Hanc ergo periodum sic construas et explices velim : *Christum autem* (supple, *cum omni diligentia exposuimus*) *quem postgenitum his omnibus emissum esse dicunt, et Sotera ; aut ex his qui in labe*, etc. Id est : De Christo etiam diligenter egimus, quem veluti cæterorum Æonum nepotem, aut cæteris Æonibus juniorem esse dicunt, et Sotera vocant ; aut ex his qui in labe facti sunt Æonibus, habuisse substantiam asserunt.

(10) *Confusio.* In codd. Clarom. et Voss. *confesio*, quam lectionem Grabio sequi placuit, sed minus recte. Vox enim *confusio* magis quadrat ad præcedens *mendacium*, et ad id quod mox sequitur : *ipsi autem detrahunt Æonibus suis hujusmodi appellationibus multis*, etc.

(11) *Duodecim dii ipsorum.* Ii scilicet, qui *dii majorum gentium*, vel *Consentes* appellantur.

(12) *Habentibus. Habere* pro *posse*, Græcorum more hic et alibi sæpe usurpat interpres.

(13) *Non enim illa.* Scilicet, quæ ad emissionem Æonum spectant.

(14) *Non illa.* Sic editi. Eras. et Gallas. In mss. vero *illam* ; quam pravam lectionem secuti sunt Feuard. et Grab.

(15) *Quid quia.* Græce τί ὅτι, *quamobrem, cur.*

(16) *Aut plus.* Sic Clarom. et Voss. Al. *aut plura.*

(17) *Numerum nihil tangentes*, etc. Sensus est : *quid utique divisio facta est in tres, et non in quatuor, vel quinque*, etc., *nihil tangentes*, id est, *solutos ab iis numeris, qui in rebus creatis observantur tam perfecte consonare cum supernis illis numeris ?*

(18) *Dicunt, et oportet ea. Habere* ante *dicunt*, et *cum* ante *ea* nullis in mss. comparent, et sensum prorsus pervertunt. Hæc autem, quæ parenthesi includuntur, sic explice : *Cum rebus antiquior sit emissionum ordo et numerus, oportet eos propriam a semetipsis habere causam ; non quæ a superiorum inferne creaturarum constitutione repetatur, sed quæ hac prior et antiquior sit.*

(19) *Consonationem.* Græce ἁρμονίαν.

(20) *Rhythmizatio.* Id est *concinnus ordo, apta dispositio.*

(21) *Erga consonantiam.* In aliis perperam, *extra.*

Digitized by Google

spondentes de secundis, et non secundum eos de primis. Non enim de ea quæ est secundum creaturam consonantia, nec de humanis affectionibus interrogamus eos; sed quia utique Pleroma ipsorum, cujus imaginem creaturam esse dicunt, octiforme, et deciforme, et duodeciforme est, vane et improvide Pleroma ejusmodi figuræ effecisse Patrem ipsorum fatebuntur, et deformitatem circumdabunt Patri, si irrationabiliter aliquid fecit. Aut rursus si secundum providentiam Patris dicent sic emissum Pleroma, propter creaturam, uti bene rhythmizati ipsam essentiam (22); jam non propter se factum erit Pleroma, sed propter eam, quæ secundum similitudinem ipsius futura esset imago: (quemadmodum quæ de luto est, non propter semetipsam figuratur statua; sed propter eam quæ ex æramento, vel auro, vel argento habet fieri) et honoratior creatura erit quam Pleroma, si propter illam illa emissa sunt (23).

137 CAPUT XVI [1].

Vel mundi conditorem a seipso rerum creandarum imagines accepisse, vel Pleroma ad alterius cujuspiam dispositionis superioris imaginem factum esse; illam vero ad alias, et sic in infinitum.

1. Si autem nulli eorum assentire voluerint, quoniam convincentur a nobis, non habentes reddere causam talis emissionis Pleromatis ipsorum, cogentur concludi, uti confiteantur supra, Pleroma alteram quamdam esse dispositionem magis spiritalem et magis dominantem, secundum quam deformatum (24) est Pleroma ipsorum. Si enim Demiurgus non a semetipso figurationem creaturæ fabricavit talem, sed secundum illorum, quæ sursum erant, figuram; Bythus ipsorum, qui utique hujusmodi figurationis perfecit esse Pleroma, vel a quo figuram eorum quæ ante ipsum facta sunt, accepit? Oportet enim vel in eo Deo qui fecerit mundum, perseverare sententiam, quoniam sua potestate, et a semetipso accepit exemplum mundi fabricationis: vel si motus quis ab hoc fuerit, semper quærendi necessitas erit, unde ei, qui super eum est, figuratio eorum quæ facta sunt, quis et numerus emissionum, et substantiæ ipsius exempli? Si autem licuit Bytho a semetipso talem figurationem Pleromatis perficere, quid utique Demiurgo non licuit a semetipso mundum talem (25) fecisse? Rursum igitur si illorum imago conditio est, quid prohibet illa eorum, quæ super ea sunt, imagines esse dicere, et quæ super ea sunt, rursus aliorum; et in immensas imagines imaginum excidere (26)?

2. Sicut passus est Basilides (27), cum minime attigisset veritatem, et putans per immensam successionem eorum, quæ ex invicem facta sunt, effugere talem aporiam; quando (28) CCCLXV cœlos per successionem et similitudinem ab invicem factos enuntiavit, et horum ostensionem esse numerum anni dierum, quemadmodum prædiximus: et super hos Virtutem, quam et Innominabilem vocant, et hujus dispositionem: et nec sic quidem effugit talem aporiam. Interrogatus enim unde cœlo ei, qui est super omnes, ex quo reliquos per successionem factos vult, figurationis imago? Ab ea dispositione, dicet, quæ est secundum Innominabilem. Et aut Innominabilem a semetipso fecisse dicet eam; vel alteram quamdam super hunc (29) potestatem esse consentire necesse habebit, ex qua accepit Innominabilis ejus tantam eorum, quæ sunt secundum eum, figurationem.

3. Quanto igitur tutius et diligentius, quod est verum statim initio confiteri, quoniam fabricator Deus hic, qui mundum fecit, solus est Deus, et non est alius Deus præter eum; ipse a semetipso exemplum et figurationem eorum quæ facta sunt, accipiens: quam post tantam irreligiositatem et circuitum defessos, cogi aliquando in aliquo uno statuere sensum (30), et ex eo figurationem factorum (31) confiteri?

4. [2] Etenim hoc quod imputant (32) nobis qui sunt a Valentino, in ea quæ est deorsum hebdomade dicentes nos remanere, quasi non attollentes in altum mentem, neque quæ sursum sunt sentientes, quoniam portentiloquium ipsorum non recipimus; hoc idem ipsum qui a Basilide sunt, his imputant, quasi his adhuc circa ea quæ deorsum sunt volutantibus usque ad primam et secundam octonationem, et post triginta Æonas indocte putare eos statim invenisse eum, qui super omnia est, Patrem, non investigantes sensu in id quod est super CCCLXV cœlos Pleroma, quæ est supra qua-

[1] Cap. XXI. [2] Cap. XXII.

Porro *erga consonantiam*, Græce περὶ ἁρμονίαν, scripsit interpres, pro *circa consonantiam*, vel *de consonantia*; nec ita semel.

(22) *Uti bene rhythmizati ipsam essentiam.* In Clarom. sic legitur hoc comma: *uti bene rhythmizati ipsa esset jam.* Unde suspicio subit, legendum forte: *uti bene rhythmizata esset*, scilicet *creatura*. Quidquid sit, rhythmizati in activa significatione, pro *disponentis*, vel *ordinantis* accipe, et ad *Patris* refer.

(23) *Propter illam illa emissa sunt.* Sic mss. omnes. In Eras., Gall. et Feuard. perperam omnino, et repugnante sensu: *propter illud illa emissa est.*

(24) *Deformatum. Deformare* pro *formare* passim accipit interpres.

(25) *Mundum talem.* Ita Clarom., Voss. et edit. Oxon. In aliis deest *talem*.

(26) *Excidere.* Al. *excedere.*

(27) *Sicut passus est Basilides.* Hoc, ait Billius, Græcum sermonem prorsus redolet. Nam quod Græci dicunt, ὅπερ ἔπαθεν ὁ Βασιλείδης, Latino modo dicendum fuerat: *quod Basilidi accidit.*

(28) *Quando.* Al. *quoniam.*

(29) *Super hunc.* Sic Clarom., al. *super hanc.*

(30) *Statuere sensum.* Græce, inquit Billius, ἐρείδειν τὸν νοῦν, id est *mentem figere.*

(31) *Figurationem factorum.* Sic Clarom. cod. In Feuard., Voss., Arundel., Merc. 2, et edit Oxon. recte quidem legitur *figurationem*, sed male *factorem.* In editt. Eras., Gallas. et Feuard. pejus *figuratione factorem.*

(32) *Imputant.* Græce, ait Billius, ὀνειδίζουσι, vel ἐγκαλοῦσι, id est *exprobrant*, vel *accusant.*

Digitized by Google

draginta quinque ogdoadas (33). Et illis iterum juste quis imputabit, fingens quatuor millia et ccc et LXXX cœlos, vel Æonas; quoniam hi dies anni tantas horas habent. Si autem quis et noctium apponat, duplicans prædictas horas, magnam multitudinem octonationum et innumerabilem quamdam Æonum operositatem putans adinvenisse, adversus eum qui est super omnia Pater, omnium semetipsum perfectiorem (34) suspicans, eadem omnibus imputabit: quoniam non sufficiant in altitudinem ejus quæ ab ipso dicebatur multitudo cœlorum, vel Æonum; sed deficientes vel in ea quæ sunt deorsum, vel in medietatem (35) perseverant.

138 CAPUT XVII.

Quæritur qualis sit Æonum emissio, et ostenditur eam, qualiscunque fingatur, ex omni parte repugnare; ipsumque Nun, atque etiam Patrem posita hæreticorum hypothesi, ignorantiæ labe maculari.

1. Ejus igitur, quæ est secundum Pleroma ipsorum, dispositionis, et maxime ejus, quæ est secundum primam ogdoadem, tantas contradictiones et aporias habentes (36), inspiciamus et reliqua; propter illorum insensationem et nos de his quæ non sunt quærentes; necessarie autem et hoc facientes, quoniam hujus rei credita est nobis procuratio, et qui velimus (37)omnes homines ad agnitionem veritatis venire: et quoniam tu ipse postulaveris (38) accipere a nobis multas et universas eversionis eorum occasiones.

2. Quæritur igitur, quemadmodum emissi sunt reliqui Æones? Utrum uniti ei qui emiserit, quemadmodum a sole radii, an efficabiliter (39) et partiliter (40), uti sit unusquisque eorum separatim, et suam figurationem habens, quemadmodum ab homine homo, et a pecude pecus? Aut secundum germinationem, quemadmodum ab arbore rami? Et utrum ejusdem substantiæ exsistebant his (41) qui se emiserunt, an ex altera quadam substantia substantiam habentes? Et utrum in eodem emissi sunt, ut ejusdem temporis essent sibi; an secundum ordinem quemdam, ita ut antiquiores quidam ipsorum, alii vero juniores essent? Et utrum simplices quidem (42) et uniformes, et undique sibi æquales et similes, quemadmodum spiritus et lumina emissa sunt; an compositi et differentes, dissimiles membris suis?

3. Sed si quidem efficabiliter et secundum suam genesin unusquisque illorum emissus est secundum hominum similitudinem; vel generationes Patris erunt ejusdem substantiæ ei et similes generatori; vel si (43) dissimiles parebunt, ex altera quadam substantia confiteri eos esse necesse est. Et si quidem Patris generationes similes emissori, impassibilia perseverabunt ea quæ emissa sunt, quemadmodum et is qui emisit illa; si autem ex altera quadam substantia, quæ est capax passionum, unde hæc dissimilis substantia intra illud, quod est incorruptelæ, Pleroma? Adhuc etiam secundum hanc rationem unusquisque eorum separatim divisus ab altero intelligetur, quemadmodum homines (44), non admistus, nec unitus alter altero, sed in figuratione discreta, et circumscriptione definita, et magnitudinis quantitate unusquisque ipsorum deformatus; quæ propria corporis sunt, et non spiritus. Jam igitur non spiritale Pleroma esse dicant, nec semetipsos spirituales; siquidem, velut homines, Æones ipsorum epulantes sedent apud Patrem, et ipsum tali figuratione exsistentem quemadmodum detegunt eum qui ab eo emissi (45) sunt.

4. [b] Si autem, velut a lumine lumina accensa,

[b] Cap. XXIII.

(33) *Quæ est .... ogdoadas.* Ita Clarom., Voss., Merc. 2, et Grab., cæteri *ogdoades.* Sed pro *quæ est* legendum putat Grabius, *quod est, scilicet Pleroma.* Ego vero servata voce *quæ*, legerem *ogdoas*, pro *ogdoadas.* Forte *ogdoadas* posuerit interpres, pro *ogdoas*, quasi alterutram vocem adhibere promiscuum foret. Nam supra cap. 12, n. 5, pro *prima et principalis ogdoas*, cod. Clarom. habet, *prima et principalis ogdoadas*; quod et alibi legisse me puto.

(34) *Omnium semetipsum perfectiorem.* Græcismus, *omnium* pro *omnibus.*

(35) *In medietatem.* Sic pro *in medietate* reposui ex codd. Clarom., Arundel. et Merc. 2, nam præcedit, *in ea quæ sunt*, etc. Porro *in* hic accipitur pro *ad*, vel *circa.*

(36) *Habentes.* Legendum mallet Grabius, *habentis*, quasi duos genitivos, more Græcorum, pro duobus ablativis Latinis, scripsisset interpres; sed frustra. Nam *habentes* refertur ad *inspiciamus*, quod proinde verbum ab ea voce majori distinctionis nota divellendum non erat; sed hæc nota apponenda est ante, *propter illorum*, etc., et tunc planus erit sensus. Scilicet: *cum tantas contradictiones et aporias*, seu difficultates inextricabiles, *habeamus adversus eam quæ est*, etc., *inspiciamus et reliqua*, etc., *propter illorum insensationem, et nos de his quæ non sunt quærentes*; id est, ut eorum insania efficacius comprimatur, quæstionem et nos, ex eorum hypothesi, instituentes de his quæ non sunt, seu impossibilia sunt. Id *argumentum ad hominem* vulgo dicitur in scholis.

(37) *Velimus.* Al. *vellemus.*

(38) *Postulaveris. Hoc* ante *postulaveris* merito delevit Grab. auctoritate cod. Voss. quia prorsus superfluum est.

(39) *Efficabiliter.* Clarom. *effugabiliter*, sed scribæ vitio, ut puto, quia paulo post scriptum legitur, ut in aliis omnibus codd. *efficabiliter.* Glossarium Isidori dictum: *efficabilis, in omnibus expeditus*, id est solutus, liber. *Efficabiliter* itaque opponitur τῷ *uniti ei qui emiserit*; ac proinde dum quærit Irenæus, utrum emissi fuerint Æones uniti ei, qui emiserit, an efficabiliter; idem est ac si quæreret, an principio emittenti uniti et conjuncti, an ab eo soluti, sejuncti et distincti emissi sunt?

(40) *Partiliter.* Ex cit. Glossario *partiliter* est *divise, per partes, distribute*; id est *divisim, separatim.*

(41) *Ejusdem substantiæ exsistebant his.* Pro *exsistebant cum his.* Phrasis est, inquit Bill., a Græcis desumpta. Græci enim dicunt, τῆς αὐτῆς οὐσίας ἦσαν τοῖς αὐτοὺς προβεβληκόσι.

(42) *Simplices quidem.* Sic recte Clarom.; alii omnes vitiose, *simplices quidam.*

(43) *Vel si.* Ita omnes editt.; at in omnibus mss. deest *si*: sensus tamen id omnino requirit.

(44) *Homines.* In pluribus editt. perperam *hominem.*

(45) *Emissi.* Al. *missi.*

Digitized by Google

sunt Æones a Logo, Logos autem a Nu, et Nus a Bytho, velut, verbi gratia, a facula faculæ; generatione quidem et magnitudine fortasse distabunt ab invicem; ejusdem autem substantiæ cum sint cum principe emissionis ipsorum, aut omnes impassibiles perseverant, aut et Pater ipsorum participabit (46) passiones. Neque enim quæ postea accensa est facula, alterum lumen habebit quam illud quod ante eam fuit. Quapropter et lumina ipsorum (47) composita in unum, in principalem unitionem recurrunt, cum fiat unum lumen quod fuit et a principio. Quod autem juvenius est et antiquius, neque in ipso lumine intelligi potest (unum enim lumen est totum), nec in ipsis quæ perceperunt lumen faculis (etenim ipsæ secundum substantiam materiæ id tempus (48) habent; una enim et eadem est facularum materia): sed tantum secundum accensionem, quoniam altera quidem ante pusillum tempus (49), altera autem nunc accensa est.

5. [a] Labes igitur ejus, quæ est secundum ignorantiam, passionis, aut universo similiter Pleromati ipsorum proveniet, cum sint ejusdem substantiæ, et erit in ignorantiæ labe, id est semetipsum ignorans propator: aut similiter omnia impassibilia perseverabunt ea, quæ sunt intra Pleroma, lumina. Unde igitur circa juniorem Æonem passio, si paternum lumen **139** est, ex quo omnia constituta sunt lumina quod naturaliter impassibile est? Quomodo autem et juvenior aliquis, aut senior in ipsis Æon dici potest, cum sit unum lumen totius Pleromatis? Et si quis stellas dicat eos, nihilominus eadem universi apparebunt natura participantes. Etenim si *stella a stella in claritate differt* [b], sed non secundum qualitatem, nec secundum substantiam, secundum quam passibile aliquid vel impassibile est; sed aut universos, ex lumine cum sint paterno, naturaliter impassibiles et immutabiles esse oportet: aut universi cum paterno lumine et passibiles, et commutationum corruptionis capaces sunt.

6. Hæc autem eadem ratio sequetur (50), etsi, velut ab arbore ramos, dicant a Logo natam esse emissionem Æonum; cum Logos a Patre ipsorum generationem habeat; ejusdem enim substantiæ omnes inveniuntur cum Patre, tantum secundum magnitudinem, sed non secundum naturam differentes ab invicem, et magnitudinem complentes Patris, quemadmodum digiti complent manum. Si igitur Pater in passione et ignorantia, et ii utique, qui ex eo generati sunt, Æones. Si autem impium est Patri omnium ignorantiam et passionem affingere, quomodo ab eo emissum dicunt Æonem (51) passibilem, et hoc (52) ipsi Sophiæ Dei eamdem impietatem affingentes, semetipsos religiosos esse dicent?

7. Si autem, quomodo a sole radios, Æonas ipsorum emissiones habuisse dicent, ejusdem substantiæ et de eodem omnes cum sint, aut omnes capaces passionis erunt cum eo, qui ipsos emisit, aut omnes impassibiles perseverabunt. Non enim jam quosdam impassibiles, quosdam autem passibiles possunt ex tali emissione confiteri. Si igitur omnes impassibiles dicunt, ipsi suum argumentum dissolvunt. Quomodo enim passus est minor Æon, si omnes erant impassibiles? Si autem omnes dicunt participasse passionis hujus (53), quemadmodum quidam audent dicere, quia a Logo quidem cœpit, derivatio autem in Sophiam (54); in Logum, hujus Nun Propatoris (55), passionem revocantes, arguentur et Nun Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse confitentes. Non enim ut compositum animal quiddam est omnium Pater, præter Nun, quemadmodum præostendimus; sed Nus Pater, et Pater Nus. Necesse est itaque et eum, qui ex eo est Logos, imo magis autem ipsum Nun, cum sit Logos, perfectum et impassibilem esse; et eas quæ ex eo sunt emissiones, ejusdem substantiæ cum sint, cujus et ipse, perfectas, et impassibiles, et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit.

8. Non igitur jam Logos quasi tertium ordinem

[a] Cap. XXIV. [b] I Cor. XV, 41.

(46) *Participabit.* Al. *participavit.*

(47) *Ipsorum.* Al. *ab ipso.*

(48) *Id tempus.* Eras., Gallas. et Feuard. *id temporis.* Porro *id tempus* hic accipit interpres pro *idem tempus:* nisi forte scribæ ad abbreviationis notam haud attendentes, imprudenter scripserint *id* pro *idem.*

(49) *Pusillum tempus.* Auctoritate codd. Clarom., Voss. et Feuard. in marg. *pusillum* addidi ante *tempus*, expunxi vero *illud*, quod sequitur in omnibus editi. Hanc enim lectionem exigere videtur oppositionis ratio: *altera ante pusillum tempus, altera autem nunc.*

(50) *Sequetur.* Clarom. et Voss. *sequitur.*

(51) *Emissum dicunt Æonem. Emissam Æonam* habent Clarom., Arund. et Merc. 2, nec male, quia de Sophia hic est sermo.

(52) *Et hoc.* Pro *et quidem.*

(53) *Passionis hujus.* Feuardentius solius Billii judicio, nullius vero mss. codicis auctoritate fretus, scripsit *passioni*; cum tamen dubium non sit, quin interpres, pro more, Græcam constructionem secutus, μετασχεῖν τούτου τοῦ πάθους, verterit, *participasse passionis hujus.*

(54) *A Logo quidem cœpit, derivatio autem in Sophiam.* Hic equidem, ait Billius lib. 1 *Observ. sacr.*, c. 34, *derivavit* emendare non dubitem. Priore enim libro cap. 1, hæc Irenæi verba sunt: Ἐνήρξατο μὲν ἐν τοῖς περὶ τὸν Νοῦν, ἀπίσκηψε δὲ εἰς τοῦτον, *exorsa quidem fuerat in iis quæ sunt erga Nun, derivasit autem in hunc.* Attamen cum hic vox *derivatio* rectum habeat sensum, hanc sollicitandam non putem.

(55) *In Logum hujus Nun Propatoris.* Loco accusativi *Nun*, genitivum *mentis* ponendum vult Grabius; sed frustra. Sensum haud assecutus est vir eruditus, mala interpunctione deceptus. Hic itaque est: *In Logum, qui hujus Propatoris Nus, seu mens est, passionem in Sophiam derivatam revocantes, arguentur et Nun Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse confitentes.* Id est, convincentur asserere (Græce ἐλεγχθήσονται ἐξομολογούμενοι) et mentem Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse. Hunc sensum confirmat quod

Digitized by Google

generationis habens ignoràvit Patrem, quemadmodum docent hi : hoc enim in hominum quidem generatione fortasse putabitur verisimile (56) esse, eo quod sæpe ignorant suos parentes ; in Logo autem Patris omnimodo impossibile est. Si enim exsistens in Patre cognoscit, hunc in quo est, hoc est semetipsum, non ignorat : et quæ ab hoc sunt emissiones, virtutes ejus exsistentes, et semper ei assistentes, non ignorabunt eum, qui se emisit, quemadmodum nec radii solem. Non capit (57) igitur Dei Sophiam, eam quæ intra Pleroma est, cum sit a tali emissione, sub passione cecidisse, et talem ignorantiam concepisse. Possibile est autem eam, quæ est a Valentino, sapientiam, cum sit de diaboli emissione, in omni passione fieri (58), et profundum ignorantiæ fructificare. Ubi enim ipsi testimonium perhibent de Matre sua, dicentes eam Æonis errantis generationem esse, jam non quærere oportet causam, propter quam filii hujusmodi Matris ignorantiæ semper natent in profundo.

9. Præter has autem emissiones ego quidem jam non intelligo alteram posse eos dicere ; sed ne ipsi quidem alteram quamdam proprietatem emissam reddentes aliquando, cogniti sunt nobis, licet valde multam de hujusmodi speciebus quæstionem habuerimus cum eis : hoc autem solum dicunt, quoniam (59) emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cognovisse (60), qui se emisit, ignorans autem eum, qui ante illum est. Jam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri. Quacunque enim progressi fuerint, obligabuntur, et a recta ratione circumeuntes (61) circa veritatem, in tantum uti eum, qui est a Nu Propatoris (62) ipsorum emissus Sermo, in deminorationem (63) eum emissum dicant, (Nun enim perfectum a perfecto Bytho progeneratum jam non potuisse eam, quæ ex eo est, emissionem facere perfectam, sed obcæcatam circa agnitionem et magnitudinem Patris : et Salvatorem symbolum mysterii hujus ostendisse in eo, qui a nativitate cæcus fuit, quoniam sic cæcus (64) emissus est a Monogene Æon, id est ignorantia,) ignorantiam et cæcitatem commentientes Verbo Dei, secundam secundum 140 eos (65) a Propatore emissionem habenti. Admirabiles sophistæ, et altitudines investigantes incogniti Patris, et supercœlestia sacramenta enarrantes, *in quæ* (66) *cupiunt angeli prospicere* [7] ! uti discant quoniam a Nu ejus Patris, qui super omnia est, emissum Verbum, cæcum emissum, id est (67) ignorans Patrem, qui se emisit.

10. Et quemadmodum, o vanissimi sophistæ, Nus Patris, imo etiam ipse Pater, cum sit Nus et perfectus in omnibus, imperfectum et cæcum Æonem emisit suum Logon, cum possit statim et agnitionem Patris cum eo emittere ? Quemadmodum Christum postgenitum quidem reliquis, perfectum autem dicitis emissum ; multo magis igitur, qui est eo ætate provectior Logos, ab eodem Nu perfectus utique emitteretur, et non cæcus : nec ille rursus plus cæcos quam se (68) Æonas emitteret, quoadusque Sophia vestra semper excæcata, tantam malorum enixa est substantiam. Et hujus malitiæ causa est Pater vester ; magnitudinem enim et virtutem Patris causas ignorantiæ esse dicitis, Bytho assimilantes eum, et nomen hoc ei apponentes innominabili Patri. Si autem ignorantia malum, omnia autem mala ex ea floruisse (69) definitis, hujus autem causam magnitudinem et virtutem Patris dicentes, malorum factorem eum ostenditis. Id enim, quod non potuerit contemplari magnitudinem ejus, causam dicitis mali. Sed si quidem impossibile erat Patri notum semetipsum ab initio his, quæ ab eo (70) facta sunt, facere ; inincusabilis erat, qui non poterat ignorantiam auferre eorum, qui post se sunt. Si autem postea volens, eam quæ secundum progressionem emissionum aucta fuerat, ignorantiam et inseminatam Æonibus, auferre potuit, multo magis prius

[7] 1 Petr. 1, 12.

mox sequitur : *imo ipsum Nun, cum sit Logos*, etc. Hæc ergo, *hujus Nun Propatoris*, per appositionem accipienda.

(56) *Verisimile*. Al. *verisimilius*.

(57) *Non capit*. Gr. οὐκ ἐνδέχεται, id est *fieri non potest*.

(58) *In omni passione fieri*. Illud admonendum, ait Bill. lib. 1 *Observat. sacr.*, cap. 33, interpretem sæpe uti verbo *fieri* pro *esse* et *versari*. Sic et in hoc capite paulo inferius : *Priusquam in passionibus fierent*. Et cap. seq. n. 2 : *Quomodo rursus Enthymesis hujus cum passione procedens separatim poterat fieri ?* Et n. 6, *velle intra eum fieri*. Ac denique cap. 31 et 32 : *In omnibus operibus fieri*. In his omnibus locis pro *fieri*, dilucidior esset sensus, si *esse* aut *versari* legeretur.

(59) *Quoniam*. Pro *quod* ; et ita sæpe.

(60) *Cognovisse*. Scribendum erat, *cognoverit*.

(61) *Circumeuntes*. Sic Clarom. et Voss. melius quam alii *cæcutientes*.

(62) *Nu Propatoris*. In editt. Eras., Gall. et Feuard. male *Propator*.

(63) *Deminorationem*. Græce, ὑστέρημα, quod *labem* plerumque vertit interpres.

(64) *Sic cæcus*. Pro *si cæcus* auctoritate cod. Arund. bene reposuit Grabius.

(65) *Secundam secundum eos*. *Secundam* ex cod. Clarom. addidi.

(66) *In quæ*. Sic vet. Feuard., cod. Arund. et Merc. 1, quibus et Græcus B. Petri textus consonat, εἰς ἃ ; sicque legunt, ait Feuard., Œcumenius et alii Græci omnes. Ipse tamen Feuardentius cum Eras. et Gall. (quibus consentiunt Clarom., Voss. et Merc. alter) in Irenæi textu scripsit, *in quem*.

(67) *Cæcum emissum, id est*. In cod. Arund. deest *emissum*.

(68) *Plus cæcos quam se*. Ita recte Clarom., Arund. et Grab. In reliquis omnibus mendose, *plus cæcus quam si*, nisi quod Merc. 2 habeant *se*.

(69) *Floruisse*. Editt. Eras., Gall. et Feuard., cum altero ex Merc. codd. *fluxisse*.

(70) *Ab eo*. Sic Eras. et mss. omnes. Sed perperam Feuard. scripsit *ea*. In Gall. autem neque *eo* neque *ea* legitur.

Digitized by Google

eam, quæ nondum erat, ignorantiam volens non permitteret (71) fieri.

11. Quoniam igitur quando voluit agnitus est, non tantum Æonibus, sed et his, qui in novissimis temporibus erant hominibus (72); non volens autem ab initio agnosci, ignoratus est : causa ignorantiæ secundum vos est voluntas Patris. Si enim præsciebat hæc sic futura, quare utique, priusquam fieret, non abscidit ignorantiam ipsorum, quam postea, velut ex pœnitentia, curat per emissionem (73) Christi? Quam enim (74) per Christum agnitionem omnibus fecit, multo ante poterat facere per Logon, qui et primogenitus erat Monogenus (75). Vel si præsciens voluit fieri hæc, semper perseverant ignorantiæ opera, et nunquam prætereunt. Quæ enim ex voluntate Propatoris vestri facta sunt, perseverare oportet cum voluntate ejus qui voluit : vel si prætereunt hæc, cum his præteriet et voluntas ejus, qui substantiam ea habere (76) voluit. Quid enim et discentes requieverunt Æones, et perfectam agnitionem perceperunt, quoniam incapabilis est (77) et incomprehensibilis Pater? Hanc autem agnitionem habere potuerunt priusquam in passionibus fierent : non enim deminorabatur magnitudo Patris ab initio scientibus his, quia incapabilis et incomprehensibilis est Pater. Si enim propter immensam magnitudinem ignorabatur, et propter immensam dilectionem impascibiles debebat conservare eos qui ex se nati erant : quoniam nihil prohibebat, sed magis utile erat, ab initio cognovisse eos, quoniam incapabilis et incomprehensibilis est Pater.

CAPUT XVIII [8].

Sophiam nec ignorantia laborare, nec quidquam, Patrem investigando, pati, aut in apertum discrimen venire potuisse. Enthymesin ejus ab illa separari non potuisse, multo minus propriæ affectiones habere.

1. Quomodo autem non vanum est, quod etiam Sophiam ejus dicunt in ignorantia, et in deminoratione, et in passione fuisse? Hæc enim aliena sunt a Sophia, et contraria; sed nec affectiones ejus sunt. Ubi enim est improvidentia et ignorantia utilitatis, ibi Sophia non est. Non jam igitur Sophiam passum Æonem (78) vocent; sed aut vocabulum ejus, aut passiones prætermittant. Et Plenitudinem (79) autem universam non dicant spiritalem, si intra ipsam Æon hic, cum esset in passionibus tantis, conversatus est. Hæc enim ne anima quidem fortis, non dicam spiritalis substantia, percipiet (80).

2. Quomodo autem rursus Enthymesis ejus cum passione procedens separatim poterat fieri? Enthymesis enim esse intelligitur erga aliquem; ipsa autem (81) seorsum nunquam fiet. Exterminatur enim et absorbetur mala a bona enthymesi, quemadmodum ægrimonium (82) ab incolumitate. Quæ enim erat prior Enthymesis passionis (83)? Exquirere Patrem, et magnitudinem **141** ejus considerare. Quid autem suasa est postea, et convaluit? Quoniam incomprehensibilis, et qui inveniri non possit, est Pater. Non igitur bonum erat, quod vellet cognoscere Patrem; et propter hoc est et passibile (84); sed quando suasa est quoniam investigabilis (85) esset Pater; et convalescens (86). Sed ille ipse Nus, qui quærebat Patrem, cessavit secundum eos adhuc quærere, discens quoniam incomprehensibilis est Pater.

3. [9] Quemadmodum igitur Enthymesis poterat separata concipere passiones, quæ et ipsæ affectiones ejus erant? Affectio enim erga aliquem fit, ipsa autem seorsum non potest esse, nec constare. Non solum autem instabile hoc est, sed etiam contrarium ei, quod est a Domino nostro dictum : *Quærite, et invenietis* [10]. Dominus enim quærendo et inveniendo Patrem, perfectos consummat discipulos; is autem, qui sursum est, Christus ipsorum, per id quod præcepit Æonibus non quærere Patrem, suadens quoniam etsi multum laboraverint, non eum invenient, perfectos eos consummavit. Et siquidem perfectos (87) aiunt in eo, quod dicant invenisse Bythum ipsorum; Æonas autem in eo,

[8] Cap. XXV. [9] Cap. XXVI. [10] Matth. VII, 7.

(71) *Permitteret.* Al. vitiose, *permittere.*

(72) *Erant hominibus.* Duas has voces ex mss. Vossii restituit Grabius. Habentur et in Clarom.

(73) *Per emissionem.* In Eras., Arund., Ottobon. et Merc. 2, *per missionem.*

(74) *Quam enim.* Alii, *qui enim.*

(75) *Monogenus.* In genitivo, ex Græco μονογενοῦς, *unigeniti.*

(76) *Ea habere.* Sic Clarom., Merc. 2 et Grab.: cæteri, *eam habere.*

(77) *Quoniam incapabilis est.* Pro *quod incapabilis sit.* Græce, ὅτι τε ἀχώρητός ἐστι καὶ ἀκατάληπτος, sup. lib. I, c. 2, n. 5.

(78) *Sophiam passum Æonem.* Eras. et Gall. cum mss. quibusdam, *Sophiam passam Æonem.*

(79) *Plenitudinem.* Græc. Πλήρωμα.

(80) *Percipiet.* In Voss. *participet. Percipiet* vero hic scribitur pro *in se suscipiet, admittet.*

(81) *Ipsa autem.* Sic solus cod. Clarom. Jam ita, pro *ipsum autem*, restituerat Feuard., sed ex solius Billii judicio, nullius vero ms. codicis auctoritate.

(82) *Ægrimonium.* Barbare posuit interpres, ait Grabius, pro *ægrimonia;* quæ vox non modo apud poetas occurrit, sed et apud Ciceronem lib. XIII *ad Atticum*, ep. 38 : *Ferrem graviter, si novæ ægrimoniæ locus esset.*

(83) *Prior... passionis.* Græcismus, pro *prior passione.*

(84) *Est et passibile.* Ita Eras., Gall., Arund. et Merc. 2; at Feuard., Grab. et mss. Clarom. ac Voss. *esset passibile.* Sed prior lectio præferenda videtur, utpote magis cohærens cum præcedentibus.

(85) *Investigabilis.* Pro *ininvestigabilis*, Græce ἀνεξιχνίαστος. Sic passim accipit interpres, ut et accipitur Rom. XI, 33.

(86) *Et convalescens.* Supple, *est et convalescens.*

(87) *Et siquidem perfectos.* Vel lege, *et se quidem perfectos*, vel saltem *siquidem* accipiendo pro *enim*, subintellige postea *se. Etenim se perfectos*, etc.

Digitized by Google

quod suasi sint quoniam investigabilis est, qui ab eis inquirebatur.

4. Cum igitur ipsa Enthymesis non posset sine Æone separatim consistere, adhuc majus inferunt mendacium de passione ejus, separatim rursus dividentes eam, et hanc esse substantiam dicentes materiæ. Quasi non esset lumen Deus, nec adesset sermo qui posset eos arguere et evertere nequitiam ipsorum. Utique enim quodcunque sentiebat Æon, hoc et patiebatur; et quod patiebatur (88) hoc et sentiebat: et non aliud erat apud eos Enthymesis ejus nisi passio incomprehensibilem comprehendere excogitantis, et passio Enthymesis: impossibilia enim sentiebat. Quemadmodum itaque poterat affectio et passio ab Enthymesi seorsum separari, et substantia tantæ materiæ (89) fieri, quando et ipsa Enthymesis passio erat, et passio Enthymesis? Nec igitur Enthymesis sine Æone, nec affectiones sine Enthymesi separatim habere possunt substantiam; et soluta est et hic rursus regula ipsorum.

5. [11] Quemadmodum autem et solvebatur et patiebatur Æon? Siquidem ejusdem substantiæ, cujus et Pleroma, erat; Pleroma autem universum ex Patre. Quod enim simile est, in simili non dissolvetur in nihilum, nec perire periclitabitur, sed magis perseverabit et augesceret; quemadmodum ignis in igne, et spiritus in spiritu, et aqua in aqua: quæ autem sunt contraria, a contrariis patiuntur, et vertuntur, et exterminantur. Et sic si fuisset luminis emissio, non pateretur, nec periclitaretur in simili lumine, sed magis effulgesceret et augesceret, quemadmodum dies a sole: etenim Bythum imaginem Patris sui (90) esse dicunt. Quæcunque sunt peregrina, et sibi extranea animalia, atque contraria natura, periclitantur et corrumpuntur: quæ autem sibi assueta sunt, et cognata (91), nullum patiuntur periculum in eo (92) conversantia, sed et salutem et vitam ex eo acquirunt. Si igitur ejusdem substantiæ, cujus et universum Pleroma, ex eo emissus fuisset hic Æon, nunquam demutationem perciperet, cum esset in similibus et assuetis conversans, spiritalis in spiritalibus. Timor enim, et expavescentia, et passio, et dissolutio, et talia (93), in his quidem quæ sunt secundum nos, et corporalibus, fortassis fiunt a contrariis: in spiritalibus autem, et diffusum habentibus lumen, jam non tales consequuntur calamitates. Sed mihi videntur ejus passionem, qui est apud comicum Menandrum valde amans et odibilis, Æoni suo circumdedisse. Magis enim infeliciter amantis cujusdam hominis apprehensionem, et mentis conceptionem habuerunt, qui hæc finxerunt, quam spiritalis et divinæ substantiæ.

6. [12] Super hæc quoque excogitare (94) de quærendo perfectum Patrem; et velle intra eum fieri, et habere ejus comprehensionem; non ignorantiam, nec passionem poterat inficere (95), et hoc (96) Æoni spiritali; sed magis perfectionem, et impassibilitatem, et veritatem. Nec enim ipsi, cum sint homines, excogitantes de eo, qui ante ipsos est, et velut jam comprehendentes perfectum, et intra ejus constituti agnitionem, dicunt semetipsos in passione (97) consternationis esse, sed magis in agnitione et apprehensione veritatis. Etenim Salvatorem, *Quærite et invenietis* [13], discipulis propter hoc dixisse dicunt, ut eum, qui ab ipsis per excogitationem fictus est, super fabricatorem omnium, inenarrabilem Bythum quærant: et semetipsos perfectos esse volunt, quoniam inquirentes invenerunt perfectum, cum adhuc sint in terra: eum autem, qui intra Pleroma sit, Æonem, totum spiritalem, quærentem Propatorem, et intra magnitudinem ejus conantem fieri, et comprehensionem paternæ veritatis concupiscentem habere, in passionem dicunt recidisse: et passionem talem, ut nisi ei occurrisset virtuti (98), quæ omnia firmat, dissolutus fuisset in universam substantiam, et exterminatus (99).

142 7. [14] Vesana (1) est hæc præsumptio, et vere destitutorum a veritate sensus hominum. Quoniam Æon hic melior est quam ipsi, et vetustior, ipsi quoque confitentur, secundum suam

[11] Cap. XXVII. [12] Cap. XXVIII. [13] Matth. VII, 7. [14] Cap. XXIX.

(88) *Et quod patiebatur. Patiebatur* pro *sentiebatur* recte reposuit Grabius auctoritate cod. Arund. Consentit Clarom.

(89) *Tantæ materiæ.* Merc. 2, *tanta materiæ.* Ottobon. *tanta et materia.*

(90) *Patris sui.* Id est Æonis passi, quem inferius numero 7, Valentinianorum *avum* appellat, utpote *Matris ipsorum patrem, a quo et genus habent.* Hujus porro, etsi minus proprie, Bythum imaginem esse dicit, quia alter alteri similis. Confer. lib. I, cap. 5, n. 1.

(91) *Et cognata.* Cod. Clarom. et Feuard. in marg. et *ex eo nata;* quibus consentiunt Arund. et Merc. 1, nisi quod omittant particulam *ex.* Quæ quidem lectio non adeo spernenda videtur, modo *ex eo* pro *ex eodem* accipiatur.

(92) *In eo.* Ita Feuard. in marg. Clarom., et Merc. 2, cæteri minus bene *in ea.* Porro *in eo* in neutro, quod vocant absolutum, scriptum accipio, pro *in ea re, in eodem;* in eo videlicet quod animalia conversentur in assuetis et cognatis: eo prorsus sensu, quo paulo post de Æone scribitur: *in similibus et assuetis conversans.*

(93) *Et talia.* Al. *et alia.*

(94) *Excogitare.* Al. *et cogitare.*

(95) *Inficere.* Pro *inferre, inducere;* Græc. ἐμποιεῖν.

(96) *Et hoc.* Pro, *et quidem.*

(97) *In passione. Non* his verbis præfixum legitur in Clarom. et om. Anglic., sed merito ab editt. omnibus abest.

(98) *Nisi ei occurrisset virtuti*, etc. Græce, ἀναλελύσθαι εἰς τὴν ὅλην οὐσίαν, εἰ μὴ τῇ στηριζούσῃ τὰ ὅλα συνέτυχε δυνάμει, sup. lib. I, cap. 11, n. 2.

(99) *Dissolutus fuisset in universam substantiam, et exterminatus.* Feuard. *dissolutus fuisset, et in universam substantiam exterminatus;* minus bene, ut ex præcedenti nota patet.

(1) *Vesana.* In Eras. et Gall. *vesania.*

Digitized by Google

regulam, dicentes se esse conceptum Enthymeseos ejus Æonis qui passus est; ita ut sit hic Æon Matris ipsorum pater, id est avus ipsorum. Et posterioribus quidem nepotibus exquisitio Patris veritatem, et perfectionem, et confirmationem, et eliquationem a fluxibili materia facit, sicut dicunt, et reconciliationem ad Patrem: avo autem ipsorum hæc eadem inquisitio ignorantiam, et passionem, et expavescentiam, et timorem, et consternationem infecit (2), ex quibus et substantiam materiæ factam dicunt. Exquirere ergo et investigare perfectum Patrem, et concupiscentiam communicationis cum eo et unitatis, sibi quidem salutare fieri; Æoni autem, a quo et genus habent, dissolutionis et perditionis causam fuisse dicentes, quomodo non per omnia incongruum, et fatuum, et irrationabile? Et qui assentiunt his, vere cæci, cæcis ducatoribus (3) utentes, juste et corruunt in subjacentem ignorantiæ profundum.

CAPUT XIX [15].

Futilia et vana esse quæ de semine suo asserunt hæretici. Alienissimum esse ab omni ratione, Demiurgum in se suscepisse hoc semen, et id tamen, et quæ superiora sunt ignorasse, ac animalem esse: cum ipsi suscepta duntaxat ejusdem particula spiritales se esse, et omnia intelligere glorientur.

1. Qualis est autem et de semine ipsorum sermo, conceptum quidem (4) illum (5) secundum figurationem eorum qui sunt erga Salvatorem, angelorum a Matre informe (6), et sine specie, et imperfectum; depositum autem (7) in Demiurgum, nesciente eo, ut per eum in eam animam, quæ erat ab eo, seminatum, perfectionem et formationem percipiat? Primum quidem est dicere, quoniam imperfecti, et infigurati, et informes hi sunt angeli, qui sunt erga Salvatorem ipsorum: siquidem secundum illorum speciem conceptum tale quid generatum est.

2. Post deinde, quod dicant ignorasse Fabricatorem eam; quæ fuit seminis in eum demissio, et iterum eam, quæ facta est per eum in hominem seminatio; futile verbum et vanum (8), quod nullo modo ostendi possit (9). Quemadmodum enim ignoravit illud, si substantiam aliquam et qualitatem propriam habuisset ipsum semen? Si autem sine substantia, et sine qualitate, et nihil erat, consequenter ignoravit illud (10). Quæ enim propriam quamdam motionem (11) et qualitatem, vel caliditatis, vel velocitatis, vel dulcedinis habent, vel claritatis cujusdam differentiam, nec homines quidem lateant, cum sint cum hominibus; in tantum abest ut fabricatorem hujus universitatis Deum; apud quem juste non est agnitum semen ipsorum, cum sit sine qualitate universæ utilitatis, et sine substantia omnis actionis, et in totum nihil existens. Et propter hoc mihi videtur etiam Dominus dixisse [16]: *Omnis sermo otiosus quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii.* Omnes enim, quicunque tales sunt, otiosos sermones in aures hominum immittentes (12), assistent in judicio, rationem reddituri de his, quæ vane conjecerunt, et mentiti sunt adversus Deum; in tantum ut semetipsos dicant propter seminis substantiam agnoscere spiritale Pleroma, eo homine, qui est intus, demonstrante eis verum Patrem (opus enim esse (13) animali sensibilibus erudimentis): [17] Demiurgum autem universum semen hoc, Matre deponente, suscipientem in semetipsum, omnia omnino ignorasse, et nullum sensum eorum, quæ erga Pleroma sunt, habuisse.

3. Et se quidem spiritales esse, quoniam particula quædam universitatis Patris in anima ipsorum deposita est; cum ex eadem substantia habeant animas, ex qua et Demiurgus, sicut dicunt: hunc autem semel universum suscipientem semen a Matre, et habentem in se, animalem perseverasse, et nihil in totum sensisse eorum, quæ sunt superiora, quæ hi semetipsos intelligere, dum adhuc sunt in terra, gloriantur, quomodo hoc non super omnem irrationabilitatem est? Etenim idipsum semen horum quidem animabus (14) agnitionem attribuisse et perfectionem; ei autem, qui eos fecit Deo, ignorantiam attribuisse putare, vere vesanorum est, et in totum mente destitutorum.

4. Adhuc etiam vanissimum est quod dicunt, in hac depositione (15) figurari (16) illud, et augescere, et paratum fieri (17) ad susceptionem perfectæ

[15] Cap. XXX. [16] Matth. XII, 36. [17] Cap. XXXI.

(2) *Et consternationem infecit.* Id est (notat Bill.) *intulit*, vel *incussit*. Græce ἀπορίαν ἐνεποίησε. Loquitur enim de affectionibus, in quas Æon ille miser incidit.

(3) *Ducatoribus.* Id est *viæ ducibus, ductoribus.*

(4) *Conceptum quidem*, etc. Græce, ὁ κατὰ τὴν θεωρίαν τῶν περὶ Σωτῆρα Ἀγγέλων ἀπεκύησε, sup. lib. I, c. 5, n. 5.

(5) *Illum.* Pro *illud.* Sic et alibi sæpius.

(6) *Informe.* Sic mss. omnes, cum edit. Oxon. In aliis mendose, *informem*; nam hæc vox ad *semen* refertur.

(7) *Depositum autem.* Græca hujusce phrasis reperies loco proxime cit.

(8) *Futile verbum et vanum.* In Arund. *fictile.* In Merc. 1, *vacuum.*

(9) *Quod nullo modo ostendi possit.* Græce (notat Billius) ἀναπόδεικτον. Nam, Græcorum more, *ostendere*, sæpe pro *probare* dicit interpres.

(10) *Ignoravit illud.* Al. *ignorabat.*

(11) *Motionem.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. pro quo Arund. et Merc. 2, corrupte *monitionem.* In editt. *notionem.*

(12) *Immittentes.* Arund. et Voss. *mittentes.*

(13) *Opus enim esse*, etc. Gr. ἔδει γὰρ τῶν ψυχικῶν (τῷ ψυχικῷ) καὶ αἰσθητῶν παιδευμάτων, sup. lib. I, c. 6, n. 1.

(14) *Animabus.* Eras. et Gall. *animæ.*

(15) *Depositione.* Sic omnes editt. Clarom. vero et Anglic. *dispositione*: at corrupte, ut demonstrat totus hujus capitis contextus.

(16) *Figurari.* Pro *formari*, ut postea melius scripsit interpres.

(17) *Paratum fieri*, etc. Hæc ita Græce expressit Irenæus lib. I, c. 5, n. 6, ἕτοιμον γένηται εἰς ὑποδοχὴν τοῦ τελείου (λόγου).

Digitized by Google

143 rationis. Erit enim ei materiæ admistio, quam ex ignorantia et labe (18) volunt habuisse substantiam, aptior et utilior, quam fuit paternum (19) lumen ipsorum : siquidem secundum illius inspectionem (20) natum, informe et infiguratum fuit ; ex hac autem formationem, et speciem, et augmentum, et perfectionem assumpsit. [18] Si enim quod est a Pleromate lumen causa fuit spiritali, ut nec formam, nec magnitudinem haberet propriam ; quæ autem huc est descensio, hæc universa addidit ei, et ad perfectionem deduxit : multo operabilior (21) et utilior videbitur, quæ est hic, conversatio, quam et tenebras dicunt, quam fuit paternum lumen ipsorum. Quomodo autem non est ridiculum, Matrem quidem ipsorum in materiam periclitatam dicere (22), uti pene suffocaretur, et paulo minus corrumperetur, nisi vix tunc superextendisset se et exilisset ex semetipsa, adjumentum percipiens a Patre ; semen autem ejus in hac eadem materia augescere, et formari, et aptum ad susceptionem perfecti sermonis (23) expediri ; et hoc in dissimilibus, et in insuetis ebulliens : sicut ipsi dicunt (24), contrarium esse terrenum spiritali, et spiritale terreno ? Quomodo igitur in contrariis et in insuetis parvum emissum ; quemadmodum dicunt, et augescere, et formari, et ad perfectionem pervenire potuit ?

5. [19] Adhuc etiam et ad hæc quæ dicta sunt requiretur : utrumne semel enixa sit Mater illorum semen, ut vidit angelos, an particulatim ? Sed si quidem simul et semel, quod exinde conceptum, nunc jam non erit infantile : superflua est igitur in eos, qui nunc sunt, homines descensio ejus (25). Si autem particulatim, jam non secundum figuram eorum quos vidit angelos, fecit conceptionem ; simul enim eos et semel videns et concipiens, semel enixionem debebat fecisse, quorum inde semel (26) conceperat figuras.

6. Quid autem, quod angelos cum Salvatore simul videns, illorum quidem imagines concepit, Salvatoris autem non, qui est decorior super illos ? Annunquid non placuit ei hic ; et propter hoc non concepit in eum (27)? Quomodo autem Demiurgus, quem psychicum vocant, propriam, secundum eos, magnitudinem et figuram habens, emissus est secundum suam (28) substantiam perfectus ; quod autem spiritale est, quod etiam operosius (29) oportet esse quam animale, imperfectum emissum est ; et opus ei fuit, ut in animam descenderet, ut in ea formaretur, et ita perfectum exsistens, paratum fiat ad suscipiendum perfectum verbum (30) ? Si igitur in terrenis hominibus, et in animalibus (31) formatur (32), jam non secundum angelorum similitudinem est, quos dicunt lumina ; sed secundum eorum, qui sunt hic homines. Non enim angelorum habebit similitudinem et speciem, sed animarum in quibus et formatur (quomodo aqua in vas missa, ipsius vasis habebit formam ; et jam si (33) gelaverit in eo, speciem habebit vasculi, in quo gelavit), quando ipsæ animæ (34) corporis habeant (35) figuram ; ipsi enim adaptatæ sunt vasi, quemadmodum prædiximus. Si igitur et illud semen hic coagulatur et formatur, hominis figura erit ; sed non angelorum formam habens. Quomodo igitur ad imagines angelorum illud semen est, quod secundum similitudinem hominum figuratur ? Quid autem, cum spiritale esset, opus ei fuit ut in carnem descenderet ? Caro enim eget spiritali, si ta-

[18] Cap. XXXII. [19] Cap. XXXIII.

(18) *Ex ignorantia et labe.* Al. *ex ignorantiæ labe.*

(19) *Paternum.* In Clarom. et Voss. *verum* ; sed minus bene, nam num. sequenti hæc eadem, *paternum lumen ipsorum*, repetuntur.

(20) *Inspectionem.* In Clarom., Arund., Voss. et edit. Oxon. In Eras., Gall. et Feuard. male *dispositionem.* Nam tum num. præcedenti, tum lib. 1, c. 5, n. 6, partus ille spiritalis *Achamothæ* natus dicitur *secundum inspectationem angelorum Salvatoris.*

(21) *Operabilior.* Id est *efficacior.* Hæc lectio quæ est Feuard. in marg., ac codd. Clarom. et Merc. 2, magis placet, quam *optabilior*, ut est in aliis omnibus tum edit., tum mss. Nam hic de efficacia *descensionis* sermo est.

(22) *In materiam periclitatam dicere.* Sensus est, periculum fuisse, ne in materiam dissoluta absorberetur prorsus, et periret. Vide sup. lib. 1, c. 2, n. 2, et infra cap. 20 hujus libri.

(23) *Perfecti sermonis.* Gr. τοῦ τελείου λόγου, quod melius vertisset interpres, *perfectæ rationis*, ut paulo ante recte vertit.

(24) *Sicut ipsi dicunt.* Græce scriptum fuisse puto ἅτε αὐτοὶ λέγουσι, quod vertendum erat, *quippe ipsi dicunt*, non *sicut*, etc. Particula ergo *sicut* eo sensu hic accipienda, ac proinde mutanda interpunctio et delenda parenthesis, quam hic apposuit Grabius ; inde enim turbatur sensus.

(25) *Superflua est igitur in... homines descensio ejus.* Ut nimirum apud eos augescat, formetur, et paratum fiat ad susceptionem perfectæ rationis.

(26) *Inde semel.* Sic recte Grabius ex Feuard. marg., et Voss. Ex parte consentiunt Clarom., Arund. et Merc. 2, nam in iis legitur *de semel.* In aliis minus recte, *de semine.*

(27) *Concepit in eum.* Supple, *intuita*, id est, ad ejus inspectionem. Porro *in* ante eum addimus ex mss. Voss. et Clarom.

(28) *Secundum suam.* In edit. Eras., Gall. et Feuard. præfixa legitur particula *si* ante *secundum* ; sed male, et repugnantibus tum mss. omnibus, tum ipso sensu.

(29) *Operosius.* Id est efficacius, et ad quodlibet promptius, et expeditius.

(30) *Perfectum verbum.* Τέλειον λόγον vertere debuisset interpres, *perfectam rationem.*

(31) *Animalibus.* Subintellige, *hominibus.*

(32) *Formatur.* Al. *formaretur.*

(33) *Et jam si.* Sic Clarom. distinguere videtur ; hancque distinctionem exigit sensus. In cæteris una voce *etiam.*

(34) *Quando ipsæ animæ*, etc. Hinc colligi posse videtur, Irenæum existimasse animas esse corporeas, utpote figura circumscriptas ; quæ veterum non paucorum sententia fuit.

(35) *Habeant.* Al. *habebant.*

Digitized by Google

men incipiet salvari (36), ut in eo sanctificetur, et clarificetur, et absorbeatur mortale ab immortalitate (37); spiritali autem in totum (38) non est opus eorum, quæ sunt hic. Non enim nos illud, sed illud nos meliores facit.

7.[20] Adhuc autem manifestius, qui est de semine ipsorum, sermo arguitur falsus, et a quolibet perspici potest, in eo quod dicant eas animas (39), quæ habuerint a Matre semen, meliores reliquis fieri : quapropter et honoratas a Demiurgo, et principes, et reges, et sacerdotes ordinatas esse. Si enim erat hoc verum, primus utique Caiphas summus sacerdos, et Annas, et reliqui summi sacerdotes, et legis doctores, et principes populi credidissent Domino, in eam cognationem concurrentes; et ante hos etiam Herodes rex. Quoniam autem nec hic, nec summi sacerdotes, nec qui præerant, neque clari de populo accurrerunt ei; sed e contrario qui erant in viis mendici 144 sedentes, surdi et cæci, et a reliquis conculcabantur et contemnebantur, quemadmodum et Paulus ait[21] : *Videte enim* (40) *vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sapientes apud vos, nec nobiles, neque fortes; sed quæ fuerunt contemptibilia mundi, elegit Deus.* Non itaque erant meliores tales animæ propter seminis depositionem, neque propter hoc honorificabantur a Demiurgo.

8. Et de eo quidem, quod sit regula ipsorum infirma et instabilis, adhuc etiam et vana, sufficiunt quæ dicta sunt. Nec enim oportet, quod solet dici, universum ebibere mare cum, qui velit discere, quoniam aqua ejus salsa est. Sed quemadmodum statua de luto facta, colorata autem superficie, ut putetur aurea esse quæ sit lutea, quicunque accipiet ex ea particulam qualemcunque, et exaperiens (41) ostenderit lutum, liberabit eos qui veritatem quærunt a falsa opinione :[22] eodem modo et nos non modicam partem, sed ea, quæ sunt maxima continentia (42) regulæ ipsorum, resolventes capitula, omnibus quotquot non seduci scientes volunt, quod est nequam, et dolosum, et seductorium, et perniciosum, de schola eorum, qui sunt a Valentino, et a reliquis hæreticorum, quotquot Demiurgum, id est, fabricatorem et factorem hujus universitatis, solum exsistentem Deum male tractant, ostendimus, dissolubilem eorum viam manifestantes.

9. Quis enim sensum habens, et veritatis vel modicum attingens, sustinebit dicentes, super Demiurgum Deum esse alterum Patrem; et alterum quidem esse Monogenem, alterum autem Verbum Dei, quem et in deminoratione emissum dicunt; alterum autem Christum, quem et posteriorem reliquis Æonibus cum Spiritu sancto factum esse dicunt : et alterum Salvatorem, quem ne a Patre quidem universorum, sed ab his, qui in deminoratione facti sunt, Æonibus collatum et congestum dicunt, et necessarie propter deminorationem emissum? ut nisi in ignorantia et deminoratione fuissent Æones, secundum eos nec Christus emissus fuisset, nec Spiritus sanctus, nec Horos, nec Soter, nec Angeli, nec Mater ipsorum, nec semen ejus, nec reliqua mundi fabricatio; sed fuissent omnia deserta ac destituta tot bonis. Non solum itaque in fabricatorem tantum irreligiosi sunt, labis eum dicentes fructum; sed et in Christum, et in Spiritum sanctum, propter labem dicentes eos emissos; et Salvatorem autem similiter (43) post labem. Quis enim sustinebit reliquum eorum vaniloquium, quod astute parabolis adaptare conantes, et se, et eos, qui sibi credunt, in maximam converterunt impietatem?

CAPUT XX[23].

Demonstrat inanes esse probationes, quibus Æonis duodecimi perturbationes et angustias asserebant, nec per Judæ apostasiam et defectionem ipsas posse confirmari. Demum variis antithesibus ostendit, passionem Domini nostri nihil commune, aut affine habere cum ficta Æonis passione.

1. Quoniam et parabolas, et actus Domini improprie et inconsequenter inferunt figmento suo, ita ostendimus. Illam enim, quam erga duodecimum Æonem dicunt accidisse, passionem, conantur ostendere, quod Salvatoris passio a duodecimo

[20] Cap. XXXIV. [21] I Cor. I, 26, 27. [22] Cap. XXV. [23] Cap. XXXVI.

(36) *Si tamen incipiet salvari.* Græce, ut optime notat Billius, εἴγε μέλλοι σώζεσθαι; ubi verbum μέλλειν, *futurum esse*, perperam reddit interpres (quod et alibi solet, ut jam non semel observavimus) *incipere*. Vertendum igitur erat : *si tamen futurum sit, ut salutem consequatur*. Nam carnis salutem et resurrectionem negabant hæretici, ut patet ex lib. I, c. 6, n. 1, et evidentius ex Præfat. libri IV et lib. V, cap. 2.

(37) *Ab immortalitate.* Alii, *ab immortali.* Alludit autem Irenæus ad Apostoli verba II Corinth. V, 4, *ut absorbeatur quod mortale est, a vita.*

(38) *Spiritali autem in totum. In totum* deest in Voss.

(39) *Dicant eas animas*, etc. Græca hujus phrasis exstant lib. I, cap. 7, n. 3.

(40) *Videte enim*, etc. Hæc Apostoli paulo aliter referuntur in exemplaribus tum Græcis, tum Latinis : *Βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν ὑμῶν, ἀδελφοί, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοί, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς*, etc. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, etc.

(41) *Exaperiens.* Ita Feuard. in marg. Clarom. et Voss. Alii vitiose *exhauriens.*

(42) *Maxima continentia.* Non dubitare se ait Billius, quin pro *maxima* substituendum sit *maxime.* Nam, inquit, quod in Græco erat, συνεκτικώτατα, id verborum tenacissimus interpres reddidit, *maxime continentia*; ego, *præcipua ac maximi ponderis.* Sic enim clarior est sensus. Sed acutiorum judicio hæc discutienda relinquo. Sic ille, loco jam multoties cit. Sed quid si *continentia* substantive accipiatur, pro *complexu, complexione, summa*, vel *capite*, Græce τὸ συνέχον, vel ἡ συνοχή? Nam in Gloss. vet. συνοχή vertitur *continentia.* Sic ordo verborum esset : *ea resolventes capitula, quæ sunt maxima continentia regulæ ipsorum*; sensus vero : *quæ sunt præcipuum regulæ ipsorum caput, quod cætera alia complectitur.*

(43) *Similiter.* Alii, *finaliter.*

Digitized by Google

apostolorum facta sit, et in duodecimo mense. Uno enim anno (44) volunt eum post baptismum prædicasse. Sed in illa quæ fluxum (45) sanguinis patiebatur, manifeste dicunt ostensum; duodecim enim annis passa est mulier, et tangens fimbriam Salvatoris, consecuta est sanitatem ab illa virtute, quæ egressa est a Salvatore, quam præesse dicunt. Illa enim, quæ passa est, virtus extensa, et in immensum effluens, ita ut periclitaretur per omnem (46) substantiam dissolvi, cum tetigisset primam quaternationem, quæ per fimbriam significatur, stetit et a passione cessavit.

2. Hoc ergo, quod dicunt, duodecimi Æonis passionem per Judam demonstrari; quomodo potest in similitudinem comparari Judas (47), qui ejectus est de numero duodecimo, nec restitutus est in locum suum? Æon enim cujus typum Judam dicunt esse, separata ejus enthymesi, restituta est, sive revocata; Judas autem abdicatus est, et ejectus, et in locum ejus Matthias ordinatus est, secundum quod scriptum est: *Et episcopatum ejus accipiat alius* [24]. Debuerunt itaque dicere, duodecimum Æonem ejectum esse de Pleromate, et in locum ejus alium prolatum sive emissum; si tamen in Juda ostenditur. Adhuc autem ipse quidem Æon quod sit passus dicunt; Judas autem quod sit proditor. Patiens autem Christus venit ad passionem, et non Judas; et ipsi confitentur. Quomodo igitur Judas traditor ejus, qui pro **145** nostra salute pati habuit, typus et imago esse poterat passi Æonis?

3. Sed neque Christi passio similis est passioni Æonis, neque in similibus facta. Æon enim passus est passionem dissolutionis, et perditionis, ita ut periclitaretur ipse, qui patiebatur, et corrumpi: Dominus autem noster Christus passus est passionem validam, et quæ non cederet; non solum ipse non periclitatus corrumpi, sed et corruptum hominem firmavit robore suo, et in incorruptionem revocavit. Et Æon quidem passus est passionem ipse requirens Patrem, et non prævalens invenire: Dominus autem passus est, ut eos qui erraverunt a Patre, ad agnitionem, et juxta eum adduceret. Et illi quidem inquisitio magnitudinis Patris fiebat passio perditionis; nobis autem Dominus passus, agnitionem Patris conferens, salutem donavit. Et illius quidem passio fructificavit fructum femineum, sicut dicunt, invalidum, et infirmum, et informem, et inefficacem; istius autem passio fructificavit fortitudinem et virtutem. *Ascendens enim in altitudinem* Dominus per passionem, *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* [25], et contulit credentibus in se super serpentes et scorpiones calcare, et super omnem virtutem inimici, id est principis apostasiæ. Et Dominus quidem per passionem mortem destruxit; et solvit errorem, corruptionemque exterminavit, et ignorantiam destruxit; vitam autem manifestavit, et ostendit veritatem, et incorruptionem donavit. [26] Illorum autem Æon cum fuisset perpessus, ignorantiam substituit (48), substantiam informem peperit, ex qua omnia materialia opera prolata sunt, secundum eos, mors, corruptio, error, et his similia.

4. Non ergo Judas, duodecimus discipulus, typus erat passi Æonis; sed neque Domini nostri passio; per omnia enim dissimile et inconveniens invicem sibi ostensum est, non solum in his quæ prædiximus, sed et secundum ipsum numerum. Proditor enim Judas, quod sit duodecimus, apud omnes consonat, duodecim denominatis apostolis in Evangelio (49); hic autem Æon non duodecimus, sed tricesimus est: non enim duodecim tantum Æones voluntate Patris prolati sunt, secundum hæc, neque duodecimus ordine emissus est; in tricesimo loco annumerantes (50) eum emissum. Quomodo ergo duodecimus ordine Judas, ejus qui in tricesimo ordine est Æon, potest esse typus et imago?

5. Si autem Judam pereuntem, imaginem enthymeseos ejus esse dicunt, nec sic imago similis erit ejus, quæ secundum eum est veritatis. Enthymesis enim separata ab Æone, ipsa postea formata (51) a Christo (52), dehinc prudens facta a Salvatore (53), et omnia quæ sunt extra Pleroma ope-

[24] Act. I, 20, ex Psal. CVIII, 8. [25] Psal. LXVII, 19; Ephes. IV, 8. [26] Cap. XXXVII.

(44) *Uno enim anno*, etc. Græca hujus periodi et seqq. habes supra lib. I, cap. 3, n. 3.

(45) *Fluxum*. Editt. *Profluvium*.

(46) *Per omnem*. Sic ex mss. Clarom. et Voss. reposui. In editt. Eras. et Gall. male, *et omnem*. Feuardentius vero *in* pro *et* substituit, sed Billii solius, ut videtur, monitu, nullius vero mss. cod. auctoritate. Quare tutius esse duxi pro *in* scribere *per*, cum præsertim idem sit sensus.

(47) *Judas*. Alii, *Judæ*.

(48) *Substituit*. Sic omnes cum editt. tum mss.; sed in margine editt. Eras., Gall. et Feuard, legitur *sustinuit*.

(49) *Quod sit duodecimus, apud omnes consonat, duodecim denominatis apostolis in Evangelio*. Hæc lectio, quæ est codd. Voss. et Clarom. cæteris et amplior et melior videtur. Initio enim periodi præcedentis scripsit Irenæus: *Non ergo Judas duodecimus discipulus typus erat passi Æonis*. Tum resumit: *Proditor enim Judas, quod sit duodecimus*, scilicet discipulus, vel apostolus, *apud omnes consonat*. Rationem statim subnectit: *duodecim denominatis apostolis in Evangelio*; cum duodecim denominentur apostoli in Evangelio. Cæteri omnes codd. inter se dissentiunt. In Feuard. edit. *Quod sit duodecimus denominatus apostolus in Evangelio, apud omnes consonat*. Consentiunt quoad primam partem Eras. et Gallas. sed in his, ut et in Arund. et Merc. 2 deest *apud omnes consonat*. Grabius ex cod. Arund. pro *denominatus* scripsit *de nominatis*; de cætero consentit cum Feuard. In Merc. 2, una voce, *denominatis*. Vox autem *duodecim* in iis omnibus omissa, haud dubito quin incuria scribarum, ob affinitatem cum *duodecimus*.

(50) *Annumerantes*. Pro, *cum annumerent*.

(51) *Postea formata*. *Postea* pro *propterea* recte posuit Grab. ex margine editt. Eras., Gallas. ac Feuard., et ex mss. Arund. atque Voss. quibus consentit Clarom. Sed qua auctoritate addiderit *est* post *formata*, non dicit. Quamobrem expunxi, sensum enim turbat.

(52) *Formata a Christo*. Qui substantiæ formam ei indidit. Vide lib. I, c. 4, n. 1.

(53) *Prudens facta a Salvatore*. A quo agnitionis formam recepit. Ibid. n. 5.

Digitized by Google

rata secundum imaginem eorum qui sunt in Pleromate, in novissimo in Pleroma recepta dicitur ab his, et secundum conjugationes unita Salvatori ei, qui ex omnibus factus est. Judas autem semel ejectus nunquam revertitur in discipulorum numerum: alioquin nunquam alius in locum ejus annumeraretur. Et Dominus autem dixit de eo : *Væ homini per quem Filius hominis tradetur* [37]. Et, *Melius erat ei si natus non fuisset* [38], *et filius perditionis* [39] dictus est ab eo. Si autem non separatæ ab Æone Enthymeseos dicunt Judam esse typum, sed perplexæ ei passionis; nec sic numerus duodecim (54) numero trium possunt esse typus. Hic enim Judas ejectus est, et Matthias pro eo ordinatus : illic autem Æon periclitatus dissolvi, et perisse dicitur, et Enthymesis, et passio; separatim enim Enthymesin quoque a passione secernunt : et faciunt Æonem quidem restitui, enthymesin autem formari, passionem vero ab his separatam, esse materiam. Tribus itaque exsistentibus his, Æone, et enthymesi, et passione, Judas et Matthias duo exsistentes, non possunt typus esse.

CAPUT XXI.

Duodecim Apostolos Æonum typum non esse.

1. Si autem duodecim apostolos dicunt typum esse illius solius duodecim Æonum prolationis, quam Homo cum Ecclesia protulit; et reliquorum decem Æonum, qui, ut dicunt, a Verbo et Vita prolati sunt, dent typum alios decem apostolos. Irrationabile est enim juniores quidem Æones, et propter hoc minores, ostendi a Salvatore per electionem apostolorum; seniores autem horum, et ob hoc meliores, non jam præostendi : cum possit Salvator (si tamen apostolos ideo elegit, ut per eos ostendat Æonas, qui sunt in Pleromate) et alios decem apostolos eligere, et ante hos quoque alios octo, ut illam principalem et primam ostendat ogdoadem, per apostolorum numerum typum factum; A 146 possit ostendere neque secunda decade (55)? post enim duodecim apostolos, LXX alios Dominus noster ante se misisse invenitur; septuaginta autem nec octonario numero, neque denario, nec tricenario (56) typus esse possunt. Quæ igitur causa est, minores (57) quidem, sicut prædixi, Æones per apostolos ostendi : meliores autem, ex quibus et hi facti sunt, non jam præfigurari? Et duodecim autem apostoli, si propter (58) hoc electi sunt, ut per eos numerus duodecim Æonum significetur; et septuaginta in typum Æonum septuaginta electi esse debuerunt : non jam (59) triginta numero Æonas, sed octoginta et duos factos dicant. Qui enim secundum typum eorum, qui in Pleromate sunt, Æonum electionem facit apostolorum, nunquam aliorum quidem faceret, aliorum vero non faceret; sed per omnes apostolos tentasset servare imaginem, et ostendere typum eorum qui sunt in Pleromate Æonum.

2. Sed neque de Paulo quidem tacendum est, sed exigendum ab his, in cujus Æonis typum Apostolus nobis traditus est : nisi forte in Salvatoris compositi eorum, qui et ex omnium collatione subsistit, quem et omnia nuncupant, eo quod sit ex omnibus : de quo et Hesiodus poeta splendide significavit Pandoram, id est, *omnium munus*, nominans eum, ob hoc quod ex omnibus optimum munus in eo sit collocatum (60). In quibus ratio hæc est : Hermes (61) (sicut Græco sermone exprimitur (62)) Αἰμυλίους τε λόγους (63) καὶ ἐπίκλοπον ἦθος Ἐς αὐτοὺς κάτθετο, ut hoc ipsum (64) Latino sermone dicamus : *Fraudulentiæ, sive seductionis verba, et subinvolantes mores indidit eorum sensibus*, ad seducendum stultos hominum, ut credant figmentis eorum. Mater enim, hoc est Leto (65), occulte (66) commovit eos (unde et Leto nuncupata est secundum Græci sermonis significantiam, eo quod occulte homines commoveret) nesciente Demiurgo,

[37] Matth. XXVI, 24. [38] Marc. XIV, 21. [39] Joan. XVII, 12.

(54) *Duodecim.* Alii, *duodecimus.*

(55) *Possit ostendere neque secunda decade.* In Clarom., Arund. et Merc. 2, pro *secunda* legitur *secundæ*. Sed id loci hujus corruptioni, mss. codicum ope hactenus insanabili, remedium non affert. Crediderim tamen levi mutatione facta sat commode restitui posse, sic nimirum legendo : *possit ostendere quoque secundam decadem.* Tunc planus esset sensus : *cum possit Salvator... et alios decem apostolos eligere... ut possit ostendere quoque secundam decadem.* Proclive fuit festinantibus ac negligentibus scribis, pro *quoque*, scribere *neque*; (jam exempla vidimus) et accusativos, omissa abbreviationis nota, commutare in ablativos.

(56) *Tricenario.* Sic ubique Clarom. et Voss. *tricenarius, tricenario, tricesimus*, etc., habent, melius quam alii *trigenarius, trigenario, trigesimus.*

(57) *Minores.* In Eras., Gall. et Feuard. *juniores;* minus recte, nam mox sequitur, *meliores autem.*

(58) *Si propter.* *Si* deest in omnibus mss. necessario tamen retinendum.

(59) *Non jam.* Pro *non ergo.*

(60) *Collocatum.* Clarom., Eras., Gall. et Feuard. *collatum*, vel *conlatum.*

(61) *Hermes.* Græcum Mercurii nomen.

(62) *Sicut Græco sermone exprimitur.* Hæc verba, ut et sequentia : *ut hoc ipsum Latino sermone dicamus;* Latini interpretis esse, non Irenæi qui Græce scripsit, nobis etiam non monentibus facile deprehendet lector.

(63) Αἰμυλίους τε λόγους, etc. Hesiodi verba sunt in *Op. et Di.* ubi postquam descripsit poeta quid quisque cæterorum deorum dearumque in Pandoram contulerit, Mercurii donum referens subdit vers. 77 :

Ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργεϊφόντης
Ψεύδεά θ' αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Τεῦξε.

At in pectore nuntius Argicida (Mercurii epitheton)
Mendacia, blandosque sermones, et dolosos mores
Fecit.

Quæ vanis hæreticorum sermonibus *ad seducendos stultos hominum* excogitatis applicat Irenæus.

(64) *Hoc ipsum.* Sic recte solus Clarom. Cætera omnia exemplaria minus bene, *hoc ipso.*

(65) *Leto.* A verbo λήθω, *lateo*, derivare videtur Irenæus, derivant et alii, inter quos Eustathius et Natalis Comes. Sed cum a λήθω derivata scribantur a Græcis per θ, a Latinis per *th*, scribi deberet *Letho*, non *Leto.*

(66) *Occulte.* Græce λελῃθότως, qua voce eo sensu utitur auctor sup. lib. I, c. 5, n. 6.

Digitized by Google

enuntiare profunda et inenarrabilia mysteria prurientibus aures (67). Et non solum per Hesiodum hoc operata est Mater eorum mysterium dici, sed et Pindari Lyrici (68) sapienter valde, ut cælet Demiurgo in Pelope, cujus caro in partes a patre divisa est, et ab omnibus diis collecta, et allata, et compacta, Pandoram hoc modo significavit : ex qua et isti compuncti (69) eadem secundum eos dicentes, ejusdem generis et spiritus sunt cum illis.

CAPUT XXII [36].

Triginta Æonas per tricesimum annum, quo Christum baptizatum dicunt, non repræsentari : nec Christum duodecimo post baptismum mense passum esse, sed quadragenario majorem mortuum fuisse ; quæ peculiaris Irenæo sententia est.

1. Quia autem et tricenarius numerus eorum omnis excidit (70), secundum eos aliquando quidem paucis, aliquando autem plurimis Æcnibus statim in Pleromate inventis, ostendimus. Non ergo triginta annorum exsistens venit ad baptismum, ut ostenderet tacitos Æones eorum (71) triginta : alioquin ipsum primum (72) erunt discernentes et ejicientes de Pleromate omnium. Duodecimo autem mense dicunt eum passum, ut sit anno uno post baptismum prædicans, et ex propheta (73) tentant hoc ipsum confirmare (scriptum est enim : *Vocare* (74) *annum Domini acceptum, et diem retributionis* [37]) vere cæcutientes, qui profunda Bythi adinvenisse se dicunt, et non intelligentes ab Isaia dictum annum Domini (75) acceptabilem, nec diem (76) retributionis. Neque enim de die, quæ **147** duodecim horarum habet spatium, dictum est in propheta ; nec de anno duodecim mensium habente mensuram. Quia enim prophetæ in parabolis et allegoriis, et non secundum sonum ipsarum dictionum plurima dixerunt, et ipsi confitentur.

2. Dies ergo retributionis dictus est, in qua retribuet Dominus unicuique secundum opera sua [38], hoc est judicium. Annus autem Domini acceptabilis, tempus hoc, in quo vocantur ab eo hi qui credunt ei, et acceptabiles fiunt Deo : hoc est, omne ab adventu ejus tempus usque ad consummationem, in quo, ut fructus, eos qui salvantur acquirit. Sequitur enim, secundum dictionem prophetæ, annum dies retributionis [39] ; et erit mentitus propheta, si anno tantummodo Dominus prædicavit, et de eo dicit. Ubi est enim dies retributionis ? transivit enim annus, et nondum dies retributionis est ; sed adhuc *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* [40]. Et persecutionem quidem patiuntur justi, et affliguntur, et occiduntur ; in abundantia autem sunt peccatores, et *cum cithara* (77) *et psalterio bibunt, opera autem Domini non intendunt* [41]. Debent autem secundum dictionem copulari, et sequens esse anno dies retributionis. Dictum est enim, *vocare annum Domini acceptum, et diem retributionis*. Bene itaque intelligitur tempus hoc, in quo vocantur et salvantur a Domino (78), annus Domini acceptus (79) : quem subsequitur dies retributionis, id est judicium. Et non solum autem annus tempus hoc dicitur ; sed et dies nominatur, et a Propheta, et a Paulo ; in quibus et Apostolus memor Scripturæ, in Epistola, quæ est ad Romanos, ait : *Sicut scriptum est : Propter te morte efficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* [42]. Nunc autem *tota die* pro omni hoc tempore dictum est, in quo persecutionem patimur, et ut oves occidimur. Sicut ergo dies hæc non illam, quæ in XII horis substitit, significat, sed omne tempus, in quo patiuntur et interficiuntur propter Christum credentes ei : ita et illic annus, non qui est ex duodecim mensibus dicitur, sed omne fidei tempus, in quo audientes prædicationem credunt homines, et acceptabiles Domino fiunt, qui se ei copulant

3. [43] Est autem valde admirari, quonam modo profunda Dei adinvenisse se dicentes, non scrutati sunt in Evangeliis, quoties secundum tempus Paschæ (80) Dominus post baptisma ascenderit in Hierusalem, secundum quod moris erat Judæis ex omni regione, omni anno, tempore hoc convenire

[36] Cap. XXXVIII. [37] Isa. LXI, 2. [38] Rom. II, 6. [39] Isa. XXXIV, 8. [40] Matth. V, 45. [41] Isa. V, 12. [42] Rom. VIII, 36. [43] Cap. XXXIX.

(67) *Prurientibus aures.* Alludit ad id Pauli II Timoth. IV, 3 : Κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν, quod vertit vulgatus interpres, *prurientes auribus.*

(68) *Sed et Pindari Lyrici.* Genitivum Πινδάρου, quem præpositio διά requirebat, per accusativum reddere debuisset interpres, ut recte ante me observavit Grabius.

(69) *Compuncti.* Græce, ait Billius, κεκαυτηριασμένοι, id est, quasi cauterio inusti : Paulina vox I Timoth. IV, 2.

(70) *Omnis excidit.* Alii perperam, *excedit.*

(71) *Tacitos Æones eorum. Tacitos Æones* vocat Irenæus, quia ex *Sige* seu *Silentio* nati.

(72) *Alioquin ipsum primum*, etc. Id est, si triginta duntaxat Æones sunt, tollendus ex eorum numero, et e Pleromate eliminandus Salvator.

(73) *Propheta.* In marg. Feuard. *prophetia.*

(74) *Vocare.* Sic mss. omnes, cum Feuard. et Grab. editt. juxta Græcum LXX, καλέσαι. Sic etiam legit Cyprian. *advers. Jud.* lib. II, cap. 10. In Eras. et Gallas, *vocate.*

(75) *Dictum annum Domini.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Cæteri perperam, *Domino ;* nam paulo ante scribitur in omnibus codd. *annum Domini ;* et paulo post *annus Domini acceptabilis.*

(76) *Nec diem.* Legendum vult Billius *et diem* ; quam lectionem improvide et contra omnium codd. fidem editioni suæ Coloniensi inseruit Feuardentius. Sensus enim est : *nec diem retributionis intelligentes.*

(77) *Cum cithara. Cum* addidit Feuard. consent. Clarom. et Voss. juxta versionem LXX quam hic citat Irenæus, μετὰ κιθάρας. Nam in Vulgata paulo aliter legitur hic Isaiæ locus.

(78) *Salvantur a Domino.* Præpositionem *a* ex cod. Arund. restituit Grab.

(79) *Domini acceptus.* Sic recte Clarom. cod., cæteri omnes perperam, *Domino.*

(80) *Paschæ.* Alii, *Paschale.*

Digitized by Google

in Hierusalem, et illic diem festum Paschæ celebrare. Et primum quidem ut fecit vinum ex aqua in Cana Galilææ, ascendit in diem festum Paschæ, quando (81) et scriptum est: *Quia multi crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat*, sicut Joannes Domini discipulus meminit [38]. Dehinc iterum subtrahens se invenitur in Samaria, quando et cum Samaritana disputabat, et filium Centurionis absens verbo curavit, dicens: *Vade, filius tuus vivit* [39]. Et post hæc iterum secunda vice ascendit in diem festum Paschæ (82) in Hierusalem, quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat XXXVIII annos, curavit, jubens ut surgeret et auferret grabbatum suum, et iret [40]. Et iterum inde secedens trans mare Tyberiadis, ubi et cum multa turba eum fuisset secuta, de quinque panibus satiavit omnem illam multitudinem, et superaverunt duodecim cophini fragmentorum [41]. Deinde cum Lazarum suscitasset ex mortuis, et insidiæ fierent a Pharisæis, secedit in Ephrem civitatem [42]: et inde *ante sex dies Paschæ veniens in Bethaniam* scribitur [43], et de Bethania ascendens in Hierosolymam, et manducans Pascha, et sequenti die passus. Quoniam autem tria hæc Paschæ tempora non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur. Et ipsum autem mensem, in quo Pascha celebratur, in quo et passus est Dominus, non duodecimum, sed primum esse, qui omnia se scire jactant, si nesciunt, a Moyse possunt discere. Falsa ergo ostensa est et anni, et duodecimi mensis absolutio eorum (83), et debent aut absolutionem suam, aut Evangelium reprobare: alioquin quomodo uno anno tantum Dominus prædicavit?

4. Triginta quidem annorum exsistens cum veniret ad baptismum, deinde magistri ætatem perfectam habens, venit Hierusalem, ita ut ab omnibus juste audiret magister (84): non enim aliud videbatur et aliud erat, sicut inquiunt qui putativum introducunt; sed quod erat, hoc et videbatur. Magister ergo exsistens, magistri quoque habebat ætatem, non reprobans, nec supergrediens hominem, neque solvens legem (85) in se humani generis, sed omnem ætatem sanctificans per illam, quæ ad ipsum (86) erat, similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum (87), infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores. Ideo per omnem venit ætatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul et exemplum illis pietatis effectus, et justitiæ, et subjectionis; in juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens, et sanctificans Domino. Sic et senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed et secundum ætatem, sanctificans simul et seniores, exemplum ipsis quoque fiens: deinde et usque ad **148** mortem pervenit, ut sit *primogenitus ex mortuis, ipse primatum tenens in omnibus* [44], princeps vitæ, prior omnium, et præcedens omnes.

5. Illi autem, ut figmentum suum de eo quod est scriptum, *vocare annum Domini acceptum*, affirment, dicunt uno anno eum prædicasse, et duodecimo mense passum: contra semetipsos obliti sunt, solventes ejus omne negotium, et magis necessariam, et magis honorabilem ætatem ejus auferentes, illam, inquam, provectiorem, in qua et docens (88) præerat universis. Quomodo enim habuit discipulos, si non docebat? Quomodo autem docebat, magistri ætatem non habens? Ad baptismum enim venit nondum qui triginta annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum: (ita enim, qui ejus annos significavit Lucas, posuit: *Jesus autem erat quasi incipiens triginta annorum* [45], cum veniret ad baptismum) et a baptismate (89) uno tantum anno prædicavit; complens tricesimum annum passus est, adhuc juvenis exsistens, et qui necdum provectiorem haberet ætatem. Quia autem triginta annorum ætas prima indolis (90) est juvenis, et extenditur usque ad quadra-

[38] Joan. II, 23. [39] Joan. IV, 50. [40] Joan. V, 1 seqq. [41] Joan. VI, 1 seqq. [42] Joan. XI, 54, 36. [43] Joan. XII, 1. [44] Col. I, 18. [45] Luc. III, 23.

(81) *Quando*. Al. vitiose, *quoniam*.

(82) *Secunda vice ascendit in diem festum Paschæ*. Haud recte Irenæum *diem festum Judæorum*, quo *Jesus Hierosolymam ascendisse* dicitur Joan. V, 1, de Paschate accepisse contendit Grabius. Sed nullum affert vir eruditus argumentum, quo falsitatem hujusce assertionis demonstret; quam satis probabilem facit tum evangelicæ historiæ series, tum Theodoreti in cap. IX Danielis et Hieronymi consensus.

(83) *Absolutio eorum*. Sic mss. omnes. In Eras. Gall. et Feuard. perperam, *absolutio dierum*. *Absolutio* hic pro *solutio, explicatio*; Græce ἐπίλυσις.

(84) *Audiret magister*. Sic recte Feuard. in marg. et Clarom., cæteri omnes minus bene *audiretur*.

(85) *Solvens legem. Suam* ante *legem* in omnibus editt. citra necessitatem additum expunxi auctoritate cod. Clarom.

(86) *Ad ipsum*. Sic codd. Clarom. et Arund. melius, quidquid dicat Grabius, quam cæteri *ad ipsam*. Id enim intendit Irenæus, ut sequentia demonstrant, omnem hominum ætatem sanctificari per similitudinem quam *ad Christum* habet.

(87) *Renascuntur in Deum*. Per baptismum videlicet.

(88) *In qua et docens*. Sic Clarom. cod. in Voss. *in qua et doctus*; in Arund. *in qua docens*; in editt. *in qua edocens*.

(89) *Et a baptismate*, etc. Hæc non in propria, sed in hæreticorum sententia scribit Irenæus. Qui enim postea asserit passum esse Christum ætate jam in senium declinante, cum videlicet quadragesimum ætatis annum excessisset, nec a quinquagesimo procul abesset, sensisse non potuit, cum anno ætatis duntaxat uno post baptismum prædicasse, tum vero passum fuisse; cum maxime tria ab ejusdem baptismo ad passionem intercessisse velit Paschata. Sed de his fusius in dissert. III, art. 6, § 70, seqq.

(90) *Prima indolis*. Ita Clarom., Arund., Voss., Feuard. in marg. et Grab., cæteri minus recte, *primæ indolis*. Is est autem verborum ordo et sensus: triginta annorum ætas, prima est ætas indolis juvenis. Ac proinde et *indolis* et *juvenis* in gignendi

Digitized by Google

gesimum annum, omnis quilibet confitebitur; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno (91) declinat jam in ætatem seniorem; quam habens Dominus noster docebat, sicut Evangelium et omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joannem. Permansit autem cum eis usque ad Trajani tempora.

καὶ πάντες οἱ (92) πρεσβύτεροι μαρτυροῦσιν, οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ Κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες (93), παραδεδωκέναι ταῦτα (94) τὸν Ἰωάννην. Παρέμεινε γὰρ αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων.

Quidam autem eorum non solum Joannem, sed et alios apostolos viderunt, et hæc eadem ab ipsis audierunt, et testantur de hujusmodi relatione. [46] Quibus magis oportet credi? Utrumne his talibus, an Ptolemæo, qui apostolos nunquam vidit, vestigium autem apostoli ne in somniis quidem assecutus est?

6. Sed et ipsi, qui tunc disputabant cum Domino Jesu Christo Judæi, apertissime hoc ipsum significaverunt. Quando enim eis dixit Dominus: *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est*, responderunt ei: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti* [47]? Hoc autem consequenter dicitur ei, qui jam XL annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagesimo anno absistat. Ei autem, qui sit XXX annorum, diceretur utique: Quadraginta annorum nondum es. Qui enim volebant eum mendacem ostendere, non utique in multum extenderent annos ultra ætatem, quam eum habere conspiciebant; sed proxima ætatis dicebant, sive vere scientes (95) ex conscriptione census (96), sive conjicientes secundum ætatem, quam videbant habere eum super quadraginta; sed ut non quæ esset (97) triginta annorum. Irrationabile est enim omnino, viginti annos mentiri eos, volentes eum juniorem ostendere temporibus Abrahæ. Quod autem videbant, hoc et loquebantur; qui autem videbatur, non erat putativus, sed veritas. Non ergo multum aberat a quinquaginta annis (98): et ideo dicebant ei: *Quinquaginta annorum nondum es, et Abraham vidisti?* Non ergo

a anno uno prædicavit, nec duodecimo mense annul passus est. Tempus enim a tricesimo anno usque ad quinquagesimum nunquam erit unus annus, nisi si apud Æones eorum tam magni anni sunt deputati his, qui apud Bythum in Pleromate ex ordine residęnt, de quibus et Homerus poeta dixit [48], et ipse inspiratus a Matre eorum erroris:

Οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο
Χρυσείῳ ἐν δαπέδῳ.

Quod Latine ita interpretabimur:

Dii autem apud Jovem considentes tractabant In aureo loco.

CAPUT XXIII.

Mulierem profluvio sanguinis laborantem perturbati Æonis typum non esse.

Sed et de illa muliere, quæ profluvio sanguinis laborans, tetigit fimbriam vestimenti Domini, et sanata est [49], aperta est eorum ignorantia: (dicunt enim per eam ostendi passam illam duodecimam Virtutem, et in infinitum defluxam, id est duodecimum Æonem) primum quidem, quia, secundum sectam eorum, duodecimus non est iste Æon, sicut 149 ostendimus. Ut autem ex superfluo (99) eis et hoc detur, duodecim Æonibus exsistentibus, undecim quidem impassibiles perseverasse dicuntur, duodecimus autem passus; mulier autem e contrario duodecimo anno sanata, manifestum est quoniam undecim quidem annis habuit perseverantem passionem, duodecimo autem sanata est. Si quidem undecim Æones in passione insanabili fuisse dicerentur, sanatus autem duodecimus, suasorium erat dicere typum eorum esse mulierem. Quia autem hæc undecim quidem annis passa est, et non est sanata, duodecimo autem anno sanata est; quomodo potest esse typus duodecimi Æonis, ex quibus undecim omnino nihil passi sunt, solus autem duodecimus participatus est passionem? Typus enim et imago secundum materiam, et secundum substantiam aliquoties a veritate diversus est: secundum autem habitum et lineamentum, debet servare similitudinem, et similiter ostendere per præsentia illa quæ non sunt præsentia.

2. Et non solum in hac muliere anni infirmitatis

[46] Cap. XL. [47] Matth. IX, 20. [48] Iliad. Δ, 1. [49] Joan. VIII, 56, 57.

casu, non in recto accipiuntur, ut de priori haud satis attentus asseruit Grabius.

(91) *Quadragesimo autem et quinquagesimo.* Sic codd. Clarom. et Anglic. omnes, cum edit. Oxon. In aliis edit. perperam, *quadragesimo aut quinquagesimo.*

(92) *Καὶ πάντες*, etc. Græca hæc, citato nominatim Irenæo, exhibet Euseb. lib. III, cap. 23.

(93) *Συμβεβληκότες.* Ita Euseb., *loco cit.*, et Niceph., lib. III, cap. 2. At in Georgii Syncelli *Chronographia* p. 345, edit. Paris. 1652, legitur in textu συμβεβηκότες, ad marginem vero συμβεβωκότες.

(94) *Ταῦτα.* Hanc vocem in Eusebio et Syncello omissam, recte ex Nicephoro addidit Grabius, quia Latina Irenæi versio habet *idipsum.*

(95) *Sive vere scientes.* Ita recte Feuard. in marg. Clarom. et Voss. Cæteri omnes cum edit. tum mss. minus bene, *sive rescientes.* Nam *vere scientes* opponit auctor τῷ *conjicientes*, quod mox sequitur.

(96) *Ex conscriptione census.* Vel eum populi censum, seu descriptionem intelligit, de qua Lucas cap. II, 1: *Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis*; vel eam, quæ post Archelai relegationem, novem jam annis ab Herodis morte exactis facta est, anno Juliano 59, Æræ vulg. 14, Sexto Pompeio et Sexto Apulcio Coss., de quo Josephus lib. XVIII *Antiquit.* cap. 1.

(97) *Quæ esset.* Sic Clarom. melius, ni fallor, quam reliqui, *qui esset*; nam de ætate hic sermo est.

(98) *Quinquaginta annis.* Clarom. et Voss. XL *annis*; sed male, ut præcedentia demonstrant.

(99) *Ex superfluo.* Id est, *ex abundanti*; Græce, ἐκ περισσοῦ, vel ἐκ περιουσίας, ait Bill.

Digitized by Google

descripti sunt, quos coaptari dicunt figmento suo, sed ecce et alia mulier similiter XVIII annis infirmata, sanata est, de qua Dominus ait : *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas decem et octo annis, non oportebat solvi in die Sabbati*[50] ? Si ergo illa typus erat duodecimi Æonis passi, et hæc typus esse decimi octavi Æonis passi debet. Sed non habent ostendere : alioquin prima et principalis eorum ogdoas (1) connumerabitur compassis Æonibus. Sed et alius autem quidam sanatur a Domino XXXVIII annos habens in sua passione[51] : et tricesimum et octavum passum Æonem dicant. Si enim quæ a Domino facta sunt, typos esse dicunt eorum, quæ sunt in Pleromate; typus in omnibus debet servari. Sed neque eam, quæ post XXVIII annos curata est, nec eum qui post XXXVIII annos curatus est, possunt adaptare suo figmento. Insulsum autem et inconveniens est omnino dicere in quibusdam quidem servasse typum Salvatorem, in quibusdam autem non servasse. Dissimilis ergo et mulieris typus negotio Æonum (2) ostenditur.

CAPUT XXIV.

Vana et insulsa esse argumenta quæ ex numeris, litteris et syllabis ducunt hæretici.

1. Adhuc autem et falsum demonstrat commentum eorum, et instabile figmentum eorum etiam hoc ipsum, quod per numeros aliquando quidem, A et per syllabas nominum, aliquando autem et per syllabarum litteras, aliquando vero et per numeros, qui secundum Græcos in litteris continentur, tentant inferre probationes. Apertissime consternationem, sive confusionem, et instabilitatem scientiæ eorum, et extortum demonstrant (3). Jesus enim nomen alterius linguæ exsistens ad Græcorum numerum transferentes, aliquando quidem episemon esse dicunt, sex habens litteras (4) : aliquando autem plenitudinem ogdoadum (5) DCCCLXXVIII numerum habens. Græcum autem nomen ejus, quod est *Soter*, id est, *Salvator*, quia non convenit figmento eorum, nec secundum numerum nec secundum litteras, tacuerunt. Et quidem si ex providentia Patris Dominica nomina accepissent, per numerum, B et per litteras significantia numerum in Pleromate, *Soter* nomen Græcum exsistens secundum Græcitatem et per litteras (6), et per numeros, Pleromatis debuit ostendere mysterium. Sed non ita habet, quia quinque quidem est litterarum, numerus autem MCCCCVIII (7). [52]Hæc autem in nullo communicant Pleromati eorum : non ergo vera est illa, quæ ab eis in Pleromate dicitur negotiatio (8).

2. Jesus autem nomen, secundum propriam Hebræorum linguam, litterarum est duarum et dimidiæ (9), sicut periti eorum dicunt, significans 150 Dominum eum, qui continet (10) cœlum et terram :

[50] Luc. XIII, 16. [51] Joan. V, 5. [52] Cap. XLI.

(1) *Ogdoas*. Clarom. *ogdoadas*. Nempe in hoc ms. *ogdoas* et *ogdoadas* promiscue usurpantur; quo confirmatur id quod ad cap. 16, n. 4, adnotavi.

(2) *Negotio Æonum*. Ita ex Clarom. reposui. Nec ab hac genuina lectione procul distant Eras. et Gall. in quibus legitur, *Negatio Æonum*. In cæteris, *negotio eorum*.

(3) *Scientiæ eorum ... demonstrant*. Quamvis in omnibus mss. legatur *demonstrat*, legere tamen malim cum Eras., Gall. et Feuardent. *demonstrant*, quia clarior inde exsurgit sensus. Porro *scientiæ eorum* hic accipe pro *scientiæ suæ*; nam αὐτῶν frequenter vertit interpres *eorum*, ubi pronomen possessivum usurpandum erat.

(4) *Episemon esse dicunt, sex habens litteras*. Ἰησοῦς μὲν γάρ ἐστιν ἐπίσημον ὄνομα ἐξ ὧν (ἔχων) γράμματα, sup. lib. I, cap. 14, n. 5.

(5) *Ogdoadum*. Arund. et Merc. 1, *ogdoadam*; nec melius in Eras. Gall. et Feuard. *ogdoada*.

(6) *Per litteras. Has* ante *litteras* deest in omnibus mss.

(7) *Quia quinque ...* MCCCCVIII. Hanc genuinam lectionem, quam ex edit. passim, partim ex mss. codd. collegisse se dicit Grabius, totam et integram habet cod. Clarom. Cæteri omnes aliqua parte vitiosi sunt. Porro vocis Σωτὴρ litterarum numerus dicitur esse MCCCCVIII, quia littera σ denotat 200, ω 800, τ 300, η 8, ρ denique 100, qui numeri collecti dant MCCCCVIII.

(8) *Negotiatio*. Πραγματεία τοῦ πεπονθότος Αἰῶνος, *negotiatio passi Æonis*, ut passim vocant.

(9) *Jesus ... litterarum est duarum et dimidiæ*. Jesus enim Hebraice scribitur יֵשׁ, vel secundum alios יֵשׁוּ ubi cum littera *Jod* vix ad medium aliarum attingat, ab Irenæo dimidia littera dicitur.

(10) *Significans Dominum eum qui continet*, etc. Perobscurus locus et ænigmati similis. Solutionem tentavit Drusius cent. I Miscellan. cap. 44, et post eum Feuardentius, nec puto, infelici successu, nisi C quod vocem *usser* neuter intellexerit. Observat igitur Drusius, *Notaricon* ab Hebræis dici, cum ex litteris consonantibus colliguntur integræ dictiones; ut cum v. g. dicunt, *Adam* significare *pulverem*, *sanguinem*, *amarum*, id est, עָפָר, דָּם, מַר. Quæ quidem observatio lucem affert huic Irenæi loco. Hic enim nomen *Jesus* significare asserit *Dominum eum qui continet cœlum et terram*. Quod verum esse deprehendes, si advertas nomen *Jesu*, prout ab Hebræis scribitur יֵשׁ, vel יֵשׁוּ (ad utrumque enim scribendi modum attendere videtur Irenæus) litteris tribus, vel, ut ait ille, duabus et dimidia, consonis constare, quarum singulæ secundum *Notaricon* significant singulas dictiones. Videlicet י Iod, quæ prima littera est τοῦ τετραγραμμάτου יהוה *Jehovah*, quod Dominum, sive Κύριον reddunt LXX, *Dominum* nobis exprimit. Deinde שׁ, quæ prima littera est vocis שָׁמַיִם, *cœlum* exhibet : postremo ו initium est וָאָרֶץ, quod est, *et terra*. Vel si Jesus scribatur יֵשַׁע, littera ע initium erit vocis עָפָר *pulvis*, quæ D transferri potest ad significandum terram. Et jam ergo patet quo pacto *Jesus*, ex Irenæi mente, significet, secundum vim Hebraicæ vocis, *Dominum cœli et terræ*, quia tria hæc, *Dominus*, *cœlum et terra* virtute quadam in ea voce continentur. Hinc subnectit : *quia Jesus secundum antiquam Hebraicam linguam cœlum est, terra autem iterum sura, user dicitur*. Jesus enim secundum *Notaricon* vocem שָׁמַיִם complectitur, cujus primam litteram in se continet. Sed quid sequentia hæc? *Terra autem iterum sura user dicitur*. Nodum sic solvo. *Sura* et *User*, quarum significatum hactenus Irenæi interpretibus impervium exstitit, sunt ipsissimæ Hebraicæ voces אֶרֶץ et עָפָר, vel עֲפַר, *Arets* et *Aphar*, vel *Apher*, aut *Vapher*, *terra* et *pulvis*, sed ex imperitia Hebraici sermonis misere deformatæ, sive ab Irenæo ipso, sive ab amanuensibus. Nempe ex vere אֶרֶץ inverso ordine, id est a læva ad dextram, more nostro, lecta, fit *sura*, ut inspicienti patet. Pro

Digitized by Google

quia Jesus secundum antiquam Hebraicam linguam cœlum est, terra autem iterum *sura user* (11) dicitur. Verbum ergo quod cœlum et terra habet, ipse est Jesus. Falsa est ergo et episemi eorum redditio (12), et numerus eorum eversus est manifeste. Secundum enim propriam eorum linguam, quinque litterarum est Græco vocabulo Soter : Jesus autem iterum, secundum Hebraicam linguam, duas et dimidiam habet litteras (13). Corruit ergo numerus

A calculi, qui est in DCCCLXXXVIII (14). Et per omnia autem Hebræorum litteræ non conveniunt numero Græcorum, quæ maxime deberent, antiquiores et firmiores exsistentes, salvare supputationem nominum. Ipsæ enim antiquæ, et primæ Hebræorum litteræ, et sacerdotales nuncupatæ (15), decem quoque quidem (16) sunt numero, (scribuntur autem per XV (17)) novissima littera copulata primæ. Et ideo quidem quædam secundum subsequentiam

apher vero, aut *vapher*, haud dubito quin scripserit Latinus interpres *ufer*, *f* pro *ph*, imperiti autem scribæ *f* commutarint in *s*, unde factum *user*. Jam quid Hebraicæ istæ voces affine habeant cum nomine *Jesu*, ex dictis patet. Si enim utrique præfigas ו, ultimam nominis hujus litteram exhibebit. Si demas, י prior littera vocis יהושע postremam dabit nominis ישע, uti et א prima littera vocis אהיה; nec B enim probabilitate vacat Irenæum, Hebraice nescientem, existimasse nomen Jesu ab Hebræis scribi ישוע. Planum hinc evadit quod sequitur : *Verbum quod cœlum et terra habet, ipse est Jesus.* Jesus enim vox est quæ vi complectitur eas quæ apud Hebræos cœlum et terram significant.

(11) *User.* Ex præcedenti nota patet legendum esse aut *apher*, aut *vafer*, aut saltem *ufer*. Interim cum Clarom. et Voss. scribere malim *user* quam cum cæteris *usser*.

(12) *Redditio.* Græce ἀπόδοσις. Sed hoc loco, scite notat Billius, vocabulum istud *explicationem* potius, aut *accommodationem* transferre debuit interpres : alioqui verbum ita retinet, ut sensum amittat.

(13) *Habet litteras. Sion* addunt editt. Eras. et Feuard. Sed quid sibi velit, quidve ad rem præsentem faciat ea vox, explicare non possunt. Crediderim quempiam, ut hujus Irenæi sententiæ, *Jesum secundum Hebraicam linguam duas et dimidiam habere litteras*, veritatem oculis exhiberet, ad marginem codicis sui Hebraicam vocem ישו descripsisse, quam imperitus alter in textum transtulit, sed turbato litterarum ordine corruptam. Nempe pro ישו scripsit שיו, unde factum Σιοῦ, *Siou*, ac tandem Σιών. At cum peregrina ea vox desit in veteri Feuard. cod. Clarom. et Voss., hanc expunxi.

(14) *Qui est in* DCCCLXXXVIII. Ita cod. Clarom. In codice Voss. scribitur : *quem in* DCCCLXXXVIII, cum quo consentit vetus Feuard. cod. nisi quod post *in* habeat M. quasi millenarii notam. Sed in editt. Eras., Gall. et Feuard. longe pejus : *qui est Judaice* LXXXVIII. Nempe vocem *Judaice* peperit oscitantia scribarum, qui particulam *in* numeris DCCC præfixam male legentes, litterisque numeralibus perperam copulantes, scripserunt *Judaice*. Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrant, quæ lib. I, cap. 15, n. 2, adnotata sunt.

(15) *Et sacerdotales nuncupatæ.* Veteres illas et primas Hebræorum litteras *sacerdotales* ab Irenæo dici censuerim; quod cum his postmodum substitutæ fuissent litteræ Chaldaicæ, nihilominus tamen sacrum Dei nomen יהוה priscis et antiquis characteribus descriptum in lamina aurea frontî appensa gestare soleret summus sacerdos. Et ideo antiqui Hebræorum characteres dicti *sacerdotales*, quod jam solis sacerdotibus usitati essent, reliquis vero Chaldaici.

(16) *Decem quoque quidem.* Sic cod. Clarom. cum quo fere consentit Voss. habens : *decem quæ quidem.* In aliis omnibus deest *quoque*. Cur autem addiderim hanc vocem, ratio mox constabit.

(17) *Scribuntur autem per* XV. Sic partim ex editt. partim ex mss. restituo. In illis legitur : *scribuntur autem quæque per quindecim.* In Clarom. vero : *scribuntur autem quæ scribuntur* XV. Consentit

et Voss. nisi quod omittat *autem*. Ac proinde ex editt. expungo vocem *quæque*, quæ in mss. non exstat, sensumque confundit; retineo vero *per*; ac pro *quindecim* scribo ex citatis mss. XV. Quem tamen numerum cum ex integro legeris, exprimi velim, non *quindecim*, sed *decem et quinque*; quod postremum a scribis exarandum fuisset; id enim exigit sensus, nec alias Irenæi verba intelligi possunt. Id quippe sibi probandum suscepit, *per omnia Hebræorum litteras non convenire numero Græcorum*; quod ut conficiat, comparationem instituit inter utrasque litteras : ac proinde sicuti Græcas, sic et Hebraicas litteras spectat, non absolute prout elementa sunt vocum (quod omnes Irenæi interpretes fefellit) sed arithmetice, prout notæ numerorum sunt. Porro nemo nescit litteras Græcas, arithmetice spectatas, in tres nonarios, seu columnas, singulas ex novem litteris, secundum alphabeti seriem dispositis constantes, sic distribui, ut prior nonarius det unitates, secundus denarios, tertius centenarios. Suas litteras eodem ordine et eadem serie distribuunt Hebræi. Sed id discriminis est Græcos inter et Hebræos, quod illi nullas in alphabeto arithmetico litteras repetant, sed tribus ad 24 litteras additis episemis, ϛαῦ in priori columna, Κόππα in secunda, Σαμπί in tertia, numerum 27 facile compleant. At Hebræi, cum 22 duntaxat litteras habeant, careantque *episemis*, tres nonarios, seu numerum 27 complere non possunt, nisi repetitis litteris quinque. Eæ autem sunt finales quinque ךסנפץ, quas in ultimo nonario post ת reponunt. Rem oculis exhibebit schema sequens.

א 1	י 10	ק 100	א 1000
ב 2	כ 20	ר 200	ב 2000
ג 3	ל 30	ש 300	etc.
ד 4	מ 40	ת 400	
ה 5	נ 50	ך 500	
ו 6	ס 60	ם 600	
ז 7	ע 70	ן 700	
ח 8	פ 80	ף 800	
ט 9	צ 90	ץ 900	

D His animadversis, densa illa auctoris nostri verbis offusa caligo ultro discutitur. *Ipsæ*, inquit, *antiquæ et primæ Hebræorum litteræ decem quoque quidem sunt numero, novissima littera copulata primæ.* Id est, in hoc conveniunt Hebræorum litteræ cum Græcis, quod et illæ quoque in unaquaque columna novem cum sint, desinant semper in denarium, quæ prior littera est columnæ sequentis : ac proinde si novissima uniuscujusque columnæ littera copuletur primæ litteræ columnæ sequentis, decem efficiunt, seu decem sunt numero. Ut v. g. si ם quæ novissima littera est primæ columnæ copuletur cum ו, quæ prima est columnæ sequentis, decem fient. *Scribuntur autem per decem*; sic enim ordinantur, ut postrema cujuslibet columnæ littera in denarium desinente, litteræ omnes in varias columnas divisæ *scribantur per decem*, seu per decadas : *et quinque*, finales videlicet. Quia enim tertius nonarius, seu tertia columna constaret tantum litteris

Digitized by Google

scribunt, sicuti et nos : quædam autem retrorsum (18) a dextra parte in sinistram retorquentes litteras. Et Christus autem supputationem nominis convenientem Æonis (19) Pleromatis eorum habere debuit, qui ad stabilitatem et correctionem Pleromatis eorum prolatus est, secundum quod dicunt. Et Pater autem similiter et per litteras, et per numerum, continere debuit numerum eorum, qui ab eo prolati sunt Æonum ; sed et Bythus similiter; nihilominus autem et Unigenitus, et maxime autem super omnia nomen (20) quod dicitur Deus, quod et ipsum Hebraice Baruch (21) dicitur, et duas et dimidiam habet litteras (22). Ex hoc ergo quod firmiora nomina secundum Hebraicam et Græcitatis linguam, nec secundum numerum litterarum, nec secundum supputationem conveniunt figmento eorum, manifesta est de reliquis impudenter extorta supputatio.

3. Etenim ex lege, eligentes quæcunque concurrunt sectæ eorum numero, tentant violenter probationes facere. Si autem erat propositum Matri eorum, sive Salvatori, per Demiurgum typos eorum, quæ sunt in Pleromate ostendere, in verioribus et sanctioribus fieri 151 typos fuissent operati : et maxime autem in ipsa arca Testamenti, per quam (23) et omne tabernaculum testimonii compositum est. Facta est autem hæc, longitudo quidem ejus cubitis duobus et dimidio [58], latitudo autem ejus uno cubito et dimidio, et altitudo cubito uno et dimidio : numerus autem iste

[52] Exod. xxv, 10. [54] Ibid. 17. [55] Ibid. 23. [56] Ibid. 16. [61] Ibid. 26.

quatuor, necesse fuit quinque finales addere, ut compleretur decas. Et in hoc differunt litteræ arithmeticæ Hebræorum a Græcis ; quod in his eædem nusquam repetantur litteræ, in illis repetantur. Jam quo tendat ea Irenæi argumentatio facile advertit quisque, nempe varias illas quas ex litteris ducebant Valentiniani, numerorum copulationes omnino ruere, si ad primævas et omnium antiquissimas, quibus oracula sua ipse Deus edidit, litteras Hebraicas exigantur. Cum enim istæ eadem serie non disponantur atque Græcæ, unaque ac eadem littera pro diverso situ diversos denotare possit numeros ; hinc fit ut voce ישו, vel ישוע, idem numerus non exsurgat, atque ex voce Ἰησοῦς. Quod et de aliis quibusvis vocibus dicendum. Ignoscat lector si paulo diutius in hoc et præcedentibus Irenæi locis immoratus sum : id brevioribus explicare fas non fuit, quod adeo intricatum videbatur, ut ab aliis inexplicabile, ab aliis depravatum censeretur. Si cui vero probentur allatæ explicationes, laudem non mihi, sed doctissimo Martianæo nostro, viro rerum Hebraicarum scientia haud vulgari in republica litteraria notissimo, referri velim. Hic enim, grato animo fateor, in salebrosis tenebrosisque caliganti mihi facem benigne prætulit.

(18) *Quædam secundum subsequentiam scribunt... quædam autem retrorsum*, etc. Id est, quasdam litteras a sinistra in dexteram, more Græcorum et Latinorum scribunt, nec a dextra in sinistram partem retorquent. Tales sunt saltem ם, ן, et quatuor finales ך, ן, ם et ץ, alias vero a dextra parte in sinistram retorquent. Et in hoc etiam Græcis et Latinis dissimiles sunt Hebræorum litteræ.

(19) *Æonis*. Pro Æonibus. Sic supra cap. 14, n. 8.

(20) *Super omnia nomen*. Editi minus bene, *super omne nomen*.

A cubitorum in nullo convenit figmento eorum, per quem (24) maxime typus ostendi debuit. Et propitiatorium autem similiter in nullo convenit expositionibus eorum [54]. Adhuc autem et mensa propositionis, duobus cubitis longitudo, et unius cubiti latitudo, altitudo autem ejus unius cubiti et dimidii [55], (hæc ante sancta sanctorum) per quæ ne una quidem quantitas numeri significantiam quaternationis, sive octonationis, aut reliqui Pleromatis eorum continet. Quid autem candelabrum septem quidem habens calamiscos (25), lucernas autem septem [56] ? Et si quidem secundum typum facta fuissent (26), calamiscos octo, totidemque lucernas habere debuit, ad typum primæ octonationis, quæ præfulget in Æonibus, et illuminat omnem B plenitudinem. Atria (27) autem decem exsistentia diligenter numeraverunt [57], typum ea dicentes decem Æonum ; pelles autem jam non numeraverunt secundum numerum undecim factas [58]. Sed neque ipsorum atriorum magnitudinem mensi sunt, viginti et octo cubitorum longitudinem unumquodque atrium habens [59]. Et columnarum longitudinem factam decem cubitorum exponunt propter decadem Æonum : *Latitudo autem unius* (28) *et dimidii cubiti erat uniuscujusque columnæ* [60], non jam exponunt, neque numerum omnium columnarum, neque serarum earum, quoniam non communicat argumento eorum [61]. Quid autem oleum unctionis, quod omne tabernaculum sanctificavit ?

Ibid. 31. [57] Exod. xxvi, 1. [58] Ibid. 7. [59] Ibid. 2.

C (21) *Baruch*. Ita vetus Feuard, cod. Clarom., Voss. et Grab.; cæteri perperam, *Barneth*. Porro Baruch, *benedictus*, Dei cognomen esse nemo nescit.

(22) *Duas et dimidiam habet litteras*. Sic enim Baruch Hebraice scribitur, ברך, ubi Kaph finale pro dimidia duntaxat littera ab Irenæo computatur, quod extrema ejus parte non retorta, uti retorqueri solet cum vocem non terminat, velut imperfectum maneat.

(23) *Per quam*. In Græco scriptum fuisse haud dubito δι' ἣν, quod vertendum erat, *propter quam*.

(24) *Per quem*. In Eras., Gall., Clarom. et om. Anglic. *per quam*, nec male si ad arcam referatur.

D (25) *Septem quidem habens calamiscos*. Καλαμίσκος, inquit Feuard., significat, præter alia, parvulam arundinem, et fistulam : et quia harum formam habebant tres cannæ illæ ex candelabri Mosaici medio stipite utrinque prodeuntes, hic Græca voce καλαμίσκους eas appellat. Sic ille. Sed cum sex calamiscos duntaxat Moses referat Exod. xxv, 32 et 33, septem vero memoret Irenæus, necesse est hic inter calamiscos annumeraverit supremam et extremam candelabri stipitis partem, quæ et ipsa desinebat in scyphum, sphærulamque, ac lilium. Et hinc septifidum passim appellatur candelabrum.

(26) *Facta fuissent*. Sic Clarom. et Anglic., cæteri *factum fuisset*.

(27) *Atria*. Græcam vocem αὐλαίας hic et paulo post vertere debuisset interpres cum Vulgata *cortinas*, sive *vela*.

(28) *Latitudo autem unius*, etc. Ita versio LXX, Exodi xxvi, 16, πήχεως ἑνὸς καὶ ἡμίσους τὸ πλάτος τοῦ στύλου τοῦ ἑνός. At in Hebræo textu et Latina Vulgata, aliisque versionibus, de *tabulis*, non *columnis* hæc dicuntur.

Digitized by Google

Fortasse latuit Salvatorem, aut dormiente Matre eorum Demiurgus a semetipso de pondere (29) præcepit : unde et dissonat ad Pleroma eorum, Smyrnæ (30) quidem habens siclos quingentos : Ireos (31) D, cinnamomi CCL, calamisci (32) CCL, et super hæc oleum, ita ut ex quinque commistionibus subsistat [42-48]. Et incensum autem similiter de stacte, et ungula (33), et galbano, et hedyosmo (34), et thure, quæ in nullo communicare possunt, neque commistionibus, neque pondere, argumento eorum [49]. Irrationabile est ergo et omnino rusticanum, in sublimibus quidem et elegantioribus legis non servatos esse typos; in cæteris autem, sicubi aliquis numerus concurrit cum his quæ ipsi dicunt, typos esse asseverare (35) eorum, quæ sunt in Pleromate, cum omnis numerus multifarie in Scripturis (36) sit positus : ita ut possit qui velit, non solum octonationem, et decadem, et duodecada, sed quemlibet ex Scripturis constituere numerum, et hunc typum esse commentati a se erroris.

4. [50] Quia autem hoc verum est, numerus iste, qui quinque dicitur, in nullo communicans argumento eorum, nec concurrens figmento eorum, nec conveniens eis ad typicam eorum, quæ sunt in Pleromate, demonstrationem (37), ex Scripturis sic suscipiet probationem. Soter nomen quinque litterarum, et Pater autem habet quinque litteras; sed et Agape nomen (38) sunt litteræ quinque, et Dominus noster panes quinque benedicens, satiavit hominum quinque millia [51]; sapientes virgines a Domino sunt quinque dictæ, et stultæ similiter quinque [52]. Iterum quinque viri cum Domino fuisse dicuntur [53], quando testimonio Patris occurrit, scilicet Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Moyses, et Helias; quintus autem ingressus Dominus ad mortuam puellam, suscitavit eam : *Nullum enim*, inquit [54], *permisit intrare, nisi Petrum, et Jacobum, et patrem et matrem puellæ*. Ille dives apud inferos ait habere se quinque fratres, ad quos unum ire rogat ex mortuis resurgentem [55]. Natatoria piscina quinque habebat porticus, unde Dominus paralyticum sanum in suam domum ire præcepit [56]. Et ipse habitus crucis, fines et summitates **152** habet quinque (39), duos in longitudine, et duos in

[42-48] Exod. xxx, 23 seqq. [49] Ibid. 34 seqq. [50] Cap. XLII. [51] Matth. xiv, 19 et 21. [52] Matth. xxv, 2. [53] Matth. xvii, 1 et 3. [54] Luc. viii, 51. [55] Luc. xvi, 28. [56] Joan. v, 2.

(29) *De pondere*. Ita Clarom., Arund., Merc. 2, et Grab.; cæteri perperam, *dependere*, aut *deponere*.

(30) *Smyrnæ*. Gr. σμύρνης, *myrrhæ*.

(31) *Ireos*. Gr. ἴρεως, in genitivo; quod vulgatus Bibliorum interpres vertit, *casiæ*. Sed de his et sequentibus aromatibus consule sis Bibliorum interpretes; hæc enim explicare nostri non est instituti.

(32) *Calamisci*. Calami odori genus est.

(33) *Ungula*. Gr. ὄνυχος. *Onycha* vertit vulgatus Bibliorum interpres. Quoddam aromatis genus esse constat; sed quid sit, non liquet.

(34) *Hedyosmo*. Ἡδύοσμον herbam odoram esse, quæ mentha Latinis dicitur, nemo nescit. Sed hic lapsus videtur Irenæus, pro Χαλβάνην ἡδυσμοῦ, *Galbanum boni odoris*, uti nunc legitur Exodi xxx, 34, tum in LXX, tum in Vulgata, legens Χαλβάνην, ἡδύοσμον : sicque sacrum thymiama, perinde ut sacrum oleum, *ex quinque commistionibus subsistere* arbitratus est; cum tamen loco Exodi citato quatuor duntaxat aromatici gummi species recenseantur, quibuscum *mentha* nihil affine habet.

(35) *Asseverare*. Sic omnes edit., at mss. Clarom. et 4 Anglic. *asseverunt*.

(36) *In Scripturis*. Ita Clarom., Voss. et edit. Oxon. In cæteris deest *in*.

(37) *Demonstrationem*. Ante hanc vocem in editt. Eras., Gall. et Feuard. legitur *demonstrata;* sed hanc non agnoscunt mss. Clarom., Arund. et Voss.

(38) *Sed et Agape nomen*. *Nomen* auctoritate cod. Voss. expunxit Grab. quia, inquit, sequitur pluralis *sunt*. Sed non attendit vir doctus, *sunt* referri ad *litteræ*, non ad *nomen*. At in Clarom. paulo aliter habetur : *Sed non et Agape sunt litteræ quinque;* nec male, si interrogative accipiatur.

(39) *Habitus crucis fines et summitates habet quinque*, etc. Hæc a Justino Martyre mutuatus fuisse videtur Irenæus. Ille enim in Dialogo *cum Tryphone* n. 91, de cruce ita disserit : Μονοκέρωτος κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος, ἢ σχήματος ἔχοι ἂν τις εἰπεῖν, καὶ ἀποδεῖξαι, εἰ μὴ τοῦ τύπου, ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. Ὀρθιον γὰρ τὸ ἐν ἐστι ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηρμένον ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἐκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται καὶ τὸ ἐν μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστιν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, καὶ βλέπεται ὡς κέρας καὶ αὐτό, σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι, συνεσχηματισμένον, καὶ πεπηγμένον. *Per Monoceratis cornua nemo dicere, aut ostendere potest rem aliam, seu figuram referri, nisi eam quæ crucis speciem adumbrat. Hujus enim lignum unum arrectarium est, cujus pars summa tanquam cornu eminet : cum alterum lignum* (transversarium cognominatur) *aptatum est, hujus extremitates instar cornuum alteri cornu junctorum proeminentes utrinque videntur. Illud vero quod in medio defixum est, et ipsum tanquam cornu eminet, quo innixi sustinentur, qui crucifiguntur, et apparet veluti cornu illud quoque cum aliis cornibus conformatum atque compactum.* Quamvis autem Justinus quatuor duntaxat crucis *fines*, seu cornua memoret, Irenæus vero quinque, alter tamen ab altero non differt. Nam ille ad crucis extremitates quæ eminent seu apparent, attendit; arrectarii proinde extremitatem infimam terra defossam silentio prætermittit : hic omnes extremitates, illam etiam quæ in terram defigitur, sibi commemorandas putavit, ut numerum quinarium expleret. De quatuor quidem extremitatibus sive cornibus, quæ ex utroque ligno, arrectario scilicet et transversario exsurgunt, omnibus constat; sed de quinta non item. Alii de suppedaneo, sive asserculo, seu tabula, cui innixi simul et fixi pedes, interpretantur. Imo Scaliger in animadversionibus Eusebianis, non suppedaneum modo, sed et lignum quoddam medio stipiti impactum, cui insideret et velut inequitaret is qui cruci affigebatur, ex Justini et Irenæi verbis eruere se posse putat. Reclamant alii. Ac de suppedaneo quidem scripsit Justus Lipsius lib. II *De cruce*, cap. 10, *nimis accuratam eum fabricam, imo delicatum videri*. De pegmate vero medio stipiti infixo scribit Fullenus lib. IV *Miscellan. sacr.*, cap. 12, imaginarium esse Scaligeri inventum, quod nullius, nisi forte Japonensium, testimonio confirmari queat. Legesis utrumque.

Digitized by Google

latitudine, et unum in medio, in quo (40) requiescit qui clavis affigitur. Unaquæque manus nostra digitos quinque habet; sed et sensus habemus quinque : et quæ in nostris sunt visceribus, in quinque possunt numerari, cor, et hepar, pulmones, splen et renes. Adhuc etiam totus homo in hunc numerum potest dividi, caput, pectus, venter, femora, pedes. Quinque ætates transit humanum genus : primum infans, deinde puer, deinde parvulus, et post hoc juvenis, sic deinde senior. In quinque libris legem populo Moyses tradidit. Unaquæque tabula, quam accepit a Deo, præcepta habebat quinque (41). Velamen sanctum sanctorum cooperiens columnas habebat quinque [61] (42). Et holocausti altare, altitudo ejus (43) erat quinque cubitorum [62]. Sacerdotes in eremo electi sunt quinque, scilicet Aaron, Nadab, Abiud, Eleazar et Ithamar [63]. Talaris, et Logium (44), et reliqua sacerdotalis compositio de quinque contexta sunt; habebant enim aurum, et hyacinthum, et purpuram, et coccinum, et byssum [64]. Et quinque reges Amorrhæorum in speluncis concludens Jesus Nave, capita eorum inculcari dedit populo [65]. Et alia quoque multa millia (45) hujusmodi, et in hoc numero, et in quo quis voluerit, sive ex Scripturis, sive ex subjacentibus naturæ operibus colligere potest : et non jam ob hoc quinque Æonas esse dicimus super Demiurgum, nec quinionem, quasi ut divinam rem aliquam, consecramus, nec instabilia, nec deliramenta per vanum istum laborem confirmare tentamus, neque creaturam bene aptatam a Deo cogimus male in typos non exsistentium transferri, et impia et nefaria dogmata introducere, cum detectio et eversio ab omnibus sensum habentibus possit exsistere.

5. Quis enim concedat eis CCCLXV tantum dies habere annum, ut sint duodecim menses triginta diebus, in typum duodecim Æonum, dissimili et typo exsistente? Illic enim unusquisque Æonum tricesima pars est universi Pleromatis, mensis autem duodecima pars anni ab ipsis esse dicitur. Si quidem annus in trigiata divideretur, et mensis in duodecim (46), conveniens putaretur typus esse mendacio eorum. Nunc autem in contrarium (47). Pleroma quidem eorum in triginta dividitur, pars autem ejus aliqua in duodecim : hic autem omnis quidem annus in duodecim dividitur partes (48), pars autem ejus aliqua in triginta. Insulse itaque Salvator mensem quidem universi Pleromatis typum fecit fieri, annum autem ejus, quæ in Pleromate est, duodecadis; magis enim conveniebat annum quidem in triginta dividere, sicut et totum Pleroma; mensem autem in duodecim, sicut et sunt in Pleromate eorum Æones. Et illi quidem omne Pleroma in tres dividunt, id est, in octonationem, et decadem, et duodecadem : hic autem annus in quatuor dividitur, id est, vernum, æstatem, autumnum et hiemem. Sed neque menses, quos dicunt typum esse tricenarii, præfinitive triginta habent dies, sed alii quidem plures, alii autem minus, eo quod quinque dies superponantur eis. Et dies autem non semper præfinitas duodecim habet horas, sed a novem usque ad XV ascendit, et iterum a XV in novem (49) descendit. Non jam propter triginta Æonas facti sunt menses triginta dierum; alioquin haberent præfinitas tricenarias dies : neque iterum dies horum (50), ut duodecim Æonas per duodecim horas figurarent : habebant enim et ipsi præfinitas semper (51) duodecim horas.

[61] Exod. XXVI, 37. [62] Exod. XXVII et XXXVIII, 1. [63] Exod. XXVIII, 1. [64] Ibid. 5. [65] Josue X, 17 seqq.

(40) *In quo.* Alii, *ubi*

(41) *Præcepta habebat quinque.* Non una est omnium de divisione præceptorum sententia. Josephus lib. III *Antiquit. Judaic.* cap. 6, et Philo Judæus in libro *De Decalogo*, perinde atque Irenæus, quinque in unaquaque tabula scripta fuisse putant; nisi quod Philo præceptum de honorandis parentibus, duarum tabularum quoddam vinculum et connexionem esse arbitratur. Alii tria duntaxat in priori, septem in posteriori tabula collocant. Alii communibus quatuor priora mandata, quibus Dei cultus explicatur, priori tabulæ ascribunt; sex alia, quibus proximi dilectio jubetur, posteriori. De his lege Origenem, hom. 8, in cap. XX Exodi, Clement. Alexandr. lib. VI *Strom.*, Augustinum lib. *Quæst. super Exod.*, cap. 71, et alios.

(42) *Columnas habebat quinque.* Confundit Irenæus velum, quod in introitu tabernaculi positum erat, cum eo quod Sanctum sanctorum claudebat; illud enim ante columnas quinque, hoc ante quatuor duntaxat ducebatur, ut constat ex Exodi XXVI, 32 et 37.

(43) *Altitudo ejus.* In Clarom. et Voss. deest *ejus.* Sed nisi pro *altitudo* legendum sit *latitudo*, memoria lapsus tribuit Irenæus altitudini, quæ longitudini et latitudini ascribenda erant. Nam Exodi XXVII, 1, legitur : *Facies et altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine.*

(44) *Logium.* Rationale dicit Vulgata nostra.

(45) *Multa millia.* In Voss. deest *millia.*

(46) *Et mensis in duodecim.* Clarom. *et mensis* X *in* XII; uterque numerus forte retinendus, et legendum, *mensis in* X *et* XII.

(47) *In contrarium. Est* quod post hæc in editt. exstabat, colon claudens, delevit Grabius auctoritate cod. Vossii, adeo ut jam textus continuo procedat.

(48) *In duodecim dividitur partes* Ex præcedentibus et sequentibus evidenter patet ita legendum esse, non vero, *in duas dividitur partes*, ut perperam oscitantia scribarum legitur in omnibus exemplaribus.

(49) *Sed a novem usque ad* XV... *a* XV *usque in novem.* Sic malui cum Clarom. compendio scribere, quam cum aliis codd. vel, *a nona usque ad quindecimam... a quindecima usque ad novem;* vel, *a novem usque ad quindecimam... a quindecima usque ad novem.* Consentit cod. Voss. nisi quod pro XV, bis scriptus sit numerus XII, male ortus ex simili figura XV.

(50) *Neque iterum dies horum.* Vel subintellige, *figura facti sunt*, seu *horum causa facti sunt;* vel lege : *neque iterum dies horarum duodecim.*

(51) *Haberent enim et ipsi præfinitas semper.* In Clarom. et Arund. consentiunt quoad vocem *præfinitas* Voss. et Merc. 1. Sed in Feuard. editt. perperam exstat : *haberent ipsi enim præfiguratas semper;* et eodem modo in Eras. et Gall. nisi quod

Digitized by Google

6. Adhuc autem materialia sinistram (52) vocantes, et ex necessitate quæ sunt sinistræ, in corruptionem cedere dicentes, et Salvatorem venisse ad ovem perditam, ut eam transferat ad dextram (53), id est ad illas quæ sunt salutis (54) nonaginta et novem oves, quæ non perierunt, sed in ovili permanserunt : sinistræ manus exsistentes **153** levamen (55), non esse salutis, consentire eos necesse est. Et hoc quod non similiter eumdem numerum habet, cogentur sinistræ, id est corruptionis confiteri : et hoc nomen quod Græce dicitur *Agape*, secundum Græcorum litteras, per quas apud eos supputatio signatur, nonaginta et tres numerum habens, similiter sinistræ manus levamen est : et Alethia quoque similiter, secundum supradictam rationem, sexaginta quatuor numerum habens, in parte materialium subsistit : et omnia omnino quæcunque sanctorum nomina non adimplent numerum centum, sed sinistræ tantum habent numeros, corruptibilia et materialia esse confiteri cogentur.

CAPUT XXV [66].

Solvit objectionem, et ostendit Deum non esse ad litteras, syllabas et numeros exigendum, sed numeros, et ea quæ facta sunt, regula veritatis pensari debere. Omnia ex uno et eodem Deo esse, nec curiosius investiganda quæ mentis humanæ, Deo longe inferioris, captum superant.

1. Si quis autem ad hæc dixerit : Quid ergo? in vanum est (56), et ut provenit et nominum positiones (57) sunt, et apostolorum electio, et Domini operatio, et eorum quæ facta sunt compositio? Dicemus eis : Non quidem; sed magna sapientia, et diligentia ad liquidum apta et ornata omnia a Deo facta sunt, et antiqua, et quæcunque in novissimis temporibus Verbum ejus operatum est; et debent ea, non numero XXX (58), sed subjacenti copulare argumento, sive rationi : neque de Deo inquisitionem ex numeris, et syllabis, et litteris accipere (infirmum est enim hoc propter multifarium et varium eorum, et quod possit omne argumentum (59) hodie æque commentatum (60) ab aliquo, contraria veritati ex ipsis sumere testimonia, eo quod in multa transferri possint); sed ipsos numeros, et ea quæ facta sunt aptare debent subjacenti veritatis argumento. Non enim regula ex numeris, sed numeri ex regula : nec Deus ex factis, sed ea quæ facta sunt, ex Deo. Omnia enim ex uno et eodem Deo.

2. Quia autem varia et multa sunt, quæ facta sunt; et ad omnem quidem facturam bene aptata, et bene consonantia (61); quantum autem spectat ad unumquodque eorum, sunt sibi invicem contraria et non convenientia : sicut citharæ sonus per uniuscujusque distantiam (62) consonantem unam melodiam operatur, ex multis et contrariis sonis subsistens. Debet ergo amator veri non traduci distantia uniuscujusque soni, nec alium quidem hujus, alium autem illius artificem suspicari et factorem : neque alium quidem acutiores, alium autem vastiores, alium vero mediocres (63) aptasse;

[66] Cap. XLIII.

omittunt vocem, *semper*, quæ tamen in omnibus mss. legitur.

(52) *Sinistram.* In Feuard. edit. Colon. (nam Paris. 1576, recte habet) legitur, *sinistra*; sed contra mss. omnium fidem.

(53) *Dextram.* Feuard. *dextra.*

(54) *Salutis.* Ita Clarom., Arund., Voss. et Grab., melius quam alii, *salvæ*, quia statim iterum sequitur : *non esse salutis.*

(55) *Sinistræ manus... levamen.* Quid sit *sinistræ manus levamen*, obscurum est. Nec hic levamen affert doctissimi Grabii conjectura, *levamen* a verbo *levare*, id est *furari*, *furto*, *abducere*, derivantis; quid enim furto cum hoc Irenæi loco conveniat, nemo facile dixerit. Vocis illius significatio non adeo procul petenda erat. *Levamen* hic dicitur a verbo *levare*, quod est *attollere*, *erigere* : ac proinde *sinistræ manus levamen* nihil aliud est quam sinistræ manus elevatio, seu sinistra manus levata. Quod quid ad rem faciat, jam perspicuum est. Cum enim veteres læva manu certo quodam modo levata ac disposita numeros omnes infra centenarium, hunc vero ac superiores dextra indicarent; hæretici autem fugiendum sibi censerent *per agnitionem* XCIX *locum*, *hoc est deminorationem*, *typum sinistræ manus*, ut ipsimet lib. I, cap. 16, n. 2, fatentur; istos propriis telis configens Irenæus, concludit oves nonaginta novem *non esse salutis*, id est non in censu dextrorum, seu corruptionis expertium, sed potius sinistrorum, seu materialium, ac corruptelæ obnoxiorum esse reponendas. Non enim dextra, sed sinistra manu computabantur, utpote quæ numerum centenarium non attingerent. Idque confirmatur ex iis quæ subdit paulo post : *Omnia omnino quæcunque sanctorum nomina non adimplent numerum centum, sed sinistræ tantum habent numeros, corruptibilia et materialia esse.* Itaque *sinistræ manus levamen esse*, nihil aliud est quam *non adimplere numerum centum*; *sed sinistræ tantum habere numeros*, inferiores videlicet centenario, ac proinde ex necessitate in corruptionem cedere. Vide quæ observavimus ad lib. I, cap. 16, n. 2.

(56) *In vanum est.* Editt. *an vanum est.*

(57) *Et nominum positiones.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab., nisi quod hic omisit particulam, *etc.* Reliqui perperam, *et omnium positiones.*

(58) *Numero* XXX. Omnes quidem codd. habent *numero* XX. Sed legendum esse *numero* XXX, seu *tricenario* constat. Ad hunc enim numerum non ad XX aptata esse omnia a Deo volebant hæretici, ut ex hactenus dictis patet.

(59) *Omne argumentum.* Ita Clarom. et Arund., alii perperam, *esse argumentum.*

(60) *Hodie æque commentatum.* Sic Ottob. cod. cum editt. Eras., Gall. et Feuard.; mss. vero Clarom. et Arund. *hodieque commentatum*, quam lectionem secutus est Grabius. Sed prior magis arridet, et Irenæi menti magis consonat. *Æque* hic accipitur pro *similiter*, *ex æquo.*

(61) *Et ad omnem quidem facturam bene aptata et bene consonantia.* Ita cod. Clarom. cui consentit et Voss. nisi quod omittit *et* ante *ad omnem*, et *bene* ante *consonantia.* Consentiunt etiam ex parte Mere. 2 codd. quorum alter habet *omnem*, ambo autem *facturam* et *consonantia.* In editt. vero Eras., Gall. et Feuard. legitur : *Et omnis quidem factura bene aptata et bene consonans;* quæ quidem lectio licet non improbanda sit, prior tamen melior esse videtur, et iis quæ sequuntur accommodatior.

(62) *Distantiam.* Clarom. *substantiam.*

(63) *Mediocres.* Ita Feuard. in marg. Clarom. et

Digitized by Google

sed unum et ipsum ad totius operis et sapientiæ demonstrationem, et justitiæ, et bonitatis, et muneris (64). Hi vero qui audiunt melodiam, debent laudare et glorificare artificem, et aliorum quidem extensionem mirari, aliorum autem laxamentum intendere, aliorum vero inter utrumque (65) temperamentum exaudire, aliorum autem typum considerare, et ad quid unumquodque referat, et eorum causam inquirere; nusquam transferentes regulam, neque errantes ab artifice, neque abjicientes fidem, quæ est in unum Deum, qui fecit omnia, neque blasphemantes nostrum conditorem.

3. Si autem et aliquis non invenerit causam omnium quæ requiruntur, cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, et qui ex parte acceperit gratiam, et qui nondum æqualis, vel similis sit factori, et qui omnium (66) experientiam et cogitationem habere non possit, ut Deus; sed in quantum minor est ab eo, qui factus non est, et qui semper idem est, ille qui hodie factus est, et initium facturæ accepit; in tantum secundum scientiam, et ad investigandum causas omnium, minorem esse eo qui fecit. Non enim infectus es, o homo, neque semper coexsistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum; sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit.

4. Ordinem ergo serva tuæ scientiæ, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum; [47] non enim transibilis est: neque super Demiurgum requiras quid sit; non enim invenies. Indeterminabilis est enim artifex tuus: neque tanquam hunc totum mensus sis, et tanquam qui per omnem ejus fabricam veneris, et omne, quod est in eo profundum, et altitudinem, et longitudinem consideraveris, super ipsum alium excogites Patrem. Non enim excogitabis, sed contra naturam sentiens, eris insipiens; et si in hoc perseveraveris, incides in insaniam, sublimiorem teipsum melioremque factore tuo existimans, et quod pertranseas regna ejus.

154 CAPUT XXVI [48].

Imperitos et idiotas Deum sincere diligentes præferendos esse iis qui inflati sunt vanæ scientiæ persuasione. A curiosis ac supérfluis quæstionibus temperandum.

1. Ἄμεινον (67) καὶ συμφερώτερον, ἰδιώτας καὶ ὀλιγομαθεῖς (68) ὑπάρχειν, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης πλησίον γενέσθαι τοῦ Θεοῦ, ἢ πολυμαθεῖς καὶ ἐμπείρους δοκοῦντας εἶναι, βλασφήμους εἰς τὸν ἑαυτῶν εὑρίσκεσθαι Δεσπότην.

1. Melius est ergo et utilius, idiotas et parum scientes exsistere, et per charitatem proximum fieri Deo quam putare multum scire, et multa expertos in suum Deum (69) blasphemos inveniri, alterum Deum Patrem fabricantes. Et ideo

Paulus clamavit (70): *Scientia inflat, charitas autem ædificat* [49]; non quia (71) veram scientiam de Deo culparet, alioquin seipsum primum accusaret; sed quia sciebat quosdam sub occasione (72) scientiæ elatos excidere a dilectione Dei, et ob hoc opinari seipsos esse perfectos, imperfectum autem Demiurgum introducentes, abscidens eorum ob hujusmodi scientiam supercilium (73), ait: *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Major autem hac non est alia inflatio, quam ut opinetur quis se meliorem et perfectiorem esse eo, qui fecerit, et plasmaverit, et spiramen vitæ dederit, et hoc ipsum esse præstiterit (74). Melius itaque est, sicuti prædixi, nihil omnino scientem quempiam, ne quidem unam causam cujuslibet eorum quæ facta sunt, cur factum sit, credere Deo, et perseverare eos in dilectione (75), aut per hujusmodi scientiam inflatos excidere a dilectione (76), quæ hominem vivificat: nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, aut per (77) quæstionum subtilitates et minutiloquium (78) in impietatem cadere.

2. Quid enim si per (79) hos conatus paululum quis elatus, eo quod Dominus dixerit, quia *et capilli capitis vestri omnes numerati sunt* [50], curiose inquirere voluerit numerum uniuscujusque capitis

[47] Cap. XLIV. [48] Cap. XLV. [49] I Cor. VIII, 1. [50] Matth. X, 30.

Voss. melius quam alii *varietates*. Hic enim Irenæus indicare voluit sonos inter *acutiores* et *vastiores* medios, ut patet ex sequentibus.

(64) *Muneris*. Al. corrupte, *numeris*.

(65) *Inter utrumque*. Eras., Gall. et Feuard. vitiose, *intra utrumque*.

(66) *Qui omnium*. Feuard. *quia omnium*, recte quidem si legeretur ea particula ante *nondum*, et ante *ex parte*.

(67) Ἄμεινον, etc. Græca hæc Irenæi verba excerpta sunt ex *Parallelis*, quæ ex codice Rupefulcadino in lucem edidit Halloixius in *Vita Irenæi* cap. 15. Eadem etiam leguntur in Vaticano codice littera λ, tit. ι, Περὶ λογομαχούντων.

(68) Ὀλιγομαθεῖς. Halloixius edidit ἀμαθεῖς. Sed in codice Vatic. cujus apographum per singularem R. P. Michaelis Lequien, e Dominicanorum familia, humanitatem videre mihi licuit, melius legitur ὀλιγομαθεῖς.

(69) *Deum*. Græc. Δεσπότην, *Dominum*.

(70) *Clamavit*. Al. *clamabat*.

(71) *Non quia*. Al. *non qui*.

(72) *Occasione*. Id est prætexta, Græce προφάσει.

(73) *Ob hujusmodi scientiam supercilium*. Ita ex Clarom. et Arund. reposui. Ex parte consentiunt Merc. 2 et Ottobon., in iis enim legitur *scientiam*, licet desit particula *ob*. Cæteri minus bene, *hujusmodi scientiæ supercilium*.

(74) *Præstiterit*. Sic pro *præceperit* bene restituit Feuard. ex vet. cod. cui consentit Clarom. In Voss. autem neutrum comparet.

(75) *Eos in dilectione*. Sic mss. omnes. In Eras., Gall. et Feuard. *in ejus dilectione*.

(76) *Aut per... a dilectione*. Octo has voces hactenus in editt. omissas, ex codd. Arund. et Voss. restituit Grab.; leguntur et in Clarom. Cæterum particulam Græcam ἤ male reddidit interpres, *aut*; vertere debuisset, *quam*.

(77) *Aut per*. Sic iterum omnes mss. *quam per*. *Aut* et hic pro *quam*.

(78) *Minutiloquium*. Alii *multiloquium*.

(79) *Si per*. Ita Clarom., Arund., Merc. 2 et editt.

Digitized by Google

capillorum, et causam exquirere per quam hic quidem tantos, ille autem tantos capillos habeat, non omnibus ex æquo habentibus, sed multis millibus super millia aliis atque aliis numeris inventis, eo quod alii quidem majora, alii autem minora habeant capita; et alii quidem spissos capillos semper, alii autem raros, alii vero et omnino paucos capillos habeant; et hi, qui putant se numerum invenisse capillorum, tentent referre ad testimonium suæ sectæ, quam excogitaverunt? Aut iterum si quis ob hoc quod dictum sit in Evangelio : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex his non cadet super terram sine Patris vestri voluntate* [81] (80)? enumerare voluerit captos ubique quotidie passeres, sive in unaquaque regione, et causam requirere ob quam heri quidem tantos, ac pridem tantos (81), hodie autem iterum tanti sint qui capti sunt; et adnectat passerum numerum ad suum argumentum : nonne seipsum seducit omnino, et eos, qui ei acquiescunt, in magnam insaniam cogit, semper promptis hominibus, ut in talibus amplius quid quam magistri eorum putentur invenisse?

3. Quid autem si quis interroget nos, si (82) omnis numerus omnium quæ sunt facta, et quæ fiunt, scitur a Deo, et si secundum illius providentiam unusquisque eorum eam, quæ secundum se est, accepit quantitatem : nobisque consentientibus et confitentibus, quia nihil omnino horum quæ facta sunt, et quæ fiunt, et fient (83) scientiam Dei fugit (84), sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere et accepisse propriam, et nihil omnino neque vane, nec ut provenit factum aut fieri, sed cum magna aptatione et conscientia (85) sublimi, et esse admirabilem rationem, et vere divinam quæ possit hujusmodi et discernere, et causas proprias enuntiare : accipiens a nobis hujusmodi testimonium et consensum, pergat ad hoc (86), ut et arenam enumeret, et calculos terræ, sed et fluctus maris, et stellas cœli, et causas excogitare numeri qui putatur inventus : nonne in vanum laborans, et delirus hic 155 talis, et irrationabilis ab omnibus, qui sensum habent, juste dicetur? Et quo magis præter cæteros (87) in hujusmodi quæstionibus occupatur, et quo plus aliis adinvenire se existimat, reliquos imperitos, et idiotas, et animales vocans, eo quod non suscipiant ejus tam vanum laborem; hoc magis est insanus et stupidus, tanquam fulmine percussus (88), in nullo cedens Deo; sed per scientiam quam invenisse se putat, ipsum mutat Deum, et jaculatur sententiam suam super magnitudinem factoris.

[81] Matth. x, 29. [82] Cap. XLVI.

CAPUT XXVII [83].

Ex parabolis, quibus multiplex potest subesse sensus, obscura explicanda non esse, sed ex iis quæ clare et aperte posita sunt in Scripturis.

1. Ὁ ὑγιὴς νοῦς (89), καὶ ἀκίνδυνος, καὶ εὐλαβὴς, καὶ φιλαληθὴς, ὅσα ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων ἐξουσίᾳ δέδωκεν ὁ Θεὸς, καὶ ὑποτέταχε τῇ ἡμετέρᾳ γνώσει, ταῦτα προθύμως ἐκμελετήσει, καὶ ἐν αὐτοῖς προκόψει, διὰ τῆς καθημερινῆς ἀσκήσεως ῥᾳδίαν τὴν μάθησιν ἑαυτῷ ποιούμενος. Ἔστι δὲ ταῦτα, τάτε ὑπ' ὄψιν πίπτοντα τὴν ἡμετέραν, καὶ ὅσα φανερῶς καὶ ἀναμφιβόλως αὐτολέξει ἐν ταῖς θείαις Γραφαῖς λέλεκται.

1. Sensus autem sanus, et qui sine periculo est, et religiosus, et amans verum, quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostræ scientiæ, hæc prompte meditabitur, et in ipsis proficiet, diuturno studio facilem scientiam (90) eorum efficiens. Sunt autem hæc, quæ ante oculos nostros occurrunt, et quæcunque aperte et sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt (91) in Scripturis (92).

Et ideo parabolæ debent non ambiguis adaptari; sic enim et qui absolvit (93), sine periculo absolvit, et parabolæ ab omnibus similiter absolutionem accipient; et a veritate corpus (94) integrum, et simili aptatione membrorum, et sine concussione perseverat. Sed quæ non aperte dicta sunt, neque ante oculos posita, copulare absolutionibus

Eras. et Gall. in Feuard. vero et Grab. *si super*, quibus accedere videtur Voss. cod., quanquam in eo desit particula *si*.

(80) *Sine Patris vestri voluntate*. Ita legebat Irenæus in suis Nov. Testamenti codicibus, ut etiam confirmatur ex his lib. v, cap. 22, verbis : *Nolente Patre nostro, qui est in cœlis, neque passer cadet in terram*. Sic etiam legerunt Tertullianus non semel, Novatianus *De Trinit.* cap. 8; Cyprian., epist. 55, juxta Pamel. (59 Oxon.) aliique. Nec mirum : nam præter Arabicam versionem, ita habet antiqua Italica Evangelii Matthæi versio, quam publici juris fecit Martianæus noster, Paris. 1695. Attamen in hodiernis N. Testamenti codicibus vox *voluntate* prorsus deest.

(81) *Pridem tantos*. Supple, *ceperit quis*. At *pridie* in Merc. 1 cod., et Grab. legitur.

(82) *Si*. Hic et paulo post pro *utrum*, *an*.

(83) *Et fient*. Has voces a Grabio omissas restituo ex editt. Eras., Gall. et Feuard. licet desint in mss. Probabilius enim videtur Irenæum omnes temporis differentias complecti voluisse.

(84) *Se. Dei fugit*. Eras. Gall. Feuard., *Deum fugit*.

(85) *Et conscientia*. Hæc lectio, quæ est Feuard., in marg. edit. 1576, et cod. Claromont. magis placet, et in Irenæi scopum magis quadrare videtur, (eum maxime jam præcesserit *aptatione*) quam *et consonantia*, ut legitur in aliis exemplaribus.

(86) *Ad hoc*. Al. *adhuc*.

(87) *Cæteros*. Al. *hos*.

(88) *Fulmine percussus*. Videtur, ait Feuard., exprimere Græcum verbum ἐμβρόντητος. Simili quoque proverbiali voce postea utitur cap. 30.

(89) *Ὁ ὑγιὴς νοῦς*. Græca hæc Irenæi verba ex mss. Damasceni *Parallelis* edidit Halloixius.

(90) *Scientiam*. Ita Claromont., Voss. et Grab. juxta Græcum. Reliqui, *sententiam*.

(91) *Posita sunt*. In Græco λέλεκται, *dicta sunt*.

(92) *In Scripturis*. Græc. addit, *divinis*.

(93) *Absolvit*. Pro *dissolvit*, *explicat*.

(94) *A veritate corpus*. Forte legendum, *veritatis corpus*.

Digitized by Google

parabolarum (95), quas unusquisque prout vult adinvenit. Sic enim apud nullum erit regula veritatis; sed quanti fuerint, qui absolvent parabolas, tantæ videbuntur veritates pugnantes semet invicem (96), et contraria sibimet dogmata statuentes, sicut et gentilium philosophorum quæstiones.

2. Itaque secundum hanc rationem, homo quidem semper inquiret, nunquam autem inveniet, eo quod ipsam inventionis abjecerit disciplinam. Et cum venerit sponsus, is qui imparatam habet lampadem, nulla manifesti luminis claritate fulgentem [94], recurrit ad eos qui absolutiones parabolarum in tenebris distrahunt, relinquens eum qui per manifestam prædicationem gratis donat ad eum ingressum (97), et excluditur a thalamo ejus. Cum itaque universæ Scripturæ, et Prophetiæ, et Evangelia (98) in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt; unum et solum Deum (99), ad excludendos alios, prædicent omnia fecisse per Verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia, sive cœlestia, sive terrena, sive aquatilia, sive subterranea, sicut demonstravimus (1) ex ipsis Scripturarum dictionibus, et ipsa autem creatura in qua sumus, per ea quæ in aspectum veniunt, hoc ipsum testante unum esse qui eam fecerit et regat: valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos, et nolunt videre lumen prædicationis; sed constringunt semetipsos, et per tenebrosas parabolarum absolutiones unusquisque eorum proprium putat invenisse Deum. Quia enim de excogitato eorum qui contraria opinantur, Patre (2), nihil aperte (3), neque sine controversia in nulla omnino dictum sit Scriptura; et ipsi testantur dicentes in absconso hæc eadem Salvatorem docuisse non omnes, sed aliquos discipulorum, qui possunt capere, et per argumenta, et ænigmata, et parabolas ab eo significata intelligentibus. Veniunt autem ad hoc, ut dicant alium quidem esse qui prædicatur Deus, et alium Patrem, qui per parabolas et ænigmata significatur Pater.

3. Quia autem parabolæ possunt multas recipere absolutiones, ex ipsis de inquisitione Dei affirmare, relinquentes quod certum, et indubitatum, et verum est, valde præcipitantium se in periculum, et irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur? Et nunquid hoc est non in petra firma, et valida, et in aperto posita ædificare suam domum, sed in incertum effusæ arenæ [95]? Unde et facilis est eversio hujusmodi ædificationis.

156 CAPUT XXVIII [96].

Sic inquirenda esse Dei mysteria, ut a regula veritatis et a vera de Deo scientia nunquam deflectamus. Scripturis sacris adhibendam esse fidem, nec plura a nobis temere investiganda, quæ Deo committi debent, ac mentis nostræ limites excedunt. Et hoc esse vitium hæreticorum, quod nihil Deo reservent, sed temere omnia scrutentur. Hinc in tam portentosos errores lapsos eos esse demonstrat.

1. Habentes itaque regulam ipsam veritatem, et in aperto (4) positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum (5) declinantes in alias atque alias absolutiones ejicere firmam et veram de Deo scientiam; magis autem absolutionem quæstionum in hunc characterem dirigentes, exerceri quidem convenit per inquisitionem mysterii et dispositionis exsistentis Dei; augeri autem in charitate ejus, qui tanta propter nos fecit et facit, nunquam autem excidere ab ea suasione, qua manifestissime prædicatur, quia hic solus vere sit Deus et Pater, qui et hunc mundum fecit, et hominem plasmavit, et in sua creatura donavit incrementum, et de minoribus suis ad majora, quæ apud ipsum sunt, vocans, sicut infantem quidem in vulva conceptum educit in lumen solis, et triticum, posteaquam in stipula corroboraverit, condit in horreum. Unus autem et idem Demiurgus, qui et vulvam plasmavit, et solem creavit; et unus et idem Dominus, qui et stipulam eduxit, et triticum augens multiplicavit, et horreum præparavit.

2. Si autem omnium, quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire, alterum tamen Deum, præter eum qui est, non requiramus. Impietas enim hæc maxima est. Cedere (6) autem hæc talia debemus Deo, qui et nos fecit, re-

[94] Matth. xxv, 6. [95] Matth. vii, 25. [96] Cap. XLVII.

(95) *Copulare absolutionibus parabolarum.* Recte monet Billius, lib. I *Observat. sacr.*, cap. 3, subintelligendum esse, *stultum est*, vel quidpiam simile.

(96) *Tantæ videbuntur veritates pugnantes semet invicem.* Ita vetus Feuard. cod. Clarom. et Voss. In editt. *tantæ videbuntur et veritates oppugnantes se invicem.*

(97) *Ad eum ingressum.* In Eras. et Gall., *ab eo petit ingressum*; in Feuard., *ad eum petit ingressum.*

(98) *Et Prophetiæ et Evangelia.* Hæc lectio, quæ est cod. Clarom., magis placet quam *et propheticæ et evangelicæ*, ut habetur in aliis exemplaribus.

(99) *In aperto... unum et solum Deum.* Legendum videtur vel *quæ in aperto*, vel *atque unum et solum Deum.*

(1) *Demonstravimus.* Clarom. et Voss. *demonstrabimus.* Quidvis legatur parum refert. Si prius, respicit lib. I, cap. 22, et lib. II, cap. 2; si posterius, respicit lib. III, cap. 8.

(2) *De excogitato.... Patre.* Ita Clarom. et Voss.; cæteri vel *de cogitatione..., de Patre*, vel *de excogitatione... de Patre.* Priorem autem lectionem confirmant quæ supra cap. 10 leguntur: *Quoniam enim nihil manifeste dictum est de eo, et ipsi testimonium perhibent*, etc.

(3) *Nihil aperte.* Addunt editi cum mss. Arund. et Merc. 2, *neque ipsa dictione*, quæ auctoritate veteris Feuard., cod. Clarom. et Voss. expunxi.

(4) *In aperto.* Al. minus bene, *in apertum.*

(5) *Per quæstionum*, etc. *Ambiguitatem* aut aliquid ejusmodi addi vult Billius, sed frustra. Sic enim ordinanda constructio: *Per quæstionum absolutiones declinantes in alias atque alias.*

(6) *Cedere.* Ita Feuard. in marg. Clarom., Voss. et Grab. Reliqui male, *credere.* Nec enim hic agit Irenæus de iis præcise quæ sub fidem cadunt, sed de iis quæ scientiam nostram prorsus fugiunt, ut paulo post loquitur; quæque proinde, *cedere debemus Deo*, ipsique *committere* ac *commendare*, ut mox subnectit, utpote qui *minores simus et notissimi a Verbo*

Digitized by Google

etiosissime scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ; nos autem secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum ejus indigemus. Et non est mirum si in spiritalibus, et cœlestibus, et in his quæ habent revelari, hoc patimur nos (7) : quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt (dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ et contrectantur (8) a nobis, et videntur, et sunt nobiscum), multa fugerunt nostram scientiam, et Deo hæc ipsa committimus. Oportet enim eum præ omnibus præcellere. Quid enim si tentemus exponere causam ascensionis Nili? Multa quidem dicimus, et fortassis suasoria, fortassis autem non suasoria : quod autem verum est, et certum, et firmum, adjacet Deo. Sed et volatilium animalium habitatio, eorum quæ veris tempore adveniunt ad nos, autumni autem tempore statim recedunt, cum in hoc mundo hoc ipsum fiat, fugit nostram scientiam. Quid autem possumus exponere de Oceani accessu et recessu, cum constet esse certam causam? Quidve de his quæ ultra eum sunt (9) enuntiare qualia sint? Vel quid dicere possumus, quomodo pluviæ, et coruscationes, et tonitrua, et collectiones nubium, et nebulæ, et ventorum emissiones, et similia his, efficiuntur; annuntiare quoque et thesauros nivium, et grandinis, et eorum quæ his proxima sunt : quæ hæc autem nubium præparatio (10), aut qui status nebulæ, quæ autem causa est per quam crescit luna et decrescit, aut quæ causa aquarum distantiæ (11), et metallorum, et lapidum, et his similium? In his omnibus nos quidem loquaces erimus, requirentes causas eorum; qui autem ea facit solus Deus, verilicus est.

3. Εἰ καὶ ἐπὶ (12) τῶν τῆς κτίσεως ἔνια μὲν ἀνάκειται τῷ Θεῷ, ἔνια δὲ καὶ εἰς γνῶσιν ἐλήλυθε τὴν ἡμετέραν, τί χαλεπὸν,

3. Si ergo et in rebus creaturæ quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam autem et in nostram venerunt scien-

A εἰ καὶ τῶν ἐν ταῖς Γραφαῖς ζητουμένων, ἃ ὧν τῶν Γραφῶν πνευματικῶν οὐσῶν, ἔνια μὲν ἐπιλύομεν κατὰ χάριν Θεοῦ, ἔνια δὲ ἀνακείσεται τῷ Θεῷ, καὶ οὐ μόνον αἰῶνι ἐν τῷ νυνὶ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ἵνα ἀεὶ μὲν ὁ Θεὸς διδάσκῃ, ἄνθρωπος δὲ διὰ παντὸς μανθάνῃ παρὰ Θεοῦ :

tiam; quid mali est, si et eorum, quæ in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritalibus exsistentibus, quædam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quædam autem commendamus Deo; et non solum in hoc sæculo, sed et in futuro; ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt a Deo? (13) Sicut et Apostolus **157** dixit [16], reliquis partibus (14) destructis, hæc tunc perseverare, quæ sunt, fides, spes (15) et charitas.

B Semper enim fides, quæ est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus vere Deus, et ut diligamus eum vere semper, quoniam ipse solus Pater; et speremus subinde plus aliquid accipere et discere a Deo, quia bonus est, et divitias habens indeterminabiles, et regnum sine fine, et disciplinam immensam. Si ergo secundum

Εἰ οὖν καθ' ὃν εἰρήκαμεν τρόπον, ἔνια τῶν ζητημάτων ἀναθήσωμεν τῷ Θεῷ, καὶ τὴν πίστιν ἡμῶν διαφυλάξομεν, καὶ ἀκινδύνοι διαμενοῦμεν, καὶ πᾶσα Γραφὴ δεδομένη

C ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ σύμφωνος ἡμῖν εὑρεθήσεται, καὶ αἱ παραβολαὶ τοῖς διαῤῥήδην εἰρημένοις συμφωνήσουσι, καὶ τὰ φανερῶς εἰρημένα ἐπιλύσει τὰς παραβολὰς, καὶ διὰ τῆς τῶν λέξεων πολυφωνίας ἓν σύμφωνον μέλος ἐν ἡμῖν αἰσθήσεται.

hunc modum, quem diximus, quædam quidem quæstionum Deo commiserimus : et fidem nostram servabimus, et sine periculo perseverabimus, et omnis Scriptura a Deo nobis data consonans nobis invenietur, et parabolæ his, quæ manifeste dicta sunt, consonabunt, et manifeste dicta absolvent parabolas; et per dictionum multas voces unam consonantem melodiam in nobis sentiet laudantem (16) hymnis Deum, qui fecit omnia. Utputa,

[16] I Cor. XIII, 13.

Dei et Spiritu ejus, secundum hoc, et scientia mysteriorum ejus indigeamus, et *eorum* ipsorum *quæ ante pedes sunt* multa ignoremus.

(7) *In his quæ habent revelari hoc patimur nos.* Duplex est Græcismus, ait Billius. Nam et *habent revelari*, pro *revelatione opus habent*, Græco ritu dictum est : et illud, *hoc patimur nos*, pro, *hoc nobis usu venit.*

(8) *Contrectantur.* Editt. Eras., Gall. et Feuard. cum ms. Arund. perperam, *conterunlur.* Merc. 2, *conterantur.*

(9) *Quidve de his quæ ultra eum sunt*, etc. Intelligit Irenæus eos terrarum tractus, seu populos, qui ultra Oceanum sunt, vel, ut loquitur Clemens Romanus epist. ad Corinth. cap. 20, *eos qui post Oceanum sunt mundos.* Hæc enim veteribus adeo ignota erant, ut vix ac ne vix quidem fingere sibi possent aliquos ultra Oceanum esse populos. Notissimum est illud Augustini lib. XVI *De civitate Dei*, cap. 9 : *Nimis absurdum est*, inquit, *ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse.* Hinc *intransmeabilem* Oceanum vulgo dicebant. Consulesis doctis-

D simi Cotelerii notas in Clementis Romani locum cit.

(10) *Nubium præparatio.* Clarom. *nivium præparatio.*

(11) *Distantiæ.* Id est, differentiæ? *Distantia* siquidem apud auctores Latinos interdum accipitur pro *differentia.*

(12) *Εἰ καὶ ἐπί.* Græca hæc Irenæi, et quæ mox sequuntur, iterum ex Damasceni *Parallelis* a Frontone Ducæo descripta publicavit Halloixius in *Vita Irenæi.*

(13) *Discat quæ sunt a Deo.* Græc., *discat a Deo.*

(14) *Reliquis partibus.* Clarom. *reliquis ex parte.*

(15) *Hæc tunc perseverare, quæ sunt fides, spes.* Fidem in altero sæculo perseverare vult Irenæus, non quoad obscuritatem, sed quoad firmitatem et certitudinem, quæ dubitationem omnem procul repellit. Id statim explicat, subjungens : *Semper enim fides, quæ est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus vere Deus.* Spes vero permanet, non quasi absens sit adhuc ejus objectum; sed quia *speramus subinde plus aliquid accipere et discere a Deo*, quo jam fruimur.

(16) *Unam consonantem melodiam in nobis sentiet laudantem.* Ex Græco legendum, ut bene adver-

Digitized by Google

si quis interroget : Antequam mundum faceret Deus, quid agebat? dicimus quoniam ista responsio subjacet Deo. Quoniam autem mundus hic factus est apotelestos (17) a Deo, temporale initium accipiens, Scripturæ nos docent : quid autem ante hoc Deus sit operatus, nulla Scriptura manifestat. Subjacet ergo hæc responsio Deo, et non ita stultas, et sine disciplina blasphemas (18) adinvenire velle prolationes, et per hoc quod putas te invenisse materiæ prolationem, ipsum Deum, qui fecit omnia, reprobare.

4. Cogitate enim, o omnes qui talia adinvenitis, cum ipse solus Pater Deus dicatur, qui et vere est, quem vos Demiurgum dicitis; sed et cum Scripturæ hunc solum sciant Deum, sed et cum Dominus hunc solum confitetur proprium Patrem, et alterum nesciat, sicut ex ipsis ejus verbis ostendemus (19) : quando (20) hunc ipsum labis dicitis fructum, et ignorantiæ prolationem ait nescientem quæ sint super eum (21), et quæcunque alia dicitis de eo, considerate magnitudinem blasphemiæ in eum, qui vere est Deus. Graviter quidem et honeste videmini dicere, vos in Deum credere; deinde alterum Deum cum minime possitis ostendere, hunc ipsum, in quem credere vos dicitis labis fructum, et ignorantiæ prolationem pronuntiatis (22). Hæc autem cæcitas, et stultiloquium inde provenit vobis, quod nihil Deo reserveti-. Sed et ipsius Dei, et Ennœæ ejus, et Verbi, et Vitæ, et Christi nativitates, et prolationes annuntiare vultis ; et has non aliunde accipientes, sed ex affectione hominum : et non intelligitis, quia in homine quidem, qui est compositum animal, capit hujusmodi dicere (23), sicut prædiximus [57], sensum hominis et ennœam hominis; et quia ex sensu ennœa, de ennœa autem enthymesis, de enthymesi autem logos : (quem autem logon? aliud enim est secundum Græcos logos (24), quod est principale quod excogitat; aliud organum, per quod emittitur logos) et aliquando quidem quiescere, et tacere hominem, aliquando autem loqui, et operari : Deus autem cum sit totus mens, totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem et similiter exsistens, sicut et utile est nobis sapere de Deo, et sicut ex Scripturis discimus ; non jam hujusmodi affectus et divisiones decenter erga eum subsequentur. Velocitati enim sensus hominum propter spiritale ejus non sufficit lingua deservire, quippe carnalis exsistens : unde et intus suffocatur (25) verbum nostrum, et profertur non de semel (26), sicut conceptum est a sensu; sed per partes, secundum quod lingua subministrare prævalet.

5. [58] Deus autem totus exsistens mens, et totus exsistens Logos, quod cogitat, hoc et loquitur; et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, et Logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater. Qui ergo dicit mentem Dei, et prolationem propriam menti donat, compositum cum pronuntiat (27), tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens exsistens. Similiter autem rursus et de Logo tertiam prolationem ei a Patre (28) donans, (unde et ignorat magnitudinem ejus) porro et longe Logon a Deo separavit. Et propheta quidem ait de eo : *Generationem ejus quis enarrabit* [59]? Vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, et verbi hominum (29) per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, juste detegimini a vobis ipsis (30), quod neque humana, nec divina noveritis.

6. **158** Irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis : quandoquidem et Dominus, ipse Filius Dei, ipsum judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens : *De die autem illa* (31), *et hora nemo scit, neque Filius* (32), *nisi Pater solus* [60-62]. Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est;

[57] Cap. XIII hujus libri. [58] Cap. XLVIII. [59] Isa. LIII, 8. [60-62] Marc. XIII, 32.

tit Grabius : *una consonans melodia in nobis sentietur*, vel *inter nos audietur, laudans.*

(17) *Apotelestos.* Id est, *perfectus, numeris omnibus absolutus.*

(18) *Stultas et sine disciplina blasphemas.* Post *blasphemas* subintelligе *decet*, vel quidvis simile.

(19) *Ostendemus.* Alii, *ostendimus.* Sed præferenda prior lectio: nam ut identidem jam ostenderit Irenæus, Dominum confiteri proprium Patrem, eum qui cœlum et terram condiderit, id tamen ex professo sibi demonstrandum suscipit lib. IV.

(20) *Quando.* Al. *quoniam.*

(21) *Quæ sint super eum.* Sic pro *qui sit super eum*, auctoritate cod. Clarom. reposui. Nam supra lib. I, cap. 7, n. 3, dicitur Demiurgus ignorasse *quæ essent super eum.*

(22) *Labis fructum, et ignorantiæ prolationem pronuntiatis.* Græce, sit Billius, ὀστερήματος καρπὸν καὶ ἀγνοίας προβολὴν ἀποφαίνεσθε, id est, *ignorantiæ fetum*, vel *ab ignorantia productum pronuntiatis.*

(23) *Capit hujusmodi dicere.* Pro, *hæc fas est dicere.*

(24) *Aliud est enim, secundum Græcos, logos*, etc. Id est : aliud est ratio, seu mens, quæ verbum interius concipit efformatque : aliud corporeum organum, seu lingua, per quod verbum mente conceptum exterius emittitur.

(25) *Suffocatur.* Ita Eras., Gall., Feuard. et mss. Arund., Ottobon. et Merc. 2. At Clarom. et Voss. *suffugatur*, quam lectionem sequi Grabio placuit : quanquam non satis explicare valeat quis sit barbaræ istius vocis sensus, et si quem utcunque ferendum habeat, redeat ad *suffocatur*. Nihil igitur immutandum esse duxi, nec bonam lectionem in malam, aut saltem dubiam esse commutandam. Similitudinem enim ducere videtur Irenæus ab iis qui confertim exeuntes se invicem suffocant.

(26) *Non de semel.* Græce, οὐχ εἰς ἅπαξ, καθάπαξ, vel ἐφ' ἅπαξ, id est *non simul et semel, non una vice*, etc.

(27) *Compositum eum pronuntiat.* Arund. *compositionem pronuntiat.*

(28) *A Patre.* Hæc refer ad *tertiam*, non ad *prolationem.*

(29) *Hominum.* Eras., Gall. et Merc. 2, *hominis.*

(30) *Vobis ipsis.* In Feuard. editt. colon. 1596, ac mss. Clarom. et Voss. perperam, *nobis ipsis.*

(31) *De die autem illa.* In Clarom. deest *illa.*

(32) *Neque Filius.* Addit Marci textus, *neque an-*

Digitized by Google

neque nos erubescamus (33), quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est [65a]. Si quis itaque nobis dixerit: Quomodo ergo Filius prolatus a Patre est? dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quolibet (34) quis nomine vocaverit generationem ejus inenarrabilem existentem, nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes (35), neque Potestates, nisi solus qui generavit Pater, et qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit, quicunque nituntur generationes et prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes. Quoniam enim ex cogitatione et sensu verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt homines. [65] Non ergo magnum quid invenerunt, qui emissiones excogitaverunt, neque abconditum mysterium, si id quod ab omnibus (36) intelligitur, transtulerunt in unigenitum Dei Verbum: et quem inenarrabilem et innominabilem vocant, hunc, quasi ipsi obstetricaverint, primæ generationis ejus prolationem et generationem enuntiant, assimilantes eum hominum verbo emissionis (37).

7. Hoc autem idem et de substantia materiæ (38) dicentes, non peccabimus (39), quoniam Deus eam protulit. Didicimus enim ex Scripturis, principatum tenere super omnia Deum. Unde autem, vel quemadmodum emisit eam, neque Scriptura aliqua exposuit, neque nos phantasmari oportet, ex opinionibus propriis infinita conjicientes de Deo; sed agnitionem hanc (40) concedendam esse Deo. Similiter autem et causam propter quam, cum omnia a Deo facta sint, quædam quidem transgressa sunt, et abscesserunt a Dei subjectione; quædam autem, imo plurima, perseverc.verunt et perseverant in subjectione ejus qui fecit; et cujus A naturæ sunt quæ transgressa sunt, cujus autem naturæ quæ perseverant (41), cedere (42) oportet Deo et Verbo ejus, cui et soli dixit: *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum*(43) *pedum tuorum* [66]. Nos autem adhuc in terra conversantes, nondum assidentes throno ejus. Etsi enim *Spiritus* Salvatoris qui in eo est, *scrutatur omnia, et altitudines Dei* [67]; sed quantum ad nos, *divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministeriorum, et divisiones operationum* [68]; et nos super terram, quemadmodum et Paulus ait, *ex parte quidem cognoscimus, et ex parte prophetamus* [69]. Sicut igitur ex parte cognoscimus, sic et de universis quæstionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis præstat gratiam. Quoniam quidem transgressoribus ignis æternus præparatus est, et Dominus manifeste dixit, et reliquæ demonstrant Scripturæ. Et quoniam præsciit Deus hoc futurum, similiter demonstrant Scripturæ, quemadmodum et ignem æternum his qui transgressuri sunt (44) præparavit ab initio; ipsam autem causam naturæ transgredientium, neque Scriptura aliqua retulit, nec Apostolus dixit, nec Dominus docuit. Dimittere itaque oportet agnitionem hanc Deo, quemadmodum et Dominus horæ et diei; nec in tantum periclitari, uti Deo quidem concedamus nihil; et hæc ex parte accipientes gratiam (45). In eo autem cum quærimus (46) quæ sunt super nos, et in quæ attingere nobis non est, nunc in tantam (47) audaciam venire, uti pandamus (48) Deum, et quæ nondum inventa sunt, quasi jam invenerimus, per emissionum vaniloquium ipsum omnium factorem Deum, et de defectione, et ignorantia asserere substantiam habuisse, et sic impium adversus Deum, fingere argumentum (49).

8. Post deinde nullum habent testimonium ejus figmenti, quod recens ab eis adinventum est, aliquando quidem per numeros quoslibet, aliquando

[65a] Matth. x 24; Luc. vi, 40. [65] Cap. XLIX. [66] Psal. cix, 1, 2. [67] I Cor. ii, 10. [68] I Cor. xii, 4-6. [69] I Cor. xiii, 9.

geli in cælo. Sed id ab Irenæo consulto omissum videtur, quia nihil ad institutum faciebat.

(33) *Erubescamus*. Ita recte Feuard. in marg. et Clarom. cod.; cæteri omnes minus bene, *erubescimus*.

(34) *Quolibet*. Al. male, *quomodolibet*.

(35) *Principes*. In cod. Arund. et Grab. *Principatus*. Sed hanc vocem alteri substituisse videtur recentior quispiam ex Apostolo I Colous., xvi.

(36) *Ab omnibus*. In Eras. et Gal., *ab hominibus*. In Feuard., *ab omnibus hominibus*.

(37) *Verbo emissionis*. Id est, verbo prolatitio, Græce προφορικῷ λόγῳ.

(38) *Substantia materiæ*. Ita ex Arund. et Voss. reposuit Grab. pro *substantiæ materia*.

(39) *Non peccabimus*. Sic. Clarom., cæteri minus recte, *non peccavimus*.

(40) *Agnitionem hanc*. Clarom. et Voss., *magnitudinem hanc*.

(41) *Perseverant*. Arund., *perseverarunt*.

(42) *Cedere*. Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Reliqui perperam, *credere*, quia paulo ante dixit, *agnitionem hanc concedendam esse Deo*; et paulo post iterum ait: *concedere oportet ei*.

(43) *Suppedaneum*. Sic passim legit auctor noster, ut in sequentibus videbitur. Sic legebat etiam Cyprian, lib. II *adv. Jud.*, c. 26.

(44) *Transgressuri sunt*. Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *transgressi sunt*.

(45) *Et hæc ex parte accipientes gratiam*. Ita recte Clarom. Accedit et Voss. in quo legitur *hæc*. In reliquis omnibus deest: porro *et hæc* pro *idque*, vel *et quidem* Græcorum more, quod auctori nostro familiare.

(46) *In eo autem cum quærimus*. Sic Clarom. et Voss. Accedunt et Eras. ac Gall. in quibus legitur *conquærimus*. In aliis male *conquirimus*. Ab his autem verbis novam incipiendam esse periodum demonstrat contextus sermonis.

(47) *Nunc in tantam*. Sic Clarom. et Voss. In aliis omnibus *nec in tantam*, sed male, ut videtur.

(48) *Pandamus*. Sic Feuard. in marg., cod. Voss. et Grab. Reliqui perperam *pendamus*.

(49) *Fingere argumentum*. Supple *absurdum est*, vel quidpiam simile.

Digitized by Google

autem per syllabas, nonnunquam autem et per nomina; est autem quando et per eas, quæ in litteris sunt, litteras, aliquando autem et per parabolas non recte exsolutas, vel per suspiciones quasdam consistere conari (50) eam fabulosam enarrationem, quæ sit ab eis efficitia. Etenim si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam et diem a Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in præsenti; [quoniam enim solus verax magister est Dominus (51)] ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim *Pater*, ait, *major me est*[68]. Et secundum agnitionem 159 itaque præpositus esse Pater annuntiatus est a Domino nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura hujus mundi sumus, perfectam scientiam, et tales quæstiones concedamus Deo: et ne forte quærentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, uti quæramus an super Deum alter sit Deus.

9. Si autem quis amans contentionem, contradictor fuerit his quæ a nobis dicta sunt, et his quæ ab Apostolo relata sunt, *quoniam ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*[69], putet (52) se non ex parte, sed universaliter universam cepisse eorum, quæ sunt, agnitionem, Valentinus aliquis exsistens, aut Ptolemæus, aut Basilides, vel aliquis eorum qui altitudines Dei exquisisse se dicunt; non in ea (53) quæ invisibilia sunt, vel quæ ostendi non possunt, cum inani jactantia decorans semetipsum, plus quam reliquos se agnovisse glorietur; sed causas eorum quæ in hoc sunt mundo, quas nos non scimus (54), utpote numerum capillorum capitis sui, et de his qui quotidie capiuntur passeres, et de reliquis non provisis a nobis, diligenter exquirens, et a Patre discens annuntiet nobis, ut et de majoribus quoque credamus. Si autem ea quæ in manibus sunt, et ante pedes, et in oculis, et in terrenis, et præcipue dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ii qui sunt perfecti; quemadmodum eis de spiritalibus, et supercœlestibus, et de his quæ super Deum (55) vana persuasione confirmant, credemus? Et tanta quidem de numeris, et de nominibus, et de syllabis, et quæstionibus eorum, quæ sunt super nos, et de eo quod improprie exponant parabolas, a nobis sit dictum, quandoquidem a te plura dici possint.

CAPUT XXIX [70].

Repugnare quod asserunt hæretici animas quasdam in Pleroma, alias in medietatem abituras; corporibus salutis expertibus.

1. Revertamur autem nos ad reliqua quæ sunt eorum argumentationis. In consummatione (56) enim dicentes (57) ipsorum Matrem intra Pleroma regredi, et recipere sponsum suum Salvatorem; se autem, quoniam spirituales esse dicunt, exspoliatos (58) animas, et spiritus intellectuales factos, sponsas (59) futuros spiritalium angelorum: Demiurgum autem, quoniam animalem (60) dicunt, in Matris locum cessurum: justorum autem animas requiescere in medietatis loco: psychice dicentes similia ad similia congregari, spiritalia ad spiritalia, materialia autem in materialibus perseverare: contraria sibi diffiniunt, animas jam non propter substantiam in medietatem ad similia dicentes succedere, sed propter operationem; justorum quidem dicentes illuc succedere, impiorum autem remanere ignem (61). Si enim propter substantiam omnes succedunt animæ in refrigerium, et medietatis (62) sunt omnes, secundum quod sunt animæ, cum sint ejusdem substantiæ; et superfluum est credere, superflua autem et descensio (63) Salvatoris. Si autem propter justitiam, jam non propter id quod sint animæ, sed quoniam sunt justæ. Si autem animæ (quæ) perituræ essent, (inciperent) nisi justæ fuissent; justitia potens est salvare et corpora: quid utique non salvabit, quæ

[68] Joan. XIV, 28. [69] I Cor. XIII, 9. [70] Cap. L.

(50) *Est autem quando... consistere conari.* Græca phrasis est, ut recte observat Billius, pro *interdum consistere conari*; ubi et *consistere* accipitur pro *statuere, constituere*, etc. Græce συνίστασθαι.

(51) *Quoniam enim... Dominus.* Al. *quoniam cum.* Adverte *quoniam enim* hic scribi pro *quandoquidem.*

(52) *Putet.* Lege *putetque*, vel *et putet.*

(53) *In ea.* Scribere debuisset interpres, *in iis.*

(54) *Non scimus.* In aliis *non noscimus.*

(55) *Quæ super Deum.* Sic partim ex vet. Feuard., cod Clarom. et Voss., partim ex Arund. post. Grab. emendo. Nempe in prioribus legitur *super*; in posteriori deest *sunt.* In Eras. vero, Gall. et Feuard. vitiose habetur, *quæ sunt ad Deum.* In Claromontano vero cod. *qui* pro *quæ.*

(56) *Consummatione.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Reliqui male *consummationem.*

(57) *Dicentes*, etc. Græca horum verborum series lib. I, cap. 7 n. 1.

(58) *Exspoliatos.* In omnibus quidem codd. cum editi. tum mss. legitur *exspoliatas*; sed Irenæum ex Irenæo ipso emendare non dubitavi. Nam sup. lib. I, cap. 7, n. 1, ubi hæc eadem verba ex integro habentur, legitur, *spirituales exspoliatos animas*, Græce πνευματικοὺς ἀποδυσαμένους τὰς ψυχάς.

(59) *Factos, sponsas.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. (cum quibus Arund. quoad priorem vocem consentit) et Grab. Sed reliqui male, *factas, sponsos.*

(60) *Quoniam animalem.* In Feuard. marg. et Voss., *quem animalem.*

(61) *Ignem.* Merc. 2 et Ottob., *in ignem.* Clarom. vero omittit *in*, quod magis placet. Cæteri *in ignem.*

(62) *Et medietatis.* Sic Clarom., Ottob., Arund. et Voss. Reliqui *in medietate.*

(63) *Descensio.* Sic pro *discessio* restituere non dubitavi ex Clarom. cod. in quo cum primo scriptum fuisset *discessio*, postea emendatum et scriptum fuit *descessio*, procul dubio ut legeretur *descensio.* Eadem omnino phrasi utitur supra cap. 14, n. 7. Et sic etiam legendum esse monuerat Billius lib. I *Observat. sacr.*, c. 34. Hic quippe Irenæi sensus, ut ibidem recte notat: Si non ob virtutem, sed ob substantiam salus animabus humanis comparetur, nihil esse necesse quamobrem fidem quispiam suscipiat; imo etiam nullam

Digitized by Google

et ipsa participaverunt justitiæ (64)? Si enim natura et substantia salvat, omnes salvabuntur animæ; si autem justitia et fides, quare non salvet ea quæ similiter cum animabus in corruptelam cedere incipiunt (65) corpora? Aut enim impotens, aut injusta apparebit in hujusmodi (66) justitia, si quædam quidem salvat (67) 160 propter suam participationem, quædam autem non.

2. [71] Quia enim in corporibus perficiuntur ea quæ sunt justitiæ, manifestum est, aut universæ itaque animæ necessarie succedent in medietatis locum, et judicium nusquam; aut et corpora, quæ participaverunt justitiæ, cum animabus quæ similiter participaverunt, obtinebunt refrigerii locum, si quidem potens est justitia illinc transducere ea, quæ participaverunt ei; et verus, et firmus emerget de resurrectione corporum sermo. Quem quidem credimus nos; quoniam et mortalia corpora nostra custodientia justitiam resuscitans Deus, incorrupta et immortalia faciet.

Φύσεως κρείττων (68) ὁ Deus enim melior est Θεὸς, καὶ παρ' αὐτῷ τὸ quam natura, habens

A θέλειν, ὅτι ἀγαθός ἐστι· καὶ τὸ δύνασθαι, ὅτι δυνατός· καὶ τὸ ἐπιτελέσαι, ὅτι εὔπορος. . . . . apud semetipsum velle, quoniam bonus est: e posse, quoniam potens est: et perficere, quoniam dives et perfectus est.

3. [72] Hi autem secundum omnia (69) contraria sibi dicunt, non omnes animas in medietatem succedere definientes, sed solas quæ sint justorum. Naturaliter enim et secundum substantiam emissa esse tria genera dicunt a Matre: primum quod quidem sit de aporia, ex tædio (70) et timore, quod est materia; alterum autem de impetu (71), quod est animale: quod autem enixa est secundum visionem eorum, qui circa Christum sunt angeli, quod est spiritale. Si igitur illa quæ enixa est (72), B omni modo intra Pleroma ingrediuntur, quoniam spiritale est; quod autem est materiale, residet deorsum, quoniam est materiale, et exardescente eo, qui inest ei, igne consumetur in totum: animale quare non totum in medietatis locum cedet (73), in quem et Demiurgum mittunt? Quid autem est illud, quod cedet eorum intra Pleroma? Aui-

[71] Cap. LI. [72] Cap. LII.

causam fuisse cur Christus in terram descenderet; cum et citra fidem, et citra Christi descensum, salutem omnes animæ consecuturæ sint, cum sint unius ejusdemque substantiæ omnes.

(64) *Si autem animæ..... participaverunt justitiæ.* Locum hunc medica manu indigere, merito asserit Billius. Non difficile tamen partim conjecturarum, partim manuscriptorum ope sanari posse confido. Solum hoc prius comma, *si autem animæ quæ perituræ essent inciperent*, morbus invasit, cætera in mss. nostris sana sunt. Nam pro *quæ utique non salvabit*, ut corrupte habent omnes alii codices, in Clarom. recte legitur, *quid utique non salvabit?* Et pro *quæ et ipsi participaverunt justitiæ*, ut perperam exstat in Eras., Gall. et Feuard., bene legitur in Clarom., Voss. et Arund., *quæ et ipsa participaverunt justitiæ.* A priori vero commate depelletur morbus, si resecentur quæ perperam addiderunt imperiti scribæ. Pro more scripserat interpres, *perire inciperent;* alius vero quispiam Græcam hanc phrasim explicaturus, ad marginem sui codicis adjecit, *perituræ essent;* quod glossema alter imprudens in textum ipsum transtulit. Alterutrum ergo rejiciendum, vel glossema, vel Græca phrasis. Sic proinde legi posset: *Si autem animæ, quæ perire inciperent nisi justæ fuissent, justitia potens est salvare: et corpora quid utique non salvabit, quæ et ipsa participaverunt justitiæ?* D Vel si malis: *Si autem animæ perituræ essent, nisi justæ fuissent; justitia potens est salvare et corpora: quid utique non salvabit. quæ et ipsa participaverunt justitiæ?* Huic posteriori legendi rationi, quæ in eo commodior est quod levior in ea fiat mutatio, consulens, parenthesi inclusi voces *quæ* et *inciperent*, utpote superfluas et a textu ablegandas. Jam planus est auctoris sensus. Sic enim argumentatur, ut observat Billius: Si substantiæ ratione salutem consequuntur animæ, omnes utique salutem obtinebunt, quandoquidem eadem omnes natura essentiaque præditæ sunt: si autem justitiæ ratione, quidni salutem adipiscantur et corpora, cum justitiæ quoque munere ipsa perfuncta fuerint?

(65) *Cedere incipiunt.* Pro *cessura sunt, abitura sunt.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss. Reliqui, *incidere incipiunt.*

(66) *In hujusmodi.* Supple *rebus. In* addidit Feuard. consent. Clarom. et Voss.

(67) *Salvat.* In Feuard. marg. et Voss. *servat.*

(68) *Φύσεως κρείττων.* Græca hæc edidit Halloixius ex Damasceni *Parallelis* excerpta lit. Δ, tit. 29, juxta cod. Rupefucaldinum; sed tit. 1, *Περὶ δυνάμεως Θεοῦ* juxta cod. Vaticanum. Deest vero in utroque (consului ipsemet apographa) clausula, καὶ τέλειός ἐστι. C

(69) *Secundum omnia.* Ita recte Clarom., Voss. et Grab. Reliqui vitiose, *quoniam omnia.*

(70) *Ex tædio.* Græce ἐκ λύπης, ut habetur lib. 1, c. 5, n. 4.

(71) *De impetu.* Gr. ἐκ τῆς ἐπιστροφῆς, eo scilicet motu quo mater Achamoth conversa est ad eum *qui illam vivificavit*, ut explicatur cap. 4, n. 1.

(72) *Illa quæ enixa est.* Ita Eras., Gall., Feuard, et Voss. At Clarom., Arund. et Merc. 2, *illa quod enixa est;* quam lectionem Grabio sequi placuit, quia, inquit, sequitur in singulari, *spiritale est.* Sed sequitur etiam in plurali, *ingrediuntur*, quod minus adhuc construi potest cum *illa quod enixa est.* Quare repudianda prorsus hæc lectio. Quod vero sequitur, *quoniam spiritale est*, non adeo repugnat præcedentibus atque existimat Grabius. Non enim construi debet cum *illa quæ*, etc. Sed sensum absolutum habet: *quoniam spiritale quiddam est, res est spiritalis.*

(73) *Animale quare non totum in medietatis locum cedet.* Non enim omnes animales animas in medietatis locum cessuras volebant hæretici, sed eas duntaxat, quæ *meliora elegissent*, ut aiunt lib. 1, c. 7, n. 4, seu solas justorum animas, ut explicat Irenæus hoc ipso cap., cæteras, quæ *pejora elegissent*, in corruptelam cum materialibus abituras. Hinc probat Irenæus Valentinianos minime sibi constare, cum justorum duntaxat animas in medietatis locum concedere astruunt. Sic enim, ut iterum observat Billius, disputat: Si juxta Valentinianos id omne quod est spiritale, intra Pleroma ingreditur, ac rursus id omne quod ex materia concretum est, deorsum residet, ac tandem flammis absumitur; quidnam causæ est, cur non item id omne quod animale est, in medietatis locum cedat?

Digitized by Google

mas enim in medietatem perseverare dicunt; corpora autem, quoniam materialem habent substantiam, in materiam resoluta ardere ab eo, qui in ea est ignis. Corpore autem ipsorum corrupto, et anima remanente in medietate, nihil jam relinquitur ex homine quod intra Pleroma cedat. Sensus enim hominis, mens (74), et cogitatio, et intentio mentis, et ea quæ sunt hujusmodi, non aliud quid præter animam sunt; sed ipsius animæ motus, et operationes, nullam sine anima habentes substantiam. Quid ergo adhuc erit eorum, quod succedit in Pleroma? Et ipsi enim, in quantum quidem animæ sunt, remanent in medietate; in quantum autem corpus, cum reliqua materia ardebunt.

CAPUT XXX.

Vesanam hæreticorum impietatem castigat, qui se spirituales, Demiurgum vero animalem esse dicebant.

1. Et his sic se habentibus, super Demiurgum se ascendere dicunt insensati: et secundum hoc quod se (75) meliores pronuntiant illo Deo, qui cœlos, et terram, et maria, et omnia quæ in eis sunt fecit, et ornavit, et semet quidem spiritales esse volunt inhonorate, cum sint carnales (76) propter tantam suam impietatem; qui autem fecit angelos suos spiritus, et indultur lumine quemadmodum pallium [72], et velut in manu tenet gyrum terræ [73], apud quem (77) inhabitantes eam velut locustæ sunt deputati, [74] et universæ spiritalis substantiæ Demiurgum et Deum animalem esse dicentes: indubitate et vere suam ostendunt insaniam, et velut vere de tonitruo percussi super eos qui fabulis referuntur Gigantes (78), extollentes sententias adversus Deum, præsumptione vana (79), et instabili gloria tumidi, quibus universæ terræ elleborum non sufficit ad expurgationem (80), uti evomant tantam suam stultitiam.

2. Meliorem enim ex operibus oportet ostendi. Unde igitur semetipsos ostendunt Demiurgo meliores, (uti et nos ad impietatem propter necessitatem sermonis devergamus, Dei et insanorum hominum comparationem facientes, et in argumentationem eorum descendentes, sæpe per propria ipsorum dogmata arguentes eos; sed nobis quidem propitius sit Deus; non enim illis eum comparantes, sed arguentes et evertentes, illorum insaniam, dicimus hæc) ad quos stupescant multi insensatorum (81), quasi plus aliquid ipsa veritate ab eis possent **161** discere? Et illud quod scriptum est: *Quærite et invenietis* [75], ad hoc dictum esse interpretantur, uti super Demiurgum semetipsos adinveniant, majores et meliores vocantes (82) semetipsos quam Deum, et semetipsos spiritales, Demiurgum autem animalem: et propter hoc, superascendere eos super Deum; et se quidem intra Pleroma cedere, Deum autem in medietatis loco. Ab operibus itaque ostendant semetipsos Demiurgo meliores. Non enim in eo quod dicitur, sed in eo quod est, melior ostendi debet.

3. Quod igitur opus monstrabunt per semetipsos a Salvatore, sive a Matre ipsorum factum, aut majus, aut splendidius, aut rationabilius his quæ facta sunt ab hoc, qui hæc omnia disposuit? Quos cœlos firmaverunt? quam terram solidaverunt? quas emiserunt stellas? vel quæ luminaria elucidaverunt? quibus autem circulis infrenaverunt ea? vel quas pluvias (83), vel frigora; vel universa (84) secundum tempus, et secundum unamquamque regionem aptabilia, adduxerunt terræ? Quem autem calorem, et siccitatem econtrario apposuerunt (85) eis? aut quæ flumina abundare fecerunt? quos autem eduxerunt fontes? quibus autem floribus et arboribus adornaverunt eam, quæ est sub cœlo (86)? vel quam multitudinem animalium formaverunt, partim quidem rationabilium, partim autem irrationabilium, universorum forma ornatorum? Et reliqua omnia, quæ per virtutem Dei sunt constituta et per sapientiam ejus gubernantur, quis poterit per singula enumerare, vel investigare magnitudinem sapientiæ ejus, qui fecit, Dei? Quid autem illa, quæ super cœlum, et quæ non prætereant, quanta (87) sunt, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates innumerabiles? Adversus (88) quod igitur unum opus ex his semetipsos econtrario constituunt? Quid tale ostendere habent per semetipsos, vel a semetipsis factum, quando et ipsi hujus factura et plasmatio sint? Sive enim Salvator, sive Mater ipsorum (ut

[72] Psal. ciii, 2, 4. [73] Isa. xl, 12, 22. [74] Cap. LIII. [75] Matth. vii, 7.

(74) *Mens.* Deest in Clarom.

(75) *Quod se.* Eras., Gall. et Feuard. vitiose, *quidem se.*

(76) *Carnales.* Sic omnes edit, sed omnes mss. *carnes.*

(77) *Apud quem.* Sic Clarom. melius quam reliqui *ad quem*, vel *atque.*

(78) *Qui fabulis referuntur Gigantes.* Alludit ad notissimam vel ipsis pueris fabulam Gigantum, quos poetæ fingunt in campis Phlegræis cum diis congressos; sed partim Jovis fulmine, partim Apollinis et Dianæ telis confixos occidisse, aliosque sub Ætnâ monte, alios sub Mycone et Lipara insulis sepultos esse; nonnullos etiam in Tartara detrusos impietatis suæ pœnas luere.

(79) *Vana.* Eras. et Gall. cum Arund. et Merc. 2, *vani.*

(80) *Expurgationem.* Erasm., Gall. et Feuard., *expurgandum.*

(81) *Ad quos stupescunt multi insensatorum.* Græcorum more dicitur, inquit Billius, pro *quos admirabitur*; Græce πρὸς οὓς κεχήνασι πολλοὶ τῶν ἀνοήτων.

(82) *Vocantes.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Alii perperam, *vocant esse.*

(83) *Quas pluvias.* In Arund. et Merc. 2, *quos fluvios*, sed minus bene.

(84) *Universa.* Sic Clarom. et Voss. Alii, *nives.*

(85) *Apposuerunt.* Arund. *disposuerunt.*

(86) *Eam quæ est sub cœlo.* Græca locutio, inquit Billius, τὴν ὑπ' οὐρανοῦ, id est τὴν γῆν, *terram.*

(87) *Quanta.* Pro *qualia.*

(88) *Adversus.* Pro *super.*

Digitized by Google

propria ipsorum dicamus, per sua ipsorum propria mendaces eos arguentes) usa est hoc (89), ut dicunt, ad faciendam imaginem eorum, quæ intra Pleroma sunt, et contemplationis universæ, quam vidit circa Salvatorem; tanquam meliori hoc, et aptabiliori ad faciendam voluntatem suam per eum, usa est: tantorum enim imagines nequaquam per inferiorem, sed per meliorem deformavit.

4. [77] Erant enim et ipsi tunc, sicut ipsi dicunt, exsistentes conceptio spiritalis secundum contemplationem eorum, qui erga Pandoram sunt satellites dispositi. Et hi quidem (90) vacui (91) perseverabant, [nihil per eos perficiente Matre per Salvatorem (92)] inutilis conceptio et ad nihilum apta: nihil enim per eos apparet factum. Qui autem emissus est, secundum eos, Deus, inferior ipsis exsistens, secundum argumentationem eorum, (animalem enim eum esse volunt) in omnia operator, et efficax, et aptabilis fuit, uti per eum omnium imagines fierent: et non tantum quæ videntur hæc, sed et invisibilia, Angeli, Archangeli, Dominationes, Potestates, Virtutes, per hunc omnia facta sunt, videlicet velut per meliorem, et qui possit voluntati deservire. Nihil autem per hos Matrem apparet fecisse, quemadmodum et ipsi confitentur: uti juste quis æstimet eos abortum (93) fuisse male parientis Matris ipsorum. Non enim obstetrices eam obstetricaverunt, et propterea velut abortum projecti sunt, si nihilum utiles, ad nullum opus facti Matri. Et semet meliores vocant eo, per quem tanta et talia facta sunt, et disposita; quando et per suam argumentationem perquam (94) inferiores multum inveniuntur.

5. Ac velut duo ferramenta operaria, vel organa duo cum sint, ex quibus alterum quidem semper in manibus, et in usu artifex habeat, et per illud faciat quanta velit, et ostendat artem et sapientiam suam; alterum autem vacuum atque otiosum perseveret, et sine operatione, per quod nihil omnino apparet faciens artifex, et in nullam actionem eo utens: deinde dicat quis inutile hoc, et vacuum, atque otiosum melius esse et pluris illo quo utitur in opere, per quod et glorificatur ipse artifex: hic igitur hebes esse juste arbitrabitur qui sit talis, et mentis suæ non compos. Sic autem et hi, semet spiritales et meliores dicentes, et Demiurgum animalem, et propter hoc superascendere, et intra Pleroma penetrare ad viros suos; (sunt enim feminæ, quemadmodum ipsi confitentur) Deum autem inferiorem, et propter hoc manere in medietate, et hujus nullam ostensionem afferentes: (qui enim melior est, ex operibus ostenditur: omnia enim opera a Demiurgo facta sunt; per semetipsos autem nihil dignum ratione factum ostendere habentes) insani sunt summa et insanabili insania.

6. Si autem contenderint dicere, quoniam quæcunque sunt quidem materialia, utputa cœlum, et universus, qui infra eum (95) continetur mundus, a Demiurgo facta sunt; quotquot autem spiritaliora his, illa quæ sunt super cœlum, utputa, Principia, Potestates, Angeli, Archangeli, Dominationes, Virtutes, per spiritalem enixionem (quod semetipsos esse dicunt) **162** facta sunt: primo quidem ex Dominicis Scripturis ostendimus omnia, quæ prædicta sunt, visibilia et invisibilia, ab uno Deo facta. Non enim sunt magis idonei hi quam Scripturæ: nec relinquentes nos eloquia Domini, et Moysem, et reliquos prophetas, qui veritatem præconaverunt, his credere oportet, sanum quidem nihil dicentibus, instabilia autem delirantibus. Deinde (96) etiam si per ipsos ea, quæ sunt super cœlos, facta sunt, dicant nobis, quæ sit invisibilium natura; enarrent numerum Angelorum et ordinem Archangelorum; demonstrent Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatuum, et Potestatum atque Virtutum. Sed non habent dicere: non ergo per eos facta sunt. Si autem a Demiurgo facta sunt hæc, sicut et facta sunt, et sunt spiritalia et sancta: non est ergo animalis hic, qui spiritalia perfecit; et soluta est illorum magna blasphemia.

7. [78] Quoniam enim sunt in cœlis spiritales conditiones, universæ clamant Scripturæ; et Paulus autem testimonium perhibet [79], quoniam sunt spiritalia, usque ad tertium cœlum raptum se esse significans; et rursum, delatum esse in paradi-

[77] Cap. LIV. [78] Cap. LV. [79] II Cor. XII, 2.

(89) *Usa est hoc.* Scilicet Demiurgo.

(90) *Hi quidem.* Feuardentius nullius codicis, ut videtur, auctoritate, sed a Billio monitus scripsit *siquidem*; sed frustra: si enim *inutilis conceptio* per appositionem accipiatur, planus est sensus.

(91) *Vacui.* Recte monet Billius, *vacuum* (Græce κενόν) hic ἀντὶ τοῦ ἀπράκτου, id est, pro otioso et nihil agente accipi: quemadmodum etiam paulo post dicitur: *vacuum organum atque otiosum, et sine operatione.* Et: *inutile hoc, et vacuum, atque otiosum.*

(92) *Matre per Salvatorem.* Sic Clarom. cod. Reliqui, *matre, vel per Salvatorem.* Melius quidem legeretur, *Matre, vel Salvatore;* seu *Salvatore per Matrem:* sed donec suffragetur ms. aliquis codex, expungendo particulam *vel*, legi malim, *Matre per Salvatorem*, supplendo videlicet, *acta* vel *motu*, commodior enim tunc fit sensus. Nam quidquid agebat mater Achamoth, agebat velut Salvatoris instrumentum, ut patet ex lib. I, cap. 5, n. 1.

(93) *Abortum.* Ita Clarom., Voss., Merc. 2 et Feuard. in marg., quod et repetitur paulo post in Clarom. Reliqui utrobique *aborticum.* At in Gloss. vet. *abortum*, ἔκτρωμα.

(94) *Perquam.* Hæc vox perperam in edit. dividitur in duas. Hinc existimavit Billius hic aut aliquid desiderari, aut hæc verba, *per quam*, expungenda esse. Sed si *perquam* una voce legas, et cum *multum* construas, nihil aut deficiet aut abundabit.

(95) *Infra eum.* Sic omnes codd. exceptis edit. Feuard. et Oxon. in quibus, *intra illud. Eum* vero vel pro neutro accepit interpres, vel ὑπ' αὐτόν (scilicet οὐρανόν) ita vertit, haud attendens *cœlum* apud Latinos neutrius esse generis.

(96) *Deinde. Post* ante hanc vocem deleo auctoritate Clarom.

Digitized by Google

sum (97), et audisse verba inenarrabilia, quæ non licet homini loqui. Et quid illi prodest aut in paradisum introitus, aut usque in tertium cœlum assumptio, cum sint omnia illa sub potestate Demiurgi; si eorum, quæ super Demiurgum dicuntur, mysteriorum speculator et auditor inciperet fieri (98), quemadmodum audent quidam dicere? Si enim uti eam, quæ est super Demiurgum, disceret dispositionem, nequaquam in his quæ sunt Demiurgi remansisset, ne ipsa quidem universa perspeculatus; (restabat enim ei adhuc secundum illorum sermonem quartum cœlum (99), uti appropinquaret Demiurgo, et subjectam septenationem videret) sed reciperetur fortasse vel usque ad medietatem, id est ad Matrem, uti ab ea disceret quæ sunt intra Pleroma. Poterat enim qui est intus homo ejus, qui et loquebatur in eo, invisibilis exsistens, quemadmodum dicunt, non tantum usque ad tertium cœlum, sed usque ad Matrem illorum pervenire. Si enim se, hoc est, ipsorum hominem statim supergredi dicunt Demiurgum, et abire ad Matrem, multo magis

[88] II Cor. XII, 3.

(97) *Et rursum, delatum esse in paradisum. Ex* his verbis concludit Grabius, *Irenæum duos Pauli raptus facere, alterum in tertium cœlum, in paradisum alterum.* Sed gratis ita concludit vir eruditus : nihil enim in Irenæi verbis occurrit ex quo erui possit eum ita sensisse. De Pauli raptu refert quæ scripsit ipse Paulus, nec quidquam amplius. Imo toto hoc capite satis aperte supponit raptum in tertium cœlum, esse ipsummet raptum in paradisum. Sed Grabium fefellit vox *rursum*, quam cadere existimavit in *delatum;* cum tamen ab hac interpositio colo distinguenda sit, ut sit sensus : *Et rursum addens, delatum esse in paradisum.*

(98) *Inciperet fieri.* Pro *futurus esset.*

(99) *Restabat enim ei adhuc... quartum cœlum.* Legendum puto : *Restabant enim ei adhuc quatuor cœli.* Id enim exigere videtur Irenæi argumentationis scopus. Probat siquidem, Paulo nihil profuisse ejus in paradisum introitum, aut usque in tertium cœlum assumptionem, si in tertio illo cœlo steterit : utpote qui *ne ipsa quidem universa perspeculatus* fuerit, nec proinde *eorum, quæ super Demiurgum dicuntur, mysteriorum speculator et auditor* fuerit. Qui enim mysteriorum eorum particeps esse, aut universa *perspeculari* potuit, qui ne quidem usque ad Demiurgum ipsum pervenit? Nam cum Paulus in tertio cœlo constiterit, Demiurgus vero non illic degat, sed super septimum cœlum, (ex hypothesi hæreticorum explicata lib. I, cap. 5, n. 2) restabant illi adhuc quatuor cœli conscendendi, *uti appropinquaret Demiurgo, et subjectam ei septenationem*, id est, septem cœlos, et omnia quæ sub ejus potestate constituta sunt, *videret.*

(1) *Apostoli homini.* Supple, *interiori.*

(2) *Et hæc.* Hellenismus, pro *et quidem.*

(3) *A Demiurgo.* Mallem abesse particulam *a.* Hæc saltem construas cum *auribus*, non cum *dicatur.*

(4) *Si seipsos.* Clarom. *licet seipsos.*

(5) *Differentiores.* Pro *meliores, excellentiores.* Græce διαφορωτέρους.

(6) *Jactitatum.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Reliqui *jactatum.* At Billius legere mavult *actitatum*, quia præcessit, inquit, *ex operibus arguentur.* Sed non advertit vir doctissimus, præmissum antea fuisse : *Quoniam autem ille velut magnum aliquid et præclarum, eam quæ fuit usque ad tertium cœlum assumptionem enarravit*, et ad id

A utique Apostoli homini (1) hoc evenisset : nec enim prohibuisset illum Demiurgus, jam et ipse subjectus Salvatori, ut dicunt. Si autem et prohibuisset, nihil profecisset. Non enim possibile est, eum Patris providentia fortiorem esse, et hæc (2) cum interior homo invisibilis etiam a Demiurgo (3) esse dicatur. Quoniam autem ille velut magnum aliquid et præclarum, eam, quæ fuit usque ad tertium cœlum assumptionem, enarravit; non utique isti super septimum cœlum ascendunt : non enim sunt meliores Apostolo. Si seipsos (4) dicant differentiores (5), ex operibus arguentur : nihil enim ab illis tale jactitatum (6) est. Et propter hoc adjecit : *Sive in corpore, sive extra corpus; Deus scit* [88]; uti neque corpus particeps putaretur (7) B esse visionis ejus, quippe quasi et ipsum participaturum eorum quæ vidisset et audisset : nec rursus propter pondus corporis dicat quis eum amplius non esse assumptum; sed ideo usque illuc permittatur etiam sine corpore sacramenta perspicere spiritalia, quæ sunt Dei operationes, qui fecit

jactitatum referri. Alludit enim Irenæus ad ea D. Pauli verba : *Si gloriari oportet, veniam autem ad visiones et revelationes Domini*, etc. *Pro hujusmodi gloriabor.* Unde consequenter subdit : Valentiniani Apostolo longe inferiores esse, *ex operibus arguuntur;* nihil enim tale *ab ipsis jactitatum est;* id est, se ad tertium usque cœlum raptos esse gloriari non possunt, ut Paulus.

(7) *Uti neque corpus particeps putaretur. Uti neque* pro *utique ne* reposuit Feuard. consentientibus omnibus mss. Sed præterea *non* post *corpus* addidit Grabius auctoritate codd. Arund. et Voss. (quibus in hoc consentit et Clarom.), sicque ex negante affirmantem fecit Irenæum; perperam sane, pace doctissimi viri dixerim. Id enim est Irenæum sentientem inducere, Paulum per corpus, seu per visus atque auditus organa, participem factum fuisse mysteriorum spiritalium, seu, ut superius loquitur, *spiritalium conditionum, inenarrabiliumque verborum, quæ non licet homini loqui :* quod certe non est Irenæum emendare, sed depravare, et in absurdum errorem agere præcipitem, vel invitum. Quasi vero existimare potuerit sanctissimus antistes, acerrimi judicii homo, res spiritales et divina mysteria corporeis sensibus apprehendi posse? At, inquit Grab., particula *quippe*, quæ sequitur, hunc suadet sensum. Sed si hunc suadeat sensum particula *quippe*, hunc prorsus abjicit huic adnexa altera particula *quasi*, nec propterea ταυτολογίας criminis reus erit auctor noster : quanquam mallem ταυτολογίας, quam absurdi erroris crimine devinctum. Quis igitur Irenæi sensus? Rem paucis explico. Probandum sibi suscepit, *spiritales* quasdam *conditiones*, seu res creatas esse, sive *sacramenta spiritalia*, quorum sit auctor Deus, ut inde concludat Demiurgum hæc operatum, non animalem, sed spiritalem esse. Id vero probat ex rapto divi Pauli in tertium cœlum, qui illuc delatus audivit inenarrabilia verba, reconditaque mysteria percepit, quæ homini loqui fas non est, eaque proinde mysteria spiritalia esse, utpote quæ hominum sensus tanto superent intervallo. Sed quia excipere forsitan potuissent Valentiniani, Paulum in corpore raptum fuisse, nec proinde mysteria spiritalia, quæ sensus fugiant, apprehendere valuisse; vel ultra tertium cœlum ideo ascendere non potuisse, nec consequenter *usque ad medietatem, id est, ad matrem* Achameth pervenire, *uti ab ea disceret* quæ sunt

Digitized by Google

cœlos et terram, et plasmavit hominem, et posuit in paradiso, speculatores fieri eos (8), qui similiter, ut Apostolus, valde sunt perfecti in dilectione Dei.

8. Et spiritalia itaque hic fecit, quorum usque 163 ad tertium cœlum speculator factus est Apostolus, et inenarrabiles sermones, quos non licet homini loqui, quoniam sint spiritales; et ipse hic præstat dignis, quemadmodum vult; hujus enim est paradisus: et vere est Spiritus Dei, sed non animalis Demiurgus, alioquin nunquam spiritalia perfecisset. Si autem animalis hic, per quem facta sunt spiritalia, referant nobis. Sed neque per enixionem (9) Matris suæ (quod semetipsos esse dicunt) factum esse quid ostendere habent. Hi enim non tantum aliquid de spiritalibus, sed ne quidem muscam, aut culicem, aut tale aliquid ex his, quæ sunt contemptibilia animalia pusilla, perficere possunt, præter eam rationem, quæ (10) ab initio a Deo per seminum demissionem in his, quæ sunt ejusdem generis, naturaliter facta sunt, atque fiunt animalia. Sed ne quidem a sola Matre factum aliquid: dicunt emissum (11) hunc Demiurgum et Dominum universæ operationis. Et eum quidem, qui sit universæ operationis Demiurgus et Dominus, animalem esse dicunt; se autem spiritales, qui nullius operationis fabricatores sunt aut domini (12), non solum eorum, quæ sunt extra eos, sed ne quidem corporum suorum. Multa denique sæpe secundum corpus patiuntur nolentes, vocantes se spiritales et meliores Demiurgo.

9. Juste igitur a nobis arguentur porro et longe divertisse a veritate. Sive enim (13) per hunc, quæ facta sunt, fecit Salvator; non inferior ipsis, sed melior esse ostenditur (14), quando et horum ipsorum invenitur factor: nam et ipsi sunt ex his quæ facta sunt. Quomodo itaque consequens est, hos quidem spiritales esse, hunc autem ipsum, per quem et facti sunt, animalem? Sive (quod et solum est verum, quod et per plurima ostendimus, velut liquidissimis ostensionibus) ipse a semetipso fecit libere et ex sua potestate, et disposuit, et perfecit omnia, et est substantia omnium voluntas ejus (15); solus hic Deus invenitur, qui omnia fecit solus omnipotens, et solus Pater condens et faciens omnia, et visibilia, et invisibilia, et sensibilia, et insensata, et cœlestia, et terrena, *Verbo virtutis suæ* [81]; et omnia aptavit et disposuit sapientia sua, et omnia capiens, solus autem a nemine capi potest: ipse fabricator, ipse conditor, ipse inventor, ipse factor, ipse Dominus omnium: et neque præter ipsum, neque super ipsum, neque Mater, quam illi admentiuntur; nec Deus alter, quem Marcion affinxit; nec Pleroma xxx Æonum, quod vanum ostensum est [82]; neque Bythus, nec Proarche, neque cœli; nec lumen virginale, neç Æon innominabilis, nec in totum quidquam eorum, quæ ab his et ab omnibus hæreticis delirantur. Sed solus unus Deus fabricator, hic qui est (16) super omnem Principalitatem, et Potestatem (17), et Dominationem, et Virtutem: hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum et per Sapientiam suam, cœlum, et terram, et maria, et omnia quæ in eis sunt: hic justus, hic bonus: hic est qui formavit hominem, qui plantavit paradisum, qui fabricavit mundum, qui diluvium induxit, qui Noe salvavit: hic Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus vivorum [83], quem et lex annuntiat, quem prophetæ præconant, quem Christus

[81] Hebr. I, 3. [82] Lib. I, cap. 29, n. 1. [83] Matth. XXII, 32.

intra Pleroma, quod pondere corporis deprimeretur: utramque responsionem hic occupat Irenæus. Ait enim, Apostolum in incerto relinquere volentem, an tunc in corpore, vel extra corpus esset, adjecisse: *sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit*: ut hinc nullus sibi fingeret *corpus particeps* exstitisse *visionis ejus, quasi et ipsum* participare potuisset *eorum quæ vidisset, et audisset*, quod neque forte tunc aderat: illinc vero nullus existimaret, *propter pondus corporis eum* ultra tertium cœlum *non esse assumptum*, cum incertum esset an tunc in corpore esset. Uno verbo, ex eo quod incertum esset, an in corpore, an extra corpus raptus fuerit Paulus, demonstrat Irenæus non nisi temere asseri posse, aut corpus mirabilis istius visionis exstitisse particeps, aut illud obstitisse quin ultra tertium cœlum conscenderet; quæ membra sibi invicem satis opposita sunt, ut ταυτολογίας criminis expers dicatur auctor noster.

(8) *Speculatores fieri eos.* Græcismus, infinitivus scilicet pro conjunctivo, *ut fierent speculatores ii*, etc.

(9) *Per enixionem. Per* deest in omnibus mss. Recte vero addidit Feuard. Sed incertum an vet. cod. autoritate, an monitu solum Billii lib. I *Observat. sacr.*, c. 34.

(10) *Quæ.* Lege *qua*; id enim postulat sensus et verborum ordo.

(11) *Dicunt emissum*, etc. Nulla apposita in edit. omnibus ante hæc verba distinctionis nota, misere turbatur sensus. Frustra vero Grabius particulam *præter* ante *hunc Demiurgum* addendam conjicit: sola distinctionis nota difficultatem solvit. Scilicet rationem reddit Irenæus, cur *ne quidem a sola Matre factum aliquid*; quia, inquit, *dicunt* Valentiniani *emissum* ab ea *hunc Demiurgum, et Dominum universæ operationis*, id est qui cuncta ipse operaretur.

(12) *Nullius operationis... sunt... Domini.* Hellenismus, inquit Billius, pro *in eorum potestate non est quidquam operari*; Græce οὐδενὸς ἔργου κύριοί εἰσι.

(13) *Sive enim. Sive* pro *si* bene restituit Grabius, quia ita habent mss. omnes, et paulo post alterum disjunctionis membrum sequitur: *sive, quod et solum est verum*, etc.

(14) *Melior esse ostenditur.* Clarom. *melior est et ostenditur.*

(15) *Est substantia omnium voluntas ejus.* Id est, a sola voluntate ejus omnia habent, non tantum quod sint, sed quod talia vel talia sint.

(16) *Hic qui est.* Ita vetus Feuard. cod. et omnes mss. nostri cum edit. Oxon. Sed in aliis editt. minus bene, *hic est qui.*

(17) *Et potestatem.* Duas istas voces restituit Grab. ex mss. Voss., Arund. et Merc. 2. Easdem habet et Clarom.

Digitized by Google

revelat (18), quem apostoli tradunt, quem Ecclesia credit (19). Hic Pater Domini nostri Jesu Christi, per Verbum suum, qui est Filius ejus; per eum revelatur et manifestatur omnibus (20), quibus revelatur : cognoscunt enim eum hi quibus revelaverit Filius. Semper autem coexsistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem, et Angelis, et Archangelis, et Potestatibus, et Virtutibus et omnibus, quibus vult revelare Deus.

CAPUT XXXI [a].

Summatim perstringit ea fere omnia, quæ toto hoc libro fuse disseruit, speciatim contra Valentinianos, eadem in reliquos etiam hæreticos dici posse confirmans.

1. Destructus itaque his, qui a Valentino sunt, omnis hæreticorum eversa est multitudo. Quæ enim et quantum adversus Pleroma ipsorum, et ad ea quæ extra sunt, diximus, ostendentes quoniam concludetur, et circumscribetur Pater universorum ab eo quod extra eum est (si tamen extra eum aliquid sit); et quoniam necesse est multos quidem Patres, multa autem Pleromata, et multas mundorum fabricationes, ab aliis quidem cœptas, ad alteros (21) autem deficientes, esse secundum omnem partem; et universos perseverantes in suis propriis non curiose agere de aliis, in quibus neque participatio, neque communio aliqua est eis; et nullum alium omnium esse Deum, sed solam (22) esse Omnipotentis appellationem; **164** et adversus eos qui sunt a Marcione, et Simone, et Menandro, vel quicunque alii sunt, qui similiter dividunt eam, quæ secundum nos est, conditionem a Patre, similiter erit ad eos aptatum. Quanta autem rursus diximus adversus eos, qui dicunt omnia quidem comprehendere Patrem universorum; eam autem, quæ sit secundum nos, conditionem non ab eo esse factam, sed a Virtute quadam altera, vel ab angelis ignorantibus Propatorem, in immensa magnitudine universitatis circumscriptum centri vice, velut maculam in pallio; ostendentes quoniam non est verisimile alium quemdam, eam quæ secundum nos est, conditionem fecisse,

[a] Cap. LVI.

quam Patrem universorum : et adversus eos qui sunt a Saturnino, et Basilide, et Carpocrate, et reliques Gnosticorum, qui eadem similiter dicunt, idem dicetur. Quæ autem de prolationibus dicta sunt, et Æonibus, et deminoratione, et quemadmodum instabilis Mater ipsorum; similiter evertit (23) Basilidem, et omnes qui falso cognominantur Agnitores (24), aliis nominibus eadem similiter dicentes; magis autem quam hi, [qui (25)] ea quæ sunt extra veritatem transferentes ad characterem suæ doctrinæ. Et quæcunque sunt quæ de numeris diximus, adversus omnes, qui in hujusmodi speciem deducunt quæ sunt veritatis, dicentur (26). Et quæcunque dicta sunt de Demiurgo, ostendentia quod hic solus est Deus et Pater universorum; et quæcunque adhuc dicentur in sequentibus libris, adversus omnes dico hæreticos. Eos quidem, qui sunt mitiores eorum et humaniores, avertes et confundes, ut non blasphement suum conditorem, et factorem, et nutritorem, et Dominum, neque de labe et ignorantia genesim ejus affingere (27) : feroces autem, et horribiles, et irrationabiles effugabis a te longe, ne amplius sustineas verbositates eorum.

2. Super hæc arguentur qui sunt a Simone, et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari (28) dicuntur : non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici (29) hominibus facientes ea, quæ faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones, et universa fraude, plus lædentes (30) quam utilitatem præstantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt; neque debiles, aut clandos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos : quæmadmodum sæpe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum, quæ a foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare.

Τοσοῦτον δὲ (31) ἀποδέουσι τὸν νεκρὸν ἐγεῖραι, καθὼς ὁ Κύριος ἤγειρε,

Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum

(18) *Christus revelat.* Ita Feuard. in marg. Clarom., Voss. et Grab., melius quam reliqui, *Spiritus revelat.*

(19) *Credit.* Alii minus recte, *credidit.*

(20) *Omnibus.* In Eras. et Gall. *hominibus*, in Feuard. *omnibus hominibus.*

(21) *Ad alteros.* Ita legere malim cum Clarom. cod. quam cum aliis *ad alteras.* Nam contextus sermonis *alteros* exigere videtur.

(22) *Solam. Solum* in Eras., Gall., Arund. et Merc. 2. Sed recte advertit Grab. legendum esse non *solam*, aut *solum*, sed *solutam*; idque liquet ex libri hujus cap. 4, ubi postquam fusius explicuit quæ hic summatim duntaxat repetit, concludit : *et solvetur omnipotentis appellatio.*

(23) *Evertit.* Scribere debuisset interpres, *evertunt.*

(24) *Agnitores.* Græce Γνωστικοί.

(25) *Qui.* Expungenda est vox, quæ perperam addita sensum male suspendit.

(26) *Dicentur.* Ita pro *dicetur* recte posuit Grabius auctoritate codicis Arund. Omisi vero particulam *et* quam præmisit idem Grab., quia prorsus superflua est.

(27) *Affingere.* Interpres sui oblitus infinitivum Græcum reddidit infinitivo Latino. Scribendum erat in conjunctivo, *affingant*, sicut *blasphement.*

(28) *Virtutes operari.* In Feuard. marg. et Voss., *virtutis operarii.*

(29) *Ut benefici.* Sic Feuard. in marg. Clarom., Voss. et Arund., nisi quod imperitis scribarum habeant *beneficis.* Cæteri omnes minus recte, *in beneficiis.*

(30) *Lædentes.* In Merc. 1, *ludentes.*

(31) *Τοσοῦτον δέ.* Græca hæc Irenæi verba conservavit nobis Euseblus lib. v *Hist. eccl.*, cap. 7, ex quo ea etiam allegavit Nicephorus lib. IV *Hist. eccles.*, cap. 15.

Digitized by Google

καὶ οἱ ἀπόστολοι διὰ προσευχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀδελφότητι πολλάκις (32) διὰ τὸ ἀναγκαῖον, τῆς κατὰ τόπον Ἐκκλησίας πάσης αἰτησαμένης μετὰ νηστείας πολλῆς καὶ λιτανείας, ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα τοῦ τετελευτηκότος, καὶ ἐχαρίσθη ὁ ἄνθρωπος ταῖς εὐχαῖς τῶν ἁγίων.

Dominus excitavit, et apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum :)

A nem inveniet unam et eamdem esse eis cum dæmoniis conversationem.

165 CAPUT XXXII.

Flagitiosa eorum dogmata confutat, qui nullum non operationis genus experiendum esse, actionesque sola opinione humana justas aut injustas, ac animam suam Jesu animæ similem, imo interdum meliorem esse impie asserebunt.

1. Et hæc autem, quæ est erga operationes, impia ipsorum sententia, quæ dicit : oportere eos in omnibus operibus, etiam quibuslibet malis fieri, ex Domini doctrina [46] dissolvetur; apud quem non solum qui mœchatur, expellitur, sed et qui mœchari vult; et non solum qui occidit, reus erit occisionis ad damnationem, sed et qui irascitur sine causa (41) fratri suo; qui et non solum non odire homines, sed et inimicos diligere jussit; et non solum non perjurare, sed nec jurare præcepit; et non solum male loqui (42) de proximis, sed ne quidem Racha et fatuum dicere aliquem; si quo minus, reos esse hujusmodi in ignem gehennæ; et non tantum non percutere, sed et ipsos percussos etiam alteram præstare maxillam; et non solum non abnegare quæ sunt aliena, sed etiam si sua auferantur, illis non expostulare; et non solum non lædere proximos, neque facere quid eis malum, sed et eos qui male tractantur, magnanimes (43) esse, et benignitatem exercere erga eos, et orare pro eis, uti pœnitentiam agentes salvari possint; in nullo imitantes nos reliquorum contumeliam, et libidinem, et superbiam. Quando igitur ille, quem isti magistrum (44) gloriantur, et eum multo meliorem et fortiorem reliquis animam habuisse dicunt, cum magna diligentia quædam quidem jussit fieri quasi bona et egregia, quibusdam autem abstinere non solum operibus, sed etiam his cogitationibus, quæ ad opera ducunt, quasi malis, et nocivis, et

ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri : esse autem resurrectionem (33) a mortuis, agnitionem ejus, quæ ab eis dicitur, veritatis.

3. Quando igitur apud eos quidem error, et seductio, et magica phantasia in speculatu (34) hominum impie fiat; in Ecclesia autem miseratio, et misericordia, et firmitas (35), et veritas ad opitulationem hominum, non solum sine mercede et gratis perficiatur (36); sed et nobis ipsis quæ sunt nostra erogantibus pro salute hominum, et ea quibus hi qui curantur, indigent, sæpissime non habentes, a nobis accipiunt : vere et per hanc speciem arguuntur a divina substantia, et benignitate Dei, et virtute spiritali in totum extranei; fraude autem universa, et adinspiratione (37) apostatica, et operatione dæmoniaca, et phantasmate idololatriæ per omnia repleti. Præcursores vero sunt (38) draconis ejus [47], qui per hujusmodi phantasiam abscedere faciet in cauda tertiam partem stellarum, et dejiciet eas (39) in terram; quos similiter atque illum devitare oportet, et quanto majore phantasmate operari dicuntur, tanto magis observare eos, quasi majorem nequitiæ spiritum perceperint. Quam prophetiam si observaverit quis (40), eorum diurnam conversationis operatio-

B

C

D

[46] Apoc. XII, 4. [47] Matth. V, 21 et seqq.

(32) *Πολλάκις.* Πολλοὶ πολλάκις, quod in Græco Eusebii textu modo legimus, recte omisit Grabius; quia neque Nicephorus, neque Rufinus Eusebii interpres, neque vetus Irenæi translatio vocem istam agnoscit.

(33) *Esse autem resurrectionem*, etc. Consule quæ ad Menandri hæresim diximus in dissert. 1, art. 3, § 2.

(34) *In speculatu.* Id est *in conspectu, coram oculis.*

(35) *Firmitas.* In Eras., Gall. et Feuard. *fraternitas*, sed minus recte.

(36) *Perficiatur.* Alii *impertiatur.* Sed magis *perficiatur* congruit cum veritate et firmitate miraculorum, quam *impertiatur.*

(37) *Adinspiratione.* Sic cum Clarom. et Ottob. scribere malui, quam cum aliis *ab inspiratione :* hoc enim minus quadrat ad orationis contextum, et ad *repleti.*

(38) *Præcursores vero sunt.* Sic Clarom. cod.; cæteri, *præcursores vere*, sine *sunt.* Priorem vero lectionem ideo prætuli, quod cœpta ab hac nova periodo sensus evadat clarior.

(39) *Faciet... et dejiciet eas.* Clarom. longe aliter atque cætera omnia exemplaria habet : *Faciunt... et dejecere eas.* Ex parte tamen consentire videntur Anglic. in quibus legitur *dejicere*, procul dubio pro *dejecere.* At veterem lectionem immutandam esse non duxi. Ex Clarom. restitui duntaxat *eas* pro *eos*, quia et ita legitur Apocal. XII, 4.

(40) *Quam prophetiam si observaverit quis.* Ita Clarom. cod. Cæteri omnes : *Quapropter etiamsi observaverit quis.* Sed prior lectio magis ad Irenæi institutum facere videtur. Probat enim eam, quæ de dracone legitur loco cit. Apocal. prophetiam, ad præstigiatorum illorum *diurnam conversationis operationem* exacte quadrare : quod iisdem artibus atque præstigiis, quibus draco seu dæmonia, utantur ad seducendum universum orbem.

(41) *Sine causa.* Clarom. et Voss. *in causa.* Sed cum lib. IV, cap. 15, n. 5, iterum legatur *sine causa*, nihil mutandum duxi.

(42) *Non solum male loqui.* Melius legeris, *non solum non male loqui.*

(43) *Magnanimes.* Gr. μακροθύμους, *constantes, patientes.*

(44) *Magistrum.* Jesum hic intelligit Irenæus, quem præ cæteris hominibus *anima firma donatum, ut mundi fabricatores effugere posset*, dicebant Carpocratiani, sup. lib. I, cap. 25, n. 1.

Digitized by Google

nequam; quemadmodum magistrum dicentes talem fortiorem et meliorem reliquis, deinde quæ sunt contraria ejus doctrinæ manifeste præcipientes, non confundantur? Et si quidem nihil esset mali, aut rursus boni; opinione autem sola humana, quædam quidem injusta, quædam autem justa putarentur, non utique dixisset dogmatizans, id est, docens (45): *Justi autem fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* [87]; injustos autem et qui non faciunt opera justitiæ, mittet *in ignem æternum, ubi vermis ipsorum non morietur, et ignis non extinguetur* [88].

2. [89] Adhuc etiam dicentes, oportere eos in omni opere et in omni conversatione fieri, ut, si fieri possit, in una vitæ adventatione omnia perficientes, ad perfectum transgrediantur; eorum quidem, quæ sunt ad virtutem pertinentia, et laboriosa, et gloriosa, et artificialia, quæ etiam ab omnibus (46) bona approbantur, nequaquam inveniuntur conati facere. Si enim oportet per omne opus, et per universam ire operationem; primo quidem oportebat omnes se discere (47) artes; quæcunque illæ sive in sermonum rationibus, sive in operibus consumantur, sive per continentiam edocentur, et per laborem, et meditationem, et perseverantiam percipiuntur; utputa omnem speciem musicæ, et computationis, et geometriæ, et astronomiæ, et universa (48) quæ in sermonum rationibus occupantur: adhuc etiam medicinam universam, et herbarum scientiam, et eas quæ ad salutem humanam sunt elaboratæ; et picturam, et statuarum fabricationem, et ærariam artem, et marmorariam, et similes his: ab his (49) autem omnem speciem rusticationis, et veterinariæ (50), et pastoralis, et opificum artes, quæ dicuntur pertransire universas artes, et eas quæ erga mare vacant, et corpori student, et venatorias, et militares, et regales, et quotquot sunt, quarum nec decimam, nec millesimam partem in tota vita sua elaborantes ediscere possunt. Et horum quidem nihil conantur addiscere, qui in omni dicunt semetipsos oportere fieri

[87] Matth. XIII, 43. [88] Matth. XXV, 41; Marc. IX, 45. [89] Cap. LVII.

(45) *Id est docens.* Hæc glossema sapiunt.

(46) *Ab omnibus.* Al. *ab hominibus.*

(47) *Se discere.* Cod. Arund. et edit. Oxon. *edisserе.*

(48) *Universa.* Cod. Arund. et edit. Oxon. *universas.*

(49) *Ab his.* Pro *deinde, post has, præter has.*

(50) *Veterinariæ.* Gr. κτηνιατρικῆς, id est, artis curandi veterina jumenta, eorumque morbis medelam afferendi.

(51) *Jesum magistrum gloriantur. Non* hisce verbis præfigunt Eras., Gall. et Feuard. Sed perperam, et repugnantibus omnibus mss., ipso etiam veteri Feuard. cod. Nam præcedenti capite affirmative loquitur auctor: *ille quem isti magistrum gloriantur.* Dolet vero quod sub tam beato nomine Jesu delituerint ea impietatis monstra, Epicurei potius et Cynici, quam Christiani.

(52) *Circumlatione.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Arund., Voss. et Grab.; cæteri *circulatione.* Vide lib. I, cap. 25, n. 1.

(53) *Infantes.* Id est *impuberes.*

A opere; ad voluptates autem et libidinem, et turpia facta devergentes, a semetipsis judicati cum sint secundum doctrinam suam. Quoniam enim desunt eis quæ prædicta sunt omnia, ad correptionem iguis adibunt. Qui quidem Epicuri philosophiam, et Cynicorum indifferentiam æmulantes, Jesum magistrum gloriantur (51), qui non solum a malis operibus avertit suos discipulos, sed etiam a sermonibus et cogitationibus, quemadmodum ostendimus.

3. Dicentes autem, se ex eadem circumlatione (52) cum Jesu habere animas, et similes ei esse, aliquando autem et meliores; ad opera producti, quæ ille ad utilitatem hominum et firmitatem fecit, nihil tale, nec simile, neque secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sed et si aliquid faciunt, per magicam (quemadmodum diximus) operati, fraudulenter seducere nituntur insensatos: fructum quidem et utilitatem nullam præstantes, in quos virtutes perficere se dicunt; adducentes autem pueros investes (53), et oculos deludentes, et phantasmata ostendentes statim cessantia, et ne quidem stillicidio temporis (54) perseverantia, non Jesu Domino **166** nostro, sed Simoni Mago similes ostenduntur. Et ex hoc autem quod Dominus surrexit a mortuis in tertia die, [firmum est (55)] et discipulis se manifestavit, et videntibus eis receptus est in cœlum; quod ipsi morientes, et non resurgentes, neque manifestati quibusdam, arguuntur in nullo similes habentes Jesu animas.

4. Εἰ δὲ καὶ (56) τὸν Κύριον φανταπιωδῶς τὰ τοιαῦτα πεποιηκέναι φήσουσιν, ἐπὶ τὰ προφητικὰ ἀνάγοντες αὐτούς, ἐξ αὐτῶν ἐπιδείξομεν, πάντα οὕτω περὶ αὐτοῦ καὶ προειρῆσθαι, καὶ γεγονέναι βεβαίως, καὶ αὐτὸν μόνον εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ

4. Si autem et Dominum per phantasmata hujusmodi fecisse dicunt, ad prophetica (57) reducentes eos, ex ipsis demonstrabimus, omnia sic de eo et prædicta esse, et facta firmissime, et ipsum solum esse Filium Dei. Quapropter et

(54) *Stillicidio temporis.* Suspicor interpretem pro στιγμῇ χρόνου, *momento* seu *puncto temporis*, male legisse σταγμῇ χρόνου, unde perperam reddidit *stillicidio temporis.* Quidquid sit, *stillicidium temporis* hic pro *momento temporis* accipi debet.

(55) *Firmum est.* Ita Eras., Gall. et Feuard. In edit. Oxon. *firmum esse*, incertum qua auctoritate, nulla enim citatur; forte codicis Voss., nam Clarom. ita habet. Sed prior lectio præferenda. Mallem quidem duas istas voces omnino abesse; incommodum tamen sensum non habent, si parenthesi includantur. Sensus enim est: *Ex hoc quod Dominus surrexit a mortuis tertia die, (quod firmum est, verum, non phantasticum et apparens: qualia erant falsa hæreticorum miracula) et discipulis se manifestavit*, etc.

(56) *Εἰ δὲ καὶ.* Græca hæc ex Irenæo transcripsit Eusebius lib. V *Hist.*, c. 7, et ex eo Nicephorus lib. IV *Hist.*, cap. 13.

(57) *Ad prophetica.* In marg. Feuard. *ad prophetiam.*

Digitized by Google

Θεοῦ. Διὸ καὶ ἐν τῷ ἐκείνου ὀνόματι οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταί, παρ' αὐτοῦ λαβόντες τὴν χάριν, ἐπιτελοῦσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν (58) τὴν δωρεὰν εἴληφε παρ' αὐτοῦ. Οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους, τοὺς καθαρισθέντας (59) ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, καὶ εἶναι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσι τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας, καὶ ῥήσεις προφητικάς. Ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται, καὶ ὑγιεῖς ἀποκαθιστᾶσιν. Ἤδη δέ, καθὼς ἔφαμεν, καὶ νεκροὶ ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν σὺν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι. Καὶ τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων, ὧν κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ Ἐκκλησία παρὰ Θεοῦ λαβοῦσα, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἕκάστης ἡμέρας ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῇ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ, μήτε ἐξαπατῶσά τινας (62), μήτε ἐξαργυριζομένη. Ὡς γὰρ δωρεὰν εἴληφε παρὰ Θεοῦ, δωρεὰν καὶ διακονεῖ.

in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim dæmones excludunt firmissime et vere, ut etiam sæpissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus; et sint in Ecclesia. Alii autem et præscientiam habent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum (60), quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu, crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium (61) perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis et ministrat.

5. Nec invocationibus angelicis (63) facit (64) aliquid, nec incantationibus, nec reliqua (65) prava curiositate; sed munde, et pure (66), et manifeste orationes dirigens (67) ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates (68) hominum, sed non ad seductionem perficit (69). Si itaque et nunc nomen Domini nostri Jesu Christi beneficia præstat, et curat firmissime et vere omnes ubique credentes in eum; sed non Simonis, neque Menandri, neque Carpocratis, nec alterius cujuscunque: manifestum est, quoniam homo factus, conversatus est (70) cum suo plasmate, vere omnia fecit ex virtute Dei, secundum placitum Patris universorum, quomodo prophetæ prædixerunt. Quæ (71) autem erant hæc, in his, quæ sunt ex prophetis (72), ostensionibus narrabuntur.

167 CAPUT XXXIII [99].

Animas e corporibus in corpora migrare, absurdum dogma multiplici ratione impetitum.

1. De corpore autem in corpus transmigrationem ipsorum subvertamus ex eo, quod nihil omnino eorum, quæ ante fuerint, meminerint animæ. Si enim ob hoc emittebantur, uti in omni fierent (73) operatione, oportebat eas meminisse eorum quæ ante facta sunt, uti ea quæ deerant, adimplerent, et non circa eadem semper volutantes continua-

[99] Cap. LVIII.

(58) *Αὐτῶν.* Hanc vocem non legit vetus Irenæi interpres, neque Nicephorus.

(59) *Τοὺς καθαρισθέντας.* Articulum τούς addidit Valesius, qui insuper notat, quod Latini ipsi purgari dicebant eos, qui immundis spiritibus liberabantur; quod pluribus exemplis probat. Sed obvia sunt.

(60) *Non est numerum dicere gratiarum.* Hellenismus, inquit Billius, pro *gratiarum numerus iniri nequit.*

(61) *Gentium.* Clarom. *gentilium.*

(62) *Τινάς.* Legit vetus interpres τινά in singulari.

(63) *Invocationibus angelicis.* Malignorum videlicet spirituum, ut recte notat Feuardentius, quos Simoniani, Marcitæ, Carpocratiani, aliique malefici ad suas præstigias exercendas in opem evocabant. Hic enim, ut et capite præcedenti, vera Ecclesiæ miracula hæreticorum præstigiis opponit: aliaque puris et mundis orationibus, et invocatione Domini nostri Jesu Christi; alia *fraude universa, et adinspirationes apostatica*, (malorum scilicet angelorum, quos angelos apostatas vocare solet) *et operatione dæmoniaca, et phantasmate idololatriæ* fieri probat. Mirum ergo cl. Grabium tam immaniter sui ipsius oblitum fuisse, ut in suis in hunc locum notis scribere non dubitaverit, *bonos angelos ab Ecclesia ad virtutem miraculorum edendam in auxilium vocatos nuspiam legi: imo*, inquit, *id non factum esse, ex hoc ipso Irenæi loco haud inepte colligi*; addiderit-que in Indice generali, istum Irenæi locum indigitando, *angelorum invocationes in Ecclesia inusitatas fuisse.* Quasi vero ex eo quod probet auctor noster, Ecclesiam apostatarum angelorum invocationibus nihil facere, concludi possit, bonorum angelorum invocationes huic inusitatas fuisse. Sed de his lege Dissert. 3, art. 9, § 109.

(64) *Facit.* Alii perperam, *faciat.*

(65) *Reliqua.* Sic omnes mss. et editt. Oxon. In cæteris habetur, *aliqua.*

(66) *Et pure.* Hæc male omissa sunt in editt. Oxon.

(67) *Dirigens.* In omnibus codd. perperam, et manifesta scribarum incuria, *dirigentes.*

(68) *Ad utilitates.* In Clarom. utrumque legitur, *secundum utilitates ad utilitates;* omisso priori, quod habent omnes alii codd. posterius, ut melius, retinui.

(69) *Perficit.* Genuinam hanc lectionem solus habet Clarom., cod. cæteri *perfecit.*

(70) *Conversatus est.* Expungendum videtur verbum *est*, aut saltem addenda particula *et* ante *vere.*

(71) *Quæ.* In Arund. quem perperam secutus est Grabius, legitur *quia.*

(72) *Ex prophetis.* Sic Clarom. Alii *ex propheticis.*

(73) *Fierent.* Ita Clarom., Voss., Feuard. et Grab. Reliqui vitiose, *erunt*, vel *erint*

Digitized by Google

tim, miserabiliter laborarent; (non enim poterat corporis admistio in totum universam ipsorum, quæ ante habita erant, exstinguere memoriam et contemplationem) et maxime ad hoc venientes. Quomodo enim nunc soporati (74) et requiescente corpore, quæcunque anima ipsa apud se videt, et in phantasmate agit, et horum plura reminiscens communicat cum corpore; et est quando et post plurimum temporis, quæcunque per somnium quis vidit, vigilans annuntiat: sic utique reminisceretur et illorum, quæ antequam in hoc corpus veniret, egit. Se enim hoc, quod in brevissimo tempore visum est, vel in phantasmate conceptum est, ab ea sola per somnium, postquam commista sit corpori, et in universum membrum (75) dispersa, commemoratur: multo magis illorum reminisceretur, in quibus temporibus tantis et universo præteritæ vitæ sæculo (76) immorata est.

2. [91] Ad hæc Plato, vetus ille Atheniensis (77), qui et primus sententiam hanc introduxit (78), cum excusare non posset, oblivionis induxit poculum, putans se per hoc aporiam hujusmodi effugere; ostensionem quidem nullam faciens, dogmatice autem respondens, quoniam introeuntes animæ in hanc vitam, ab eo, qui est super introitum dæmone, priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. Et (79) latuit semetipsum in alteram majorem incidens aporiam (80). Si enim oblivionis poculum potest (81), posteaquam ebibitum est, omnium factorum oblitterare memoriam; hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima tua, quoniam (82), priusquam in corpus introeat, a dæmone potata est oblivionis medicamentum? Si enim dæmonem, et poculum, et introitum reminisceris, et reliqua oportet cognoscas; si autem illa ignoras, neque dæmon verus, neque artificiose compositum oblivionis poculum (83).

3. [92] Adversus autem eos, qui dicunt ipsum corpus esse oblivionis medicamentum, occurret hoc. Quomodo igitur quodcunque per semetipsam anima videt, et in somniis, et secundum cogitationem, mentis intentionem, corpore quiescente, ipsa reminiscitur, et renuntiat proximis? Sed ne quidem ea, quæ olim agnita sunt, aut per oculos, aut per auditum, meminisset anima in corpore exsistens, si esset corpus oblivio; sed simul atque ab inspectis abesset oculus, auferretur utique et ea, quæ esset de his, memoria. In ipsa enim oblivione exsistens anima nihil aliud cognoscere poterat, nisi solum illud, quod in præsenti videbat. Quomodo autem et divina disceret (84), et meminisset ipsorum exsistens in corpore, quando sit (ut aiunt) ipsum corpus oblivio? Sed et prophetæ ipsi, cum essent in terra, quæcunque spiritaliter secundum visiones cœlestium vident, vel audiunt, ipsi quoque meminerunt in hominem conversi (85), et reliquis annuntiant; et non corpus oblivionem efficit animæ eorum, quæ spiritaliter visa sunt, sed anima docet

[91] Cap. LIX. [92] Cap. LX.

(74) *Soporati*. Sic omnes mss., at editt. Eras., Gall. et Feuard. *soporato*. Porro *soporati* construas cum *anima*, ut sit sensus: *quæcunque anima soporati hominis, et requiescente corpore*, etc.

(75) *In universum membrum*. Ita recte solus Clarom. cod. In cæteris male deest *in*.

(76) *Universo... sæculo*. Sic iterum ex Clarom. restituo, in quo legitur, *universa... sæculo*. Sed pro *universa*, manifesto scribæ errato, scribere non dubitavi, *universo*, ita exigente constructionis lege. In cæteris vitiose habetur, *universa... sæcula*.

(77) *Atheniensis*. Sic pro *adveniens* restituit Feuard. auctoritate veteris cod. cum quo conveniunt Clarom. et Voss., quorum etiam auctoritate *is*, post vocem *Atheniensis*, expunxi.

(78) *Primus sententiam hanc introduxit*. Si arctius premantur hæc Irenæi verba, vix a lapsu liberari poterit. Hunc enim errorem Epiphanius et Lactantius Pythagoræ, Plutarchus Empedocli, alii Zoroastro, aut Mercurio Trismegisto attribuunt. Eos vero omnes Platone antiquiores esse nullus dubitat. Nec credibile est Irenæum, in lectione veterum philosophorum non mediocriter versatum, fugere potuisse metempsychosim ab aliis Platone vetustioribus propugnatam fuisse. Quare probabilius id tantum voluisse S. antistitem, Platonem primum omnium apud Athenienses, vel potius recens excogitati oblivionis poculi commento munitam eamdem invexisse. Huncque sensui favere videntur auctoris nostri verba. Plato siquidem *sententiam hanc excusare* moliebatur, et ab *aporia*, ut loquitur, id est ab impeditissimis ambagibus, quibus implicabatur, eximere. Non igitur eam invenerat primus; sed jam inventam explicare studuit, addito oblivionis poculo, quod primus invexit, ut male cohærenti dogmati fidem conciliaret. Quod omnino consentaneum est sententiæ Tertulliani de Platone scribentis, lib. *De anima*, cap. 23: *Novum elaboravit argumentum, μαθήσεις ἀναμνήσεις, scientias reminiscentias esse: venientes inde huc animas oblivisci eorum, in quibus fuerint; dehinc ex his visibilibus eductas recordari*. Ad hanc sententiam accedens doctissimus noster domnus Nicolaus le Nourry in suis eruditis in Irenæi libros *Dissertationibus*, dissert. 6, § 2, existimat corruptum esse ab interprete, aut librario hunc Irenæi textum, ac voces *primus* et *introduxit*, ad oblivionis poculum ita esse referendas, ut is illius sensus sit: Plato, cum sententiam hanc excusare non posset, primus introduxit oblivionis poculum. At supposita doctissimi viri conjectura, quæ certe a verosimili haud recedit, textum paulo aliter restituerem. Expungerem voces *qui et*, ac *introduxit*; et sic facilis esset sensus.

(79) *Et latuit semetipsum in alteram majorem incidens aporiam*. Græcismum olet, ait Billius, pro *imprudens in alteram majorem incidit difficultatem*. Græce, ἔλαθεν ἑαυτὸν εἰς ἑτέραν μείζονα περιπεσὼν ἀπορίαν. Quo etiam modo vertit interpres cap. XIII Epist. ad Hebræos: *Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio susceptis*. Ubi Græcæ locutionis ignorantia factum est, ut quidam pro *latuerunt* legendum putarint *placuerunt*.

(80) *Aporiam*. In Feuard. marg. *confusionem*. Sed id glossema sapit.

(81) *Potest*. Ita Clarom. et Voss. In aliis perperam, *potata est*.

(82) *Quoniam*. Pro *quod*.

(83) *Poculum*. Supple *est*, aut *esse potest*, vel quidpiam simile.

(84) *Disceret*. Editt. *sciret*.

(85) *In hominem conversi*. Id est, ad seipsos ex exstasi reversi.

Digitized by Google

corpus, et participat de spiritali ei facta visione.

4. [96] Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur, et vivificatur, et augetur, et articulatur; sed anima possidet (86) et principatur corpori. Tantum autem impeditur a sua velocitate (87), quantum corpus participat de ejus motione; sed non amittit 168 suam scientiam. Corpus enim organo simile est; anima autem artificis rationem obtinet. Quemadmodum itaque artifex velociter quidem operationem secundum se adinvenit, in organo autem tardius illam perficit, propter rei subjectæ immobilitatem, et illius mentis velocitas admista tarditati organi temperatam perficit operationem; sic et anima participans suo corpori, modicum quidem impeditur, admista velocitate ejus in corporis tarditate; non amisit autem in totum suas (88) virtutes; sed quasi vitam participans corpori (89), ipsa vivere non cessat. Sic et de reliquis ei communicans, neque scientiam ipsorum perdit, neque memoriam inspectorum.

5. [97] Si itaque nullius præteritorum meminit, sed exsistentium scientiam hic percipit; non igitur in aliis corporibus fuit aliquando, neque egit, quæ ne quidem agnoscit; neque novit, quæ quidem neque videt.

'Αλλ' ὡς εἷς ἕκαστος (90) ἡμῶν ἴδιον σῶμα. . . . . λαμβάνει, οὕτω καὶ ἰδίαν ἔχει ψυχήν. Οὐ γὰρ.... πτωχὸς, οὐδὲ ἄπορος ὁ Θεὸς, ὥστε μὴ ἑνὶ ἑκάστῳ σώματι ἰδίαν κεχαρίσθαι ψυχὴν, καθάπερ καὶ ἴδιον χαρακτῆρα. Καὶ

Sed quemadmodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic et suam habet animam. Neque enim sic pauper, neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam, quemadmodum et proprium characterem. Et ideo adimpleto numero, quem ipse apud se ante definiit, omnes quicunque sunt scripti in vitam, resurgent, sua corpora et suas habentes animas et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem pœna sunt digni, abibunt in eam, et ipsi suas habentes animas, et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate. Et cessabant utrique jam generare, et generari, et ducere uxorem, et nubere; ut commensurata multitudo ante præfinita a Deo generis humani perfectorum compago sive aptatio conservet Patris (92).

διὰ τοῦτο πληρωθέντος τοῦ ἀριθμοῦ, οὗ αὐτὸς παρ' αὐτῷ προώρισε, πάντες οἱ ἐγγραφέντες εἰς ζωὴν ἀναστήσονται, ἴδια ἔχοντες σώματα, καὶ ἰδίας ἔχοντες ψυχὰς, καὶ ἴδια πνεύματα, ἐν οἷς εὐηρέστησαν τῷ Θεῷ. Οἱ δὲ τῆς κολάσεως ἄξιοι ἀπελεύσονται εἰς τὴν αὐτὴν, καὶ αὐτοὶ ἰδίας ἔχοντες ψυχὰς, καὶ ἴδια σώματα, ἐν οἷς ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ χρηστος. Καὶ παύσονται ἑκάτεροι τοῦ γεννᾷν ἔτι, καὶ γεννᾶσθαι, καὶ γαμεῖν καὶ γαμεῖσθαι· ἵνα τὸ σύμμετρον φῦλον τῆς προορίσεως ἀπὸ Θεοῦ ἀνθρωπότητος ἀποτελεσθεὶς (91), τὴν ἁρμονίαν τηρήσῃ τοῦ Πατρός.

CAPUT XXXIV.

Animas non modo quæ in corpore gesserint meminisse, sed et immortales perseverare, tametsi initium habuerint.

1. Plenissime autem Dominus docuit, non solum perseverare, non de corpore in corpus transgredientes animas; sed et characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eumdem (93), et meminisse eas operum, quæ egerunt hic, et a quibus cessaverunt, in ea relatione (94), quæ scribitur [98] de divite et de Lazaro eo, qui refrigera-

[96] Cap. LXI. [97] Cap. LXII. [98] Luc XVI.

(86) *Possidet.* Græce, ni fallor, κυριεύει, quod vertendum erat, *dominatur*, non *possidet*.

(87) *Tantum autem impeditur a sua velocitate.* Id est, *tantum velocitatis animæ decedit.*

(88) *Suas.* Ita, inquit Grabius, ex Arund. et Voss. reposui, cum reliqua exemplaria male expresserint *istas*. Esto ita forte exprimant Merc. 2 codd. Sed Eras., Gall., Feuard., Ottob. et Clarom. recte exprimunt *suas*.

(89) *Vitam participans corpori. Participans* hic activa significatione accipitur pro *impertiens*.

(90) 'Αλλ' ὡς εἷς ἕκαστος. Hunc locum Joannes Damascenus in *Parallelis* citavit hoc modo: Τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου, ἐπισκόπου Λουγδούνων ἐκ τοῦ κατὰ τῶν αἱρέσεων βιβλίου β'. Græca vero inde a Frontone Ducæo descripta publicavit primus Halloixius, in *Vita Irenæi*.

(91) Ἀποτελεσθεὶς. Legendum ἀποτελεσθέν, quoniam ad σύμμετρον φῦλον refertur.

(92) *Ut commensurata... Patris.* Pessima versio, ex eo præcipue nata, ut bene advertit Grabius, quod interpres pro ἀποτελεσθὲν τὴν, vitiose legerit, ἀποτελεσθέντων. Vertendum cum Halloixio: *Ut hominum multitudo divinæ correspondens prædefinitioni jam consummata, Patris conservet harmoniam.*

(93) *Characterem corporis... custodire eumdem.* Paulo post addit, *animas habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur.* Hæc vero Feuardentius refert ad inclinationem eam, qua pronæ sunt animæ ad corpora olim resumenda; sed gratis. Nec melius, ea explicatione haud satis contentus, exponit de effigie humana; quasi ejus corporis quod circumtulit anima, servet lineas corporales, coloremque aerium et lucidum; quæ Tertulliani opinio fuit in lib. *De anima*. Sed hunc errorem Irenæo affingere nihil hactenus cogit. Recte explicari potest de certis quibusdam characteribus et notis, quibus a cæteris spiritibus, ad informandum corpus haudquaquam destinatis, distinguantur, et quibus animæ humanæ potius quam angeli constituantur. In hoc enim animas humanas ab angelis distingui putant multi, quod illæ ad informandum et regendum corpus a Deo destinentur; isti minime: de cætero eamdem esse utriusque spiritus naturam. Necesse est ergo in mentibus humanis, etiam in cœlo degentibus, certos quosdam characteres, et certum quemdam ordinem ad corpus superstites manere, quibus ab aliis spiritibus distinguantur. Idipsum est quod vocat Irenæus, *characterem corporis*, et *hominis figuram*: hinc consulto addit, *ut cognoscantur*; ut inde merito concludas illum *corporis characterem*, seu *hominis figuram*, in eo duntaxat situm esse voluisse, ut anima *cognoscatur*, et ab angelis, qui nullum habent ordinem ad corpus, distinguatur. Sed de his in dissert. 5, art. 11.

(94) *Relatione.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss.; cæteri *enarratione*.

Digitized by Google

bat (95) in sinu Abrahæ : in qua ait, divitem cognoscere Lazarum post mortem, et Abraham autem similiter, et manere in suo ordine unumquemque ipsorum, et postulare mitti ei ad opem ferendam Lazarum, cui ne quidem de mensæ suæ micis communicabat : et de Abrahæ responso, qui non tantum ea quæ secundum se, sed et quæ secundum divitem essent, sciebat ; et præcipiebat Moysi assentire et prophetis eos, qui non mallent (96) pervenire in illum locum pœnæ, et recipientes (97) præconium ejus, qui resurrexerit (98) a mortuis. [96] Per hæc enim manifeste declaratum est, et perseverare animas, et non de corpore in corpus transire, et habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur, et meminerint eorum, quæ sint hic ; et propheticum (99) quoque adesse Abrahæ, et dignam habitationem unamquamque gentem percipere, etiam ante judicium.

2. [97] Si qui autem hoc in loco dicant, non **169** posse animas eas, quæ paulo ante esse cœperint, in multum temporis perseverare, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales ; vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori ; discant, quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quæ autem sunt ab illo omnia, quæcunque facta sunt, et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita ; perseverant autem et extenduntur in longitudinem sæculorum, secundum voluntatem factoris Dei (1) ; ita ut sic initio fierent (2), et postea, ut sint (3), eis donat.

3. Quemadmodum enim cœlum, quod est super nos, firmamentum, et sol, et luna, et reliquæ stellæ, et omnia ornamenta ipsorum, cum ante non essent, facta sunt, et multo tempore (4) perseverant secundum voluntatem Dei : sic et de animabus, et de spiritibus, et omnino de omnibus his, quæ facta sunt, cogitans quis, minime peccabit : quando omnia, quæ facta sunt, initium quidem facturæ suæ habeant, perseverant autem quoadusque ea Deus et esse, et perseverare voluerit. Testatur pro his sententiis etiam propheticus spiritus, dicens : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in sæculum, et in sæculum sæculi* [98]. Et iterum de salvando homine sic ait : *Vitam petiit a te* (5), *et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi* [99] ; tanquam Patre omnium donante et in sæculum sæculi perseverantiam (6) his, qui salvi fiunt. Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est ; sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitæ, et gratias egerit ei qui præstitit, accipiet et in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, et ingratus exstiterit factori, ob hoc quod factus est, et non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia (7). Et ideo Dominus dicebat ingratis exsistentibus in eum : *Si in modico fideles non fuistis* (8), *quod magnum est quis dabit vobis* [1] ? significans (9) quoniam qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt ei, qui eam præstitit, juste non percipient ab eo in sæculum sæculi longitudinem dierum.

[96] Cap. LXIII. [97] Cap. LXIV. [98] Psal. CXLVIII, 5, 6. [99] Psal. XX, 5. [1] Luc. XVI, 11.

(95) *Refrigerabat.* Al. *refrigerabatur.* Sed alibi *refrigerare* in passiva significatione usurpavit interpres.

(96) *Mallent.* Alii *vellent.*

(97) *Et recipientes.* Supple *esse ;* scilicet, *præcipiebat recipientes esse,* seu recipere.

(98) *Qui resurrexerit.* Alii, *resurgeret.* Hic Christum Dominum intelligit Irenæus.

(99) *Propheticum.* Subintellige *donum*, vel *spiritum.*

(1) *Perseverant autem secundum voluntatem factoris Dei.* Quod hic statuit Irenæus, animas hominum non diutius perseverare, quam Deus eas et esse et perseverare voluerit, vitamque ex sese non habere, nullum earum immortalitati detrimentum infert. Longe enim aliter de Deo atque de mentibus creatis sentiendum esse, tam vere quam pie asserit auctor noster. *Is sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habet*, solus habens immortalitatem, ut loquitur Apostolus, a seipso videlicet, nulli obnoxiam, et immutabilem. Illæ vero quidquid habent immortalitatis et vitæ, Dei beneficio sortiuntur. *Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est, sed secundum Dei gratiam datur.* Æternum quidem perseveraturæ sunt, sed in hoc longe inferiores Deo, quod ab eo *initium facturæ suæ habeant*, nec *extendantur in longitudinem sæculorum*, nisi secundum voluntatem factoris Dei, quæ ut eas e nihilo produxit, sic et in nihilum redigere posset ; imo redigeret, si conservare desineret. Uno verbo Irenæi scopus est verissimum istud principium statuere : *Principari debere in omnibus et dominari voluntatem Dei ; reliqua autem omnia huic cedere, et subdita esse, et in servitium dedita.*

(2) *Initio fierent.* Unicum verbum *inciperent* legitur in cod. Voss.

(3) *Ut sint.* Id est, ut optime notat Grabius, ut exsistant atque durent per aliquod tempus, sicut ex antecedentibus et consequentibus patet.

(4) *Multo tempore.* In aliis *multa tempora.*

(5) *A te.* Desunt in Claromont., Arund. et Voss.

(6) *Perseverantiam.* Hoc loco, ut recte monet Billius, *perseverantia* non accipitur ut in illo Evangelii loco : *Qui autem perseveraverit usque in finem*, etc., sed ἀντὶ τῆς διαμονῆς, id est, pro *permanentia et perennitate.*

(7) *Ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia.* Non quod destruendam et in nihilum redigendam ejus animam velit Irenæus, qui toties asserit sempiternas fore reproborum pœnas ; sed quod impii suis dilectis æterna felicitate, et beata sanctorum perseverantia (quæ sola vera perseverantia est) se privent, et mortem sibi æternam adsciscant.

(8) *Si in modico fideles non fuistis*, etc. Hæc ex memoria citavit Irenæus. Nam paulo aliter habet Evangelii textus, Luc. XVI, 11 : *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est ; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis : quod verum est quis credet vobis ?* Unde ad sensum magis quam ad verba attendisse videtur auctor noster. Idem dicendum de auctore epist. 2 S. Clementi Romano vulgo ascriptæ, qui hæc eadem verba ita refert : Λέγει γάρ ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· *Εἰ τὸ μικρὸν οὐκ ἐτηρήσατε, τὸ μέγα τίς ὑμῖν δώσει ; Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστι.*

(9) *Significans.* Addunt Eras., Gall. et Feuard. *nobis ;* sed hæc vox in omnibus mss. deest.

Digitized by Google

4. Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est anima, participatur autem animam (10), quoadusque Deus vult; sic et anima ipsa quidem non est vita (11), participatur autem a Deo sibi præstitam vitam. Unde et propheticus sermo de Protoplasto (12) ait : *Factus est in animam vivam*[2]; docens nos, quoniam secundum participationem vitæ vivens facta est anima : ita ut separatim quidem anima intelligatur, separatim autem, quæ erga eam est, vita. Deo itaque vitam et perpetuam perseverantiam donante, capit et animas (13) primum non exsistentes dehinc perseverare, cum eas Deus et esse et subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus, et dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic cedere, et subdita esse, et in servitium dedita. Et de factura quidem et perseverantia animæ hucusque dictum sit.

CAPUT XXXV[3].

Basilidis hypothesim, Gnosticorumque, qui prophetas a diversis diis inspiratos oracula fudisse dicebant, errorem refellit.

1. Basilides autem et ipse super hæc quæ dicta sunt, cogetur dicere, secundum suam regulam, non solum CCCLXV secundum successionem alios ab aliis factos, sed immensam quamdam et innumerabilem multitudinem cœlorum semper factam, et fieri, et futurum ut fiant, et nunquam deficere hujusmodi fabricam cœlorum. Si enim ex defluxu prioris **170** secundum factum est cœlum ad illius speciem, et ad secundi tertium : et similiter omnes reliqui subsequentes : et de hujus, quod secundum nos est, quod et novissimum vocat (14) necesse est (ex) defluxu (15) aliud factum simile sibi, et ex illo iterum aliud : et nunquam deficere, neque defluxus eorum, qui jam facti sunt, neque facturas cœlorum (16); sed in immensum, et non in præfinitum numerum cœlorum incidere.

2. [4]Et reliqui autem, qui falso nomine Gnostici dicuntur, qui prophetas ex diversis diis prophetias fecisse dicunt, facile destruentur ex hoc, quod omnes prophetæ unum Deum et Dominum prædicaverint, et ipsum factorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, et quod adventum Filii ejus significaverint, secundum quod ex ipsis demonstrabimus Scripturis in libris consequentibus.

3. Si autem quidam secundum Hebræam linguam diverse dictiones positas in Scripturis opponant, quale est Sabaoth, et Eloe (17), et Adonai, et alia quæcunque sunt talia, ex his ostendere elaborantes diversas Virtutes atque deos; discant quoniam unius et ipsius (18) significationes, et nuncupationes (19) sunt omnia hujusmodi. Quod enim dicitur Eloe (20), secundum Judaicam vocem, *Deum* significat, et Eloe *Verum*, et Elloeuth, secundum Hebraicam linguam, *Hoc quod continet omnia*, significat. Quod autem ait Adonai, aliquando quidem

[2] Gen. II, 7. [3] Cap. LXV. [4] Cap. LXVI.

(10) *Participatur autem animam.* Ita Clarom., Voss., Arund. et Grab.; cæteri minus recte habent, *participatur autem anima*; quia mox sequitur, *participatur vitam.* Nempe *participari* accepit interpres, quasi deponens esset.

(11) *Anima ipsa quidem non est vita*, etc. Hæc, inquit Grabius, descripsisse videtur e Justini Mart. Dial. *cum Tryph.*, p. 224. ubi de anima ait : Οὐ ζωὴ οὖσα ζῇ, ἀλλὰ μεταλαμβάνουσα τῆς ζωῆς, ἕτερον δέ τι τὸ μετέχον τινὸς, ἐκείνου οὗ μετέχει. ζωῆς δὲ ψυχὴ μετέχει, ἐπεὶ ζῇν αὐτὴν ὁ Θεὸς βούλεται. *Anima, non quod vita sit, vivit; sed quod vitæ particeps sit. Aliud vero est quod participat quidquam, ab eo unde participat. Vitam vero anima participat, quoadusque eam Deus vult vivere.*

(12) *Protoplasto.* Al. male *Protoplastos*, aut *Protoplaston*, sine præpositione *de.*

(13) *Capit et animas.* Feuard. ex veteri cod. perperam, *capiunt animæ*; nam interpreti familiaris est ea loquendi formula *capit* pro *fas est*, *possibile est.*

(14) *Vocat.* Editt. vitiose, *vocant*, quia de Basilide sermo est.

(15) *Ex defluxu.* Superflua est particula *ex*, quia jam præcessit *de.* Quare parenthesi eam inclusi.

(16) *Cœlorum.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii mendose, *sæculorum.*

(17) *Et Eloe.* Ita scripsi, quia non modo ita scribi postulat Hebraicæ linguæ analogia, sed quia paulo post in Clarom. et Voss. codd. ita scriptum legitur.

(18) *Unius et ipsius.* Pro *unius et ejusdem.*

(19) *Significationes et nuncupationes.* In Merc. 2 codd. *significationis et nuncupationis*, suffragante quoad primam vocem ms. Voss., nam posteriores duæ ibi desunt.

(20) *Quod enim dicitur Eloe*, etc. Quæ hic de Hebraicis Dei nominibus scribit Irenæus, brevioribus et apertioribus verbis exprimit Nicetas Choniates, lib. II *Orthodox.*, cap. 29.: *Quoniam*, inquit, *vecordes illi omnium divinorum interpretationem ignorantes, Adonai, Eloi et Sabbaoth, diversos esse deos arbitrati sunt, operæ pretium mihi facturus videor, si rudibus et ignaris aperiam, quid hoc nominum unumquodque Græcis et Latinis auribus sonet. Eleth itaque* Θεόν, Deum, *interpretantur : Eloi autem* ὁ Θεός μου, Deus meus : *El quoque, si tenui spiritu proferatur,* Θεόν, Deum : *si aspero*, ἰσχυρόν, fortem *significat; Adonai autem* Κύριον, Dominum. *Cæterum Dominus Sabbaoth idem sonat quod* Κύριος δυνάμεων, Dominus virtutum, *vel* Κύριος στρατιῶν, Dominus exercituum. *Saddai porro* ἱκανὸν καὶ δυνατόν, idoneum, potentem. *Aia vero* τὸν ὄντα, eum qui est, *significat. Quod nomen ineffabile quoque ab Hebræis censebatur.* Itaque de voce *Eloe*, Hebraice אלוה, nulla difficultas. Certum est, Dei nomen esse. Quod autem addit Irenæus, *Eloe verum significat*, non multo difficilius, nisi rem clarissimam variis ambagibus intricassent interpretes. His missis, existimo Irenæi sensum esse, hac voce אלוה singulariter usurpata, non alium nisi Deum verum exprimi; quod certum est : cum econtrario pluraliter accepta, אלהים interdum idolis et iis qui vere dii non sint applicetur. Sic Jos. XXIII, 16 : *Et servietis diis alienis*, אלהים אחרים et Exod. XXII, 27 : אלהים, *Deos non vilipendes*, id est judices, principes. Quod vero subjicit auctor noster, *Elloeuth secundum Hebraicam linguam*, Hoc quod continet omnia, *significare*; id obscurius. Censet Crojus pro *Elloeuth* legendum esse אל עליון *El Elion*, Deus excelsus, sive summus; et respexisse Irenæum ad verba Melchisedech benedicentis Abrahamo, Gen. XIV, 19 : ברוך אברם לאל עליון קנה שמים וארץ : *Benedictus Abram a Deo altissimo, qui possidet*

Digitized by Google

nominabile, et admirabile significat (21), aliquando autem duplicata littera delta, cum aspiratione, utputa Addhonai (22), *Præfinientem et separantem terram ab aqua, ne possit aqua insurgere in eam* (23). Similiter autem et Sabaoth per ω quidem (24) Græcam (25) in syllaba novissima scribitur, *Voluntarium* significat : per o autem Græcam, utputa Sabaoth, *primum cælum* manifestat. Eodem modo et Jaoth (26), extensa cum aspiratione novissima syllaba, *mensuram præfinitam* manifestat; cum autem per o Græcam corripitur, utputa Jaoth, *eum qui dat fugam malorum* significat. Et cætera omnia unius ejusdemque nuncupationis sunt : sicut secundum Latinitatem Dominus virtutum, et Pater omnium, et Deus omnipotens, et Altissimus, et Dominus cœlorum, et Creator, et Fabricator, et 171

cælos et terram. Sed cum apud Rabbinos אלהות, *Elohuth*, significet Divinitatem, potuit etiam eo respicere Irenæus. Divinitas infinita cum sit, omnia in se continet.

(21) *Aliquando quidem nominabile et admirabile significat*. Legi mallem, *aliquando quidem innominabile*, etc. Revera enim antiqui Hebræi per *Adonai*, sacrum Dei nomen יהוה non raro exprimebant : huic enim, quod ineffabile esset, nec reverentiæ causa nominare auderent, ne tam admirabile nomen assidua pronuntiatione vilesceret, substituebant *Adonai*; quos imitati sunt LXX interpretes. Unde Irenæus ad eum Hebræorum morem attendens scribere merito potuit, *Adonai aliquando innominabile et admirabile significare;* id est Adonai aliquando ineffabile illud et admirabile Dei nomen יהוה significare. Potuit etiam Irenæus ante oculos habere vel illud quod dicitur ab angelo Jud. XIII, 18 : *Cur quæris nomen meum, quod est admirabile?* vel, ut mavult Crojus, illud Psal. VIII, 1 : יהוה אדנינו, *Domine, Dominus noster* (LXX : Κύριε, ὁ Κύριος ἡμῶν), *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Si vero *nominabile* legere malis, sensus erit, vocem *Adonai* admirabile Dei nomen significare, quod nominari et in usu communi proferri liceret. Nam, ut dixi, veteres Hebræi illud sacro Dei nomini יהוה substituebant.

(22) *Addhonai*. Ita Feuard., Grab. et eo l. Voss., nisi quod in hoc y loco i scriptum sit. Sed Eras. et Gall. *Addonei*, Clarom. *Addonai*, Merc. 2 *Adonai*. Sed nulli, meo quidem judicio, bene; scribendum erat *Haddonai :* neque enim dicit Irenæus aspirationem in medio vocis interserendam esse, nec quisquam *Adonai* unquam ita scripsit. Sed interdum Hebræi scribunt יהאדני, ubi littera ה, seu aspiratio præmissa emphatica est. Si vero *Daleth* puncto *Daghes* notetur, tunc sonabit velut duplex *Delta* apud Græcos, et pronuntiabitur *Haddonai :* et is sensus debet esse Irenæi verborum. Neque enim Hebræi aliter in ea voce duplicant *Daleth*, quam affigendo punctum *Daghes* in medio, quod ei litteræ vim tribuit duplicis *Delta* Græci. Sed quid sibi vult Irenæus, vocem *Haddonai* significare, *Præfinientem et separantem terram ab aqua, ne postea aqua insurgeret in eam?* (Sic legendum puto.) Probabilior cæteris videtur Croji conjectura, Irenæum non dare nobis veram et simplicem hujus vocis significationem, sed spectare ad aliquem Scripturæ locum, ubi de separatione terræ ab aqua tractetur; eumque esse putat Job XXXVIII, 10 et 11, ubi Deus de mari loquens, testatur se illud repagulis et valvis inclusisse, eique præcepisse ne ulterius progrederetur, neque repagula illa perfringeret. Simile est illud quod Prov. VIII, 29, legitur : *Circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Unde Irenæi sensus erit, vocem *Haddonai* significare hunc ipsum Dominum, qui sæpius in Scripturis de se ipse ita loquitur : *Ego Dominus, ego ipse Dominus;* quique ibidem nobis exhibetur præfiniens et separans terram ab aqua.

(23) *Ne possit aqua insurgere in eam*. In editt. Eras., Gall, et mss. codd. Vaticano, veteri Feuard., Clarom., Arund. et Merc. 2, legitur : *nec postea quam insurgere in eam*, nisi quod in Merc. 2 verbum *insurgere* haud appareat. De codice Vossii nihil certi affirmare potest Grabius, quia ejus lectio in hoc commate deficit. Vitiosam mss. et priorum editt. lectionem rejecit Feuardentius, et ex mera conjectura, ut ipse fatetur, posuit : *ne possit aqua insurgere in eam;* manuscriptos sequi maluit Grabius. Ego vero Feuardentii lectionem, cum jam dudum obtinuerit, nec Irenæi sensum male exprimat, retinendam esse duxi; quanquam mallem legi : *ne postea aquæ insurgeret in eam*.

(24) *Similiter autem et Sabaoth per ω quidem*, etc. Discrimen hoc longarum et brevium in voce *Sabaoth* non agnoscunt Hebræi. Imo neque LXX, neque Patres Græci, qui hujus nominis meminerunt, illud aliter ac per ω scribunt, scilicet Σαβαώθ. Quare sciolus quispiam Irenæo nostro, in Hebraicis haud satis perito, hic fucum fecisse videtur. Quidquid sit, duplex illa, quam affert, hujus nominis notatio utcunque admitti potest. Si Sabaoth a Chaldaica radice צבה *velle, optare, voluntas*, derivetur, *voluntarium* significare dici poterit. Si ab Hebraica צבא, *militia, exercitus*, ad *primum cælum*, Empyreum scilicet et stellatum manifestandum transferri nihil vetat. Nam in Scripturis יהוה צבאות interdum de exercitu stellarum dicitur, quæ quasi milites in statione ita collocatæ sunt, ut ad imperium Dei præsto sint, eique militent. Deuteron. IV, 29 : *Ne quando eleves oculos tuos in cælum, et videas solem, et lunam, et stellas, omnem* יהוה צבאות, *exercitum cælorum*.

(25) *Græcam*. Sic pro *Græca* recte reposuit Feuard. consent. Voss. Intercidit autem in hoc commate particula *cum*, vel *quando*.

(26) *Et Jaoth*. Cum Græci aspirationes non habeant, quas in fine vocum apponere possint, si aspiratione notanda fuit ultima syllaba vocis *Jao*, scribenda fuit per θ. Quod vero de ea voce hic dicit Irenæus, neque Græcorum, neque Hebræorum scribendi rationi convenit. Nam illi semper scribunt Ἰαώ; nusquam vero, quod sciam, Ἰαό; illi vero semper יהוה, nunquam יהו : neutri proinde duplicem illum, quem hic assignat, scribendi nominis latius modum agnoscunt : adeo ut et hic imperitus quispiam Irenæo nostro imposuerit. Quod autem de significatione nominis hic subjicit, videlicet modo significare *mensuram præfinitam*, modo *eum qui dat fugam malorum*, stare non potest nisi dicamus, quod de nomine *Haddonai* jam diximus, spectare Irenæum ad aliqua Scripturæ loca. Prior significatio respicere potest illud Job XXVIII, 25, ubi Deus dicitur *fecisse ventis pondus, et aquas appendisse in mensura; posuisse pluviis legem, et viam procellis sonantibus*. Et c. XXXVIII, 5, iterum dicitur, *posuisse mensuras terræ, et tetendisse super eam lineam*. Quibus affine est quod legitur Sap. XI, 21, Deum *omnia in mensura et numero et pondere disposuisse*. Posterior significatio spectare potest ad illud Exod. X, 17, ubi Pharao devorantibus locustis vexatus, ad Moysem et Aaronem ait : *Rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam*. Quod Moysis precibus postea concessisse Deus legitur. Et hic et in præcedentibus conjecturas propono; meliores si quis alius afferat, libenter audiam.

Digitized by Google

similia his, non alterius atque alterius hæc sunt, sed unius ejusdemque nuncupationes (27), et pronomina (28), per quæ unus Deus et Pater ostenditur, qui continet omnia, et omnibus ut sint præstans.

4. Quoniam autem dictis nostris consonat prædicatio apostolorum, et Domini magisterium, et prophetarum annuntiatio, et apostolorum dictatio, et legislationis ministratio (29), unum eumdemque omnium Deum Patrem laudantium; et non alium atque alium, neque ex diversis diis aut virtutibus substantiam habentem : sed ex uno et eodem Patre omnia, (qui tamen aptat (30) secundum subjacentium naturas (31), et dispositionem) et neque ab Angelis, neque ab alia quadam Virtute, sed a solo Deo Patre, visibilia atque invisibilia, et omnia omnino quæcunque facta sunt : arbitror quidem sufficienter ostensum (32) et per hæc, tanta, uno ostenso Deo (33) Patre factore omnium. Sed ne putemur fugere illam, quæ ex Scripturis Dominicis est probationem, ipsis Scripturis multo manifestius et clarius hoc ipsum prædicantibus, his tamen qui non prave intendunt eis proprium librum, qui sequitur has Scripturas (34), reddentes, ex Scripturis divinis probationes apponemus in medio omnibus amantibus veritatem.

ANALYSIS LIBRI TERTII.

172 Præcedente in libro Valentinianos suo ut plurimum ipsorum gladio auctor noster jugulaverat, id est, errores eorum stirpitus extraxerat, petitis ex falsa ipsorummet doctrina argumentis, et rationibus [5]. Jam vero ad eos divina Scripturæ sacræ et Traditionis auctoritate refellendos aggreditur [6]. Primum itaque quatuor docet tradita nobis esse Evangelia, quæ tam clare Deum unicum prædicant, ut hæretici inde victi, de earumdem expostularent Scripturarum corruptione, atque ad Traditionem provocarent [7]. Verum ii ipsi non minori ejusdem ipsius Traditionis perspicuitate et evidentia fracti pariter et oppressi, se cæteris omnibus presbyteris, atque etiam apostolis præstantiores stulte gloriabantur [8]. Sed nequidquam. Irenæus enim invicte contra eos urget Traditionem, *quæ ab apostolis per successiones presbyterorum*, seu episcoporum in Ecclesia præsertim Romana custoditur : quam quidem confirmat Polycarpi apostolorum discipuli, atque etiam Ephesinæ, et Smyrnensis Ecclesiæ auctoritate [9]. Unde concludit, a sola Ecclesia catholica, Traditionis et doctrinæ apostolicæ custode, petendam esse veritatem; hæresesque omnes apertas novitatis notas præ se ferre, et apostolis recentiores esse demonstrat.

[10] Hinc ad argumentum ex Scripturis petitum reversus, ex iis demonstrat [11] unum duntaxat esse Deum, mundi conditorem, ac duplicem objectionem ex his Pauli verbis : *Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium*; atque Matthæi : *Non potestis Deo servire et mammonæ*; deductam, luculenter diluit [12]. Tum ex singulorum Evangeliorum testimoniis inceptum de Deo uno argumentum prosequitur [13]; atque ex Joanne varios de mundi creatione, et assumpta a Christo humana carne destruit errores [14]. Ut vero variis hæreticorum argutiis viam omnem præcluderet, palam facit quatuor tantum, nec plura nec pauciora esse Christi evangelia, ac perperam illa ab iisdem veritatis evangelicæ inimicis corrupta et depravata fuisse.

Ex Actuum porro apostolicorum libro probat [15], ab apostolis, aliisque eorum et Christi discipulis prædicari summam unius mundi opificis divinitatem. Ibi autem illos merito corripit [16], qui eosdem apostolos juxta præconceptas indoctæ plebis opiniones locutos esse garriebant. Marcionem vero, qui alium dicebat Veteris quam Novi Testamenti auctorem, atque eos etiam, vel qui Paulum solum ex apostolis cognovisse veritatem contendebant, vel qui ejusdem auctoritatem elevabant, late confutat.

[17] Triplex deinde evertit de Christo Domino traditum ab hæreticis commentum : ac luculenter ostendit, unum et eumdem esse Christum et Jesum, qui vere Deus est et homo; vere Deus ab altissimo Patre ab æterno genitus; qui veram carnem redimendorum hominum causa suscepit [18]. Quapropter docet illum ex Virgine, sicuti Isaias his verbis : *Ecce virgo concipiet et pariet*, prædixerat, mortalem suam duxisse originem. Porro autem de horum Isaiæ verborum vera lectione genuinoque sensu fuse et docte disputat. Ac obiter versionis LXX interpretum auctoritate commendata, Christum verum Deum et hominem fuisse contra omnes hæreticos, id varie negantes, liquido demonstrat. Quid plura? Ex eodem sacri Vatis testimonio colligit, Christum ex genere David, minime tamen ex Joseph ortum, e cœlo hunc descendisse in mundum; quod multiplici subinde tum ratione, tum auctoritate confirmat.

[19] Neque tamen ibi stat vir doctissimus, sed ulterius progressus, palam omnino facit, Christum, qui

[5] Præfat. [6] Cap. 1. [7] Cap. 2. [8] Cap. 3. [9] Cap. 4. [10] Cap. 5 et seq. [11] Cap. 7 et seq. [12] Cap. 9 et seq. [13] Cap. 11. [14] Ibid. [15] Cap. 12. [16] Cap. 13 et seqq. [17] Cap. 16 et seqq. [18] Cap. 21 et seqq. [19] Cap. 22.

(27) *Nuncupationes*. Sic editt. omnes et e mss. solus Clarom., nam cæteri perperam habent *nuncupationis*, quia sequitur *pronomina*.

(28) *Pronomina*. Pro *cognomina*.

(29) *Legislationis ministratio*. Legem Mosaicam intelligit, ministerio angelorum datam.

(30) *Aptat*. In Feuard. edit. perperam, *apta*.

(31) *Subjacentium naturas*. Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Consentiunt quoad postremam vocem Arund. et Merc. 2, sed non quoad primam, nam et ipsi habent *subjacentiam*; cæteri *subjacentiam naturam*.

(32) *Ostensum*. Editt. *ostensa*.

(33) *Uno ostenso Deo*, etc. Mallet Grabius, *unum ostensum Deum Patrem*, etc. Sed frustra et repugnante Irenæi sensu, qui sublata mala interpunctione planus est. *Semel*, inquit, *ostenso uno Deo Patre, factore omnium, arbitror et per hæc*, seu simul *ostensa tanta* quæ jam dixi.

(34) *Qui sequitur has Scripturas*. Id est, *qui vestigiis earum Scripturarum insistit, easque recte explicat*.

Digitized by Google

hominem in Adamo per virginem Evam lapsum redempturus advenerat, debuisse ex virgine veram induere hominis carnem [20]. Data autem isthic de Adamo fusius disserendi occasione, probat contra Tatiani sectatorumque ejus opinionem, dimissa fuisse primo illi hominum parenti peccata, et æternam eum adeptum esse felicitatem [21]. Postremo postquam ea quæ hactenus contra hæreses dixerat, summatim collegit, mundum asserit unius Dei regi providentia; et falsum Marcionem, qui duos deos, unum bonum, malum alterum insulse omnino induxit.

LIBER TERTIUS.

173 PRÆFATIO.

Tu quidem (35), dilectissime, præceperas nobis, ut eas, quæ a Valentino sunt, sententias absconditas, ut ipsi putant, in manifestum proderem; et ostenderem varietatem ipsorum, et sermonem destruentem eos inferrem. Aggressi sumus autem nos, arguentes eos a Simone, patre omnium hæreticorum, et doctrinas et successiones manifestare et omnibus eis contradicere: propter quod cum sit unius operis traductio eorum, et destructio in multis, misimus tibi libros, ex quibus primus quidem omnium illorum sententias continet, et consuetudines, et characteres ostendit conversationis eorum. In secundo vero destructa et eversa sunt quæ ab ipsis male docentur, et nudata et ostensa sunt talia qualia et sunt. In hoc autem tertio ex Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his, quæ præceperas, desit a nobis; sed et, præterquam opinaberis, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias. Quæ enim est in Deo charitas, dives et sine invidia exsistens, plura donat quam postulet quis ab ea. Memento igitur eorum quæ diximus in prioribus duobus libris; et hæc illis adjungens, plenissimam habebis a nobis adversus omnes hæreticos contradictionem, et fiducialiter ac instantissime resistes eis pro sola vera ac vivifica fide, quam ab apostolis Ecclesia percepit, et distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit apostolis suis potestatem Evangelii, per quos et veritatem, hoc est, Dei Filii doctrinam, cognovimus; quibus et dixit Dominus: « Qui vos audit, me audit; et qui vos contemnit, me contemnit, et eum qui me misit [22]. »

[20] Cap. 23. [21] Cap. 24 et seq. [22] Luc. x, 16.

(35) *Tu quidem.* Merc. 2, codd. *Quia quidem.*

(36) *Gloriantes, emendatores se esse Apostolorum*, etc. Marcionitas perstringit, qui Scripturas Novi Testamenti, et in primis Evangelium Lucæ fœde mutilaverant atque depravaverant. Lege Tertull., lib. IV *contra Marcion.*, et Epiphan., hæres. 42.

(37) *Supervenientis Spiritus sancti.* Eras., Gall., Arund., Ottobon. et Merc. 2, *superveniente Spiritu sancto.*

(38) *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος.* Græca hæc Irenæi verba allegavit Eusebius lib. V *Hist.*, c. 8.

(39) *Ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν.* Non Irenæi modo, sed et veterum omnium ea est sententia, Matthæum Hebraico sermone Evangelium suum conscripsisse. Eorum testimonia, notissima cum sint, et passim obvia, referre supervacaneum foret. Legi possunt apud doctissimum D. Eliam Du Pin, tom. II *Dissertat. Prælimin. in sacra Biblia*, cap. 2. Sed ex Irenæi verbis concludere merito possumus, Hebraicam illam linguam,

CAPUT PRIMUM.

Apostolos non prius Evangelium prædicasse, scriptisque mandasse, quam Spiritus sancti donis ac virtutibus instructi essent. Ab illis unum Deum, cœli et terræ conditorem annuntiatum fuisse.

1. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem; **174** sicut quidam audent dicere, gloriantes, emendatores se esse apostolorum (36). Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt supervenientis Spiritus sancti (37) virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et cœlestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium Dei.

Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος (38) ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν (39), καὶ Γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγ-	Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ

qua scriptum fuisse Matthæi Evangelium asserunt antiqui Patres, fuisse non veterem illam librorum Antiqui Testamenti, sed Syriacam, seu potius Syro-Chaldaicam, quæ Christi et apostolorum temporibus in Judæa vulgaris erat, quæque in Novo Testamento Hebraica passim vocitatur. Perspicua sunt hæc: Ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου, *apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum edidit Evangelium.* Constat vero propriam Judæorum tunc temporis linguam fuisse Syro-Chaldaicam. Cum Irenæo consentiunt qui ex veteribus affirmant, Matthæum Hebraice scripsisse. Id enim ab eo præstitum asserunt in gratiam Judæorum recens ad Christi fidem conversorum, ut absente Matthæo Evangelium, quod sibi ab ipso nuntiatum fuerat, privatim legere possent. Eo igitur sermone scriptum erat, quo et nuntiatum fuerat, quique a Judæorum vulgo facile intelligeretur. Sed hæc fusius prosequi, nostri non est instituti. Lege D. Eliam Du Pin, *loco cit.*

Digitized by Google

γελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων (40), καὶ θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος (41) ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Καὶ Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον Εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων.

evangelizarent, et fundarent (42) Ecclesiam. Post vero horum excessum (43), Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium in libro condidit. Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiæ commorans.

2. Et omnes isti unum Deum factorem cœli et terræ, a lege et prophetis annuntiatum, et unum Christum Filium Dei tradiderunt nobis: quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem et ipsum Christum Dominum, spernit vero et Patrem, et est a semetipso damnatus, resistens et repugnans saluti suæ: quod faciunt omnes hæretici.

CAPUT II.

Quod neque Scripturis, neque Traditionibus obsequantur hæretici.

1. Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem. Non enim per litteras traditam (44) illam, sed per vivam vocem: ob quam causam et Paulum dixisse: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autem non mundi hujus [22]. » Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam a semetipso adinvenerit, fictionem videlicet, ut digne secundum eos **175** sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho: postea deinde in Basilide fuit, aut et in illo (45) qui contra disputat, qui nihil

[22] I Cor. II, 6.

(40) *Τοῦ Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων.* Communis est veterum sententia, Matthæum primum omnium Evangelium scriptis consignasse. Idque ipse Irenæus significare videtur, cum hunc primo ordine inter cæteros evangelistas recenset. Sed qui hæc conciliari possint cum iis quæ subjungit, editum illud Evangelium, *cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent, et fundarent Ecclesiam*, nemo facile dixerit. Hinc siquidem concludendum erit, Matthæi Evangelium scribi non potuisse ante annum Christi 63, vel 64, neque enim prius Romæ *evangelizare* potuit Paulus. Vel ergo deserendus Irenæus, vel vulgata cæterorum Patrum rejicienda sententia. Paria utrinque incommoda. Nodum forte secuerit, qui dixerit, in re tam obscura nihil certi definiri posse, vanasque proinde conjecturas esse eorum, qui quo præcise anno scriptum fuerit Matthæi Evangelium, statuere se posse putant.

(41) *Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος*, etc. Hic nova emergit difficultas. Obscurum siquidem quæ sit illa apostolorum ἔξοδος, seu, ut vertit interpres, *excessus*. An excessus e vita? an urbe Roma duntaxat? Gravia utramque sententiam premunt incommoda. Si enim Marci Evangelium scriptum dicatur post apostolorum Petri et Pauli interitum, consequenter asserendum erit, his superstitem vixisse Marcum; quod vix conciliari poterit cum Eusebio scribente lib. II *Hist.*, cap. 24, anno 8 imperii Neronis Annianum Marco in sede Alexandrina successisse; ex eo enim inferri posse videtur, (intulit saltem Hieronymus) Marcum eo anno vita functum fuisse. Levius forte istud; sed gravius quod sequitur. Si excessum non e vita, sed urbe Roma interpretemur, nec hac explicatione minuetur difficultas. Paulus enim Roma discedere non potuit ante annum 63. Atqui tamen e veteribus plerique referunt Marcum longe antea scripsisse Evangelium suum in ipsa urbe Roma, Petro ibi tum degente, auctoritateque sua confirmante. Quod incommodum ex æquo, imo multo magis, militat adversus priorem sententiam. Utrumque facile declinaret qui pro, μετὰ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος, etc., in Eusebio et Irenæo legeret cum Christophorsono, μετὰ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου ἔκδοσιν, Μάρκος, etc. *Post editionem Evangelii secundum Matthæum, Marcus*, etc. Nulla siquidem erit, ita legendo, in verbis Irenæi difficultas. Verum Christophorsonum castigat Valesius, quasi ille ex mera conjectura Eusebii textum interpolarit. Sed insontem castigat. Veterem enim codicem exstitisse in quo legeretur ut edidit Christophorsonus, refert testis omni exceptione major Grotius, *Synop. in Marc.*, p. 711. Et Petrus Posinus, in *Catena Patrum* in Marcum, præfata Irenæi verba ex veteri *Catena* ms. Vaticana, cum pluribus aliis veterum fragmentis descripta, edidit eodem prorsus modo atque Christophorsonus. Certo argumento, Christophorsoni lectionem in veteribus quibusdam mss. codd. exstitisse; nec proinde usque adeo indubitatam esse Valesii lectionem, quin iis de ea moveri possit. Hanc tamen loco movere nolui, quia evidens est veterem Irenæi interpretem eodem modo legisse. Sed ea servata lectione, ingenue fatebor Irenæum vix ac ne vix quidem cum aliis Patribus in concordiam adduci posse: nisi forte dicamus, Marcum paulo ante Petri martyrium scripsisse quidem Evangelium suum; quod in Ægyptum post Apostoli mortem secum detulerit, ibique primum publicaverit. Sic defendi posset quod ait Irenæus, Marcum post apostolorum interitum Evangelium suum tradidisse; quamvis enim viventibus illis scriptum fuisset, non tamen vulgatum. Sed neque ea opinio vacat incommodis.

(42) *Evangelizarent et fundarent.* Sic quidem scriptum fuerat in cod. Clarom., sed postea recentiori manu superscriptum, *evangelizarunt et fundarunt.*

(43) *Excessum.* Hic Feuardentium temeritatis arguit Grabius, quod contra codicum omnium fidem, *discessum* pro *excessum* excudi fecerit. Sed immeritus arguitur, nostræ siquidem editiones recte habent *excessum*,

(44) *Non enim per litteras traditam.* Quinque has voces desiderant vetus Feuard. codex, Clarom. et Voss. et unico contextu legunt: *ab iis qui nesciant traditionem illam; sed per vivam vocem*, etc. Sed cum editt. conveniunt Ottobon., Arund. et Merc. 2.

(45) *Aut et in illo.* Hæc lectio, quæ est cod. Cla-

Digitized by Google

salutare loqui potuit. Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.

2. Cum autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis exsistentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem. Apostolos enim (46) admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis: et non solum apostolos, sed etiam ipsum Dominum, modo quidem a Demiurgo, modo autem a mediotate, interdum autem a summitate fecisse sermones: et se vero indubitate, et intaminate (47), et sincere absconditum scire mysterium: quod quidem impudentissime est blasphemare suum factorem. Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos.

3. Adversus tales certamen nobis est, o dilectissime, more serpentum lubricos (48) undique effugere conantes. Quapropter undique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conversionem veritatis adducere possimus. Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam, sed non omnimodo impossibile est (49) errorem effugere, apposita veritate.

CAPUT III.

Traditione apostolorum, continua episcoporum ab iis institutorum successione in Ecclesiis servata, hæreticos invicte confutat.

1. Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere (50) omnibus qui vera velint videre (51): et habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores (52) eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quæ seorsim et latenter a reliquis (53) perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles (54) in omnibus eos volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus (55) fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

2. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ (56), et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo (57) Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis Traditionem (58), et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes,

rom. magis placet, quam *autem et in illo*, vel *autem in illo*, ut in aliis codd. legitur, quia nitidiorem sensum efficit. Quem autem per hæc, *in illo*, intelligat Irenæus, incertum videtur. Missis Feuardentii et Grabii conjecturis, quorum ille Marcionem, hic Simonem Magum denotari putat; probabilius crediderim, nullum hic speciatim designari, sed potius generatim eos omnes qui contra catholicam fidem disputant.

(46) *Apostolos enim.* Al. *apostolos autem.*

(47) *Intaminate.* Alii, *incontaminate.*

(48) *Lubricos.* Ita Voss. et codex Vaticanus, teste Latino Latinio; in reliquis perperam, *lubrici.* Sensus enim est: *adversus tales certamen nobis est, qui more serpentum lubrici, undique effugere conantur.*

(49) *Non omnimodo impossibile est*, etc. Justini M. verba sunt, Apol. 2: Οὐκ ἀδύνατον, ἀληθείας παρατεθείσης, ἄγνοιαν φυγεῖν.

(50) *Adest respicere.* Edith. *perspicere.* In Merc. 2, *prospicere.* Sed *adest respicere* Græcorum more dicitur, ait Billius, pro *licet*, vel *promptum est respicere.* Πάρεστιν enim illius, idem sæpe est quod ἔξεστιν.

(51) *Videre.* In aliis *audire.*

(52) *Successores.* Clarom., Arund. et Voss. *successiones.*

(53) *Latenter a reliquis.* Feuard. in marg. et Voss. *latentes a reliquis.*

(54) *Et irreprehensibiles.* Alludit Irenæus ad ea verba Apostoli I Timoth. III, 2: Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίλημπτον εἶναι, *oportet episcopum irreprehensibilem esse.*

(55) *Quibus emendate agentibus.* Græce, inquit Billius, ὧν κατορθούντων, id est *quibus munere suo probe fungentibus.*

(56) *Maximæ et antiquissimæ*, etc. Verba hæc, multo magis sequentia, *ad hanc enim Ecclesiam*, etc., iis omnibus qui Romanæ Ecclesiæ simul et catholicæ fidei jugum excusserunt, molestissima, nihil non agit Grabius, ut in alienum sensum detorqueat. At vanas illius cavillationes in dissert. 3, § 4, dissolvimus, ubi liquido probavimus, adeo desperatam esse hic Protestantium causam, ut agi a Grabio non potuerit nisi absurdissimos sensus Irenæo tribuendo, qui in sanctissimi antistitis caput, nisi prorsus desiperet, ascendere non potuerint.

(57) *Petro et Paulo.* Clarom. et Voss. inverso ordine, *Paulo et Petro.*

(58) *Quam habet ab apostolis Traditionem.* In Clarom. et Voss. *quam habebat.* Sed et his Irenæi verbis vim inferre nititur Grabius. Cum enim Traditionis apostolicæ pondus, quo hæreticos tam feliciter opprimit Irenæus, declinare non valeat ejus editor, angustioribus saltem limitibus, ne ad eo premat, concludere conatur *Symbolum fidei apostolicæ intelligit*, inquit. Cur ita? Quia mox addit: *et annuntiatam hominibus fidem.* Quasi vero annuntiata hominibus fides tota Symbolo apostolico contineatur. Quasi vero plura alia fidei dogmata, quæ nobiscum profitentur ipsimet Protestantes, non tradiderint apostoli, quibus astruendis Symbolum per se non sufficiat, nisi asciscatur Ecclesiæ auctoritas. Præcipua quidem fidei dogmata paucis comprehensa capitibus in Symbolo, velut in Breviario quodam, Ecclesiæ consignaverint apostoli, non repugnabo; quamvis Symbolum quod apostolicum dicitur, ab apostolis ipsis editum fuisse, non usque adeo certis demonstrari possit argumentis, ut omnis præcidatur dubitandi ansa. At apostolos multa alia, et ipsa maximi momenti dogmata, quæ a Christo acceperant, quæque Symbolum haud expresse complectitur, viva voce fidelibus non tradidisse, nec dicit Irenæus, nec probabit unquam Grabius: imo si necesse foret, contrarium ex Irenæo facile erui posset. An a Symbolo habet doctissimus editor, nasci homines peccati originalis labe maculatos, baptizandos esse infantes, tot nec plura esse sacramenta? ut omittam alia non pauca. Sed ad controversias digredi, præscripti adnotationum fines non sinunt. Cætera quæ in hoc capite misere detorquet in notis suis Grabius expendi in dissert. 3, cit.

Digitized by Google

confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia (59), vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt (60). Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem (61) principalitatem necesse est omnem **176** convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis Traditio.

3. Θεμελιώσαντες οὖν (62) καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν Ἐκκλησίαν, Λίνῳ (63) τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. Τούτου τοῦ Λίνου Παῦλος ἐν ταῖς πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολαῖς μέμνηται. Διαδέχεται δὲ αὐτὸν Ἀνέγκλητος, μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους (64) ἀποστόλους, καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἐναύλον τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, οὐ μόνος· ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο τότε ὑπὸ τῶν ἀποστόλων δεδιδαγμένοι. Ἐπὶ τούτου οὖν τοῦ Κλήμεντος στάσεως οὐκ ὀλίγης τοῖς ἐν Κορίνθῳ γενομένης ἀδελφοῖς, ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ Ἐκκλησία ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις, εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα αὐτοὺς, καὶ ἀνανεοῦσα (68) τὴν πίστιν αὐτῶν, καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων (69) παράδοσιν εἰλήφει,

3. Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos (65), et contulit cum eis, et cum adhuc insonantem prædicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet, non solus, adhuc enim multi (66) supererant tunc ab apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras (67) Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab apostolis acceperat (70) traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem (71), factorem cœli et terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, et advocaverit Abraham, eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui legem disposuerit, et prophetas miserit, qui ignem præparaverit diabolo et angelis ejus [24]. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura (72), qui velint discere possunt, et apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere; cum sit vetustior epistola his qui nunc falso docent, et alterum Deum super Demiurgum et factorem horum omnium, quæ sunt, commentiuntur.

[24] Matth. xxv.

(59) *Sibi placentia.* Sic Clarom. et Anglic, nisi quod in his incuria scribarum legatur *placentiam*; quod aphalmatis genus, male superposita abbreviationis nota, in mss. frequentissimum. Eadem etiam superposita fuerat in ms. Clarom., sed postmodum expuncta mihi videtur. At in omnibus editt. habetur, *sui placentiam malam;* quæ postrema vox desideratur in omnibus mss.

(60) *Præterquam oportet, colligunt.* Nescio, inquit Billius lib. II *Observat. sacr.*, c. 3, an quisquam Græcæ linguæ ignarus, quid sit *præterquam oportet, colligere*, intellectu assequi possit. Illis enim verbis non dubito quin interpres Græcam vocem παρασυνάγειν reddere studuerit: quam tamen dilucidius vertisset, *præter jus fasque conventus agere.* Unde Socrates in *Hist. eccles.* lib. v, cap. 21, Sabbatium Novatianum, cum, relictis suis, privatos conventus agere cœpisset, παρασυνάξαι dicit. Quid autem inter hæresim, schisma, et παρασυναγωγήν, vel παρασύναξιν intersit, vide Basil. in epist. canon. ad Amphiloch., can. 1.

(61) *Potiorem.* Sic Clarom. cod. Scripserat librarius *pontiorem*, sed eadem, vel certe antiqua manu expuncta postea *n*, ut legatur *potiorem.* Quæ lectio magis placet, quam *potentiorem*, ut habent cæteri codd. Nam *principalitati* quam in cæteras Ecclesias obtinebat obtinuitque semper Romana Ecclesia, vox *potior* magis convenit quam *potentior.* Salmasius etiam lib. *De primatu papæ*, pag. 65, *potiorem principalitatem* legere ainat, Græceque scriptum ab Irenæo conjicit, ἐξαίρετον πρωτεῖον Scriptum ego conjicio, ὑπέρτερον πρωτεῖον.

(62) *Θεμελιώσαντες οὖν.* Græca hæc Irenæi verba refert Eusebius lib. v *Hist. eccles.*, cap. 6, et ex parte Nicephorus lib. IV, cap. 13.

(63) *Λίνῳ.* Difficultates, quibus scatet primorum Petri successorum tum chronologia, tum successio, evolvere nostri non est instituti; cum maxime plures eruditione præstantissimi homines sedulam eam in rem contulerint. Legi præ cæteris possunt viri clarissimi Tillemontii in *Historiam eccles.* Commentarii tom. II in notis in S. Clementem, pag. 587 et seqq. Observes duntaxat velim, Irenæum Cleti haud meminisse.

(64) *Μακαρίους.* Hanc vocem omisit interpres.

(65) *Ipsos apostolos.* Vocem *ipsos* quam expunxit Grabius, retineo, quia, licet neque in Merc. 2, neque in Græco habeatur, exstat in omnibus aliis optimæ notæ codicibus.

(66) *Non solus; adhuc enim multi.* Erâs., Gall, et Feu. minus bene, *non solus enim, adhuc multi.*

(67) *Potentissimas litteras. Luculentissimam epistolam* melius reddit Valesius.

(68) *Συμβιβάζουσα .... ἀνανεοῦσα.* Scripsit Nicephorus συμβιβάζουσαν ... ἀνανεοῦσαν, et Rufinus quoque ita in Eusebio legit, hæc non ad Ecclesiam Romanam, sed ad epistolam referentes.

(69) *Καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων.* Παρά pro ἀπό legitur apud Nicephorum, qui perinde atque Eusebius, omittit vocem ἀναγγέλλουσα, quam tamen et vetus Irenæi, et antiquissimus Eusebii interpres Rufinus expressit.

(70) *Acceperat.* Ita recte solus Clarom. cod. juxta Græcum εἰλήφει. Cæteri omnes perperam, vel *receperant*, vel *acceperant.*

(71) *Deum omnipotentem.* In Clarom. et Voss. deest *omnipotentem.*

(72) *Scriptura.* Vocem γραφή, qua paulo ante usus est Irenæus, quamque recte vertit interpres, *litteras*, et hic reddere debuisset, *littera* seu *epistola*, nam de Clementis epistola sermo est.

Digitized by Google

Τὸν δὲ Κλήμεντα (73) τοῦτον διαδέχεται Εὐάρεστος· καὶ τὸν Εὐάρεστον Ἀλέξανδρος· εἶθ' οὕτως (74) ἕκτος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων καθίσταται Ξύστος, μετὰ δὲ τοῦτον Τελεσφόρος, ὃς καὶ ἐνδόξως ἐμαρτύρησεν· ἔπειτα Ὑγῖνος, εἶτα Πῖος, μεθ' ὃν Ἀνίκητος. Διαδεξαμένου τὸν Ἀνίκητον Σωτῆρος, νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος. Τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ (75) ἥτε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς.

Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit: ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Anicéto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis prædicatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.

4. Καὶ Πολύκαρπος (76) δὲ οὐ μόνον ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθείς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν (77), ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ Ἐκκλησίᾳ, ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ (78)· (ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε (79), καὶ πάνυ γηραλέος, ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου) ταῦτα διδάξας ἀεί, ἃ καὶ παρὰ τῶν ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ Ἐκκλησία παραδίδωσιν (82), ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ. Μαρτυροῦσιν τούτοις αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον (83), πολλῷ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρα ὄντα, Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν κακογνωμόνων. Ὃς καὶ ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ (86), πολλοὺς ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν ἐπέστρεψεν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παραδεδομένην. Sed et hic legit interpres, τὴν τῇ Ἐκκλησίᾳ παραδεδομένην. Quare non dubitem quin codex, quo usus est vetus interpres, utrobique tulerit, τῇ Ἐκκλησίᾳ. Hancque lectionem alteri præferendam esse ex eo existimo, quod ad Irenæi scopum magis faciat. Probat enim eam, qua gaudet Ecclesia, traditionem apostolis et viris apostolicis acceptam referri.

4. Et Polycarpus autem non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate (multum enim perseveravit (80), et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita), hæc docuit (81) semper quæ ab 177 apostolis didicerat, quæ et Ecclesiæ tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo: qui vir multo majoris auctoritatis (84), et fidelior (85) veritatis est testis, quam Valentinus et Marcion, et reliqui, qui sunt perversæ sententiæ. Is enim est, qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his quos prædiximus, hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab apostolis percepisse se (87), quam

(73) *Τὸν δὲ Κλήμεντα.* Græca hæc itidem Eusebio debemus lib. v *Hist.*, cap. 6.

(74) *Οὕτως.* Hanc vocem non agnoscit vetus interpres.

(75) *Διδαχῇ.* Legendum esse cum veteri interprete διαδοχῇ, nemo non videt.

(76) *Καὶ Πολύκαρπος.* Etiam hunc locum Græce refert Eusebius lib. iv *Hist.* cap. 14.

(77) *Συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν.* Cum Joanne nominatim familiarem Polycarpo consuetudinem intercessisse, scribit Irenæus in epistola ad Florinum, cujus fragmentum habes ad calcem hujus operis. Nec dubium quin Philippum etiam apostolum viderit; quandoquidem Polycrates Ephesiorum episcopus, qui eodem tempore scribebat atque Irenæus, ipsum recenset inter eos quorum exemplo muniebatur consuetudo celebrandi Paschatis die 14 lunæ.

(78) *Ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ.* Idem testatur Irenæus in citata ad Florinum epistola. Sed de iis in dissert. II.

(79) *Ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε.* Si Polycarpus sit Angelus Ecclesiæ Smyrnensis, ad quem Christus Apoc. II, 9, 10, scribi jubet, egerit necesse est 70 annos in episcopatu, ac proinde obierit centenario major.

(80) *Perseveravit.* Eras., Gall. et Feuard. editt. *perseveraverat.* Sed interpres melius vertisset, *vixit.*

(81) *Hæc docuit.* Editt. *Hic docuit.*

(82) *Ἃ καὶ ἡ Ἐκκλησία παραδίδωσιν.* Legit vetus interpres, ἃ καὶ τῇ Ἐκκλησίᾳ παραδίδωσιν. Sic etiam Rufinus apud Eusebium legit, vertit enim: *Et hæc Ecclesiæ tradebat.* Paulo post quidem habet iterum textus Græcus: ταύτην ἀλήθειαν... τὴν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας παραδεδομένην.

(83) *Διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον.* In Rob. Stephani edit. Eusebii, indeque in Feuard. edit Irenæi scriptum legitur, τὸν τοῦ Πολυκάρπου θρόνον. Sed recentioris cujuspiam additamentum esse liquet.

(84) *Auctoritatis.* Vocem *testis*, quæ in editt. Eras., Gall. et Feuard. immediate sequitur, Græci textus et cod. Voss. ac Clarom. auctoritate delemus.

(85) *Fidelior.* Sic recte Clarom. cod. Jam Eusebii auctoritate, et Billii (lib. II *Observat sacr.*, cap. 8), commonitione sic locum restituerat Feuardentius, expuncto *fidelioris*, quod perperam habebant omnes codd. Sed conjecturis deinceps opus non est, ubi suffragatur ms. codicis auctoritas.

(86) *Ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ.* Ejusdem adventus Polycarpi in urbem meminit in epistola ad Victorem papam. Inter illud a Polycarpo susceptum fuisse initio pontificatus Aniceti, anno scilicet 157, aut 158, potissimum *ob quæstionem quamdam quæ de Pascha inciderat*, scribunt Eusebius lib. iv *Hist.*, c. 14, et Hieronymus *De viris illustribus* cap. 17, quasi ex Irenæo, quamvis hic hujusce peregrinationis causam non memoret.

(87) *Percepisse se.* *Se* quod post hoc verbum in edit. Eras., Gall. et Feuard. ac in mss. omnibus, exceptis Clarom. et Voss. legitur, a Grabio minus

Digitized by Google

λων παρειληφέναι, τὴν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας (88) παραδεδομένην. Καὶ εἰσὶν οἱ ἀκηκοότες αὐτοῦ, ὅτι Ἰωάννης, ὁ τοῦ Κυρίου μαθητής, ἐν τῇ Ἐφέσῳ πορευθεὶς λούσασθαι, καὶ ἰδὼν ἔσω Κήρινθον (90), ἐξήλατο τοῦ βαλανείου μὴ λουτάμενος, ἀλλ' ἐπειπών· Φύγωμεν, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνί (92) ποτε εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι, καὶ φήσαντι, « Ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς(94); » ἀπεκρίθη· « Ἐπιγινώσκω (95) τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ. » Τοσαύτην οἱ ἀπόστολοι, καὶ

et Ecclesiæ tradidit (89). Et sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus; dicens, quod timeat (91) ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi, et dicenti: « Cognoscis nos (93)? » respondit: « Cognosco te primogenitum Satanæ. » Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent

οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν, ὡς καὶ Παῦλος ἔφησεν· « Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει, ὢν αὐτοκατάκριτος. Ἔστι δὲ καὶ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι, καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας, δύνανται μαθεῖν. Ἀλλὰ καὶ (2) ἡ ἐν Ἐφέσῳ Ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου

(96) alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quemadmodum et Paulus ait: « Hæreticum autem (97) hominem post unam correptionem (98) devita, sciens quoniam perversus est qui est talis, et est a semetipso damnatus [25] (99). » Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima (1), ex qua et characterem fidei ejus, et prædicationem veritatis, qui volunt et curam habent suæ salutis, possunt discere. Sed et quæ **178** est Ephesi Ecclesia a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos

[25] Tit. III, 10.

provide deletum reposui. Quamvis in textu Græco non exprimatur, subintelligi tamen debet; et ea propter versioni suæ, uti necessarium, ne male suspendatur sensus, inseruit Valesius. Idem dicendum de voce *dicentem* post *audierunt eum*, quam etiam perperam, et cum dispendio sensus, expunxit Grabius. Omittitur quidem in mss. Clarom. et Arund., sed librariorum culpa. In Græco vero adeo subintelligitur, ut Valesius Irenæi verba Latine reddere non potuerit, nisi addendo *narrantem*; et Grabius ipse agnoscat verti ab interprete debuisse, *audierunt ab eo*. Quasi *audierunt dicentem*, diversum quid exprimeret.

(88) *Τὴν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας*. Legere amarem, τὴν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Sic saltem legit vetus interpres. Vide præced. not. 82.

(89) *Quam et Ecclesiæ tradidit*. Juxta Græcum, *quam et Ecclesia tradidit*; sed, ut mihi videtur, minus bene. Lege ad textum Græc. not. 82.

(90) *Κήρινθον*. Hæc de Ebione, non de Cerintho refert Epiphanius hær. 30. Sed Irenæo potior adhibenda fides. Quod addunt quidam, balnei ruinis statim post Joannis egressum oppressum fuisse Cerinthum cum asseclis, fabulam olet. Neque enim ruinæ illius meminere antiqui.

(91) *Quod timeat*, etc. Græca ferunt: *Fugiamus hinc, ne forte balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis inimicus*.

(92) *Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνι*, etc. Id Romæ contigisse scribit Hieronymus *De vir ill.*, cap. 17. Sed neque Irenæus, neque Eusebius locum designant.

(93) *Cognoscis nos?* Ita recte ex Arund. reposuit Grabius, pro *cognosce nos*, ob rationes not. seq. expositas.

(94) *Ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς*. Ita mss. quatuor Eusebii codd. quibus usus est Valesius. Editi vero habent, ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς: quam lectionem etiam tuentur Nicephorus et Rufinus, prout editos habemus. At priorem post Grabium præstuli, non solum quod cum cod. Arund. conveniat, de quo supra, sed et quod verosimilius sit, Marcionem Polycarpo obviam factum per interrogationem dixisse: *Cognoscis nos?* quam imperiose *Cognosce nos*. Quod vero Valesius notat, ἐπιγινώσκειν idem fere hoc loco esse, quod *salutare*, id sane, ut recte observat Grabius, ad responsum Polycarpi nullo modo quadrat. Absurde enim diceretur: *Saluto te primogenitum Satanæ*.

(95) *Ἐπιγινώσκω*. Pronomen σε addit Chronicon Alexandrinum, ubi hæc historia narratur, pag. 257 nuperæ edit. Paris. Addidit quoque in versione sua vetus Irenæi interpres. Hinc et in textu Græco addendum esse vult Grabius. Sed haud necesse putem: satis subintelligitur. Huic vero S. Polycarpi responso: *Cognosco te primogenitum Satanæ*, geminum est quod ait in sua ad Philippenses epistola: Ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ Κύριου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. *Qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem, neque judicium esse; hic primogenitus est Satanæ*.

(96) *Ut ne verbo tenus communicarent*. Sic editt. Eras., Gall. et Feuard. et mss. Ottobon. et Merc. 2. Quæ lectio, cum optima sit, et Valesio probata, a Grabio partim ex Arund. partim ex Voss. in pejorem, *ut nec verbo communicarent*, commutanda non erat. In cod. Clarom. legitur: *ut ne verbo bonos communicarent*, forte pro *ut ne verbo bono*, aut *verbo tenus*; ex quo, ut et Voss. retinui particulam, *ut*, quam omittunt editt. cit.

(97) *Hæreticum autem*. Particula *autem* neque in Irenæi, neque in Apostoli Græco textu legitur.

(98) *Post unam correptionem*. Addunt Novi Testamenti codices, tum Græci, tum Latini, et ipse Irenæi textus Græcus, καὶ δευτέραν, *et alteram*; quas voces in Latina Irenæi versione librariorum culpa omissas puto. Siquidem hæc eadem Apostoli verba reddens supra lib. I, cap. 16, n. 3, expressit *et secundam*. Abfuisse tamen videtur ab Italica versione, Tertullianus enim lib. *De præscript.* Cyprian., lib. III *ad Quirin.*, cap. 78, et epist. 55; Lucifer Calarit. et Ambrosiaster in hunc Pauli locum, non habent *et alteram*.

(99) *Et est a semetipso damnatus. Est* ex Arund. et Voss. addidit Grab., consentit Clarom. Ex Græco autem Irenæi, ac sacro ipsius Apostoli textu addendum erat, *et peccat*.

(1) *Perfectissima*. Sic vocem ἱκανωτάτη reddere placuit interpreti. Vertit vere Rufinus *pervalida*: Langus Nicephori interpres, *longissima*; Christophorsonus, *accurate scripta*; Valesius denique *luculentissima*.

(2) *Ἀλλὰ καί*. Ita hujus capitis clausula Græce

Digitized by Google

μὲν τεθεμελιωμένη, Ἰωάννου δὲ παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων, μάρτυς ἀληθὴς ἐστι τῆς ἀποστόλων παραδόσεως.

usque ad Trajani tempora, testis est verus apostolorum traditionis

A

CAPUT IV.

A sola Ecclesia catholica, traditionis et doctrinæ apostolicæ custode, petendam esse veritatem. Hæreses novas esse, nec originem apostolis acceptam referre posse.

1. Tantæ igitur ostensiones cum sint, non (3) oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere (4), et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si de (5) aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias (6), in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?

2. Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt (7), sine charta (8) et atramento (9) scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes; in unum Deum credentes fabricatorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium. Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, et passus sub Pontio Pilato, et resurgens, et in claritate receptus, in gloria venturus Salvator eorum qui salvantur, et judex eorum qui judicantur, et mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, et contemptores Patris sui, et adventus ejus. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunque eorum portentiloquium est: nequedum enim (10) congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta.

B

3. Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores et inventores perversitatis eorum fierent.

C Οὐαλεντῖνος μὲν (11) γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου· ἤκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς

Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem qui ante Marcionem,

exstat apud Euseb. lib. III *Historiæ*, cap. 23, et Nicephorum lib. III, cap. 11.

(3) *Ostensiones cum sint, non.* Sic omnino Clarom. cod. consentiunt, quoad vocem *ostensiones*, Eras., Gall., Arund., Ottobon et Merc. 2, et quoad expunctionem vocis *hæc* post *sint*, Arund., Voss. et Merc. 1. At Feuard. perperam ex veteri cod. excudi fecit *ostensionis* pro *ostensiones*; retinuit vero cum Eras. et Gall. *hæc* post *sint*.

(4) *Diligere.* Billius lib. II *Observat. sacr.*, cap. 5, *deligere* mallet, quam *diligere*, ob verbum *devitare*, quod antecedit. Sed *diligere* hic pro *deligere* accipi nihil vetat, imo præstat. *Diligere* enim et *deligere* promiscue interdum usurpari, docent Glossæ veteres, in quibus legitur: *Dilige*, ἀγάπησον, ἐπίλεξον. *Dilectus*, στρατολογία, δοκιμασία, ἀγαπητός.

(5) *Si de.* Vocem *quibus*, quam interserunt Feuard. et Grab., ut superfluam omisi auctoritate Clarom. et Voss.

(6) *Nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias*, etc. Ita et Tertullian. lib. *De præscript. adversus hæret.*, cap. 36: *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ cathedræ apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxime est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt*, etc.

(7) *Eorum qui in Christum credunt. Quorum* loco *eorum* ex vet. cod. excudi fecit Feuard. cum quo consentiunt Clarom., Arund. et Voss., nisi quod hic *Christo*, non *Christum* habeat. Sed melior est lectio *eorum* in Eras., Gall., Grab. et Merc. 2.

(8) *Charta.* In Eras., Gal., Ottobon., Arund. et Merc. 2, minus bene, *characters*.

D

(9) *Et atramento.* Ita Clarom. et Feuard. edit. In Eras., Gall. et Grab. *vel atramento.* Illis vero Irenæi verbis similia sunt, ut recte notat Grab., quæ Hieronymus epist. 38, al. 61, ad Pammachium, cap. 9, contra errores Joannis Hierosolymitani scribit: *Quod ab apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tubulis cordis carnalibus.*

(10) *Nequedum enim. Dum* deest in Eras., Gall., Clarom., Arund. et Merc. 2. *Sed enim* in Voss. Porro *nequeaum* hic accipio pro *necdum*, isque sensus esse videtur. Necdum enim, cum apostoli barbaris illis populis Evangelium nuntiabant, hæreticorum congregatio fuit apud eos, vel perversa eorum doctrina ibi nota. Nam Valentinus, Marcion, cæterique ejusmodi fidei corruptores, apostolis posteriores exstiterunt.

(11) *Οὐαλεντῖνος μέν.* Græca hæc transcripsit Eusebius lib. IV *Hist.*, c. 11.

Digitized by Google

τὸς ἀπὸ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος (12), εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐλθὼν, καὶ ἐξομολογούμενος, οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος (14), ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ὑφ' οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας.

et hic sub Hygino, qui fuit octavus episcopus, sæpe (13) in Ecclesiam veniens, et exhomologesin faciens, **179** sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesim faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quæ docebat male, et abstentus est a religiosorum hominum conventu (15).

Marcion autem illi succedens invaluit sub Aniceto, decimum locum episcopatus continente. Reliqui vero, qui vocantur Gnostici, a Menandro Simonis discipulo, quemadmodum ostendimus, accipientes initia, unusquisque eorum, cujus participatus est sententiæ, ejus et pater, et antistes apparuit. Omnes autem hi multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam (16).

CAPUT V.

Christum et apostolos sine ullo mendacio, fuco et hypocrisi, nec doctrinam suam ad auditorum opinionem componentes, unum Deum Patrem omnium conditorem annuntiasse.

1. Traditione igitur, quæ est ab apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis ostensionem eorum, qui Evangelium conscripserunt, apostolorum, ex quibus conscripserunt de Deo sententiam, ostendentes quoniam Dominus noster Jesus Christus veritas est [96], et mendacium in eo non est. Quemadmodum et David eam, quæ est ex Virgine, generationem ejus, et eam, quæ est ex mortuis, resurrectionem prophetans, ait: « Veritas de terra orta est [96a]. » Et apostoli autem discipuli veritatis exsistentes, extra omne mendacium sunt; non enim communicant mendacium veritati, sicut non communicant tenebræ luci; sed præsentia alterius excludit alterum. Veritas ergo Dominus noster exsistens, non mentiebatur: et quem sciebat labis esse fructum, non utique Deum confiteretur, et Deum omnium, et summum Regem et Patrem suum, perfectus imperfectum, spiritalis animalem, is qui in Pleromate esset, eum qui extra Pleroma. Neque discipuli ejus alium quemdam Deum nominarent, aut Dominum vocarent, præter eum, qui vere esset Deus et Dominus omnium: quemadmodum dicunt hi, qui sunt vanissimi sophistæ, quoniam apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem, et responsiones secundum interrogantium suspiciones (17), cæcis cæca confabulantes secundum cæcitatem ipsorum, languentibus autem secundum languorem ipsorum, et errantibus secundum errorem eorum, et putantibus Demiurgum solum esse Deum, hunc annuntiasse; his vero qui innominabilem Patrem capiunt, per parabolas et ænigmata inenarrabile fecisse mysterium (18): uti non quemadmodum habet ipsa veritas, sed in hypocrisi, et quemadmodum capiebat unusquisque, et apostolos edidisse (19) magisterium.

2. Hoc autem non est sanantium, nec vivificantium; sed magis gravantium et augentium ignorantiam ipsorum: et multo verior his lex inveniet hic sub Hygino errorem suum; nunc convictum pravæ hæreticæque doctrinæ, eoque nomine ab Ecclesia segregatum. Nimirum hæreticos, etiam in sinu suo baptizatos, cæteris peccatoribus mitius semper excepit Ecclesia, nisi nota aliorum criminum gravitas obstaret. Sed de his consule Morinum *De administratione sacramenti Pœnitentiæ*, lib. IX, cap. 7, 8 et seqq.

[96] Joan. XIV, 6. [96a] Psal. LXXXIV, 12.

(12) Ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος. Legendum puto, ὃς ἦν ὄγδοος, non ἔνατος ἐπίσκοπος. Sic certe legit interpres, et meo quidem judicio, recte; nam præcedenti cap. 3, Irenæus pontifices Romanos ordine recensens, Hyginum octavo numerat: et hic et illic Aniceto decimum locum tribuit; quod non quadrat, si hic ἔνατος legas. Nec manifestam contradictionem enollieris dicendo, modo Petrum inter Romanos episcopos ab Irenæo computari, modo excludi. Nam et præcedenti cap. 3, et lib. I, cap. 28. Romanos pontifices enumerat ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, « ab apostolis; » quibus verbis Petrum a Catalogo suo perspicue removet. Vide quæ lib. I, cap. 28, adnotavimus.

(13) *Sæpe.* Hanc vocem vel interpres, vel librarius de suo addiderunt.

(14) Λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος. In tribus Eusebii codd. Mazarin., Medic. et Fuxer., Valesio teste, scriptum est λαθροδιδάσκων. Nicephorus tamen et Regius cod. vulgatam lectionem tuentur. Sed ex his Irenæi verbis concludit doctissimus Eusebii editor, primis saltem illis Ecclesiæ temporibus in hæreseos crimine secundæ confessioni locum fuisse; et hæreticos qui post confessionem et abdicationem erroris sui ad pristinum dogma iterum rediissent, quos nunc relapsos vocamus, tunc temporis ad secundam confessionem et pœnitentiam admissos fuisse. Scribit enim Irenæus Cerdonem hæreticum, post confessionem hæreseos in Ecclesiam admissum fuisse ab Hygino Romano pontifice, ac deinceps in urbe Roma manifesse; nunc occulte doctrinam suam spargentem; nunc rursus confitentem errorem suum; nunc convictum pravæ hæreticæque doctrinæ, eoque nomine ab Ecclesia segregatum. Nimirum hæreticos, etiam in sinu suo baptizatos, cæteris peccatoribus mitius semper excepit Ecclesia, nisi nota aliorum criminum gravitas obstaret. Sed de his consule Morinum *De administratione sacramenti Pœnitentiæ*, lib. IX, cap. 7, 8 et seqq.

(15) *Abstentus est a religiosorum hominum conventu.* Vertendum erat: *abstinuit a fratrum conventu.* Neque enim, ut observat Valesius, Cerdonem ex Ecclesia ejectum fuisse dicit Irenæus; sed ipsum, convictum tandem quod post toties iteratam exomologesin, pestiferum virus erroris sui occulte spargeret, se ab Ecclesia penitus segregasse. Ex quo apparet, Cerdonem suo ipsius judicio condemnatum, prævenisse Ecclesiæ sententiam.

(16) *Omnes autem ... apostasiam.* Tota hæc periodus desideratur in cod. Clarom. Et vereor ne a quopiam per modum notæ ad marginem codicis sui scripta, deinceps in textum irrepserit. Neque enim cum præcedenti mihi admodum cohærere videtur.

(17) *Suspiciones.* Græce ὑπολήψεις. Pro *opinionibus* dixit interpres.

(18) *Fecisse mysterium.* Accipit interpres pro *declarasse, explicasse mysterium:* quo sensu paulo ante dixit, *fecerunt doctrinam;* id est explicarunt doctrinam.

(19) *Uti ... Dominum et apostolos edidisse.* Græcorum more scripsit interpres pro, *Adeo ut ... Dominus, et apostoli ediderint.*

Digitized by Google

tur maledictum dicens omnem, qui in errorem mittat cæcum in via [27]. Qui enim ad inventionem missi erant errantium apostoli, et ad visionem eorum qui non videbant, et ad medicinam languentium, utique non secundum præsentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si cæcos jamjamque per præcipitium ferri incipientes adhortentur insistere illi periculosissimæ viæ, quasi vere rectæ, et quasi bene perventuri sint. Quis autem medicus volens curare ægrotum, faciat secundum concupiscentias ægrotantium (20), et non secundum quod aptum est medicinæ? Quoniam autem Dominus medicus venit eorum qui male habent, ipse testificatur, dicens: « Non est opus sanis (21) medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (22) [27*]. » Quomodo ergo qui male habent confirmabuntur? et quomodo peccatores pœnitentiam agent? Utrum perseverantes in eisdem ipsis; an econtrario, magnam commutationem et transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam et ægritudinem non modicam, et multa peccata sibimetipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem evacuatur. Agnitionem ergo (23) faciebat Dominus suis discipulis, per quam et curabat laborantes, **180** et peccatores a peccando (24) coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem (25)interrogantium respondebat eis; sed secundum doctrinam salutarem, et sine hypocrisi, et sine personæ acceptione.

3. Quod etiam ex Domini sermonibus ostenditur: qui quidem his, qui erant ex circumcisione, ostendebat Filium Dei, eum qui per prophetas prædicatus fuerat, Christum; hoc est, semetipsum manifestabat, qui libertatem hominibus restauraverit et attribuerit incorruptelæ (26) hæreditatem. Gentes autem iterum docebant apostoli, ut relinquerent vana ligna et lapides, quæ suspicabantur esse deos, et verum colerent Deum, qui constituisset et fecisset omne humanum genus, et per conditionem suam aleret et augeret, et constabiliret, et eis esse præstaret; et ut exspectarent Filium ejus Jesum Christum, qui redemit nos de apostasia sanguine suo, ad hoc ut essemus et nos populus sanctificatus, de cœlis descensurum in virtute Patris, qui et judicium omnium facturus est, et ea quæ a Deo sunt bona donaturus his, qui servaverint præcepta ejus. Hic in novissimis temporibus apparens, lapis summus angularis, in unum collegit, et univit eos qui longe, et eos qui prope, hoc est, circumcisionem et præputium, dilatans Japhet (27), et constituens eum in domo Sem [28].

CAPUT VI.

Neque Spiritum sanctum in scripturis Veteris Testamenti alium Deum ac Dominum nominasse, nisi qui vere Deus est, Patrem scilicet et Filium ejus.

1. Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus (28); neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, et Filium ejus, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis, quemadmodum habet illud: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, quoadusque (29) ponam inimicos tuos suppedaneum (30) pedum tuorum [29]. » Patrem enim Filio collocutum ostendit: qui dedit ei hæreditatem gentium, et subjecit ei omnes inimicos. Vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus, merito Spiritus sanctus Domini appellatione signavit eos (31). Et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait: « Et pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur a Domino de cœlo [30]. » Filium enim hic significat (32), qui et Abrahæ collocutus sit, a Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum. Similiter habet illud: « Sedes tua, Deus, in æternum; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus [31]. » Utrosque enim Dei

[27] Deut. XXVII 18. [27*] Luc. V, 31, 32. [28] Gen. IX, 27. [29] Psal. CIX, 1. [30] Gen. XIX, 24. [31] Psal. XLIV, 7 et seq.

(20) *Ægrotantium.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *ægrotantis.*

(21) *Sanis.* In Arund. *valentibus.*

(22) *Ad pœnitentiam. In* pro *ad* legitur in Clarom., Voss. et Merc. 1 cod.

(23) *Ergo.* Al. *vero.*

(24) *A peccando.* Ita Feuard. in marg. et Voss. Cæteri *a peccato.*

(25) *Suspicionem.* In Feuard. marg. et Voss. *opinionem.*

(26) *Incorruptelæ.* Clarom., Arund., et Merc. 2, *incorrupte.*

(27) *Dilatans Japhet.* Alludit ad ea verba, quibus Noe Japheto primogenito suo benedicens, ait Gen. IX, 27: *Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* Quæ quidem transfert Irenæus ad vocationem gentilium, quos, reprobatis Judæis, ad fidem vocavit Deus.

(28) *Vere Deus.* Ita in Feuard. marg., Clarom., Voss. et edit. Oxon., melius quam *verus Deus*, ut est in cæteris, quia sequitur: *vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus*, etc.

(29) *Sede a dextris meis quoadusque.* Clarom. *Sede ad dextram meam, quousque.*

(30) *Suppedaneum.* Ita Clarom., Arund. et Voss. In aliis *scabellum.* Sed cum tam supra lib. II, cap. 28, n. 7, quam infra cap. 11 et 12 hujus libri legatur *suppedaneum*, ita reponere malumus.

(31) *Signavit eos.* In Voss. *significavit eos.*

(32) *Filium enim hic significat.* Non Irenæus modo, sed et plures alii ex antiquis Patribus, de Filii divinitate, et a Patre distincta ejus hypostasi, argumentum ex illo Genesis loco sumpserunt, ut Tertullian., *cont. Prax.* cap. 13 et 16; Justinus in Dial. *cum Tryph.*; Prudentius, in *Apotheosi*, etc. Atqui horum ratio ut apud catholicos, propter illorum auctoritatem, valere debet; sic a Judæis ex linguæ suæ proprietate solet eludi; in qua sæpius nomen proprium repeti solet, et pro nominis usurpari loco.

Digitized by Google

appellatione signavit (33) Spiritus, et eum qui unA gitur, Filium, et eum qui ungit, id est Patrem. Et iterum : « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit [32]. »De Patre, et Filio, et de his qui adoptionem perceperunt, dicit : hi autem sunt Ecclesia. Hæc enim est synagoga Dei, quam Deus, hoc est Filius ipse per semetipsum collegit. De quo iterum dicit : «Deus deorum, Dominus locutus est, et vocavit terram [33]. » Quis Deus? de quo dixit : « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit (34)[34]; »hoc est Filius, qui secundum manifestationem hominibus advenit, qui dicit : « Palam apparui his, qui me non quærunt[35]. » Quorum autem deorum? quibus dicit : « Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi (35) « omnes [36] : » his scilicet (36), qui adoptionis gratiam B adepti sunt, per quam « clamamus : Abba, Pater [37]. »

2. Nemo igitur alius, quemadmodum prædixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus et Dominus (37), qui et Moysi dixit : « Ego sum, qui sum. Et sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos [38]; » et hujus Filius Jesus Christus Dominus noster, qui filios Dei facit credentes in nomen suum. Et iterum, loquente Filio ad Moysen : « Descendi, inquit, eripere populum hunc [39]. » Ipse « st enim (38) qui descendit, et ascendit propter salutem hominum (39). Per Filium itaque, qui est in Patre, et habet in se Patrem, is qui est, manifestatus est Deus (40); Patre testimonium perhibente (41) Filio, **181** et Filio annuntiante Patrem. Quemadmodum et Isaias ait : « Et ego, inquit, testis, dicit C Dominus Deus, et puer quem elegi, uti cognoscatis, et credatis, et intelligatis, quoniam ego sum [40]. »

3. Cum autem eos, qui non sunt dii, nominat, non in totum, quemadmodum prædixi, Scriptura ostendit illos deos; sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse dii. Quemadmodum apud David : « Dii gentium, idola dæmoniorum [41]. »Et, « deos alienos non sectabimini [42]. » Ex eo enim quod dicit, « dii gentium » (gentes autem verum Deum nesciunt), et « alienos deos » nominans eos, abstulit quod sint dii (42). A sua autem persona quod est, dicit de ipsis : Sunt enim « idola, » inquit, « dæmoniorum. » Et Isaias : «Confundantur omnes qui blasphemant (43) Deum, et sculpunt inutilia[43]; et ego testis, dicit Dominus (44) » Abstulit quod sint dii; solo autem utitur nomine, ad hoc ut sciamus de quo dicit. Hoc autem ipsum et Jeremias : « Dii inquit, qui non fecerunt cœlum et terram, pereant de terra, quæ est sub cœlo (45)[44]. » Ex eo enim quod perditionem eorum adjecit, ostendit non esse eos deos. Et Elias autem convocato universo Israel in Carmelum monteu, volens eos ab idololatria avertere, ait eis : « Quousque claudicabitis vos in ambabus suffraginibus? Si unus (46) est Dominus Deus, venite post eum [45]. » Et iterum super holocaustum sic ait idolorum sacerdotibus : « Vos invocabitis in nomine deorum vestrorum, et ego invocabo in nomine Domini Dei mei; et Deus qui exaudiet hodie (47), ipse est Deus [46]. » In eo enim quod hæc dicebat propheta, qui quidem apud ipsos putabantur dii, arguit deos non esse. Convertit autem eos ad eum Deum, qui et credebatur ab eo, et qui vere erat Deus, quem et invocans clamabat : « Domine, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, exaudi me hodie : et intelligat omnis populus hic, quoniam tu es Deus Israel [47]. »

4. Et ego igitur invoco te, Domine, Deus Abra-

[32] Psal. LXXXI, 1. [33] Psal. XLIX, 1. [34] Ibid., 3. [35] Isa. LXV, 1. [36] Psal. LXXXI, 6. [37] Rom. VIII, 15. [38] Exod. III, 14. [39] Ibid., 8. [40] Isa. XLIII, 10. [41] Psal. XCV, 5. [42] Psal. LXXX, 10. [43] Isa. XLIV, 9. [44] Jerem. X, 11. [45] III Reg. XVIII, 21. [46] Ibid., 24. [47] Ibid., 36.

(33) *Signavit.* Sic Clarom. et Voss. Alii *significavit.*

(34) *Non silebit.* Clarom. *non silebitur.*

(35) *Altissimi.* Voss. *Excelsi.*

(36) *His scilicet. His* pro *hi* ex Arund. et Voss. reposuit Grabius, ut respondeat *quibus.* Consentit Clarom.

(37) *Omnium Deus et Dominus.* Miratur Grabius, Irenæum versum 14 capitis III Exodi Deo Patri tribuere, sed versum 8, Deo Filio; cum tamen integer D contextus planissime ostendat, eamdem esse personam, quæ utrobique loquitur. Sed mirari desiisset, si attendisset eam esse Irenæi, alioruinque e veteribus non paucorum sententiam, ex divinis personis solum apparuisse Verbum; Patrem vero invisibilem semper perstitisse, nec hominibus manifestatum esse, aut cum iis collocutum, nisi *per Filium,* ut hic loquitur auctor noster, et fusius disserit lib. IV, cap. 57. Vide quæ in dissert. 3, art. V, § 57 et seqq. eam in rem observavimus.

(38) *Ipse est enim.* Duæ voculæ *est enim,* desunt in cod. Voss.; posterior duntaxat in Clarom.

(39) *Salutem hominum.* Merc. 1 et Ottobon. *salutem omnium.*

(40) *Is qui est, manifestatus est Deus.* Ita pro *his quibus est manifestatus,* post Grabium reposui ex codd. Clarom. et Voss. et Feu. marg., cum quibus consonat Arund., nisi quod in hoc desunt duæ postremæ voces, *est Deus.*

(41) *Perhibente.* Sic omnes mss.; editt. *præbente.*

(42) *Abstulit quod sint dii.* In Feuard. ex vet. cod. et mss. Voss., *abstulit qui non sunt dii.* Sed prior lectio præferenda videtur, nam mox eadem phrasis repetitur, et paulo post clarioribus explicatur verbis : *ostendit non esse deos.*

(43) *Blasphemant.* Ex sacro textu Isaiæ XLIV, 9, 10, legendum, *plasmant;* Gr. οἱ πλάσσοντες τὸν Θεόν.

(44) *Et ego testis, dicit Dominus.* Hæc posteriora verba non leguntur in mox cit. Isaiæ capite, neque in LXX neque in Vulgata. Quare suspicor, ex priori Isaiæ loco, quem paulo ante refert Irenæus, huc scribarum oscitantia translata fuisse.

(45) *Pereant de terra, quæ est sub cælo.* Paulo aliter sacer textus Jerem. X, 11 : Ἀπολέσθωσαν ἐκ τῆς γῆς, καὶ ὑποκάτωθεν τοῦ οὐρανοῦ τούτου. Quæ Vulgatus interpres ita reddidit : *Pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt.*

(46) *Si unus.* In Clarom. deest *si.* Unde venit mihi in mentem Irenæi interpretem in Græco pro εἰ, male legisse εἷς, et scripsisse : *Unus est Dominus,* etc., alium vero quempiam ex sacris codicibus addidisse particulam *si.*

(47) *Hodie.* Hæc vox in sacro textu non legitur, sed ἐν πυρ, *in igne*

Digitized by Google

bam, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et Israel, qui es (48) Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordiæ tuæ bene sensisti (49) in nobis, ut te cognoscamus; qui fecisti cœlum et terram, qui dominaris omnium, qui es solus et verus Deus, super quem alius Deus non est : per Dominum (50) nostrum Jesum Christum dominationem quoque dona (51) Spiritus sancti : da omni legenti hanc scripturam agnoscere te (52), quia solus Deus es, et confirmari in te, et absistere ab omni hæretica, et quæ est sine Deo, et impia sententia.

5. Et apostolus autem Paulus, dicens : « Si enim his (53) qui non erant dii servistis, nunc cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo [46]; » separavit eos qui non erant, ab eo qui est Deus. Et iterum de Antichristo dicens : « Qui adversatur et extollit se, inquit, super omne (54) quod dicitur Deus, vel quod colitur [47]; » eos qui ab ignorantibus Deum dii dicuntur, significat, id est idola. Etenim Pater omnium Deus dicitur, et est : et non super hunc extolletur Antichristus; sed super eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii. Quoniam autem verum est, ipse Paulus ait [48] : « Scimus autem, quoniam nihil est idolum, et quoniam nemo Deus, nisi unus. Etenim si sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum (55); et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. » Distinxit enim (56), et separavit eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii, ab uno Deo Patre, ex quo omnia; et unum Dominum Jesum Christum ex sua persona firmissime confessus est. Quod autem, « sive in cœlo, sive in terra, » non quemadmodum exponunt hi, dicere eum mundi fabricatores (57); sed simile est ei quod a Moyse (58) dictum est [49] : « Non facies tibi omnem similitudinem in Deum (59), quæcunque in cœlo sursum, et quæcunque in terra deorsum, et quæcunque in aquis sub terra (60). » Quæ autem in cœlo sunt, quæ sint, ipse exponit : « Nequando, inquit [50], respiciens in cœlum, et videns solem, et lunam, et stellas, et omne ornamentum cœli, errans adores ea, et servias eis. » Et ipse autem Moyses [51] homo Dei exsistens, Deus quidem datus est ante Pharaonem : non autem vere Dominus appellatur, nec Deus vocatur a prophetis, sed « fidelis Moyses famulus et servus Dei [52], » dicitur a Spiritu; quod et erat.

182 CAPUT VII.

Solvit objectionem petitam e Pauli verbis II Cor. IV, 5, *probatque Apostolum hyperbatis frequenter uti.*

1. Quod autem dicunt, aperte Paulum in secunda ad Corinthios [53] dixisse : « In quibus Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium; » et alterum quidem Deum esse sæculi hujus dicunt, alterum vero, qui sit super omnem principatum, et initium, et potestatem : non sumus nos in causa, si hi, qui quæ super Deum sunt mysteria scire se dicunt, ne quidem legere Paulum sciunt. Si enim quis (61) secundum Pauli consuetudinem, quemadmodum ex multis et alibi ostendimus, hyperbatis eum utentem, sic legerit : « in quibus Deus; » deinde subdistinguens, et modicum diastematis faciens, simul et in unum reliqua legerit, « sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, » inveniet verum, ut sit quod dicitur : « Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi. » Et hoc per subdistinctionem ostenditur. Non enim Deum hujus sæculi dicit Paulus, quasi super illum alterum aliquem scieus; sed Deum quidem Deum confessus est; infideles autem sæculi hujus dicit, quoniam venturum incorruptelæ non hæreditabunt sæculum. Quemadmodum autem Deus excæcavit (62) mentes infidelium, ex

[46] Gal. IV, 8, 9. [47] II Thess. II, 4. [48] I Cor. VIII, 4 et seqq. [49] Deut. V, 8. [50] Deut. IV, 19. [51] Exod. VII, 1. [52] Hebr. III, 5; Num. XII, 7. [53] II Cor. IV, 4.

(48) *Et Israel, qui es.* Ita in omnibus mss, nisi quod scribarum culpa habeant *est* pro *es*. At in editt. alio ordine et sensu legitur, *qui est et Israel*.

(49) *Bene sensisti.* Sic verbum εὐδοκεῖν reddere amat interpres.

(50) *Per Dominum.* Arund. *propter Dominum*.

(51) *Dominationem quoque dona.* Ita ex Clarom. cod. reposui. Consentiunt Ottob., Arund., Voss., Merc. 3, et vetus Feuard. cod. quoad *dominationem*; sed loco imperativi *dona*, Arund. habet *donans*; vetus Feuard. cod. et Voss. *donus*; Merc. 1, *donans* cum signo abbreviationis, quasi *dominans*; Eras., Gall. et Feuard. vitiosissime, *dominatione quoque dominaris*. Grabius qui excudi fecit, *dominationem quoque donans*, pro *dominationem* legendum censet *donationem*; sed frustra. Particula relativa *quoque*, quæ respicit *dominans*, quod præcessit, demonstrat legendum esse *dominationem*. Et in ea quam sequor lectione præclarus est sensus : *Qui dominaris omnium, dominationem quoque dona Spiritus sancti*; id est, fac ut per Christum dominetur etiam in cordibus nostris Spiritus sanctus.

(52) *Agnoscere te.* Sic Clarom. et Voss. Hic tamen omittit *te*. Cæteri, *cognoscere te*.

(53) *Si enim his.* In nostris N. Test. codd. legitur, *sed tunc quidem his*; et hic fortasse pro *si* legendum *sed*.

(54) *Super omne.* Sic quidem Vulgata nostra. Sed in Græco legitur, ἐπὶ πάντα. At in quibusdam mss. codd. exstare ἐπὶ πᾶν τό, docet Oxoniensis Novi Testam. edit. 1675.

(55) *Nos in illum.* Ita Clarom., Voss. et Grab., juxta sacrum Apostoli textum. Cæteri, *nos in illo*.

(56) *Distinxit enim.* In Eras., Gall. et Feuard., perperam, *dixit*.

(57) *Fabricatores.* Sic Clarom., Arund. et Merc. 1. Alii *fabricatorem*.

(58) *A Moyse.* Feuard. in marg. *ad Moysen*. Consentit Clarom., nisi quod librarius scripserit *a* pro *ad*.

(59) *In Deum.* Hæ voces non leguntur neque in Græco textu LXX, neque in Vulgata.

(60) *Sub terra.* Particulam *vel*, quæ in omnibus editt. legitur ante *sub*, expunxi auctoritate cod. Clarom., quia non legitur neque apud LXX, neque apud Vulgatum interpretem.

(61) *Si enim quis. Quis* ex Voss. bene reposuit Grab. pro *qui*, ut in Eras., Gall. et Clarom., vel *quæ*, ut in Feuard. habetur.

(62) *Excæcavit.* Ita Clarom., al. minus bene *excæcat*.

Digitized by Google

ipso Paulo ostendemus, proficiente nobis sermone, ut non nunc in multum avocemus mentem nostram a proposito.

2. Quoniam autem hyperbatis frequenter utitur Apostolus, propter velocitatem sermonum suorum, et propter impetum qui in ipso est Spiritus, ex multis quidem aliis est invenire. Sed et in ea quæ est ad Galatas [86], sic ait : « Quæ ergo lex factorum (63)? Posita est, usquequo veniat semen, cui promissum est, disposita per angelos in manu Mediatoris. » Ordinatio enim sic est : « Quid ergo lex factorum? Disposita per angelos in manu Mediatoris posita est, usquedum veniat semen, cui promissum est (64) : » ut sit homo interrogans, et Spiritus respondens. Et iterum in secunda ad Thessalonicenses [87], de Antichristo dicens (65), ait : « Et tunc revelabitur iniquus (66), quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui, et destruet præsentia adventus sui illum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis, et portentis mendacii. » Etenim in his ordinatio dictorum sic est : « Et tunc revelabitur iniquus, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et portentis mendacii, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet præsentia adventus sui. » Non enim adventum Domini dicit (67) secundum operationem Satanæ fieri, sed adventum iniqui, quem et Antichristum dicimus. Si ergo non attendat aliquis lectioni, et intervalla aspirationis manifestet in quo dicitur (68); erunt non tantum incongruentia, sed et blasphema (69), legens quasi Domini adventus secundum operationem fiat Satanæ. Sicut ergo in talibus oportet per lectionem hyperbaton ostendi, et consequentem Apostoli servari (70) sensum; sic et ibi non Deum sæculi hujus legimus, sed Deum, quem vere (71) Deum dicimus : incredulos autem et excæcatos sæculi hujus audiemus, quoniam venturum vitæ non hæreditabunt sæculum.

CAPUT VIII.

Solvit alteram objectionem e Christi verbis Matth. VI, 24, *et ostendit solum Deum, cum initio et fine careat, Deum ac Dominum vere dici posse; cætera omnia, cum per Verbum ejus facta sint, Dei ac Domini nomen sortiri non posse.*

1. Soluta igitur et hac illorum calumnia, manifeste ostensum est, quoniam nunquam neque prophetæ, neque apostoli alium Deum nominaverunt, vel Dominum appellaverunt, præter verum et solum Deum. Multo magis ipse Dominus (72), qui et « Cæsari » quidem « quæ Cæsaris sunt reddi » jubet, « et quæ Dei sunt Deo [88]; » Cæsarem quidem Cæsarem nominans, Deum vero Deum confitens (73). Similiter et illud quod ait : « Non potestis duobus dominis servire [89]; » ipse interpretatur, dicens : « Non potestis Deo servire, et Mammonæ, » Deum quidem confitens Deum, **183** Mammonam autem nominans hoc quod et est. Non Mammonam dominum vocat, dicens : « Non potestis duobus dominis servire; » sed discipulos docet servientes Deo, non subjici Mammonæ, neque dominari ab eo. « Qui » enim, inquit, « facit peccatum, servus est peccati [90]. » Quemadmodum igitur servientes peccato, servos peccati vocat, non tamen ipsum peccatum Deum (74) appellat : sic et eos qui Mammonæ serviunt, servos Mammonæ appellat, non Deum appellans Mammonam. Mammonas autem est, secundum Judaicam loquelam (75), qua et Sa-

[86] Gal. III, 19. [87] II Thess. II, 8. [88] Matth. XXII, 21. [89] Matth. VI, 24. [90] Joan. VIII, 34.

(63) *Lex factorum.* Quo codice usus sit Irenæus, nemo facile dixerit. Legit procul dubio : Τί οὖν ὁ νόμος τῶν πράξεων; προσετέθη ἄχρις οὗ, etc. Nostri vero Græce habent : Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων [in mss. quibusdam, τῆς παραβάσεως) χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ, etc. Latine vero : *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec,* etc. Attamen asservatur in Bibliotheca nostra San-Germanensi præclarissimus D. Pauli Epistolarum ms. codex Græco-Latinus, annorum saltem nongentorum, in cujus Græco legitur quidem, ut in aliis, τῶν παραβάσεων χάριν; at in Latino habetur, *factorum gratia,* forte juxta veterem Italicam versionem, quam exhibere videtur hic codex : certo argumento codices quosdam olim habuisse, τῶν πράξεων, uti legit Irenæus. Sed qui omiserint vocem χάριν, *gratia,* quam non hic modo, sed et lib. v, cap. 21, prorsus omittit Irenæus, nullos novi.

(64) *Cui promissum est.* Sic pro *repromissum est* posui auctoritate cod. Clarom., quia paulo ante ita legitur.

(65) *Dicens.* Arund. et edit. Oxon. *docens.*

(66) *Iniquus.* Vocem *ille,* quæ in Eras., Gall. et Feuard., legitur ante *iniquus,* omittunt omnes mss., omittit paulo post Irenæus, nec habet Græcus Apostoli textus.

(67) *Dicit.* Hoc verbum ab Eras., Gall. et Feuard. omissum habent omnes mss.

(68) *Intervalla.... in quo dicitur.* Sic Clarom., cui quoad voces *in quo,* consentiunt vetus Feuard. cod. et Voss.; cæteri, *per intervalla... quo i dicitur.* Porro ante *manifestet* subintelligenda negatio, quæ præcedit, ut sit sensus : *Et intervalla aspirationis non manifestet, in quo* (pro *in eo quod*) *dicitur.*

(69) *Blasphema.* Ita Eras., Gall., Feuard. et Voss. In Arund. vero, Clarom. et Merc. 2, *blasphemat.* Sed *blasphema* magis convenit cum *incongruentia,* quod præcedit.

(70) *Servari.* Ita pro *servare* ex Clarom. reposui, quia præmittitur *ostendi.*

(71) *Quem vere.* In Arund. et Merc. 2, *quidem vere;* in Clarom. *quidem jure.*

(72) *Multo magis ipse Dominus.* Pro *multo minus ipse Dominus,* Græcorum more, qui nonnunquam πολλῷ μᾶλλον, ἀντὶ τοῦ ἥττους, vel μήτι δή dicunt.

(73) *Deum vero Deum confitens.* Clarom. *Deum verum confitens.*

(74) *Peccatum Deum.* Ita Clarom. melius quam cæteri, *peccatum Dominum;* quia in altero comparationis membro legitur *Deum.*

(75) *Mammonas autem est secundum Judaicam loquelam,* etc. Idioma Syro-Chaldaicum intelligit, quo Christi temporibus utebantur Judæi. *Mammona* enim, ut observat Feuardentius, vocem Hebraicam proprie non esse, sed Syriacam, in caput VI Matthæi et Quæst. 6 ad Algasiam, affirmat Hieronymus, idemque significare quod Græcis Πλοῦτος, quem

Digitized by Google

maritæ utuntur, « cupidus, et plus quam oportet habere volens, » (secundum autem Hebraicam, adjunctive dicitur « Mam ») vel significat (76) « gulosum, » id est, qui non possit a gula continere; Secundum utraque (77) igitur, quæ significantur, non possumus Deo servire, et Mammonæ.

2. Sed et diabolum cum dixisset fortem, non in totum, sed velut in comparatione nostra; semetipsum in omnia et vere fortem ostendit Dominus, dicens : « Non aliter aliquem posse diripere vasa fortis, si non prius ipsum alliget fortem; et tunc domum ejus diripiet [64]. » (Vasa autem ejus et domus non eramus, cum essemus in apostasia; utebatur enim nobis quemadmodum volèbat; et spiritus immundus habitabat in nobis.) Non enim adversus eum qui se alligabat, et domum ejus diripiebat (78), fortis erat; sed adversus eos, qui in usu ejus erant, homines; quoniam abscedere fecerat sententiam eorum a Deo. Quos eripuit Dominus, quemadmodum et Jeremias ait : « Redemit Dominus Jacob, et eripuit eum de manu fortioris ejus [65]. » Si igitur non significasset eum qui alligat et diripit ejus vasa, hoc autem solum eum fortem dixisset, esset fortis invictus. Sed et adjecit obtinentem; tenet enim qui alligat, tenetur autem qui alligatus est (79). Et hoc sine comparatione fecit, ut non comparetur Domino servus apostata exsistens : non enim tantum hic, sed nec quidquam ex his quæ constituta sunt, et in subjectione sunt, comparabitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster Jesus Christus.

3. Quoniam enim sive Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes, ab eo qui super omnes est Deus, et constituta sunt, et facta per Verbum ejus, Joannes quidem sic significavit (80). Cum enim dixisset de Verbo Dei, quoniam erat in Patre, adjecit : « Omnia per eum facta sunt, et sine eo factum est nihil [66]. » David quoque cum laudationes enumerasset, nominatim universa quæcunque diximus, et cœlos, et omnes virtutes eorum adjecit : « Quoniam ipse præcepit, et creata sunt : ipse dixit, et facta sunt [67]. » Cui ergo præcepit? Verbo (81) scilicet : per quod, inquit, « Cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum [68]. » Quoniam autem ipse omnia fecit libere, et quemadmodum voluit, ait iterum David : « Deus autem noster in cœlis sursum, et in terra, omnia quæcunque voluit, fecit [69]. » Altera autem sunt, quæ constituta sunt, ab eo qui constituit, et quæ facta sunt, ab eo qui fecit. Ipse enim infectus, et sine initio, et sine fine, et nullius indigens, ipse sibi sufficiens, et adhuc reliquis omnibus, ut sint, hoc ipsum præstans : quæ vero ab eo sunt facta, initium sumpserunt. Quæcunque autem initium sumpserunt, et dissolutionem possunt percipere, et subjecta sunt, et indigent ejus qui se fecit; necesse est omnimodo, uti differens vocabulum habeant apud eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo talia habent : ita ut is quidem, qui omnia fecerit, cum Verbo suo juste dicatur Deus et Dominus solus; quæ autem facta sunt, non jam ejusdem vocabuli participabilia esse, neque juste id vocabulum sumere debere, quod est Creatoris.

CAPUT IX.

Unum et eumdem Deum cœli et terræ conditorem, qui a prophetis prædicatus est, et ab evangelistis annuntiatum esse. Id primum ex Matthæi Evangelio probatur.

1. Ostenso hoc igitur plane (et adhuc ostendetur manifestius) neminem alterum Dominum vel Deum, neque prophetas, neque apostolos, neque Dominum Christum confessum esse ex sua personâ, sed præcipue Deum et Dominum : prophetis quidem et apostolis Patrem et Filium confitentibus; alterum autem neminem, neque Deum nominantibus, neque Dominum confitentibus : et ipso Domino Patrem tantum Deum et Dominum eum, qui **184** solus est Deus et dominator (82) omnium, tradente discipulis; sequi nos oportet, si quidem illorum sumus discipuli, testimonia illorum ita se habentia. Matthæus enim apostolus, unum et eumdem sciens

[64] Matth. XII, 29. [65] Jerem. XXXI, 2. [66] Joan. I, 3. [67] Psal. XXXII, 9; CXLVIII, 5. [68] Psal. XXXII, 6. [69] Psal. CXIII, 3.

poetæ deum finxerunt. Consentit Tertullian. lib. IV *cont. Marcion.*, cap. 33. Sed Irenæus μετωνυμικῶς accepit *Mammonam*, videlicet causam pro effectu, id est pecunias et opes pro earum desiderio.

(76) *Secundum autem Hebraicam adjunctive dicitur Mam, vel significat.* Ita editi. Eras., Gal. et Feuard. ac mss. plerique. In Clarom. vero, Voss. et edit. Oxon. legitur *dicitur Mamuel, et significat.* Quam posteriorem lectionem rejeci, tum quod prior, quæ dudum obtinuit, auctoritate præstet; tum quod posterior illa priori non melior sit; imo tantum abest ut Irenæi sensui lucem afferat, quin potius novam caliginem offundat. Qui enim *Mammonas secundum Hebraicam adjunctive dicatur Mamuel, et significet gulosum*, novus nodus est, quem nec Grabius, nec quisquam alter facile solverit. Malim ergo verba hæc, *secundum Hebraicam adjunctive dicitur Mam*, parenthesi includere; et *vel significat gulosum ad Mammonas* referre. Huc enim trahi potest ea vox. Nam si Lexico Origenano fides, quod edidit eruditus Martianæus noster tom. II Operum D. Hieronymi, col. 225 : Μαμμωνᾶς, πλοῦτος, ἢ μῶμος, δῶρα, ἢ πέμματα. *Mammonas*, divitiæ, vel vituperatio, dona, vel bellaria, seu cupedia. Quemadmodum igitur vocem *Mammonas* a divitiis ad significandum cupidum transtulit Irenæus, sic pariter a cupedia ad significandum gulosum transferre potuit. Quod vero dicit, eam vocem secundum Hebraicam linguam *adjunctive dici Mam*, peritioribus explicandum relinquo. Nusquam enim legisse vel audisse me memini, significationem vocis *Mammona* ad *Mam* ullo modo quadrare. Consultius ergo putem a conjecturis abstinere, quam vanas proponere.

(77) *Utraque.* Al. *hæc.*

(78) *Adversus eum qui se alligabat, et domum ejus diripiebat.* In Arund. legitur : *Adversus eos qui se alligabant, et domum ejus diripiebant.*

(79) *Alligatus est.* Editi. *alligatur.*

(80) *Sic significavit.* In Voss. deest *sic.*

(81) *Cui ergo præcepit? Verbo.* Lege quæ de his in dissert. 3, art. 5, § 39, diximus.

(82) *Et dominator.* Clarom. *et dominatur.*

Digitized by Google

Deum, qui promissionem fecerit Abrahæ, facturum semen ejus quasi stellas cœli[67], qui per Filium suum Christum Jesum a lapidum cultura in suam nos agnitionem vocaverit, uti fieret « qui non populus, populus (83); et non dilecta, dilecta[68]; » ait Joannem præparantem Christo viam, his qui in carnali quidem cognatione gloriabantur, varium autem et omni malitia completum sensum habebant, eam pœnitentiam, quæ a malitia revocaret, annuntiantem dixisse : « Progenies viperarum, quis vobis monstravit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ (84). Et nolite dicere in vobis ipsis : Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ[69]. » Pœnitentiam igitur eis eam, quæ esset a malitia, præconabat; sed non alterum Deum annuntiabat (85), præter eum qui fecisset promissionem Abrahæ, ille præcursor Christi; de quo iterum ait Matthæus[70], similiter autem et Lucas[71] : « Hic enim est qui dictus est a Domino per prophetam : Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini (86), rectas facite semitas Dei nostri (87). Omnis vallis implebitur (88), et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt tortuosa in directa (89), et aspera in vias planas : et videbit omnis caro salutare Dei (90). » Unus igitur et idem Deus est, Pater Domini nostri, qui et Præcursorem per prophetas missurum se promisit : et salutare suum, id est Verbum suum, visibile effecit omni fieri carni, incarnatum et ipsum, ut in omnibus manifestus fieret rex eorum. Etenim ea quæ judicantur, oportebat videre judicem, et scire hunc a quo judicantur : et ea quæ gloriam consequuntur, oportebat scire eum, qui munus gloriæ eis donat.

2. Iterum autem de angelo dicens Matthæus, ait[72] : « Angelus Domini apparuit Joseph in somnis. » Cujus Domini, ipse interpretatur : « Uti adimpleatur quod dictum est a Domino per prophetam : Ex Ægypto vocavi Filium meum[73]. Ecce Virgo in utero accipiet (91), et pariet filium, et vocabunt (92) nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, *Nobiscum Deus*[74]. » De hoc, qui est ex Virgine Emmanuel, dixit David : « Non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, et non spernet (93) eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam[75]. » Et iterum : « Notus in Judæa Deus, et factus est in pace locus ejus, et habitaculum ejus in Sion[76]. » Unus igitur et idem Deus, qui a prophetis prædicatus est, et ab Evangelio (94) annuntiatur, et hujus Filius qui ex fructu ventris David, id est ex David Virgine, et Emmanuel : cujus et stellam Balaam quidem sic prophetavit : « Orietur stella ex Jacob, et surget dux in Israel[77]. » [78] Matthæus autem Magos ab Oriente venientes ait dixisse : « Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum[79]; » deductosque a stella in domum Jacob ad Emmanuel, per ea quæ obtulerunt munera ostendisse, quis erat (95) qui adorabatur : myrrham (96) quidem quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur et sepe-

[67] Gen. XXII, 17. [68] Rom. IX, 25; Ose. I, 10; II, 24. [69] Matth. III, 7 et seqq. [70] Matth. III, 3. [71] Luc. III, 4 seqq. [72] Matth. I, 20, et II, 13. [73] Matth. II, 15. [74] Matth. I, 23. [75] Psal. CXXXI, 10, 11. [76] Psal. LXXV, 2. [77] Num. XXIV, 17. [78] Cap. X. [79] Matth. II, 2.

(83) *Qui non populus, populus.* Ita Clarom. juxta Apostolum Rom. IX, 25, et Oseam II, 23. Cæteri inverso ordine : *populus, qui non populus.*

(84) *Fructum dignum pœnitentiæ.* Vetus Feuard. codex, ipso teste, habebat : *fructum dignæ pœnitentiæ.* Jam vulgati Novi Testam. codd. habent καρποὺς ἀξίους, *fructus dignos.* Sed plures mss. codd. etiam nunc habere καρπὸν ἄξιον, testis est auctor edit. Novi Testam. Oxon. anni 1675. Id etiam aperte docet citatus a clariss. Grab. Origenes tom. VII *Comment. in Joan.* pag. 119, ubi notat id discriminis esse inter Lucæ et Matthæi textum, quod in hoc, πρὸς μὲν τοὺς Φαρισαίους καὶ Σαδδουκαίους, ποιήσατε, εἰρηται ἐνικῶς, καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, *ad Pharisæos quidem et Sadducæos numero singulari dictum est : Facite fructum dignum pœnitentia;* in illo autem, πρὸς δὲ τοὺς ὄχλους πληθυντικῶς, ἀξίους καρποὺς τῆς μετανοίας, *Turbis vero numero plurium : fructus dignos pœnitentia.* Versio etiam Italica Evangelii Matthæi a Martianæo nostro publici juris facta habet, *fructum dignum.*

(85) *Annuntiabat.* Arund. *pronuntiabat.*

(86) *Viam Domini.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Arund., Voss. et Grab. juxta sacrum Matthæi et Lucæ textum. In cæteris minus recte, *viam Domino.*

(87) *Dei nostri.* Clarom. *Domini nostri.*

(88) *Implebitur.* Clarom. *adimplebitur.*

(89) *In directa.* Clarom. *in directum.*

(90) *Salutare Dei.* Vocem *nostri* post *Dei* merito omittunt Clarom., Arund. et Voss., quia nec in S. Lucæ textu exstat.

(91) *In utero accipiet.* Sic e Patribus antiquis non pauci legerunt juxta Græcum LXX ; ἐν γαστρὶ λήψεται, ut Cyprian. lib. I *adv. Jud.*, n. 9; Ambros. *Præfat. in psal.* XXXV, etc., alii vero *in utero concipiet*, ut Leo Mag., serm. 5 *in Nativit.* et antiqua versio Italica Evangelii Matth. In vulgatis vero Novi Test. codd. habetur, ἐν γαστρὶ ἕξει, *in utero habebit;* quamvis in mss. quibusdam codd. Græcis etiam nunc exstet λήψεται.

(92) *Et vocabunt.* Sic nostri N. T. codd. et D. Leo cit., Origenes, Chrysostomus, Theophylactus et alii. In mss. quibusdam, juxta Græcum LXX : καλέσεις, *vocabis.* Vetus Italica, *vocabit.* Cyprianus, loco cit., *vocabitis.* At, Hieronymo teste in cap. VII Isaiæ, vera Matthæi lectio est, *vocabunt*, ut et paulo ante, *in utero habebit. In multis testimoniis*, inquit, *quæ evangelistæ vel apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde et in præsenti loco pro* concipiet in utero, *Matthæus posuit*, in utero habebit; *et pro* vocabis, vocabunt.

(93) *Spernet.* Ita cod. Clarom. In edit. omnibus, *dispernet.* Vetus Feuard. cod. et mss. Voss. *frustrabitur.*

(94) *Ab Evangelio.* Sic iterum Clarom. cod. et Feuard. in marg. melius quam cæteri omnes, *ab Angelo.* Nam post citata Evangelii testimonia ita concludit Irenæus. Et cap. seq. n. 6, post laudata Marci et Lucæ testimonia, sic iterum concludit : *Sic quidem unus et idem Deus et Pater est, qui a prophetis quidem annuntiatus, ab Evangelio vero traditus*, etc.

(95) *Quis erat.* Al. *quid erat.*

(96) *Myrrham.* Ita pro *myrrha* recte emendavit Grab. ex cod. Voss., quod congruit cum præcedentibus, si *per* subintelligas.

Digitized by Google

liretur : aurum vero, quoniam Rex « cujus regni finis non est[80]; » thus vero, quoniam Deus, qui et « notus in Judæa factus est[81], » et manifestus eis, qui non quærebant eum.

3. Adhuc ait in baptismate Matthæus[82] : « Aperti sunt (97) ei cœli, et vidit Spiritum Dei, quasi columbam venientem super eum. Et ecce vox de cœlo, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (98). » Non enim Christus tunc descendit in Jesum; neque alius quidem Christus, alius vero Jesus; sed Verbum Dei, qui est Salvator omnium, et dominator cœli et terræ, qui est Jesus (quemadmodum ante ostendimus[83]), qui et assumpsit carnem, et unctus est a Patre Spiritu, Jesus Christus factus est; sicut et Isaias ait[84] : « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Dei (99), spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis (1), spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Dei (2). Non secundum gloriam judicabit (3) neque secundum **185** loquelam arguet, sed judicabit humili judicium (4) et arguet gloriosos terræ. » Et iterum ipse Isaias unctionem ejus, et propter quid unctus est, præsignificans ait : « Spiritus Dei (5) super me, quapropter unxit me, evangelizare humilibus (6) misit me, curare comminutos corde, præconare captivis remissionem, et cæcis visionem, vocare annum Domini acceptabilem, et diem retributionis, consolari omnes (7) plangentes[85]. » Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat, ex radice Jesse, et filius Abrahæ, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, et ungebatur ad evangelizandum humilibus. Secundum autem quod Deus erat, non secundum gloriam judicabat, neque secundum loquelam arguebat : « Non enim opus erat illi, ut quis testimonium diceret de homine, cum ipse sciret quid esset in homine[86]. » Advocabat autem omnes homines plangentes, et remissionem his, qui a peccatis in captivitatem deducti erant, donans, solvebat eos a vinculis, de quibus ait Salomon : « Restibus autem peccatorum suorum unusquisque constringitur[87]. » Spiritus ergo Dei descendit in eum, ejus qui [eum (8)] per prophetas promiserat uncturum se eum, ut de abundantia unctionis ejus nos percipientes salvaremur. Et sic quidem Matthæus.

CAPUT X[88].

Argumenta ex Lucæ et Marci Evangeliis.

1. Lucas autem sectator et discipulus apostolorum, de Zacharia et Elisabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Joannes natus est, referens ait : « Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justitiis Domini sine querela[89]. » Et iterum de Zacharia dicens : « Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exivit ut incensum poneret, et venit uti sacrificaret (9) intrans in templum Domini[90]. » Qui præest in conspectu Domini, simpliciter, et absolute, et firme Deum et Dominum confitens ex sua persona, eum qui elegerit Jerusalem, et legisdationem (10) sacerdotii fecerit, cujus est angelus Gabriel. Etenim alterum super hunc nesciebat : si enim intellectum perfectioris alicujus Dei et Domini, præter hunc, habuisset, non utique hunc, quem sciebat labis esse fructum, absolute, et in totum, Dominum et Deum confiteretur, sicut ante ostendimus. Sed et de Joanne dicens, sic ait : (11) « Erit enim magnus in conspectu Domini, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse præcedet in conspectu ejus, in spiritu et virtute Eliæ, præparare Domino plebem perfectam[91]. » Cui ergo populum præparavit, et in cujus Domini conspectu magnus factus est?

Utique ejus (12) qui dixit : « Quoniam et plus quam propheta habuit aliquid Joannes, nemo in natis mulierum major est Joanne Baptista[92] : » qui et populum præparabat ad adventum Domini, con-

[80] Luc. I, 33. [81] Psal. LXXV, 2. [82] Matth. III, 16. [83] Hujus lib. cap. VI. [84] Isa. XI, 1 et seqq. [85] Isa. LXI, 1 et seqq. [86] Joan. II, 25. [87] Prov. V, 22. [88] Cap. XI. [89] Luc. I, 6. [90] Ibid., 8, 9. [91] Ibid., 15 et seq. [92] Matth. XI, 9, 11.

(97) *Aperti sunt. Ei*, quod addunt editt., deest in omnibus mss.

(98) *Bene complacui. Bene* non exstat in codd. Clarom. et Voss. neque forte scripsit interpres, secutus veterem Italicam, in qua nec legitur.

(99) *Spiritus Dei.* Vocem *Dei* in locum *Domini* ex codd. Clarom. et Voss. post Grabium substitui, quia in Græco LXX legitur Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, et infra cap. XIX hujus libri ita habet Irenæus. Et Justinus M. quoque in Dial. *cum Tryph.* p. 314. Græce citavit : Καὶ ἀναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ.

(1) *Fortitudinis.* In Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *virtutis.*

(2) *Timoris Dei.* Feuard. et Voss. *Domini.*

(3) *Non secundum gloriam judicabit.* Ita LXX : Οὐ κατὰ τὴν δόξαν κρινεῖ, quos ut plurimum sequitur Irenæus. Sic etiam legit Clemens Alexand. lib. I *Pædag.*, cap. 7, p. 112. At vulgata nostra juxta veritatem Hebraicam : *non secundum visionem oculorum judicabit.*

(4) *Humili judicium.* Clarom. *humili judicio.*

(5) *Spiritus Dei.* Apud LXX interpr. et Lucam quoque cap. IV, 18, *Spiritus Domini*, Πνεῦμα Κυρίου.

(6) *Humilibus.* Pro τοῖς πτωχοῖς, uti nunc habetur tum apud LXX, tum apud S. Lucam, satis probabile est Irenæum legisse τοῖς ταπεινοῖς; nam et ita legitur in epistola S. Barnabæ, § 14, ubi hic Scripturæ locus allegatur.

(7) *Plangentes.* Sic Feuard. in marg. et mss. omnes; et recte, quia paulo post Irenæus iterum scribit *plangentes;* at in editt. Eras., Gall. et Feuard. *lugentes.*

(8) *Qui eum.* Expungenda vox *eum* male repetita. Quare parenthesi inclusi, ne legatur.

(9) *Et venit uti sacrificaret.* Hæc explicationis gratia addidisse videtur Irenæus : neque enim apud Lucam leguntur.

(10) *Legisdationem.* Sic pro *legislationem* reposui ex cod. Clarom., quia clarior inde sensus; et paulo post iterum habet Irenæus vel *legisdationem* vel *legis donationem.*

(11) *Dicens, sic ait.* Ita Clarom. et Voss. In cæteris deest *dicens.*

(12) *Utique ejus.* Arund. *utique in ejus.*

Digitized by Google

servis prænuntians, et pœnitentiam ipsis præconans, uti remissionem a Domino præsente perciperent, conversi ad eum (13), a quo propter peccata et transgressionem erant abalienati; quemadmodum et David ait: « Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre [96]. » Et propter hoc convertens eos ad Dominum eorum, præparabat Domino populum perfectum, in spiritu et virtute Eliæ.

2. Et iterum de angelo referens ait: « In ipso autem tempore missus est angelus Gabriel a Deo, qui et dixit Virgini: Noli timere, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum [96]. » Et de Domino dicit: « Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus thronum(14) David, patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis [96]. » Quis est autem alius, qui regnat in domo Jacob sine intermissione in æternum, nisi Christus Jesus Dominus noster, Filius Dei altissimi, qui per legem et prophetas promisit salutarem (15) suum facturum se omni carni visibilem, ut fieret filius hominis, ad hoc ut et homo fieret Filius Dei? Propter quod et exsultans Maria, clamabat pro Ecclesia prophetans: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Assumpsit enim Israel puerum suum, reminisci misericordiæ (16): quemadmodum locutus est ad patres nostros, Abrahæ et semini ejus in æternum [96]. »

Per hæc (17) igitur et tanta monstrat Evangelium, quoniam qui locutus est patribus Deus (18), hic est qui per Moysem legis donationem (19) fecit, per quam legis donationem cognovimus, quoniam patribus locutus est. Hic idem Deus secundum magnam bonitatem suam effudit misericordiam in nos, in qua misericordia « conspexit nos Oriens ex alto, et apparuit his qui in tenebris et umbra mortis sedebant, et direxit pedes nostros in viam pacis [97]; » quemadmodum et Zacharias desinens mutus esse, quod propter infidelitatem passus fuerat, novello Spiritu adimpletus, nove benedicebat (20) Deum. Omnia enim nova aderant, Verbo nove disponente carnalem 186 adventum, uti eum hominem qui extra Deum abierat, ascriberet Deo: propter quod et nove Deum colere docebantur; sed non alium Deum, quoniam quidem « unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem [98]. »

Prophetans (21) autem Zacharias dicebat [99]: « Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit, et fecit redemptionem populo suo (22). Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum, qui a sæculo sunt. Salutem ex inimicis nostris, et ex manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et reminisci (23) testamenti sancti sui. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, uti det nobis sine timore ex manu inimicorum ereptos (24) servire sibi in sanctitate et justitia, in conspectu suo omnes dies nostros (25). » Deinde ad Joannem dicit [1]: « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandum intellectum salutis (26) populo ejus, in remissionem peccatorum eorum. » Hæc enim est salutis agnitio, quæ deerat eis, quæ est Filii Dei (27), quam faciebat (28) Joannes, dicens: « Ecce Agnus Dei, qui aufert (29) peccatum (30) mundi [2]. Hic erat de quo dicebam: Post me venit vir, qui ante me factus est quoniam prior me erat; omnesque de plenitudine (31) ejus accepimus [3]. » Hæc itaque salutis agnitio; sed non alter Deus, nec alter Pater, neque Bythus, neque Pleroma triginta Æonum, nec mater ogdoados (32): sed agnitio salutis erat agnitio Filii Dei, qui et salus, et Salvator, et salutare vere et dicitur,

[96] Psal. LVII, 4. [96] Luc. I. 26, 30. [96] Ibid. 32 seq. [96] Ibid. 46, 54, 55. [97] Ibid. 78 seq. [98] Rom. III, 30. [99] Luc. I, 68 seqq. [1] Ibid. 76 seq. [2] Joan. I, 29 seq. [3] Ibid. 15, 16.

(13) *Ad eum.* Sic Clarom., Voss. et Arund. Reliqui *ad Deum.*

(14) *Thronum.* Voss. *sedem.*

(15) *Salutarem.* Ita Clarom., Arund., Merc. 1 et Grab., melius quam reliqui, *salutare*, quia sequitur *visibilem.*

(16) *Reminisci misericordiæ.* Ita Clarom. et Voss. juxta Græcum. Cæteri, *reminiscens misericordiæ suæ.*

(17) *Per hæc.* In Arund. *post hæc.*

(18) *Deus.* Deest in Arund.

(19) *Legis donationem.* Ita bis habet Clarom. In Eras., Gall. et Feuard. *legislationem*, in edit. Oxon. *legislationem.*

(20) *Nove benedicebat.* Eras., Gall., Arund., Ottob. et Merc. 2, *novum benedicebat.*

(21) *Prophetans.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Cæteri minus recte *propheta*, quia sacer Lucæ textus I, 67, habet: καὶ προεφήτευσε, λέγων.

(22) *Populo suo.* Arund. *plebi suæ.*

(23) *Reminisci.* In Feuard. marg. et Voss. *memorari.*

(24) *Ereptos.* Ita Clarom., Ottob., Arund., Merc. 2 et Grab. juxta Græcum ῥυσθέντας. Cæteri *ereptis.*

(25) *Omnes dies nostros.* Procul dubio Irenæi codex habebat πάσας τὰς ἡμέρας ἡμῶν, nam sic habent codex Alexand. et plures alii mss. codd. Græci citati in Oxon. N. T. edit. 1675, cum Vulgata nostra et pluribus aliis versionibus. At in hodiernis codd. excusis legitur, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.

(26) *Intellectum salutis.* In Clarom. et Voss. *salutaris.*

(27) *Filii Dei.* Eras., Gall., edit. Oxon., Arund. et Merc. 2, *Filius Dei.* Sensus autem est, agnitionem Filii Dei esse agnitionem salutis, ut paulo post repetitur.

(28) *Faciebat.* Sic Clarom., Voss. et Grab. Reliqui perperam *sciebat. Faciebat* vero ad agnitionem refertur, quam *faciebat* Joannes.

(29) *Aufert.* Clarom., Ottob., Arund., Merc. 2, Eras. et Gall. *auferet.* Sed observat Chrysostomus in hunc locum, Joannem usum esse verbo præsentis temporis.

(30) *Peccatum.* Arund. *peccata.* At cum Irenæo legunt singulariter Orig., hom. 10 in *Num.*, Theophylact. et August. lib. X *cont. Faust.*, cap. 30.

(31) *Omnesque de plenitudine*, etc. Verba hæc tribuere videtur Irenæus Joanni Baptistæ, non evangelistæ.

(32) *Ogdoados.* Legendum videtur *ogdoadas*, in

Digitized by Google

et est. Salus quidem, sic (33) : « In salutem tuam sustinui te, Domine [4]. » Salvator autem iterum : « Ecce Deus meus (34) Salvator meus, fidens ero in eum [5]. » Salutare autem sic : « Notum fecit Deus salutare suum in conspectu gentium [6]. » Est enim Salvator quidem, quoniam Filius et Verbum Dei; salutare autem, quoniam Spiritus : « Spiritus » enim, inquit, « faciei nostræ, Christus Dominus [7]; » salus autem, quoniam caro : « Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis [8]. » Hanc igitur agnitionem salutis faciebat (35) Joannes pœnitentiam agentibus, et credentibus in Agnum Dei, qui tollit peccatum (36) mundi.

4. « Apparuit, inquit, et pastoribus angelus Domini annuntians gaudium eis, quoniam generatus est in domo David Salvator, qui est Christus Dominus [9]. Deinde multitudo exercitus cœlestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (37) [10]. » Hos angelos falsarii (38) Gnostici dicunt ab ogdoade venisse, et descensionem superioris Christi manifestasse. Sed corruunt iterum dicentes, eum qui sursum sit, Christum et Salvatorem non natum esse, sed et post baptisma ejus qui sit de dispositione, Jesu, ipsum (39) sicut columbam in eum descendisse. Mentiuntur ergo ogdoados angeli, secundum eos, dicentes : « Quoniam generatus est hodie vobis (40) Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. » Neque enim Christus, neque Salvator tunc natus est secundum eos : sed ille, qui est de dispositione Jesus, qui est mundi fabricatoris (41), in quem (42) post baptisma descendisse, hoc est post triginta annos, supernum Salvatorem (43) dicunt. Εἰς τί δὲ (44) καὶ τὸ « ἐν πόλει Δαβὶδ » προστέθηκαν, εἰ μὴ ἵνα τὴν ὑπὸ Θεοῦ γεγενημένην τῷ Δαβὶδ ὑπόσχεσιν, ὅτι ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας αὐτοῦ αἰώνιός ἐστι βασιλεὺς, πεπληρωμένην εὐαγγελίσωνται ; ἣν ὁ Δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντὸς πεποίηται ἐπαγγελίαν Quid autem « in civitate David » apposuerunt, nisi ut eam pollicitationem, quæ a Deo facta est David, quoniam ex fructu ventris ejus æternus erit rex, adimpletam evangelizarent ? Etenim Fabricator totius universitatis fecerat promissionem David, quemadmodum ipse David ait : « Adjutorium meum (45) a Domino, qui fecit cœlum et terram [11]. » **187** Et iterum : « In manu ejus fines (46) terræ, et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus fundaverunt (47). Venite adoremus, et procidamus ante eum, et ploremus in conspectu Domini, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus (48) noster [12]. » Manifeste pronuntians Spiritus sanctus per David audientibus eum, quoniam erunt qui

[4] Gen. XLIX, 18. [5] Isa. XII, 2. [6] Psal. XCVII, 2. [7] Thren. IV, 20. [8] Joan. I, 14. [9] Luc. II, 8 seqq. [10] Ibid. 13 seq. [11] Psal. VII, 11 et CXXIII, 8. [12] Psal. XCIV, 4 seqq.

nominativo singulari, vel melius *ogdoas*, quo nomine vocabatur Achamoth, ex lib. I, cap. 5, n. 2 et 3, quanquam tamen aliquo sensu dici possit Mater ogdoados, quia Demiurgi Mater erat, a quo conditi septem cœli.

(33) *Sic.* Al. male, *sicut*.

(34) *Ecce Deus meus. Meus* expunxit Grabius auctoritate ms. Arund. sed perperam ; quamvis enim in Vulgata non legatur, exstat in textu Græco LXX : ἰδοὺ Θεός μου.

(35) *Faciebat.* Al. vitiose, *sciebat*.

(36) *Peccatum.* Arund. iterum *peccata*.

(37) *Bonæ voluntatis.* Nisi interpres, vel librarius quispiam Vulgatam secutus ita scripserit, legit Irenæus εὐδοκίας in gignendi casu. Nec mirum, nam codex Alexand. Cantabrigiensis, aliique citati in Oxon. N. T. edit. habent εὐδοκίας ; et ita legunt, Feuardentio teste, Hieronymus, Ambrosius et Augustinus. Græci vero Patres plerique cum excusis Lucæ codd. legerunt εὐδοκία, in nominativo.

(38) *Falsarii.* Arund. *falsi*.

(39) *Ipsum.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii minus recte *Spiritum*. Nam supra lib. I, cap. 7, n. 2, *in Jesum in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem, in figura columbæ*, dicebant hæretici.

(40) *Vobis.* Ita Clarom., Arund., Merc. 2 et Grab. juxta S. Lucæ textum. Reliqui perperam *nobis*.

(41) *Qui est mundi fabricatoris, in quem.* Ita recte Clarom. cod., cæteri omnes perperam : *qui est mundi fabricator, is in quem*. Nam infra cap. 19 de Jesu dicitur, *qui est Demiurgi*. A Demiurgo enim, mundi fabricatore, corpus animale accepisse dicebant hæretici lib. I, cap. 8, n. 2.

(42) *In quem.* Adverbium *vere*, quod sequitur in edit. expunxi auctoritate Clarom., Arund., Voss. et Merc. 1.

(43) *Supernum Salvatorem.* Sic pro *superni Salvatoris*, manifesto scribarum errato, quod in omnibus codd. tum editt. tum mss. legitur, emendavi ; non quidem, fateor, ullius ms. codicis, sed Irenæi ipsius auctoritate, qui paulo ante iisdem pene verbis dixit, ex Valentinianorum sententia, *eum qui sursum sit Christum, et Salvatorem non natum esse, sed et post baptisma ejus, qui sit de dispositione, Jesu, ipsum sicut columbam in eum descendisse*. Et infra cap. 19, eadem prorsus atque hic verba repetens, scribit : *Christum descendisse in Jesum, aut illum superiorem Salvatorem, in eum qui sit dispositionis*. Palam est igitur tum ex locis parallelis, tum ex ipsa constructionis serie legendum esse *supernum Salvatorem*.

(44) *Εἰς τί δέ.* Græca hæc Irenæi refert Theodoretus, dial. 1. Eadem, usque ad hæc verba, εὐαγγελίσωνται, occurrunt in *Catena* in Lucam, cod. 2440 Bibliothecæ Regiæ, fol. 61 et 76, ubi pro προσέθηκαν, priori loco habetur προσκεῖται ; posteriori, προστίθησι : et pro ὑπόσχεσιν, secundo loco exstat ἐπαγγελίαν : utroque vero, pro εὐαγγελίσωνται legitur εὐαγγελίσηται.

(45) *Meum.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss. Cæteri minus bene *nostrum* ; nam prior hujus loci pars desumpta est ex psal. VII.

(46) *Fines. Omnes* quod ante *fines* legitur in Eras., Gall. et Feuard. omittunt cum LXX interpretibus Clarom., Arund., Voss. et antiquissimæ versiones Psalmorum.

(47) *Fundaverunt.* Ita Clarom. et Voss. cum antiqua versione Romana, quam exhibet Jacobus Faber. Cæteri, *formaverunt*.

(48) *Dominus Deus.* Vocem *Dominus* delevit Grab. quia nec in Arund. et Voss. nec in LXX versione legitur. At cum exstet in omnibus aliis codd. vetustissimisque versionibus Psalmorum, quas publici juris fecit Jacobus Faber, retinere malui.

Digitized by Google

contemnant eum, qui plasmavit nos, qui et solus est Deus. Propter quod et dicebat quæ prædicta sunt significans : Quoniam ne erraveritis ; præter hunc, aut super hunc, alius non est Deus, cui magis intendere oporteat ; religiosos nos et gratos præparans in eum qui fecerit, et constituerit, et enutriat (49). Quid ergo erit his, qui tantum blasphemiæ adversus suum factorem adinvenerunt? Hoc idem autem et angeli. In eo enim quod dicunt : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax [13] ; » eum qui sit altissimorum, hoc est, supercœlestium factor, et eorum quæ super terram omnium conditor, his sermonibus glorificaverunt : qui suo plasmati, hoc est hominibus, suam benignitatem salutis de cœlo misit. Propter quod et « Pastores, ait, revertebantur, glorificantes Deum in omnibus quæ audierant, et viderant, quemadmodum et narratum est ad eos [14]. » Non enim alterum Deum glorificabant Israelitæ pastores, sed illum qui a lege et prophetis annuntiatus est, factorem omnium, quem et glorificabant angeli. Si autem alterum quidem angeli qui erant ab ogdoade, glorificabant, alterum vero pastores ; errorem eis et non veritatem detulerunt hi qui ab ogdoade (50) erant angeli.

5. Adhuc ait Lucas [15] de Domino : « Cum impleti essent dies purgationis, imposuerunt (51) eum in Hierusalem, astare Domino (52), quemadmodum scriptum est in lege Domini : Quoniam omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domini (53) vocabitur : et ut darent sacrificium, secundum quod dictum est (54) in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum (55) ; » ex sua persona manifestissime Dominum (56) appellans eum qui legislationem fecerit. Et « Simeon » autem, inquit [16], « benedixit Deum, et ait : Nunc dimittis (57) servum tuum, Domine, in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum ; lumen ad revelationem (58) gentium, et gloriam populi tui (59) Israel. » Et « Anna » autem « prophetissa, » ait, similiter clarificabat Deum, videns Christum ; « et loquebatur de eo omnibus, qui exspectabant redemptionem Hierusalem [17] (60). » Per hæc autem omnia unus Deus demonstratur, novam libertatis dispositionem per novum adventum Filii sui hominibus aperiens (61).

6. Quapropter et Marcus interpres et sectator Petri, initium evangelicæ conscriptionis fecit sic : « Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est (62) in prophetis (63) : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui

[13] Luc. II, 14. [14] Ibid. 20. [15] Ibid. 22 seqq. [16] Ibid. 28 seqq. [17] Ibid. 36, 38.

(49) *Enutriat.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii mendose, *enuntiat.*

(50) *Hi qui ab ogdoade.* Ita vetus Feuard. cod. et mss. Clarom., Arund. et Voss., nisi quod hic scribæ incuria habeat *et* ante *hi*. Reliqui : *et hi iniqui erant ab ogdoade.* Sed priorem lectionem prætuli, quod clariorem sensum pariat, arctiusque cum præcedentibus cohæreat.

(51) *Imposuerunt.* Sic Græcum verbum ἀνήγαγον, *adduxerunt*, vel, ut habet Vulgata, *tulerunt*, reddere placuit Irenæi interpreti.

(52) *Astare Domino.* Græcum infinitivum παραστῆσαι per infinitivum Latinum reddidit interpres. Peritior alius vertisset, *ut exhiberent*, vel *sisterent.* Cæterum vocem *eum*, quæ in Eras., Gall. et Feuard. sequitur verbum *astare*, omittunt Clarom., Arund., Voss. et Græcus Lucæ textus.

(53) *Domini.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Arund., forte ex versione Italica. Cæteri cum nostra et textu Græco Lucæ, *Domino.*

(54) *Dictum est.* Ita Clarom., Voss. et Grab., cum omnibus fere Græcis Lucæ codd. Alii *scriptum est.*

(55) *Columbarum.* Sic iterum Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Reliqui, *columbinos.*

(56) *Dominum.* Ita Clarom. et Voss. Reliqui minus recte *Deum.*

(57) *Dimittis.* Sic ex conjectura reposuit Feuard. quia ἀπολύεις in præsenti, non ἀπολύσεις in futuro habet Evangelium. Sed legitimam fuisse conjecturam probat Clarom. cod. in quo legitur *dimittis*, non *dimittes* aut *dimittit*, ut habent alii.

(58) *Parasti... ad revelationem.* Clarom., Arund. et Merc. 1, *præparasti... in revelationem.*

(59) *Populi tui. Plebis tuæ* in Voss. sicut in Vulgata S. Lucæ versione.

(60) *Hierusalem.* Latini codices, imo et mss. quidam Græci habent *Israel.* Sed excusi Græci cum Irenæo *Hierusalem* legunt.

(61) *Novam libertatis dispositionem per novum adventum Filii sui hominibus aperiens.* In omnibus exemplaribus tum editis, tum manu exaratis legitur : *Nullam libertatis dispositionem per novum adventum Filii sui testamentum hominibus aperiens :* perperam certe et sine sensu. Corruptum vero scribarum negligentia locum, nullius quidem ms. codicis, sed Irenæi ipsius auctoritate restitui. Pro *nullam* scripsi *novam : Testamentum* autem expungere non dubitavi, quia evidens est, ab aliquo ad marginem codicis sui pro *dispositionem*, qua διαθήκην vertit interpres, scriptum, inde in textum irrepsisse : adeo ut duplex ejusdem Græcæ vocis διαθήκη versio in eodem commate occurrat. Genuinam autem esse nostram lectionem, nec gratis conflictam, parallela loca demonstrant. Infra cap. 12, de apostolis scribit Irenæus : *Manifestum est igitur ex his omnibus, quoniam non alterum Patrem esse docebant, sed libertatis novum testamentum dabant his, qui nove in Deum per Spiritum sanctum credebant.* Et apertius adhuc lib. IV, cap. 67, ubi ex professo probat Christum novi testamenti, legisque libertatis auctorem esse, ait quod ex veteribus mortuis nullus *aperuit novum libertatis testamentum. Non igitur de altero, sed de Domino, in quem concurrerunt omnia prædicta signa, dicebant prophetæ.* Igitur *aperire novum libertatis testamentum*, seu, ut vocem διαθήκην interdum reddere amat interpres, *novam libertatis dispositionem*, familiaris Irenæo phrasis, qua proinde in eo quem expendimus loco usum eum esse, nemo sanus dubitabit.

(62) *Scriptum est.* Alii minus bene, *dictum est* ; quia S. Marci textus habet γέγραπται.

(63) *In prophetis.* Sic cum Irenæo habent excusi Novi Test. codd. Græci. In mss. vero quibusdam Græcis, ut et in versionibus Vulgata Latina, Syr., Copt., Persic., Arab. et Goth., legitur, *in Isaia propheta.* Jam ab Irenæi temporibus variasse Marci Evangelii codices inde liquet, quod in sequenti capite eadem Evangelii verba citans legat, *in Isaia propheta* ; nisi quis dicere malit hæc a librario quopiam ex Vulgata Latina scripta fuisse, quod non abhorret a verosimili. Siquidem Irenæus infra

Digitized by Google

præparabit viam tuam (64). Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostrum (65). » Manifeste initium Evangelii esse dicens sanctorum prophetarum voces ; et eum, quem ipsi Dominum et Deum confessi sunt, hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi præmonstrans, qui et promiserit ei angelum suum ante faciem ejus missurum ; qui erat Joannes, « in spiritu et virtute Eliæ [18] » clamans in eremo : « Parate viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostrum. » Quoniam quidem non alium et alium prophetæ annuntiabant Deum, sed unum et eumdem, variis autem significationibus, 188 et multis appellationibus : multus enim et dives Pater, quemadmodum (66) in eo libro qui ante hunc est, ostendimus [19] ; et ex ipsis autem prophetis procedente nobis sermone ostendemus. In fine autem Evangelii ait Marcus [20] : « Et quidem Dominus Jesus, postquam locutus est eis, receptus est in cœlos, et sedet ad dexteram Dei ; » confirmans quod a Propheta dictum est : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum [21]. » Sic quidem unus et idem Deus (67) et Pater est, qui a prophetis quidem annuntiatus, ab Evangelio vero traditus, quem Christiani colimus, et diligimus ex toto corde, factorem cœli et terræ (68), et omnium quæ in eis sunt.

CAPUT XI.

Idem probat ex Joannis Evangelio, quod ex tribus aliis jam probavit. Tum concludit quatuor esse Evangelia, nec plura, nec pauciora, et hujus numeri mysticas rationes affert.

1. Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio (69) ejus, quæ falso cognominatur scientia, ut confunderet eos, et suaderet quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum ; et non, quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini et alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus, Christum, quem et impassibilem perseverasse, descendentem in Jesum filium fabricatoris, et iterum revolasse in suum Pleroma : et initium quidem esse Monogenem (70), Logon autem verum filium Unigeniti : et eam conditionem, quæ est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a Virtute aliqua valde deorsum subjecta, et abscissa ab eorum communicatione, quæ sunt invisibilia et innominabilia. Omnia igitur talia circumscribere (71) volens discipulus Domini, et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visibilia, et invisibilia ; significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc et salutem his qui in conditione sunt, præstitit hominibus ; sic inchoavit in ea, quæ est secundum Evangelium [22], doctrina : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso (72) vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt. » In *omnibus* ergo est et hæc, quæ secundum nos est, conditio : non enim concedetur eis, *omnia* dici

[18] Luc. I, 17. [19] Cap. XXXV, n. 3. [20] Marc. XVI, 19. [21] Psal. CIX, 1. [22] Joan. I, 1 seqq.

cap. 16 eadem verba repetens, iterum scribit *in prophetis*. Et quemadmodum hic subjungit : *Manifeste initium Evangelii esse dicens sanctorum prophetarum voces* ; sic et illic addit : *Unum et eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum, qui a prophetis annuntiatus*. Quibus firmatur conjectura, Irenæum constanter legisse *in prophetis* ; hæc vero *in Isaia propheta*, a quopiam addita ; cum nihil subjungat, ex quo conjici possit eum hoc posteriori modo legisse.

(64) *Viam tuam*. Addunt Vulgati Nov. Test. codd. tum Græci, tum Latini, ἔμπροσθέν σου, *ante te*. An vero hæc verba defuerint in Irenæi codice, certo definiri non potest. Id certum, ea deesse in mss. quibusdam codd. Græcis, ut et in versionibus Syr., Copt., Persic. et Æthiop. Nec Origenes, tom. VII in Joan., p. 117, ea legit. Quinimo pag. sequenti scribit evangelistam, compendio prophetæ verborum facto, omisisse ἔμπροσθέν σου.

(65) *Ante Deum nostrum*. Nostri codices habent, τὰς τρίβους αὐτοῦ, et ita scripsisse evangelistam existimat Origenes pag. 117 mox cit., mss. vero quidam, juxta Isai. XL, 3, ferunt, τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, quod ab Irenæi lectione non procul recedit.

(66) *Multus enim et dives Pater, quemadmodum*. Sic auctoritate cod. Clarom. restitui, nisi quod pro *multus*, incuria scribæ habeat *multos*. Favet et cod. Voss. in quo legitur : *Multo enim et dives Pater*. Alii omnes corrupte et sine sensu habent : *Multis* (Merc. I *multum*) *enim et diversis*. Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrat tum contextus, tum locus huic geminus infra cap. 16, n. 7, ubi eadem verba repetuntur : *Dominus noster unus quidem et idem existens, dives autem et multus. Diviti enim et multæ voluntati Patris deservit. Multum* autem *et divitem* appellat Patrem, de quo hic sermo, quia infinitus et omni perfectionum genere cumulatissimus est ; nec proinde mirum, si licet *unus et idem*, sub *variis significationibus et multis appellationibus annuntietur a prophetis*.

(67) *Sic quidem unus et idem Deus*. In Clarom. *Sic idem et unus Deus et Pater est*.

(68) *Terræ*. Verbum *credimus*, quod in editt. Eras., Gall. et Feuard. sequitur, omittunt mss. omnes.

(69) *Vulsio*. Græce, ait Pearson., ἀπόσπασμα, quod hic ego verterem *surculus*, qui a trunco avellitur. Quo sensu de Theodoto scripsit Epiphanius : Ἀνέστη πάλιν Θεόδοτός τις, ἀπόσπασμα ὑπάρχων ἐκ τῆς προειρημένης ἀλόγου αἱρέσεως. Et de Noetianis : Ἐκ τούτου οἱ Νοητιανοὶ ἀπόσπασμα ὄντες αὐτοῦ.

(70) *Monogenem*. Ita Feuard. in marg., Clarom., Arund., Voss. et Grab. Reliqui perperam *Monogeni*.

(71) *Circumscribere*. Græce, περιγράφειν, *delere, e medio tollere*.

(72) *Quod factum est, in ipso*, etc. Sic ex codd. Clarom., Arund. et Voss. distinguo. Vide notam 45, col. 715, ad cap. 2 lib. II.

Digitized by Google

ea, quæ sunt infra Pleroma (73) ipsorum. Si enim et hæc Pleroma ipsorum continet, non extra est tanta ista condilio, quemadmodum ostendimus in eo libro qui ante hunc est [23]; si autem extra Pleroma sunt hæc, quod quidem impossibile visum est, jam non est *omnia* Pleroma ipsorum : non est ergo extra hæc tanta conditio.

2. Abstulit autem a nobis dissensiones omnes ipse Joannes, dicens [24] : « In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua propria venit, et sui eum non receperunt. » Secundum autem Marcionem, et eos qui similes sunt ei, neque mundus per eum factus est, neque in sua venit, sed in aliena. Secundum autem quosdam Gnosticorum, ab angelis factus est iste mundus, et non per Verbum Dei (74). Secundum autem eos, qui sunt a Valentino, iterum non per eum factus est, sed per Demiurgum. Hic enim (75) operabatur similitudines tales fieri, ad imitationem eorum quæ sunt sursum, quemadmodum dicunt : Demiurgus autem perficiebat fabricationem conditionis. Emissum enim dicunt eum a Matre Dominum, et Demiurgum ejus dispositionis, quæ est secundum conditionem, per quem hunc mundum factum volunt : cum Evangelium manifeste dicat, quoniam per Verbum, quod in principio erat apud Deum, omnia sunt facta : quod « Verbum, inquit, caro factum est. et inhabitavit (76) in nobis [25]. »

3. Secundum autem illos, neque Verbum caro factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus factus est, Salvator. Etenim Verbum **189** et Christum nec advenisse in hunc mundum volunt : Salvatorem vero non incarnatum, neque passum; descendisse autem quasi columbam in eum Jesum, qui factus esset ex dispositione, et cum annuntiasset incognitum Patrem; iterum ascendisse in Pleroma. Incarnatum autem et passum quidam quidem eum, qui ex dispositione sit, dicunt Jesum, quem per Mariam dicunt pertransisse, quasi aquam per tubum; alii vero Demiurgi filium, in quem descendisse eum Jesum, qui ex dispositione sit : alii rursum Jesum quidem ex Joseph et Maria natum dicunt, et in hunc descendisse Christum, qui de superioribus sit, sine carne et impassibilem exsistentem. Secundum autem nullam sententiam hæreticorum, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. Alii enim putant manifestatum (77) eum, quemadmodum hominem transfiguratum; neque autem natum, neque incarnatum dicunt illum; alii vero neque figuram eum assumpsisse hominis; sed quemadmodum columbam descendisse in eum Jesum, qui natus est ex Maria. Omnes igitur illos falsos testes ostendens discipulus Domini, ait : « Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. »

4. Et ut non inquiramus, cujus Dei Verbum caro factum est, ipse insuper docet, dicens [26] : « Fuit homo missus a Deo; erat ei nomen Joannes : hic venit in testimonium, ut testaretur de lumine. Non erat ipse lumen, sed ut testaretur de lumine (78). » Præcursor igitur Joannes, qui testatur de lumine, a quo Deo missus est? Utique ab eo, cujus Gabriel est angelus, qui etiam evangelizavit generationem ejus : qui et per prophetas promisit angelum suum missurum ante faciem Filii sui, et præparaturum viam ejus [27], hoc est, testificaturum de lumine, « in spiritu et virtute Eliæ [28]. » Elias autem rursus cujus Dei servus et propheta fuit [29]? ejus qui fecit cœlum et terram, quemadmodum et ipse confitetur. A conditore igitur et fabricatore hujus mundi missus Joannes, quemadmodum poterat testificari de eo lumine, quod ex his quæ sunt innominabilia et invisibilia descenderit? Omnes enim hæretici decreverunt Demiurgum ignorare eam quæ sit super eum Virtutem, cujus testis et ostensor invenitur Joannes. Propter hoc Dominus « plus quam prophetam » dixit [30] eum habuisse. Reliqui enim omnes prophetæ annuntiaverunt adventum paterni luminis; concupierunt autem digni esse videre eum quem prædicabant : Joannes autem et prænuntiavit similiter sicut alii, et advenientem (79) vidit, et demonstravit, et credere in eum suasit multis, ita ut ipse et prophetæ et apostoli locum habuerit. Hic est enim plus quam propheta; quoniam « primo

[23] Cap. I et seqq. [24] Joan. I, 10, 11. [25] Ibid. 14. [26] Ibid. 6, 7, 8. [27] Marc. I, 2 ex Malach. III, 1. [28] Luc. I, 17. [29] III Reg. XVII, 1, et XVIII, 15. [30] Matth. XI, 9, et Luc. VII, 26.

(73) *Infra Pleroma.* Sic omnes mss. In editt. Eras., Gall. et Feuard. *intra Pleroma.* Sed quidvis legas, parum interest, modo *infra* accipias, non pro *subter*, ut perperam accipit Grabius, sed pro *intra*, more scriptorum infimæ Latinitatis. Hunc enim sensum, non illum, habere hic eam vocem demonstrant tum contextus opponens τὸ *infra Pleroma*, τῷ *extra Pleroma*; tum ipsa Valentinianorum hypothesis, eorum duntaxat, quæ extra Pleroma, non quæ intra Pleroma sunt, creationem Demiurgo attribuentium; tum denique ea quæ fusius explicat Irenæus lib. II, primis capitibus.

(74) *Per Verbum Dei.* Ita pro *Verbo Dei* reposui ex Clarom., Voss. et Merc. 2 nisi quod in his male omissum sit *per.* Nam statim subjungit Irenæus, juxta Evangelii phrasin, *non per eum factus est;* quod et paulo ante præmiserat.

(75) *Hic enim.* Λόγος scilicet. Sed memoria lapsus Irenæus Verbo tribuit quod non nisi Salvatori suo ascribebant Valentiniani. Quippe Salvatorem, non Λόγον, dicebant *in honorem Æonum imagines fecisse ipsorum,* ad quarum præscriptum condidisset omnia Demiurgus; lib. I, cap. 5, n. 1.

(76) *Inhabitavit.* Ita Clarom., et hic ac paulo post, ac Voss., cæteri *habitavit.*

(77) *Manifestatum.* Alii perperam, *manifestum.*

(78) *Non erat ... testaretur de lumine.* Hunc versum, qui occasione repetitionis ultimarum vocum exciderat, ex Arund. et Merc. 2, restituit Grabius, ipso S. Joannis textu suffragante.

(79) *Advenientem.* Sic Clarom. et Voss. Alii minus recte *adventum.*

Digitized by Google

apostoli, secundo prophetæ [31]; » omnia autem ex uno et eodem ipso Deo.

5. Bonum enim et illud (80) quod per conditionem a Deo in vinea factum est, et primo bibitum est vinum. Nemo enim illud vituperavit ex his qui biberunt; sed et Dominus accepit de eo : melius autem quod per Verbum compendialiter ac simpliciter ex aqua ad usum eorum, qui ad nuptias convocati erant, factum est vinum [32]. Quamvis enim possit Dominus ex nullo subjacente eorum quæ sunt conditionis, præbere epulantibus vinum, et esca complere esurientes, hoc quidem non fecit : accipiens autem eos qui a terra essent panes, et gratias agens, et iterum aquam faciens vinum, saturavit eos qui recumbebant, et potavit eos qui invitati erant ad nuptias [33] : ostendens quoniam Deus, qui fecit terram, et jussit eam fructus ferre (81), et constituit aquas, et edidit fontes, hic et benedictionem escæ, et gratiam potus, in novissimis temporibus per Filium suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, et invisibilis per visibilem; cum extra eum non sit, sed in sinu Patris exsistat.

6. « Deum enim, inquit, nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit [34]. » Patrem enim invisibilem exsistentem ille, qui in sinu ejus est, Filius omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi, quibus revelaverit Filius : et iterum Pater per Filium, Filii sui dat agnitionem his qui diligunt eum. A quo et Nathanael discens cognovit, cui et testimonium reddidit Dominus, quoniam « verus Israelita est, in quo dolus non est [35]. » Cognovit Israelites suum regem; et ait ei (82) : « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel [36]. » A quo et Petrus edoctus, cognovit Christum Filium Dei vivi [37], dicentis : « Ecce Filius meus (83) dilectissimus, in quo bene sensi : ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus annuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque quisquam audiet vocem ejus in plateis : calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, usquequo emittat in contentionem judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt [38]. »

7. Et hæc quidem sunt principia Evangelii, unum Deum fabricatorem hujus universitatis, cum qui et per prophetas sit annuntiatus, et qui per Moysem legis dispositionem fecerit, Patrem Domini nostri Jesu Christi annuntiantia, et præter hunc alterum Deum nescientia, neque alterum Patrem. Tanta est autem circa Evangelia hæc firmitas, ut et ipsi hæretici testimonium reddant eis (84), et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionei etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthæum, solo utentes (85), ex **190** illo ipso convincuntur, non recte præsumentes de Domino. Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens (86), ex his quæ adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum exsistentem Deum ostenditur. Qui autem Jesum separant a Christo (87), et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est præferentes Evangelium; cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime utentes, ad ostensionem conjugationum suarum; ex ipso detegentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo libro. [39] Cum ergo (88) hi, qui contradicunt, nobis

[31] I Cor. XII, 28. [32] Joan. II, 3 seqq. [33] Joan. VI, 11. [34] Joan I, 18. [35] Ibid. 47. [36] Ibid. 49. [37] Joan. VI, 70. [38] Matth. XII, 18 seqq.; ex Isa. XLII, 1 seqq. [39] Cap. IX.

(80) *Bonum enim et illud.* Hæc non adeo cohærent cum præcedentibus. Forte quidpiam excidit.

(81) *Ferre.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss. Alii. *facere.*

(82) *Et ait ei.* Voces *in quo*, quæ in omnibus editt. præcedunt, ut superfluas delevi auctoritate cod. Clarom.

(83) *Ecce Filius meus*, etc. Hæc non eodem modo leguntur apud LXX interpretes Isai. XLII, 1 et seqq., atque apud Matth. XII, 18 et seqq.

(84) *Eis.* Eras., Gall. et Feuard. cum Arund. et Merc. 2. *ei.*

(85) *Ebionei etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthæum solo utentes.* Non integro, inquit Epiphanius, Hær. XXX, § 13, sed prioribus duobus capitibus mutilo, aliisque in locis depravato. Hebraicum vocabant, quia Hebraico, seu potius Syro-Chaldaico idiomate scriptum erat. Idipsum erat quod *secundum Hebræos* vocat Eusebius lib. III *Hist. ecclesiast.*, cap. 27, quodque Nazaræis et Ebionеis commune exstitisse asserit Hieronymus in cap. XII Matthæi. At non idem utrisque Evangelium fuisse contendit Grabius, indeque Hieronymum id asserentem erroris arguit; quia, inquit, historiam baptismi Servatoris non eodem modo refert Evangelium Nazaræorum, atque Ebionеorum. Sed id probat duntaxat, Evangelium *secundum Hebræos* ab Ebionitis interpolatum fuisse, multisque in locis depravatum, quod cum Epiphanio consentit; non vero absolute, et omni parte diversum fuisse ab Evangelio Nazaræorum. Non proinde viro erudito adeo dolendum, quod et ipse aliquando in Hieronymi modernorumque scriptorum sententiam abierit : hanc facile cum sua conciliare potuisset, et a præcipiti censura temperare.

(86) *Marcion autem id quod est secundum Lucam*, etc. Confer sequens caput 12 haud adeo procul a fine, et lib. I, cap. 27, n. 2, atque ibi notata.

(87) *Qui autem Jesum separant a Christo*, etc. Cerinthum ejusque sequaces hic indicari putat Grabius. Hæc quidem ad eorum placita ex parte quadrant. Sed difficultatem facit quod conceptis verbis affirmant Epiphanius, hær. XXVIII, § 4, ac hær. XXX, § 5, et Philastrius cap. 36. Cerinthianos perinde ac Ebionеos solo usos fuisse Evangelio secundum Matthæum, quod et *secundum Hebræos* vocabant, eoque non integro, sed mutilo. Quod vix cum Irenæo conciliari poterit, scribente, eos, quos hic memorat, hæreticos id quod secundum Marcum est præstulisse Evangelium.

(88) *Cum ergo.* Eras., Gall. et Feuard. *quando ergo.*

Digitized by Google

testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.

8. Neque autem plura numero quam hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia.

Ἐπειδὴ... τέσσαρα κλίματα (89) τοῦ κόσμου, ἐν ᾧ ἐσμὲν, εἰσὶ (90), καὶ τέσσαρα καθολικὰ πνεύματα, κατέσπαρται δὲ ἡ Ἐκκλησία ἐπὶ πάσης τῆς γῆς, στύλος δὲ καὶ στήριγμα Ἐκκλησίας τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ πνεῦμα ζωῆς· εἰκότως τέσσαρας ἔχειν αὐτὴν στύλους (92), πανταχόθεν πνέοντας τὴν ἀφθαρσίαν, καὶ ἀναζωπυροῦντας τοὺς ἀνθρώπους. Ἐξ ὧν φανερὸν (93), ὅτι ὁ τῶν ἁπάντων τεχνίτης (94) Λόγος, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ, καὶ συνέχων τὰ πάντα, φανερωθεὶς τοῖς ἀνθρώποις, ἔδωκεν ἡμῖν τετράμορφον τὸ Εὐαγγέλιον, ἑνὶ δὲ πνεύματι συνεχόμενον. Καθὼς

Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales (91) spiritus, et diaseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiæ [46] est Evangelium et spiritus vitæ; consequens est, quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem, et vivificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet (93) super cherubim, et continet omnia, declaratus (96) hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu (97) continetur.

Ὁ Δαβὶδ, αἰτούμενος αὐτοῦ τὴν παρουσίαν, φησίν· « Ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ (98), ἐμφάνηθι. » Καὶ γὰρ τὰ χερουβὶμ τετραπρόσωπα· καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, εἰκόνες τῆς πραγματείας (99) τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ (1). « Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ζῶον, φησὶ, ὅμοιον λέοντι (2), » τὸ ἐμπρακτον αὐτοῦ, καὶ ἡγεμονικὸν, καὶ βασιλικὸν χαρακτηρίζον· « τὸ δὲ δεύτερον ὅμοιον μόσχῳ, » τὴν ἱερουργικὴν καὶ ἱερατικὴν τάξιν ἐμφαῖνον· « τὸ δὲ τρίτον ἔχον πρόσωπον ἀνθρώπου (5), » τὴν κατὰ ἄνθρωπον αὐτοῦ παρουσίαν φανερώτατα (7) διαγράφον· « τὸ δὲ τέταρτον ὅμοιον ἀετῷ πετομένῳ, » τὴν τοῦ Πνεύματος ἐπὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἐφιπταμένου δόσιν (9) σαφηνίζον. Καὶ τὰ Εὐαγ-

Quemadmodum et David postulans ejus adventum, ait: « Qui sedes super cherubim, appare [47]. » Etenim cherubim quadriformia, et formæ ipsorum imagines sunt dispositionis Filii Dei. « Primum enim animal, inquit, simile leoni, » efficabile ejus, et principale, et regale (3) significans: « secundum vero simile vitulo, » sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans: « tertium vero (4) habens faciem quasi humanam, » eum, qui est secundum hominem, adventum ejus (6) manifeste describens: « quartum vero simile aquilæ volantis [48], » Spiritus in Ecclesiam advolantis (8) gratiam manifestans. Et Evangelia igitur his

[46] I Tim. III, 15. [47] Psal. LXXIX, 3. [48] Apoc. IV, 7.

(89) *Ἐπειδὴ.... τέσσαρα κλίματα.* Hæc Irenæi de quatuor Evangeliis pericopa, quam eruditissimi Grabii curæ et studiis debemus, Græce, tacito licet Irenæi nomine, paucisque mutatis, responsionis loco datur ad 144 Anastasii Sinaitæ (si sit ejus) quæstionem: cujus editio, cum hinc inde sit vitiosa, exemplar ms. cod. 206 Barocciani in Bibliotheca Bodleiana in subsidium vocavit vir clarissimus, necnon istud, quod ex Florentino codice descripsit, ac notis in N. T. inseruit Alexander Morus; haud animadvertens tamen, id Anastasii ἀποσπασμάτιον esse, atque istud cum Germano patriarcha Constantinopolitano quoque contulit, quod hic in *Theoria rerum ecclesiasticarum*, tom. II *Auctarii Bibliothecæ Patrum*, Paris. 1624, p. 146, hunc Irenæi locum magna ex parte compilarit: ex quo, ut et argumento quodam in S. Marci Evangelium, t. I *Auctarii* novissimi *Bibliothecæ Patrum* a Combefisio, Paris. 1672, editi pag. 436, insuper lacunam aliquam in Anastasio explevit. Exstat in Bibliotheca Regia cod. ms. 2910 Anastasii *Quæstionum et Responsionum*, et alter in Bibliotheca Colbertina nu. 1450, uterque septingentorum circiter annorum, quos ipse contuli, et cum Bodleiano fere convenire deprehendi. Illujus proinde lectiones allegare cum Grabio sufficiat.

(90) *Ἐσμὲν, εἰσὶ.* Morus, νῦν ἐσμέν, sine *εἰσὶ*.

(91) *Principales.* In Græco καθολικά. Sed aliud quidpiam legisse videtur interpres.

(92) *Εἰκότως τέσσαρας ἔχειν αὐτὴν στύλους.* Ita ex ms. Bodlei. reposuit Grab. cum in edit. perperam ἐχρῆν pro ἔχειν legatur. At auctoritate Latini interpretis, et constructione ita exigente, lege, inquit vir. clar., εἰκὸς ἐστι, pro εἰκότως. Sed quid, si servato ἐχρῆν legeretur, εἰκότως τέσσαρας ἐχρῆν ἔχειν αὐτὴν στύλους?

(93) *Φανερόν.* Germanus, φαίνεται.

(94) *Τεχνίτης.* In Florent. exemplari perperam κριτής

(95) *Sedet.* Ita Eras., Gall. et Feuard. in edit. 1576. Sed hic in posterioribus editt. perperam habet, *sedii*; quod erratum non modo secutus est Grabius, sed et excusare nititur.

(96) *Declaratus.* Gr. φανερωθεὶς, *manifestatus.*

(97) *Uno spiritu. In* hisce præfixum in editt. Eras., Gall. et Feuard. merito omittunt Clarom., Arund., Voss., quia nec in textu Græco exstat.

(98) *Ὁ καθήμενος ... τὰ χερουβὶμ.* Decem istæ voces desunt in Moro.

(99) *Εἰκόνες τῆς πραγματείας.* Germanus, εἰκονίζουσι τὴν πραγματείαν.

(1) *Τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.* In Florent. aut Moro male omissa vox Υἱ ϑ.

(2) *Πρῶτον ζῶον, φησὶ, ὅμοιον λέοντι.* Ita recte ex Germano edidit Grabius. Nam in Moro minus recte πρόσωπον loco ζῶον exstat. In Anastasio Bodlei. deest ὅμοιον: in edit. vitiose prorsus legitur: πρόσωπον ζῶον, φασὶ, λέοντι.

(3) *Efficabile ejus, et principale, et regale.* Melius vertisset interpres, *efficaciam ejus, et principatum, et regnum.*

(4) *Tertium vero.* Vocem *animal* a Feuard. nullius, ut videtur, ms. codicis auctoritate additam expunxi, quia deest in cod. Clarom. et editt. Eras. et Gall. ac ipso textu Græco.

(5) *Ἀνθρώπου.* Particulam ὡς addendam esse, ex veteri versione et ipso S. Joannis textu liquet.

(6) *Adventum ejus.* Sic mss. omnes cum textu Græco. In Eras., Gall. et Feuard. perperam, *adventum eis.*

(7) *Φανερώτατα.* Sic recte Bodlei. Sed non minus recte German. φανερῶς. At Anast. edit. male, φανερώτητα· Mor. pessime, φανεροῦται.

(8) *Volantis ... advolantis.* Sic iterum omnes mss. cum edit. Oxon. In aliis *volitantis ... advolitantis.*

(9) *Ἐφιπταμένου δόσιν.* Loco ἐφιπταμένου, uti recte in Mor. legitur, Anast. edit. et German. habent, ἐφιπταμένην, ms. Bodlei. pejus, ἐφιπτάμενον.

Digitized by Google

γέλια οὖν (10) τούτοις σύμφωνα (11), ἐν οἷς ἐγκαθέζεται Χριστός (12). Τὸ μὲν γὰρ κατὰ Ἰωάννην (13), τὴν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἡγεμονικὴν αὐτοῦ....., καὶ ἔνδοξον (16) γενεὰν διηγεῖται (17), λέγον· « Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (18) [καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος]. » Καί· « Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ». ..... Τὸ δὲ κατὰ Λουκᾶν, ἅτε ἱερατικοῦ (19) χαρακτῆρος ὑπάρχον, ἀπὸ τοῦ Ζαχαρίου τοῦ ἱερέως θυμιῶντος τῷ Θεῷ ἤρξατο. Ἤδη γὰρ ὁ σιτευτὸς ἡτοιμάζετο (21) μόσχος, ὑπὲρ τῆς ἀνευρέσεως (22) τοῦ νεωτέρου παιδὸς μέλλων θύεσθαι. Ματθαῖος δὲ τὴν κατὰ ἄνθρωπον αὐτοῦ γέννησιν κηρύττει, λέγων (24)·

consonantia, in quibus insidet Christus (13) Jesus. Aliud enim illam, quæ est a Patre, principalem, et efficabilem (14), et gloriosam **191** generationem ejus enarrat, dicens sic : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; » et : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil [46]. » Propter hoc et omni fiducia plenum est Evangelium istud; talis est enim persona ejus. Id vero, quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, a Zacharia (20) sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari (23). Matthæus vero eam, quæ

A « Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαβὶδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. » Καί· « Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν· » Ἀνθρωπόμορφον οὖν τὸ Εὐαγγέλιον τοῦτο (25). .... Μάρκος δὲ ἀπὸ τοῦ προφητικοῦ Πνεύματος, τοῦ ἐξ ὕψους ἐπιόντος τοῖς ἀνθρώποις, τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο, λέγων (27)· « Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς γέγραπται B ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ (28)· » τὴν πτερωτικὴν εἰκόνα τοῦ Εὐαγγελίου δεικνύων· διὰ τοῦτο δὲ καὶ σύντομον, καὶ παρατρέχουσαν τὴν καταγγελίαν πεποίηται· προφητικὸς γὰρ ὁ χαρακτὴρ οὗτος (29). Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ τοῖς μὲν πρὸ Μωϋσέως πατριάρχαις, κατὰ τὸ θεῖκὸν καὶ ἔνδοξον ὡμίλει (30)· τοῖς

est secundum hominem generationem ejus enarrat : « Liber, dicens, generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahæ. » Et iterum : « Christi autem generatio sic erat [46]. » Humanæ formæ igitur hoc Evangelium : propter hoc et per totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis homo servatus est (26). Marcus vero a prophetico Spiritu, ex alto adveniente hominibus, initium fecit : « Initium, dicens [46], Evangelii, quemadmodum scriptum est in Isaia propheta; » volatilem et pennatam imaginem Evangelii monstrans : propter hoc et compendiosam et præcurrentem annuntiationem fecit : prophetiens enim character est hic. Et ipsum autem Verbum

[46] Joan. I, 1 seqq. [46] Matth. I, 1, 18. [46] Marc. I, 1.

Sed Anast. cum Bodlei. et Germ. bene δόσιν. Florent. vero perperam γνῶσιν. C

(10) *Καὶ τὰ Εὐαγγέλια οὖν.* German. τοίνυν καὶ τὰ Εὐαγγέλια.

(11) *Σύμφωνα.* German. σύμμορφα.

(12) *Χριστός.* Ἰησοῦς deest.

(13) *Christus* Ita in mss. omnibus et Græco. In Eras., Gall. et Feuard. *Dominus.*

(14) *Efficabilem.* Hic pro *efficacem*, Græce ἐμπρακτον. Codd. Clarom. et Voss. habent *efficibilem.*

(15) *Τὸ μὲν γὰρ κατὰ Ἰωάννην.* German. τὸ μὲν γὰρ ἀετὸς, κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον. Sed utrumque glossema olet : quippe Irenæum τὸ μὲν γὰρ ἄλλο scripsisse, ex veteri versione colligere est.

(16) *Ἡγεμονικὴν αὐτοῦ,... καὶ ἔνδοξον.* Ita German. et omnia exemplaria Anastasii, nisi quod in edit. minus recte ordo duarum priorum vocum sit inversus. Alias vero duas voces, καὶ ἐμπρακτον, occasione repetitæ particulæ καί excidisse, vetus interpres ostendit. D

(17) *Διηγεῖται.* Anast., Bodlei. ἐκδιηγεῖται.

(18) *Λόγος.* Verba S. Joannis haud integra descripsit Anastasius, nec Germanus. Cum vero hic addat, καὶ πάντα δι' αὐτοῦ, quæ a Grabio omissa supplevi; operæ pretium visum fuit ad complendam periodum et intermedia, ab Irenæo procul dubio scripta, substituere, hamulis tamen inclusa, ne a Germano descripta esse viderentur. Duas nihilominus voces, ὃ γέγονεν, quas hic addit, resecui; quia ab Irenæo haud scriptæ, utpote ex ipsius sententia ad sequentem versum pertinentes. Desideratur autem in Græco et sequens Irenæi periodus : *Propter hoc... persona ejus.*

(19) *Ἅτε ἱερατικοῦ.* Ita Anast., Bodlei. et Florent. una cum Germano; sed edit. male, ἅτε ἱεροῦ.

(20) *A Zacharia.* Præpositionem *a* auctoritate cod. Arund. et Græci textus addidit Grabius.

(21) *Ἤδη γὰρ ὁ σιτευτὸς ἡτοιμάζετο.* Ita Anast. Bodlei. Sed Florent.. ἤδη περ ὁ σιτευτὸς ἑτοιμάζετο. Edit. vero pessime, ἤδει γὰρ ὅτι σιτευτὸς ἑτοιμάζεται.

(22) *Τῆς ἀνευρέσεως.* German. τῆς εὑρέσεως.

(23) *Inciperet mactari.* Græcismus interpreti familiaris, nec jam semel a nobis notatus, pro *mactandus erat.* Græca habent μέλλων θύεσθαι.

(24) *Ματθαῖος δὲ λέγων.* Ita Germanus cum Latino interprete. Sed omnia exemplaria Anastasii ex glossemate habent : Τὸ δὲ κατὰ Ματθαῖον... λέγον, nisi quod in ms. Bodlei. legitur, λέγων.

(25) *Καί· Τοῦ δὲ Ἰησοῦ... Εὐαγγέλιον τοῦτο.* Hæc a Grabio, nescio cur, omissa, ex Germano supplevi.

(26) *Serratus est.* Ita Clarom., Voss. et Grab. melius quam alii, *separatus est.*

(27) *Μάρκος δὲ.... λέγων.* Sic iterum Germanus Latinæ versioni consonus. Sed Anastas., τὸ δὲ κατὰ Μάρκον. . λέγον, excepto quod in Bodlei. rursus exstet λέγων. Germani lectionem confirmat argumentum in S. Marci Evangelium, ex Cyrilli Alex. sive Victoris Antiocheni Commentario in ipsum, tom. I *Auctarii* novissimi *Biblioth. PP.* a Combefisio editi pag. 436, C, ubi hæc Irenæi de S. Marco periodus, in Anastasio et Germano manca, plene allegatur cum hac honoris præfatione : Καὶ Εἰρηναῖος δὲ ὁ Λουγδούνων ἐπίσκοπος, μαθητὴς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, ἐν τῷ τρίτῳ κατὰ τῶν αἱρέσεων λόγῳ φησὶν, ἑκάστου Εὐαγγελίου τὸν χαρακτῆρα ἐκθέμενος. Μάρκος, etc.

(28) *Ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ.* Florent. ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου. German. ex suo, ut videtur, N. T. codice, ἐν τοῖς προφήταις.

(29) *Τὴν πτερωτικὴν... χαρακτὴρ οὗτος.* Hæc quæ in Anastas. edit. Bodlei. et Florent. desiderantur, restituit Grabius partim ex Cyrillo, et partim ex Germano

(30) *Ὡμίλει.* Ita recte German. Sed Anastas. edit. et Bodlei. vitiose ὁμῶσι vel ὁμῶσεῖ.

Digitized by Google

δὲ ἐν τῷ νόμῳ, ἱερατικὴν. . . . . τάξιν ἀπένεμεν (31)· μετὰ δὲ ταῦτα ἄνθρωπος γενόμενος, τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου (32) Πνεύματος εἰς πᾶσαν ἐξέπεμψε τὴν γῆν, σκεπάζων ἡμᾶς ταῖς ἑαυτοῦ πτέρυξιν. Ὑποία οὖν ἡ πραγματεία τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοιαύτη καὶ τῶν ζώων ἡ μορφή· καὶ ὁποία ἡ τῶν ζώων μορφὴ (34), τοιοῦτος καὶ ὁ χαρακτὴρ τοῦ Εὐαγγελίου. Τετράμορφα γὰρ τὰ ζῶα, τετράμορφον καὶ τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ ἡ πραγματεία τοῦ Κυρίου. Καὶ διὰ τοῦτο τέσσαρες ἐδόθησαν (36) καθολικαὶ (37) διαθῆκαι τῇ ἀνθρωπότητι· μία μὲν τοῦ κατακλυσμοῦ (38) τοῦ Νῶε, ἐπὶ τοῦ τόξου· δευτέρα δὲ τοῦ Ἀβραὰμ (39), ἐπὶ τοῦ σημείου τῆς περιτομῆς· τρίτη δὲ ἡ νομοθεσία ἐπὶ τοῦ Μωϋσέως (40)· τετάρτη δὲ ἡ τοῦ Εὐαγγελίου (41), διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Dei, illis quidem qui ante Moysem fuerunt patriarchis, secundum divinitatem et gloriam colloquebatur : his vero qui in lege, sacerdotalem et ministerialem actum (35) præbebat : post deinde nobis homo factus, munus cœlestis Spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis. Qualis igitur dispositio Filii Dei, talis et animalium forma : et qualis animalium forma (35), talis et character Evangelii. Quadriformia autem animalia, et quadriforme Evangelium, et quadriformis dispositio Domini. Et propter hoc quatuor data sunt testamenta humano generi : unum quidem ante cataclysmum sub Adam ; secundum vero, post cataclysmum sub Noe ; tertium vero legislatio sub Moyse ; quartum vero, quod renovat hominem, et recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium, elevans et pennigerans homines in cœleste regnum.

9. Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, μάταιοι πάντες καὶ ἀμαθεῖς, προσέτι δὲ καὶ τολμηροὶ, οἱ ἀθετοῦντες τὴν ἰδέαν τοῦ Εὐαγγελίου, καὶ εἴτε πλείονα, εἴτε ἐλάττονα τῶν εἰρημένων παρεισφέροντες (42) Εὐαγγελίων πρόσωπα· οἱ μὲν, ἵνα πλείονα δόξωσι τῆς ἀληθείας ἐξευρηκέναι (43)· οἱ δὲ ἵνα (44) τὰς οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ ἀθετήσωσιν.

192 9. His igitur sic se habentibus, vani omnes, et indocti, et insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii, et vel plures quam dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii : quidam ut plus videantur quam est veritatis adinvenisse : quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei.

Etenim Marcion totum rejiciens Evangelium (45) ; imo vero (46) seipsum abscindens ab Evangelio, pariter gloriatur se habere Evangelium (47) : alii vero (48) ut donum Spiritus frustrentur, quod in novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quæ est secundum Joannis Evangelium[46],

[46] Joan. XIV, 16, 26 ; XV, 26 ; XVI, 7.

(31) Ἀπένεμεν. German. ἀπένεμε.

(32) Τοῦ ἁγίου. Τοῦ ἐπουρανίου legit vetus interpres.

(33) *Actum.* Interpres perperam legit πρᾶξιν pro τάξιν ; vertendum proinde erat *ordinem*, non *actum præbebat.*

(34) *Καὶ ὁποία... μορφή.* Hoc comma deest in Germano, sicut et in Latinis Clarom. et Voss. codd.

(35) *Et qualis animalium forma.* Hæ quatuor voces in mss. Clarom. et Voss. desunt, nec in Græco Germani textu exstant.

(36) *Διὰ τοῦτο τέσσαρες ἐδόθησαν*, etc. Hic Græca a Latinis in uno atque altero commate sunt diversa. Anastasius enim et Germanus, omisso pacto Dei cum Adamo, aliud cum Abrahamo interserunt.

(37) *Καθολικαί.* Hanc vocem vetus interpretatio haud agnoscit.

(38) *Τοῦ κατακλυσμοῦ*, etc. German. τῷ κατακλυσμῷ τοῦ τόξου, ἐπὶ τοῦ τόξου.

(39) *Τοῦ Ἀβραάμ.* German. et Anast., Bodl., τῷ Ἀβραάμ.

(40) *Ἡ νομοθεσία ἐπὶ τοῦ Μωσέως.* In Anast. edit. legitur, ἡ τῆς νομοθεσίας διὰ Μωϋσέως. Sed ut Græca Latinis consona essent, ἐπὶ τοῦ Μωϋσέως ex ms. Bodlei. reposuit Grabius, et ἡ νομοθεσία ex Germano.

(41) *Ἡ τοῦ Εὐαγγελίου.* Hic nec Anastasius, neque Germanus Græca Irenæi verba servarunt.

(42) *Παρεισφέροντες.* German. minus recte περιφέροντες.

(43) *Ἐξευρηκέναι.* German. ἐξαιρηκέναι.

(44) *Ἵνα.* Deest in Anast. edit.

(45) *Marcion totum rejiciens Evangelium.* Non totum absolute rejiciebat, qui Evangelio Lucæ decurtato utebatur. Sed totum rejicere censebatur, qui quibus partibus vellet, fidem denegabat, quasdam admittens, cæteras resecans vel corrumpens. Eadem enim partium omnium auctoritas, quam qui in his pro libito non agnoscit, nec in aliis reveretur.

(46) *Imo vero.* Alii, *imo vero.*

(47) *Pariter gloriatur se habere Evangelium.* Ita Eras., Gall. et Ottob. ; cæteri codices : *Partem gloriatur se habere Evangelii :* quam lectionem etiam ad marginem editionis suæ ex quibusdam mss. codd. indicarunt Eras. et Gall., sed priorem prætulerunt ; et merito quidem. Hæc enim opponit Irenæus velut absurda, et secum invicem pugnantia, quod hinc Marcion totum rejiciat Evangelium, imo vere seipsum abscindat ab Evangelio ; illinc tamen, pariter atque Catholici, glorietur se habere Evangelium. Ecqui vero fateri, imo et gloriari potuisset Marcion, partem se habere Evangelii, qui quod decurtaverat, solum legitimum esse dicebat, ut ex cap. 12 sequenti liquet ; cæteris, quæ admittebant Catholici, veluti spuriis rejectis? Certe si partem duntaxat habere se confessus fuisset, eo ipso corruptionis criminis reum se prodidisset.

(48) *Alii vero*, etc. Observat doctissimus Tillemontius, Cataphryges, sive Montanistas hic ab Irenæo perstringi, qui, Augustino teste, hær. 26, Christi de mittendo Spiritu sancto promissa in seipsis plenius atque uberius, quam in apostolis adimpleta fuisse delirantes effutiebant. Isti itaque *prophetiæ gratiam ab Ecclesia repellebant*, ut sibi solis, seu potius pseudoprophetis suis vindicarent. Hinc Catholicorum cœtum, quod novas prophetias rejiceret, Ecclesiam Psychicorum nuncupabant ; suam vero sectam *Ecclesiam Spiritus* dicebant, quod Spiritum sanctum in prophetis novis, Montano et Priscilla, loquentem haberet, *spiritalemque merito dici faceret agnitio spiritalium charismatum*, ut misere delusus

Digitized by Google

in qua Paracletum se missurum Dominus promisit; sed simul et Evangelium, et propheticum repellent Spiritum. Infelices vero, qui pseudoprophetæ quidem esse volunt; propheticam (49) vero gratiam repellunt ab Ecclesia: similia patientes (50) his qui propter eos qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi, quod hujusmodi neque apostolum Paulum recipiant. In ea enim Epistola quæ est ad Corinthios [47], de propheticis charismatibus diligenter locutus est, et scit viros et mulieres in Ecclesia prophetantes. Per hæc igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum [48]. Hi vero, qui sunt a Valentino, iterum exsistentes extra omnem timorem, suas conscriptiones profercntes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciæ, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. Si enim quod ab eis profertur, veritatis est Evangelium, dissimile est autem hoc illis, quæ ab apostolis tradita sunt; qui volunt, possunt discere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, jam non esse id quod ab apostolis traditum est, veritatis Evangelium. Quoniam autem sola illa vera et firma, et non capit neque plura, præterquam prædicta sunt, neque pauciora esse Evangelia, per tot et tanta ostendimus. Etenim cum omnia composita et apta Deus fecerit, oportebat et ispeciem Evangelii bene com-

A positam, et bene compaginatam esse. Examinata igitur sententia eorum qui nobis tradiderunt Evangelium, ex ipsis principiis ipsorum, veniamus et ad reliquos apostolos, et perquiramus sententiam eorum de Deo: post deinde, ipsos Domini sermones audiamus.

193 CAPUT XII.

Quæ sit reliquorum apostolorum doctrina.

Petrus igitur apostolus post resurrectionem Domini, et assumptionem in cœlos, volens adimplere duodecim apostolorum numerum, et allegere (51) pro Juda (52) alterum, qui electus esset a Deo, ex his (53) qui aderant, dixit [49]: « Viri fratres, oportebat (54) impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus ore David de Juda, qui B factus est dux his qui apprehenderunt Jesum, quoniam annumeratus fuit inter nos: Fiat habitatio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea [50], et episcopatum ejus accipiat alter [51]:

τὴν ἀναπλήρωσιν (55) adimplctionem apostolo-
τῶν ἀποστόλων ἐκ τῶν rum (56) ex his quæ a
ὑπὸ Δαβὶδ εἰρημένων David dicta sunt, faciens.
ποιούμενος. . . . . .

Rursus cum Spiritus sanctus descendisset in discipulos, uti omnes prophetarent, et loquerentur linguis, et quidam irriderent eos, quasi a musto ebrios [52], dixit Petrus, non ebrios quidem illos esse, cum sit hora tertia diei; esse autem hoc quod dictum est per prophetam: « Erit C in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de

[47] I Cor. xi, 4, 5. [48] Matth. xii, 31. [49] Act. i, 16 seqq. [50] Psal. lxviii, 26. [51] Psal. cviii, &. [52] Act. ii, 4 seqq.

scribit Tertullianus in libris *De monogamia* et *De pudicitia*, quos jam Montanista factus edidit. Eo vero probabilius est; Irenæum in Montanistas dictum intendere, quod jam, Eusebio teste, lib. v *Hist.*, cap. 3, martyres Lugdunenses, quibuscum idem Irenæus tum presbyter versabatur, epistolis e carceribus ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, et ad Eleutherium papam scriptis, sententiam, utique damnationis, de novis prophetis tum emergentibus tulissent. Illi ergo dum tertium saltem adversus Valentinianos librum scribebat, ignoti esse non poterant Montanistarum errores: nec enim ante martyrum necem, id est ante annum M. Aurelii 17, Christi vero 176 aut 177, hunc elucubravit. At jam ab anno 171, ut tradit Eusebius in *Chronico*, orta erat Montanistarum hæresis. Quod vero asserit Grabius, velut ex Irenæo, Montanistas Evangelium S. Joannis repudiasse; ad Irenæi verba haud satis attendit vir doctissimus. Neque enim Irenæus totum D ab iis repudiatum fuisse Evangelium secundum Joannem dicit (nisi ad summum eo sensu quo Marcionem totum rejecisse Evangelium paulo ante affirmavit), sed *illam* duntaxat *speciem* Evangelii Joannis ab illis *non admitti, in qua Paracletum se missurum Dominus dicit*. Quod ne quidem ad omnes Montanistas extendi potest. Si quidem Tertullianus in suis contra Catholicos libris non tantum Evangelium Joannis citat, sed et hunc ipsum locum cap. xvi, 7, allegat, in quo de Spiritu sancto a se mittendo Servator loquens ait: *Cum venerit Spiritus sanctus, ille vos ducet in omnem veritatem*, ut inde probet hoc Christi promissum in Montano adimpletum fuisse.

(49) *Propheticam*. Ita Clarom. et Voss.; cæteri, *prophetiæ*.

(50) *Similia patientes*, etc. Sensus est, istas pseudoprophetas Spiritum sanctum, de cujus donis gloriantur, amittere: quemadmodum schismatici, qui, ne peccatorum occultorum communione polluantur, ab Ecclesiæ communione abstinent, sanctitate, quam æmulantur, excidunt.

(51) *Allegere*. Ita vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss. Cæteri *eligere*. Sed priorem lectionem prætuli, quod magis cum præcedentibus conveniat: *volens adimplere duodecim apostolorum numerum*. *Allegere* autem, est in apostolorum cœtum cooptare.

(52) *Pro Juda*. Ita recte codd. Clarom. et Arund cum edit Oxon. In reliquis mendose, *Providentia*.

(53) *Ex his*. Sic Clarom. et Voss. Ita ut ad verbum *allegere* referatur; non ad τὸ *dixit*. Reliqui omittunt *ex*.

(54) *Oportebat*. Ita omnes editt. suffragante veteri cod. Feuard. et Græco S. Lucæ textu. Sed Clarom. et Anglic. cum Vulgata Latina habent *oportet*, sicque ferunt et mss. quidam codices Græci.

(55) *Τὴν ἀναπλήρωσιν*. Hoc et sequentia hujus capitis fragmenta Græca descripsit Grabius e *Catena PP.* ms. optimæ, ut ait, notæ in Acta apostolorum, quæ asservatur in Bibliotheca Collegii novi Oxoniensis. Exstat vero primum hocce ἀποσπασμάτιον, fol. 3, pag. 1.

(56) *Apostolorum*. Ita Clarom., Arund., Voss. et Grab. juxta Græcum. Cæteri minus bene, *eorum*. Sensus porro verborum est: *adimplctionem* numeri duodecim *apostolorum faciens, juxta ea quæ a David dicta sunt*.

Digitized by Google

Spiritu meo in omnem carnem, et prophetabunt [55]. »

Ὁ οὖν (57) διὰ τοῦ προφήτου ἐπαγγειλάμενος Θεὸς πέμψειν τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἀνθρωπότητα, οὗτος καὶ ἔπεμψε· καὶ Θεὸς ὑπὸ Πέτρου καταγγέλλεται τὴν ἰδίαν ἐπαγγελίαν πεπληρωκώς.

Deus igitur, qui per prophetam, promisit missurum se Spiritum suum in humanum genus, ipse et misit ei : et ipse Deus a Petro annuntiatur, suam promissionem adimplesse.

2. « Viri enim, inquit Petrus [54], Israelitæ, audite sermones meos (58) : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per ipsum Deus in medio vestrum, quemadmodum ipsi scitis : hunc definito consilio, et præscientiæ Dei traditum (59) per manus iniquorum affligentes interfecistis : quem Deus excitavit, solutis doloribus inferorum (60), quoniam non erat possibile teneri eum ab eis. David enim dicit in ipsum [56] : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris meis (61) est, ne movear (62). Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Deinde rursum fiducialiter illis dicit de patriarcha David, quoniam mortuus est, et sepultus, et sepulcrum ejus sit apud eos usque in hunc diem. « Propheta autem, inquit [56], cum esset, et sciret quoniam jurejurando ei juravit Deus, de fructu ventris ejus (63) sedere in throno ejus [57]; providens locutus est de resurrectione Christi, quoniam neque derelictus est (64) apud inferos (65), neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum, inquit, excitavit Deus, cujus nos omnes sumus testes : qui dextera Dei exaltatus, repromissionem sancti Spiritus accipiens a Patre, effudit donationem hanc (66), quam vos nunc videtis, et auditis. Non enim David ascendit in cœlos; dicit autem ipse [58] : Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Certis-

A sime ergo sciat omnis domus Israel, quoniam et Dominum eum, et Christum Deus fecit hunc Jesum, quam vos crucifixistis. » Cum dixissent igitur turbæ : « Quid ergo faciemus [59]? » Petrus ad eos ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu, in remissionem (67) peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti [60]. »

. . . οὐκ ἄλλον (68) Θεὸν . . . . . κατήγγελλον οἱ ἀπόστολοι· οὐδὲ ἄλλον μὲν παθόντα καὶ ἐγερθέντα Χριστὸν, ἄλλον δὲ τὸν ἀναστήσαντα (69) καὶ ἀπαθῆ διαμεμενηκότα· ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Θεὸν, καὶ Σωτῆρα, καὶ Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντα· καὶ τὴν εἰς αὐτὸν πίστιν ἐκήρυσσον τοῖς μὴ πιστεύουσιν εἰς τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐκ τῶν προφητῶν συνεβίβαζον αὐτοὺς, ὅτι ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Θεὸς πέμψειν Χριστὸν, ἔπεμψε τὸν Ἰησοῦν, ὃν αὐτοὶ ἐσταύρωσαν, καὶ Θεὸς ἤγειρε.

Sic non alium Deum, nec aliam plenitudinem annuntiabant apostoli; nec alterum quidem passum et resurgentem Christum, alterum vero qui sursum volaverit, et impassibilis perseveraverit; sed unum et eumdem Deum Patrem, et Christum 194 Jesum, qui a mortuis resurrexit; et eam, quæ in eum est, fidem annuntiabant his qui non credebant in Filium Dei; et ex prophetis cohortabantur eos, quoniam eum, quem promisit se Deus missurum Christum, misit Jesum, quem ipsi crucifixerunt, quem Deus excitavit.

3. Rursus cum Petrus simul cum Joanne vidisset eum, qui a nativitate claudus erat, ante portam templi, quæ dicitur speciosa, sedentem et petentem eleemosynam, dixit ei : « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et statim ejus confirmati sunt gressus, et plantæ, et ambulabat, et introivit cum ipsis in templum, ambulans, et saliens, et glorificans Deum [61]. » Multitudine autem universa collecta ad eos propter inopinatum factum, Petrus dixit eis [62] : « Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, et nos quid intue-

[55] Joel. II, 28. [54] Act. II, 22 seqq. [56] Psal. XV, 8 seqq. [56] Act. II, 30 seqq. [57] Psal. CXXXI, 11. [58] Psal. CIX, 1. [59] Act. II, 37. [60] Ibid. 38. [61] Act. III, 2 seqq. [62] Ibid. 12 seqq.

(57) Ὁ οὖν. Hæc in dicta *Catena* fol. 11, p. 1, leguntur.

(58) *Sermones meos.* Legit Irenæus, τοὺς λόγους μου; eodem modo legit et Chrysostomus, hom. 6, in *Acta*. At vulgati nostri N. T. codices habent, τοὺς λόγους τούτους, *hos sermones*.

(59) *Traditum.* Λαβόντες, quod adduut editi N. T. codd. non agnoscit Irenæus, uti nec codex Alexand. et Velesii codd. neque Latina et Arab. versiones.

(60) *Inferorum.* Excusi N. Test. codd. habent θανάτου, sed mss. quidam ᾅδου, uti et Polycarpus *ad Philip.*, Epiphanius in *Ancorato* § 34, Vulgat. et Syr. interpretes.

(61) *Meis.* In Merc. 2 *mihi;* in cæteris, *mei.*

(62) *Ne movear.* Feuard. in marg. et Clarom. *ut non morear.*

(63) *De fructu ventris ejus.* Verba ista, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν, quæ sequuntur in editis N. Test. exemplaribus Græcis, non agnovit Irenæus; nec exstant in cod. Alexand. neque

D in Latina Vulgata, Syriaca ac Æthiopica versionibus.

(64) *Neque derelictus est.* Excusi N. Test. codd. Græci habent : οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου. At ἡ ψυχὴ omittitur non solum ab Irenæo, sed et Didymo lib. III *De Spiritu S.*, et in codd. Alexand. necnon in Latina Vulgata et Syr. versionibus.

(65) *Apud inferos.* Vors. *ad inferos.*

(66) *Donationem hanc.* Cum mss. quibusdam codd. Græcis et PP. aliquibus legit Irenæus ταύτην τὴν δωρεὰν ἣν, vel τοῦτο δῶρον ὅ. Et sic habuisse codd. Græcos sua ætate testatur Beda in *Comment. in Acta*. At nunc in excusis non legitur nisi τοῦτο, sine δῶρον.

(67) *In remissionem. In remissa* habent Clarom., Arund. et Merc. 2, ut opinor pro *in remissam.*

(68) *Οὐκ ἄλλον.* Hæc in laudata *Catena* fol. 18, p. 1, leguntur.

(69) Ἀναστήσαντα. Legendum videtur cum interprete ἁναπτήσαντα.

Digitized by Google

mini, quasi nostra virtute fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum, quem vos quidem tradidistis in judicium (70), et negastis ante faciem Pilati, cum remittere eum vellet (71). Vos autem sanctum et justum aggravastis (72), et petistis virum homicidam donari vobis ; ducem autem vitæ occidistis, quem Deus excitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc quem videtis et scitis, confirmavit nomen ejus, et fides, quæ est per ipsum, dedit ei incolumitatem coram vobis omnibus. Et nunc, fratres, scio quoniam secundum ignorantiam fecistis nequam (73). Deus autem quæ prædixit (74) ore omnium prophetarum, pati Christum suum, adimplevit. Fœnitentiam igitur agite, et convertimini, uti deleantur peccata vestra, et veniant vobis tempora (75) refrigerii a facie Domini, et mittat præparatum (76) vobis Jesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscipere usque ad tempora dispositionis omnium, quæ locutus est (77) Deus per sanctos prophetas suos (78). Moyses quidem dicit ad patres nostros [62] : Quoniam prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus vestris, quemadmodum me ; ipsum audietis in omnibus quæcunque locutus fuerit ad vos. Erit autem : Omnis anima quæcunque non audierit prophetam illum, peribit de populo. Et omnes a Samuel et deinceps, quotquot locuti sunt, et annuntiaverunt (79) dies ipsos. Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod Deus disposuit ad patres nostros, dicens ad Abraham [63] : Et in semine (80) tuo benedicentur omnes tribus terræ. Vobis primum Deus excitans Filium suum misit benedicentem vos, ut convertat se unusquisque a nequitiis suis. » Φανερὸν τὸ κήρυγμα (81), Manifestum ergo præco- ὁ Πέτρος σὺν Ἰωάννῃ nationem Petrus cum ἐκήρυσσεν αὐτοῖς, τὴν Joanne præconavit eis,

A ὑπόσχεσιν, ἣν ἐποιήσατο ὁ Θεὸς τοῖς πατράσι, δι' Ἰησοῦ πεπληρῶσθαι εὐαγγελιζόμενος · ἀλλ' οὐκ ἄλλον Θεὸν καταγγέλλων, ἀλλὰ τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν καὶ ἄνθρωπον γεγονότα, καὶ παθόντα, εἰς ἐπίγνωσιν ἄγων τὸν Ἰσραὴλ, καὶ ἐν Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν κηρύσσων, καὶ σημαίνων, ὅτι ὅσα οἱ προφῆται κατήγγειλαν περὶ τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ, ταῦτα B ἐπλήρωσεν ὁ Θεός.

reprumissionem, quam fecit Deus patribus, per Jesum adimpletam evangelizans : non quidem alterum Deum annuntians, sed Filium Dei, qui et homo factus est, et passus, in agnitionem adducens Israel ; et in Jesu resurrectionem, quæ est a mortuis, annuntians, et significans, quoniam omnia, quæ prophetæ annuntiaverunt de passione Christi, hæc adimplevit Deus.

4. Propter quod rursus convocatis principibus sacerdotum, fiducialiter Petrus dixit ad eos [64] : « Principes populi, et seniores Israelitæ, si nos hodie redarguimur a vobis in benefacto hominis infirmi, in quo hic salvatus (82) est ; cognitum sit omnibus vobis, et omni populo Israel, quoniam in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit a mortuis, in hoc hic astat in conspectu vestro sanus. Hic est lapis (83) spretus (84) a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli [65]. Et non est aliud nomen sub cœlo, quod datum sit hominibus, in quo oporteat salvari nos.

C Οὕτως οἱ ἀπόστολοι (85) οὐ τὸν Θεὸν ἠλλασσον, ἀλλὰ τὸν Χριστὸν κατήγγελλον τῷ λαῷ εἶναι τὸν Ἰησοῦν, τὸν ἐσταυρωμένον, ὃν ὁ Θεὸς, ὁ τοὺς προφήτας πέμψας, αὐτὸς Θεὸς ὢν, ἤγειρε, καὶ τὴν σωτηρίαν ἐν αὐτῷ ἔδωκε τοῖς ἀνθρώποις.

Sic apostoli non Deum mutabant, sed Christum annuntiabant populo esse Jesum qui crucifixus est, quem Deus excitavit. Qui prophetas misit, idem Deus excitavit, et salutem in eo dedit hominibus.

[62] Deut. XVIII, 15. [63] Gen. XXII, 18. [64] Act. IV, 8 seqq. [65] Psal. CXVII, 22.

(70) *In judicium.* Εἰς κρίσιν addit quoque mss. cod. Cantabrigiensis ; alii εἰς κριτήριον.

(71) *Cum remittere eum vellet.* Ἀπολύειν αὐτὸν θέλοντος iterum habet cum Irenæo cod. Cantabrigiensis. Editi vero, κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν.

(72) *Aggravastis.* Pro ἠρνήσασθε, habet cum Irenæo cod. Cantabrig. ἐβαρύνατε.

D (73) *Nequam.* Πονηρόν exstat etiam in ms. Cantabrig.

(74) *Quæ prædixit.* Feuard. in marg. et Voss. *qui prædixit.*

(75) *Et veniant vobis tempora.* In Græco Lucæ textu, ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ, *ut veniant tempora refrigerii.* At in Vulgata : *ut cum venerint tempora refrigerii.*

(76) *Præparatum.* Pro προκεχειρυγμένον ὑμῖν, legit Irenæus προκεχειρισμένον, prout habet quoque codex Alexand. et plures alii. Tertullian. etiam lib. *De resurrect. car.*, cap. 23, legit *prædesignatum.*

(77) *Locutus est.* Vocem *et*, quæ in editt. Eras., Gall. et Feuard. perperam addita est, non agnoscunt codd. Clarom., Arund., Voss. et Lucæ textus.

(78) *Prophetas suos.* Voces ἀπ' αἰῶνος, *a sæculo* omittit cum Irenæo cod. Cantabrig.

(79) *Quotquot locuti sunt, et annuntiaverunt.* Sic juxta S. Lucæ textum, codd. Clarom. et Voss. necnon Arund., nisi quod in hoc τὸ *et* [quod hic pro *etiam* accipitur] desideretur. Sed Eras., Gall. et Feu. habent : *et omnes, quotquot locuti sunt, annuntiaverunt.* Non legit autem Irenæus προκατήγγειλαν, ut fert textus Græcus hodiernus, sed simpliciter κατήγγειλαν, ut habent plura mss. exemplaria.

(80) *Et in semine.* Sic cod. Clarom. Plerique alii omittunt *et*, Grabius vero *et* pro *in* ex Merc. 2 posuit, quia, inquit, *Acta apostolica* ita sonant. Excusa quidem ita sonant. Sed cod. Alexand. juxta Genes. XXII, 18, habet, καὶ ἐν τῷ σπέρματι, quod et legit Vulgatus interpres.

(81) *Φανερὸν τὸ κήρυγμα.* Hæc exstant in dicta *Catena* fol. 23, pag. 1.

(82) *Salvatus.* Ita Feuard. in marg. et omnes mss. juxta Græcum σέσωσται. Edit. vero, *sanatus.*

(83) *Lapis.* Vocem *pretiosus* quæ in editt. addita est, expunxi auctoritate codd. Clarom. et Voss. quia neque in S. Lucæ textu legitur.

(84) *Spretus.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri *reprobatus.*

(85) *Οὕτως οἱ ἀπόστολοι.* Hoc Græci textus fragmentum exhibet antedicta ms. *Catena Patrum* fol. 28, pag. 1.

Digitized by Google

5. Confusi (86) igitur et per curationem (« annorum enim, inquit Scriptura [67], plus quam XL, erat homo in quo factum est signum curationis ») et **195** per doctrinam apostolorum et prophetarum expositionem, cum remisissent summi sacerdotes Petrum et Joannem, et reversi essent ad reliquos coapostolos, et discipulos Domini, id est in Ecclesiam, et enarrassent quæ fuerant facta, et quemadmodum fiducialiter egissent in nomine Jesu : « Audientes, inquit [68], tota Ecclesia (87), unanimes extulerunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es Deus qui fecisti cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui per Spiritum sanctum ore David patris nostri (88), pueri tui, dixisti [69] : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? Astiterunt reges terræ, et principes congregati sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in hac civitate (89) adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæcunque manus tua, et voluntas tua prædestinaverat fieri. »

A ἔχρισεν ὁ Θεὸς, καὶ ἄλλον οὐκ εἰδότων. Οὐ γὰρ ἦν τότε Οὐαλεντῖνος ἐκεῖ, οὐδὲ Μαρκίων, οὐδὲ οἱ λοιποὶ ἑαυτῶν τε, καὶ τῶν πειθομένων αὐτοῖς καταστροφεῖς. Διὸ καὶ ἐπήκουσεν αὐτῶν ὁ ποιητὴς τῶν ἁπάντων Θεός. « Ἐσαλεύθη γὰρ, φησὶν, ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἦσαν συνηγμένοι, καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἐλάλουν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ μετὰ παῤῥησίας, » παντὶ τῷ θέλοντι πιστεύειν.

Valentinus, nec Marcion, nec reliqui sui, vel eorum (94) qui assentiunt eis, eversores. Propter quod et exaudivit eos factor omnium Deus. « Commotus est enim, inquit, locus, in quo erant collecti, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia [70], » omni volenti credere.

Αὗται φωναὶ (90) τῆς Ἐκκλησίας, ἐξ ἧς πᾶσα ἔσχηκεν Ἐκκλησία τὴν ἀρχήν· αὗται φωναὶ τῆς μητροπόλεως τῶν τῆς Καινῆς Διαθήκης πολιτῶν· αὗται φωναὶ τῶν ἀποστόλων, αὗται φωναὶ τῶν μαθητῶν τοῦ Κυρίου, τῶν ἀληθῶς τελείων (92), μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου διὰ Πνεύματος τελειωθέντων, καὶ ἐπικαλουμένων τὸν Θεὸν, τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, τὸν διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυγμένον, καὶ τὸν τούτου παῖδα δὲ ὃν

Hæ voces Ecclesiæ ex qua habuit omnis Ecclesia initium : hæ voces civitatis magnæ (91), Novi Testamenti civium : hæ voces apostolorum, hæ voces discipulorum Domini, eorum qui post assumptionem Domini per Spiritum et perfecti exstiterunt, et invocaverunt Deum, qui fecit cœlum et terram, et mare, qui per prophetas annuntiatus est, et ejus Filius Jesus (93), quem unxit Deus, et alterum autem nescientes. Non enim erat ibi tunc

« Virtute enim magna, inquit [71], reddebant testimonium apostoli resurrectionis Domini Jesu, » dicentes ad eos [72] : « Deus patrum nostrorum excitavit Jesum, quem vos apprehendistis, et interfecistis suspendentes in ligno. Hunc Deus principem, et Salvatorem exaltavit gloria sua (95), dare pœnitentiam Israel, et remissionem peccatorum : et nos in eo testes sumus sermonum horum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus credentibus ei. Omni quoque die, inquit, in templo et in domo non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum » Filium Dei. Hæc enim erat salutis agnitio, quæ perfectos ad Deum efficit eos, qui cognoscunt Filii ejus adventum.

6. Quoniam autem impudenter (96) quidam eorum dicunt : Apud Judæos præconantes apostoli non poterant alterum eis Deum annuntiare, præter eum, qui creditus fuerat ab ipsis ; dicimus ad eos, quoniam si secundum olim insitam opinionem hominibus loquebantur apostoli, nemo ab his cognovit veritatem, multo autem prius (97) a Domino ; etenim ipsum sic locutum dicunt. Nec hi ergo ipsi veritatem sciunt, sed sententia (98) eorum de Deo cum esset talis, exceperant doctrinam, quemadmodum audire poterant. Secundum hunc igitur sermonem apud neminem erit regula veritatis, sed

[67] Act. IV, 22. [68] Ibid. 24 seqq. [69] Psal. II, 1, 2. [70] Act. IV, 31. [71] Ibid. 33. [72] Act. V, 30 seqq.

(86) *Confusi.* Sic Feuard. edit. Colon. Cæteri omnes codd. vitiose, et contra constructionis leges, *confusis*, nam sequitur : *cum remisissent summi sacerdotes.*

(87) *Tota Ecclesia.* Has duas voces explicationis gratia addidit Irenæus, vel ejus interpres. Neque enim apud Lucam exstant.

(88) *Per Spiritum sanctum... patris nostri.* Hæc in excusis N. T. codd. Græcis desiderantur. Habentur vero non in Vulgata modo, sed et in quibusdam mss. codd. Græcis in Oxon. N. T. edit. citatis.

(89) *In hac civitate.* Hæ voces desunt in hodierno Lucæ textu Græco, sed non in Vulgata et pluribus aliis mss. Græcis. Perperam ergo Grabius glossema esse censet.

(90) *Αὗται φωναί.* Ita quoque exstant in laudata Catena, fol. 30, p. 2.

(91) *Civitatis magnæ.* Græcam vocem μητροπόλεως alius quivis vertisset, *metropolis*, vel *metropoleos.*

(92) *Τῶν ἀληθῶς τελείων.* Has voces legisse non videtur vetus interpres.

(93) *Filius Jesus.* Ex Græco legendum, *Filium Jesum.*

(94) *Vel eorum. Vel* pro *et*, more scriptoribus infimæ Latinitatis usitato.

(95) *Gloria sua.* Δόξῃ pro ἐξιᾷ perperam legit vetus interpres.

(96) *Impudenter.* Eras., Gall. et Feuard. *impudentes.*

(97) *Multo... prius.* Pro *multo minus.*

(98) *Sententia.* Feuard. in marg. et cod. Voss. *scientia.*

Digitized by Google

omnes discipuli omnibus imputabunt, quoniam quemadmodum unusquisque sentiebat, et quemadmodum capiebat, sic et sermo ad eum factus est. Superfluus autem et inutilis adventus Domini parebit, si quidem venit permissurus, et servaturus unuscujusque olim insitam de Deo opinionem. Adhuc etiam et multo durius erat, quem hominem viderant Judæi, et cruci affixerant, annuntiari hunc esse Christum Filium Dei, æternum ipsorum regem. Non igitur jam secundum pristinam eorum (99) opinionem loquebantur ad eos. Qui enim in faciem interfectores eos esse Domini dicebant, multo magis fiducialiter eum Patrem, qui super Demiurgum est, et ipsis (1) annuntiarent, et non in quod putabat unusquisque; et multo minus erat peccatum, siquidem superiorem Salvatorem, ad quem ascendere eos oporteret, quoniam esset impassibilis, non affixissent cruci. Quemadmodum enim gentibus non secundum sententiam illorum loquebantur, sed cum fiducia dicebant, quoniam dii ipsorum non essent dii, sed idola dæmoniorum; simili modo et Judæis annuntiassent, si alterum majorem et perfectiorem scissent Patrem, non adnutrientes (2), neque augentes eorum non veram de Deo opinionem. Ethnicorum autem solventes errorem, et auferentes eos a suis diis, non utique alterum eis inferebant errorem; sed auferentes eos qui non erant dii, eum, qui solus erat Deus et verus Pater, ostenderunt.

7. Ex verbis Petri igitur, quæ fecit in Cæsarea ad Cornelium centurionem, et eos qui cum eo erant gentiles, quibus primo enarratus est sermo Dei, cognoscendum est nobis, quæ annuntiabant apostoli, et qualis fuit prædicatio ipsorum, et quam habuerunt de Deo **196** sententiam. « Erat enim, inquit [73], Cornelius hic religiosus et timens Deum cum tota domo sua, et faciens eleemosynas multas in populo, et orans Deum semper. Vidit ergo (3), circa horam nonam diei, angelum Dei intrantem (4) ad se, et dicentem : Eleemosynæ tuæ ascenderunt in recommemorationem in conspectu Dei. Propter quod mitte ad Simonem, qui vocatur Petrus. »

A Τοῦ Πέτρου (5) τὴν ἀποκάλυψιν ἰδόντος, ἐν ᾗ ἡ οὐράνιος εἶπεν αὐτῷ φωνή· « Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου, » τοῦθ', ὅτι διὰ τοῦ νόμου μεταξὺ καθαρῶν καὶ ἀκαθάρτων διαστείλας ὁ Θεὸς, οὗτος ἐκαθάρισε τὰ ἔθνη διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Παιδὸς αὐτοῦ, ὃν καὶ ὁ Κορνήλιος ἐσέβετο . . . . . Petrus autem cum vidisset revelationem, in qua respondit ad eum cœlestis vox : « Quæ Deus (6) emundavit, tu ne commune dixeris [74]; » hoc ideo, quoniam qui per legem inter munda et immunda distinxit Deus hic emundavit gentes per sanguinem Filii sui, quem et Cornelius colebat. Ad quem Petrus veniens dixit : « In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum (7), et operatur justitiam, acceptabilis ei est [75]. »

B Τρανῶς σημαίνων (8), ὅτι ὃν πρότερον Θεὸν ἐφοβεῖτο ὁ Κορνήλιος, τὸν διὰ (9) τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν κατηχεῖτο, δι' ὧν (10) καὶ τὰς ἐλεημοσύνας ἐποίει, οὗτος ἐπ' ἀληθείας ἐστὶ Θεός. Ἔλειπε δὲ αὐτῷ ἡ τοῦ Υἱοῦ γνῶσις. Manifeste significans, quoniam quem antea Deum timebat Cornelius, quem per legem et prophetas audierat, propter quem et eleemosynas faciebat, hic in veritate est Deus. Deerat autem ei agnitio (11).

Propter quod adjecit [76] : « Vos scitis quod factum est (12) verbum per omnem Judæam : incipiens enim a Galilæa post baptismum, quod (13) prædicavit Joannes : Jesum a Nazareth, quemadmodum unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute; ipse circuivit benefaciens et curans omnes qui oppressi erant a diabolo, quoniam Deus erat cum eo. Et nos testes sumus omnium eorum, quæ fecit et in regione Judæorum, et in Hierusalem : quem interfecerunt suspendentes in ligno. Hunc Deus excitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri (14), non omni populo, sed testibus nobis prædestinatis a Deo (15), qui cum eo et manducavimus, et bibimus post resurrectionem a mortuis. Et præcepit nobis annuntiare populo, et testificari, quoniam ipse est prædestinatus a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium reddunt remis-

C

[73] Act. x, 1 seqq. [74] Ibid. 15. [75] Ibid. 34, 35. [76] Ibid. 37 seqq.

(99) *Pristinam eorum. Eorum* deest in Clarom., Arund. et Voss.

(1) *Et ipsis.* Sic Clarom. cum Eras. et Gall. Cæteri *et ipsi.*

(2) *Adnutrientes.* Ita pro *annuntiantes*, ex cod. Voss. feliciter restituit Grabius.

(3) *Vidit ergo.* Verba Lucæ compendio refert Irenæus, indeque plures omittit voces.

(4) *Angelum Dei intrantem.* Clarom. *Angelum Domini introeuntem.*

(5) *Τοῦ Πέτρου.* Hæc ex dicta *Catena* fol. 73, p. 2, deprompta.

(6) *Quæ Deus.* Ita omnia exemplaria, et Græca tam Irenæi quam S. Lucæ littera; et sic etiam unus e nostris San-Germanensibus Latinis Actorum mss. codd. Sota Feuard. edit. Colon. et quæ secutæ sunt, (nam priores cum Eras. consentiunt) juxta Vulgatam Actorum versionem habet : *Quod Deus*, quia mox sequitur, *commune.*

(7) *Timet eum.* In Arund. *timet Deum.* Sed S. Lucas habet αὐτόν.

(8) *Τρανῶς σημαίνων.* Hæc quoque Græca Irenæi verba eruta sunt ex laudata *Catena* fol. 7, p. 2.

(9) *Τὸν διά.* Lege cum interpr. ὃν διά.

(10) *Δι' ὧν.* Lege δι' ὅν.

(11) *Agnitio. Filii* adde ex textu Græco.

(12) *Quod factum est.* Clarom. et Voss. *quoniam factum est.*

(13) *Baptismum quod. Baptismum* in neutro genere accipe, quod mediæ et infimæ Latinitatis scriptoribus non insuetum.

(14) *Manifestum fieri.* In Voss. *manifeste fieri.*

(15) *A Deo.* Eras. et Gall. *ab eo.*

Digitized by Google

sionem peccatorum accipere per nomen ejus omnem credentem in eum. » Filium ergo Dei, quem ignorabant homines, annuntiabant apostoli, et adventum ejus, his qui ante instructi erant de Deo; sed non alterum Deum inferebant. Si enim tale aliquid sciret Petrus, libere gentibus prædicasset, alterum quidem Judæorum, alterum autem Christianorum esse Deum; qui quidem propter visionem angeli conterriti omnes, quodcunque eis dixisset, credidissent. Ex verbis autem Petri manifestum est, quoniam præcognitum quidem eis Deum custodivit; Filium autem Dei Jesum Christum esse testificatus est ipsis, judicem vivorum et mortuorum, in quem et (16) baptizari eos jussit in remissionem peccatorum: et non tantum hoc, sed et Jesum ipsum (17) esse Filium Dei testificatus est, qui et unctus Spiritu sancto, Jesus Christus dicitur. Et est hic idem ex Maria natus, quemadmodum Petri continet testificatio. An nunquid perfectam tunc cognitionem nondum habebat Petrus, quam postea adinvenerunt hi? Imperfectus igitur secundum hos Petrus, imperfecti autem et reliqui apostoli. et oportebit eos reviviscentes, horum fieri discipulos, ut et ipsi perfecti fiant. Sed hoc quidem ridiculum est. Arguuntur vero isti non quidem apostolorum, sed suæ malæ sententiæ esse discipuli. Propter hoc autem et variæ sententiæ sunt uniuscujusque eorum, recipientis (18) errorem quemadmodum capiebat. Ecclesia vero per universum mundum ab apostolis firmum habens initium, in una et eadem de Deo et de Filio ejus perseverat sententia.

8. Philippus autem rursus spadoni reginæ Æthiopum revertenti a Hierosolymis [77], et legenti Isaiam prophetam, solus soli, quem annuntiavit? Nonne eum, de quo dixit propheta: « Tanquam ovis ad victimam (19) ductus est, quemadmodum agnus ante tondentem se sine voce, sic non aperuit os (20)? Nativitatem autem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur a terra vita ejus [78]. »

Τοῦτον εἶναι (21) Ἰησοῦν, καὶ πεπληρῶσθαι ἐν αὐτῷ Γραφήν, ὡς αὐτὸς ὁ εὐνοῦχος πεισθεὶς, καὶ παραυτίκα ἀξιῶν βαπτισθῆναι, λέγε· « Πιστεύω τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι Ἰησοῦν Χριστόν. » Ὃς καὶ ἐπέμφθη εἰς τὰ κλίματα Αἰθιοπίας, κηρύξων τοῦτο, ὅπερ ἐπίστευσε, Θεὸν μὲν ἕνα, τὸν διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυγμένον· τούτου δὲ τὸν Υἱὸν τὴν κατὰ ἄνθρωπον ἤδη πεποιῆσθαι παρουσίαν, καὶ ὡς πρόβατον εἰς σφαγὴν ἦχθη (22), καὶ τὰ λοιπὰ, ὅσα οἱ προφῆται λέγουσι περὶ αὐτοῦ.

Hunc esse Jesum, et impletam esse in eo Scripturam; quemadmodum ipse eunuchus credens, et statim postulans baptizari dicebat: «Credo Filium Dei esse Jesum [79]. » Qui et missus est in regiones Æthiopiæ, prædicaturus hoc quod ipse crediderat, Deum quidem unum per prophetas prædicatum; hujus vero Filium fecisse secundum hominem adventum, et ut ovem ad victimam ductum, **197** et reliqua quæcunque prophetæ dicunt de eo.

9. Παῦλος.... μετὰ τὸ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λαλῆσαι αὐτῷ τὸν Κύριον, καὶ ἐπιδεῖξαι, ὅτι τὸν ἴδιον Δεσπότην ἐδίωκε, διώκων τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ πέμψαι Ἀνανίαν πρὸς αὐτὸν, καὶ ἀναβλέψαι, καὶ βαπτισθῆναι· « Ἐν ταῖς συναγωγαῖς, φησὶν, ἐν Δαμασκῷ ἐκήρυσσε μετὰ πάσης παῤῥησίας τὸν Ἰησοῦν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ Χριστός. » Τουτέστι τὸ μυστήριον, ὃ λέγει κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθαι αὐτῷ, ὅτι ὁ παθὼν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, οὗτος Κύριος τῶν πάντων, καὶ βασιλεὺς, καὶ Θεὸς, καὶ κριτής ἐστιν.

9. Paulus [80] quoque et ipse, posteaquam de cœlo locutus est ad eum Dominus, et ostendit quoniam suum Dominum persequeretur, persequens discipulos ejus, et misit Ananiam ad eum, ut iterum videret et baptizaretur: « In synagogis, ait [81], in Damasco prædicabat cum omni fiducia Jesum, quoniam hic est Christus Filius Dei. » Hoc est mysterium, quod dicit per revelationem manifestatum sibi, quoniam qui passus est sub Pontio Pilato, hic Dominus est omnium, et Rex (23), et Deus, et judex; ab eo qui est omnium Deus, accipiens potestatem, quoniam « subjectus factus est usque ad mortem, mortem autem crucis [82]. » Et quoniam hoc verum est, Atheniensibus evangelizans in Areopago, ubi Judæis non assistentibus, licebat ei cum fiducia verum prædicare Deum, dixit eis [83]: « Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ Dominus exsistens, non in manufactis templis inhabitat, nec a manibus humanis tractatur (24), tanquam alicujus indigens, cum ipse omnibus dederit vitam et spiritum, et omnia fecerit (25), qui fecit ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare

[77] Act. VIII, 26 seqq. [78] Ibid. 32, ex Isa. LIII, 7. [79] Ibid. 37. [80] Act. IX, 4 seqq. [81] Ibid. 20. [82] Philip. II, 8. [83] Act. XVII, 24 seqq.

(16) *In quem, et.* Eras., Gall. et Feuard. *in quo* sine *et*.

(17) *Jesum ipsum.* Sic Clarom., Voss., Merc. 1 et Grab. melius quam reliqui, *Jesum Christum.*

(19) *Victimam.* Sic Clarom., Arund. et Voss., quomodo et paulo post σφαγὴν reddidit interpres. Cæteri, *occisionem.*

(20) *Os. Suum* omittunt iidem Clarom., Arund. et Voss.

(21) *Τοῦτον εἶναι.* Quæ sequuntur Græca, *Catenæ PP.* sæpe dictæ inserta leguntur; priora quidem fol. 58, p. 1, posteriora, Παῦλος, etc., fol. 65, p. 1.

(22) *Ἦχθη.* Legendum ἀχθῆναι.

(23) *Rex. Omnium* quod addunt Feuard. et Voss. merito delevit Grab. quia nec in Græco, nec in reliquis exemplaribus occurrit.

(24) *Tractatur.* Si in Græco legit Irenæus θεραπεύεται, hoc verbum modo sibi peculiari vertit interpres.

(25) *Omnia fecerit.* Verbum *fecerit* in nostris N. T. codd. non legitur.

Digitized by Google

super faciem totius terræ, præfiniens tempora (26) secundum determinationem inhabitationis eorum (27), quærere illud quod est divinum (28), si quo modo tractare possint illud, aut invenire, quamvis etiam non longe sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; et quemadmodum quidam secundum vos (29) dixerunt : Hujus enim et genus sumus. Genus igitur cum simus Dei, non oportet nos putare, id quod est divinum simile esse auro vel argento, vel lapidi per artem, vel concupiscentiam hominis deformato. Tempora ergo ignorantiæ despiciens Deus, nunc præcepit (30) hominibus omnibus (31) ubique pœniteri in ipsum, quoniam constituit diem judicari orbem terræ in justitia, in viro Jesu, in quo statuit fidem (32), excitans eum a mortuis. » Hoc autem in loco non solum factorem mundi Deum eis annuntiat, non assistentibus Judæis, sed et quoniam unum genus humanum fecit inhabitare super omnem terram, quemadmodum et Moyses ait[84] : « Quando divisit Altissimus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei; » populum autem qui credit Deo (33), jam non esse sub angelorum potestate, sed sub Domini : « Facta est enim portio Domini populus ejus Jacob, funiculum hæreditatis ejus Israel[85]. » Et iterum Lystris Lyciæ (34) cum esset Paulus cum Barnaba, et a nativitate claudum in nomine Domini nostri Jesu Christi ambulare fecisset, et cum turba honorare eos vellet quemadmodum deos, propter admirabile factum, ait eis[86] : « Nos similes (35) vobis sumus homines, evangelizantes vobis Deum (36), uti ab eis vanis simulacris (37) convertamini ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt : qui in præteritis temporibus permisit omnes gentes abire vias suas, quanquam non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans vobis pluvias et tempora fructifera, adimplens cibo et hilaritate corda vestra (38) » Quoniam autem his annuntiationibus ejus omnes epistolæ consonant, ex ipsis epistolis ostendimus apte in loco (39), exponentes Apostolum. Nobis autem collaborantibus his ostensionibus, quæ ex Scripturis sunt, et quæ multifarie dicta sunt, breviter et compendiose annuntiantibus, et tu cum magnanimitate intende eis, et non longiloquium putare (40) : hoc intelligens quoniam ostensiones, quæ sunt in Scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis Scripturis.

10. Stephanus autem iterum qui electus est ab apostolis primus diaconus (41), qui et primus ex omnibus hominibus sectatus est vestigia martyrii Domini, propter Christi confessionem primus interfectus, fiducialiter loquens in populo, et docens eos, dicens[87] : « Deus gloriæ (42) visus est patri nostro Abrahæ, et dixit ad eum : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam demonstrabo tibi : et transtulit illum in terram hanc, quam nunc et vos inhabitatis, et non dedit ei hæreditatem in ea, nec gressum pedis; sed promisit dare in possessionem eam, et semini ejus post eum. Locutus est autem sic Deus ad eum : quoniam erit semen ejus peregrinans (43) in terra aliena, et in **198** servitutem redigentur, et vexabuntur annis quadringentis : et gentem, cui servient, judicabo ego, dicit Dominus. Et postea exient, et servient mihi in isto loco. Et dedit ei testamentum circumcisionis, et sic generavit Isaac. » Et reliqua autem

[84] Deut. xxxii, 8. [85] Ibid. 9. [86] Act. xiv, 14 seqq. [87] Act. vii, 2 seqq.

(26) *Præfiniens tempora.* Addunt codices nostri προτεταγμένους, vel προστεταγμένους; quod *statuta* reddidit Vulgatus interpres.

(27) *Secundum determinationem inhabitationis eorum.* Legisse videtur Irenæus, κατὰ ὁροθεσίαν τῆς κατοικίας αὐτῶν. Et ita legi in ms. Cantabrigiensi codice Actorum dicit Grabius. Hanc tamen ms. Cantabrig. lectionem omiserunt ii qui varias N. T. codicum lectiones sive in edit. Oxon. sive in Polyglottis Londinensibus collegerunt.

(28) *Illud quod est divinum*, etc. Τὸ θεῖον cum Irenæo habet Cantabrig. in quo et legitur, Grabio teste, ψηλαφήσειαν αὐτό, pro αὐτόν, et ὑπάρχοντος, non ὑπάρχοντα.

(29) *Quidam secundum vos.* Omissa quoque *poetarum* mentio in ms. Cantabrig. et Æthiopica versione.

(30) *Præcepit.* In edit. Oxon. ex Merc. 1, *præcipit.*

(31) *Omnibus.* Deest in Clarom. et Voss.

(32) *In viro Jesu, in quo statuit fidem. Jesu* pariter addit post *viro* cod. Cantabrig. Sed post *fidem*, voces παρασχὼν πᾶσιν solus omittit Irenæus.

(33) *Credit Deo.* Ita Eras., Gall., Feuard. et codd. Arund. et Merc. 2. Alii, *credidit Deum;* Clarom. *credit Deum.*

(34) *Lyciæ.* Memoria lapsus auctor scripsit *Lyciæ* pro *Lycaoniæ;* Lystra siquidem ex Ptolomeo et Hierocle, quin etiam ex Luca Act. xiv, 6, non in Lycia, sed in Lycaonia sita erant.

(35) *Nos similes.* In Eras. et Gall. *nonne similes.*

(36) *Vobis Deum. Deum* addunt Clarom. et Voss.; addit etiam ms. Cantabrig. cum quo satis exacte legit Irenæus.

(37) *Simulacris.* Non exstat in nostris N. Test. codd.

(38) *Vestra.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. consentiente etiam ms. Cantabrig.; cæteri cum vulgatis N. T. exemplaribus, *nostra.*

(39) *Ostendimus apte in loco.* Scilicet libro v hujus operis, in quo Pauli *sententiam examinat, et Apostolum exponit*, ac pravas hæreticorum interpretationes refellit, ut facturum se pollicetur in Præfatione illius libri, et cap. ult. libri iv, nisi librum *contra Marcionem* intelligat, in quo hæreticum ex iis, quæ admittebat, Pauli Epistolarum partibus confutaturum se promiserat.

(40) *Putare.* Soli Feuard. et Grab. *puta.* Subintellige *velis*, vel quidpiam simile.

(41) *Primus diaconus.* Ita Eras., Gall., Feuard., Clarom., Arund. et Merc. 2. At Feuard. in marg. et Voss. *primus diaconorum.* Hanc posteriorem lectionem præfert Grabius; ego priorem, quam juxta Acta apostolorum sic interpretor : *electus est primus, ut esset diaconus.*

(42) *Deus gloriæ*, etc. Stephani verba compendio refert Irenæus. Nihil mirum itaque si plura prætermittat.

(43) *Peregrinans.* Edit. *peregrinum.* In Arund. neutrum.

Digitized by Google

verborum ejus eumdem Deum annuntiant, qui fuit (44) cum Joseph, et cum patriarchis, qui et collocutus est Moysi.

11. Et omnem apostolorum doctrinam unum et eumdem Deum annuntiasse, qui transtulit Abraham, qui promissionem hæreditatis ei fecit, qui testamentum circumcisionis apto tempore dedit, qui ex Ægypto vocavit semen ejus, servatum manifeste per circumcisionem (in signo enim dedit eam, ut non similes essent Ægyptiis); hunc factorem omnium, hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi, hunc Deum claritatis, ex ipsis sermonibus et Actibus apostolorum volentes discere possunt, et contemplari, quoniam unus hic Deus, super quem alius non est. Si autem et erat super hunc alius Deus, ex abundanti per comparationem dicemus: hic illo melior est. Melior enim ex operibus apparet, quemadmodum et prædiximus[88]: et cum illi nullum Patris sui opus habeant ostendere, hic solus ostenditur Deus. Si quis autem « ægrotans circa quæstiones[89] (45), » ea quæ ab apostolis de Deo dicta sunt, allegorizanda existimat; prædictos sermones nostros discutiat, in quibus unum Deum conditorem et factorem omnium ostendimus, et ea quæ ab illis dicuntur, destruximus et denudavimus: et inveniet consonantes eos apostolorum doctrinæ, et sic habere quemadmodum docebant et persuadebantur, quoniam unus est fabricator omnium Deus: et cum repulerit a sententia sua tantum errorem, et eam, quæ est adversus Deum, blasphemiam; et a semetipso inveniet rationem, cognoscens et eam, quæ est secundum Moysem legem, et gratiam Novi Testamenti, utraque apta temporibus, ad utilitatem humani generis ab uno et eodem præstita Deo.

12. Omnes enim, qui sunt malæ sententiæ, moti ab ea legislatione (46), quæ secundum Moysem, dissimilem eam et contrariam Evangelii doctrinæ arbitrantes, jam non sunt conversi, uti differentiæ utriusque Testamenti inquirerent causas. Deserti igitur cum sint a paterna dilectione, et inflati a Satana, conversi in Simonis Magi doctrinam, abstiterunt sententiis suis (47) ab eo qui est Deus, et putaverunt semetipsos plus invenisse (48), quam apostoli, alterum Deum adinvenientes. Et apostolos quidem adhuc quæ sunt Judæorum sentientes, annuntiasse Evangelium; se autem sinceriores, et prudentiores apostolis esse. Unde et Marcion, et qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt Scripturas (49), quasdam quidem in totum non cognoscentes, secundum Lucam autem Evangelium, et Epistolas Pauli decurtantes, hæc sola legitima esse dicunt, quæ ipsi minoraverunt. Nos autem etiam ex his, quæ adhuc apud eos custodiuntur, arguemus eos, donante Deo, in altera conscriptione (50). Reliqui vero omnes falso scientiæ nomine inflati, Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt, quemadmodum ostendimus in primo libro[90]. Et quidem hi qui a Marcione sunt statim blasphemant fabricatorem, dicentes eum malorum factorem (51), propositum initii sui tolerabiliorem habentes (52), duos naturaliter dicentes deos, distantes ab invicem, alterum quidem bonum, alterum autem malum: hi autem qui sunt a Valentino, nominibus honestius utentes, et Patrem, et Dominum, et Deum, hunc qui est fabricator, ostendentes, propositum sive sectam blasphemiorem habent, neque ab aliquo ex his, quæ sunt intra plenitudinem, Æonibus dicentes eum emissum, sed ab ea labe, quæ extra Pleroma expulsa est. Hæc autem omnia contulit eis Scripturarum et dispositionis Dei ignorantia. Nos et causam differentiæ Testamentorum, et rursum unitatem et consonantiam ipsorum, in his quæ deinceps futura sunt, referemus.

13. Quoniam autem et apostoli, et discentes ipsorum (53) sic docebant, quemadmodum Ecclesia prædicat, et sic docentes perfecti fuerunt, propter

[88] Lib. II, cap. XXX. [89] I Tim. VI, 4. [90] Cap. IX, XVIII, XIX et XX.

(44) *Fuit.* Alii mendose, *fecit.*

(45) *Ægrotans circa quæstiones.* Νοσῶν περὶ ζητήσεις, I Timoth. VI, 4.

(46) *Legislatione.* Editi, *legislatione.*

(47) *Sententiis suis. Suis* addidi ex Clarom. et Voss.

(48) *Semetipsos plus invenisse.* Sic Clarom. et Voss.; cæteri *quod a semetipsis plus invenissent.*

(49) *Ad intercidendas conversi sunt Scripturas.* Lege sup. lib. I, cap. 27, n. 2, et confer Epiphan., hær. XLII, et Tertullian., lib. IV, et V *Cont. Marcion.*

(50) *In altera conscriptione.* Scilicet in libro singulari *Contra Marcionem*, quem jam alibi editurum se promisit. Si fidem liberavit, opus injuria temporum interiit.

(51) *Factorem.* Ita ex Feuard. marg., Clarom. et Voss. reposui pro *fabricatorem*, quia hæc vox mox præcedit.

(52) *Propositum initii sui tolerabiliorem habentes.* Sic recte Clarom. et Arund. In Merc. 2 deest *initii sui.* In aliis perperam legitur *intolerabiliorem.* Πρόσθεσιν quidem seu προαίρεσιν non adeo male vertit interpres, *propositum*; sed si ad grammaticæ Latinæ, magis quam ad Græcæ, leges attendisset, *tolerabilius*, non *tolerabiliorem* adjicere debuisset. Hic vero Irenæi sensus est (quo genuinam esse nostram lectionem demonstratur): Valentinum Marcioni opponit, ostenditque majorem esse illius, quam hujus blasphemiam, quamvis contrarium prima fronte appareat. Hic quidem jam a primis hypotheseos suæ vocibus divinum Numen ore sacrilego lædit, dicens Deum *malorum factorem esse*; sed *propositum initii sui tolerabilius habet*; id est hypotheseos a se de primo rerum Principio (sic explicandæ ejus voces, *initii sui* pro more interpretis ἀρχὴν vertentis *initium*) institutæ impietatem aliquatenus emollit, duos commentus deos, quibus nulla secum invicem societas sit: econtrario vero Valentinus *nominibus* quidem in speciem *honestius utitur*, mundi Creatori et Patri, et Domini, et Dei appellationem non denegans; reipsa tamen in hoc scelestior, minusque ferenda ejus hypothesis, quod hunc, quem Deum et Dominum, mundique auctorem vocat, spurcissimæ labis e pleromate ejectæ fructum esse dicat.

(53) *Discentes ipsorum.* Pro, *discipuli ipsorum*: quo sensu eamdem vocem iterum accipit infra cap. 15 et 18, ut et Tertull. non raro.

Digitized by Google

quod et evocabantur ad perfectum; Stephanus hæc docens, adhuc cum super terram esset, vidit gloriam Dei, et Jesum ad dexteram, et dixit[91]: « Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis ad dexteram astantem Dei (54). » Et hæc dixit, et lapidatus est, et sic perfectam doctrinam adimplevit, per omnia martyrii magistrum imitans, et postulans pro eis qui se interficiebant, et dicens: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum[92]. » Sic erant perfecti, qui unum et eumdem Deum, ab initio usque ad finem variis dispositionibus assistentem humano generi, sciebant; quemadmodum ait Osee propheta: « Ego visiones implevi, et in manibus prophetarum similatus sum (55)[93]. » Qui ergo usque ad mortem tradiderunt animas propter Evangelium Christi, quomodo poterant secundum insitam opinionem hominibus loqui? Quod ipsum si fecissent, non paterentur: sed quoniam contraria his, qui non assentiebant veritati, prædicabant, **199** ideo et passi sunt. Manifestum est ergo, quoniam non derelinquebant veritatem, sed cum omni fiducia Judæis et Græcis prædicabant: Judæis quidem, Jesum eum qui ab ipsis crucifixus est, esse Filium Dei, judicem vivorum et mortuorum, a Patre accepisse æternum regnum in Israel, quemadmodum ostendimus; Græcis vero unum Deum qui omnia fecit, et hujus Filium Jesum Christum annuntiantes.

14. Manifestius autem hoc ostenditur ex apostolorum epistola quam neque Judæis, neque Græcis, sed his qui ex gentibus in Christum credebant, confirmantes fidem ipsorum, miserunt. Cum enim descendissent quidam a Judæa in Antiochiam, in qua et primum omnium discipuli Domini pro fide quam in Christo habebant, vocati sunt Christiani, et suaderent eis qui crediderant in Dominum, circumcidi, et reliqua secundum legis observationem perficere; et ascendissent Paulus et Barnabas Hierosolymam ad alteros apostolos propter hanc quæstionem, et universa Ecclesia convenisset in unum, Petrus dixit eis[94]: « Viri fratres, vos scitis quoniam a diebus antiquis in vobis (56) Deus elegit, ut ex ore meo audirent gentes verbum Evangelii, et crederent: et cordis inspector Deus testimonium perhibuit eis, dans eis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et ipsos, emundans per fidem corda illorum. Nunc igitur quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos valuimus portare? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos posse salvari quomodo et illi. » Post quem Jacobus dixit[95]: « Viri fratres, Simon retulit quemadmodum (57) Deus excogitavit accipere ex gentibus populum nomini suo. Et sic (58) conveniunt sermones prophetarum, sicut scriptum est[96]: Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod cecidit, et disturbata ejus ædificabo, et erigam illud, uti requirant reliqui hominum Dominum, et omnes gentes, in quibus invocatum est nomen meum super eos, dicit Dominus, faciens hæc (59). Cognitum a sæculo est Deo opus ejus: propterea ego secundum me (60) judico, non molestari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; sed præcipiendum eis, uti abstineant a vanitatibus idolorum, et a fornicatione (61), et a sanguine: et quæcunque nolunt sibi fieri, aliis ne faciant (62). » Et cum hæc dicta essent, et omnes consensissent, scripserunt eis sic[97]: « Apostoli, et presbyteri fratres (63), his qui sunt in Antiochia, et Syria, et Cilicia, fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quia ex nobis quidam exeuntes turbaverunt vos sermonibus, destruentes animas vestras, quibus non præcepimus, dicentes: Circumcidimini et servate legem (64); placuit nobis convenientibus in unum, electos viros mittere ad vos cum dilectissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus qui tradiderunt animam suam pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus igitur Judam et Silam, et ipsos per sermonem annuntiantes nostram sententiam (65). Placuit enim sancto Spiritui, et nobis, nullum amplius vobis pondus imponere, quam hæc, quæ sunt necessaria: ut abstineatis ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione; et quæcunque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis: a quibus custodientes vos ipsos, bene

[91] Act. VII, 55. [92] Ibid. 59. [93] Oseæ XII, 10. [94] Act. XV, 7 seqq. [95] Ibid. 13 seqq. [96] Amos IX, 11, 12. [97] Act. XV, 23 seqq.

(54) *Ad dexteram astantem Dei.* Sic Clarom. et Voss.; editi. *stantem a dextris Dei.*

(55) *Similatus sum.* Editi. *assimilatus sum.*

(56) *In vobis.* Cum Irenæo ἐν ὑμῖν habet cod. Alexand. et etiam sic legunt auctor *Constit. apost.* lib. VI, cap. 12, et Chrysost. Editi vero N. T. codd. tum Græci, tum Latini habent ἐν ἡμῖν, *in nobis.*

(57) *Quemadmodum.* Vocem πρῶτον, *primum*, quam addunt nostra exemplaria, cum Irenæo omittunt Chrysost., Theophylact., auctor *Constit. apost.*, loco cit., et cod. Alexand.

(58) *Et sic.* Οὕτως pro τούτῳ cum Irenæo etiam habebat cod. Cantabrig. sed recentiori manu emendatum fuisse dicit Grabius.

(59) *Faciens hæc.* Nec πάντα, quod addunt nostri codd. legunt Vulgatus et Æthiops interpres, nec exstat in codd. Alexand. et Cantabrig.

(60) *Secundum me.* Has voces non agnoscunt nostra exemplaria.

(61) *Et a fornicatione.* Καὶ τοῦ πνικτοῦ, *et suffocatis*, quod addunt nostri codd. omittit quoque cod. Cantabrig. et hic et v. 29.

(62) *Et quæcunque... faciant.* Hanc pericopen, quæ in nostris exemplaribus nec hic, nec versu 29 legitur, agnoscunt etiam cod. Cantabrig. et alii quidam, ut et Cyprian. lib. III *adv. Jud.*, cap. 119.

(63) *Presbyteri fratres.* Sic cum Irenæo habent codd. Cantabrig. et Alexand. et Vulgatus interpres. At in editis Græcis: Πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί.

(64) *Dicentes... legem.* Hoc comma nec in Vulgata Latina, nec in *Const. apost.* loco cit. legitur.

(65) *Nostram sententiam.* Τὰ αὐτά, *eadem*, habent nostri codd.

Digitized by Google

agetis, ambulantes in Spiritu sancto (66). » Manifestum est igitur ex his omnibus, quoniam non alterum Patrem esse docebant, sed libertatis Novum Testamentum dabant his, qui nove in Deum per Spiritum sanctum credebant. Ipsi autem ex eo quod quærerent : An oporteret circumcidi adhuc discipulos, necne? manifeste ostenderunt, non habuisse se alterius Dei contemplationem.

15. Cæterum non talem timorem circa primum habuissent Testamentum, ut nec cum ethnicis (67) quidem convesci vellent. Nam et Petrus, quamvis ad catechizandos eos missus esset, et tali visione conterritus fuisset, cum timore tamen multo locutus est ad eos, dicens[66] : « Ipsi scitis quoniam non est fas viro Judæo adjungi (68), aut convenire cum allophylo (69) : mihi autem Deus ostendit, neminem communem, aut immundum dicere hominem : quapropter sine contradictione veni ; »

διὰ τῶν λόγων (70) τούτων σημαίνων, ὅτι οὐκ ἂν ἐπεπόρευτο πρὸς αὐτοὺς, εἰ μὴ κεκέλευστο. Ἴσως γὰρ οὐδὲ τὸ βάπτισμα οὕτως εὐχερῶς ἔδωκεν αὐτοῖς, εἰ μὴ, τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἐπαναπαύοντος αὐτοῖς, προφητεύοντας αὐτοὺς ἀκηκόει. Καὶ διὰ τοῦτο λέγει· « Μήτις τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναται [τοῦ μὴ βαπτισθῆναι (74)] τούτους, οἵτινες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον, ὡς καὶ ἡμεῖς; » πείθων ἅμα τοὺς συμπαρόντας, καὶ σημαίνων, ὅτι εἰ μὴ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτοὺς ἀναπέπαυτο, ἦν ὁ κωλύσων αὐτοὺς τοῦ βαπτίσματος.

his sermonibus significans, quoniam non abisset ad eos, nisi jussus (71) fuisset. Sic æque ne baptisma quidem (72) facile dedisset, nisi, Spiritu sancto requiescente super eos, prophetantes eos audisset. Et propter hoc dixit[69] : « Nunquid aliquis (73) aquam vetare potest ad baptizandum hos, qui Spiritum sanctum acceperunt, quemadmodum et nos? » Suadens simul his qui secum erant, et significans, quoniam nisi Spiritus sanctus super eos requievisset, exsisteret qui eos prohiberet a baptismate.

200 Hi autem qui circa Jacobum apostoli (75), gentibus quidem libere agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi vero eumdem scientes Deum, perseverabant in pristinis observationibus: ita ut et Petrus quoque, timens ne culparetur ab ipsis, ante manducans cum gentibus, propter visionem et propter Spiritum (76) qui requieverat super eos; cum tamen advenissent quidam a Jacobo, separavit se, et non manducavit cum eis[1]. Hoc ipsum autem dixit Paulus et Barnabam fecisse. Sic apostoli, quos universi actus, et universæ doctrinæ Dominus testes fecit, (ubique enim simul cum eo assistentes invenjuntur Petrus et Jacobus et Joannes) religiose agebant circa dispositionem legis, quæ est secundum Moysem, ab uno et eodem significantes esse Deo. Quod quidem non fecissent secundum quæ prædiximus, si præter eum qui legis dispositionem fecit, alterum patrem a Domino didicissent.

CAPUT XIII.

Adversus eos qui dicunt, tantum Paulum ex apostolis cognovisse veritatem.

1. Eos autem qui dicunt, solum Paulum veritatem cognovisse, cui per revelationem manifesta-

[66] Act. x, 28, 29. [69] Ibid. 47. [1] Gal. II, 12, 13.

(66) *Ambulantes in Spiritu sancto.* Hæc etiam agnoscunt cod. Cantabrig. et Tertullian. lib. *De pudicit.* cap. 12.

(67) *Ethnicis.* Ita vetus Feuard., cod. Clarom., Voss. et Grab. Cæteri perperam, *ipsis.* Utramque vocem retinet Feuardent.

(68) *Adjungi.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss.; alii, *conjungi.*

(69) *Allophylo.* Id est, *alienigena.*

(70) *Διὰ τῶν λόγων.* Hoc denique Græcum fragmentum e sæpe dictæ Catenæ fol. 75, p. 1, descripsit Grabius.

(71) *Jussus.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. juxta Græcum κεκέλευστο. Reliqui, *missus.*

(72) *Sic æque ne baptisma quidem.* Ita pro *sic neque baptismo quidem*, ex cod. Clarom. reposui, hanc lectionem genuinam esse ratus; tum quod Græcis non male consonet; tum quod non dubitem, quin vocem ἴσως (quæ in omnibus aliis codd. reddita non legitur) verterit interpres, *æque.* Perlitior alius vertisset, *fortasse.*

(73) *Nunquid aliquis.* Ita Clarom. et Voss. Reliqui, *num quis.*

(74) *Τοῦ μὴ βαπτισθῆναι.* Has voces in ms. Catena negligentia scribæ, et occasione sequentis vocis ab eadem syllaba τοῦ incipientis omissas supplevit vir clarissimus.

(75) *Hi autem qui circa Jacobum apostoli.* Græcismum esse notat Billius, οἱ περὶ τὸν Ἰάκωβον ἀπόστολοι pro ὁ Ἰάκωβος ἀπόστολος, *Jacobus apostolus.* Grabius vero hic cum Jacobo reliquos simul apostolos intelligit, quia, inquit, sequitur : *Ipsi vero scientes*, etc. At plurali adhibito numero in priori periodo, quid aliud ex constructionis lege sequi poterat in posteriori, nisi pluralis numerus? Sed clarissimum virum fefellit aliud, quod haud satis attentus notat Billius; scilicet, Irenæum hoc loco intelligere concionem eam, quam Act. xv, post Petrum Jacobus habuit. Neque enim ad eam concionem ullatenus respicit SS. antistes, sed ad eum, quo se circa legalium observationem gerebat, modum Jacobus apostolus. Hancque fuisse Jacobi prudentem œconomiam asserit, ut gentiles quidem *libere agere permitteret*, id est ad legalium observationem haudquaquam adigeret; *ipse vero sciens eumdem esse Deum* utriusque Testamenti auctorem, *perseveraret in pristinis observationibus* legalibus, ne scilicet Judæorum animos in ipsa urbe, quæ Judaicæ religionis sedes hactenus exstiterat, exasperaret: (quod ex Eusebio, aliisque monumentis ecclesiasticis certum esse constat) indeque factum, ut Petrus et ipse, qui antea et verbis et factis Mosaicam legem ad salutem non esse necessariam ostenderat, *cum advenissent quidam* a Jacobo, timens ne culparetur ab Apostolo, quem Judaicorum rituum observantissimum esse sciebat, a gentilium convictu sese subduxerit; quod Ecclesiam conturbavit, ut refert Paulus Galat. II, 11, et seqq. Jam viderit Grabius, quam prudenter ex eo auctoris nostri loco concludere se posse existimavit, *Irenæum hoc loquendi genere primatum inter apostolos S. Jacobo tribuisse, tanquam episcopo Hierosolymitanæ Ecclesiæ.* Dormiat necesse est quisquis primatum eo in loco expiscetur, quem conscribens auctor, de primatu sive Petri, sive Jacobi, sive alterius cujusvis ne κατ' ὄναρ quidem cogitavit.

(76) *Propter Spiritum.* *Sanctum* quod addunt om-

Digitized by Google

tum (77) est mysterium, ipse Paulus convincat eos, dicens, unum et ipsum Deum et operatum Petro in apostolatum (78) circumcisionis, et sibi in gentes [8]. Ipsius ergo Dei Petrus erat apostolus, cujus et Paulus : et quem Petrus in circumcisione annuntiabat Deum, et Dei Filium, hunc et Paulus in gentes. Neque enim solum Paulum salvare (79) venit Dominus noster ; nec sic pauper Deus, ut unum solum haberet apostolum, qui dispositionem Filii sui cognosceret. Et Paulus autem dicens [9] : « Quam speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem! » manifestum fecit (80), quoniam non unus, sed plures erant, qui veritatem evangelizabant. Et rursus in ea Epistola quæ est ad Corinthios, cum prædixisset omnes qui Deum post resurrectionem viderunt, intulit : « Sive autem ego, sive illi, sic annuntiamus, et sic credidistis [10] : » unam et eamdem prædicationem confitens omnium eorum, qui Deum viderunt post resurrectionem a mortuis.

2. Et Dominus autem Philippo volenti Patrem videre, respondit : « Tanto tempore vobiscum sum, et me non cognovisti (81)? Philippe, qui videt me, videt (82) et Patrem (83). Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? Ego enim in Patre, et Pater in me, et amodo cognovistis eum, et vidistis [6] (84). Quibus ergo Dominus testimonium dixit, quoniam et cognoverunt in ipso, et viderunt Patrem, (Pater autem veritas) hos dicere non cognovisse veritatem, est hominum falsa testantium, et eorum qui alienati sunt a Christi doctrina (85). Ad quid enim A mittebat Dominus duodecim apostolos ad oves quæ perierant domus Israel, si veritatem non cognoverunt [6]? Quomodo autem septuaginta prædicabant, nisi ipsi prius virtutem (86) prædicationis cognovissent? Aut quomodo Petrus ignorare potuit, cui Dominus testimonium dedit, quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater qui in cœlis est [7]? Sicut ergo « Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum (87), et Deum Patrem [8] ; » Filio (88) quidem adducente eos ad Patrem, Patre vero revelante eis Filium.

3. Quoniam autem his, qui ad apostolos vocaverunt eum de quæstione, acquievit Paulus, et ascendit ad eos cum Barnaba in Hierosolymam, non sine causa, sed ut ab ipsis libertas gentilium confirmaretur, ipse ait in ea quæ ad Galatas [9] est Epistola : « Deinde post XIV annos ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumens et Titum. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum eis Evangelium, quod prædico inter gentes. » Et iterum ait [10] : « Ad horam cessimus subjectioni (89), **201** uti veritas Evangelii perseveret apud vos (90). » Si quis igitur diligenter ex Actibus apostolorum scrutetur tempus, de quo scriptum est, « Ascendi (91) Hierosolymam, » propter prædictam quæstionem, inveniet eos, qui prædicti sunt a Paulo, annos concurrentes (92). Sic (93) est consonans, et velut eadem tam Pauli annuntiatio, quam et Lucæ de apostolis testificatio.

[8] Galat. II, 8. [9] Rom. X, 15. [10] I Cor. XV, 11. [6] Joan. XIV, 7, 9, 10. [6] Matth. X, 6. [7] Matth. XVI, 17. [8] Gal. I, 1. [9] Cap. II, 1, 2. [10] Ibid. 5.

nes editi. omittunt, uno excepto Merc. alii omnes mss.

(77) *Manifestatum.* Feuard. male, *manifestum.*

(78) *In apostolatum.* Ita Clarom. et Arund. juxta sacrum textum. Alii minus recte, *in apostolatu.*

(79) *Solum Paulum salvare.* Editi. *ut solum Paulum salvaret.*

(80) *Fecit.* Edit. *facit.*

(81) *Cognovisti.* Ita codd. Clarom. et Voss. juxta Græcum Evangelii textum. Alii vero cum Vulgato interprete habent, *cognovistis* ; quam lectionem agnoscunt etiam Græci Velesii codices, in quibus exstat ἐγνώκατε.

(82) *Qui videt me, videt.* Clarom. *qui vidit me, vidit.*

(83) *Et Patrem.* Vocem *meum* quam addunt Eras., Gall. et Feuard. omittunt mss. pene omnes, nec in sacris Bibliis comparet.

(84) *In me... vidistis.* Duæ voces *est* et *cum*, quæ in editt. sequuntur *me* et *vidistis*, desunt in Clarom. et mss. Anglic.

(85) *Christi doctrina.* Clarom. *Christo doctrina.* Merc. 1, *vera doctrina.*

(86) *Virtutem.* Sic Clarom., Voss. et Feuard. in marg. Cæteri *veritatem.*

(87) *Jesum. Christum* addit Grabius auctoritate cod. Arund.

(88) *Patrem, Filio.* Hic quidpiam e textu excidisse nemo non videt, alterum scilicet comparationis inter Paulum et reliquos apostolos membrum ; quod tamen facile suppleri potest. Id enim vult, quod *sicut Paulus* constitutus fuit *apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem* ; sic et alii apostoli a Filio electi sunt, a Patre autem edocti ; *Filio quidem adducente eos ad Patrem, Patre vero revelante eis Filium.*

(89) *Ad horam cessimus subjectioni.* Negationem præmittunt nostra N. T. exemplaria tum Græca, tum Latina : *Neque ad horam cessimus.* Sed priorem lectionem fuisse antiquæ versionis Italicæ ex eo mihi constat, quod Tertullian. lib. V, *cont. Marcion.*, cap. 5, nedum pro ea contendat ; sed et cum negativam protulisset ex Marcionis codice, hanc esse *vitiationem Scripturæ* dicat. Deinde Hieronymus et Ambrosiaster observant, id discriminis inter Græcos et Latinos sui temporis codices exstitisse, quod illi negationem præmitterent, hi omitterent. Denique vetustissimus noster San-Germanensis Paulinarum epistolarum codex Græco-Latinus, veterem Italicam, doctissimorum virorum judicio, exhibens, cum Irenæo habet, *ad horam cessimus.*

(90) *Apud vos.* Arund. *in nos.*

(91) *Ascendi.* Sic Clarom., Voss. et Feuard. in marg. Reliqui, *ascendisse.*

(92) *Inveniet eos qui prædicti sunt a Paulo annos concurrentes.* Paulus ipse cap. 1 Epistolæ ad Galatas scribit se statim post conversionem in Arabiam profectum, tum post annos tres Jerosolymam venisse, ubi quindecim dies duntaxat moratus abiit in partes Syriæ et Ciliciæ. *Deinde*, inquit cap. II, *post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba* ; ut nimirum de Mosaicæ legis observatione, de qua controversia mota fuerat Antiochiæ.

(93) *Sic.* Eras., Gall. et Feuard. male, *sicut.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Si quæ occultiora mysteria præ aliis scivisset Paulus, ea Lucas assiduus illius comes, laborumque consors ac particeps, ignorare non potuisset : nec veritas eum latere potuit, per quem solum plura ac maxime necessaria evangelicæ historiæ capita novimus.

1. Quoniam autem is Lucas inseparabilis fuit a Paulo, et cooperarius ejus in Evangelio, ipse facit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus (94) veritate. Separatis enim, inquit, a Paulo, et Barnaba, et Joanne, qui vocabatur Marcus, et cum navigassent Cyprum, « nos venimus in Troadem [11]; » et cum vidisset Paulus per somnium virum Macedonem, dicentem (95) : « Veniens in Macedoniam opitulare nobis, Paule; statim, ait, quæsivimus proficisci in Macedoniam, intelligentes quoniam provocavit nos Dominus evangelizare eis. Navigantes igitur a Troade, direximus navigium (96) in Samothracen [12]; » et deinceps reliquum omnem ipsorum usque ad Philippos adventum diligenter significat, et quemadmodum primum sermonem locuti sunt : « Sedentes enim, inquit [13], locuti sumus mulieribus quæ convenerant; » et quinam crediderunt, et quam multi. Et iterum ait [14] : « Nos autem navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus Troadem, ubi et commorati sumus diebus septem. » Et reliqua omnia ex ordine cum Paulo refert, omni diligentia demonstrans et loca, et civitates, et quantitatem dierum, quoadusque Hierosolymam ascenderent [15] : et quæ illic contigerint Paulo, quemadmodum vinctus Romam missus est, et nomen centurionis qui suscepit eum [16], et parasema navium (97), et quemadmodum naufragium fecerunt, et in qua liberati sunt insula, et quemadmodum humanitatem ibi perceperunt, Paulo curante principem ipsius insulæ, et quemadmodum inde Puteolos navigaverunt, et inde Romam pervenerunt, et quanto tempore Romæ commorati sunt [17]. Omnibus his cum adesset Lucas, diligenter conscripsit ea, uti neque mendax, neque elatus deprehendi possit, eo quod omnia hæc constarent, et seniorem eum esse omnibus qui nunc aliud docent, neque ignorare veritatem. Quoniam non solum prosecutor (98), sed et cooperarius fuerit apostolorum, maxime autem Pauli, et ipse autem Paulus manifestavit in epistolis, dicens : « Demas me dereliquit, et abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam; Lucas est mecum solus [18]. » Unde ostendit quod semper junctus ei et inseparabilis fuerit ab eo. Et iterum in Epistola quæ est ad Colossenses, ait : « Salutat vos Lucas medicus dilectus [19]. » Si autem Lucas quidem, qui semper cum Paulo prædicavit, et dilectus ab eo est dictus, et cum eo evangelizavit, et creditus est referre nobis Evangelium, nihil aliud ab eo didicit, sicut ex verbis ejus ostensum est; quemadmodum hi qui nunquam Paulo adjuncti fuerunt, gloriantur abscondita et inenarrabilia didicisse sacramenta?

2. Quoniam autem Paulus simpliciter quæ sciebat, hæc et docuit (99), non solum eos qui cum eo erant, verum omnes audientes se, ipse facit manifestum. In Mileto enim convocatis episcopis et presbyteris (1), qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus [20], quoniam ipse festinaret Hierosolymis Pentecosten agere, multa testificans eis, et dicens quæ oportet ei Hierosolymis evenire, adjecit [21] : « Scio quoniam jam non videbitis faciem meam : testificor igitur vobis hac die, quoniam mundus sum a sanguine omnium. Non enim subtraxi, uti non annuntiarem vobis omnem sententiam Dei. Attendite igitur et vobis, et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus præposuit episcopos,

[11] Act. xv, 39. [12] Act. xvi, 8 seqq. [13] Ibid. 13. [14] Act. xx, 6. [15] Act. xxi, 1 seqq. [16] Act. xxvii, 1. [17] Act. xxviii. [18] II Tim. iv, 9, 10, 11. [19] Col. iv, 14. [20] Act. xx, 17 seqq. [21] Ibid. 25 seqq.

chiæ, cum aliis apostolis tractaret; quod in concilio Jerosolymis celebrato factum est. Jam si tres et quatuordecim annos a Paulo memoratos colligas, summa fiet annorum septemdecim; quod apprime quadrat ad epocham concilii Jerosolymitani. Paulus enim Christo nomen dedit sub finem anni Christi 34. Jerosolymam tum primum venit anno 37. Exinde si numeres annos quatuordecim, incides in annum 51, quo Hierosolymam iterum ascendit, concilio ibi celebrando adfuturus. Quas perspicuæ huic computandi rationi difficultates opponunt Pearsonius in *Annalibus Paulinis*, et Hammondus in suis in Epistolam ad Galatas notis, solvere non est hujus loci. Legesis eruditas doctissimi Tillemontii notas in D. Pauli vitam tom. II *Commentar. in Hist. eccles.* not. 5 et 7.

(94) *Productus.* Græce scripsisse cum Grabio puto Irenæum, προηγμένος, quod vertere debuisset interpres, *compulsus.*

(95) *Dicentem. Sibi* quod addunt editt. deest in omnibus mss.

(96) *Navigium.* Alii *navem.*

(97) *Et parasema navium.* (Id est insignia navium) sic recte Clarom. et Voss. Cæteri mss. codd. corrupti; nec emendatiores Eras., Gall. et Feuard. editt. in quibus legitur, *et Patarense navigium*: Siquidem constat ex Actor. xxvii et xxviii, Paulum in Italiam navigantem, navi primum Adrumetina, deinde Alexandrina, nunquam vero Patarensi usum fuisse. Alexandrinæ vero navi, qua a Melita insula Puteolos transfretavit, παράσημον seu insigne erat Castor et Pollux. Et idipsum est quod exprimere voluit interpres per *parasema navium.*

(98) *Prosecutor.* Id est *comes*, Græce παράπομπος.

(99) *Simpliciter .... docuit.* Sic Clarom. At Feuard. in marg. et Voss. *similiter ... docuit.* Reliqui *simpliciter ... docebat.*

(1) *Episcopis et presbyteris.* Sic Græcam vocem πρεσβυτέρους Act. xx, 17, quam reddidit Vulgatus interpres, *majores natu*, recte interpretatur Irenæus. Episcopos igitur a presbyteris distinguit, nec eum esse existimat hujus sacræ Scripturæ loci sensum, episcoporum et presbyterorum unum et idem exstitisse nomen, gradum et ordinem. Nec his contentus sanctissimus præsul addit, episcopos illos et presbyteros non *ab Epheso* tantum, sed *et a reliquis proximis civitatibus convocatos* fuisse. Quos ergo postea compellat episcopos Apostolus, non erant Ephesini duntaxat presbyteri, ut Scripturæ verba detorquentes cavillantur puritani, sed Ephesi et reliquarum proximarum civitatum episcopi.

Digitized by Google

regere Ecclesiam Domini (2), quam sibi constituit per sanguinem suum. » Deinde significans futuros malos doctores, dixit [22] : « Ego scio quoniam advenient 202 post discessum meum lupi graves ad vos, non parcentes gregi. Et ex vobismetipsis exsurgent viri loquentes perversa, uti convertant discipulos post se. Non subtraxi, inquit, uti non annuntiarem omnem sententiam Dei vobis. » Sic apostoli simpliciter, et nemini invidentes, quæ didicerant ipsi a Domino, hæc omnibus tradebant. Sic igitur (3) et Lucas nemini invidens, ea quæ ab eis didicerat, tradidit nobis, sicut ipse testificatur dicens : « Quemadmodum tradiderunt nobis qui ab initio contemplatores, et ministri fuerunt verbi [23]. »

3. Si autem quis refutet Lucam, quasi non cognoverit veritatem, manifestus erit projiciens Evangelium, cujus dignatur esse discipulus (4). Plurima enim et magis necessaria Evangelii per hunc cognovimus, sicut Joannis generationem, et de Zacharia historiam, et adventum angeli ad Mariam, et exclamationem Elisabeth, et angelorum ad pastores descensum, et ea quæ ab illis dicta sunt, et Annæ et Simeonis de Christo testimonium, et quod duodecim annorum in Hierusalem relictus sit, et baptismum Joannis, et quot annorum Dominus baptizatus sit, et quia in quintodecimo anno Tiberii Cæsaris. Et in magisterio illud quod ad divites dictum est [24] : « Væ vobis, divites, quoniam percipitis (5) consolationem vestram; » et : « Væ vobis qui satiati estis, quoniam esurietis; et qui ridetis nunc, quia plorabitis; » et : « Væ vobis cum benedixerint vos homines omnes. Secundum hæc enim faciebant et pseudoprophetis patres vestri; » et omnia hujusmodi per solum Lucam cognovimus, et plurimos actus Domini per hunc didicimus, quibus et omnes utuntur : ut multitudinem (6) piscium, quam concluserunt hi qui cum Petro erant, jubente Domino ut mitterent retia [25]; et illa quæ per octodecim annos passa, curata fuerat mulier die Sabbatorum [26]; et de hydropico, quem curavit Dominus die Sabbatorum, et quemadmodum disputavit quod curavit in hac die; et quemadmodum docuit discipulos primos discubitus non appetere : et quoniam pauperes et debiles vocare oportet, qui non habent retribuere [27]. Et qui pulsat (7) nocte sumere panes, et propter instantiam importunitatis sumit [28]; et quoniam (8) apud Pharisæum recumbente eo, peccatrix mulier osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat, et quæcunque propter eam dixit ad Simonem Dominus (9) de duobus debitoribus [29]; et de parabola divitis illius qui reclusit quæ ei nata fuerant, cui et dictum est : « In hac nocte expostulabunt animam tuam a te : quæ autem præparasti, cujus erunt [30] ? » similiter autem et divitis qui vestiebatur purpura, et jocundabatur (10) nitide : et egenum Lazarum (11) : et eam quam ad discentes suos dixit responsionem, quando dixerunt ei : « Adjice nobis fidem [31]; » et eam quæ ad Zacchæum publicanum facta est, confabulationem [32]; et de Pharisæo et de Publicano, qui simul adorabant in templo [33]. Et de decem leprosis, quos simul emundavit in via [34]; et quoniam de vicis et plateis claudos et luscos (12) jussit colligi ad nuptias [35]; et parabolam judicis qui Deum non timebat, quem instantia viduæ fecit ut vindicaret eam [36]. Et de arbore fici, quæ erat in vinea, quæ non faciebat fructum [37]. Et alia multa sunt, quæ inveniri possunt a solo Luca dicta esse, quibus et Marcion et Valentinus utuntur. Et super hæc omnia, post resurrectionem, in via ad discipulos suos quæ locutus est, et quemadmodum cognoverunt eum in fractione panis [38].

4. Necesse est igitur et reliqua quæ ab eo dicta sunt, recipere eos, aut et his renuntiare. Non enim conceditur eis, ab his qui sensum habent, quædam quidem recipere ex his quæ a Luca dicta sunt, quasi sint veritatis; quædam vero refutare (13), quasi non cognovisset veritatem. Et si quidem refutaverint hi qui a Marcione sunt, non habebunt (14) Evangelium : (hoc enim quod est secundum Lucam, quemadmodum prædiximus, decurtantes, gloriantur se habere Evangelium) hi vero qui a Valentino sunt, cessabunt a plurimo vaniloquio suo : (ex hoc enim multas occasiones subtililo-

[22] Act. xx, 29, 30. [23] Luc. i, 2. [24] Luc. vi, 24 seqq. [25] Luc. v, 6. [26] Luc. xiii, 2 seqq. [27] Luc. xiv. [28] Luc. xi. [29] Luc. vii, xi. [30] Luc. xvi. [31] Luc. xvii. [32] Luc. xix. [33] Luc. xviii. [34] Luc. xvii. [35] Luc. xiv. [36] Luc. xviii. [37] Luc. xiii. [38] Luc. xxiv.

(2) *Ecclesiam Domini.* Nostra N. T. exemplaria habent, *Ecclesiam Dei*, Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Attamen cod. Cantabrig. et alii quidam cum Irenæo habent τοῦ Κυρίου; alii vero utrumque, τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ.

(3) *Sic igitur.* In Feuard: edit. perperam, *si igitur.*

(4) *Cujus dignatur esse discipulus.* Particulam negativam, quæ in omnibus editt. præfixa est verbo *dignatur*, expunxi auctoritate Clarom. et Voss. Hæc enim affirmative legenda esse demonstrat contextus. Siquidem agit Irenæus contra Marcionitas, qui partem Evangelii Lucæ admittentes, partem repudiabant; quos ex eo probat totum Evangelium *projicere*, cujus tamen discipulos se esse prolitebantur.

(5) *Percipitis.* Feuard. in marg. et Voss. *percepistis.* Sed repugnat sacer textus.

(6) *Ut multitudinem.* Alii, *et multitudinem.*

(7) *Pulsat.* Ita pro *pulsant* reposui ex Clarom. quia mox sequitur *sumit.*

(8) *Quoniam.* Editt. *quomodo.*

(9) *Dominus.* Hanc vocem addidi ex Clarom. et Voss.

(10) *Vestiebatur purpura, et jocundabatur.* Clarom. et Ottobon. *Vestitur purpuram, et jocundatur.*

(11) *Et egenum Lazarum.* Subintellige, *pe. Lucam didicimus.*

(12) *Luscos.* Sic Clarom. et Voss. Alii, *cæcos.*

(13) *Refutare.* Id est, *spernere, rejicere.*

(14) *Habebunt.* Al. *habent.*

Digitized by Google

quii (15) sui acceperunt, interpretari audentes male, quæ ab hoc bene sunt dicta) si autem (16) et reliqua suscipere cogentur, intendentes perfecto (17) Evangelio, et apostolorum doctrinæ, oportet eos pœnitentiam agere, ut salvari a periculo possint.

203 CAPUT XV.

Ebionæos perstringit, qui Pauli auctoritatem elevabant, hancque confirmat ex Lucæ scriptis, quæ universa atque integra admitti necesse est. Tum Gnosticorum hypocrisi, dolis ac superbia castigatis, concludit ex hactenus dictis, apostolos, eorumque discipulos unicum Deum mundi creatorem novisse ac prædicasse.

1. Eadem autem dicimus iterum et his, qui Paulum apostolum non cognoscunt, quoniam aut reliquis verbis Evangelii, quæ per solum Lucam in nostram venerunt agnitionem, renuntiare debent, et non uti eis; aut si illa recipiunt omnia, habent necessitatem recipere etiam eam testificationem, quæ est de Paulo, dicente ipso, primum quidem Dominum ei de cœlo locutum: «Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus Christus, quem tu persequeris [39]:» deinde Ananiæ, de eo dicentem (18): «Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum in gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim demonstrabo ei ex ipso (19), quanta oporteat eum pati propter nomen meum [40].» Qui igitur non recipiunt eum qui sit electus a Deo ad hoc, ut fiducialiter portet nomen ejus, quod sit missus ad quas prædiximus gentes, electionem Domini contemnunt, et seipsos segregant ab apostolorum conventu. Neque enim contendere possunt Paulum non esse apostolum, quando in hoc sit electus: neque Lucam mendacem esse possunt ostendere, veritatem nobis cum omni diligentia annuntiantem. Fortassis enim et propter hoc operatus est Deus plurima Evangelii (20) ostendi per Lucam, quibus necesse haberent omnes uti: ut sequenti (21) testificationi ejus, quam habet de actibus et doctrina apostolorum, omnes sequentes (22), et regulam veritatis inadulteratam habentes, salvari possint. Igitur testificatio ejus vera, et doctrina apostolorum manifesta, et firma et nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium.

2. Hoc enim fictorum, et prave seducentium, et hypocritarum est molimen, quemadmodum faciunt hi, qui a Valentino sunt. Hi enim ad multitudinem, propter eos, qui sunt ab Ecclesia, quos communes ecclesiasticos (23) ipsi dicunt, inferunt sermones, per quos capiunt simpliciores, et illiciunt eos, simulantes nostrum tractatum (24), ut sæpius audiant; qui etiam queruntur de nobis, quod cum similia nobiscum sentiant, sine causa abstineamus nos a communicatione eorum, et cum eadem dicant, et eadem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos, et cum dejecerint aliquos a fide per quæstiones, quæ fiunt ab eis, et non contradicentes auditores suos fecerint, his separatim inenarrabile Plenitudinis suæ enarrant mysterium. Decipiuntur autem omnes, qui quod (25) est in verbis verisimile, se putant posse discernere (26) a veritate. Suasorius enim et verisimilis est, et exquirens fucos error: sine fuco autem est veritas, et propter hoc pueris credita est. Et si aliquis quidem ex his qui audiunt eos, quærat solutiones, vel contradicat eis, hunc quasi non capientem veritatem, et non habentem de superioribus a Matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est psychicorum. Si autem aliquis, quasi parvam ovem, deditum semetipsum ipsis præbeat, imitatione illorum et redemjubetur; ut *si frater aut soror ex alia paræcia advenerit, qui commendatitias afferant, diaconus quæ ad eos spectant, probet, inquirens,* εἰ πιστοί, εἰ ἐκκλησιαστικοί, εἰ μὴ ἀπὸ αἱρέσεώς εἰσι μεμολυσμένοι, *an fideles sint, an ecclesiastici, an nulla hæresi contaminati.* Sic etiam Origenes tom. XVI *Explanationum in Joannis Evangelium: Dicet profecto Heracleon, et secum fortassis sentiens alius ecclesiasticus.* Eodem sensu accepit et Hieronymus *Præfatione in Matth.* et *in cap.* XIII *Ezechielis.*

[39] Act. IX, 4, 5. [40] Ibid. 15, 16.

(15) *Subtililoquii.* Sic omnes mss. melius quam editi. *subtilis eloquii.* Nam ejusmodi voces, *vaniloquium, minutiloquium, longiloquium*, etc., amat interpres.

(16) *Si autem.* Alii mendose, *si aut.*

(17) *Perfecto.* Id est integro, non mutilo.

(18) *Dicentem.* Alias, *dicente.*

(19) *Ex ipso.* Hæc neque in Græcis, neque in Latinis N. T. codd. leguntur. Ἐκ τούτου vero, scilicet χρόνου, si scripsit ipsemet Irenæus, vertere debuisset interpres, *ex illo ipso tempore, deinceps.*

(20) *Plurima Evangelii.* Ita solus Clarom. cod.; cæteri omnes corrupte, *plurima Evangelia.*

(21) *Necesse haberent omnes uti, ut sequenti.* In editt. Eras., Gall. et Feuard. *necesse est hærere omnes, uti sequenti.*

(22) *Sequenti testificationi ejus... omnes sequentes.* Græca phrasis. Non advertit interpres verbum *sequor,* ἀκολουθέω, quod apud Græcos dativum regit, accusativum regere apud Latinos.

(23) *Communes ecclesiasticos.* Sic editt. Clarom. et Voss. *communes et ecclesiasticos.* Merc. 2, *commune ecclesiasticos.* Sed prior lectio præferenda videtur. Porro *communes ecclesiasticos* dicebant vulgus seu plebem Catholicorum. Nec Valentinianis peculiaris ea fuit nominis *Ecclesiasticus* acceptio. Veteres non raro eo nomine designabant Catholicos. Sic lib. II *Constitut. apost.*, cap. 58,

(24) *Simulantes nostrum tractatum.* Id est *simulantes nostrum loquendi morem, Catholicorum expressiones imitati.*

(25) *Qui quod.* Ita pro *quia quod* reposui ex Feuard. marg., Clarom. et Voss.

(26) *Discernere.* Ita Billii judicium secutus posuit Feuardentius. Nam exemplaria omnia habent vel *discere*, ut Eras., Gall., Clarom., Arund. et Merc. 2, vel *dicere*, ut Voss. Vult autem Irenæus, proclive non esse τὸ ἐν λόγοις πιθανὸν ἀπὸ τῆς ἀληθείας διακρίνειν, *hoc quod verborum tanquam lenociniis quibusdam fucatum est, a vero innotescere;* et in hoc decipi simpliciores illos e Catholicis, qui de se arrogantius sentientes, *quod est in verbis verisimile, se* facile putant *posse discernere a veritate.* Iisdem pene verbis utitur auctor, Præfat. in lib. II, pag. 2, quod Billii judicium confirmat.

Digitized by Google

ptionem illorum consecutus; est inflatus iste talis (27), neque in cœlo, neque in terra putat se esse, sed intra Pleroma introisse, et complexum jam angelum suum; cum institorio (28), et supercilio incedit, gallinacei 204 elationem habens. Sunt autem apud eos, qui dicunt, oportere (29) bonam conversationem assequi eum hominem, qui sit desuper adveniens: propter hoc et fingunt quodam supercilio gravitatem. Plurimi autem et contemptores facti, quasi jam perfecti, sine reverentia, et in contemptu viventes, semetipsos spiritales vocant, et se nosse jam dicunt eum, qui sit intra Pleroma ipsorum, refrigerii locum.

3. [61] Nos autem revertamur ad eumdem tractatum. Cum enim declaratum sit manifeste, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt prædicatores, et apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem et Verbum ejus, qui in omnibus principatum (30) habet; manifeste erit ostensum, factorem cœli et terræ, qui locutus sit cum Moyse, et legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit patres, Dominum Deum confiteri eos, et alterum neminem nosse. Manifesta igitur et apostolorum, et discentium eorum ex verbis ipsorum de Deo facta est sententia.

CAPUT XVI [62].

Ex apostolorum scriptis demonstrat, unum et eumdem esse Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem.

1. Quoniam autem sunt qui dicunt, Jesum quidem receptaculum Christi fuisse, in quem desuper quasi columbam descendisse Christum, et cum indicasset

[61] Cap. XVI. [62] Cap. XVII.

A innominabilem Patrem, incomprehensibiliter et invisibiliter intrasse in Pleroma: (non enim solum ab hominibus, sed ne ab his quidem, quæ (31) in cœlo sunt, Potestatibus et Virtutibus apprehensum eum) et esse quidem Filium Jesum, Patrem vero Christum, et Christi Patrem, Deum: alii vero putative eum passum, naturaliter impassibilem exsistentem; qui autem a Valentino sunt, Jesum quidem, qui sit ex dispositione, ipsum esse, qui per Mariam transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse, quem et Christum dici, quoniam omnium qui emisissent eum, haberet vocabula (32): participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et de suo nomine, ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum B Salvatorem quidem qui desuper descendisset, quem et ipsum receptaculum Christi (33) et universæ Plenitudinis esse dicunt, lingua quidem unum Christum Jesum confitentes, divisi vero sententia: (etenim hæc est ipsorum regula, quemadmodum prædiximus, ut alterum quidem Christum fuisse dicant, qui ab Unigenito ad correctionem (34) Plenitudinis præmissus est; alterum vero Salvatorem esse in glorificationem Patris missum; alterum vero ex dispositione, quem et passum dicunt, recurrente in Pleroma Salvatore (35), qui Christum portabat) necesse habemus, universam apostolorum de Domino nostro Jesu Christo sententiam adhibere et ostendere, eos non solum nihil tale sensisse de C eo, verum amplius et significasse per Spiritum sanctum, qui inciperent talia docere, submissi a Satana, uti quorumdam fidem everterent, et abstraherent eos a vita.

(27) *Quasi parvam ovem, deditum . .. præbeat, imitationem illorum et redemptionem illorum consecutus, est inflatus iste talis.* Sic ex mss. et præsertim ex Clarom. textum emendavi. Pro *parvum ovum*, ut habent Eras., Gall. et Feuard., repono *parvam ovem* ex Feuard. marg., Clarom., Arund. et Merc. ϑ (quanquam in Arund. duæ tantum literæ *ou*, annexo abbreviationis signo sint exaratæ, ita ut utrovis modo legere possis, et in eodem ac Clarom. et Merc. ϑ, *parvum* sit scriptum). Ex Clarom. pro *imitationi* scripsi *imitatione*; ita enim primo scriptum fuit, quanquam postea quispiam scribere voluerit *imitationi*. Sed priorem lectionem præfero; præpositurus tamen *initiationi*, si suffragetur aliquando ms. aliquis codex. Auctoritate ejusdem D Clarom. expunxi *est* post *inflatus*; ac proinde textum aliter distinxi ac in edit. Cotelerius vero in not. ad lib. VIII *Recognit. Clement.*, § 25, sic emendandum vellet: *quasi pravum ovum* (Græce κακὸν ὠόν) *editum semetipsum ipsis præbeat initiationi illorum, ...consecutus est, inflatus est.* De voce *initiationi* facile cum Cotelerio consentirem: quippe mox *redemptionem*, qua initiabantur hæretici, memorat Irenæus. Billius autem lib. II *Observat. sacr.*, cap. 5, retinet *parvum ovum*, intelligitque *ovum irritum*, sive *urinum*, quod οὖρον ὠόν Græci dicunt. Malim ego *parvam ovem*; id enim magis convenit cum simplicioribus illis Catholicis, de quibus hic sermo est, qui se, velut oves imprudentes (προβάτια ejusmodi simpliciores homines Græci dicunt), totos mancipant hæreticorum placitis. Jam cætera, eo quo restitui modo facilia sunt. Simpliciores illi, imitatione hæreticorum profanam etiam redemptionem illorum consecuti, inflati seu superbi evadunt.

(28) *Institorio.* Pro superbia et elatione animi accipit. Gloss. vet.: *Institor*, ἐργαστηριάρχης, id est *officinæ manceps*, sive *præfectus*; unde *institorium*, quod ad superbiam transferri potuit; solent enim ejusmodi homines ob præfecturam insolescere.

(29) *Oportere.* Voss. *oportet.*

(30) *Principatum. Ejus* quod addunt Eras., Gall. et Feuard. omisi cum Clarom. et Voss.

(31) *Quæ*, ita pro *qui* bene reposuit Grab. ex cod Arund.

(32) *Quoniam omnium qui emisissent eum, haberet vocabula.* Quia superiore *Christo consentiente, unusquisque Æonum, quod habebat in se optimum et florentissimum conferentes*, hunc emiserunt. Et ea propter dicebatur τὰ πάντα, *omnia*, supra lib. I, cap. 2, not.

(33) *Receptaculum Christi.* Superioris scilicet.

(34) *Correctionem.* Feuard. in marg., Clarom. et Voss. *correptionem*; sed minus bene. *Emendationem* alibi dixit.

(35) *Recurrente in Pleroma Salvatore.* In omnibus codd tum editt. tum manu exaratis legitur, *recurrentem in Pleroma Salvatorem.* Quod manifestum librariorum sphalma emendare non dubitavi ex Irenæo ipso, et Valentinianorum hypothesi, qui ubique passim, et hujus capitis initio, et sequentibus, ut alia loca omittam, eum qui est ex dispositione, Jesum distinguunt ab eo Salvatore, qui sursum recurrit in Pleroma, quemque *impassibilem* dicebant.

Digitized by Google

2. [43] Et quoniam Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed et Matthæus unum et eumdem Jesum Christum cognoscens, eam quæ est secundum hominem generationem ejus ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David [44], ex fructu ventris ejus excitaturum se æternum Regem (36), multo prius Abrahæ eamdem faciens promissionem, ait: «Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham [45].» Dehinc ut liberaret mentem nostram a suspicione, quæ est circa Joseph (37), ait: « Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto [46]. » Dehinc cum Joseph cogitaret dimittere Mariam, quoniam prægnans erat, assistentem ei angelum Dei, dicentem [47]: «Ne timueris assumere Mariam conjugem tuam: quod enim habet in utero, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic enim salvabit populum suum a peccatis suis. Hoc autem factum est, ut impleretur (38) quod dictum est a Domino per prophetam [48]: Ecce, virgo accipiet (39) in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est (40), Nobiscum Deus;» manifeste significans, et eam promissionem, quæ fuerat ad patres (41), impletam, ex virgine natum Filium Dei, et hunc ipsum esse Salvatorem Christum, quem prophetæ prædicaverunt: non, sicut ipsi dicant, Jesum quidem ipsum esse, qui ex Maria sit natus, Christum vero qui desuper descendit. Cæterum potuerat (42) dicere Matthæus: «Jesu vero generatio sic erat,» sed prævidens (43) Spiritus sanctus depravatores, et præmuniens contra fraudulentiam eorum, **205** per Matthæum ait: « Christi autem (44) generatio sic erat; » et quoniam hic est *Emmanuel*, ne forte tantum eum hominem putaremus, (« non enim ex voluntate (45) carnis, neque ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, Verbum caro factum est [49] ») neque alium quidem Jesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eumdem sciremus esse (46).

3. Hoc ipsum interpretatus est Paulus, scribens ad Romanos [50]: « Paulus apostolus Jesu Christi, prædestinatus (47) in Evangelium Dei, quod promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, per Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri. » Et iterum ad Romanos scribens de Israel, dicit [51]: « Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes (48) benedictus in sæcula. » Et iterum in Epistola quæ est ad Galatas, ait [52]: « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere (49), factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem (50) percipiamus; » manifeste significans unum quidem Deum, qui per prophetas promissionem de Filio fecerit; unum autem Jesum Christum Dominum nostrum, qui de semine David secundum eam generationem, quæ est ex Maria; hunc destinatum Filium Dei Jesum Christum in virtute secundum Spiritum sanctitatis (51), ex resurrectione mortuorum, ut sit primogenitus mortuorum, quemadmodum et primogenitus in omni conditione; Filius Dei, hominis filius factus, ut per eum adoptionem percipiamus, portante homine, et capiente, et complectente Filium Dei. Propter hoc et Marcus ait [53]: « Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in prophetis; » unum et eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum (52), qui a prophetis annuntiatus est [54], qui ex fructu ventris David Emmanuel, « magni consilii » Patris « nuntius, » per quem oriri fecit Deus domui David Orientem et justum [55], et erexit ei cornu salutis, et « suscitavit testimonium in Jacob, » quemadmodum David causas

[43] Cap. XVIII. [44] Psal. CXXXI, 2. [45] Matth. I, 1. [46] Ibid. 18 seqq. [47] Ibid. 20 seqq. [48] Isa. VII, 14. [49] Joan. I, 13, 14. [50] Rom. I, 1 seqq. [51] Rom. IX, 5. [52] Gal. IV, 4, 5. [53] Marc. I, 1. [54] Isa. IX, 6; Jer. XXXIII, 15. [55] Luc. I, 69.

(36) *Regem*. Alii, *regnum*.

(37) *A suspicione, quæ est circa Joseph*. Ne quis videlicet existimaret Jesum Christum ex Josephi satu genitum esse.

(38) *Impleretur*. Editt. *adimpleretur*.

(39) *Accipiet*. Sic mss. In editt. *concipiet*.

(40) *Quod est - Interpretatum*, quod interserunt editi., deest in Clarom et Anglic.

(41) *Patres*. *Nostros* addit Arundel.

(42) *Potuerat*. Editt. *poterat*.

(43) *Prævidens*. Eras., Gall., Clarom. et Merc. 2, *providens*.

(44) *Christi autem*. Hinc patet Irenæum in suo codice non legisse Ἰησοῦ, uti habent nostra N. T. exemplaria Græca, sed Χριστοῦ duntaxat, uti et legit Vulgatus interpres; alias non omissurus vocem, ex qua novum robur argumento ejus accessisset.

(45) *Voluntate*. In vet. Feuard. cod. *voluptate*. Sed *voluptas* non raro scribebant veteres pro *voluntas*.

(46) *Sciremus esse*. Sic mss. omnes. At Gall. et Feuard. interserunt *Deum*, sed frustra; hic enim de unitate personæ Christi sermo est.

(47) *Prædestinatus*. Vulgata nostra, *segregatus*. Gr. ἀφωρισμένος.

(48) *Super omnes*. Vulgata, *super omnia*. Græc. ἐπὶ πάντων, quod utrumque lectionem admittit.

(49) *Factum ex muliere*. *Factum* pro *natum* reposui ex Clarom., Voss., Arund., Merc. 1 et Feuard. marg., quia et infra cap. 22, et lib. V, cap. 21, *factum* legitur, non *natum*. Edita etiam exemplaria Græca, et vetustissimi optimæ notæ codd. mss. ut San-Germanensis noster, habent γενόμενον, quomodo et legit Vulgatus interpres.

(50) *Adoptionem*. *Filiorum* additum in Arundel.

(51) *Sanctitatis*. Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii *sanctificationis*.

(52) *Jesum Christum*. Sic Clarom., Arund., Voss. In cæteris deest *Christum*.

Digitized by Google

generationis ejus disserens ait, « et legem posuit in Israel, ut cognoscat generatio altera : filii qui nascentur ex his, et ipsi exsurgentes enarrabunt filiis suis, ut ponant in Deum spem suam, et præcepta ejus exquirant [56]. » Et rursus angelus evangelizans Mariæ, ait [57] : « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus thronum David patris sui ; » eum qui sit Filius Altissimi, hunc eumdem et David filium confitens. Cujus et David dispositionem adventus per Spiritum (53) cognoscens, per quam dominans (54) est omnium vivorum et mortuorum, Dominum eum confessus est, sedentem ad dextram Patris altissimi [58].

4. Et Simeon autem ille, qui responsum acceperat (55) a Spiritu sancto, non visurum eum mortem, nisi prius videret Christum Jesum, hunc manibus accipiens Virginis primogenitum (56), benedixit Deum, et dixit [59] : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum : quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem (57) gentium, et gloriam populi tui (58) Israel ; » infantem, quem in manibus portabat Jesum, natum ex Maria, ipsum confitens esse Christum Filium Dei, lumen hominum (59), et gloriam ipsius Israel, et pacem et refrigerium eorum qui in dormitionem ierunt. Jam enim spoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum, suam autem agnitionem eis donans, et dispartitionem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmodum Isaias : « Voca, inquit, nomen ejus, Veleciter spolia, celeriter dispartire [60]. » Hæc sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedicebat (60) Altissimum ; quem pastores cum vidissent, glorificabant Deum ; quem Joannes, cum adhuc in ventre matris suæ esset, et ille in vulva Mariæ, Dominum cognoscens, exsultans salutabat ; quem magi videntes, et adorantes, et afferentes munera, quæ prædiximus [61], et substernentes semetipsos æterno Regi, per alteram abierant viam, non jam per Assyriorum revertentes viam. « Priusquam enim cognoscet (61) puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ, contra regem Assyriorum [62] ; » occulte quidem, sed potenter manifestans (62), quoniam absconsa (63) manu expugnabat Dominus Amalech. Propter hoc et pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in suum regnum ; ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Judæ, in civitate David, interfectos secundum Scripturas.

5. Propter quod et Dominus discipulis post resurrectionem dicebat : « O insensati, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne hæc oportebat pati Christum, et introire (64) in claritatem suam [63]? » Et iterum ait eis : « Hi sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri omnia scripta in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me. Tunc adaperuit eorum sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit ad eos : Quoniam sic scriptum est, Christum pati, et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus remissionem (65) peccatorum in omnes gentes [64]. » Hic autem est, qui ex Maria natus est. « Oportet enim, inquit [65], Filium hominis multa pati, et reprobari, et crucifigi, et die tertio resurgere. » Non ergo alterum filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria, qui et passus est ; sed neque Christum avolantem ante passionem a Jesu ; sed hunc qui natus est, Jesum Christum novit Dei Filium, et eumdem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Joannes Domini discipulis confirmat (66), dicens : « Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus est (67), Filius Dei, et ut credentes vitam æternam (68) habeatis in nomine ejus [66] ; » providens (69) has blasphemas regulas, quæ divi-

[56] Psal. LXXVII, 5, 6, 7. [57] Luc. I, 32. [58] Psal. CIX, 1. [59] Luc. II, 29 seqq. [60] Isa. VIII, 3. [61] Sup. c. X. [62] Isa. VIII, 4. [63] Luc. XXIV, 25, 26. [64] Ibid. 44 seqq. [65] Marc. VIII, 31. [66] Joan. XX, 31.

(53) *Spiritum.* Editt. addunt *sanctum.*

(54) *Dominans.* Alii *Dominus.* Sed prius magis placet ; quia alludit Irenæus ad Rom. XIV, 9, ubi κυριεύσῃ, *dominetur*, exstat.

(55) *Acceperat.* Eras. et Gall. *accepit.*

(56) *Hunc manibus ... primogenitum.* Eras., Gall. et Feuard. minus bene : *hunc ex manibus*, perperam omissa voce *primogenitum.*

(57) *Parasti ... ad revelationem.* Clarom. et Arund. *præparasti ... in revelationem.*

(58) *Populi tui.* Editt. cum Merc. 2, *plebis tuæ.*

(59) *Lumen hominum.* Sic Clarom. et Voss., cæteri *lumen omnium.*

(60) *Benedicebat.* Sic pro *benedixit* reposui ex Feuard. marg., Clarom. et Voss.

(61) *Cognoscet.* Ita pro *cognoscerci* ex Voss. posui.

(62) *Manifestans.* Vocem *omnia* quæ præmittitur in omnibus editt. delevi auctoritate cod. Arund. utpote superfluam et turbantem sensum.

(63) *Absconsa.* Editt. *occulta.*

(64) *Introire. Ita* quod ante hoc verbum solius Vulgatæ Latinæ auctoritate præfixit Feuard. omittunt mss. omnes, una cum Græco Lucæ textu. Sed addit Clarom. particulam *in* ante *claritatem.*

(65) *Christum pati ... remissionem.* Addit Feuard. *et sic oportebat*, ante *Christum*, et *pœnitentiam in* ante *remissionem.* Sed cum eæ voces desint in omnibus aliis codd. in Eras., Gall., Clarom. et Anglic., imo et in prioribus Feuard. editt., priores autem, *et sic oportebat*, nec legantur in cod. Cantabrig. posteriores vero iterum omittat Irenæus eumdem Lucæ locum repetens infra lib. IV, cap. 26, idcirco eas, utpote citra auctoritatem additas expunxi. Non tamen eas abfuisse ab Irenæi codicibus hinc concludo : non raro enim Scripturæ verba compendio refert.

(66) *Confirmat.* Feuard. in marg., Arund. et Merc. 1, *confirmavit.*

(67) *Jesus est. Christus* additur in editt. et Arund.

(68) *Æternam.* Non exstat in nostris N. T codd.

(69) *Providens.* Hic et alibi pro *prævidens.*

Digitized by Google

dunt Dominum, quantum ex ipsis attinet, ex altera et altera substantia dicentes eum factum. Propter quod et in epistola sua sic testificatus est nobis [67] : « Filioli, novissima hora est, et quemadmodum audistis quoniam Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt : unde cognoscimus quoniam novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum : sed ut manifestarentur quoniam non sunt ex nobis. Cognoscite ergo (70) quoniam omne mendacium extraneum est, et non est de veritate. Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus? hic est Antichristus. »

6. Quia autem omnes, qui prædicti sunt, etsi lingua quidem confitentur unum Jesum Christum, semetipsos derident, aliud quidem sentientes, aliud vero dicentes; (etenim argumenta illorum varia, quemadmodum ostendimus) alterum quidem passum, et natum hunc esse Christum annuntiant, et esse alterum eorum Demiurgi, (autem) (71) qui sit ex dispositione, vel eum qui sit ex Joseph, quemque passibilem argumentantur; alterum vero eorum ab invisibilibus et inenarrabilibus descendisse, quem et invisibilem, et incomprehensibilem, et impassibilem esse confirmant, errantes a veritate, eo quod absistat sententia eorum ab eo qui est vere Deus : nescientes quoniam hujus Verbum unigenitus (72), qui semper humano generi adest, unitus et consparsus (73) suo plasmati secundum placitum Patris, et caro factus, ipse est Jesus Christus Dominus noster, qui passus est pro nobis, et surrexit propter nos; et rursus venturus in gloria Patris, ad resuscitandum universam carnem, et ad ostensionem salutis, et regulam justi judicii ostendere omnibus, qui sub ipso facti sunt (74). Unus igitur Deus Pater, quemadmodum ostendimus, et unus Christus Jesus Dominus noster, veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipsum recapitulans (75). In omnibus autem est et homo, plasmatio Dei : et hominem ergo in semetipsum recapitulans est, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans : uti sicut in supercœlestibus, et spiritalibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic et in visibilibus, et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore.

7. Nihil enim incomptum atque intempestivum apud eum, quomodo nec incongruens est apud Patrem. Præcognita sunt enim omnia (76) a Patre, perficiuntur autem a Filio, sicut congruum et consequens est, apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, et ante tempus volente participare compendii poculo (77), Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit : « Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea [68]; » exspectans eam horam quæ est a Patre præcognita. Propter hoc cum sæpe vellent eum homines apprehendere : « Nemo, inquit, immisit manus ei : nondum enim venerat hora apprehensionis [69] (78), » nec tempus passionis, quod præcognitum fuerat a Patre; quemadmodum et Habacuc propheta ait [70] : « In medio cum appropinquarint anni, cognosceris, in adventu temporis ostenderis, in eo quod turbetur anima mea in ira, misericordiæ tuæ memoraberis. » Sed et Paulus ait [71] : « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. » Per quod manifestum est, quoniam omnia quæ præcognita erant a Patre, ordine, et tempore, et hora præcognita et apta perfecit Dominus noster, unus quidem et idem exsistens, dives autem et multus. Diviti enim et multæ voluntati Patris deservit, cum sit ipse Salvator eorum qui salvantur, et Dominus eorum qui sunt sub dominio, et Deus eorum quæ constituta sunt, et Unigenitus Patris, et Christus qui prædicatus est, et Verbum Dei incarnatus, cum advenisset plenitudo temporis, in quo filium hominis fieri oportebat Filium Dei.

207 8. Igitur omnes extra dispositionem sunt (79), qui sub obtentu agnitionis alterum quidem Jesum intelligunt, alterum autem Christum,

[67] 1 Joan. II, 18 seqq. [68] Joan. II, 4. [69] Joan. VII, 30. [70] Habac. III, 2. [71] Galat. IV, 4.

(70) *Cognoscite ergo*, etc. Hæc non eodem modo leguntur in N. Test. exemplaribus; sed quædam omisit Irenæus, quædam et addidit, connexionis et explicationis gratia.

(71) *Autem*. Abundat hæc particula.

(72) *Unigenitus*. Ita Clarom. et Voss. Alii perperam, *unitus*.

(73) *Consparsus*. Græce πεφυρμένος, uti recte conjicit Grabius, *commistus*, id est *intime unitus*; quomodo a Plutarcho in Romulo dicitur πεφυρμένη σώματι ψυχή.

(74) *Ostendere omnibus qui sub ipso facti sunt*. Græca phrasis pro *ostendendam omnibus qui ipsi subditi facti sunt*.

(75) *Omnia in semetipsum recapitulans. Semetipsum* pro *semetipso* scripsi auctoritate cod. Clarom., quia deinceps accusandi casum adhibet auctor. Alludit vero, ut scienter notat Feuardentius, ad hunc Pauli locum Ephes. I, 10: *Instaurare omnia in Christo;* ubi pro *instaurare* (quod minus Hieronymo placet, quam *recapitulare*) Græcus textus habet, ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est universam hominum et angelorum salutem, adeoque cunctam omnium rerum cœlestium et terrestrium summam ad unum Christum revocare, ac in eo unico comprehendere.

(76) *Omnia. Hæc* quod ante *omnia* præfigitur in omnibus editt. expunxi auctoritate Clarom., Arund., Voss. et Merc. 1.

(77) *Compendii poculo*. Compendii poculum vocat, quia, ut superius ait cap. 11, n. 5, *per verbum compendialiter ac simpliciter ex aqua, ad usum eorum qui ad nuptias convocati erant, factum est vinum*.

(78) *Apprehensionis*. Editt. addunt *ejus;* omittunt vero mss. omnes, excepto uno Merc.

(79) *Extra dispositionem sunt*. Id est, alieni sunt a gratia incarnationis Filii Dei, quam οἰκο-

Digitized by Google

et alterum Unigenitum (ab hoc (80) autem rursum esse Verbum); et alterum Salvatorem, quem etiam eorum qui in deminoratione facti sunt Æones, emissionem esse dicunt hi qui sunt erroris discipuli: qui a foris quidem oves, (per eam enim quam habent extrinsecus loquelam, similes nobis apparent, eadem nobiscum loquentes) intrinsecus vero lupi [75]. Sententia enim eorum homicidialis, deos quidem plures confingens, et patres multos simulans; comminuens autem et per multa dividens Filium Dei: quos et Dominus nobis cavere prædixit, et discipulus ejus Joannes in prædicta Epistola (81) fugere eos præcepit dicens [76]: « Multi seductores exierunt (82) in hunc mundum; qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Hic est seductor et Antichristus. Videte eos (83), ne perdatis quod operati estis (84). » Et rursus in Epistola ait [77]: « Multi pseudo-prophetæ exierunt de sæculo (85). In hoc cognoscite Spiritum Dei: Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum (86), non est ex Deo, sed de Antichristo est. » Hæc autem similia sunt illi, quod in Evangelio dictum est [78], quoniam « Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. »

Διὸ πάλιν (87) ἐν τῇ Ἐπιστολῇ φησί· « Πᾶς ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται· » ἵνα καὶ τὸν αὐτὸν εἰδὼς Ἰησοῦν Χριστὸν, ᾧ ἠνοίχθησαν αἱ πύλαι τοῦ οὐρανοῦ, διὰ τὴν ἐνσαρκον ἀνάληψιν αὐτοῦ· ὃς καὶ ἐν τῇ αὐτῇ σαρκὶ, ἐν ᾗ καὶ ἔπαθεν, ἐλεύσεται, τὴν δόξαν ἀποκαλύπτων τοῦ Πατρός.

Propter quod rursus in Epistola clamat [79]: « Omnis qui credit quia Jesus est Christus, ex Deo natus est; » unum et eumdem sciens Jesum Christum, cui apertæ sunt portæ cœli, propter carnalem ejus assumptionem: qui etiam in eadem carne in qua passus est, veniet, gloriam revelans Patris.

9. Et Paulus autem his consentiens. Romanos alloquens, ait [77]: « Multo magis hi, qui abundantiam gratiæ et justitiæ (88) accipiunt in vitam, regnabunt per unum Jesum Christum. » Nescit ergo eum qui evolavit Christum a Jesu; neque eum novit Salvatorem qui sursum est, quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum, qui natus est, descendit, et rursus reliquit eum; non unus, sed duo monstrantur. Quoniam autem unum eum, et qui natus est, et qui passus est, Christum Jesum novit Apostolus, in eadem Epistola iterum dicit [78]: « An ignoratis, quoniam quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus? ut quemadmodum resurrexit Christus (89) a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus. » Rursus autem significans Christum passum, et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus est, et sanguine suo redemit nos in præfinito tempore, ait [79]: « Utquid enim (90) Christus, cum adhuc essemus infirmi, secundum tempus pro impiis mortuus est? Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc essemus peccatores, pro nobis Christus mortuus est: multo magis justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per ipsum ab ira. Si enim cum essemus inimici, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ejus. » Hunc eumdem qui apprehensus, et passus est, et effudit sanguinem suum pro nobis, hunc Christum, hunc Filium Dei manifestissime annuntians, qui etiam surrexit, et assumptus est in cœlos, quemadmodum ipse ait [80]: « Simul autem Christus mortuus est, imo (91) et resurrexit, qui est in dextera Dei. » Et iterum [81]: « Scientes quoniam Christus (92) resurgens a mortuis, jam non moritur. » (Prævidens enim et ipse per Spiritum subdivisiones malorum magistrorum, et omnem ipsorum occasionem dissensionis volens abscindere, ait quæ prædicta sunt.) « Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, inhabitat (93) in vobis; qui suscitavit Christum a mor-

[75] Matth. VII, 15. [76] II Joan. 7, 8. [77] I Joan. IV, 1, 2, 3. [78] Joan. I, 14. [79] I Joan. V, 1. [77] Rom. V, 17. [78] Rom. VI, 3, 4. [79] Rom. V, 6 seqq. [80] Rom. VIII, 34. [81] Rom. VI, 9.

νομίας nomine designasse Patres Græcos jam non semel diximus.

(80) *Ab hoc.* Al. vitiose, *ob hoc.*

(81) *Prædicta Epistola.* Memoria lapsus Irenæus ad primam Joannis Epistolam, jam a se allegatam refert, quæ ad secundam pertinent.

(82) *Exierunt.* Ἐξῆλθον cum Vulgato interprete legit Irenæus; nos εἰσῆλθον.

(83) *Videte eos.* Pro ἑαυτούς, legisse videtur Irenæus αὐτούς, nisi lapsus interpres alterum pro altero legerit.

(84) *Ne perdatis quod operati estis.* Ἵνα μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε cum Irenæo habet Alexand. cod. et alii non pauci, quomodo et Vulgatus interpres legit. At in editt. Græcis exstat, ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα.

(85) *De sæculo.* Εἰς τὸν κόσμον, *in mundum*, seu *sæculum* habent nostri codd.

(86) *Qui solvit Jesum.* Legisse videtur Irenæus cum Vulgato interprete, ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν. Editi vero Græci: ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα. Cæterum *Christum* cum Vulgato interp. omittunt Clarom., Voss. et Arund.

(87) *Διὸ πάλιν.* Hæc excerpta sunt ex Theodoreti dial. II, qui dicitur *Inconfusus.*

(88) *Gratiæ et justitiæ.* In Vulgata Latina legitur: *Gratiæ, et donationis, et justitiæ.* In editt. Græcis: Τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς καὶ τῆς δικαιοσύνης. Cum Irenæo τῆς δωρεᾶς omittit Origenes, *Comment. in Joan.*, pag. 334.

(89) *Christus.* Deest in Eras. et Gall.

(90) *Utquid enim.* Legisse videtur Irenæus cum Vulgato interprete, εἰς τί γάρ. Edita vero habent ἔτι γάρ.

(91) *Imo.* Clarom., Arund. et Voss. omittunt *qui* additum in editt.

(92) *Christus.* Deest in Eras. et Gall.

(93) *Inhabitat.* Sic Clarom. et Voss. et Feuard. in marg.; cæteri, *habitat.*

Digitized by Google

tuis, vivificabit et mortalia corpora vestra [83] (94). » Unum quod non exclamat (95) ad eos, qui volunt audire : Nolite (96) errare ; unus et idem est Christus Jesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit nos Deo, et resurrexit a mortuis, qui est in dextera Patris, et perfectus in omnibus : qui cum vapularet, non repercutiebat ; « qui cum pateretur, non est minitatus [84] (97) ; » et cum tyrannidem pateretur, rogabat Patrem ut ignosceret his qui se crucifixerant. Ipse enim vere salvavit : ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus a Patre, Christus Jesus Dominus noster (98).

208 CAPUT XVII [85].

Non Christum aut Salvatorem, sed Spiritum sanctum in Jesum descendisse docent apostoli. Cur descenderit, explicatur.

1. Etenim potuerunt dicere apostoli, Christum descendisse in Jesum ; aut illum superiorem Salvatorem, in eum qui sit dispositionis ; aut illum qui est ab invisibilibus, in eum qui est Demiurgi : sed nihil quidem tale neque scierunt, neque dixerunt ; si enim scissent et dixissent utique : quod autem erat, hoc et dixerunt, Spiritum Dei sicut columbam descendisse in eum [86], hunc Spiritum, de quo ab Isaia dictum est : « Et requiescet super eum Spiritus Dei [87] ; » sicut prædiximus. Et iterum : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me [88]. » Iste Spiritus, de quo ait Dominus : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis [89]. » Et iterum potestatem regenerationis in Deum (99) dans (1) discipulis, dicebat eis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [90]. » Hunc enim promisit per prophetas [91] effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetent : unde et in Filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, et renovans eos a vetustate in novitatem Christi.

2. Hunc Spiritum petiit David humano generi, dicens : « Et Spiritu principali confirma me [92]. » Quem et descendisse Lucas ait [93] post ascensum Domini super discipulos in Pentecoste, habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitæ et adapertionem Novi Testamenti : unde et omnibus linguis conspirantes (2) hymnum dicebant Deo, A Spiritu ad unitatem redigente distantes tribus, et primitias omnium gentium offerente Patri. Unde et Dominus pollicitus est mittere se Paracletum, qui nos aptaret Deo [94]. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis : ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat ; sic et nos, lignum aridum existentes primum nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est (3) ad incorruptionem, unitatem acceperunt ; animæ autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro (4) B Samaritanæ illi prævaricatrici [95], quæ in uno viro non mansit, sed fornicata est in multis nuptiis, et ostendente ei, et pollicente aquam vivam, ut ulterius non sitiret, neque occuparetur ad humectationem aquæ laboriosæ, habens in se potum salientem in vitam æternam. Quod Dominus (5) accipiens munus a Patre, ipse quoque his donavit qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spiritum sanctum.

3. Hanc muneris gratiam prævidens Gedeon ille Israelita [96], quem elegit Deus, ut salvaret populum Israel de potentatu alienigenarum, demutavit petitionem, et super vellus lanæ, in quo tantum primum ros fuerat, quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans ; hoc est, non jam habituros eos a Deo Spiritum sanctum, sicut Isaias ait : C « Et nubibus mandabo ne pluant super eam [97] ; » in omni autem terra fieri ros, quod est Spiritus Dei, qui descendit in Dominum, « spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Dei [98] ; » quem ipsum iterum dedit Ecclesiæ, in omnem terram mittens de cœlis Paracletum, ubi et diabolum, tanquam fulgur, projectum ait Dominus [99]. Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur, et ubi accusatorem habemus, illic habeamus et Paracletum : commendante Domino Spiritui sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus D est, et ligavit vulnera ejus, dans duo denaria regalia, ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum

[83] Rom. VIII, 11. [84] I Pet. II, 23. [85] Cap. XIX. [86] Matth. III, 16. [87] Isa. XLI, 1. [88] Isa. LXI, 1. [89] Matth. X, 20. [90] Matth. XXVIII, 19. [91] Joel. II, 28, 29. [92] Psal. L, 14. [93] Act. II. [94] Joan. XVI, 7. [95] Joan. IV, 7. [96] Jud. VI, 37. [97] Isa. V, 6. [98] Isa. XI, 2. [99] Luc. X, 18.

(94) *Nobis..vestra.* Eras., Gall. et Feuard. *nobis.. nostra*, quibuscum quoad posteriorem vocem consentiunt Arund. et Merc. 1.

(95) *Unum quod non exclamat.* Latine dixisset alter, *tantum non exclamat.*

(96) *Audire : Nolite. Deum* post *audire* addunt Feuard., Grab. et Voss. Melius omittunt alii. *Quoniam* vero quod præligunt editt. omnes ante *nolite*, expunxi auctoritate cod. Voss.

(97) *Minitatus.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *minatus.*

(98) *Dominus noster.* Alii, *Deus noster.*

(99) *In Deum.* Desunt in Eras. et Gall.

(1) *Dans.* Sic mss. omnes. Editt. vero, *demandans.*

(2) *Adapertionem..conspirantes.* Al. *apertionem... conspirantes.*

(3) *Illam quæ est.* Al. *illud quod est.*

(4) *Domino nostro. Jesu Christo* addunt editt. Sed hæ duæ voces desunt in omnibus mss.

(5) *Quod Dominus.* Alii *quum Dominus.*

Digitized by Google

nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes.

4. Τοῦ Πνεύματος (6) οὖν κατελθόντος διὰ τὴν προωρισμένην οἰκονομίαν, καὶ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μονογενοῦς, ὃς καὶ Λόγος ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, ἐλθόντος τοῦ πληρώματος τοῦ χρόνου, σαρκωθέντος ἐν ἀνθρώπῳ (9), καὶ πᾶσαν τὴν κατὰ ἄνθρωπον οἰκονομίαν ἐκπληρώσαντος, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ, ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ ὄντος, ὡς αὐτὸς ὁ Κύριος μαρτυρεῖ, καὶ οἱ ἀπόστολοι ὁμολογοῦσι, καὶ οἱ προφῆται κηρύττουσιν· ψευδεῖς ἀπεδείχθησαν πᾶσαι αἱ διδασκαλίαι τῶν τὰς ὀγδοάδας, καὶ τετράδας, καὶ δοκήσεις παρεξευρηκότων,

4. Spiritu itaque descendente super prædictam (7) dispositionem, et Filio Dei unigenito, qui et Verbum est Patris, veniente plenitudine temporis, incarnato in homine (8) propter hominem, et omnem secundum hominem dispositionem implente Jesu Christo Domino nostro, uno et eodem existente, sicut et ipse Dominus testatur, et apostoli confitentur, et prophetæ annuntiant; mendaces ostensæ sunt universæ doctrinæ eorum, qui octonationes et quaternationes putativas (10) adinvenerunt, subdivisiones excogitaverunt: qui Spiritum quidem interimunt, alium autem Christum, et alium Jesum intelligunt, et non unum Christum, sed plures fuisse docent: et si unitos eos dixerint, iterum ostendunt eum quidem participasse passionem, hunc autem impassibilem perseverasse; et hunc quidem ascendisse in Pleroma, hunc autem in medietate remansisse; et hunc quidem in invisibilibus et innominabilibus epulari et oblectari, hunc autem assidere Demiurgo, evacuantem eum virtute. Unde oportebit et te, et omnes qui intendunt hujc scripturæ, et solliciti sunt pro sua salute, non, cum audiunt forinsecus eorum sermones, sponte succumbere. Similia enim loquentes fidelibus, sicut prædiximus, non solum dissimilia sapiunt, sed et contraria, et per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum: sicut quis aquæ mistum gypsum dans pro lacte, seducat per similitudinem coloris, sicut quidam dixit superior no-

209

bis, de omnibus qui quolibet modo depravant quæ sunt Dei, et adulterant veritatem. In Dei lacte (11) gypsum male miscetur.

CAPUT XVIII [*].

Redit ad susceptum argumentum, probatque tum ex Pauli, tum ex ipsius Domini verbis, Christum a Jesu dividendum non esse, nec Filium Dei specie tenus, sed vere hominem factum esse.

1. Ostenso manifeste, quod in principio Verbum exsistens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, exsistens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est, et homo factus, longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.

2. Quia enim non erat possibile, eum hominem, qui semel victus fuerat, et elisus per inobedientiam, replasmare et obtinere bravium victoriæ; iterum autem impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat: utraque operatus est Filius, Verbum Dei exsistens, a Patre descendens, et incarnatus, et usque ad mortem descendens, et dispensationem consummans salutis nostræ, cui credere nos indubitate adhortans, iterum dicit [1]: « Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit (12) in cœlum? hoc est Christum deducere. Aut, quis descendit in abyssum? hoc est Christum a mortuis liberare. » Deinde infert [2]: « Quoniam si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo, quoniam Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris. » Et rationem reddidit propter quam (13) hæc fecit Verbum Dei, dicens [3]: « In hoc enim Christus et vixit (14), et mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur. » Et iterum ad Corinthios scribens ait [4]: « Nos autem annuntiamus Christum Jesum crucifixum. » Et infert [5]: « Calix benedictionis, quem

[*] Cap. XX. [1] Rom. x, 6, 7. [2] Ibid. 9. [3] Rom. xiv, 9. [4] I Cor. i, 23. [5] I Cor. x, 16.

(6) *Τοῦ Πνεύματος*. Græca hæc refert Theodoretus Dial. 1, qui dicitur *Immutabilis*.

(7) *Super prædictam*. Græca sonant, *propter præfinitam*. Sed legisse videtur interpres, ἐπὶ τὴν προειρημένην.

(8) *In homine*. Eras., Gall. et Feuard. vitiose, *in hominem*.

(9) *Ἐν ἀνθρώπῳ*. Adde juxta Latinum interpretem, δι' ἄνθρωπον.

(10) *Putativas*. Græc. καὶ δοκήσεις, *et vanas species* seu *opiniones*.

(11) *Veritatem. In Dei lacte*. Sic cod. Clarom. melius, ni fallor, quam cæteri: *Veritatem Dei. Lacte*. Per Dei lac intelligit verba catholica, quibus erroris gypsum miscebant hæretici. Gypsum enim præsens venenum habere docet Plinius lib. XXXVI, cap. 24. Conjicit Grabius hanc sententiam ad marginem a quopiam ascriptam, in textum inde irrepsisse. Sed forte ipsa verba sunt antiqui illius, quem tacito nomine sæpe allegat Irenæus.

(12) *Ascendit*. Sic pro *ascendet* reposui auctoritate Clarom., Merc. 2 et Feuard. in marg., quia mox sequitur *descendit*, et vetus noster Pauli epistolarum ms. cod. utrobique præteritum habet. In cæteris Irenæi exemplaribus legitur, *ascenaei..... descendit*; in nostris vero N. T. codd. utrobique futurum.

(13) *Propter quam. Causam* addunt editi, omnes, sed male. Hanc vocem expunxi auctoritate codd. Clarom. et Voss.

(14) *Et vixit*. Absunt hæc ab editis N. T. codd. Sed in pluribus mss. Græcis pro ἀνέζησε legitur ἔζησε. Similes præ oculis habere potuit Irenæus; nisi quod καὶ ἔζησε transposuerit ante καὶ ἀπέθανε.

Digitized by Google

benedicimus, nonne communicatio sanguinis est Christi? »

3. Quis est autem qui communicavit (15) nobis de escis? Utrum is qui ab illis affingitur sursum Christus, superextensus lloro, id est fini, et formavit eorum Matrem : an vero qui ex virgine est Emmanuel, qui butyrum et mel manducavit, de quo ait propheta [6] : « Et homo est, et quis cognoscet (16) eum? » Hic idem a Paulo annuntiabatur : « Tradidi enim, inquit, vobis in primis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quoniam sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas [7]. »

Φανερὸν οὖν (17), ὅτι Παῦλος ἄλλον Χριστὸν οὐκ οἶδεν, ἀλλ' ἢ τοῦτον τὸν καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα, καὶ γενηθέντα, ὃν καὶ ἄνθρωπον λέγει. Εἰπὼν γάρ· « Εἰ δὲ Χριστὸς κηρύσσεται, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, » ἐπιφέρει, τὴν αἰτίαν ἀποδιδοὺς τῆς σαρκώσεως αὐτοῦ· « Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν (18). » Καὶ πανταχοῦ ἐπὶ τοῦ πάθους τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς νεκρώσεως, τῷ τοῦ Χριστοῦ κέχρηται ὀνόματι, ὡς ἐπὶ τοῦ· « Μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε. » Καὶ πάλιν· « Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ, οἱ ποτὲ ὑμεῖς ὄντες μακρὰν, ἐγενήθητε ἐγγὺς, ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. » Καὶ πάλιν· « Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, γέγραπται γάρ· Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. »

Manifestum est igitur, quoniam Paulus alterum Christum nescit, nisi hunc solum, qui et passus est, et sepultus est, et resurrexit, qui et natus est, quem et hominem dixit. Cum enim dixisset : « Si autem Christus annuntiatur, quoniam a mortuis resurrexit [8]; » intulit, rationem reddens incarnationis ejus : « Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum [9]. » Et ubique in passione Domini nostri, et humanitate, et mortificatione ejus, Christi usus est nomine, quemadmodum in illo : « Noli esca tua perdere illum, pro quo Christus mortuus est [10]. » Et iterum : **210** « Nunc autem in Christo vos, qui aliquando fuistis longe, facti estis proximi in sanguine Christi [11]. » Et iterum : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quoniam scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno [12]. »

Et iterum : « Et periet (19) infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est [13], » significans quoniam non Christus impassibilis descendit in Jesum, sed ipse, Jesus Christus cum esset, passus est pro nobis, qui decubuit et resurrexit, qui descendit et ascendit, Filius Dei, filius hominis factus : quemadmodum et ipsum nomen significat. In Christi enim nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unctio in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius, in Spiritu, qui est unctio; quemadmodum per Isaiam ait sermo : « Spiritus Dei super me, propter quod unxit me [14]; » significans et ungentem Patrem, et unctum Filium, et unctionem, qui est Spiritus.

4. Et ipse autem Dominus manifestum facit eum, qui est passus. Cum enim interrogasset discipulos : « Quem me homines dicunt esse filium hominis? » Petrus cum respondisset (20) : « Tu es Christus Filius Dei vivi; » et cum laudatus esset ab eo, « Quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater qui est in cœlis [15]; » manifestum fecit, quoniam filius hominis hic est Christus Filius Dei vivi : « Ex eo enim, inquit [16], cœpit demonstrare discentibus (21), quoniam oportet illum Hierosolymam ire, et multa pati a sacerdotibus, et reprobari (22), et crucifigi, et tertia die resurgere. » Ipse qui agnitus est a Petro Christus, qui eum beatum dixit, quoniam Pater ei revelavit Filium Dei vivi, dixit, semetipsum oportere multa pati et crucifigi : et tunc Petro increpavit (23), secundum opinionem hominum putanti eum esse Christum, et passionem

[6] Jerem. XVII, 9 [7] I Cor. XV, 3, 4. [8] Ibid. 12. [9] Ibid. 21. [10] Rom. XIV, 15. [11] Ephes. II, 13. [12] Gal. III, 13. [13] I Cor. VIII, 11. [14] Isa. LXI, 1. [15] Matth. XVI, 13 seqq. [16] Ibid. 21.

(15) *Communicavit.* Al. *communicat.*

(16) *Cognoscet.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss., Merc. 1 et Grab. juxta Græcum sacri textus, γνώσεται. Reliqui, *cognoscit.* Hæc verba citantur secundum versionem LXX. Quod vero ad Christum trahantur, non ab Irenæo tantum, sed et a Tertulliano, non semel, et a Cypriano lib. II *adv. Jud.*, cap. 10, minus probat Hieronymus in *Comment.* in hunc locum.

(17) *Φανερὸν οὖν.* Græca hæc allegavit Theodoretus, dial. III, qui *Impatibilis* inscribitur.

(18) *Ἐκ νεκρῶν.* Particulam ἐκ non agnoscunt neque vetus Irenæi interpres, neque sacer textus.

(19) *Et periet. Periet* pro *peribit* dictum est. Ejusmodi futura mediæ et infimæ Latinitatis scriptoribus familiaria fuisse nemo nescit.

(20) *Cum respondisset.* Feuard. solus male *cum respondit.*

(21) *Discentibus.* Id est *discipulis.*

(22) *Et reprobari.* Duæ istæ voces huc translatæ videntur vel ex Marc. VIII, 31, vel ex Luc. IX, 22. Neque enim occurrunt Matth. XVI, 21, unde cæteræ desumptæ sunt.

(23) *Petro increpavit.* Sic in cod. Clarom. scriptum legitur : quamvis recentissima manus imprudenter subscripserit, *Petrum*, haud advertens duos dativos casus iterum sequi : quod idem cæterorum amanuensium erratum fuit, in editt. deinde derivatum. Huic vero mederi dum conati sunt aliqui, auxerunt; nam pro *putanti, aversanti*, scripserunt, *putantium, aversantium;* ut hæ voces non ad *Petrum*, sed ad *hominum* referrentur. Scribas fefellit Græci sermonis ignorantia. Nempe quem casum, dativum scilicet, Græci tribuunt verbo ἐπιτιμάω, eumdem incautus tribuit interpres verbo *increpo* : cum accusativum tribuere debuisset.

Digitized by Google

ejus aversanti, et dixit discipulis : « Si quis vult post me venire, neget (24) se, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvare (25), perdet illam ; et qui eam perdiderit propter me, salvabit (26) eam [17]. » Hæc enim Christus manifeste dicebat, ipse exsistens Salvator eorum, qui propter suam confessionem in mortem traderentur, et perderent animas suas.

5. Si autem ipse non erat passurus, sed avolaret a Jesu, quid et adhortabatur discipulos tollere crucem, et sequi se, quam ipse non tollebat secundum ipsos, sed relinquebat dispositionem passionis? Quoniam enim non de agnitione superioris crucis dicit hoc, quemadmodum quidam audent exponere, sed de passione, quam oportebat illum pati, et ipsi discipuli (27) ejus futurum erat ut paterentur, intulit : « Quicunque enim salvaverit (28) animam suam perdet eam ; et qui perdiderit, inveniet eam. » Et quoniam passuri erant discipuli ejus propter eum (29), dicebat Judæis : « Ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et doctores, et ex his interficietis, et crucifigetis [18]. » Et discipulis dicebat : « Ante duces et reges stabitis propter me, et ex vobis flagellabunt, et interficient, et persequentur a civitate in civitatem [19]. » Sciebat igitur et eos qui persecutionem passuri essent, sciebat et eos qui flagellari et occidi haberent propter eum. Et non altera de cruce, sed de passione, quam passurus esset ipse prior, post deinde discipuli ejus, erat ergo sermo ejus, adhortantis (30) etiam illos : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; timete autem magis eum, qui habet potestatem, et corpus, et animam mittere in gehennam [20] ; » et servare eas quæ essent ad eum confessiones (31). Etenim ipse confessurum se promittebat coram Patre suo eos, qui confiterentur nomen suum coram hominibus ; negaturum autem eos qui negarent eum [21], et confusurum qui confunderentur confessionem ejus [22] (32). Et cum hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, ut etiam martyres spernant, et vituperent eos qui propter Domini confessionem occiduntur, et sustinent (33) omnia a Domino prædicta, et secundum hoc conantur vestigia assequi (34) passionis Domini, passibilis (35) martyres facti ; quos et concedimus ipsis martyribus (36). Cum enim inquiretur sanguis eorum, et gloriam consequentur, tunc a Christo confundentur omnes qui inhonoraverunt eorum martyrium. Et ex hoc autem quod Dominus in cruce dixerit : « Pater, remitte (37) eis, non enim sciunt quid faciunt [23] ; » longanimitas, et patientia, et misericordia, et bonitas Christi ostenditur, ut et ipse pateretur, et ipse excusaret eos qui se male tractassent. Verbum enim Dei quod nobis dixit : « Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos oderunt [24] ; » ipse hoc fecit in cruce, in tantum diligens humanum genus, ut etiam pro his, qui se interficerent, postularet. Si quis autem, quasi duorum exsistentium (38), 211 judicium de his faciat, invenietur multo melior, et patientior, et vere bonus, qui in vulneribus ipsis, et plagis, et reliquis quæ in eum commiserunt, beneficus est, nec memor est in se commissæ malitiæ, eo qui avolavit, nec ullam injuriam, neque opprobrium passus est.

6. Hoc autem idem et illis occurrit, qui dicunt eum putative passum. Si enim non vere passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio : et nos, cum incipiemus vere pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare, et alteram præbere maxillam, si ipse illud non prior in veritate passus est : et quemadmodum illos seduxit, ut videretur eis ipse hoc quod non erat ; et nos seducit, adhortans perferre ea, quæ ipse non pertulit. Erimus autem et super magistrum, dum patimur et sustinemus, quæ neque passus est, neque sustinuit magister. Sed quoniam solus vere magister Dominus noster ; et bonus vere Filius Dei, et patiens, Verbum Dei Patris filius hominis factus. Luctatus est enim, et

[17] Matth. xvi, 24, 25. [18] Matth. xxiii, 34. [19] Matth. x, 18 seqq. [20] Ibid. 28. [21] Ibid. 32 seqq. [22] Marc. viii, 38. [23] Luc. xxiii, 34. [24] Matth. v, 44.

(24) *Neget.* Sic Clarom. et Anglic. ; cæteri *abneget.*

(25) *Salvare.* Editt. *salvam facere.*

(26) *Salvabit.* Sic omnes pene mss., nisi quod incuria scribarum legatur in Feuard. marg. et Voss. *salvavit.* Editt. *inveniet.*

(27) *Ipsi discipuli.* Sic Clarom. et Voss. Cæteri, *ipsis discipulis.*

(28) *Salvaverit.* Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *salvabit.*

(29) *Propter eum.* Eras., Gall. et Feuard. *propterea.*

(30) *Adhortantis.* Arund. et Grab. *adhortans.*

(31) *Servare eas quæ essent ad eum confessiones.* Id est, in confessione nominis ejus stare pro virili.

(32) *Confunderentur confessionem ejus.* Sic Clarom., Arund. et Merc. 2, accedunt et Voss. ac vetus Feuard. cod. in quibus activum *confunderent* incuria librariorum scriptum est pro passivo. At editt. Eras., Gall. et Feuard. addunt ante *confessionem* particulam *contra*, quam non agnoscunt mss.

(33) *Sustinent.* Ita Clarom. et Anglic. Alii vitiose *substent* ; quod Billius haud feliciter emendat per *substant.*

(34) *Assequi.* Editt. *sequi.*

(35) *Passibilis.* Scilicet, *Christi.* Alii minus recte, *passibiles.*

(36) *Quos et concedimus ipsis martyribus.* Id est, quos (hæreticos) demittimus martyribus, ut illatæ eorum martyrio ab impuris hominibus injuriæ vindictam reposcant. Hunc ergo locum dum corruptionis arguit Billius, connivens legerit necesse est, haud attentus ad ea quæ sequuntur.

(37) *Remitte.* Alii, *dimitte.*

(38) *Quasi duorum exsistentium.* Græcismus pro *quasi duobus exsistentibus.* Sensus est : Si quis inter Verbum et Jesum, quasi duo essent, comparationem instituat, etc.

Digitized by Google

vicit : erat enim homo pro patribus certans, et per obedientiam ipsobedientiam persolvens : alligavit enim fortem, et solvit infirmos, et salutem donavit plasmati suo, destruens peccatum. Est enim plissimus et misericors Dominus, et amans humanum genus.

7. . . . . ἤνωσεν οὖν (39), καθὼς προέφαμεν, τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησε τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. Πάλιν τε, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔσχομεν αὐτήν. Καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. Ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος, εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν· καὶ Θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν Θεόν.

7. Hærere itaque fecit et adunivit, quemadmodum prædiximus, hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo (40), non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere, ut et Deus (41) assumeret hominem, et homo se dederet Deo.

Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam, quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem ; nisi Verbum ejus communicasset nobis, caro factum? Quapropter et per omnem venit ætatem (42), omnibus restituens eam, quæ est ad Deum communionem. Igitur qui dicunt eam putative manifestatum, neque in carne natum (43), neque vere hominem factum, adhuc sub veteri sunt damnatione, advocationem (44) præbentes peccato, non devicta secundum eos morte, quæ regnavit ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem transgressionis Adæ [25]. » Veniens autem lex, quæ data est per Moysem, et testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abstulit, latronem et non regem eum detegens, et homicidam eum ostendit : oneravit autem hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritalis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit : non enim Spiritui dominabatur peccatum, sed homini. Oportebat enim eum qui inciperet occidere (45) peccatum, et mortis reum redimere hominem, id ipsum fieri quod erat ille, id est hominem : qui a peccato quidem in servitium tractus fuerat, a morte vero tenebatur, ut peccatum ab homine interficeretur, et homo exiret a morte.

Ὥσπερ γὰρ (46) διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ γῆς ἐνεργάστου πεπλασμένου, ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ, καὶ ἀπέβαλον τὴν ζωήν· οὕτως ἔδει καὶ δι' ὑπακοῆς ἑνὸς ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ παρθένου γεγενημένου, δικαιωθῆναι πολλοὺς καὶ ἀπολαβεῖν τὴν σωτηρίαν.

Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis, qui primus (47) de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, et amiserunt vitam ; ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus est, justificari multos, et percipere salutem.

Sic igitur Verbum Dei homo factus est, quemadmodum et Moyses ait : « Deus, vera opera ejus [26]. » Si autem non factus caro, parebat quasi caro, non erat verum opus ejus. Quod autem parebat, hoc et erat ; Deus hominis antiquam plasmationem in se recapitulans, ut occideret quidem peccatum, evacuaret autem mortem, et vivificaret hominem ; et propter hoc vera opera ejus.

212 CAPUT XIX [27].

Jesum Christum non merum hominem exstitisse ex Josephi satu progenitum ; sed verum Deum ab altissimo Patre genitum, et verum hominem ex Virgine natum.

1. Rursus autem qui nude tantum hominem eum dicunt ex Joseph generatum, perseverantes in servitute pristinæ inobedientiæ moriuntur ; nondum commisti Verbo (48) Dei Patris, neque per Filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait : « Si Filius vos manumiserit, vere liberi eritis [28]. » Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna : non recipientes autem Verbum incorruptionis, perseverant in carne mortali, et sunt debitores mortis, antidotum vitæ non accipientes.

[25] Rom. v, 14. [26] Deut. xxxii, 4. [27] Cap. XXI. [28] Joan. viii, 36.

(39) Ἤνωσεν οὖν. Hæc velut ex secundo Irenæi libro allegat Theodoretus, dial. 2, qui dicitur *Inconfusus*.

(40) *Deo. Nostro*, quod addunt Eras., Gall. et Feuard., omisi post Clarom., Voss. et Græcum textum.

(41) *Et facere ut et Deus*, etc. Hic Latina procul discrepant a Græcis. Ista sonant : *ac Deo quidem hominem sistere, hominibus autem Deum patefacere.* Necesse ergo hic variasse codices, vel alterutrum, aut Theodoretum, aut veterem interpretem, non adeo accurate ipsis Irenæi verbis vertendis studuisse. Quidquid sit, Græci textus clarior sensus esse videtur.

(42) *Per omnem venit ætatem.* Id fusius explicat auctor lib. II, cap. 22, n. 4.

(43) *In carne natum.* Alii, *incarnatum.*

(44) *Advocationem.* Id est, *patrocinium.*

(45) *Inciperet occidere.* Id est, *occisurus esset.*

(46) Ὥσπερ γάρ. Hæc apud Theodoretum dial. 1, qui inscribitur *Immutabilis.*

(47) *Primus.* Ex Græco scribendum erat et hic et paulo post, *primum.*

(48) *Nondum commisti Verbo.* Ita vetus Feuard, cod. Clarom., Voss. et Grab. Cæteri male, *nondum commistum Verbum.*

Digitized by Google

Ad quos Verbum (49) ait, suum munus gratiæ narrans: « Ἐγὼ εἶπα (50)· Υἱοὶ Ὑψίστου ἐστὲ πάντες καὶ θεοί (52)· ὑμεῖς δὲ ὡς ἄνθρωποι ἀποθνήσκετε. » Ταῦτα λέγει..... πρὸς τοὺς μὴ δεξαμένους τὴν δωρεὰν τῆς υἱοθεσίας, ἀλλ' ἀτιμάζοντας τὴν σάρκωσιν τῆς καθαρᾶς γεννήσεως τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀποστεροῦντας τὸν ἄνθρωπον τῆς εἰς Θεὸν ἀνόδου, καὶ ἀχαριστοῦντας τῷ ὑπὲρ αὐτῶν σαρκωθέντι Λόγῳ τοῦ Θεοῦ. Εἰς τοῦτο γὰρ ὁ Λόγος ἄνθρωπος (54), ... ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν Λόγον χωρήσας, καὶ τὴν (55) υἱοθεσίαν λαβὼν (57), Υἱὸς γένηται Θεοῦ.

« Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi (51) omnes : vos autem sicut homines moriemini [29]. » Ad eos indubitate dicit, qui non percipiunt munus adoptionis, sed contemnunt incarnationem puræ generationis Verbi Dei, fraudantes hominem ab ea ascensione quæ est ad Dominum, et ingrati exsistentes Verbo Dei, qui incarnatus (53) est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo; et qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commistus Verbo Dei, ut adoptionem (56) percipiens fiat Filius Dei.

Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati (58) fuissemus incorruptelæ et immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ et immortalitati, nisi prius incorruptela et immortalitas facta fuisset id quod et nos; ut absorberetur, quod erat corruptibile, ab incorruptela, et quod erat mortale, ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?

2. Propter hoc « generationem ejus quis enarrabit [30]? » quoniam « homo est, et quis agnoscet (59) eum [31]? » Cognoscit autem illum is, cui Pater qui est in cœlis revelavit, ut intelligat, quoniam is qui « non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est [32] » filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi. Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adæ, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus [33]. Quoniam autem ipse proprie præter omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et Rex æternus, et Unigenitus, et Verbum incarnatum prædicatur (60) et a prophetis omnibus, et apostolis, et ab ipso Spiritu, adest videre omnibus qui vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non testificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam, quæ est ab altissimo Patre, genituram, præclara autem functus est et ea, quæ est ex Virgine, generatione; utraque Scripturæ divinæ de eo testificantur : et quoniam homo indecorus et passibilis [34], et super pullum asinæ sedens [35] (61), aceto et felle potatur [36], et spernebatur in

[29] Psal. LXXXI, 6, 7. [30] Isa. LIII, 8. [31] Jer. XVII, 9. [32] Joan. I, 13. [33] Hujus libri cap. 6. [34] Isa. LIII, 2. [35] Zach. IX, 9. [36] Psal. LXVIII, 22.

(49) *Verbum. Patris* quod addunt edititi. deest in omnibus mss.

(50) *Ἐγὼ εἶπα.* Hæc Theodoretus allegat dial. 1.

(51) *Altissimi.* Sic Clarom., Voss. et Grab. Cæteri, *Excelsi.*

(52) *Υἱοὶ Ὑψίστου... θεοί.* Hæc a scribis male transposita fuisse quilibet videt.

(53) *Qui incarnatus.* Sic melioris notæ codd. Clarom. et Voss. cum Merc. 1, juxta morem interpretis. Alii, *quod incarnatum.*

(54) *Ὁ Λόγος ἄνθρωπος.* Legit Irenæi interpres, ὁ Λόγος Θεοῦ ἄνθρωπος, καὶ ὁ Υἱὸς Θεοῦ υἱὸς ἀνθρώπου ἐγένετο, quod posterius comma omisit Theodoretus.

(55) *Ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν Λόγον χωρήσας, καὶ τήν.* Græca dissentiunt a Latinis. Ex veteri interpretatione liquet Irenæum scripsisse : ἵνα συγκεραθεὶς, vel συγκεκραμένος τῷ Λόγῳ Θεοῦ, καὶ τήν, etc. Cur vero Theodoretus verbum συγκερασθεὶς, vel συγκεκραμένος mutarit in χωρήσας, nemo facile dixerit. Factum id putat Grabius, quod episcopo Cyrensi ad Nestorii doctrinam propius accedenti displiceret *commiscendi* verbum, quod Eutychis errori, a quo is abhorrebat, favere videretur. Sed inique dictum. Qui enim in istis saltem Dialogis ad Nestorii doctrinam propius accessisse dici potest, qui (ut alia taceam) dial. 2, Cyrillum Alexandrinum cum honore citat, et ea ipsa ex ejus operibus depromit testimonia, quibus maxime confoditur Nestorii error? Theodoreto quidem adversus Cyrillum agenti displicuit *commiscendi* verbum : sed dialogos scribentis mens erat altera. Nam dial. 2, vocabuli quondam exosi vindicias ex professo suscipit, ostenditque κρᾶσιν non semper adjunctam habere σύγχυσιν seu *confusionem:* licet ea, quæ conjunguntur, per totum invicem misceantur : ut in aere ac luce accidit, et in ferro candente; quibus exemplis utitur. Consultius igitur æquitatis lege sic postulante, dicam Theodoretum vel Irenæi verba ex memoria allegasse, vel interpolatis codicibus usum fuisse. Quod vero *commiscendi* verbum ad explicandam divinæ et humanæ naturæ in Christo unitionem Catholice usurpari possit, notissima res ex Patribus, qui ea voce indiscriminatim usi sunt. Unum inter cæteros haudquaquam suspectum, utpote Eutychetis erroribus summe infensum, audire sufficiat. Leo I est qui serm. 3 *De Nativitate Christi* ita scribit : *Nec sic natura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, illa habitaculum esset; sed ita ut natura alteri altera misceretur.*

(56) *Commistus Verbo Dei, ut adoptionem*, etc. Melius juxta Græcum legas : *ut commistus Verbo Dei, et adoptionem*, etc.

(57) *Τὴν υἱοθεσίαν λαβών*, etc. Eras. in Præfat. ad hunc III librum ex his verbis colligit, dixisse Irenæum, *Christum juxta humanam naturam adoptatum, ut fieret Filius Dei.* Sed temere : nam ex iis quæ proxime præceduni, et quibus hominum causa Verbum Dei factum esse hominem scribit Irenæus, evidens est, quod subinde pertexit, non ad Christum, sed ad homines quos redemit, esse referenduni. Tum quod statim sequitur : *Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ et immortalitati;* causam proxime antecedentis sententiæ continet, et hanc de hominibus cæteris potius quam de Christo intelligendam arguit.

(58) *Adunati.* Edititi., *aduniti.*

(59) *Agnoscet.* Clarom., *agnoscit*, Voss., *agnovit.*

(60) *Prædicatur.* Ita pro *prædicatum*, reposui ex Clarom. ac proinde *est*, quod soli Voss. et Grab. paulo ante præfigunt voci *ipse*, delevi ejusdem cod. auctoritate.

(61) *Sedens.* Sic Clarom., Voss., Arund. et Merc. 1. Reliqui, *ascendens.*

Digitized by Google

populo, et usque ad mortem descendit; et quoniam Dominus sanctus, et mirabilis consiliarius, et decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens universorum judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant

3. Ὥσπερ γὰρ (62) ἦν ἄνθρωπος, ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ Λόγος, ἵνα δοξασθῇ· ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ Λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι..... καὶ σταυροῦσθαι, καὶ ἀποθνήσκειν· συγγινομένου δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾷν, καὶ ὑπομένειν, καὶ χρηστεύεσθαι, καὶ ἀνίστασθαι, καὶ ἀναλαμβάνεσθαι.

3. Sicut enim homo erat, ut tentaretur; sic et Verbum, ut glorificaretur: requiescente **213** quidem Verbo, ut posset tentari (63), et inhonorari, et crucifigi, et mori; absorpto autem homine (64) in eo quod vincit, et sustinet (65), ... et resurgit, et assumitur (66).

Hic igitur Filius Dei Dominus noster, exsistens Verbum Patris, et filius hominis (67): quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis. Propter hoc et ipse Dominus dedit nobis signum in profundum, in altitudinem sursum [57], quod non postulavit homo, quia nec speravit virginem prægnantem fieri posse, quæ erat virgo, et parere filium, et hunc partum Deum esse nobiscum, et descendere in ea quæ sunt deorsum terræ, quærentem ovem quæ perierat, quod quidem erat proprium ipsius plasma, et ascendere in altitudinem, offerentem et commendantem Patri eum hominem, qui fuerat inventus, primitias resurrectionis hominis in semetipso faciens: ut quemadmodum caput resurrexit a mortuis, sic et reliquum corpus omnis hominis (68), qui invenitur in vita, impleto tempore condemnationis ejus, quæ erat propter inobedientiam, resurgat, per compagines et conjunctiones coalescens, et confirmatum augmento Dei (69), unoquoque membrorum habente propriam et aptam in corpore positionem. Multæ enim mansiones apud Patrem, quoniam et multa membra in corpore.

CAPUT XX [58].

Deum ex lapsu hominis patefecisse, quam sit patiens, benignus, misericors et potens ad salvandum; atque idcirco ingratissimum esse hominem, si suæ sortis acceptique beneficii immemor gratiam non referat.

1. Magnanimus igitur fuit Deus deficiente homine, eam, quæ per Verbum esset (70), victoriam reddendam ei prævidens. Cum enim perficiebatur virtus in infirmitate, benignitatem Dei et magnificentissimam ostendebat virtutem. Sicut enim patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto [59], non ut absorberetur, et in totum periret, sed ut evomitus magis subjiceretur (71) Deo, et plus glorificaret eum (72), qui insperabilem salutem ei donasset, et firmam pœnitentiam faceret Ninivitis, ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, conterritos ab eo signo, quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Scriptura de his dicit: « Et reversi sunt unusquisque a via sua mala, et injustitia, quæ erat in manibus eorum, dicentes: Quis scit si pœnitebit (73) Deus, et avertat iram suam a nobis, et non peribimus [60]? » Sic et ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et præparans adinventionem salutis, quæ facta est a Verbo per signum Jonæ, his qui eamdem cum Jona de Domino (74) sententiam habuerunt, et confessi fuerunt, et dixerunt: « Servus Domini ego sum, et Dominum Deum cœli ego colo, qui fecit mare et aridam [61]: » ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis, et clarificet Deum, et eam quæ a Jona prophetata (75) est, dicat vocem: « Clamavi ad Dominum Deum meum (76) in tribulatione mea, et exaudivit me de ventre inferni [62]; » et semper permaneat glorificans Deum, et sine intermissione gratias referens pro ea salute quam consecutus est ab eo: « ut non glorietur in conspectu Domini omnis caro [63], » nec unquam de Deo contrarium sensum accipiat homo, propriam naturaliter arbitrans (77) eam, quæ circa se esset,

[57] Isa. VII, 11. [58] Cap. XXII. [59] Jon. II, 1 seqq. [60] Jon. III, 8, 9. [61] Jon. I, 9. [62] Jon. II, 3. [63] I Cor. I, 29.

(62) Ὥσπερ γάρ. Theodoretus dial. 3, hæc ex Irenæo descripsit.

(63) *Ut posset tentari.* Græca sonant, *dum tentaretur, et inhonoraretur*, etc.

(64) *Absorpto autem homine.* Græca Theodoreti sic reddenda essent: *opitulante autem* (scilicet *Verbo*) *homini, cum vinceret*, etc. Sed pro συγγινομένου τῷ ἀνθρώπῳ, interpres legisse videtur, καταποθέντος τοῦ ἀνθρώπου, vel quidpiam simile: quod et ipsum rectum habet sensum. His quippe verbis significatur, quod si Verbum, ita exigente nostræ salutis οἰκονομία, sivit ut humanitas perpessionum veluti succumberet injuriis, id abunde compensavit gloria tum ex ipsis perpessionibus, tum maxime ex Divinitatis consortio in illam redundans.

(65) *Et sustinet.* Addit Theodoretus: *et benignitate utitur.*

(66) *Assumitur.* Pro *ascendit.*

(67) *Et filius hominis.* Tres istas voces abesse mallem.

(68) *Omnis hominis. Omnis* desideratur in Voss. et Merc. 2.

(69) *Augmento Dei.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Cæteri, *augmentum Dei*, quod præferrem si præcederet præpositio *in*.

(70) *Eam quæ... esset.* Sic Clarom. et Voss. quibus quoad postremam vocem consentit Feuard. in marg. Sed hic in textu, perinde ac Eras. et Gall. minus recte, *eamque... esse.*

(71) *Subjiceretur.* In Voss., *subjaceretur.* In aliis, *subigeretur.*

(72) *Eum.* Alii, *Deum.*

(73) *Pœnitebit.* Clarom. et Merc. 2, *pœnitebitur.* Eras., Gall. et Feuard., *convertatur.*

(74) *Domino.* Editt., *Deo.*

(75) *Prophetata.* Alii, *propheta.*

(76) *Dominum Deum meum.* In Eras., Gall. et Feuard. deest vox *Deum*; in Arund., *meum.*

(77) *Propriam naturaliter arbitrans.* Id est, veluti propriam naturæ dotem existimans.

Digitized by Google

incorruptelam, et non tenens veritatem, inani supercilio jactaretur, quasi naturaliter similis esset Deo. Ingratum enim magis eum hoc ei, qui eum fecerat, perficiens (78) et dilectionem quam habebat Deus in hominem (79) offuscabat, et excæcabat (80) sensum suum ad non sentiendum, quod sit de Deo dignum, comparans et æqualem se judicans Deo.

2. Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum (81) agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem quæ est a mortuis, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus exsistat Domino, munus incorruptelæ consecutus ab eo, ut plus diligeret eum (cui enim plus dimittitur plus diligit) : cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et 214 Deum (82), quoniam in tantum immortalis et potens est, uti et mortali immortalitatem et temporali æternitatem donet: intelligat autem et reliquas virtutes Dei omnes in semetipsum extensas, per quas edoctus sentiat de Deo, quantus est Deus. Gloria enim hominis, Deus; operationes (83) vero Dei, et omnis sapientiæ ejus, et virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum medicus in his, qui ægrotant, probatur; sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus ait : « Conclusit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur[44]; » non de spiritalibus Æonibus dicens hoc, sed de homine qui fuit inobediens Deo, et projectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quæ est per ipsum, percipiens adoptionem. Hic enim tenens sine inflatione et jactantia veram gloriam (84) de his quæ facta sunt, et de eo qui fecit, qui est potentissimus omnium Deus, quique omnibus ut sint præstitit; et manens in dilectione ejus, et subjectione, et gratiarum actione, majorem ab eo gloriam percipiet, provectus accipiens (85), dum consimilis fiat ejus qui pro eo mortuus est; quoniam et ipse in similitudinem (86) carnis peccati factus est[45], uti condemnaret peccatum, et jam quasi condemnatum projiceret illud extra carnem; provocaret autem in similitudinem suam hominem, imitatorem eum assignans Deo, et in paternam imponens regulam (87), ad videndum Deum; et capere Patrem donans Verbum Dei (88) quod habitavit in homine, et Filius hominis factus est, ut assuesceret (89) hominem percipere Deum, et assuesceret Deum habitare in homine, secundum placitum Patris.

3. Propter hoc ergo signum salutis nostræ eum, qui (90) ex Virgine Emmanuel, est ipse Dominus : quoniam ipse Dominus erat qui salvabat eos, quia per semetipsos non habebant salvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait : « Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum[46]; » significans, quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostræ. Et iterum : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus[47]? » Deinde infert liberatorem : « Gratia Jesu Christi Domini nostri[48] (91). » Hoc autem et Isaias : « Confortamini, inquit, manus resolutæ, et genua debilia : adhortamini, pusillanimes sensu, confortamini, ne timeatis : ecce, Deus noster judicium retribuit, et retributurus est : ipse veniet, et salvabit nos[49]. » Hoc, quoniam non a nobis, sed a Dei adjumento habuimus salvari.

4.[50] Rursus, quoniam neque homo tantum erit, qui salvat (92) nos, neque sine carne (sine carne enim angeli sunt), prædicavit enim, dicens : « Neque senior, neque angelus, sed ipse Dominus salvabit eos, quoniam diligit eos, et parcet eis, ipse li-

[44] Rom. XI, 32. [45] Rom. VIII, 3. [46] Rom. VII, 18. [47] Ibid. 24. [48] Ibid. 25. [49] Isa. XXXV, 3, 4. [50] Cap. XXIII.

(78) *Ingratum... perficiens.* Sic vetus Feuard., cod. Clarom., Voss. et Grab. Cæteri perperam, *ingratus.*

(79) *In hominem.* Al. male, *in homine.*

(80) *Et excæcabat.* Desunt in Clarom. At vetus Feuard. cod. et Voss. iterum repetunt, *offuscabat.*

(81) *Morum. Mortis* legendum conjicit Grabius; sed frustra. Perditos mores intelligit Irenæus, qui animæ mortem inferunt.

(82) *Deum.* Erasm., Gall. et Feuard., *Dominum.*

(85) *Operationes.* Forte legendum *operationis* : quanquam nec *operationes* incommodum faudat sensum.

(84) *Veram gloriam.* Δόξαν *sententiam*, non *gloriam*, hoc loco vertere debebat interpres.

(85) *Percipiet, provectus accipiens.* Ita ex Clarom. et Voss. reposui. Alii omnes minus bene, *accipiet provectus.* Porro *provectus* nomen plurale est pro *profectus.* *Dum* vero, quod sequitur, accipio pro *donec.*

(86) *In similitudinem.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Merc. 1, cum Vulgata nostra, et veteri Italica versione. Edit., *in similitudine.*

(87) *Et in paternam imponens regulam.* Ut nimirum ad sanctitatis Patris regulam homo vitam dirigeret.

(88) *Et capere Patrem donans Verbum Dei.* Hæc consequenter, nulla inserta distinctionis nota, ut perperam sit in edit. omnibus, lego Sic evanescit Grabii conjectura legendum censentis, *donantem.* Porro pro *capere*, Feuard. in marg. et Voss. habent *sapere.*

(89) *Assuesceret.* Pro *assuefaceret.*

(90) *Propter hoc ergo signum salutis nostræ eum, qui.* Hæc in edit. omnibus male distincta confusionem pariunt; adeo ut quidpiam omissum esse suspicatus sit Grabius. Sed nihil deest. Eum hic, ut et alibi non raro, accipit interpres pro *illud*, et ad *signum in profundum*, etc., de quo sub finem capitis præcedentis, totum istud refertur. Ordo verborum est : *Propter hoc ergo ipse Dominus, qui ex Virgine Emmanuel, est illud signum salutis nostræ, quoniam*, etc.

(91) *Gratia Jesu Christi Domini nostri.* Hæc memoriter allegata videntur. Cum nullo siquidem e N. T. codd. consentiunt, quamvis a Vulgata lectione non procul differant.

(92) *Salvat.* In edit., *salvabit.*

Digitized by Google

berabit eos[81] (93). » Et quoniam hic ipse homo verus visibilis incipiet esse, cum sit Verbum salutare, rursus Isaias ait : « Ecce, Sion civitas, salutare nostrum oculi tui (94) videbunt[82]. » Et quoniam non solum homo erat, qui moriebatur pro nobis, Isaias ait (95) : « Et commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis : et descendit ad eos evangelizare salutem quæ est ab eo, ut salvaret eos[83]. » Hoc autem idem et Amos propheta (96) ait : « Ipse convertetur, et miserebitur nostri : dissolvet injustitias nostras, et projiciet (97) in altitudinem maris peccata nostra. » Et rursus significans locum adventus ejus, ait : « Dominus ex Sion locutus est, et ex Hierusalem dedit vocem suam[84]. » Et quoniam ex ea parte, quæ est secundum Africum hæreditatis Judæ, veniet Filius Dei, qui Deus est, et qui erat ex Bethleem (98), ubi natus est Dominus, in omnem terram emittet (99) laudationem (1) ejus, sicut (2) ait Habacuc propheta : « Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte Ephrem (3). Cooperuit cœlum virtus ejus, et laudatione ejus plena est terra. Ante faciem ejus præibit Verbum, et progredientur in campis pedes ejus[85]. » Manifeste significans, quoniam Deus, et quoniam in Bethleem adventus ejus, et ex monte Ephrem, qui est secundum Africum hæreditatis, et quoniam homo. « Progredientur enim, inquit, in campis pedes ejus : » hoc autem signum proprium hominis.

215 CAPUT XXI.

Prophetiam Isaiæ VII, 14, *a prava interpretatione Theodotionis, Aquilæ, Ebionitarum, ac Judæorum vindicat, auctoritatemque versionis Septuagintæ interpretum commendat, ac demum pluribus argumentis confirmat Christum e virgine natum esse.*

1. Ὁ Θεὸς (4) οὖν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, δοὺς τὸ τῆς παρθένου σημεῖον... Ἀλλ' οὐχ ὡς (5) ἔνιοί φασι τῶν νῦν μεθερμηνεύειν τολμώντων τὴν Γραφήν· « Ἰδοὺ ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν, » ὡς Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν ὁ Ἐφέσιος, καὶ Ἀκύλας ὁ Ποντικὸς, ἀμφότεροι Ἰουδαῖοι προσήλυτοι· οἷς κατακολουθήσαντες οἱ Ἐβιωναῖοι, ἐξ Ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσι·

1. Deus igitur homo factus est, et ipse Dominus salvabit (5) nos, ipse dans Virginis signum. [86] Non ergo vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam : « Ecce adolescentula in ventre habebit, et pariet filium; » quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus, et Aquila Ponticus, utrique Judæi proselyti; quos sectati Ebionei, ex Joseph generatum eum dicunt :

tantam dispositionem Dei dissolventes, quantum ad ipsos est; frustrantes prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem, priusquam in Babylonem fieret populi (7) transmigratio, id est, antequam Medi et Persæ acciperent principatum : interpretatum vero in Græco ab ipsis Judæis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, ne forte morem nobis gerentes Judæi hæc ita sint interpretati. Qui quidem si cognovissent nos futuros, et usuros his testimoniis quæ sunt ex Scripturis, nunquam dubitassent ipsi suas comburere Scripturas, quæ et reliquas omnes gentes manifestant participare vitæ, et eos qui gloriantur donum se esse Jacob,

[81] Isa. LXIII, 9. [82] Isa. XXXIII, 20. [83] Vid. not. 95. [84] Joel. III, 16 et Amos I, 2. [85] Habac. III, 3, 4. [86] Cap. XXIV.

(93) *Liberabit eos.* Erat., Gall. et Merc. 2, *liberavit;* recte quidem, si quæ præcedunt præteriti essent temporis : hoc enim, non futurum legitur in Græco τῶν Ο'.

(94) *Tui.* Hanc vocem ex Arund., Voss. et Bibliico textu adjecit Grabius. Eamdem habet et Clarom.

(95) *Isaias ait.* Lib. IV, cap. 22, hunc eumdem locum ascribit Jeremiæ, sub cujus nomine allegatur et a Justino M. in *Dial. cum Tryph.*, p. 298. Eumdem tacito prophetæ nomine iterum citat Irenæus eodem lib. IV, cap. 33, et lib. V, cap. 31. Sed neque apud Isaiam, neque apud Jeremiam, nec in ullo alio sacrorum utriusque Testamenti librorum legitur. Causam hanc affert Justinus M. quod a Judæis e sacris codicibus, una cum pluribus aliis de quibus conqueritur, abrasus fuerit. Sed cur hoc et alia quædam consimilia de Christo testimonia e medio tulerit, aliis vero tam multis longe clarioribus pepercerit inimica Judæorum manus, nodus est, fateor, quem non facile solverem. Vereor ut Justino primum, ac deinde Irenæo fucum fecerit apocrypha quæpiam scriptura. Quidquid sit, ille locum ita Græce refert : Ἐμνήσθη δὲ Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ, τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς, εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Ubi pro ἀπὸ Ἰσραὴλ, legit Irenæus, et, ut puto, melius, ἅγιος Ἰσραήλ.

(96) *Amos propheta.* Memoria lapsus Amos pro Michæa dicit.

(97) *Projiciet.* Ita Clarom. et Voss. melius quam alii, *projecit :* quia verbum futuri temporis adhibet sacer textus.

(98) *Et qui erat ex Bethleem.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Cæteri corrupte, *exquirat et Bethleem.*

(99) *Emittet.* Clarom. et Arund., *immittet;* Merc. 2, *mittet.*

(1) *Laudationem.* Alii, *laudationes.* Sed singularis melius quadrat ad antecedentia et consequentia.

(2) *Sicut.* Vel expunge hanc vocem quæ sensum male suspendit; vel pro *sicut* lege *sic.*

(3) *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte Ephrem.* Non levis hic exemplarium varietas. Novatianus lib. *De Trinit.*, cap. 12, legit : *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte opaco et condenso :* quomodo legit et Irenæus infra lib. IV, cap. 33. In editis τῶν Ο' exemplaribus : Ὁ Θεὸς ἐκ Θαιμὰν ἥξει, καὶ ὁ ἅγιος ἐξ ὄρους Φαράν. Vulgata vero nostra : *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan.* Quæ lectio alteri præferenda, notarum brevitas examinare non sinit. Lege sis Hieronymum, *Comment.* in hunc locum.

(4) Ὁ Θεός. Hæc et sequentia apud Euseb. Hb. V *Hist.* cap. 8, et Nicephor. lib. IV, cap. 14.

(5) *Salvabit.* Græc., *salvavit.*

(6) Ἀλλ' οὐχ ὡς, etc. Hoc comma aliquantulum differt a Latino.

(7) *Populi.* Deest in Clarom. et Voss.

Digitized by Google

et populum Israel. et exhæreditatos (8) ostendunt a gratia Dei.

2. Πρὸ γὰρ τοὺς Ῥωμαίους κρατῦναι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν, ἔτι τῶν Μακεδόνων τὴν Ἀσίαν κατεχόντων, Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, φιλοτιμούμενος τὴν ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένην βιβλιοθήκην ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κοσμῆσαι τοῖς πάντων ἀνθρώπων συγγράμμασιν, ὅσα γε σπουδαῖα ὑπῆρχεν, ἠτήσατο παρὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν εἰς τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον σχεῖν αὐτῶν μεταβεβλημένας τὰς Γραφάς. Οἱ δὲ (ὑπήκουον γὰρ ἔτι τοῖς Μακεδόσι τότε) τοὺς παρ' αὐτοῖς ἐμπειροτάτους τῶν Γραφῶν, καὶ ἀμφοτέρων τῶν διαλέκτων, ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρους ἔπεμψαν Πτολεμαίῳ, ποιήσαντος τοῦ Θεοῦ ὅπερ ἐβούλετο. Ὁ δὲ ἰδίᾳ πεῖραν αὐτῶν λαβεῖν θελήσας, εὐλαβηθεὶς τε μήτι ἄρα συνθέμενοι, ἀποκρύψωσι τὴν ἐν ταῖς Γραφαῖς διὰ τῆς ἑρμηνείας ἀλήθειαν, χωρίσας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἐκέλευσε τοὺς πάντας, τὴν αὐτὴν ἑρμηνείαν γράφειν· καὶ τοῦτ' ἐπὶ πάντων τῶν βιβλίων ἐποίησε. Συνελθόντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ παρὰ τῷ Πτολεμαίῳ, καὶ συναντιβαλόντων ἑκάστου τὴν ἑαυτοῦ ἑρμηνείαν, ὁ μὲν Θεὸς ἐδοξάσθη, αἱ δὲ Γραφαὶ ὄντως θεῖαι ἐγνώσθησαν, τῶν πάντων τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξεσι, καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀναγορευσάντων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους, ὥστε καὶ τὰ παρόντα ἔθνη γνῶναι, ὅτι κατ' ἐπίπνοιαν τοῦ Θεοῦ εἰσὶν ἡρμηνευμέναι αἱ Γραφαί. Καὶ οὐδέν γε θαυμαστὸν, τὸν Θεὸν τοῦτο ἐνηργηκέναι, ὃς γε καὶ ἐν τῇ ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ διαφθαρεισῶν τῶν Γραφῶν, καὶ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰουδαίων ἀνελθόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, ἔπειτα ἐν τοῖς χρόνοις

2. [87] Prius enim quam Romani possiderent regnum suum (9), adhuc Macedonibus Asiam possidentibus, Ptolemæus Lagi filius (10), cupiens eam bibliothecam, quæ a se fabricata esset in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare (11), petiit ab Hierosolymitis (12) in Græcum sermonem interpretatas habere Scripturas eorum. Illi vero (obediebant enim (13) tunc adhuc Macedonibus), eos quos habebant perfectiores Scripturarum intellectores et utriusque loquelæ, septuaginta seniores miserunt Ptolemæo, facturos hoc quod ipse voluisset (14). Hic autem (15) experimentum eorum sumere volens, et metuens ne forte consentientes, eam veritatem, quæ esset in Scripturis, absconderent per interpretationem; separans eos ab invicem, jussit omnes eamdem interpretari Scripturam (16): et hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemæum, et comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, et Scripturæ vere divinæ creditæ sunt, omnibus **216** eadem (17), et eisdem verbis, et eisdem nominibus, recitantibus ab initio usque ad finem, uti et præsentes gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ. Et non esse (18) mirabile Deum hoc in eis (19) operatum, quando in ea captivitate populi, quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, et post septuaginta annos Judæis descendentibus (20) in regionem suam, post

[87] Cap. XXV.

(8) *Exhæreditatos.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri *exhæredari.*

(9) *Regnum suum.* Vetus Feuard. cod. et Vosc., *regnum Dei*, id est, ut explicat Feuard., terram toties beatorum patriarcharum posteritati promissam. Sed repugnat textus Græcus, juxta quem melius scripsisset interpres, *regnum eorum*, Judæorum videlicet.

(10) *Ptolemæus Lagi filius.* Id Irenæus Ptolemæo Lagi filio tribuit, quod alii vulgo post Aristæam illum Ptolemæo Philadelpho solent ascribere. Nec unam fuisse ea de re veterum sententiam scribit Clemens Alexand. lib. I *Stromat.*, p. 341: Ἑρμηνευθῆναι τὰς Γραφὰς τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶττάν φασιν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου· ἢ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φίλοτιμίαν εἰς τοῦτο προενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. *Versas autem esse Scripturas, et legis, et prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore Ptolemæi Lagi filii; aut, ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, et ut verterentur, vehementer procurasset.* Utramque sententiam conciliare student aliqui e recentioribus; dicentes, de comparandis vertendisque sacris libris cogitatum fuisse sub finem vitæ Ptolemæi Lagi, jam tum in regni societatem ascito Ptolemæo Philadelpho, cui quidem conciliandi rationi favere videtur Anatolius Laodicenus episcopus, qui tertio Ecclesiæ sæculo florebat. Ait enim apud Eusebium lib. VII *Hist. eccles.*, cap. 32, sacras Scripturas in Græcum sermonem translatas fuisse *in gratiam Ptolemæi Philadelphi et patris ejus.* Sed viderint hujus sententiæ patroni quomodo hæc stare possint cum tota Aristææ, seu historia, seu fabula. Operam me lusisse putarem, si occasione Irenæi nostri in iis explicandis diutius immorarer, de quibus tam multa manibus omnium teruntur doctissimorum hominum scripta. De iis fusius et accuratius scripserunt clariss. Elias Du Pin to. I *Prolegom. in sacra Biblia*, cap. 6 et seqq.; Humfredus Hodius, libro *De Bibliorum textibus originalibus, versionibus Græcis*, etc., fol. Oxonii, 1705, et Antonius Van Dale Dissert. super Aristæa de LXX interpret. in-4, Amstælodami 1705, ne plures alios appellare cogar.

(11) *Ornare.* Eras. et Gall., *compleri.*

(12) *Ab Hierosolymitis.* Eras., Gall. et Merc. 2 a *Hierosolymis.*

(13) *Obediebant enim.* Eras. et Gall., *qui obediebant.*

(14) *Facturos hoc quod ipse voluisset.* Græca sonant *complente Deo quod statuerat.* Sed legit interpres, ποιήσοντας τοῦτο ὅπερ ἐβούλετο.

(15) *Ille autem.* Addit textus Græcus, *separatim*, ἰδίᾳ, vel ut Nicephorus habet, ἰδίαν.

(16) *Eamdem interpretari Scripturam.* Græc., *eamdem interpretationem scribere.*

(17) *Eadem.* Sic omnes mss. cum textu Græco. At Eras., Gall. et Feuard. male, *eamdem.*

(18) *Et non esse.* Melius ex Græco legeris, *et non est.*

(19) *In eis.* Nihil his vocibus respondet in Græco.

(20) *Descendentibus.* Græc. *redeuntibus.*

Digitized by Google

Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ τῷ ἱερεῖ ἐκ τῆς φυλῆς Λευΐ, τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους, καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν.

deinde temporibus Artaxerxis Persarum regis inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi, præteritorum prophetarum omnes rememorare (21) sermones, et restituere populo eam legem, quæ data est per Moysem.

3. Cum tanta igitur veritate et gratia Dei interpretatæ sint Scripturæ, ex quibus præparavit et reformavit Deus fidem nostram, quæ in Filium ejus est, et servavit nobis simplices Scripturas in Ægypto, in qua adolevit et domus Jacob, effugiens famem, quæ fuit in Chanaan, in qua et Dominus noster servatus est effugiens eam persecutionem quæ erat ab Herode; et hæc earum Scripturarum interpretatio priusquam Dominus noster descenderet, facta sit, et antequam Christiani ostenderentur, interpretata sit (natus est enim Dominus noster circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii (22), multo autem (23) vetustior fuit Ptolemæus, sub quo interpretatæ sunt Scripturæ); vere impudorati et audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipsis Scripturis arguantur a nobis, et in fidem adventus Filii Dei concludantur. Firma est autem, et non

A ficta, et sola vera, quæ secundum nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo, quo prædiximus; et Ecclesiæ annuntiatio sine interpolatione (24). Etenim apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, et interpretatio consonat apostolorum traditioni. Etenim Petrus, et Joannes (25), et Matthæus, et Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet (26).

4. Unus enim et idem Spiritus Dei, qui in prophetis quidem præconavit, quis et qualis esset adventus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene quæ bene prophetata fuerant; ipse et in
B apostolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis venisse, et proximasse regnum cœlorum, et inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex Virgine natus est, Emmanuel, [58] quemadmodum ipsi testificantur, quoniam priusquam convenisset Joseph cum Maria (manente igitur ea in virginitate (27), « inventa est in utero habens de Spiritu sancto [59]; » et quoniam dixit ei Gabriel angelus: « Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te: quapropter quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei [60]; » et quoniam angelus in somnis dixit ad Joseph (28): « Hoc autem

[58] Cap. XXVI [59] Matth. I, 18. [60] Luc. I, 35.

(21) *Rememorare.* Verbum ἀνατάξασθαι verterem C ego, *digerere.*

(22) *Circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii.* Scilicet a Cæsaris nece.

(23) *Multo autem.* Clarom., Ottob., Arund. et Merc. 2, *multo ante*; nec adeo male. Sensus esset, multo ante Christum fuisse Ptolemæum Lagi, qui vetustior diceretur, ut a Philadelpho aliisque cognominibus Ptolemæis, ejus successoribus, distingueretur. Quidquid sit, Ptolemæus Lagi filius, ex Petavii calculo, annis ante Christum 284 denatus est.

(24) *Interpolatione.* Feuard. in marg., *interpellatione.*

(25) *Petrus et Joannes*, etc. *Dum*, inquit Grabius, *Irenæus apostolos, quorum Scripturas habemus, justo ordine recensens, Jacobum principem eorum* (gratis omnino sic vocare placuit) *omisit, ejus epistolam non vidisse aut agnovisse haud vane conjicitur, præsertim cum nusquam eam diserte allegarit.* Atqui D vane prorsus id et conjicitur et asseritur. Nec hujusce suæ conjectationis procul dubio meminit vir cl. dum infra lib. IV, cap. 13, n. 4, et cap. 16, n. 2, ac lib. V, cap. 1 initio, ipsa epistolæ Jacobi verba, licet tacito nomine, ab Irenæo usurpata agnoscens, loca unde deprompta sunt, ad marginem ipse indicat. Et quæso, cujus hæc verba sunt quæ lib. IV, cap. 16, Italico charactere excudi fecit Grabius: *Credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei vocatus est?* An ita concepta alibi quam Jacobi II, 23, occurrunt? Sed etiamsi Jacobi epistolam nusquam allegasset Irenæus, ex eo quod hic eum, memoratis Petro et Joanne, et Matthæo, et Paulo, omittat, concludi nihil potest. Statim enim subdit, *et reliqui deinceps*, quæ virum sinceri candoris dissimulare non decebat. His enim satis aperte indicat S. auctor, alios esse apostolos, quorum Scripturas habeamus, quos nominatim appellare noluit, præcipuos quatuor laudare contentus. Quippe hæc ad alios, quam ad apostolos referri non possunt; cum mox subjiciat, *et horum sectatores*, quibus Lucam et Marcum, quos superius ita vocavit, manifeste designat.

(26) *Prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.* Non quod singula, quæ ex Veteri Testamento testimonia protulerunt in scriptis apostoli, ex versione LXX desumpserint, ut plures interpretantur: sed quod nulla allegaverint, undecunque tandem deprompserint, quæ ab hac versione dissentiant: adeo ut apostoli *consonent prædictæ interpretationi, et interpretatio consonet apostolorum traditioni.* Irenæus siquidem hic effrenem hæreticorum audaciam redarguit, qui Scripturas pro libito interpretabantur, et in alienos sensus detorquebant. Ostenditque, firmiorem, sinceriorem et veriorem, imo solam esse veram Ecclesiæ fidem, quæ vanis hominum impurorum commentis non niteretur, sed quæ *manifestam ostensionem haberet ex his Scripturis quæ per aspirationem Dei interpretatæ sunt*; ex versione scilicet LXX seniorum, qua tunc utebatur Ecclesia, quæque non ad libitum efficta, sed aspirante Deo concinnata fuerat. Quod subinde confirmat, ex eo quod ea *interpretatio* consonet apostolorum traditioni; nec quidquam aut nuntiaverint apostoli quod ab illa dissideat, imo quod in illa non contineatur, saltem quoad sensum. Ex quibus patet levioris, imo nullius esse ponderis hunc Irenæi locum, ad dirimendam controversiam, quæ inter eruditos agitatur: an apostoli in citandis Veteris Testamenti testimoniis, vel Hebraicum fontem, vel LXX seniorum versionem secuti sint?

(27) *Ea in virginitate.* Ita omnes mss. Sed editi, Eras., Gall. et Feuard. minus recte, *in ea virginitate.*

(28) *Angelus in somnis dixit ad Joseph: Hoc*, etc. Hinc patet Irenæum, hæc Evangelii verba, non evangelistæ ipsius, sed angeli esse existimasse.

Digitized by Google

factum est, ut adimpleretur quod dictum est ab Isaia propheta : Ecce virgo in utero concipiet [61]. » Seniores autem (29) sic interpretati sunt dixisse Isaiam : « Et adjecit Dominus loqui ad Achaz : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum 217 deorsum, aut in altitudinem sursum (30). Et dixit Achaz : Non postulabo, nec tentabo (31) Dominum. Et dixit : Non pusillum (32) vobis agonem præbere hominibus, et quemadmodum Dominus præstat agonem? Propter hoc Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo in ventre accipiet, et pariet filium, et vocabitis (33) nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit (34) : priusquam cognoscat aut eligat mala, commutabit (35) bonum : quoniam priusquam cognoscat infans bonum vel malum, non consentiet nequitiæ, uti eligat bonum [62].» Diligenter igitur significavit Spiritus sanctus per ea quæ dicta sunt, generationem ejus, quæ est ex Virgine, et substantiam, quoniam Deus (Emmanuel enim nomen hoc significat) : et manifestat quoniam homo, in eo quod dicit : « Butyrum et mel manducabit; » et in eo quod infantem nominat eum, et, « priusquam cognoscat bonum et malum : » hæc enim omnia signa sunt hominis infantis. Quod autem « non consentiet nequitiæ, ut eligat bonum, » proprium hoc est Dei, uti non per hoc quod manducabit (36) butyrum et mel, nude solummodo eum hominem intelligeremus, neque rursus per nomen Emmanuel, sine carne eum Deum suspicaremur.

5. Καὶ ἐν τῷ εἰπεῖν (37), « ἀκούετε δὴ οἶκος Δαβίδ, » σημαίνοντος ἦν, ὅτι ὃν ἐπηγγείλατο τῷ Δαβὶδ ὁ Θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας αὐτοῦ αἰώνιον ἀναστήσειν βασιλέα, οὗτός ἐστιν ἐκ τῆς Δαβὶδ παρθένου γενόμενος.

5. [63] Et in eo quod dicit : « Audite domus David; » significantis erat, quoniam quem promisit Deus David, de fructu ventris ejus æternum suscieturum se regem, hic est qui ex Virgine quæ fuit de genere David, generatus est.

Propter hoc enim et de fructu ventris ejus regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis; et non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit (38) igitur genitalia viri in promissione Scriptura : imo vero nec commemoratur, quoniam non ex voluntate (39) viri erat, qui nascebatur. Statuit autem et confirmavit fructum ventris, ut generationem ejus, qui erat futurus ex virgine, pronuntiaret, quemadmodum Elizabeth impleta Spiritu sancto testificata est, dicens ad Mariam : « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui [64]; » significante Spiritu sancto audire volentibus, repromissionem quam repromisit Deus, de fructu ventris ejus suscitare regem, impletam esse in Virginis, hoc est in Mariæ partu. Qui igitur transmutant id quod apud Isaiam : « Ecce adolescentula in ventre concipiet; » et Joseph filium eum (40) volunt esse, illud transmutent (41) quod est repromissionis, quod apud David positum est ubi promisit illi Deus, de fructu ventris ejus (42) suscitare cornu, Christi regnum (43). Sed non intellexerunt : cæterum autem (44) hoc quoque ausi fuissent demutare.

6. Quod autem dixerit Isaias : « In profundum deorsum, vel in altitudinem sursum; » significantis

[61] Matth. I, 22. [62] Isa. VII, 10 seqq. [63] Cap. XXVII. [64] Luc. I, 42.

(29) *Autem.* Arund. *ante.*

(30) *In profundum deorsum, aut in altitudinem sursum.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. et Arund. Hancque genuinam esse Irenæi lectionem putavit Feuard. (quamvis, quod mirum, amplexus non sit) cum ita habere LXX indicet Hieronymus; quorum lectionem hanc cum Irenæo amplexantur veteres, Justinus in *Dial.*, Cyprian. lib. II *adv. Jud.*, cap. 9, Basilius et Cyrillus in hunc Isaiæ locum, ac Ambrosius serm. 8 in psal. CXVIII.

(31) *Non postulabo, nec tentabo.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Arund. Cæteri, *non petam, et non tentabo.*

(32) *Non pusillum.* Sic Clarom., Arund. et Voss. Alii, *num pusillum.* Priorem lectionem confirmant Cyprian., loco cit., et Tertull. *contra Judæos*, c. 9.

(33) *Vocabitis.* Sic pro *vocabit* reposui ex Feuard. marg. et omnibus mss., quia sic etiam legunt Cyprianus et Tertullianus locis citatis, nec id adeo distat a lectione LXX et reliquorum Græcorum interpretum, qui reddiderunt singulariter, καλέσεις.

(34) *Manducabit.* Feuard. in marg. et Voss. *comedet.*

(35) *Commutabit.* Ita Clarom. et Arund. quomodo et apud Cyprianum loco cit. In Eras. et Gall., *commutavit.* In aliis edit., *communicabit.* Sed prior lectio magis quadrat ad antecedentia et consequentia, et ad verbum ἐκλέξασθαι, quo utuntur LXX, vel ἐκλέξεται, ut habent codex Alexand. Isaiæ VII, et Justinus M. in *Dial.* p. 290.

(36) *Manducabit.* Genuinam hanc lectionem suppeditat cod. Clarom. In cæteris omnibus haud recte legitur vel *manducat*, vel *manducabat.*

(37) *Καὶ ἐν τῷ εἰπεῖν.* Hic Irenæi locus habetur apud Theodoretum Dial. I.

(38) *Circumscripsit.* Id est, *removit, e medio sustulit*; Græce, περιέγραψε.

(39) *Voluntate.* Feuard. in marg. et Voss., *voluptate.* Sed palam est Irenæum respicere ad Joan. I, 13 : *Neque ex voluntate viri*, etc. Deinde jam monui, veteres frequenter scripsisse *voluptas* pro *voluntas;* festinantibusque scribis proclive fuisse omittere abbreviationis notam qua designabatur littera *n*.

(40) *Filium eum.* In Anglic. mss., *filium ejus.* Sed recte in Clarom., *eum.*

(41) *Illud transmutent.* Clarom., *illud transmutant.*

(42) *Ventris ejus.* Ita Grab. ex cod. Arund. In Clarom., *ventris tui.* In aliis neque *tui*, neque *ejus* legitur.

(43) *Regnum.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius, quidquid dicat Grabius, quam alii *regis*, vel *regi.* Sensus enim est : *promisit Deus Davidi, de fructu ventris ejus suscitaturum se cornu*, scilicet *Christi regnum.*

(44) *Autem.* Pro *etiam*, e cod. Voss. posuit Grabius, ad evitandam tautologiam, quia mox sequitur *quoque.*

Digitized by Google

fuit, quoniam « qui descendebat, ipse erat et qui ascendebat. » In eo autem quod dixerit : « Ipse Dominus dabit signum ; » id quod erat inopinatum generationis ejus significavit (45), quod nec factum esset aliter, nisi Deus Dominus omnium Deus ipse dedisset signum in domo David. Quid enim magnum, aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus quæ pariunt mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adjuvante, inopinatus et partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.

7. [65] Propter hoc autem et Daniel prævidens ejus adventum, lapidem sine manibus abciss ı advenisse (46) in hunc mundum (hoc est enim quod, « sine manibus [66] ») significabat ; quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides cædere, in hunc mundum ejus adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria cooperante dispositioni (47). Hic enim lapis a terra, ex virtute et arte constat Dei. Propter hoc autem et Isaias ait : « Sic dicit Dominus : Ecce, ego mitto in fundamenta Sion (48) lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorificum [67] ; » uti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, adventum ejus qui secundum hominem est, intelligamus.

8. [68] Propter hoc autem et Moyses ostendens typum, projecit virgam in terram [69], ut ea incarnata omnem Ægyptiorum prævaricationem, quæ insurgebat adversus Dei dispositionem, argueret et absorberet : et ut ipsi Ægyptii testificarentur, quoniam digitus est Dei [70], qui salutem operatur populo, et non Josephi filius. Si enim Joseph filius esset, quemadmodum plus poterat quam Salomon [71], aut plus quam Jonas habere, aut plus esse David [72], cum esset ex eadem seminatione generatus, et proles existens ipsorum? Ut quid autem et beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret esse Filium Dei vivi [73]?

218 9. Super hæc (49) autem nec rex esse posset, si quidem Joseph filius fuisset; nec hæres, secundum Jeremiam. [74] Joseph enim Joachim et Jechoniæ filius ostenditur, quemadmodum et Matthæus generationem ejus exponit. Jechonias autem, et qui ab eo, omnes abdicati sunt a regno, Jeremia dicente sic : « Vivo ego, dicit Dominus, si factus fuerit Jechonias filius Joachim, rex Juda, signaculum in manu dextera mea, inde abstraham eum, et tradam eum in manu (50) quærentium animam tuam [75] (51). » Et iterum : « Inhonoratus est Jechonias, quemadmodum vas quod non est opus (52), quoniam projectus est in terram, quam non sciebat. Terra, audi sermonem Domini : scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniam non augebit (53) de semine ejus sedens super thronum David, princeps in Juda [76]. » Et iterum Deus ait super Joachim patrem (54) ejus : « Propter hoc sic dicit Dominus super Joachim patrem ejus (55), regem Judææ : Non enim erit ex eo sedens super thronum David, et mortificatum ejus (56) erit projectum in æstu diei, et in glacie noctis, et respiciam super eum, et super filios ejus, et inferam super eos, et super inhabitantes Jerusalem, super terram Juda, omnia mala, quæ locutus sum super eos [77]. » Qui ergo eum dicunt ex Joseph generatum, et in eo habere spem, abdicatos se faciunt a regno, sub maledictione et increpatione decidentes, quæ erga Jechoniam et in semen ejus (57). Propter hoc enim dicta sunt hæc de Jechonia, spiritu præsciente ea quæ a malis doctoribus dicuntur : uti discant, quoniam ex semine ejus, id est ex Joseph, non erit natus, sed secundum repromissionem Dei de ventre David suscitatur rex æternus, qui recapitulatur (58) omnia in se, [78] et antiquam plasmationem in se recapitulatus est.

10. Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit ; sic et per obedientiam unius hominis justitia introducta vitam fructificet his, qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra, et de adhuc virgine (« nondum enim pluerat Deus, et homo

[65] Cap. XXVIII. [66] Dan. II, 34. [67] Isa. XXVIII, 16. [68] Cap. XXIX. [69] Exod. VII, 9 seqq. [70] Exod. VIII, 19. [71] Matth. XII, 41, 42. [72] Matth. XXII, 43. [73] Matth. XVI, 17. [74] Cap. XXX. [75] Jerem. XXII, 24, 25. [76] Ibid. 28 seqq. [77] Jerem. XXXVI, 30, 31. [78] Cap. XXXI.

(45) *Significavit.* Alii, *significabat.*

(46) *Advenisse.* Supple *dicens.*

(47) *Dispositioni.* Al. perperam, *dispositione.*

(48) *In fundamenta Sion.* Ciarom., *fundamento Sion.*

(49) *Super hæc.* Pro *præterea*, vel *præter hoc.*

(50) *In manu.* Cod. Arund. *in manum.* Sed mallem *in manus* juxta Græcum τῶν Ο', εἰς χεῖρας.

(51) *Animam tuam.* Sic habent omnes mss. juxta textum Hebræum pariter ac Græcum, in quo et antecedentia in secunda persona proferuntur. In edit. vero legitur, *animam ejus* : quæ editorum ipsorum emendatio esse videtur.

(52) *Quod non est opus. Inutile*, vel *quo non est opus*, Græca hæc τῶν Ο', οὗ οὐκ ἔστι χρεία αὐτοῦ, melius reddidisset interpres.

(53) *Augebit.* Hic et alibi accipit interpres pro *crescet.*

(54) *Patrem.* Alii, *patre.*

(55) *Patrem ejus.* Hæc ex præcedenti commate huc transtulisse videtur oscitans quispiam scriba ; neque enim in sacro textu leguntur.

(56) *Mortificatum ejus.* Pro *morticinum* vel *cadaver ejus*, de quo Jerem. XXII, 19 : *Sepultura asini sepelietur, et putrefactus, et projectus extra portas Jerusalem.*

(57) *Semen ejus. Est* additur in edit. Sed deest in omnibus mss.

(58) *Recapitulatur.* Al. *recapitulat.*

Digitized by Google

non erat operatus terram [79]) habuit substantiam ; et plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei (« omnia enim per ipsum facta sunt [80] »), et sumpsit Dominus limum a terra, et plasmavit hominem [81] : ita recapitulans in se Adam, ipse Verbum exsistens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis.

Εἰ τοίνυν (59) ὁ πρῶτος Ἀδὰμ ἔσχε πατέρα ἄνθρωπον, καὶ ἐξ ἀνδρὸς (60) σπέρματος ἐγεννήθη, εἰκὸς ἦν καὶ τὸν δεύτερον Ἀδὰμ λέγειν (61) ἐξ Ἰωσὴφ γεγεννῆσθαι· εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐκ γῆς ἐλήφθη, πλάστης δὲ αὐτοῦ ὁ Θεὸς (62), ἔδει καὶ τὸν ἀνακεφαλαιούμενον εἰς αὐτὸν, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πεπλασμένον ἄνθρωπον, τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ τῆς γεννήσεως ἔχειν ὁμοιότητα. Εἰς τί οὖν πάλιν οὐκ ἔλαβε χοῦν ὁ Θεὸς, ἀλλ' ἐκ Μαρίας ἐνήργησε τὴν πλάσιν γενέσθαι (63) ; Ἵνα μὴ ἄλλη πλάσις γένηται, μηδὲ ἄλλο τὸ σωζόμενον, ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος (64) ἀνακεφαλαιωθῇ, τηρουμένης τῆς ὁμοιότητος.

Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est ; merito dicerent, et secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem illo de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat id ipsum Verbum recapitulationem Adæ in semetipsum faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri ? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine.

CAPUT XXII [82].

Christum veram carnem ex Virgine conceptam et natum sumpsisse.

1. Ἄγαν οὖν πίπτουσι καὶ οἱ λέγοντες, αὐτὸν μηδὲν εἰληφέναι ἐκ τῆς Παρθένου, ἵν' ἐκβάλωσι τὴν τῆς σαρκὸς κληρονομίαν, καὶ ἀποβάλωνται τὴν ὁμοιότητα.

1. Errant igitur qui dicunt, cum nihil ex Virgine accepisse, ut abjiciant carnis hæreditatem, abjiciant autem et similitudinem.

Εἰ μὲν γὰρ ἐκεῖνος μὲν ἐκ γῆς καὶ χειρὶ καὶ πλάσματι Θεοῦ ἐτύγχανε τὴν οὐσίαν καὶ τὴν πλάσιν ἔχων, οὐκέτι δὲ τὴν χεῖρα καὶ τὴν ὁμοιότητα τοῦ πλάσαντος ἐφύλαξεν, ἀλλ' οὐδὲν ἐκ τοῦ ἐνοικοῦντος Θεοῦ ἐπεδείξατο, ἀτελὴς ἂν ἦν ἐν τούτοις ὁ ἄνθρωπος, καὶ οὐδὲν ἐμεγαλύνετο ὁ Θεὸς ἐπὶ τῷ πεπλακέναι τὸν ἄνθρωπον· ἐπεὶ καὶ ἡμεῖς ἐκ γῆς λαβόντες τὴν σάρκα, καὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πλασθέντες, οὐκ ἐσμὲν ἀληθινοὶ, μὴ λαβόντες τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ.

Si enim ille quidem de terra, et manu et artificio Dei plasmationem et substantiam habuit, hic autem non manu et artificio Dei ; jam non servavit similitudinem hominis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similitudinem, et inconstans (65) artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere est, et putative apparuisse eum tanquam hominem, cum non esset homo : et factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis : et si hoc non factus est, quod nos **219** eramus, non magnum faciebat, quod passus est et sustinuit. Nos autem quoniam corpus sumus de terra acceptum, et anima accipiens a Deo spiritum, omnis quicunque confitebitur. Hoc itaque factum est Verbum Dei, suum plasma in semetipsum recapitulans : et propter hoc filium hominis se confitetur, et beatificat mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram [83] (66). Et apostolus autem Paulus in ea Epistola, quæ est ad Galatas, manifeste ait : « Misit Deus Filium suum, factum de muliere [84]. » Et rursus in ea quæ est ad Romanos : « De Filio autem, inquit, ejus, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri [85]. »

2. Ἐπεὶ περισσὴ (67) καὶ ἡ εἰς τὴν Μαρίαν αὐτοῦ κάθοδος. Τί γὰρ καὶ εἰς αὐτὴν κατῆλθε, εἰ μηδὲν ἔμελλε λήψεσθαι παρ' αὐτῆς ; Ἔτι τε εἰ μηδὲν εἰλήφει παρὰ τῆς Μαρίας, οὐκ αὐτὰς ἀπὸ γῆς εἰλημμένας προσίετο τροφὰς, οὐδὲ ἐπεθύμησε γεύσασθαι γάλακτος, ὃ καὶ ἐπεθύμησε καὶ ἔλαβε, καὶ ὡμολογήθη ἐκ τῆς παρθένου τροφὴν ἔχειν τὸν Κύριον.

2. Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea ? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ a terra erant, percepisset escas, nec desiderasset lactis, quod et desideravit et accepit, et confessus est ex virgine alimoniam habere Dominum.

[79] Gen. II, 5. [80] Joan. I, 3. [81] Gen. II, 7. [82] Cap. XXXII. [83] Matth. V, 4. [84] Gal. IV, 4. [85] Rom. I, 3, 4.

(59) *Εἰ τοίνυν.* Locum hunc exscripsit Theodoretus Dial. 1, usque ad illud proximi capitis : *Si enim ille.* Idem exstat in ms. bibliothecæ Regiæ *Catena in Lucam*, cod. 2440, fol. 30, cum hac epigraphe, Εἰρηναίου εἰς τὰς αἱρέσεις.

(60) *Ἀνδρός.* Deest in Sirmondi editione, et in cit. Catena.

(61) *Λέγειν.* Superfluam vocem αὐτόν, quam addit Theodoretus, nec legit vetus interpres, omisi cum citata Catena.

(62) *Πλάστης δὲ αὐτοῦ ὁ Θεὸς*, etc. Legit interpres, καὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Λόγου ἐπλάσθη, ἔδει τὸν αὐτὸν Λόγον ἀνακεφαλαίωσιν τοῦ Ἀδὰμ εἰς ἑαυτὸν ποιοῦντα, τὴν αὐτὴν, etc. In cit. Cat. pro *ἀνακεφαλαιούμενον εἰς αὐτόν*, legitur, ἀνακεφαλαιούμενον ἐκεῖνον.

(63) *Γενέσθαι.* Deest in cit. Cat.

(64) *Σωζόμενον, ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος.* Vetus interpres legit : σωζόμενον ἢ πλάσμα, ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνο.

(65) *Inconstans.* Græce ἀσύστατον, *quod constare ac cohærere non possit.*

(66) *Hæreditabunt terram. Terram* in eo Evangelii loco Irenæum interpretari corpus et animam, ac totum denique hominem, liquet. Sensus igitur est : *Beatificat mites, quoniam ipsi corporis et animi motibus dominabuntur, atque semper compotes erunt.* Quæ et aliorum explicatio est.

(67) *Ἐπεὶ περισσὴ.* Hæc ex Theodoreti Dial. 1. Partim etiam occurrunt in supra laudata Catena, ab his scilicet verbis : Τί γὰρ καὶ εἰς αὐτὴν κατῆλθε, usque ad οὐδ' ἂν εἰς τεσσαράκοντα ἡμέρας. Hæc enim et sequentia summatim complexus auctor Catenæ, scripsit duntaxat, οὐδ' ἂν τὰ ἄλλα ὅσα σύμβολα σαρκὸς τῆς ἀπὸ γῆς εἰλημμένης ἐνεδείξατο. Tum continenter addit : Νῦν δὲ ὥσπερ διὰ παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ γῆς ἀνεργάστου πεπλασμένου, ἁμαρτωλοὶ κατέστησαν οἱ πολλοὶ, καὶ ἀπέβαλον τὴν ζωήν· οὕτως ἔδει καὶ διὰ ὑπακοῆς ἑνὸς ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ παρθένου γεγεννημένου, δικαιωθῆναι πολλοὺς, καὶ ἀπολαβεῖν τὴν σωτηρίαν. Quibus sensum, non ipsa omnino verba exprimit, istorum quæ initio num. 10, cap. præced. leguntur : *Quia quemadmodum per inobedientiam*, etc.

Digitized by Google

φὰς, δι' ὧν τὸ ἀπὸ γῆς ληφθὲν τρέφεται σῶμα· οὐδ' ἂν εἰς τεσσαράκοντα ἡμέρας, ὁμοίως ὡς Μωϋσῆς καὶ Ἠλίας, νηστεύσας ἐπείνησε, τοῦ σώματος ἐπιζητοῦντος τὴν ἰδίαν τροφήν· οὐδ' ἂν Ἰωάννης ὁ μαθητὴς αὐτοῦ περὶ αὐτοῦ γράφων εἰρήκει· « Ὁ δὲ Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο· » οὐδ' ἂν ὁ Δαβὶδ προαναπεφωνήκει περὶ αὐτοῦ· « Καὶ ἐπὶ τὸ ἄλγος τῶν τραυμάτων μου προσέθηκαν· » οὐδ' ἂν ἐδάκρυσεν ἐπὶ τοῦ Λαζάρου· οὐδ' ἂν ἔδρωσε θρόμβους αἵματος (73)· οὐδ' ἂν εἰρήκει, ὅτι « Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου· » οὐδ' ἂν νυγείσης αὐτοῦ τῆς πλευρᾶς, ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ. Ταῦτα γὰρ πάντα σύμβολα σαρκὸς, τῆς ἀπὸ γῆς εἰλημμένης, ἣν εἰς αὐτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, τὸ ἴδιον πλάσμα σώζων.

escas, per quas id, quod A à terra sumptum est, nutritur (68) corpus : nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses et Elias, jejunans esurisset corpus ejus, suam quærens escam (69) : sed nec Joannes discipulus ejus de eo scribens dixisset : « Jesus autem fatigatus in itinere (70) sedebat [86] (71); » nec David præclamasset in eum (72) : « Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt [87]; » nec lacrymasset super Lazarum ; nec sudasset globos sanguinis ; nec dixisset : « Tristis est anima mea [88]; » nec percusso latere exisset sanguis et aqua. Hæc enim omnia signa carnis, quæ a terra sumpta est, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.

3. [89] Propter hoc Lucas genealogiam, quæ est a generatione Domini nostri usque ad Adam, septuaginta duas (74) generationes habere ostendit [90]; finem conjungens initio, et significans, quoniam ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas, et universas linguas, et generationem hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est. Unde et a Paulo « typus futuri » dictus est ipse Adam [91] : quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat, præformante (75) Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spiritali salvaretur. Cum enim præexsisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, uti non vacuum sit salvans.

4. Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens : « Ecce ancilla tua, Domine (76), fiat mihi secundum verbum tuum [92]. » Eva vero in-

[86] Joan. IV, 6. [87] Psal. LXVIII, 27. [88] Matth. XXVI, 38. [89] Cap. XXXIII. [90] Luc. III, 23 seqq. [91] Rom. V, 14. [92] Luc. I, 38.

(68) *Nutritur.* Eras., Gall. et Clarom., *nutriretur*, Arund., *nutriret.*

(69) *Corpus ejus, suam quærens escam.* Græca sonant, *corpore suam quærente escam.*

(70) *In itinere.* Melius ex Græco tum Joannis, tum Theodoreti legas, *ex itinere.*

(71) *Sedebat.* Feuard. in marg. et Clarom., *sedit.*

(72) *In eum.* Vertendum erat, *de eo.*

(73) *Οὐδ' ἂν ἵδρωσε θρόμβους αἵματος.* Certissimum mihi cum doctissimo Grabio videtur, hunc Irenæi locum respexisse Epiphanium in *Ancorato* § 31, ubi citaturus verba Lucæ de sudore Christi sanguineo, ita præfatur : Κεῖται ἐν τῷ κατὰ Δουκᾶν Εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις (καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων, πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας· Ὀρθόδοξοι δὲ ἀφεῖλοντο τὸ ῥητὸν, φοβηθέντες, καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος, καὶ τὸ ἰσχυρότατον). Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἵδρωσε, etc. Volunt Petavius in notis ad hunc locum, et Grotius in *Comment. ad Luc.* XIX, modo recitata Epiphanii verba non pertinere ad subjunctum Lucæ testimonium, sed ad id quod de fletu Christi præcessit ex Lucæ XIX, nec proinde spectare ad hunc Irenæi locum, sed ad lib. I, cap. 20, al. 17, ubi Christi fletus mentio fit. Quod quam falsum sit, ex ipsis Epiphanii verbis liquet. Conqueritur Epiphanius, e Lucæ exemplaribus, improvido quorumdam Catholicorum zelo, abrasa fuisse verba aliqua. At quæ de Christi fletu scripsit Lucas a Catholicis unquam expuncta fuisse probari non potest : certissimum est e contrario, quæ de Christi agonia sudoreque sanguineo leguntur Lucæ XXII, 43, 44, a pluribus exemplaribus abfuisse. Hæc ergo duntaxat, nec alia, respicere potuit Epiphanius. Quare operæ pretium facturum me putem, si Epiphanii verba accurate et vertam et distinguam : in utroque enim peccavit Petavius. *Sed et ploravit. In iis Lucæ Evangelii exemplaribus quæ interpolata non fuerunt, legitur (eoque testimonio sanctus Irenæus in opere contra hæreses, ad eos refellendos utitur qui Christum specie tenus apparuisse dicebant; Catholici vero timore quodam inducti sententiam eam sustulerunt, illius neque finem, neque vim maximam intelligentes). Et in agonia constitutus sudavit*, etc. Jam nihil necesse est moneam, cum res ipsa per se loquatur, hunc de Christi sudore sanguineo Lucæ locum a vetustissimis Irenæi bibliorum codd. non abfuisse, adeoque certum et indubitatum ipsi visum fuisse, ut hujus auctoritate ad confutandos hæreticos utatur.

(74) *Septuaginta duas.* Isaacus Vossius pag. 323 *Castigationum* ad cap. 4 Hornii, scribit vidisse se mss. Irenæi codd. in quibus numerus ille non integris vocibus concipitur, ut vulgo, sed sic LXXV, ut nescias, utrum 72, an potius 75 iste Irenæi interpres exprimere voluerit. Sed qui sint illi mss. codices si dixisset, rem orbi litterato pergratam fecisset. Proprium ipsius exemplar, quod, Grabio teste, clariss. Dodwellus summa diligentia cum editione Feuardentii contulit, Claromontanum, quod ipse quam accurate potui, perlustravi, Ottobonianum cujus variæ lectiones mihi Roma transmissæ sunt, et alia Anglicana, nihil diversum a recepto numero LXXII exhibent : adeo ut dubitare fas non sit, quin Irenæus septuaginta duas duntaxat generationes in Evangelio Lucæ legerit. Quod nihil mirum, cum non eodem modo recenseantur istæ generationes tum a SS. Patribus, tum in ipsis Novi Test. codd. mss. Quod vero gentium et linguarum numerum generationibus æquare videatur Irenæus, in hoc consentientes habet plures e Patribus Græcis, et ex ipsis ethnicis, præcipue Ægyptiis, quosdam, quos citatos reperies apud Bochartum lib. I *Phaleg.*, cap. 25.

(75) *Præformante.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri, *prædestinante*; quod a recentiori quodam sciolo scriptum videtur, ne idem verbum repeteretur.

(76) *Ancilla tua, Domine.* Sic antiquiores et melioris notæ codd. Clarom. et Voss. cum Arund. Reliqui, *ancilla Domini.*

Digitized by Google

obediens : non obedivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exsistens (« erant enim utrique nudi » in paradiso, « et non confundebantur [94], » quoniam paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis ; oportebat enim illos primo adolescere (77) dehinc sic multiplicari) **220** inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis : sic et Maria habens prædestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc lex eam, quæ desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem ejus, qui desponsaverat, vocat [95] ; eam quæ est a Maria in Evam recirculationem significans : quia non aliter quod colligatum est solveretur (78), nisi ipsæ compagines alligationis reflectantur retrorsus : ut primæ conjunctiones (79) solvantur per secundas, secundæ rursus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a secunda colligatione solvere, secundam vero colligationem (80) primæ (81) solutionis habere locum [96]. Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros, et novissimos primos. Et Propheta autem (82) hoc idem significat, dicens : « Pro patribus (83) nati sunt tibi filii [96]. » « Primogenitus » enim « mortuorum » natus Dominus [97], et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ regeneravit. Sic autem et Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam (84) Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.

CAPUT XXIII.

Contendit adversus Tatianum, divinæ æquitati ac misericordiæ consentaneum fuisse, ut Adam primus omnium salutem a Christo consequeretur.

1. Necesse ergo fuit, Dominum ad perditam ovem venientem, et tantæ dispositionis recapitulationem facientem, et suum plasma requirentem, illum ipsum hominem salvare, qui factus fuerat secundum imaginem et similitudinem ejus, id est, Adam adimplentem tempora ejus condemnationis, quæ facta fuerat propter inobedientiam, « quæ Pater posuit in sua potestate [98] ; » quoniam et omnis dispositio salutis, quæ circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat a Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam læsus serpente qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti ; victus esset Deus, et superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus et magnanimis est, magnanimem quidem se exhibuit ad correptionem (85) hominis, et probationem omnium, quemadmodum prædiximus [99] ; per secundum autem hominem alligavit fortem, et diripuit ejus vasa, et evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Primum enim possessionis ejus vas Adam factus est, quem et tenebat sub sua potestate, hoc est, prævaricationem iniquo inferens ei, et per occasionem (86) immortalitatis, mortificationem faciens in eum. Etenim promittens futuros eos tanquam deos (quod ei non est omnino possibile), mortem fecit in eis : unde et juste a Deo recaptivatus, qui hominem captivum duxerat ;

[94] Gen. II, 25. [95] Gen. III, 8, 17, 20, 21. [96] Matth. XIX, 30, et XX, 16. [96] Psal. XLIV, 17. [97] Col. I, 18. [98] Act. I, 7. [99] Sup. cap. XX.

(77) *Oportebat enim illos primo adolescere*, etc. Peculiaris Irenæo sententia, cui non multi patrocinabantur ; primos scilicet parentes in adultæ ætate haud creatos, conjugio statim maturos non exstitisse.

(78) *Non aliter quod colligatum est solveretur*, etc. Obscurior tota hæc Irenæi argumentatio est. Mariam cum Eva confert, alterius fidem cum alterius inobedientia, alterius connubium cum alterius conjugio. Quemadmodum, inquit, Eva licet conjugata, virgo tamen, inobedientiæ culpa intricatissimis veluti nodis implicuit totum genus humanum, cui causa facta est mortis : sic et Maria desponsata viro, sed virgo, fide et obedientia nodos solvit quos Eva contexuerat, sibique et generi humano facta est causa salutis. Et propterea licet nondum nupta, sed desponsata tantum, et adhuc virgo, secundum legem tamen dicitur uxor : ut quod a fideli Mariæ connubio in Evæ nocens conjugium veluti reflectitur, distinctius significetur. Sicut enim quæ colligata sunt, pluribusque constricta nodis, in semetipsos implicatis, solvi nequeunt, nisi ab extremis fiat initium ; nec isti expediri valent, nisi vinculorum extremitates reflectantur retrorsus ; quo fit ut secundæ conjunctiones primæ omnium solvantur, nec ad primas fiat accessus, nisi secundis primum resolutis : sic et in præsenti negotio contigit. Ab Evæ connubio, propter hujus inobedientiam, cætera deinceps, usque ad illud Mariæ, molestissimis implexa nodis. Nodum prima solvit Maria fide et obedientia ; nec sibi solvit tantum, sed et solutio quæ ab ea cepit initium, velut circuitu quodam in Evam reflexa est : adeo ut primum connubium a secundo solutionem acceperit ; id est, hujus sanctitate purgatum illud fuerit. Hæc certe et quæ sequuntur, paulo subtiliora.

(79) *Conjunctiones*. Alii, *conjugationes*.

(80) *Colligatione solvere ... colligationem*. Alii, *conjugatione ... conjugationem*. Sed *solvi* libentius legerem, quam *solvere*.

(81) *Primæ*. Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *primum*.

(82) *Propheta autem*. Arund., *propheta quidem*.

(83) *Patribus*. *Tuis* quod addunt editt. omisi cum Clarom. et Voss.

(84) *Obedientiam*. Hæ voces, *obedio, obedientia, inobedientia*, non eodem modo scribuntur in codd., in his semper *obaudio, obaudientia*, in illis, modo *obedio*, modo *obaudio*, etc. Nos servata ubique eadem scribendi ratione, ex more nunc recepto constanter exaravimus, *obedio, obedientia*.

(85) *Correptionem*. Al., *correctionem*.

(86) *Per occasionem*. Id est *sub prætextu*.

Digitized by Google

soluta est autem condemnationis vinculis, qui (87) captivus ductus fuerat homo.

2. [1] Hic est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis (88) ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [2]; » nos autem omnes ex ipso : et quoniam sumus ex ipso, propterea quoque ipsius hæreditavimus appellationem. Cum autem salvetur (89) homo, oportet salvari eum qui prior formatus est homo. Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico læsus est, et prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo qui vicerit inimicum ; ereptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit. Nec victus quidem adhuc parebit (90) inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, et victos (91) duxerint captivos, et multo tempore in servitute possederint eos, ita ut generent apud eos ; et aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet : non tamen juste faciet, si filios quidem eorum qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum, qui in servitutem deduxerant patres eorum ; ipsos vero qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat 221 inimicis, propter quos et tuitionem (92) fecit : consecutis libertatem filiis ex causa paternæ vindicationis, sed non relictis (93) ipsis patribus, qui ipsam captivitatem sustinuerunt. Neque enim infirmus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini, et in suam libertatem restauravit eum.

3. [3] Propter hoc et in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait : quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo tædia et terrenum laborem, et manducare panem in sudore vultus sui, et converti in terram, ex qua assumptus est; similiter autem mulier tædia, et labores, et gemitus, et tristitias partus, et servitium, id est ut serviret viro suo : ut neque maledicti a Deo in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes Deum contemnerent (94). Omnis autem maledictio decurrit in serpentem, qui seduxerat eos. « Et dixit, inquit, Deus serpenti : Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus (95), et ab omnibus bestiis terræ [4]. » Hoc idem autem et Dominus in Evangelio his qui a sinistris inveniuntur, ait : « Abite, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus (96) diabolo et angelis ejus [5]; » significans quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei qui seduxit, et offendere fecit hominem, et, inquam (97), qui princeps apostasiæ (98) est, principi abscessionis (99), et his angelis qui apostatæ facti sunt cum eo : quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter ut illi, sine pœnitentia et sine regressu in malitiæ perseverant operibus.

4. [6] Quemadmodum Cain, cum accepisset consilium a Deo, uti quiesceret in eo (1), quod non recte divisisset eam, quæ erga fratrem erat, communicationem, sed cum zelo et malitia suspicatus est posse dominari (2) ejus, non solum non acquievit, sed et adjecit peccatum super peccatum, manifestans sententiam suam per operationem suam [7]. Quod enim cogitavit, hoc et operatus est, dominatus est, et interfecit eum, subjiciente Deo justum injusto, ut ille quidem ex iis (3), quæ passus est, justus ostendatur; hic vero per ea, quæ commisit, detegeretur injustus. Et ne sic quidem mitigatus est, nec quievit super factum malum; sed interrogatus ubi

[1] Cap. XXXIV. [2] Gen. I, 26. [3] Cap. XXXV. [4] Gen. III, 14. [5] Matth. XXV, 41. [6] Cap. XXXVI. [7] Gen. IV, 7.

(87) *Solutus ... vinculis, qui.* Vetus Feuard. cod., *solutum ... vinculum, quo.* Consonat Voss. quoad *vinculum.*

(88) *Primiformis. Protoplastum* alibi passim dicit.

(89) *Salvetur.* Al., *salvatur.*

(90) *Parebit. Pareo* passim accipit pro *appareo.* In Eras. et Gall. habetur, *parebat.*

(91) *Victos.* Editt. cum Merc. 2, *victos.*

(92) *Tuitionem.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *ultionem.*

(93) *Sed non relictis.* Particulam negativam omnino expungendam esse vult Grabius; sed frustra. Mala interpunctio erudito viro errorem objecit. Sensus est : *Cum ita consecuti sint libertatem filii ex causa paternæ vindicationis, ut tamen non relinquantur ipsi patres.*

(94) *Contemnerent.* In Feuard. marg., *condemnarent;* pro quo in Voss., *condampnarent*, in Arund. *condempnarent.*

(95) *Ab omnibus pecoribus.* Id est, *inter omnia pecora*, vel *super omnia pecora.*

(96) *Quem præparavit Pater meus.* Legit Irenæus cum Cantabrig. cod. et aliis quibusdam, ὃ ἡτοίμασεν ὁ Πατήρ μου. Ea est etiam lectio antiquæ versionis Italicæ, quam edidit dominus Martianæus noster.

(97) *Et, inquam. Et* addidi ex Feuard. marg. et ex codd. Clarom. et Vaticano; quamvis in hoc, Latinio teste, ut et in Feuard. marg. perperam legatur, *et in quem.* At mallem, *et, inquam.*

(98) *Princeps apostasiæ.* Feuard. in marg. et Clarom., *princeps apostatæ.*

(99) *Principi abscessionis.* Glossema est, quod a quopiam explicationis gratia scriptum ad marginem, in textum dein irrepsit.

(1) *Uti quiesceret in eo.* Chrysostomus, Cyrillus, Graeci omnes, (Feuardentii observatio est), ita hunc locum reddunt, LXX versionem istam secuti : Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. Hoc est : *Annon si recte obtuleris, recte autem non distribueris, peccasti? quiesce.* Sicque volunt Cain his verbis admonitum a Deo, ut recte divideret in fratrem dilectionis officia, non autem felicitati invideret. Hieronymus in *Quæst. Hebr.* testatur illa verba in fonte Hebraico non haberi; Eugubinus vero copiose docet unde processerint.

(2) *Ejus.* Ita Græcorum more Feuard. in marg., Ottob., Clarom., Arund. et Voss. Alii, *ei.*

(3) *Ex iis.* Editt., *per eos.*

Digitized by Google

esset (4) frater ejus? « Nescio, ait : nunquid custos fratris mei sum ego [8]? » extendens et multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem, multo pejus sic audacter et irreverenter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum. Propter hoc et ipse maledictionem portavit, quoniam a se peccatum tulit (5), non reveritus Deum, neque confusus in fratricidio (6).

5. [9] Circa Adam autem nihil tale factum est, sed omnia in contrarium. Ab altero enim seductus sub occasione (7) immortalitatis, statim timore corripitur, et absconditur : non quasi possit effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus præceptum ejus, indignus est venire in conspectum et colloquium Dei. « Timor » autem « Domini initium intelligentiæ [10] ; » intellectus vero transgressionis fecit pœnitentiam : pœnitentibus autem largitur benignitatem (8) suam Deus. Etenim per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, exsistentibus et aliis foliis multis, quæ minus corpus ejus vexare potuissent : condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei; et retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem et puerilem amiserat sensum (9), et in cogitationem pejorum (10) venerat, frenum continentiæ sibi et uxori suæ circumdedit, timens Deum, et adventum ejus exspectans, et velut tale quid significans : Quoniam, inquit, eam quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et nunc cognosco quod sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem et pungit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos. Propter hoc autem et interrogat eos, uti ad mulierem veniret accusatio; et illam rursus interrogat, uti ad serpentem transmitteret causam (11). Dixit enim quod fuerat factum : « Serpens, ait, seduxit me **222**, et manducavi [11]. » Serpentem vero non interrogavit, sciebat enim eum principem transgressionis factum : sed maledictum primo immisit in eum, uti secunda increpatio (12) veniret in hominem. Eum enim odivit Deus, qui seduxit hominem; ei vero qui seductus est, sensim paulatimque misertus est.

6. Quapropter et ejecit eum de paradiso, et a ligno vitæ longe transtulit : non invidens ei lignum vitæ, quemadmodum quidam audent dicere (13), sed miserans ejus, ut non perseveraret semper transgressor; neque immortale esset quod esset circa eum peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem ejus transgressionem, interponens mortem, et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quæ fieret in terra: uti cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei, inciperet vivere Deo.

7. [12] Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem, et semen ejus, observantes invicem : illo quidem cui morderetur (14) planta, et potente (15), calcare caput inimici; altero vero mordente, et occidente et interpediente, ingressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus Mariæ, de quo ait Propheta [13] : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; » significans quia illud quod erigeretur et dilataretur adversus hominem peccatum, et frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante morte; et conculcaretur ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est Antichristus; et draconem illum, serpentem vetustum, alligans et subjiciens potestati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem ejus virtutem. Victus autem erat Adam, ablata ab eo omni (16) vita : propter hoc victo rursus inimico recepit vitam Adam; « novissima » autem « inimica evacuatur mors [14], » quæ primum possederat hominem. Quapropter liberato homine, « fiet quod scriptum est : Absorpta est mors in victoria; ubi est mors victoria tua? Ubi est mors

[8] Gen. IV, 9. [9] Cap. XXXVII. [10] Psal. CX, 10 et Prov. I, 7. [11] Gen. III, 13. [12] Cap. XXXVIII. [13] Psal. XC, 13. [14] I Cor. XV, 26.

(4) *Ubi esset. Abel* additur in editt. Sed deest in omnib. mss.

(5) *A se peccatum tulit.* Ita partim ex Clarom., partim ex Merc. 2, codd. reposui. In Clarom. legitur, *a se;* in Merc. 2, *tulit.* In aliis omnibus perperam et sine sensu, *ad se peccatum attulit.* Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrat quod præcedit : *multo pejus sic respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari,* id est fallere *eum.* Inde ergo *maledictionem portavit, quoniam a se peccatum tulit;* id est, quoniam a se peccatum abstulit, ablegavit, perpetrasse se dissimulavit.

(6) *Fratricidio.* Feuard. in marg., Clarom. et Arund., *parricidio.*

(7) *Sub occasione.* Sic πρόφασιν vertere amat interpres. Peritior alter hic *prætextum* reddidisset. Sed de his monere deinceps superfluum.

(8) *Benignitatem.* Arund., *bonitatem.*

(9) *Quoniam indolem et puerilem amiserat sensum.* Horum explicationem habes supra cap. 22, n. 4 : *Quoniam,* inquit, *paulo ante facti* (Adam et Eva) *non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari.* Supponit igitur Irenæus, Adamum non nisi post lapsum amissa pristina indole puerili adolevisse, et conjugio maturum evasisse.

(10) *Pejorum.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam alii, *pejorem.*

(11) *Causam.* Feuard. in marg., Clarom. et Voss., *causas.* Suspicor autem Irenæum Græce scripsisse, αἰτίαν, quod melius vertisset interpres, *culpam.*

(12) *Increpatio.* Ita pro *increpatione* posui ex Clarom. et Voss.

(13) *Quidam audent dicere.* Sic cod. Clarom. In Feuard marg. et Voss., *audet quidam dicere.* In cæteris, *quidam dicunt.*

(14) *Morderetur.* Clarom., *mordetur.*

(15) *Et potente.* Sensus est : cum ille quidem, cui morderetur planta, potens etiam esset, etc.

(16) *Omni.* Deest in Eras. et Gall.

Digitized by Google

aculeus tuus [15]? » Quod non poterit (17) juste dici, A si non ille liberatus fuerit, cui primum dominata est mors. Illius enim salus, evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, id est Adam, evacuata est et mors.

8. [16] Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti, semper seipsos excludentes a vita, in eo quod non credant inventam ovem quæ perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is, qui prior hanc sententiam, imo hanc ignorantiam et cæcitatem induxit, Tatianus; connexio quidem factus omnium hæreticorum (18), quemadmodum ostendimus: hoc autem a semetipso adinvenit, uti novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores sibi præpararet, affectans magister haberi, tentans et subinde uti hujusmodi a Paulo assidue dictis: Quoniam « in Adam omnes morimur [17]; ignorans autem, quoniam « ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia [18]. » Ostenso ergo hoc manifeste, erubescant omnes qui ab eo sunt, et concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non salvetur, quando (19) magis nihil proficiant; quemadmodum et serpens nihil profecit dissuadens (20) homini, nisi illud quod eum transgressorem ostendit, initium et materiam apostasiæ suæ habens hominem (21); Deum autem non vicit. Sic et hi, qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, ni i hoc, quod semetipsos hæreticos et apostatas faciunt veritatis, et advocatos se C serpentis « t mortis ostendunt.

CAPUT XXIV [19].

Summatim repetit quæ hactenus adversus varias Gnosticorum impietates disseruit. Hæreticis vero ad omnem doctrinæ ventum fluctuantibus opponit unam, sibique semper et ubique constantem Ecclesiæ doctrinam.

1. Traductis igitur omnibus, qui nefandas inferunt sententias de factore et plasmatore nostro, qui et hunc mundum fabricatus est, super quem alius Deus non est; et ipsis ostensionibus (22) eversis his, qui de substantia Domini nostri, et de dispositione quam fecit propter hominem suum, falsa (23) docent; prædicationem vero Ecclesiæ undique (24) constantem, et æqualiter perseverantem, et testimonium habentem a prophetis et ab apostolis, et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus (25) per initia, et medietates, et finem (26), et per universam Dei dispositionem, et eam quæ secundum salutem hominis est (27) solitam operationem (28), quæ est in fide nostra; quam perceptam B ab Ecclesia custodimus, et quæ semper a Spiritu **223** Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum (29) juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem (30) plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur: et in eo disposita (31) est communicatio Christi, id est Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum. « In Ecclesia enim, inquit, posuit Deus apostolos, prophetas, doctores [20], » et universam reliquam operationem Spiritus: cujus non sunt participes omnes, qui non currunt (32) ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos (33)

[15] I Cor. xv, 54 seqq. [16] Cap. XXXIX. [17] I Cor. xv, 22. [18] Rom. v, 20. [19] Cap. XL. [20] I Cor. xii, 28.

(17) *Poterit.* Sic Feuard. in marg. et Clarom. D melius quam reliqui, *poterat.*

(18) *Connexio quidem factus omnium hæreticorum.* Quia ejus hæresis nihil aliud erat, quam incomposita variorum errorum congeries.

(19) *Quando.* Al. perperam, *quanto.*

(20) *Dissuadens.* (Scilicet obedientiam Dei mandato.) Ita Clarom., Arund. et Voss. Reliqui, *suadens.*

(21) *Initium et materiam apostasiæ suæ habens hominem.* Quia, ut explicat lib. IV, cap. 41, n. 1, *zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est.* Sentire nimirum videtur Irenæus (quæ et quorumdam e veteribus sententia fuit), angelum invidia commotum, quod ex subjecta sibi natura homo ad imaginem Dei conditus esset, id iniquo animo tulisse.

(22) *Ipsis ostensionibus.* Pro *per ipsas ostensiones.*

(23) *Falsa. Falso* in ms. Voss.

(24) *Undique.* In Feuard. marg., Clarom. et Voss., *utique*, forte pro *ubique.*

(25) *Quemadmodum ostendimus.* Pro *veluti demonstravimus;* adeo ut sensus sit: *Prædicationem Ecclesiæ veluti demonstravimus, per initia*, etc., ita ut *quemadmodum* cadat super *per initia.* Quanquam malleni abesse illam vocem.

(26) *Per initia, et medietates, et finem.* Recte intelligit Grabius ea quæ inter ipsa temporum initia in creatione gesta sunt, quæque postea intermediis sæculis prophetarum, in fine denique Christi et apostolorum ævo contigerunt. Hæc enim omnia percurrens Irenæus, undique argumenta pro fide Ecclesiæ deprompsit.

(27) *Quæ secundum salutem hominis est.* Id est, quæ ad salutem hominis spectat.

(28) *Solitam operationem.* Ita Clarom. et Voss. In edilt., *solidam operationem.* In Merc. 1, *opinionem.*

(29) *Depositum.* Clarom., Voss. et Merc. 2, *dispositum.*

(30) *Ad inspirationem.* Sic in Clarom. pro quo vitiose et scribarum oscitantia in Voss. et vet. Feuard. cod., *ab inspiratione.* In cæteris *aspiratio.* Sed præferenda lectio nostra, cujus sensus est fidei munus Ecclesiæ creditum esse velut ad animationem (id enim sonat *inspiratio*) Dei opificii, ut nimirum huic vitam impertiret, quemadmodum anima corpori.

(31) *Disposita.* Legi mallem *deposita.*

(32) *Currunt.* Edilt., *concurrunt.*

(33) *Lacus detritos.* Id est, *lacus contritos.* In Græco LXX, λάκκους συντετριμμένους. *Cisternas dissipatas* vertit Vulgatus interpres.

Digitized by Google

de fossis terrenis [21], et de cœno putidam (34) bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur; rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur.

2. Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, et nunquam sententiam (35) stabilitam (36) habentes; sophistæ verborum magis volentes esse quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam (37) petram, sed super arenam, habentem in seipsa lapides multos. Propter hoc et multos deos fingunt, et quærere quidem semper in excusatione habent (cæcutiunt enim) invenire vero nunquam possunt. Blasphemant enim fabricatorem, hoc est, eum qui est vere Deus, qui et præstat invenire; putantes se super Deum alterum invenisse Deum, vel alterum plenitudinem, vel alteram dispositionem. Quapropter et lumen, quod est a Deo, non lucet eis, quoniam inhonoraverunt et spreverunt Deum, minimum arbitrantes eum (38), quoniam propter dilectionem suam, et immensam benignitatem, in agnitionem venit hominibus (39) : (in agnitionem autem (40) non secundum magnitudidem, nec secundum substantiam; nemo enim mensus est eam, nec palpavit; sed secundum illud, ut sciremus, quoniam qui fecit, et plasmavit, et insufflationem vitæ insufflavit in eis, et per conditionem nutrit nos, Verbo suo confirmans, et Sapientia (41) compingens omnia, hic est qui est solus verus (42) Deus); cum vero, qui non est, somniantes super hunc, ut magnum Deum putentur adinvenisse, quem nemo possit cognoscere humano generi communicantem, nec terrena administrantem : Epicuri videlicet invenientes Deum (43), neque sibi, neque aliis aliquid præstantem, id est, nullius providentiam habentem.

CAPUT XXV [22]

Regi hunc mundum providentia unius Dei qui infinita simul præditus sit justitia, ut malos plectat, atque bonitate, ut piis benefaciat et salutem impertiatur.

1. Providentiam autem habet Deus omnium, propter hoc et consilium dat; consilium autem dans adest his, qui morum providentiam habent (44). Necesse est igitur ea, quæ providentur et gubernantur, cognoscere suum directorem (45); quæ quidem non sunt irrationabilia, neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et propter hoc ethnicorum quidam, qui minus illecebris ac voluptatibus servierunt, et non in tantum superstitione idolorum coabducti (46) sunt, providentia ejus moti, licet tenuiter, tamen conversi sunt, ut dicerent fabricatorem hujus universitatis Patrem omnium providentem, et disponentem secundum nos mundum.

2. [23] Rursus ut increpativum auferrent a Patre, et judiciale (47), indignum id Deo putantes, et sine iracundia et bonum arbitrantes se adinvenisse Deum, alterum quidem judicare, et alterum quidem salvare dixerunt; nescientes, utrorumque auferentes sensum (48) et justitiam. Si enim judicialis non et bonus sit, ad donandum quidem his quibus debet, et ad exprobrandum his quibus oportet, neque justus neque sapiens videbitur judex. Rursus bonus, si hoc tantum sit bonus, non et probator, in quos immittat (49) bonitatem; 224 extra justitiam erit et bonitatem, et infirma bonitas ejus videbitur, non omnes salvans, si non cum judicio fiat.

3. [24] Marcion igitur ipse dividens Deum in duo, alterum quidem bonum, et alterum judicialem dicens, ex utrisque interimit Deum. Ille enim qui judicialis, si non et bonus sit, non est Deus, quia Deus non est, cui bonitas desit : et ille rursus

[21] Jerem. II, 13. [22] Cap. XLI. [23] Cap. XLII. [24] Cap. XLIII.

(34) *Putidam*. Editt., *putridam*.

(35) *Sententiam*. In editt., *scientiam*.

(36) *Stabilitam*. Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri, *stabilem*.

(37) *Unam*. Eras., Gall. et Feuard. minus bene *visam*; quia mox sequitur, *arenam habentem... lapides multos*.

(38) *Minimum arbitrantes eum*. Id est, ὀστερήματος χαρπόν, *labis fructum* arbitrantes eum, ut alibi passim dicit.

(39) *Hominibus*. Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam alii, *hominis*, quia paulo post sequitur, *insufflavit in eis*.

(40) *In agnitionem autem*. *In* addidi auctoritate cod. Clarom.

(41) *Confirmans, et Sapientia*. In Arundel. alio ordine : *et Sapientia confirmans*. Sed utrum priori membro habeatur *compingens*, non dicit Grabius. Quidquid sit, recte monet per *Verbum* Filium Dei; per *Sapientiam* Spiritum sanctum hic intelligi. Alludit Irenæus ad illud psal. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*.

(42) *Verus*. Editt., *vere*.

(43) *Epicuri invenientes Deum*. Id est, ait Feuardentius, otiosum et qui curam nullam habeat rerum creatarum. Talem enim Deum finxisse Epicurum, testes sunt Clemens Alexand., Theophilus, Justinus, Lactantius, Laertius, Plutarchus, et Cicero. Deum, qualem fingebat Marcion, Tertullianus quoque lib. IV, vocat *Deum Epicuri*. Et lib. I, *Epicurum Marcionis consiliarium* appellat.

(44) *Qui morum providentiam habent*. In Clarom. legitur, *habet* pro *habent*; quæ lectio si cui placeret, legere deberet etiam *is* pro *his*; idque eodem codice niti facile posset, in quo passim scribitur *his* pro nominativo *is*. Monet vero Billius lib. II *Observ. sacr.* cap. 5, *morum curam habere*, ad imitationem Græcorum dictum esse pro *morum curam gerere*, hoc est, instituendis componendisque moribus operam dare.

(45) *Directorem*. Editt. cum Arund. et Merc. 2, *rectorem*.

(46) *Coabducti*. Editt., *abducti*.

(47) *Increpativum... et judiciale*. Recte monet Feuardentius, *increpativum et judiciale* hic vocari quod Græcis est τὸ ἐλεγκτικὸν καὶ κριτικόν, id est *potestatem, seu vim redarguendi et judicandi*; vel τὸ ἐπιτιμητικόν, id est *vim puniendi*.

(48) *Sensum*. Græce νοῦν, *intellectum, sapientiam*.

(49) *Immittat*. In aliis *emittat*.

Digitized by Google

qui bonus, si non et judicialis, idem quod hic patietur, ut auferatur ei ne sit Deus. Quemadmodum autem et sapientem dicunt Patrem omnium, si non et judiciale ei assignent? Si enim sapiens, et probator est; probatori autem subest judiciale; judiciale autem assequitur justitia, ut juste probet; justitia provocat judicium (50); judicium autem, cum fit cum (51) justitia, transmittet ad sapientiam. Sapientia igitur præcellet Pater super omnem humanam et angelicam sapientiam, quoniam Dominus, et judex, et justus, et dominator super omnes. Est enim et bonus, et misericors, et patiens, et salvat quos oportet : neque bonum ei deficit juste effectum (52), neque sapientia deminoratur : salvat enim quos debet salvare, et judicat dignos judicio : neque justum immite ostenditur, præeunte scilicet (53) et præcedente bonitate.

4. [28] Qui igitur solem suum oriri facit omnibus benigne Deus, et pluit super justos et injustos, judicabit eos, qui ex æquo benignitatem ejus percipientes, non similiter secundum dignationem (54) munerationis ejus conversati sunt; sed in deliciis et luxuriis versati sunt adversus benevolentiam ejus, adhuc et blasphemantes eum, qui tanta beneficia in eos fecerit.

5. [26] Quibus religiosior Plato ostenditur, qui eumdem Deum et justum, et bonum confessus est, habentem potestatem omnium, ipsum facientem judicium, sic dicens : « Et Deus quidem (55), quemadmodum et vetus sermo est, initium, et finem, et medietates omnium quæ sunt habens, recte perficit, secundum naturam circumiens : hunc autem semper consequitur justitia ultrix in eos qui deficiunt a lege divina [27]. » [28] Et iterum factorem et fabricatorem hujus universitatis bonum ostendit. « Bono autem, inquit (56), nulla unquam de quoquam nascitur invidia [29] : » hoc initium et causam fabricationis mundi constituens bonitatem Dei; sed non ignorantiam, nec Æonem qui erravit, nec labis fructum, nec Matrem plorantem et lamentantem, nec alterum Deum, vel Patrem.

6. Juste autem eos Mater planget, talium excogitatores et adinventores : digna enim commentati, et commentiti (57) sunt in capita sua, quoniam Mater ipsorum extra Plenitudinem est, id est extra Dei agnitionem, et collectio eorum abortio facta est, informis et sine specie : nihil enim de veritate apprehendit; in vacuum et in umbram decidit; vacua enim doctrina ipsorum et intenebrata : et Horus eam non permisit introire in Pleroma; non enim recepit eos Spiritus in refrigerium. Pater enim ipsorum ignorantiam generans (58), mortis passiones in eis operatus est. Hæc non nos diffamamus, sed ipsi confirmant, ipsi docent, gloriantur in ipsis, altum sentiunt de Matre, quam sine patre dicunt genitam, hoc est sine Deo, feminam a femina, quod est ex errantia corruptelam.

7. Nos autem precamur non perseverare eos in fovea, quam ipsi foderunt, sed segregari ab hujus-

[28] Cap. XLIV. [26] Cap. XLV. [27] Lib. IV, *De legib.*, tom. II, pag. 715, edit. Serr. [28] Cap. XLVI. [29] In *Timæo*, tom. III, p. 29.

(50) *Assequitur justitia, ut juste probet; justitia provocat judicium.* Sic Feuard. in marg. Clarom., Voss. et Grab. Cæteri vitiose *assequitur justitiam; ut juste probet justitiam, provocat judicium.* In eo vero commate, *assequitur justitia*, vocem *justitia* in ablativo casu accipio pro *per justitiam.* Quod autem Grabius suspicatur legendum : *assequitur justitia. Nam ut juste*, etc., in hoc assentiri doctissimo viro non possum, uti nec interpunctionem ejus sequi. Illud advertit sane Irenæum a *probatione* gradatim ascendere ad *sapientiam*, ac proinde omnia secum optime cohærere.

(51) *Fit cum.* Alii male distincte textu, *sit, cum.*

(52) *Juste effectum.* Ita ex Feuard. marg. reposui. In cod. Arund. quem secutus est Grabius, *justi effectu*, nec male. In aliis corrupte, *justi effectum.* Sed prior lectio magis quadrare videtur ad id quod paulo post sequitur : *neque justum immite ostenditur.*

(53) *Scilicet.* Al. perperam, *licet.*

(54) *Non similiter secundum dignationem*, etc. Id est, ut recte explicat Grabius, non congruam eximiis divinæ bonitatis muneribus vitam duxerunt.

(55) *Et Deus quidem.* Locus hic Platonis exstat dialogo quarto *De legibus*, cujus Græca hæc verba sunt, in edit. Serrani to. II, pag. 715 : Ὁ μὲν δὴ θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθεῖαν περαίνει, κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. Τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. Ubi, inquit Feuardentius, εὐθεῖαν περαίνει, quod vertit Irenæi interpres, *recte perficit*, Ficinus reddit, *recta peragit.* Ego forsan melius dixerim, *recta pergit.*

(56) *Bono autem, inquit*, etc. Locum ex quo Irenæus citata verba deprompsit, indicare omiserant Erasmus, Gallasius et Feuardentius. His omnibus diligentior refert Grabius. Is est in *Timæo* to. III, edit. Serrani pag. 29, ubi Plato expresse ait, quod ὁ δημιουργὸς ἀγαθὸς, *mundi opifex bonus sit*, quodque contrarium *dictu nefas exsistat*, μηδ' εἰπεῖν τινι θέμις. Et post alia, in fine dictæ paginæ sequentia habet verba, quibus et ista ab Irenæo allegata continentur : Λέγομεν δὴ, δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. Τούτου δὲ ἐκτὸς ὢν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. Ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ' ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν. Quæ Joannes Serranus ita Latine reddidit ampliora : *Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus est, ut originem rerum, et molitionem hujus admirabilis universi constitueret. Bonitate videlicet præstabat : in bonum autem nulla de ulla unquam re cadit invidia* (id est, nullam rem ulli unquam invidet). *Cum ab illa igitur liber et immunis esset, omnia valuit quam maxime sibi similia generari. Hanc gignendi mundi principem primariamque causam qui e sapientium hominum sententia statuerit, rectissime profecto statuerit.*

(57) *Commentati et commentiti.* Duas priores voces ex vet. cod. adjecit Feuard. Desunt vero in Eras., Gall., Clarom., Arund. et Merc. 2. Voss. econtrario duas posteriores omittit. Denique Merc. 2 codd. habent, non *commentiti*, sed *commenti.*

(58) *Generans.* Al., *regenerans.*

Digitized by Google

modi Matre, et exire a Bytho, et absistere (59) a Vacuo, et Umbram derelinquere : et legitime eos generari, conversos ad Ecclesiam Dei, et formari Christum in eis, et cognoscere eos fabricatorem et factorem hujus universitatis, solum verum Deum, et Dominum omnium. Hæc precamur de illis, utilius eos diligentes, quam ipsi semetipsos putant diligere. Quæ enim est a nobis dilectio, cum sit vera, salutaris est eis, si quidem eam reciplant. Est enim austero medicamini similis, absumens impropriorem (60) ac superfluam vulneris A carnem : elationem enim illorum et inflationem evacuat. Quapropter tentantes omni virtute manum porrigere eis, non tædebit nos. Prorogabimus (61) autem super hæc, quæ dicta sunt, in sequenti libro Domini sermones inferre, si quos ex his per ipsam Christi doctrinam convincentes, suadere possimus cessare ab ejusmodi errore, et absistere ab ea blasphemia, quæ est in fabricatorem ipsorum, qui et solus est Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi. Amen (62).

ANALYSIS LIBRI QUARTI.

225 Quemadmodum auctor noster libro superiore ipsis, ut ille loquitur, *apostolorum sententiis*, hæreticorum confutaverat errores : ita eosdem hoc in libro *sermonibus Christi* a se denuntiat esse refellendos [30]. Quapropter illud principio firmum fixumque statuit, neminem a Christo, nisi suum Patrem, vocari Deum [31]. Quod quidem, ut non ex novo tantum, sed Veteri etiam Testamento probet, perspicuum primo facit, *Moysis litteras verba esse Christi*, atque prophetas omnes sacro divini Verbi afflatu sua fudisse oracula, suos scripsisse libros, suasque epistolas, et commentaria. Hinc in apertum demonstrandæ veritatis campum excurrit, atque ex Christi ipsius, nec non Moysis etiam et Isaiæ verbis probat, unicum esse Deum, totius mundi creatorem [32]. Tum tela quædam, sed levi brachio ab adversariis ex futuro mundi fine et eversione Hierosolymæ vibrata, egregie retundit [33].

Aliud autem, et quod acrius quidem urget, argumentum inde elicit, quia Christus cum antiquis patriarchis ac prophetis se et videndum præbuit, et cum iis locutus est, manifestam plane eisdem fecerit unius Dei, Patris sui, divinitatem [34]. Nec auctorem nostrum vel minimum morantur objecta ab hæreticis Christi verba : *Nemo cognoscit Patrem nisi Filius*, etc., quibus Patrem ante ejusdem Christi nativitatem omnibus incognitum fuisse causabantur. Etenim veram hujusce loci et lectionem et sensum pro se facere ostendit [35]. Deinde assertionem suam aliis confirmat Christi Domini apparitionibus, quibus a Moyse, et Aarone, ac potissimum Abrahamo visus est [36]. Ex quibus erroris arguit Marcionitas, qui eumdem Abrahamum a salute per Christum impertita excludebant, ostenditque Christum et Abrahæ et seminis ejus, fidelium scilicet, vindicem et servatorem exstitisse [37].

Subinde contra eosdem hæreticos asserit, Christum Moysis legem implevisse quidem, sed non solvisse; ac Vetus Testamentum, sicut et Novum, unius ejusdemque Dei esse opus [38]. Unde ad propositum suum recte concludit, eumdem esse Patrem, qui in Veteri ac Novo Testamento a Christo per Moysen et prophetas est annuntiatus [39]. Quod sane tum ex eodem utriusque Testamenti scopo et fine, tum ex reprobatis a Christo traditionibus ac moribus Veteri repugnantibus, tum ex statuta in utroque, sed in Novo extensa et ampliata diligendi Dei lege mire confirmat [40]. Cum autem hæretici plura in veteri fœdere contraria novo esse objicerent, huic argumento fuse respondet, ostenditque cur Deus Israelitis Mosaicam imposuerit legem, cujus jugum ac vincula deinceps abstulit, atque ab illis voluerit victimas offerri, sicuti a Christianis eucharisticum corporis et sanguinis Christi sacrificium; quod in sola Ecclesia catholica cum simplicitate ac justitia verum ac purum offerri Deo probat [41].

Variis post hæc Scripturæ sacræ locis absurdum omnino et fatuum esse probat, alium præter unum Deum investigare aut *Bythum*, aut *Pleroma*, vel *Æones*. Nam quamvis ille a nobis non possit comprehendi, eum tamen ex creatione mundi, quem per Verbum Spiritumque sanctum condidit, facile cognoscimus. Atque in ejusce veritatis firmamentum adducit Pastoris seu Hermæ auctoritatem. At quia hæretici Filium Dei prophetis apparuisse pertinacius negabant; hunc ab iis conspectum triplici, quod ex eorumdem visionibus, verbis et rationibus eruitur, conficit argumento. Imo vero eosdem prophetas illius afflatu locutos esse demonstrat [42].

Qua quidem ex doctrina scite colligit, in eorumdem prophetarum vaticinlis fieri de Christo sermonem; unamque et eamdem fuisse Abrahæ fidem, et nostram, quam veteres patriarchæ et docti et facti multipliciter præsignificarunt; viam posteris ad Christi fidem munientes [43]. Sed quoniam omnis prædictio, antequam eventum suum sortiatur, obscura est, inde concludit Christum in iis, sicut thesaurum in agro absconditum, delituisse. Quamobrem ut ille cognoscatur, ad seniorum, qui veros Scripturæ sensus ab apostolis didicerunt, traditionem recurrendum esse planissime evincit. Prudenter itaque monet iis solis, quibus creditum fuerat fidei Christianæ depositum, episcopis, qui successionem ducunt ab apostolis habendam fidem, et cum iis, et ipso cum apostolo suscipiendam ab omnibus publicam unius Dei professionem [44].

Hanc autem variis objectionibus cum impugnarent hæretici, eas singulatim recenset, et solidis senioris

[30] Præf. [31] Cap. 1. [32] Cap. 2 et seq. [33] Cap. 3 et 4. [34] Cap. 5 et seqq. [35] Cap. 6. [36] Cap. 7. [37] Cap. 8. [38] Ibid. et cap. 9. [39] Cap. 10 et seq. [40] Cap. 12 et seq. [41] Ibid. et cap. 14 et seqq. [42] Cap. 19 et seq. [43] Cap. 21 et seqq. [44] Cap. 26.

(59) *Absistere*. Eras., Gall., Feu. et Merc. 2, *abstinere*.

(60) *Impropriorem*. Alii, *improbiorem*.

(61) *Prorogabimus*. In Feuard. edit. ex vet. cod. ut et in Voss. et Grab., *prorogavimus*. In aliis pejus, *prærogavimus*.

(62) *Amen*. Hanc vocem addidi ex Clarom., Oxob. et Voss.

Digitized by Google

cujusdam, qui adversus illos sæpius disputaverat, allatis ut plurimum responsionibus, infirmat et penitus diluit. Quæ quidem omnia apostolorum corroborat auctoritate, qua duo Testamenta, Vetus et Novum, ab uno et eodem Deo profecta invicte asseruntur[46]. At iis firmam, inquit, fidem qui habuerit, ille certe omnia judicabit, gentes, Judæos, Marcionitas Christum hominem 226 esse negantes, Valentinianos vana de *Pleromate*, et de *Æonum* suorum *emissionibus somniantes* : judicabit et Gnosticos, atque Ebionitas, qui Christum merum hominem, et alios qui eum fictum duntaxat et simulatum prædicabant, ac denique pseudoprophetas, et omnes schismaticos atque hæreticos[48].

Vera autem, pergit Irenæus, doctrinæ Christianæ cognitio repetenda est ex traditionibus Ecclesiæ, quæ sola et semper martyres suos habuit. Horum autem typi et figuræ sunt antiqui prophetæ, ex quibus persecutiones justorum non solum prænuntiatæ sunt, sed unus et idem, variis licet modis, prædictus est Christus[47]. Quamobrem Marcionitas aliosque hæreticos, *ab altero Deo dicentes esse prophetas*, non solum corripit, sed vanas radicitus extrahit eorum rationes[48]. Nec minore impetu concutit Valentinianos, qui sacras Scripturas vel a summo, vel a medio *Pleromate*, vel etiam a mundi conditore, a quo prophetas missos opinabantur, profectas esse contendebant. Catholici vero omnes, addit auctor noster, magno consensu affirmant ab uno et eodem Deo, qui vere prophetas misit, creata esse omnia[49]. Quod quidem non modo ex parabolis, sed ipsis etiam probat Christi Domini verbis[50].

Ex quibus opinionem eorum evertit, qui quosdam ex natura sua bonos, malos vero alios asserebant[51]. Argumentis autem illorum ut faciat satis, dilucide explicat cur angeli et homines a creationis suæ exordio tantæ non fuerint perfectionis, ut amplius peccare non possent. Neque tamen humana, inquit doctus vir, infirmitas in Deum idcirco est refundenda[52]. Nam homo, cum liber sit creatus, ipse sui boni et mali auctor est; atque idcirco aut pœnis, aut præmiis a Deo jure merito afficitur. Unus itaque idem ipse Deus est, qui ea omnia, sicuti ex zizaniorum parabola liquet, hominibus decernit[53]. Denique cur impii vocentur filii diaboli, edisserit : et postquam libri sequentis exposuit argumentum, huic libro imponit coronidem[54].

LIBER QUARTUS.

227 PRÆFATIO.

1. Hunc quartum (63) librum, dilectissime, transmittens tibi, operis quod est de detectione et eversione falsæ cognitionis, quemadmodum promisimus, per Domini sermones ea quæ prædiximus, confirmabimus (64): uti et tu, sicut postulasti, undique a nobis accipias occasiones ad confutandos omnes hæreticos, et eos omnimodis retusos non longius sinas in erroris procedere (65) profundum, neque ignorantiæ præfocari pelago; sed convertens eos in veritatis portum, facias suam percipere salutem.

2. Eum autem qui velit eos convertere, oportet diligenter scire regulas sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi (66) tradidimus; in quo et ostendimus doctrinam eorum recapitulationem esse omnium hæreticorum. Quapropter et in secundo tanquam speculum (67) habuimus eos totius eversionis. Qui enim his contradicunt secundum quod oportet, contradicunt omnibus qui sunt malæ sententiæ; et qui hos evertent (68), evertunt omnem hæresim.

3. Super omnes est enim blasphema regula ipsorum : quandoquidem factorem et fabricatorem, qui est unus Deus, secundum quod ostendimus, de labe sive defectione eum emissum dicunt. Blasphemant autem et in Dominum nostrum, abscindentes et dividentes Jesum a Christo, et Christum a Salvatore, et Salvatorem rursum a Verbo, et Verbum ab Unigenito. Et quemadmodum fabricatorem ex labe sive defectione emissum dicunt; sic et Christum et Spiritum sanctum propter labem emissum (69) docuerunt, et Salvatorem ab iis Æonibus qui a labe emissi sunt (70), fructificationem esse; ut nihil sit apud eos sine blasphemia. In eo igitur, qui ante hunc est, libro ostensa est de his omnibus sententia apostolorum, quoniam non solum nihil tale senserunt « qui ab initio speculatores et ministri fuerunt verbi » veritatis [55] ; sed et prædicaverunt nobis fugere hujusmodi sententias, 228 Spiritu providentes (71) eos qui seducturi erant simpliciores.

[46] Cap. 27 et seqq. [47] Cap. 33. [48] Ibid. [49] Cap. 34. [50] Cap. 35. [51] Cap. 36. [52] Cap. 37. [53] Cap. 38. [54] Cap. 39 et seq. [55] Cap. 41. [55] Luc. 1, 2.

(63) *Hunc quartum*. In Feuard. marg., et Voss. *Nunc quartum*.

(64) *Confirmabimus*. Al. *confirmavimus*.

(65) *Procedere*. In cod. Arund. et edit. Oxon., *procidere*. Sed minus convenit cum *longius*.

(66) *Tibi*. Deest in Voss.

(67) *Speculum*. In Feuard. marg. *spectaculum*.

(68) *Everlent*. Editi., *evertunt*.

(69) *Propter labem emissum*. Ad instaurandam videlicet labem, in quam ex præcipiti, atque temerario cognoscendi Patris studio incurrerant Æones. Vide lib. 1, cap. 11.

(70) *Qui a labe emissi sunt*. Id est, quos labes infecit. Neque enim hæc plus æquo urgenda, quasi ab ipsa labe seu vitio originem sumpserint Æones : id quippe repugnat Valentinianorum hypothesi.

(71) *Providentes*. Pro *prævidentes* : quo sensu *futura providere, providere quid futurum sit* scriptum a Cicerone.

Digitized by Google

4. Quemadmodum enim serpens Evam seduxit, promittens ei quod non habebat ipse [56]; sic et hi prætendentes majorem agnitionem, et mysteria inenarrabilia, et promittentes eam, quam dicunt intra Pleroma esse, receptionem, in mortem demergunt sibi credentes; apostatas eos constituentes ab eo qui eos fecit. Et tunc quidem apostata angelus per serpentem inobedientiam hominum operatus, existimavit latere se Dominum : quapropter eamdem ei formam et appellationem tribuit Deus (72). Nunc autem, quoniam novissima sunt tempora, extenditur malum in homines, non solum apostatas eos faciens, sed et blasphemos in plasmatorem instituit multis machinationibus, id est, per omnes hæreticos qui prædicti sunt. Ili enim omnes, quamvis ex differentibus locis egrediantur, et differentia doceant, in idem tamen blasphemiæ concurrunt propositum, lethaliter vulnerantes, docendo blasphemiam in Deum factorem et nutritorem (73) nostrum, et derogando (74) salutem hominis. Homo est autem temperatio animæ et carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus est, et per manus ejus plasmatus est, hoc est per Filium et Spiritum, quibus et dixit : « Faciamus hominem [57]. » Hoc ergo propositum est ejus qui vitæ nostræ invidet, incredulos suæ salutis efficere homines, et blasphemos in plasmatorem Deum. Quæcunque enim cum gravitate summa dixerint omnes hæretici, in ultimum ad hoc deveniunt, ut blasphement fabricatorem, et contradicant saluti plasmatis Dei, quod quidem est caro: propter quam omnem dispositionem fecisse Filium Dei, multis modis ostendimus, et manifestavimus neminem alium Deum appellari a Scripturis, nisi Patrem omnium, et Filium, et eos qui adoptionem habent.

CAPUT PRIMUM

Christum unum solum Deum ac Patrem et cognovisse et docuisse discipulos.

1. Cum sit igitur hoc firmum et constans, neminem alterum Deum et Dominum a Spiritu prædicatum, nisi eum qui dominatur omnium Deus, cum Verbo suo, et eos qui adoptionis Spiritum accipiunt, hoc est, eos qui credunt in unum et verum Deum, et Christum Jesum Filium Dei; similiter et apostolos neminem alium a semetipsis Deum appellasse, aut Dominum cognominasse (75); multo autem magis Dominum nostrum, qui et nobis præcepit neminem Patrem confiteri, nisi eum qui est in cœlis, qui est unus Deus et unus Pater [58]: manifeste falsa ostenduntur ea quæ dicunt circumventores et perversissimi sophistæ, dicentes naturaliter et Deum et Patrem esse, quem ipsi adinvenerunt; Demiurgum vero naturaliter neque Deum, neque Patrem esse, sed verbo tenus dici, eo quod dominetur conditionis, sicut dicunt perversi grammatici, excogitantes in Deum : et doctrinam quidem Christi prætermittentes, et a semetipsis autem falsa divinantes, adversus universam Dei dispositionem argumentantur. Etenim Æonas suos, et deos, et patres, et dominos, adhuc etiam et cœlos vocari dicunt, cum Matre sua, quam et terram, et Jerusalem appellant, multisque aliis vocabulis eam cognominantes.

2. Cui autem non sit manifestum, quoniam si Dominus multos patres scisset et deos, non præcepisset discipulis suis unum scire Deum, et hunc eumdem solum vocare (76) Patrem? Sed potius distinxit eos qui sunt verbo tenus dii, ab eo qui sit vere Deus (77), ut non errent secundum doctrinam ejus, neque alterum pro altero audiant. Si autem nobis quidem præcepit unum vocare Patrem et Deum, ipse autem interdum alteros confitetur patres et deos eodem modo [59], alia quidem præcipiens videbitur discipulis, alia vero ipse faciens. Non est autem hoc magistri boni, sed seductoris et invidi. Et apostoli autem secundum eos transgressores ostenduntur præcepti, Demiurgum Deum, et Dominum, et Patrem confitentes, quemadmodum ostendimus, si non hic solus est Deus et Pater. Jesus ergo transgressionis auctor et magister erit eis, qui præcepit unum vocari Patrem, imponens eis necessitatem Demiurgum confiteri suum Patrem, quemadmodum ostensum est.

229 CAPUT II.

Probat apertis tum Moysis, tum aliorum prophetarum, quorum sermones Christi sunt, testimoniis, eum et unum et solum Deum esse, mundi conditorem, quem Dominus annuntiabat, et quem Patrem suum esse dicebat.

1. Moyses igitur recapitulationem universæ legis, quam acceperat a Demiurgo, in Deuteronomio faciens, sic ait : « Attende, cœlum, et loquar : et audiat terra verba ex ore meo [60]. » Rursum David adjutorium suum dicens a Domino fieri : « Adjutorium, inquit, meum a Domino, qui fecit cœlum et terram [61]. » Et Isaias confitetur a Deo (78), qui fecit cœlum et terram, et dominatur eorum, fieri sermones : « Audi, inquit, cœlum, et auribus

[56] Gen. III, 4, 5. [57] Gen. I, 26. [58] Matth. XXIII, 9. [59] Joan. X, 35. [60] Deuter. XXXII, 1. [61] Psal. VII, 11, et CXXIII, 8.

(72) *Eamdem ei formam et appellationem tribuit Deus.* Id est, si bene conjicio, angelum apostatam eadem judicii forma, iisdemque verbis, quibus serpentem, damnavit Deus. Illum enim sub serpentis nomine compellabat.

(73) *Blasphemiam in Deum factorem et nutritorem.* Edit. Eras., Gall. et Feuard., *in Dominum fabricatorem blasphemiam et nutritorem.*

(74) *Derogando.* Id est, inquit Feuard., aliquid de ea diminuendo et detrahendo. Cicero pro Fronteio : *Quorum rebus gestis fidem et auctoritatem in testimonio inimiciliarum suspicio derogavit.*

(75) *Cognominasse.* Al., *cognovisse.*

(76) *Vocare.* Eras., Gall., Feuard. et Merc. 2, *vocari.*

(77) *Distinxit eos ..... vere Deus.* In Eras. et Gall., *distinxisset ... verus ;* sine *eos* et *Deus.*

(78) *Deo.* Edit. *Domino.*

Digitized by Google

percipe, terra, quoniam Dominus locutus est [62]. » Et iterum : « Sic ait Dominus Deus, qui fecit cœlum, et affixit illud ; qui confirmavit (79) terram, et quæ in ea sunt : et qui dat afflatum populo, qui est super eam, et spiritum his qui calcant illam [63]. »

2. Rursum Dominus noster Jesus Christus eumdem hunc Patrem suum confitetur, in eo quod dicit : « Confiteor (80) tibi, Pater, Domine cœli et terræ [64]. » Quem Patrem volunt nos audire hi, qui sunt Pandoræ perversissimi sophistæ (81)? Utrumne Bythum, quem a semetipsis finxerunt ; an Matrem eorum ; an Unigenitum? An quem Marcionitæ, vel cæteri adinvenerunt Deum? (quem quidem non esse Deum, per multa demonstravimus) an (quod est verum) fabricatorem cœli et terræ? quem et prophetæ prædicaverunt, quem et Christus suum Patrem confitetur, quem et lex annuntiat, dicens : « Audi, Israel, Dominus Deus tuus (82) unus est [65]. »

3. [66] Quoniam autem Moysi litteræ verba sint Christi, ipse ait ad Judæos, quemadmodum Joannes in Evangelio commemoratus est : « Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, neque meis sermonibus credetis [67]. » Manifestissime significans, Moysi litteras suos esse sermones. Ergo si Moysi, et reliquorum sine dubio prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus. Et iterum ipse Dominus ostendit, Abraham dixisse diviti de his omnibus, qui adhuc erant in vita : « Si Moysi et prophetis non obediunt, nec si quis a mortuis resurgens ad illos eat, credent ei [68]. »

4. [69] Non autem fabulam retulit nobis pauperis et divitis; sed primum quidem docuit, neminem oportere deliciis uti, neque in sæcularibus oblectamentis, et multis epulis degentes, servire suis voluptatibus, et oblivisci Deum. « Erat enim, inquit, dives, qui vestiebatur purpuram et byssum (83), et delectabatur epulis splendidis [70]. » De talibus autem et per Isaiam dixit Spiritus : « Cum citharis, et tympanis, et psalteriis, et tibiis (84) vinum bibunt : opera autem Dei non intuentur, et opera manuum ejus non considerant [71]. » Ne ergo in eamdem pœnam cum his veniamus, finem eorum ostendit Dominus ; simul significans, quod obedientes Moysi et prophetis crederent in eum, quem ipsi prædicassent, Dei Filium qui resurrexit a mortuis, et vitam nobis donat : et demonstrat, ex una substantia esse omnia, id est Abraham et Moysem, et prophetas, etiam ipsum Dominum qui resurrexit a mortuis, in quem et credunt multi qui sunt ex circumcisione, qui et Moysem et prophetas audiunt prædicantes adventum Filii Dei. Qui autem spernunt (85), ab altera substantia eos esse dicunt, neque primogenitum mortuorum sciunt ; separatim Christum intelligentes, tanquam impassibilem perseverantem, et separatim eum, qui passus est, Jesum.

5. Non enim a Patre accipiunt cognoscere Filium, nec a Filio discunt Patrem, manifeste et sine parabolis eum Deum, qui est vere, docente (86) [72]. « Ne, inquit, juraveritis in totum, neque in cœlum, quoniam thronus est Dei : neque in terram, quoniam scabellum est pedum ejus : neque per Hierusalem, quoniam civitas est magni Regis [73]. » Hæc enim in fabricatorem manifeste dicta sunt, quemadmodum et Isaias ait : « Cœlum mihi sedes est, terra suppedaneum pedum meorum [74]. » Et præter hunc alius non est Deus ; cæterum (87) a Domino neque Deus, neque magnus Rex diceretur : hujusmodi enim nec comparationem, nec ullam recipit superlationem. Qui enim super se habet aliquem superiorem, et sub alterius potestate est, hic neque Deus, neque magnus Rex dici potest.

6. Sed nec per ironiam quidem hæc dicta esse, poterunt dicere, cum convincantur ab ipsis dictis, quoniam in veritate dicta sunt. Etenim veritas erat ipse qui loquebatur, et vere vindicabat suam domum, projiciens ex ea nummularios, qui et emebant, et vendebant, dicens eis : « Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis eam speluncam latronum [75]. » Et quam causam (88) habuit hoc facere et dicere, et domum suam vindicare, si alterum Deum annuntiabat? Sed ut ostenderet (89) transgressores paternæ legis. Neque enim domum incusabat, neque legem reprehendebat, quam venerat adimplere ; sed eos, qui **230** non bene utebantur domo, et eos, qui legem transgrediebantur, arguebat. Et ideo Scribæ et Pharisæi, qui cœperant a temporibus legis contemnere Deum, nec Verbum ejus receperunt, id est

[62] Isa. I, 2. [63] Ibid. XLII 5. [64] Matth. XI, 25. [65] Luc. XVI, 31. [66] Cap. IV. [67] Luc. XVI, 19. [68] Isa. LXVI, 1. [69] Matth. XXI. [70] Deut. VI, 4. [71] Cap. III. [72] Joann. V, 46, 47. [73] Isa. V. 12. [74] Cap. V. [75] Matth. V, 34, 35.

(79) *Confirmavit.* Clarom. *conformavit.*

(80) *Confiteor.* Voss., *confitebor*, quomodo supra lib. I, cap. 20, n. 3, in Græco Marcosii allegarunt.

(81) *Pandoræ perversissimi sophistæ.* Alludit ad hæreticorum salvatorem, quem Hesiodi Pandoræ similem dicit lib. II, cap. 14, n. 5, quia singuli Æones quod habebant in se optimum atque florentissimum in eum contulisse fingebantur. Hinc eodem libro cap. 30, n. 4, Gnosticos vocat *satellites circa Pandoram dispositos.*

(82) *Deus tuus.* In omnibus Bibliorum exemplaribus, *Deus noster.* At vocem *Deus* addunt Arund., Merc. 2, et Grab. cum sacro textu.

(83) *Purpuram et byssum.* Sic ad imitationem Græci textus habent Clarom. et Anglican., quomodo et supra lib. III, cap. 14, n. 3, codices Clarom. et Ottob. habere monui. Edit., *purpura et bysso.*

(84) *Tibiis.* Feuard. in marg., Arund. et Voss., *tubis.*

(85) *Spernunt.* Ita pro *dispernunt* posui ex Clarom. et Voss. qui ambo omittunt sequens *et.*

(86) *Docente.* Sic Feuard. in marg. et cod. Clarom. Cæteri omnes mendose, *docentem.*

(87) *Cæterum.* Pro *alioquin.*

(88) *Quam causam.* Alii, *quam ob causam.*

(89) *Sed ut ostenderet.* Id est, *nisi ut ostenderet.*

Digitized by Google

non crediderunt Christo, de quibus Isaias ait : « Principes tui indicto audientes (90) sunt, socii furum, diligentes munera, sectantes retributionem, pupillis non judicantes, et judicium viduarum non attendentes [76]. » Et Jeremias autem similiter : « Qui præsunt, inquit, populo meo, me nesciebant : filli (91) insensati et imprudentes sunt, sapientes sunt in malefaciendo (92), bene autem facere non cognoverunt [77]. »

7. Quotquot autem timebant Deum, et solliciti erant circa legem ejus, ipsi accucurrerunt Christo, et salvati sunt omnes : « Ite » enim, inquit discipulis, « ad oves quæ perierunt domus Israel [78]. » Et Samaritæ autem, inquit, cum mansisset Dominus apud eos biduo, « multo plures crediderunt propter sermones ejus, et mulieri dicebant : Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi [79]. » Et Paulus autem ait : « Et sic omnis Israel salvabitur [80]. » Sed et legem pædagogum nostrum in Jesum Christum dixit [81]. Non ergo quorumdam infidelitatem legi ascribant : non enim lex (93) prohibebat eos credere in Filium Dei, sed et adhortabatur, dicens (94), non aliter salvari (95) homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se, et vivificat (96) mortuos.

CAPUT III [82].

Respondet cavillis Gnosticorum : non idcirco Deum verum mutari aut desinere esse, quod cœlum sedes ejus, et terra suppedaneum pedum ejus, prætereant.

1. Quoniam malignantes dicunt : si enim cœlum throno Dei est, et terra suppedaneum ejus, dictum est autem præterire cœlum et terram [83]; hisque prætereuntibus oportere (97) etiam hunc Deum, qui super sedeat, præterire; et ideo non hunc esse Deum qui sit super omnia; primo quidem nesciunt quid sit, cœlum thronus, et terra suppedaneum (98). Nec enim sciunt quid sit Deus, sed putant eum more hominis sedere, et contineri, non autem continere. Sed et præteritionem cœli et terræ ignorant; Paulus autem non ignoravit, dicens : « Præterit enim figura hujus mundi [84]. » Deinde quæstionem ipsorum solvit David. Figura enim hujus mundi prætereunte, non solum Deum ait perseverare, sed et servos ejus, in centesimo primo psalmo (99) dicens ita : « Initio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt; tu autem perseverabis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut cooperimentum (1) mutabis (2) eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse (3) es, et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum inhabitabunt (4), et semen eorum in æternum (5) dirigetur [85]; » manifeste ostendens quæ sint quæ prætereunt, et quis est qui semper perseverat, Deus cum servis suis. Et Isaias autem similiter : « Allevate, inquit, oculos vestros in cœlum, et attendite in terram deorsum, quoniam cœlum sicut fumus confirmatum est, terra autem sicut vestimentum veterascet : qui autem inhabitant in eis, quemadmodum hæc, morientur. Salutare autem meum in æternum erit, justitia autem mea non deficiet [86]. »

231 CAPUT IV [87].

Respondet citeri objectioni, et probat eversa licet et

[76] Isa. I, 23. [77] Jerem. IV, 22. [78] Matth. X, 6. [79] Joan. IV, 41, 42. [80] Rom. XI, 26. [81] Gal. III, 24. [82] Cap. VI. [83] Luc. XXI, 33. [84] I Cor. VII, 31. [85] Psal. CI, 26 seqq. [86] Isa. LI, 6. [87] Cap. VII.

(90) *Indicto audientes.* I. e. *non obedientes.* In Græco LXX ἀπειθοῦσι in Vulgata, *infideles.*

(91) *Filii. Enim* additum in editt. Eras., Gall. et Feuard. omittunt Clarom., Arund. et Voss., nec in Græco τῶν Ο' occurrit.

(92) *In malefaciendo.* Feuard. in marg. et Clarom., *ad malefaciendum.*

(93) *Non enim lex.* In aliis deest *lex.*

(94) *Dicens.* Respicit Irenæus, ut bene observat Grab., ad ea Dei verba Num. XXI, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet.* Quin enim per serpentem æneum significetur Christus, dubitare non sinit ipsius Servatoris auctoritas, Joan. III, 14, dicentis : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad eadem procul dubio respexit Justinus M. in *Apologia* ad Antoninum Pium, hæc velut verba Moysis allegans : Ἐὰν προσβλέπητε τῷ τύπῳ τούτῳ, καὶ πιστεύητε, ἐν αὐτῷ σωθήσεσθε. *Si inspexeritis hoc signum, et crediderit is, salvi in eo eritis.* Nec necesse est cum Grabio hariolari, ista deprompsisse Justinum ex apocrypho quodam Moysis libro, vel glossema esse quod in codicem τῶν Ο' irrepserit : satis patet nihil aliud esse quam paraphrasin, aut versionem paulo liberiorem verborum Moysis.

(95) *Non aliter salvari*, etc. Inter varia Patrum antiquorum testimonia, quibus peccatum originale astruit Augustinus *adversus Julianum Pelagianum*, hunc Irenæi locum ita refert lib. I, cap. 5 novissimæ edit.: *Irenæus Lugdunensis episcopus non longe a temporibus apostolorum fuit. Iste ait : Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra, omnia traxit ad se, et vivificavit mortuos.*

(96) *Exaltatur ... et ... trahit ... vivificat.* Legit Augustinus, *exaltatus* sine *et*; tum, *traxit ... vivificavit.*

(97) *Oportere.* Al., *oportet.*

(98) *Cœlum thronus, et terra suppedaneum.* Ita Clarom. et Arund. Cæteri perperam : *cœlum, thronus, terra et suppedaneum.*

(99) *In centesimo primo psalmo.* Quia Hebræi, inquit Feuardentius, psalmum nonum in duos partiuntur, is qui nunc ab Irenæo adducitur, apud eos centesimus secundus est, Græcis vero centesimus primus.

(1) *Cooperimentum.* Feuard. in marg. et Voss., *opertorium.*

(2) *Mutabis.* Legit Irenæus ἀλλάξεις, non ἐλίξεις ut nostra τῶν Ο' exemplaria habent.

(3) *Idem ipse. Ipse* abest a Clarom. et Arund.

(4) *Inhabitabunt.* In Eras., Gall., Feuard. et Voss., *habitabunt.*

(5) *In æternum.* Feuard. in marg. et Voss., *in sæculum.*

Digitized by Google

derelicta Hierosolyma, quæ magni Regis civitas erat, nihil de suprema Dei majestate ac potentia decessisse: id enim sapientissimo ejusdem Dei consilio factum fuisse.

1. Adhuc et de Hierusalem, et de Domino audent dicere (6), quoniam si esset « magni Regis civitas [88], » non derelinqueretur. Simile autem est (7), si quis diceret, quoniam si esset stipula conditio Dei, nunquam a frumento derelinqueretur; et sarmenta vineæ, si a Deo facta essent, nunquam a botris destituta abscinderentur. Quemadmodum autem hæc non propter se principaliter facta sunt, sed propter crescentem in eis fructum, quo maturo facto et ablato, derelinquuntur, et e medio auferuntur, quæ jam non sunt utilia ad fructificationem: sic et Hierosolyma, quæ jugum in se servitutis portaverat (in quo domitus est homo, qui antea non subjiciebatur Deo, cum mors regnabat, et domitus habilis factus est ad libertatem), adveniente fructu libertatis, et aucto, et demesso, et in horreum recepto, et apportatis ab ea his qui (8) fructificare possunt, et in omni mundo disseminatis.

Καθὼς Ἡσαΐας (9) φησί· « Τέκνα Ἰακὼβ βλαστήσει, καὶ ἐξανθήσει Ἰσραὴλ, καὶ πλησθήσεται ἡ οἰκουμένη τοῦ καρποῦ αὐτοῦ. » Εἰς ζωὴν οὖν τὴν οἰκουμένην τοῦ καρποῦ αὐτοῦ διασπαρέντος, εἰκότως ἐγκατελείφθη, καὶ ἐκ μέσου ἐγένετο τὰ ποτὲ μὲν καρποφορήσαντα καλῶς (ἐξ αὐτῶν γὰρ τὸ κατὰ σάρκα ὁ Χριστὸς ἐκαρποφορήθη, καὶ οἱ ἀπόστολοι)· νῦν δὲ μηκέτι εὔθετα ὑπάρχοντα πρὸς καρποφορίαν.

Quemadmodum Isaias ait: « Filii Jacob germinabunt, et floriet (10) Israel, et fructu (11) ejus adimplebitur universa terra [89]. » In universa enim terra fructu disseminato, merito derelicta est, et de medio ablata est, quæ aliquando quidem fructificaverat bene (ex ipsa enim secundum carnem Christus fructificatus est, et apostoli); nunc autem jam utilis non est (12) ad fructificationem.

2. [90] Quoniam igitur « Moysæ lex inchoavit, consequenter in Joannem (13) desivit. Ad impletionem ejus advenerat Christus: et propter hoc « lex et prophetæ » apud eos « usque ad Joannem [91]; » et Hierusalem itaque inchoans a David, et adimplens tempora sua. Legislationem (14) finem oportuit habere, manifestato Novo Testamento.

Ἅπαντα μέτρῳ (15) καὶ τάξει ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ, ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.

Et bene, qui dixit (16) ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum: mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum. Quoniam autem temporalis erat illorum administratio, Isaias ait: « Derelinquetur filia Sion sicut casa in vinea, et velut custodiarium (17) in cucumerario [92]. » Quando autem hæc derelinquentur? Nonne cum fructus auferetur, et derelinquentur folia sola quæ jam fructificare non possunt?

3. Et quid de Hierusalem dicimus, quandoquidem et figuram mundi universi oporteat præterire, adveniente tempore præteritionis ipsius, ut fructus quidem in horreum colligatur (18), paleæ autem derelictæ comburantur? « Dies enim Domini, quasi clibanus ardens: et erunt stipula omnes peccatores, qui faciunt injusta, et comburet eos dies veniens [93]. » [94] Quis est autem hic Dominus, qui talem importat diem, Joannes Baptizator significat, dicens de Christo: « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, palam habens in manu ejus ad emundandam aream suam, et fructum congregabit in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. »

[88] Matth. v, 35, ex Psal. XLVII, 3. [89] Isa. XXVII, 6. Malach. IV, 1. [90] Cap. IX. [91] Luc. XVI, 16. [92] Isa. I, 8. [93] Malach. IV, 1.

(6) *Audent dicere.* Qui Deum Creatorem et Judæorum Dominum a summo Deo distinctum volunt.

(7) *Simile autem est. Dicere* quod in edit. Eras., Gall. et Feuard. additum legitur, expunxi.

(8) *His qui.* In Voss., *his quæ.* Sed præferenda prior lectio: Christum enim et apostolos intelligit, ut paulo post explicat.

(9) *Καθὼς Ἡσαΐας.* Græca hæc exstant apud Theodoretum Dial. 3.

(10) *Floriet.* Pro *florebit.* Sic Clarom., Voss. et Merc. 2, nisi quod hi habeant, *floret.* Edit., *florebit.*

(11) *Fructu. Ventris* quod additur in Eras., Gall. et Feuard., omisi cum omnibus mss. et Græco Theodoreti, necnon sacro ipso Biblico textu.

(12) *Ablata est... fructificaverat... ex ipsa... utilis non est.* Hæc pluraliter exprimit textus Græcus.

(13) *Joannem.* Ita Clarom. et Arund. Cæteri, *Jonne.*

(14) *Legisdationem.* Ita recte Feuard. ex vet. cod. cui consentiunt Clarom. et Voss. Cæteri perperam, *legisdationis.* Hoc enim pro *legisdationem* scriptum esse videtur a recentiore quopiam, qui pravæ interpunctionis vitio, locum hunc non intellexit; nec advertit legendo *legisdationis*, legendum fore *inchoantem et adimplentem.* Sic igitur distinguenda et ordinanda periodus: *Ad impletionem ejus* (legis) *advenerat Christus: et propter hoc lex et prophetæ apud eos usque ad Joannem; et Hierusalem itaque inchoans a David, et adimplens tempora sua.* Id est, *ac proinde Hierusalem inchoans a David, et adimplens tempora sua erat usque ad Joannem.* Quod subinde confirmat, hac addita nova sententia: *Legisdationem finem oportuit habere, manifestato Novo Testamento.* Sic distinguendo facilis erit sensus, nec quidquam excidisse videbitur.

(15) *Ἅπαντα μέτρῳ.* Hanc Irenæi sententiam Græce ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice descriptam edidit Halloixius, in *Vita Irenæi* pag. 483, quæ et in Vaticano eorumdem *Parallelorum* exemplari litt. A, cap. 2. eodem modo legitur. Irenæum vero alludere ad Sapientiæ XI, 21, quilibet videt.

(16) *Et bene, qui dixit*, etc. Consule Dissert. 3, art. 5, § 56.

(17) *Custodiarium.* Græce, ὀπωροφυλάκιον, id est, *pomorum custodia.* Hunc Isaiæ locum eodem modo legit Cyprianus lib. 1. *adv. Jud.*, cap. 6, atque hic Irenæus.

(18) *Colligatur.* Clarom. *collocetur.*

Digitized by Google

bili[96].» Non enim alius est, qui frumentum facit (19), et alius qui paleas; sed unus et idem, et judicans ea, id est separans. Sed frumentum quidem et paleæ, inanimalia et irrationabilia (20) exsistentia, naturaliter talia facta sunt : homo vero rationabilis, et secundum hoc similis Deo (21), liber in arbitrio **232** factus et suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter, et juste condemnabitur, quoniam rationabilis factus amisit veram rationem, et irrationabiliter vivens, adversatus est justitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, et omnibus serviens (22) voluptatibus; quemadmodum Propheta ait : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis [96]. »

CAPUT V [97].

Redit ad susceptum argumentum, et ostendit unicum esse Deum a lege et prophetis annuntiatum, quem Christus Patrem suum confitetur, quique per Verbum suum, unum cum eo Deum virum notum in utroque Testamento se fecit hominibus.

1. Unus igitur et idem Deus, qui plicat cœlum quemadmodum librum [98], et renovat faciem terræ [99] : qui temporalia fecit propter hominem, ut maturescens in eis fructificet immortalitatem, et qui æterna superducit propter suam benignitatem, « ut ostendat sæculis supervenientibus inenarrabiles divitias benignitatis suæ [1], » qui a lege et prophetis annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator; et ipse est qui super omnia est Deus, quemadmodum Isaias ait : « Ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus (23), quem elegi, ut cognoscatis, et credatis, et intelligatis, quia ego sum. Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit. Ego (24) Deus, et non est absque me salvans (25). Annuntiavi, et salvavi [2]. » Et iterum : « Ego sum Deus primus, et super ventura ego sum [3]. » Neque enim varie, neque elate, neque glorians dicit hæc : sed quoniam impossibile erat sine Deo discere Deum, per Verbum suum docet homines scire Deum. Ilis igitur qui nesciunt hæc, et propter hoc alterum adinvenisse (26) putant Patrem, juste quis dicit : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei [4]. »

2. [5] Dominus enim noster et magister in ea responsione, quam habuit ad Sadducæos, qui dicunt resurrectionem non esse, et propter hoc inhonorantes Deum, atque legi detrahentes, et resurrectionem ostendit, et Deum manifestavit, dicens eis : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione enim, inquit, mortuorum non legistis quid dictum est a Deo dicente : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [6]? » et adjecit : « Non est Deus mortuorum, sed viventium [7] : » omnes enim ei vivunt (27). Per hæc utique (28) manifestum fecit, quoniam is qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est (29) Deus, super quem alius non est Deus? Quem et Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus (30) rex Persarum : « Quare non adoras Bel [8]? » annuntiavit, dicens : « Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit cœlum et terram, et habet omnis carnis dominationem [9]. » Iterum dixit : « Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus vivus [10]. » Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi, qui et Sadducæos redarguit, qui et resurrectionem donavit : utraque his, qui cæcutiunt,

[96] Matth. III, 2 seq., et Luc. III, 16 seq. [97] Psal. XLVIII, 13. [98] Cap. X. [99] Isa. XXXVI, 4. [1] Psal. CIII, 30. [2] Ephes. II, 7. [3] Isa. XLII, 10 seq. [4] Ibid. XLI, 4. [5] Matth. XXII, 29. [6] Cap. XI. [7] Matth. XXII, 29, 31, 32; Exod. III, 6. [8] Matth. XXII, 32. [9] Dan. XIV, 3. [10] Ibid., 4. Ibid., 24.

(19) *Non enim facit.* Ita cod. Clarom. Cæteri, *non ergo fecit.*

(20) *Inanimalia et irrationabilia.* Ita recte vetus Feuard. cod., Clarom., Arund., Voss. et Grab., quibus et Merc. 2 codd. quoad primam vocem consoni sunt. Alii perperam, *et animalia irrationabilia.* Nam frumentum et paleas cum homine comparans Irenæus, illa inanimalia et irrationabilia, hunc vero rationabilem dicit.

(21) *Et secundum hoc similis Deo*, etc. Non sola cognoscendi vi imaginem Dei in homine repositam definit Irenæus, verum ex parte solum; ut et in arbitrii libertate, et in intelligendi facultate consistat. Quæ pluribus aliis ex antiquis Patribus communis sententia fuit.

(22) *Serviens.* Desideratur in Clarom. et Voss.

(23) *Meus.* Hoc pronomen auctoritate Arund., Voss. et ipsius Biblici textus addidit Grab., quamvis in ms. Alex. desit.

(24) *Ego. Sum* additum in editt. Deest in vet. Feuard. cod., in Clarom. et Voss., nec in Græcis Bibliorum exemplaribus est expressum.

(25) *Non est absque me salvans.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss., Arund. (nisi quod hic habeat *Salvator*) et textus Græcus τῶν Ο'. Cæteri : *ante me non est Salvator.*

(26) *Adinvenisse.* In omnibus codd. tum editt. tum manu exaratis legitur *advenisse.* Sed manifestum esse scribarum sphalma nemo non videt; quod proinde emendare non dubitavi, cum maxime Irenæus passim arguat hæreticos, quod alterum Deum, vel alterum Patrem glorientur aut putent *adinvenisse* se. Sufficiat unum locum huic omnino geminum proferre ex lib. III, cap. 25, n. 2 : *Eum vero qui non est, somniantes super hunc, ut magnum Deum putentur adinvenisse*, etc. Vide lib. II, cap. 26 et seqq.

(27) *Ei vivunt.* In Feuard. marg., Clarom. et Voss., *hi vivunt.* Sed hæc lectio minus probanda, quia postea scribit, *vivunt Deo.*

(28) *Utique.* In editt. minus bene, *itaque.*

(29) *Qui est.* Addiderunt editores, *super omnia*, tum post vocem *Deus* particulam *et.* Sed cum tres istæ voces in nullo prorsus mss. nostrorum legantur, eas expungere non dubitavi, cum maxime alludere videatur Irenæus ad ea Exodi verba : *Qui est, misit me*, etc.

(30) *Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus*, etc. Hinc liquet totam Beli historiam, qualis refertur Daniel c. XIV, jam Irenæi ætate in sacris Bibliorum codicibus non modo exstitisse, sed et certam et indubitatam auctori nostro visam fuisse.

Digitized by Google

ostendens, id est resurrectionem et Deum. Si enim Deus mortuorum non est, sed vivorum, hic autem dormientium patrum Deus dictus est, indubitate vivunt Deo, et non perierunt, cum sint filii resurrectionis. Resurrectio autem ipse Dominus noster est, quemadmodum ipse ait : « Ego sum resurrectio et vita [11]. » Patres autem, ejus filii; dictum est enim a Propheta : « Pro patribus tuis facti (31) sunt tibi filii tui [12]. » Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est.

3. [13] Et hoc ipsum docens dicebat Judæis : « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est [14]. » Quid enim? . . . . 3. « Ἐπίστευσε (32) δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· » πρῶτον μὲν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς, μόνος Θεός· ἔπειτα δὲ, ὅτι ποιήσει τὸ σπέρμα αὐτοῦ ὡς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ. Τουτέστι τὸ ὑπὸ τοῦ Παύλου εἰρημένον· « Ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ. » Δικαίως οὖν, καταλιπὼν τὴν ἐπίγειον συγγένειαν, ἠκολούθησε τῷ Λόγῳ, αὐτοῦ (33) ξενιτεύων, ἵνα σὺν τῷ Λόγῳ πολιτευθῇ.

« Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam [15]: » primum quidem, quoniam ipse est factor cœli et terræ, solus Deus : deinde autem, quoniam faciet semen ejus quasi stellas cœli. Hoc est quod a Paulo dicitur : « Quemadmodum luminaria in mundo [16]. » Juste igitur, derelinquens terrenam cognationem **233** omnem, sequebatur Verbum Dei, cum Verbo peregrinans, ut cum Verbo moraretur (34).

4. Δικαίως δὲ καὶ οἱ ἀπόστολοι, ἐξ Ἀβραὰμ τὸ γένος ἔχοντες, καταλιπόντες τὸ πλοῖον καὶ τὸν πατέρα, ἠκολούθουν τῷ Λόγῳ. Δικαίως οὖν καὶ ἡμεῖς, τὴν αὐτὴν τῷ Ἀβραὰμ πίστιν ἔχοντες, ἄραντες τὸν σταυρὸν, ὡς καὶ Ἰσαὰκ τὰ ξύλα, ἀκολουθοῦμεν....

4. [17] Juste autem et apostoli, ex Abraham genus habentes, derelinquentes naviculam et patrem, sequebantur Verbum Dei. Juste autem et nos, eamdem fidem accipientes, quam habuit Abraham, tollentes crucem, quemadmodum ligna Isaac, sequimur eum. In Abraham enim prædicerat (35) et assuetus fuerat homo sequi Verbum Dei. Etenim Abraham secundum fidem suam secutus præceptum Verbi Dei,

προθύμως τὸν ἴδιον μονογενῆ καὶ ἀγαπητὸν παραχωρήσας θυσίαν τῷ Θεῷ, ἵνα καὶ ὁ Θεὸς εὐδοκήσῃ, ὑπὲρ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ πάντως (36) τὸν ἴδιον μονογενῆ καὶ ἀγαπητὸν Υἱὸν θυσίαν παρασχεῖν εἰς λύτρωσιν ἡμετέραν.

prono animo unigenitum et dilectum filium suum concessit sacrificium Deo; ut et Deus beneplacitum habeat, pro universo semine ejus dilectum et unigenitum Filium suum præstare sacrificium in nostram redemptionem.

5. Propheta ergo cum esset Abraham, et videret in spiritu diem adventus Domini, et passionis dispositionem (37), per quem ipse quoque, et omnes qui similiter, ut ipse credidit, credunt Deo, salvari inciperent (38), exsultavit vehementer. Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cujus diem concupivit videre : sed neque Pater Domini; didicerat enim a Verbo Domini (39), et credidit ei : quapropter et deputatum est ei ad justitiam a Domino. Fides enim, quæ est ad Deum altissimum, justificat hominem : et propter hoc dicebat : « Extendam manum meam ad Deum altissimum, qui constituit cœlum et terram [18]. » Hæc autem omnia conantur evertere illi, qui sunt malæ sententiæ, ob unum dictum, quod quidem apud eos non bene intellectum est.

CAPUT VI [19].

Explicat Christi verba : « Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, » etc., quibus abutebantur hæretici, et probat, ut revelante Patrem Filium, sic revelante Filio Patrem nunquam non cognitum fuisse.

1. Dominus enim ostendens semetipsum discipulis, quoniam ipse est Verbum, qui aquitionem Patris facit, et exprobrans Judæis putantibus se habere Deum, cum et frustrentur (40) Verbum ejus, per quem cognoscitur Deus, dicebat : « Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quis cognoscit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare [20]. » Sic et Matthæus posuit, et Lucas similiter, et Marcus (41) idem ipsum (42) : Joannes enim præteriit locum

[11] Joan. XI, 25. [12] Psal. XLIV, 17. [13] Cap. XII. [14] Joan. VIII, 56. [15] Rom. IV, 3, ex Gen. XV, 6. [16] Philip II, 15. [17] Cap. XIII. [18] Gen. XIV, 22. [19] Cap. XIV. [20] Matth. XI, 27 et Luc. X, 22.

(31) *Facti. Nati* in Feuard. marg. et Voss. sicut et in Græco τῶν Ο'. Codices alii habent ἐγενήθησαν, alii ἐγεννήθησαν.

(32) *Ἐπίστευσε.* Græca hæc ex Catena quadam in Genesim, uti videtur, descripta publicavit Combefisius in *Auctario* novissimo Bibliothecæ Patrum par. I, pag. 298.

(33) *Τῷ Λόγῳ, αὐτοῦ.* Ex veteri versione hæc, quæ ex Græco excidisse videntur, supplenda : τῷ Λόγῳ τοῦ Θεοῦ, σὺν τῷ Λόγῳ ξενιτεύων.

(34) *Moraretur.* Combefisius Græcum πολιτευθῇ vertit, *municipatum adipisceretur.* Nec a verosimili abhorret Grabii conjectura, Irenæum respexisse ad πόλιν, *civitatem, fundamenta habentem, cujus artifex et conditor Deus*, quam Abrahamum exspectasse scribit Apostolus Hebr. XI, 10.

(35) *Prædidicerat.* Clarom., *perdidicerat.*

(36) *Πάντως.* Melius legit vetus interpres, παντός.

(37) *Dispositionem.* Abest ab Eras., Gall., Arund. et Merc. 2.

(38) *Inciperent.* Feuard. in marg. et Voss., *inciperet.*

(39) *A Verbo Domini.* Clarom., *a Verbo Deum.*

(40) *Frustrentur.* Pro *respuant, rejiciant, spernant*, a verbo Græco ἀθετεῖν, uti cum Billio conjicio.

(41) *Et Marcus.* Nihil simile in hodiernis Marci exemplaribus legitur. Si Irenæi ætate legeretur, illuc ex Matthæi Evangelio translatum fuerit necesse est. Nisi forte memoria lapsus sit Irenæus.

(42) *Idem ipsum.* Τὸ *secundum*, quod in edit. Eras. Gall. et Feuard. præcedit, auctoritate omnium mss. expunxi.

Digitized by Google

hunc. Illi autem qui peritiores apostolis volunt esse (42*), sic describunt : « Nemo cognovit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare; » et interpretantur, quasi a nullo cognitus sit verus Deus ante Domini nostri adventum : et eum Deum, qui a prophetis sit annuntiatus, dicunt non esse Patrem Christi.

2. Si autem Christus tunc inchoavit esse, quando et secundum hominem adventum suum egit, et a temporibus Tiberii Cæsaris commemoratus est (43) Pater providere hominibus, et non semper Verbum ejus una cum plasmate fuisse ostendebatur; nec tunc quidem oportuit alterum Deum annuntiari, sed cautos tantæ incuriæ et negligentiæ (44) ejus inquiri. Nullam enim oportet quæstionem talem esse, et tantum invalescere, ut et Deum quidem mutet, et eam, quæ est erga fabricatorem (qui nos alit per (45) suam conditionem), fidem nostram evacuet. Sicut enim in Filium fidem nostram dirigimus, sic et in Patrem dilectionem firmam et immobilem habere debemus.

Καὶ καλῶς (46) Ἰουστῖνος ἐν τῷ πρὸς Μαρκίωνα συντάγματι φησίν· « Ὅτι αὐτῷ τῷ Κυρίῳ οὐδ' ἂν ἐπείσθην, ἄλλον Θεὸν καταγγέλλοντι παρὰ τὸν δημιουργόν. . . . . .

Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem (47) ait : « Quoniam ipsi quoque Domino non credidissem (48), alterum Deum annuntianti, præter fabricatorem et factorem et nutritorem nostrum.

234 Sed quoniam ab uno Deo, qui et hunc mundum fecit, et nos plasmavit, et omnia continet et administrat, unigenitus Filius venit ad nos, suum plasma in semetipsum recapitulans, firma est mea ad eum (49) fides, et immobilis erga Patrem dilectio, utraque Deo nobis præbente (50). »

3. Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante, neque Filium, sine Patris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perficit : mittit enim Pater; A mittitur autem et venit Filius. Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, et cum sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis : rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater : utraque autem hæc sic se habere manifestavit Dominus. Et propter hoc Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris, est Filii manifestatio : omnia enim per Verbum manifestantur. Ut ergo cognosceremus, quoniam qui advenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat discipulis : « Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, et quibuscunque Filius revelaverit; » docens semetipsum et Patrem, sicut est, ut alterum non B recipiamus Patrem, nisi eum qui a Filio revelatur.

4. Hic autem est fabricator cœli et terræ, quemadmodum ex sermonibus ejus ostenditur; et non is qui a Marcione, vel a Valentino, aut a Basilide, aut a Carpocrate, aut Simone, aut reliquis falso cognominatis Gnosticis adinventus est falsus Pater. Nemo enim illorum Filius fuit Dei, sed Christus Jesus Dominus noster, adversus quem et contrariam exercent disciplinam, incognitum Deum audentes annuntiare. Debent autem in semetipsos audire : Quemadmodum enim incognitus, qui ab ipsis cognoscitur? quodcunque enim vel a paucis cognoscitur, non est incognitum. Dominus autem non in totum non posse cognosci et Patrem et Filium C dixit : cæterum (51) supervacuus fuisset adventus ejus. Quid enim huc veniebat? an uti diceret nobis : Nolite quærere Deum, incognitus est enim, et non invenietis eum : quemadmodum et Christum Æonibus eorum dixisse mentiuntur hi qui sunt a Valentino? Sed hoc quidem vanum est.

Ἐδίδαξεν ἡμᾶς (52) ὁ Κύριος, ὅτι Θεὸν εἰδέναι οὐδεὶς δύνατα, μὴ οὐχὶ Θεοῦ διδάξοντος (53), τουτέστιν, Edocuit autem Dominus, quoniam Deum scire nemo potest, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo

(42*) *Qui peritiores apostolis volunt esse.* Valentinianos et Marcosios respicit, ut patet ex lib. I, cap. 20, n. 3, non Marcionitas, ut autumant quidam. Ab his enim corruptum fuisse hunc Evangelii Lucæ (quod solum admittebant) locum, non memorat D Epiphanius *Hær.* 42, ubi tamen diligenter recenset omnia a Marcione depravata loca. Imo Tertullianus lib. IV *contra Marcion.*, cap. 25, hoc ipsum testimonium ex persona Marcionis proferens, eodem modo legit atque nos : *Nemo scit qui sit Pater, nisi Filius; et qui sit Filius, nisi Pater, et cuicunque Filius revelaverit.* Eadem tamen ex eo inferebat Marcion atque Valentiniani, *Christum* videlicet *ignotum Deum prædicasse.* Corruptio enim magis in sensu, quam in verbis posita erat. Unde non adeo mirum quod S. Justinus M. in *Apol.* I, verba Christi citaverit, perinde ut hæretici legerunt. Vide quæ jam adnotavimus ad lib. I, cap. 20.

(43) *Commemoratus est.* Id est *recordatus est, meminit.*

(44) *Causas tamen negligentiæ*, etc. Cur mirum tam diu humanæ saluti providere neglexerit.

(45) *Alit per.* Eras. et Gall. deest *per.*

(46) *Καὶ καλῶς.* Hæc apud Euseb. l. IV *Hist.* c. 17.

(47) *Ad Marcionem. Contra Marcionem* melius reddidisset interpres.

(48) *Credidissem.* Sic ex Græco Feuardentius emendavit, aliquatenus suffragantibus omnibus mss. in quibus scribarum incuria legitur *credidissemt*, pro *credidissem.* At in Eras. et Gall., *credidisset.*

(49) *Ad eum.* In Feuard. marg., Voss. et Merc. 2, *ad Deum.* Sed melior cæterorum cod. lectio. Nam de Filio Dei sermonem hic esse demonstrat sermonis contextus, et id præsertim quod præcessit : *in Filium fidem nostram dirigimus; in Patrem dilectionem firmam habere debemus.*

(50) *Utraque Deo nobis præbente.* An ad hæc usque verba, an longius, Justini locus protendatur, certi nihil affirmari potest, cum dudum opus illud contra Marcionem injuria temporum deperierit.

(51) *Cæterum.* Pro *alioqui;* quod interpreti haud insuetum.

(52) *Ἐδίδαξεν ἡμᾶς.* Græcum hoc fragmentum ex ms. *Parallelorum* Joannis Damasceni excerptum, edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, p. 483.

(53) *Διδάξοντος.* Legendum cum interp. διδάξαντος.

Digitized by Google

ἄνευ Θεοῦ μὴ γινώσκεσθαι τὸν Θεόν· αὐτὸ δὲ τὸ γινώσκεσθαι τὸν Θεὸν, θέλημα εἶναι τοῦ Πατρός. Γνώσονται (54) καὶ αὐτὸν, οἷς ἂν ἀποκαλύψῃ ὁ Υἱός.

non cognosci Deum : hoc ipsum autem cognosci eum, voluntatem esse Patris. Cognoscunt enim eum quibuscunque revelaverit Filius.

5. Et ad hoc Filium revelavit Pater (55), ut per eum omnibus manifestetur, et eos quidem, qui credunt ei justi (56), in incorruptelam, et in æternum refrigerium recipiat (credere autem ei, est facere ejus voluntatem) ; eos autem qui non credunt, et propter hoc fugiunt lumen ejus, in tenebras (57), quas ipsi sibi elegerunt, juste recludet (58). Omnibus igitur revelavit se Pater, omnibus Verbum suum visibile faciens : et rursus Verbum omnibus ostendebat Patrem et Filium cum ab omnibus videretur, et ideo justum judicium Dei super omnes qui similiter quidem viderunt, non autem similiter crediderunt.

6. Etenim per ipsam conditionem revelat Verbum conditorem Deum, et per mundum fabricatorem mundi Dominum, et per plasma eum, qui plasmaverit, artificem, et per Filium eum Patrem qui generaverit Filium : et hæc omnes similiter quidem colloquuntur, non autem similiter credunt. Sed per legem et prophetas similiter Verbum et semetipsum et Patrem prædicabat : et audivit quidem universus populus similiter; non similiter autem omnes crediderunt. Et per ipsum Verbum visibilem et palpabilem factum, Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei ; sed omnes viderunt in Filio Patrem : invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius. Et propter hoc omnes Christum loquebantur præsente eo, et Deum nominabant. Sed et dæmones videntes Filium, dicebant : « Scimus te qui es, sanctus Dei [21] : » et tentans diabolus, videns eum, dicebat : « Si tu es Filius Dei [22] : » omnibus quidem videntibus et loquentibus Filium et Patrem, non autem omnibus credentibus.

7. Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere testimonium, et esse judicium in salutem quidem credentium, in condemnationem autem non credentium, ut omnes juste judicentur, et ea quæ est in Patrem et Filium fides, ab omnibus comprobetur, id est ab omnibus confirmetur (59), ab omnibus accipiens testimonium, et a domesticis, quoniam et amici; et ab extraneis, quoniam et inimici. Illa est enim vera et sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis singula (60) testificationis profert : in ipsa quidem manifesta sua visione convictis de præsenti negotio, et testificantibus, et significantibus (61); postea vero ad inimicitiam erumpentibus, et accusantibus, et volentibus non esse verum suum testimonium. Non ergo alius erat qui cognoscebatur, et alius qui dicebat : « Nemo cognoscit Patrem; » sed unus **235** et idem, omnia subjiciente ei Patre, et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus, a Patre, a Spiritu, ab angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, et ab apostaticis spiritibus, et dæmonils (62), et ab inimico, et novissime ab ipsa morte. Omnia autem Filius administrans Patri (63), perficit ab initio usque ad finem, et sine illo nemo potest cognoscere Deum. Agnitio enim Patris, Filius; agnitio autem Filii in Patre, et per Filium revelata : et propter hoc Dominus dicebat : « Nemo cognoscit Filium, nisi Pater : neque Patrem, nisi Filius, et quibuscunque Filius revelaverit. » Revelaverit enim, non solum in futurum dictum est, quasi tunc inceperit (64) Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater : et propter hoc in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, Filius (65), et unus Spiritus, et una salus (66) omnibus credentibus in eum.

CAPUT VII [23].

Exorsam orationem repetit, et ostendit Abraham revelante Verbo cognovisse Patrem et Filii Dei adventum. Hinc exultasse videntem Christi diem, quo promissa sibi facta adimplenda erant. Cujus quidem exultationis fructus ad posteros, fidei Abrahæ consortes manavit, ad Judæos vero Dei Verbum rejicientes non pervenit.

1. Et Abraham ergo a Verbo cognoscens Patrem,

[21] Marc. I, 24. [22] Matth. IV, 3. [23] Cap. XV.

(54) *Γνώσονται.* Legit interpres γινώσκονται.

(55) *Filium revelavit Pater.* Ita Feuard. in marg. Clarom. et Voss. melius quam alii : *Filius revelavit Patrem.*

(56) *Justi.* Mallem *justos.*

(57) *Tenebras.* Al. *tenebris.*

(58) *Recludet.* Libentius legerem *recludat.*

(59) *Id est, ab omnibus confirmetur.* Glossema olei.

(60) *Singula.* Dictum puto pro *singularia*, veterum Latinorum more. Sensus proinde erit, *singularia testificationis argumenta profert.* Quare minus probanda Grabii conjectura, legendum censentis *sigilla.*

(61) *Significantibus.* Arund., *signantibus*, quam lectionem secutus est Grabius, quia legendum putat *sigilla.* Sed cum ea doctissimi viri conjectura parum firma sit, vulgatam lectionem, cui suffragatur major exemplarium pars, retinere malui.

(62) *Et dæmoniis.* Ita pro *et ab erroneis* reposui ex Feuard. marg., Clarom. et Voss.

(63) *Filius administrans Patri.* Hæc in Dissert. 3, art. 5, § 59, explicata reperies.

(64) *Inceperit.* Editt., *inciperet.*

(65) *Et unum Verbum, Filius.* Ita ex codd. Clarom., Arund. et Voss. reposui. In editt. omnibus perperam : *Et unum Verbum, et unus Filius.* At Merc. 2 omittunt, *et unum Verbum*, habentque duntaxat, *et unus Filius ;* nec male.

(66) *Et una salus.* Duas voces, *fides et*, quæ in editt. omnib. præfiguntur ante *salus*, expunxi auctoritate veteris Feuard. cod., Clarom. et Anglic. quia ad hæc, *omnibus credentibus*, quadrare non possunt.

Digitized by Google

qui fecit cœlum et terram, hunc Deum confitebatur (67) : et doctus repræsentatione (68), quod inter homines homo (69) futurus esset Filius Dei, per cujus adventum semen ejus erat futurum quasi stellæ cœli, concupivit eam diem videre, uti et ipse complecteretur Christum : et per spiritum prophetiæ eam videns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus re implebat gratulationem patriarchæ, et dicebat : « Nunc remittis (70) servum tuum, Domine, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti in facie (71) omnium populorum : lumen ad revelationem gentium (72), et gloriam populi Israel [24]. » Et angeli autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiaverunt [25]. Sed et Maria ait : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo [26] : » descendente quidem exsultatione Abrahæ in eos qui erant ex semine ejus, vigilantes (73) et videntes Christum, et credentes ei; reciproca autem rursus et regrediente exsultatione a filiis in Abraham, qui et concupierat diem adventus Christi videre. Bene igitur Dominus noster testimonium reddebat ei, dicens : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est [27]. »

2. [28] Non enim tantum propter Abraham hæc dixit : sed et ut ostenderet, quoniam omnes qui ab initio cognitum habuerunt Deum (74), et adventum Christi prophetaverunt, revelationem acceperunt ab ipso Filio, qui et in novissimis temporibus visibilis et passibilis factus est, et cum humano genere locutus est, uti ex lapidibus excitaret filios Abrahæ, et adimpleret repromissionem, quam promiserat illi Deus, et faceret (75) semen ejus tanquam stellas cœli, quemadmodum ait Joannes Baptista : « Potens est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ [29]. » Hoc autem fecit Jesus, a lapidum religione extrahens nos, et a duris (76) et infructuosis cogitationibus transferens nos, et similem Abrahæ fidem in nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testificatur, dicens, nos esse filios Abrahæ secundum similitudinem fidei, et repromissionem hæreditatis [30].

3. Unus igitur et idem Deus, qui advocavit Abraham, et repromissionem ei dedit. Hic est autem fabricator, qui et per Christum præparat luminaria in mundo, eos qui ex gentibus credunt. « Vos » autem, inquit, « estis lumen mundi [31], » hoc est, quasi stellæ cœli. Hunc ergo recte ostendimus a nemine cognosci, nisi a Filio, et quibuscunque Filius revelaverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem (77), et neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus : « Ego sum via, veritas, et vita. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me (78), et Patrem 236 meum utique cognovissetis, et amodo cognovistis eum, et vidistis [32]. » Ex quibus manifestum est, quoniam per Filium, id est per Verbum, cognoscitur.

4. [33] Propter hoc Judæi excesserunt a Deo, Verbum ejus (79) non recipientes, sed putantes per seipsum (80) Patrem sine Verbo, id est sine Filio, posse cognoscere; Deum nescientes eum qui in figura locutus est humana ad Abraham (81), et iterum ad Moysem, dicentem : « Videns vidi vexationem populi mei in Ægypto, et descendi liberare eos [34]. » Hæc enim (82) Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat (83), non indigente Patre angelis, uti faceret conditionem, et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat : neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum, quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant; sed habente

[24] Luc. II, 29 seqq. [25] Ibid., 8 seqq. [26] Luc. I, 46. [27] Joan. VIII, 56. [28] Cap. XVI. [29] Matth. III, 9. [30] Rom. IV, 12 seqq.; IX, 8, et Gal. IV, 28. [31] Matth. V, 14. [32] Joan. XIV, 6, 7. [33] Cap. XVII. [34] Exod. III, 7, 8.

(67) *Hunc Deum confitebatur.* Verbis supra in fine capitis 5, n. 5, ex Gen. XIV, 22, citatis.

(68) *Et doctus repræsentatione.* De trium illorum apparitione loquitur, ait Feuardentius, quorum unum Filium Dei fuisse, quem adorarit, et Dominum Deum suum vocarit, magna concordia dicunt Justinus M. in *Dialogo*; Tertullianus lib. *De carne Christi*, et lib. III *contra Marcion.*; Eusebius lib. I *Hist.*, cap. 1, Athanasius serm. 3 *contra Arianos*; Hilarius lib. IV *De Trinit.*; Cyrillus Hierosol. catech. 11 et 12; Ambrosius lib. II *De Abraham*, cap. 5; Augustinus lib. II *De Trinit.*, cap. 11 et 12.

(69) *Homo.* Deest in Merc. 2 et Voss.

(70) *Remittis.* Clarom. et Voss. *dimittis.*

(71) *Parasti in facie.* Sic Feuard. marg., Clarom et Arund. In Voss., *parasti ad faciem.* In cæteris cum Vulgata, *parasti ante faciem.*

(72) *Ad revelationem gentium.* Ita ex vet. Feuard. cod. emendavi. Cæteri omnes corrupte, et sacro textu repugnante, *ad revelationem*, vel *in revelationem*, aut *in revelatione oculorum.* Vox enim *oculorum*, scribarum sphalma est, pro *populorum.*

(73) *Vigilantes.* Al., *evigilantes.* Respicit auctor ad Luc. II, 8 et 17.

(74) *Deum.* Alii, *Dominum.*

(75) *Et faceret.* Editi, *ut faceret.*

(76) *Et a duris.* Feuard. ex vet. cod. cui consentiunt Voss. et Grab., *et a nostris duris.*

(77) *Cognosci, Patrem.* Ita Clarom. melius quam cæteri omnes, *agnosci*, vel *cognosci Pater.*

(78) *Si cognovissetis me*, etc. Eras. et Gall., *si cognovistis me, et Patrem meum cognoscitis, ... et vidistis*, omisso *eum.* Quam vocem omisi et ipse cum iisdem et Clarom. ac Merc. 2, quia supra lib. III, cap. 13, num. 2, omittitur in omnibus mss. Addidi vero ex Clarom. *utique*, post *meum*; quæ vox legitur in Vulgata.

(79) *Ejus.* Edit., *Dei.*

(80) *Per seipsum.* Græcorum more pro .... *seorsim, separatim.*

(81) *Ad Abraham.* Perperam addunt editi. *et Aaron*, quod expunxi auctoritate veteris Feuard. cod., Clarom. et Voss.

(82) *Hæc enim.* Eras., Gall. et Feuard. male, *hic enim.*

(83) *Præstruebat.* Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss., *perstruebat.*

Digitized by Google

copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei (84) ad omnia sua progenies et figuratio sua (85), id est Filius et Spiritus sanctus (86), Verbum et Sapientia; quibus serviunt, et subjecti sunt omnes angeli. Vani igitur sunt qui propter hoc, quod dictum sit : « Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius; » alterum introducunt incognitum Patrem.

CAPUT VIII [36].

Vanos esse Marcionem et asseclas, qui Abraham a salute per Christum impertita excludunt; Christum enim non Abraham modo, sed et semen ejus in libertatem asseruisse, legem implendo, non solvendo, dum etiam Sabbatis curabat.

1. Vanus autem et Marcion, et qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui Spiritus per multos (87), jam autem et per Paulum testimonium reddit, quoniam « credidit Deo, et deputatum est ei ad justitiam [36] : » et Dominus (88), primum quidem de lapidibus excitans filios ei, et faciens semen ejus quasi stellas cœli, dicens : « Quoniam venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum [37]; » iterum dicens Judæis : « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno cœlorum (89), vos autem projici foras [38]. » Manifestum est ergo, quoniam qui contradicunt saluti ejus, et alterum præter eum, qui promissionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei sunt, et exhæredes sunt ab incorruptela (90), frustrantes (91) et blasphemantes Deum, qui in regnum cœlorum introducit Abraham, et semen ejus, quod est Ecclesia, per Christum Jesum, cui (92) et adoptio redditur, et hæreditas quæ Abrahæ promissa est.

2. [39] Vindicabat enim semen ejus Dominus, solvens a vinculis, et advocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere, quæ ab eo curata est, manifeste dicens his, qui non similem Abrahæ habebant fidem : « Hypocritæ, unusquisque vestrum die Sabbatorum bovem suum, vel asinum non solvit, et ducit, et adaquat? Hanc autem, cum sit filia Abrahæ, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, non oportuerat solvi (93) ab hoc vinculo in die Sabbatorum [40]? » Manifestum est igitur, quoniam eos qui similiter ut Abraham credebant ei, solvit, et vivificavit (94), nihil extra legem faciens, curans in die Sabbatorum. Non enim prohibebat lex curari (95) homines Sabbatis, quæ et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere; sed et mutorum animalium curationem non prohibebat. Et Siloa etiam (96) sæpe Sabbatis curavit : et propter hoc assidebant ei multi die Sabbatorum [41]. Continere enim jubebat eos lex ab omni opere servili, id est ab omni avaritia, quæ per negotiationem et reliquo terreno actu agitur (97) : animæ autem opera, quæ fiunt per sententiam, et sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri. Et propter hoc Dominus arguebat eos, qui injuste exprobrabant ei, quia Sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat legem, summi sacerdotis operam perficiens (98), propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens, uti exsiliatus homo (99) exiret de condemnatione, et reverteretur intrepido ad suam hæreditatem.

3. [42] Sed et esurientes accipere Sabbatis escam ex his quæ adjacebant, non vetabat lex : **237** metere autem et colligere in horreum vetabat. Et ideo Dominus his, qui incusabant discipulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit : « Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esuriisset, quem-

[36] Cap. XVIII. [37] Rom. IV, 3. [37] Matth. VIII, 11, et Luc. XIII, 29. [38] Ibid., 28. [39] Cap. XIX. [40] Luc. XIII, 15, 16. [41] Joan. IX, 14. [42] Cap. XX.

(84) *Ministrat enim ei*, etc. Vid. Dissert. 3, art. 5, § 59.

(85) *Figuratio sua.* His verbis Spiritum sanctum designari, demonstrat mox subjecta explicatio; unde putem vocem αὐτοῦ male ab interprete redditam fuisse per *sua* : verti debuisset *ejus*, ut nimirum *figuratio* ad *progeniem* seu Filium referatur. Nam Spiritum sanctum Filii *figurationem* seu imaginem dici a SS. Patribus, notissimum est. Sic Athanasius in epist. 1 ad Serapionem, Spiritum sanctum ait esse σφραγῖδα, *sigillum quod Filium exprimit*, et Basilius in v *advers. Eunom.* pag. 116 : Εἰκὼν μὲν Θεοῦ Χριστὸς, ὃς ἐστι, φησὶν, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, εἰκὼν δὲ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, etc. *Imago quidem Dei Christus*, qui est, *inquit*, *imago Dei invisibilis : imago vero Filii Spiritus*, etc.

(86) *Sanctus.* Deest in Anglic., sed non in Clarom.

(87) *Per multos.* Per Mosen scilicet et omnes prophetas.

(88) *Et Dominus.* Supple, *testimonium reddit.*

(89) *Regno cœlorum.* Editt. cum Merc. 2, *regno Dei.*

(90) *Ab incorruptela.* Editt., *incorruptelæ.*

(91) *Frustrantes.* I. e. *spernentes*, *rejicientes.*

(92) *Cui. Ecclesiæ* videlicet.

(93) *Oportuerat solvi.* Merc. 2, *oportuit solvere*; quibus Eras. et Gall. editt. quoad posterius verbum consonant. Ottob., *oportuerit solvere.*

(94) *Vivificavit.* Ita Clarom., Voss. et Arund. melius quam cæteri, *vivificat.*

(95) *Curari.* In editt., *curare.*

(96) *Et Siloa etiam*, etc. Memoria lapsus Irenæus, Siloæ piscinam cum probatica confundere videtur. Illam enim *sæpe Sabbatis curasse*, nullibi legimus : at ad istius crepidinem jacuisse plures languidos in die Sabbati, *exspectantes aquæ motum*, e quibus unum *triginta et octo annos habentem in infirmitate sua*, a Salvatore curatum fuisse scribit Joannes cap. v.

(97) *Agitur.* Ita Clarom. melius quam cæteri, *agitatur.*

(98) *Operam perficiens.* Edit. Oxon. et Merc. 2, *opera perficiens.* Eras., Gall. et Feuard., *operam faciens.*

(99) *Uti exsiliatus homo*, etc. Alludit, inquit Feuard., ad Hebræorum legem, quæ, mortuo summo pontifice, exsules domum redire permittebat : et qui hic *exsiliatus homo* dicitur, exsul tantum significatur : Græce forsan non male φυγαδευτὴς nominaretur.

Digitized by Google

admodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus [45]? » per legis verba suos discipulos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David (1) apud Deum (2), quamvis Saul persecutionem faceret ei.

Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος, ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem (3).

Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt. De quibus et Moyses in Deuteronomio, in benedictione Levi ait : « Qui dicit patri suo et matri suæ : Non novi te ; et fratres suos non agnovit, et filios suos abdicavit : custodivit præcepta tua, et testamentum tuum servavit [46]. » Qui autem sunt, qui dereliquerunt patrem et matrem, et omnibus proximis renuntiaverunt, propter verbum Dei et testamentum ejus, nisi discipuli Domini ? De quibus iterum Moyses : « Hæreditas autem, » inquit, « non erit eis. Dominus enim ipse hæreditas ipsorum [47]. » Et iterum : « Non erit sacerdotibus levitis in tota tribu Levi pars, neque substantia cum Israel : fructificationes Domini substantiæ eorum (4) ; manducabunt eas [48]. » Propter hoc et Paulus : « Non inquiro, » inquit, « datum ; sed inquiro fructum [49]. » Discipulis, inquit, Domini (5) leviticam substantiam habentibus, licebat eis esurientibus, a seminibus accipere escam : « Dignus est enim operarius esca sua [50]. » Et sacerdotes in templo Sabbatum profanabant, et rei non erant. Quare ergo rei non erant ? Quia cum essent in templo, non sæcularia, sed Dominica perficiebant ministeria, legem (6) adimplentes, non autem prætereuntes legem ; quemadmodum is qui a semetipso arida ligna attulit in castra Domini, qui et juste (7) lapidatus est. « Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, abscindetur, et in ignem mittetur [51]. » Et : « Quicunque templum Dei violaverit, violabit illum Deus [52]. »

CAPUT IX [53].

Utriusque testamenti unum esse auctorem, finem, scopumque præcipuum.

1. Unius igitur et ejusdem substantiæ sunt omnia, hoc est, ab uno et eodem Deo, quemadmodum et Dominus ait discipulis : « Propterea omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera [54]. » Non alterum quidem vetera, alterum vero (8) proferentem nova docuit ; sed unum et eumdem. Paterfamilias enim Dominus est, qui universæ domui paternæ dominatur : et servis quidem, et adhuc indisciplinatis condignam tradens legem ; liberis autem, et fide justificatis congruentia dans præcepta, et filiis adaperiens suam hæreditatem. Scribas autem et doctores regni cœlorum, suos dicebat discipulos, de quibus et alibi ait Judæis : « Ecce, mitto ad vos sapientes, et scribas, et doctores, et ex eis occidetis, et effugabitis a civitate in civitatem [55]. » Ea autem, quæ de thesauro proferuntur (9) nova et vetera, sine contradictione duo testamenta dicit : vetus quidem, quod ante fuerat, legislatio ; novum (10) autem, quæ secundum Evangelium est conversatio, ostendit, de qua David ait : « Cantate Domino canticum novum [56]. » Et Isaias : « Cantate Domino hymnum novum. Initium (11) ejus, glorificatur (12) nomen ejus a summo

[45] Luc. VI, 3, 4. [46] Deuter. XXXIII, 9. [47] Numer. XVIII, 20, et Deuter. X, 9. [48] Deuter. XVIII, 1. [49] Philipp. IV, 17. [50] Matth. X, 10. [51] Matth. III, 10, et VII, 19. [52] I Cor. III, 17. [53] Cap. XXI. [54] Matth. XIII, 52. [55] Matth. XXIII, 34. [56] Psal. XCV, 1, et XCVII, 1.

(1) *Sacerdos autem scitus fuerat David.* Apertus est verborum istorum sensus, nec in iis offenderet vel cæcus quispiam. Nempe Davidem vocat *sacerdotem scitum*, quia *omnes justi* (vel ut habet alia lectio mox indicanda, *omnis rex justus*), *sacerdotalem habent ordinem.* Idipsum est quod de piis quibusque Christianis dixit Petrus epist. 1, cap. 2, *Regale sacerdotium, sanctum sacerdotium esse* ; videlicet, ut statim explicat, *ad offerendas Deo spirituales hostias.* Ecce tamen, Grabius primus omnium, quem sciam, iis Irenæi verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas, et obtorto, ut aiunt, collo, puritanis tradat : quasi illius sententia fuerit, *quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate præditi, ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant.* Quem absurdum sensum solus in Irenæi verbis expiscatus fuerit ; nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit. Sed de hi consule Dissert. 3, art. 8, § 190, ubi frivola novi editoris argumenta late expendimus dissolvimusque.

(2) *Apud Deum.* Sic Clarom. et 4 Anglic., una enim edit. Oxon. In aliis edition. minus recte, *apud eum.*

(3) *Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem.* Sententiam hanc ex Irenæo nominatim, sed paulo aliter transcripserunt Joannes Damascenus in *Parallelis* lit. B. tit. 2, tam in cod. Clarom. (ex quo eam edidit Halloixius in *Vita Iren.*, pag. 498), quam in Vaticano lit. B. tit. 9, et Antonius Melissa serm. 1, part. II : Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. *Omnis rex justus sacerdotalem habet ordinem.* Quæ quidem lectio, mea quidem sententia, Vulgatæ prælerenda videtur : arctius enim cohæret cum ea quæ præcedit de Davide sententia. Eam tamen, nullo hactenus favente codice Latino, textui inserere, religio esset.

(4) *Substantiæ eorum.* Al., *substantia eorum.*

(5) *Domini.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *Dominus.*

(6) *Legem.* Aliqui, *legis.*

(7) *Qui et juste. Qui et* addidi ex Clarom.

(8) *Vero.* Al., *quidem.*

(9) *Proferuntur.* Ita Feuard. in marg., Ottob. et Voss. At Clarom. et Arund., *proferentur* ; cæteri, *proferunt.*

(10) *Novum.* Ita restitui pro *nova*, nullo quidem suffragante codice ; sed id aperte exigente tum constructione, tum tota orationis serie.

(11) *Initium.* Græca, ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, melius reddidisset interpres, *principatus ejus.*

(12) *Glorificatur... annuntiant.* Hodierni τῶν Ο codd. habent, δοξάζετε... ἀναγγελοῦσι, *glorificate... annuntiabunt* ; non δοξάζεται... ἀναγγέλουσι. Sed

Digitized by Google

terræ : virtutes ejus in insulis annuntiant [58]. » Et Jeremias ait : « Ecce disponam, » inquit, « testamentum novum, non quemadmodum disposui patribus vestris [59] » in monte Oreb. Utraque autem testamenta unus et idem patersfamilias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui et Abrahæ, et Moysi collocutus est, et nobis (13) in novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam, quæ ab ipso est, gratiam.

2. [57] « Plus est enim, » inquit, « templo hic [60]. » Plus autem et minus non in his dicitur, quæ inter se communionem non habent, et sunt contrariæ naturæ, et pugnant adversum se ; sed in his quæ ejusdem sunt substantiæ, et communicant secum, solum autem multitudine (14), et magnitudine differunt : quemadmodum aqua ab aqua, 238 et lumen a lumine, et gratia a gratia. Major est igitur legislatio quæ in libertatem, quam quæ data est in servitutem : et ideo non in unam gentem, sed in totum mundum diffusa est. Unus autem et idem Dominus, qui plus quam templum est, et plus quam Salomon, et plus quam Jonas donat hominibus, id est, suam præsentiam et resurrectionem a mortuis : sed non Deum immutans, nec alium prædicans Patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet plura metiri domesticis ; et proficiente eorum erga Deum dilectione, plura et majora donans, quemadmodum et Dominus discipulis dicebat : « Quoniam et majora horum videbitis [61]. » Et Paulus ait : « Non quod jam acceperim, aut justificatus (15) sim, aut jam perfectus sim [62]. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quæ sunt ex parte destruentur [63], » Sicut igitur, adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus, sed hunc quem nunc videre concupimus (« Beati enim mundi corde (16), quoniam ipsi Deum videbunt [64] ») ; neque alium Christum, et Dei Filium exspectabimus, sed hunc qui ex Maria Virgine, qui et passus est, in quem et credimus, quem et diligimus (quemadmodum Isaias ait : « Et dicent in illa die : Ecce, Dominus Deus noster, in quem speravimus, et exsultavimus in salute nostra [65]. » Et Petrus ait in Epistola sua : « Quem non videntes diligitis, » inquit, « in quem nunc non videntes credidistis (17), gaudebitis gaudio inenarrabili [66] ») ; neque alium Spiritum sanctum percipimus, nisi hunc qui est nobiscum, et qui clamat : « Abba, pater [67] ; » et in iisdem ipsis augmentum habebimus, et proficiemus, ut jam non per speculum, et per ænigmata, sed facie ad faciem fruamur muneribus Dei : sic et nunc plus templo, et plus Salomone percipientes, quod est adventus Filii Dei, non alterum didicimus Deum, præter fabricatorem et factorem omnium, qui ab initio nobis demonstratus est ; neque alterum Christum Dei Filium, præter eum qui a prophetis prædicatus est.

3. Novo enim Testamento cognito et prædicato per prophetas, et ille qui illud dispositurus erat secundum placitum Patris, prædicabatur, manifestatus hominibus, quemadmodum voluit Deus ; ut possint semper proficere credentes in eum, et per testamenta maturescere perfectum salutis (18). Una enim salus, et unus Deus : quæ autem formant hominem, præcepta multa (19), et non pauci gradus, qui ducunt hominem ad Deum. Terreno quidem et temporali regi (20), cum sit homo, licet aliquoties majores profectus attribuere his qui sunt subjecti : Deo autem non licebit (21), cum sit idem, et semper majorem gratiam præstare (22) humano generi velit (23), et pluribus muneribus assidue honorare eos qui placent ei ? Si autem hoc est

[58] Isa. XLII, 10, 12. [59] Jerem. XXXI, 31, 32. [60] Philip. III, 12. [61] I Cor. XIII, 9, 10. [62] Matth. V, 8. [63] Isa. XXV, 9. [64] I Pet. I, 8. [65] Rom. VIII, 15. [57] Cap. XXII. [60] Matth. XII, 6. [61] Joan. I, 50.

hæc forte memoriter allegavit Irenæus, uti et sequentia.

(13) *Et nobis.* Sic Clarom. In Feuard. et Grab., *qui nobis.* At in Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, nec *qui*, nec *et* apparent.

(14) *Multitudine.* Al. perperam, *altitudine.*

(15) *Aut justificatus. Quod* additum a Feuard. ante *justificatus*, expunxi auctoritate codd. Clarom., Arund. et Merc. 2, ac ipsius Italicæ versionis, quæ hoc addimentum ex I Corinth. IV, 4, desumptum sola hic exhibet, ut constat ex vetustissimo nostro cod. ms. Græco-Lat. San-Germanensi, Ambrosiastri Comment. et aliis.

(16) *Mundi corde.* Sic Clarom. cum antiqua versione Italica, et Græco Evangelii textu. Cæteri, *mundo corde.*

(17) *Credidistis.* Nostri N. T. codd. habent, et quidem melius, πιστεύοντες δέ, *credentes autem.*

(18) *Per Testamenta maturescere perfectum salutis.* Sic recte vetus Feuard. cod. et Clarom. et forte etiam Voss. cod. Hic saltem consentit quoad *perfectum* : de voce *testamenta*, quam habent Eras., Gall. et Feuard., ambigo : siquidem Grab. excudi fecit *testamentum* : an codicis Voss. an alterius auctoritate ? non dixit. Cæterum pro *perfectum*, Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, perperam habent *per effectum* ; nec melius utrumque retinere Feuardentio visum est. *Perfectum* autem *salutis* dixit Irenæus, pro *perfectione* seu *consummatione salutis*, gloria videlicet æterna : quo sensu paulo ante scripsit : *sicut igitur adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus*, etc. Ac prorsus sensus est : *Ut possint semper proficere credentes in eum et per varia sibi invicem succedentia testamenta maturescere queat salutis humanæ consummatio.* I. e. per varia testamenta possint homines paulatim ad gloriam æternam perduci.

(19) *Quæ autem formant hominem, præcepta multa.* Sic Clarom., Arund. et Voss. melius et Irenæi argumento convenientius quam cæteri, *qui formavit hominem, præcepta autem multa.*

(20) *Terreno quidem et temporali regi.* In vet. cod. Feuard. et Voss., *ante terrenum quidem et temporalem regem.*

(21) *His qui sunt subjecti : Deo autem non licebit*, etc. Cod. Clarom. paulo aliter : *his autem qui sunt subjecti Deo non licebit.* At Vulgata lectio præferenda videtur : quare, post *Deo autem non licebit*, subintelligenda quæ præcesserunt, *majores profectus attribuere his qui sunt subjecti.*

(22) *Præstare.* Eras., Gall. et Feuard. perperam, et repugnantibus omnibus mss., *præstat.*

(23) *Velit.* Hoc verbum addidi ex cod. Clarom.

Digitized by Google

proficere, alterum adinvenire Patrem, præter eum qui ab initio annuntiatus est, et rursum, præter eum qui putatur secundo inventus esse, alterum tertium adinvenire; et ejusdem erit profectus et a tertio in quartum, et ab hoc (24) rursum alterum, et alterum: et sic semper putans proficere talis sensus, nunquam in uno stabit Deo. Expulsus enim ab eo qui est, et reversus retrorsum, quæret quidem semper, inveniet autem nunquam Deum; sed semper incomprehensibilitatis profundo natabit, nisi per pœnitentiam conversus, unde abjectus erat, revertatur; unum Deum Patrem Demiurgum confitens, et credens, qui a lege et prophetis annuntiatus est, qui a Christo testificatus est, quemadmodum ipse ait ad eos qui accusabant ejus discipulos, quasi non servarent traditionem seniorum: « Quare vos frustramini præceptum Domini (25), propter traditionem vestram? Deus enim dixit: Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur [66]. » Et iterum ait eis: « Et frustrati estis sermonem Dei (26) propter traditionem vestram [67]; » manifestissime Patrem et Deum (27) confitens Christus eum, qui in lege dixit: « Honora patrem et matrem, ut tibi bene sit [68]. » Verbum enim Dei confessus est legis præceptum verax Deus, et neminem alterum Deum appellavit, quam suum Patrem.

239 CAPUT X [69].

Veteris Testamenti Scripturas, eas potissimum quæ a Moyse exaratæ sunt, Filii Dei ubique passim meminisse, ejusque adventum et passionem clarissime prænuntiasse, ac proinde ab uno et eodem Patre inspirante manasse.

1. Bene igitur et Joannes meminit dicentem Dominum Judæis: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis [70]. » Quomodo igitur testabantur de eo Scripturæ, nisi ab uno et eodem essent Patre, præinstruentes homines de adventu Filii ejus, et prænuntiantes salutem quæ est ab eo? « Si enim crederetis Moysi, » inquit (28), « crederetis et mihi: de me enim ille scripsit [71]; » scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis ejus Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras (29): aliquando autem quærens Adam (30): aliquando autem Sodomitis inducens judicium: et rursus cum videretur (31), et in viam dirigit Jacob, et de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei, cujus et diem passionis non ignoravit; sed figuratim prænuntiavit eum, Pascha nominans: et in eadem ipsa, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus adimplens Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis, dicens: « Non poteris immolare Pascha in ullis aliis civitatum tuarum, quas (32) Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi: immolabis Pascha vespere ad occasum solis [72]. »

2. Jam autem et manifestaverat ejus adventum, dicens: « Non deerit princeps in Juda, neque dux ex femoribus ejus, quoadusque veniat cui repositum (33) est, et ipse est spes gentium; alligans ad vitem pullum suum, et ad helicem (34) pullum asinæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ

[66] Matth. xv, 3, 4. [67] Ibid., 6. [68] Exod. xx, v, 46. [72] Deuter. xvi, 5, 6. [69] Cap. XXIII. [70] Joan. v, 39, 40. [71] Ibid. 12.

(24) *Ab hoc.* Eras., Gall. et Merc. 2, *adhuc.* Utrumque frustra retinuit Feuard.

(25) *Domini.* Eras. et Gall., *divinum.*

(26) *Sermonem Dei.* Τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, legisse videtur Irenæus, quomodo et habet cod. Cantabrig. Editi vero habent ἐντολήν, *mandatum.*

(27) *Patrem et Deum.* In Arundel. et Merc. 2, *Patrem et Dominum*, sicut Eras. et Gall. ordine inverso, *Dominum et Patrem.* At Feuard. utroque retento, *Dominum et Deum Patrem.*

(28) *Inquit.* Addidi ex Clarom.

(29) *Aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras.* In Clarom., Voss. et vetus Feuard. codex (ut ex ejus adnotatione colligitur), excepto quod in hoc exstat *ei* pro *eis.* In Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2 legitur: *aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comesurus*; omissis, *aliquando quidem cum Noe*, etc. Feuardentio vero, quem secutus est Grabius, utraque servata lectione scribere visum est: *aliquando quidem cum Abraham loquens, cum eodem comesurus; aliquando cum Noe, dans ei mensuras.* Ubi vocem, *aliquando* ante *cum eodem* propria auctoritate expunxit. Et tamen hæc ipsa vox ostendit, aliud periodi membrum hinc incipere, ac proinde ista, *cum eodem comesurus*, ab imperitis librariis scripta fuisse pro: *cum Noe dans eis mensuras*; quia, quid sibi vellent *mensuræ* illæ, non intelligebant. Quare ex citatorum trium veterum codicum auctoritate deletis, *cum eodem comesurus*, textum restituere non dubitavi. Illud autem, *dans eis mensuras*, explico tum de arcæ dimensionibus, quas Deus Noemo præfinivit, Gen. vi, 14 seqq., tum de orbis terrarum distributione, ab eodem jussu Dei inter tres filios facta, Gen. x et xi, juxta illud D. Pauli *Actor.* xvii, 26: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum*, tum denique de terræ promissionis ab Abraha posteris quondam possidendæ finibus, quos ipsi Deus prænonstravit, præstituitque, Genes. xiii, 14 et 17, et xv, 18 et seqq.

(30) *Aliquando autem quærens Adam.* Hæc quoque desunt in Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2.

(31) *Videretur.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *videtur.*

(32) *Quas.* Al. *quam.*

(33) *Repositum.* In Feuard. marg. et Voss., *repromissum*; quomodo et Novatianus habet lib. *De Trinit.* cap. 9.

(34) *Helicem.* Sic pro *ilicem* reposui auctorit. Biblici textus τῶν Ο', in quo legitur, ἕλικι. Helicem etiam legit Cyprian. lib. 1 *Adversus Judæos*, cap. 21 in correctis exemplaribus. Qui in mss. codicum lectione versati sunt, norunt quam frequenter *e* commutetur in *i*; ac proinde non mirum si pro *ilicem* aut *helicem* scripserint amanuenses, *ilicem.* *Helix* autem Græca vox est, significans vitis claviculam.

Digitized by Google

pallium suum; lætifici (35) oculi ejus a vino (36), et candidi dentes ejus quam lac [73] (37). » Inquirant enim hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps, et dux ex Juda, et qui est gentium spes, et qui vitis, et qui pullus ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes, et quod vinum, et unumquodque ex dictis (38) exquirant; et invenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum, quod ingratus exsisteret, ait : « Sic populus fatuus, et non sapiens, hæc Domino retribuistis [74] ? » Et rursus significans, quoniam qui ab initio condidit et fecit eos Verbum, et in novissimis temporibus redimens nos, et vivificans, ostenditur pendens in ligno, et non credent ei. Ait enim : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ [75]. » Et iterum : « Nonne hic idem Pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te [76] ? »

CAPUT XI [77].

Veteres prophetas et justos prænovisse adventum Christi, hunc que videre et audire ardentius appetiisse, ipso per Spiritum sanctum se in Scripturis revelante, et sine sui mutatione novis in dies beneficiis homines ditante, posteriores tamen cumulatius prioribus.

1. Quoniam autem non solum prophetæ et justi multi, præscientes per Spiritum sanctum (39) adventum ejus, oraverunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum et sermones audirent ejus, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis : « Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt [78]. » Quemadmodum igitur concupierunt et audire, et videre, nisi præscissent **240** futurum ejus adventum? Quomodo autem præscire potuerunt, nisi ab ipso præscientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando exhortante, ac deinceps libe-

A rante servum (40), et adoptante in filium, et apto tempore incorruptelæ (41) hæreditatem præstante, ad perfectionem hominis? Plasmavit enim eum in augmentum et incrementum, quemadmodum Scriptura dicit : « Crescite et multiplicamini [79]. »

2. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: et quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, et initium, et medietatem, et adjectionem, et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi æqualis et similis; totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia, et fons omnium bonorum; homo vero profectum percipiens et augmentum ad Deum (42). Quemadmodum enim Deus B semper idem est; sic et homo in Deo inventus (43), semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo, et locupletando hominem : neque homo cessat beneficium accipere, et ditari a Deo. Exceptorium enim bonitatis, et organum clarificationis ejus, homo gratus ei qui se fecit : et iterum exceptorium justi judicii ejus homo ingratus, et spernens plasmatorem, et non subjectus Verbo ejus: qui plurimum semper fructificantibus, et plus habentibus Dominicum argentum, daturum se pollicitus est : « Euge, » inquit, « serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui [80]; » ipse Dominus plurimum promittens (44).

C 3. Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum se pollicitus est, secundum munerationem gratiæ suæ, sed non secundum commutationem agnitionis (ipse (45) enim Dominus perseverat, et idem Pater revelatur); sic ergo et posterioribus majorem, quam quæ fuit in veteri testamento, munerationem gratiæ attribuit unus et idem Dominus per suum adventum. Et illi enim per famulos audiebant venturum regem, et mediocriter gaudebant (46), secundum quod sperabant venturum eum : qui autem præsentem viderunt, et libertatem adepti et potiti sunt ejus munerationem (47), majorem gratiam et abundantiorem exsultationem habent gaudentes de regis adventu, quemadmodum et David dicit : « Anima mea exsultabit in Domino, jucundabitur in

[73] Gen. XLIX, 10 et seqq. [74] Deut. XXXII, 6. [75] Deut. XXVIII, 66. [76] Deut. XXXII, 6. [77] Cap. XXIV. [78] Matth. XIII, 17. [79] Gen. I, 28. [80] Matth. XXV, 21, 23.

(35) *Lætifici.* Ita Clarom., Arund., Voss. et Grab. juxta Græcum χαροποιοί. Cæteri, *lætificabuntur.*

(36) *A vino.* Editi τῶν Ο' codices habent ὑπὲρ οἶνον, *super vinum.* Sed legisse videtur Irenæus ἀπὸ οἴνου, quomodo etiam habet cod. Alexandr.

(37) *Quam lac.* Sic Voss., Clarom. (quamvis in hoc emendator quispiam superscripserit *tan*, ut legatur *tanquam*, haud advertens hellenismum esse, pro *magis quam lac*), et Grabius. Alii *tanquam lac.*

(38) *Dictis.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii minus bene, *occultis.*

(39) *Spiritum sanctum. Sanctum* addidi ex cod. Clarom.

(40) *Servum. Suum* additum in editt. deest in omnibus mss.

(41) *Incorruptelæ.* Al., *incorruptibilem.*

(42) *Ad Deum.* Editt. minus bene, *a Deo :* nam mox sequitur, *semper proficiet ad Deum.*

(43) *Inventus.* Editi., *intentus.*

(44) *Ipse... plurimum promittens.* Sic vetus Feuard cod., Clarom. et Voss. Alii perperam, *ipse.... plurimum promittens.* Illæc vero ad præcedentia, *daturum se pollicitus est*, referuntur; nec proinde corruptus est locus, ut frustra suspicatur Feuardentius.

(45) *Ipse.* Αὐτός, *idem* potius hic verti debuisset.

(46) *Illi enim per famulos audiebant et mediocriter gaudebant.* Al. *illi enim, qui per famulos audiebant ... mediocriter* (sine *et*) *gaudebant.*

(47) *Munerationem.* Sic Voss., Clarom. *remunerationem ;* cæteri, *munerationem.*

Digitized by Google

salutari ejus [81]. » Et propter hoc Hierosolymam introeunte eo, omnes (48) qui erant in via David in dolore animæ, cognoverunt suum regem, et substraverunt ei vestimenta, et ramis viridibus adornaverunt viam, cum magna lætitia et exsultatione clamantes (49) : «Hosanna, fili (50) David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis [82]. » Zelantibus autem malis dispensatoribus, qui circumveniebant inferiores, et dominabantur eorum, quibus ratio non constabat, et propter hoc nolentibus (51) venisse regem, et dicentibus ei : «Audis quid isti dicunt? » ait Dominus : «Nunquam legistis : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [83] ? » id quod a David in Filium Dei dictum erat, in se factum ostendens, et significans, illos quidem nescire virtutem Scripturæ, et dispositionem Dei ; se autem esse qui a prophetis annuntiatus sit Christus, cujus nomen in omni terra laudatur ; ex ore infantium et lactentium laudem perficienti (52) suo Patri : quapropter et elevata est magnificentia ejus super cœlos.

4. Si ergo idem ipse adest, qui prædicatus est a prophetis, Deus Dominus (53) noster Jesus Christus et adventus ejus pleniorem gratiam et majorem munerationem attribuit his qui susceperunt eum ; manifestum, quoniam et Pater idem ipse est, qui a prophetis annuntiatus est, et non alterius Patris agnitionem fecit veniens Filius, sed ejusdem qui ab initio prædicatus est, a quo et libertatem detulit his qui legitime, et prono animo, et toto corde deserviunt (54) ei : contemptoribus autem, et non subjectis Deo, sed in gloriam (55) hominum exteriores munditias (56) sectantibus (quæ in figuram futurorum traditæ erant, velut umbræ cujusdam descriptionem faciente lege, atque delineante de temporalibus æterna, de terrenis cœlestia), fingentibus plusquam quæ dicta sunt sese observare, tanquam diligentiam suam etiam ipsi Deo præferentibus, intus autem plenis hypocrisi, cupiditate, et omni malitia, in sempiternum (57) attulit perditionem, abscindens eos a vita.

241 CAPUT XII [84].

Eumdem esse utriusque legis auctorem hinc liquido patere, quod Christus traditiones et mores veteri repugnantes damnaverit, summa vero et eminentiora hujus præcepta confirmaverit, ac seipsum Mosaicæ legis finem esse docuerit.

4. Seniorum enim ipsorum traditio, quam ex lege observare fingebant, contraria erat legi datæ per Moysem. Propter hoc et Isaias ait : « Caupones tui miscent vinum aqua [85] ; » ostendens quod amstero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est aggredientes (58) aduleram legem, et contrariam legi, sicut et Dominus fecit manifestum, dicens eis : «Quare vos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem vestram [86] ? » Non solum autem per prævaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua ; sed et suam legem e contrario statuerunt, quæ usque adhuc Pharisaica vocatur. In qua quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem, quemadmodum volunt, interpretantur ; quibus utuntur singulariter magistri eorum : quas traditiones volentes vindicare (59), legi Dei instituenti eos ad adventum (60) Christi non subjecti esse voluerunt ; sed et Dominum arguebant in sabbatis curantem, quod quidem sicut prædiximus, lex non prohibebat. Etenim ipsi secundum aliquid curabant, circumcidentes (61) hominem in sabbato ; se autem ipsos non rèdarguebant, per (62) traditionem et prædictam Pharisaicam legem transgredientes præceptum Dei, et præceptum legis non habentes, id est dilectionem, quæ est erga Deum.

2. Quoniam autem hoc primum et maximum præceptum est, sequens autem erga proximum, Dominus docuit, totam legem et prophetas pendere dicens ex ipsis præceptis. Et ipse autem aliud majus hoc præcepto non detulit, sed hoc ipsum renovavit suis discipulis, jubens eis Deum diligere ex toto corde, et cæteros quemadmodum se. Si autem ab alio descendisset Patre, nunquam ex lege primo et summo usus esset præcepto, sed utique omnimodo eniteretur majus hoc a perfecto Patre

[81] Psal. XXXIV, 9. [82] Matth. XXI, 9. [83] Ibid., 16. [84] Cap. XXV. [85] Isa. I, 22. [86] Matth. XV, 3.

(48) *Introeunte eo, omnes.* Vetus Feuard. cod. et Clarom., *introeunte, eum omnes.*

(49) *Clamantes. Et dicentes*, quod addunt editt., omisi auctoritate omnium mss.

(50) *Fili.* In Arundel. cum quibusdam Erasm. editt. et Oxon. juxta evangelicum textum, *filio.*

(51) *Nolentibus. Credere* additur in editt., sed in nullo mss. nostrorum apparet.

(52) *Perficienti.* Sic mss. omnes, nisi quod Ottob. et Merc. 2 vitiose habeant *perfecisti.* Editores vero posuerunt *perficientis*, haud advertentes *perficienti* ablativum absolutum esse, ac subintelligendum *ipso*, videlicet Christo, ut sit sensus : *ipso perficiente suo Patri.*

(53) *Deus Dominus.* Sic Clarom. In Feuard. marg., Arund. et Voss., *Deus* duntaxat. In cæteris, *Dominus* tantum.

(54) *Deserviunt.* Clarom., *deservient.*

(55) *In gloriam.* Ita Clarom. melius quam cæteri *in gloria.*

(56) *Exteriores munditias.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam Eras., Gallas. et Feuard. in textu, *exteriores res mundi hujus.*

(57) *In sempiternum.* Edit. *sempiternam.*

(58) *Aggredientes.* Græce, ni fallor, ἐγχειροῦντες, vel, ἐπιχειροῦντες, *fabricati, moliti, statuentes*, etc.

(59) *Vindicare.* In Feuard., Grab. et Voss., *vendicare ;* in Arundel. *vindicari ;* sed in Eras. et Gallas. corrupte *judicare.*

(60) *Ad adventum. Ad* ex Arund. et Merc. 2 recte adjecit Grab. In cod. Vatic. teste L. Latinio, *in adventum.* In Clarom., si bene legam, scribitur, *instituentis eis adventum Christi.*

(61) *Ipsi ... curabant, circumcidentes. Ipse curabat, circumcidens*, in Clarom. et Anglic., exceptis, quoad ultimam vocem, Merc. 2 codd. At puto, *ipse* scribarum sphalma esse, pro *ipsa*, lex scilicet.

(62) *Per.* Merc. 2 et Ottob. *evovter.*

Digitized by Google

deferre, non eo uti, quod a Deo legis fuisset datum. Et Paulus autem : « Adimplétio, » inquit, « legis, dilectio [87] : » et omnibus cæteris evacuatis, manere fidem, spem, dilectionem; majorem autem esse omnium dilectionem [88], et neque agnitionem sine dilectione, quæ est erga Deum, præstare aliquid; neque mysteriorum comprehensionem, neque fidem, neque prophetiam, sed omnia vacua et frustra (63) esse sine dilectione [89] : dilectionem vero perficere perfectum hominem; et eum, qui diligit Deum, esse perfectum, et in hoc ævo, et in futuro. Nunquam enim desinimus diligentes Deum; sed quanto plus eum intuiti fuerimus, tanto plus eum diligimus.

3. [90] In lege igitur et in Evangelio cum sit primum et maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut seipsum (64) : unus et idem ostenditur legis et Evangelii conditor. Consummatæ enim vitæ præcepta in utroque Testamento cum sint eadem, eumdem ostenderunt Deum : qui particularia quidem præcepta apta utrisque præcepit; sed eminentiora et summa, sine quibus salvari non est (65), in utroque eadem suasit.

4. Quem autem non confundat Dominus, ostendens non ab altero Deo esse legem, sic dicens eis qui a se docebantur, turbæ et discipulis : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia itaque quæcunque dixerint vobis, custodite, et facite; secundum autem opera eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant enim sarcinas graves, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem nec digito quidem volunt eas movere [91]. » Non ergo eam legem, quæ est per Moysem data, incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis suadebat fieri; sed illos redarguebat, quod verba quidem legis enuntiarent, essent autem sine dilectione : et propter hoc injusti in Deum et in proximos exstiterunt. Quemadmodum et Isaias ait : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum [92]. » Non per Moysem datam legem dicens præcepta hominum, sed traditiones presbyterorum ipsorum, quas finxerant, quas vindicantes frustrabantur legem Dei, et propter hoc nec Verbo ejus subjecti sunt. Hoc enim est quod et a Paulo dicitur de istis : « Ignorantes enim justitiam Dei, et suam justitiam (66) volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus, ad justitiam (67) omni credenti [93]. » Et quomodo finis legis Christus, si non et initium ejus esset; qui enim finem intulit, hic et initium operatus est; et ipse est qui dicit Moysi : « Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto, et descendi ut eruam eos [94]; » ab initio assuetus Verbum Dei ascendere et descendere, propter salutem eorum qui male haberent.

5. Quoniam autem lex prædocuit hominem sequi oportere Christum, ipse facit manifestum, ei qui interrogavit eum, quid faciens vitam æternam hæreditaret, sic respondens : « Si vis in vitam introire, custodi præcepta. » Illo autem interrogante : « Quæ? » rursus Dominus : « Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium reddes, honora patrem et matrem, et 242 diliges proximum tanquam teipsum [95]; » velut gradus proponens præcepta legis introitus in vitam, volentibus sequi eum : quæ uni tum dicens, omnibus dicebat. Ille autem cum dixisset : « Omnia feci » (et forte non fecerat (68), nam utique non diceretur ei : « Custodi præcepta »), arguens Dominus cupiditatem ejus, dixit ei : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et divide pauperibus, et veni, sequere me [96]; » apostolorum partem promittens eis qui sic fecerint : et non alterum Deum Patrem annuntiabat eis, qui sequebantur eum, præter eum qui ab initio a lege annuntiatus est; nec alium Filium, nec Matrem, enthymesin Æonis qui fuit in passione, et in defectione; nec triginta Æonum plenitudinem, quæ vacua et inconstans ostensa est; nec eam fabulam quæ a reliquis hæreticis ficta est : sed docebat ut facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, et ut veterem cupiditatem per opera bona solverent, et sequerentur Christum. Quoniam autem ea quæ possidentur, pauperibus divisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zacchæus fecit manifestum : « Ecce, » dicens, « dimidium ex bonis meis do pauperibus, et si cujus quid fraudavi (69), reddo quadruplum [97]. »

CAPUT XIII [98].

Christum naturalia legis præcepta non dissolvisse; imo potius implevisse, extendisse et ampliasse : qui veteris legis jugum ac vincula ideo absolvit, ut homo jam liber ea fiducia ac pietate, quæ filios decet, Deo pareret.

1. Et quia Dominus naturalia legis (70), per quæ

[87] Rom. XIII, 10. [88] I Cor. XIII, 13. [89] Ibid., 2. [90] Cap. XXVI. [91] Matth. XXIII, 2 seqq. [92] Isa. XXIX, 13. [93] Rom. X, 3, 4. [94] Exod. III, 7, 8. [95] Matth. XIX, 17 seqq. [96] Ibid., 21. [97] Luc. XIX, 8. [98] Cap. XXVII.

(63) *Frustra.* Alii, *frustrata.*

(64) *Seipsum.* Alii, *teipsum.*

(65) *Non est.* Græcorum more, pro *possibile non est.* Sic omnes mss. In editt., *non potest.*

(66) *Justitiam.* Deest in Eras. et Gallas. ut et in cod. Alexand.

(67) *Ad justitiam.* Clarom., *in justitiam.*

(68) *Et forte non fecerat.* Ea saltem intentionis puritate, et interno affectu, quem lex evangelica requirit.

(69) *Ex bonis meis ... fraudavi.* Sic Clarom., Arund. et Voss. Cæteri, *bonorum meorum ... defraudavi.*

(70) *Naturalia legis.* Legem naturalem intelligit, hominum cordibus a Deo insculptam, seu, ut loquitur Tertull. lib. *Adv. Jud.*, *legem non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, et a Patribus (ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis) custodiebatur;* quæque Decalogi præceptis, quæ postea Deus Moysi tradidit, confirmavitque, potissimum continetur.

Digitized by Google

qui fecit cœlum et terram, hunc Deum confitebatur (67) : et doctus repræsentatione (68), quod inter homines homo (69) futurus esset Filius Dei, per cujus adventum semen ejus erat futurum quasi stellæ cœli, concupivit eam diem videre, uti et ipse complecteretur Christum : et per spiritum prophetiæ eam videns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus re implebat gratulationem patriarchæ, et dicebat : « Nunc remittis (70) servum tuum, Domine, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti in facie (71) omnium populorum : lumen ad revelationem gentium (72), et gloriam populi Israel [24]. » Et angeli autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiaverunt [25]. Sed et Maria ait : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo [26] : » descendente quidem exsultatione Abrahæ in eos qui erant ex semine ejus, vigilantes (73) et videntes Christum, et credentes ei; reciproca autem rursus et regrediente exsultatione a filiis in Abraham, qui et concupierat diem adventus Christi videre. Bene igitur Dominus noster testimonium reddebat ei, dicens : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est [27]. »

2. [28] Non enim tantum propter Abraham hæc dixit : sed et ut ostenderet, quoniam omnes qui ab initio cognitum habuerunt Deum (74), et adventum Christi prophetaverunt, revelationem acceperunt ab ipso Filio, qui et in novissimis temporibus visibilis et passibilis factus est, et cum humano genere locutus est, uti ex lapidibus excitaret filios Abrahæ, et adimpleret repromissionem, quam promiserat illi Deus, et faceret (75) semen ejus tanquam stellas cœli, quemadmodum ait Joannes Baptista : « Potens est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ [29]. » Hoc autem fecit Jesus, a lapidum religione extrahens nos, et a duris (76) et infructuosis cogitationibus transferens nos, et similem Abrahæ fidem in nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testificatur, dicens, nos esse filios Abrahæ secundum similitudinem fidei, et repromissionem hæreditatis [30].

3. Unus igitur et idem Deus, qui advocavit Abraham, et repromissionem ei dedit. Hic est autem fabricator, qui et per Christum præparat luminaria in mundo, eos qui ex gentibus credunt. « Vos » autem, inquit, « estis lumen mundi [31], » hoc est, quasi stellæ cœli. Hunc ergo recte ostendimus a nemine cognosci, nisi a Filio, et quibuscunque Filius revelaverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem (77), et neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus : « Ego sum via, veritas, et vita. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me (78), et Patrem 236 meum utique cognovissetis, et amodo cognovistis eum, et vidistis [32]. » Ex quibus manifestum est, quoniam per Filium, id est per Verbum, cognoscitur.

4. [33] Propter hoc Judæi excesserunt a Deo, Verbum ejus (79) non recipientes, sed putantes per seipsum (80) Patrem sine Verbo, id est sine Filio, posse cognoscere; Deum nescientes eum qui in figura locutus est humana ad Abraham (81), et iterum ad Moysem, dicentem : « Videns vidi vexationem populi mei in Ægypto, et descendi liberare eos [34]. » Hæc enim (82) Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat (83), non indigente Patre angelis, uti faceret conditionem, et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat : neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum, quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant; sed habente

[24] Luc. II, 29 seqq. [25] Ibid., 8 seqq. [26] Luc. I, 46. [27] Joan. VIII, 56. [28] Cap. XVI. [29] Matth. III, 9. [30] Rom. IV, 12 seqq.; IX, 8, et Gal. IV, 28. [31] Matth. V, 14. [32] Joan. XIV, 6, 7. [33] Cap. XVII. [34] Exod. III, 7, 8.

(67) *Hunc Deum confitebatur.* Verbis supra in fine capitis 5, n. 5, ex Gen. XIV, 22, citatis.

(68) *Et doctus repræsentatione.* De trium illorum apparitione loquitur, ait Feuardentius, quorum unum Filium Dei fuisse, quem adorarit, et Dominum Deum suum vocarit, magna concordia dicunt Justinus M. in *Dialogo*; Tertullianus lib. *De carne Christi*, et lib. III *contra Marcion.*; Eusebius lib. I *Hist.*, cap. 1, Athanasius serm. 3 *contra Arianos*; Hilarius lib. IV *De Trinit.*; Cyrillus Hierosol. catech. 11 et 12; Ambrosius lib. II *De Abraham*, cap. 5; Augustinus lib. II *De Trinit.*, cap. 11 et 12.

(69) *Homo.* Deest in Merc. 2 et Voss.

(70) *Remittis.* Clarom. et Voss. *dimittis.*

(71) *Parasti in facie.* Sic Feuard. marg., Clarom et Arund. In Voss., *parasti ad faciem.* In cæteris cum Vulgata, *parasti ante faciem.*

(72) *Ad revelationem gentium.* Ita ex vet. Feuard. cod. emendavi. Cæteri omnes corrupte, et sacro textu repugnante, *ad revelationem*, vel *in revelationem*, aut *in revelatione oculorum.* Vox enim *oculorum*, scribarum sphalma est, pro *populorum.*

(73) *Vigilantes.* Al., *evigilantes.* Respicit auctor ad Luc. II, 8 et 17.

(74) *Deum.* Alii, *Dominum.*

(75) *Et faceret.* Editi, *ut faceret.*

(76) *Et a duris.* Feuard. ex vet. cod. cui consentiunt Voss. et Grab., *et a nostris duris.*

(77) *Cognosci, Patrem.* Ita Clarom. melius quam cæteri omnes, *agnosci*, vel *cognosci Pater.*

(78) *Si cognovissetis me*, etc. Eras. et Gall., *si cognovistis me, et Patrem meum cognoscitis, ... et vidistis*, omisso *eum.* Quam vocem omisi et ipse cum iisdem et Clarom. ac Merc. 2, quia supra lib. III, cap. 13, num. 2, omittitur in omnibus mss. Addidi vero ex Clarom. *utique*, post *meum*; quæ vox legitur in Vulgata.

(79) *Ejus.* Editt., *Dei.*

(80) *Per seipsum.* Græcorum more pro .... *seorsim, separatim.*

(81) *Ad Abraham.* Perperam addunt editt. *et Aaron*, quod expunxi auctoritate veteris Feuard. cod., Clarom. et Voss.

(82) *Hæc enim.* Eras., Gall. et Feuard. male, *hic enim.*

(83) *Præstruebat.* Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss., *perstruebat.*

Digitized by Google

copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei (84) ad omnia sua progenies et figuratio sua (85), id est Filius et Spiritus sanctus (86), Verbum et Sapientia; quibus serviunt, et subjecti sunt omnes angeli. Vani igitur sunt qui propter hoc, quod dictum sit : « Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius; » alterum introducunt incognitum Patrem.

CAPUT VIII [35].

Vanos esse Marcionem et asseclas, qui Abraham a salute per Christum impertita excludunt; Christum enim non Abraham modo, sed et semen ejus in libertatem asseruisse, legem implendo, non solvendo, dum etiam Sabbatis curabat.

1. Vanus autem et Marcion, et qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui Spiritus per multos (87), jam autem et per Paulum testimonium reddit, quoniam « credidit Deo, et deputatum est ei ad justitiam [36] : » et Dominus (88), primum quidem de lapidibus excitans filios ei, et faciens semen ejus quasi stellas cœli, dicens : « Quoniam venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum [37]; » iterum dicens Judæis : « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno cœlorum (89), vos autem projici foras [38]. » Manifestum est ergo, quoniam qui contradicunt saluti ejus, et alterum præter eum, qui promissionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei sunt, et exhæredes sunt ab incorruptela (90), frustrantes (91) et blasphemantes Deum, qui in regnum cœlorum introducit Abraham, et semen ejus, quod est Ecclesia, per Christum Jesum, cui (92) et adoptio redditur, et hæreditas quæ Abrahæ promissa est.

2. [39] Vindicabat enim semen ejus Dominus, solvens a vinculis, et advocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere, quæ ab eo curata est, manifeste dicens his, qui non similem Abrahæ habebant fidem : « Hypocritæ, unusquisque vestrum die Sabbatorum bovem suum, vel asinum non solvit, et ducit, et adaquat? Hanc autem, cum sit filia Abrahæ, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, non oportuerat solvi (93) ab hoc vinculo in die Sabbatorum [40]? » Manifestum est igitur, quoniam eos qui similiter ut Abraham credebant ei, solvit, et vivificavit (94), nihil extra legem faciens, curans in die Sabbatorum. Non enim prohibebat lex curari (95) homines Sabbatis, quæ et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere; sed et mutorum animalium curationem non prohibebat. Et Siloa etiam (96) sæpe Sabbatis curavit : et propter hoc assidebant ei multi die Sabbatorum [41]. Continere enim jubebat eos lex ab omni opere servili, id est ab omni avaritia, quæ per negotiationem et reliquo terreno actu agitur (97) : animæ autem opera, quæ fiunt per sententiam, et sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri. Et propter hoc Dominus arguebat eos, qui injuste exprobrabant ei, quia Sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat legem, summi sacerdotis operam perficiens (98), propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens, uti exsiliatus homo (99) exiret de condemnatione, et reverteretur intrepido ad suam hæreditatem.

3. [42] Sed et esurientes accipere Sabbatis escam ex his quæ adjacebant, non vetabat lex : **237** metere autem et colligere in horreum vetabat. Et ideo Dominus his, qui incusabant discipulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit : « Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esuriisset, quem-

[35] Cap. XVIII. [36] Rom. IV, 3. [37] Matth. VIII, 11, et Luc. XIII, 29. [38] Ibid., 28. [39] Cap. XIX. [40] Luc. XIII, 15, 16. [41] Joan. IX, 14. [42] Cap. XX.

(84) *Ministrat enim ei*, etc. Vid. Dissert. 3, art. 5, § 59.

(85) *Figuratio sua.* His verbis Spiritum sanctum designari, demonstrat mox subjecta explicatio; unde putem vocem αὐτοῦ male ab interprete redditam fuisse per *sua* : verti debuisset *ejus*, ut nimirum *figuratio* ad *progeniem* seu Filium referatur. Nam Spiritum sanctum Filii *figurationem* seu imaginem dici a SS. Patribus, notissimum est. Sic Athanasius in epist. I ad Serapionem, Spiritum sanctum ait esse σφραγῖδα, *sigillum quod Filium exprimit*, et Basilius in V *advers. Eunom.* pag. 116 : Εἰκὼν μὲν Θεοῦ Χριστός, ὡς ἐστι, φησὶν, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, εἰκὼν δὲ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, etc. *Imago quidem Dei Christus*, qui est, *inquit*, *imago Dei invisibilis* : *imago vero Filii Spiritus*, etc.

(86) *Sanctus.* Deest in Anglic., sed non in Clarom.

(87) *Per multos.* Per Mosen scilicet et omnes prophetas.

(88) *Et Dominus.* Supple, *testimonium reddit.*

(89) *Regno cœlorum.* Editt. cum Merc. 2, *regno Dei.*

(90) *Ab incorruptela.* Editt., *incorruptelæ.*

(91) *Frustrantes.* I. e. *spernentes*, *rejicientes.*

(92) *Cui. Ecclesiæ* videlicet.

(93) *Oportuerat solvi.* Merc. 2, *oportuit solvere*; quibus Eras. et Gall. editt. quoad posterius verbum consonant. Ottob., *oportuerit solvere.*

(94) *Vivificavit.* Ita Clarom., Voss. et Arund. melius quam cæteri, *vivificat.*

(95) *Curari.* In editt., *curare.*

(96) *Et Siloa etiam*, etc. Memoria lapsus Irenæus, Siloæ piscinam cum probatica confundere videtur. Illam enim *sæpe Sabbatis curasse*, nullibi legimus : at ad istius crepidinem jacuisse plures languidos in die Sabbati, *exspectantes aquæ motum*, e quibus unum *triginta et octo annos habentem in infirmitate sua*, a Salvatore curatum fuisse scribit Joannes cap. v.

(97) *Agitur.* Ita Clarom. melius quam cæteri, *agitatur.*

(98) *Operam perficiens.* Edit. Oxon. et Merc. 2, *opera perficiens.* Eras., Gall. et Feuard., *operam faciens.*

(99) *Uti exsiliatus homo*, etc. Alludit, inquit Feuard., ad Hebræorum legem, quæ, mortuo summo pontifice, exsules domum redire permittebat : et qui hic *exsiliatus homo* dicitur, exsul tantum significatur : Græce forsan non male φυγαδευτὴς nominaretur.

Digitized by Google

admodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus [45]? » per legis verba suos discipulos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David (1) apud Deum (2), quamvis Saul persecutionem faceret ei.

Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος, ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem (3).

Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt. De quibus et Moyses in Deuteronomio, in benedictione Levi ait : « Qui dicit patri suo et matri suæ : Non novi te ; et fratres suos non agnovit, et filios suos abdicavit : custodivit præcepta tua, et testamentum tuum servavit [46]. » Qui autem sunt, qui dereliquerunt patrem et matrem, et omnibus proximis renuntiaverunt, propter verbum Dei et testamentum ejus, nisi discipuli Domini ? De quibus iterum Moyses : « Hæreditas autem, » inquit, « non erit eis. Dominus enim ipse hæreditas ipsorum [47]. » Et iterum : « Non erit sacerdotibus levitis in tota tribu Levi pars, neque substantia cum Israel : fructificationes Domini substantiæ eorum (4) ; manducabunt eas [48]. » Propter hoc et Paulus : « Non inquiro, » inquit, « datum ; sed inquiro fructum [49]. » Discipulis, inquit, Domini (5) leviticam substantiam habentibus, licebat eis esurientibus, a seminibus accipere escam : « Dignus est enim operarius esca sua [50]. » Et sacerdotes in templo Sabbatum profanabant, et rei non erant. Quare ergo rei non erant ? Quia cum essent in templo, non sæcularia, sed Dominica perficiebant ministeria, legem (6) adimplentes, non autem prætereuntes legem ; quemadmodum is qui a semetipso arida ligna attulit in castra Domini, qui et juste (7) lapidatus est. « Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, abciudetur, et in ignem mittetur [51]. » Et : « Quicunque templum Dei violaverit, violabit illum Deus [52]. »

CAPUT IX [53].

Utriusque testamenti unum esse auctorem, finem, scopumque præcipuum.

1. Unius igitur et ejusdem substantiæ sunt omnia, hoc est, ab uno et eodem Deo, quemadmodum et Dominus ait discipulis : « Propterea omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera [54]. » Non alterum quidem vetera, alterum vero (8) proferentem nova docuit ; sed unum et eumdem. Paterfamilias enim Dominus est, qui universæ domui paternæ dominatur : et servis quidem, et adhuc indisciplinatis condignam tradens legem ; liberis autem, et fide justificatis congruentia dans præcepta, et filiis adaperiens suam hæreditatem. Scribas autem et doctores regni cœlorum, suos dicebat discipulos, de quibus et alibi ait Judæis : « Ecce, mitto ad vos sapientes, et scribas, et doctores, et ex eis occidetis, et effugabitis a civitate in civitatem [55]. » Ea autem, quæ de thesauro proferuntur (9) nova et vetera, sine contradictione duo testamenta dicit : vetus quidem, quod ante fuerat, legisdatio ; novum (10) autem, quæ secundum Evangelium est conversatio, ostendit, de qua David ait : « Cantate Domino canticum novum [56]. » Et Isaias : « Cantate Domino hymnum novum. Initium (11) ejus, glorificatur (12) nomen ejus a summo

[45] Luc. VI, 3, 4. [46] Deuter. XXXIII, 9. [47] Numer. XVIII, 20, et Deuter. X, 9. [48] Deuter. XVIII, 1. [49] Philipp. IV, 17. [50] Matth. X, 10. [51] Matth. III, 10, et VII, 19. [52] I Cor. III, 17. [53] Cap. XXI. [54] Matth. XIII, 52. [55] Matth. XXIII, 34. [56] Psal. XCV, 1, et XCVII, 1.

(1) *Sacerdos autem scitus fuerat David.* Apertus est verborum istorum sensus, nec in iis offenderet vel cæcus quispiam. Nempe Davidem vocat *sacerdotem scitum*, quia *omnes justi* (vel ut habet alia lectio mox indicanda, *omnis rex justus*), *sacerdotalem habent ordinem*. Idipsum est quod de piis quibusque Christianis dixit Petrus epist. 1, cap. 2, *Regale sacerdotium*, *sanctum sacerdotium esse* ; videlicet, ut statim explicat, *ad offerendas Deo spirituales hostias*. Ecce tamen, Grabius primus omnium, quem sciam, iis Irenæi verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas, et obtorto, ut aiunt, collo, puritanis tradat : quasi illius sententia fuerit, *quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate prædiii*, *ejusque exercitium*, *ubi necessitas requirit*, *obire queant*. Quem absurdum sensum solus in Irenæi verbis expiscatus fuerit ; nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit. Sed de hi consule Dissert. 3, art. 8, § 100, ubi frivola novi editoris argumenta late expendimus dissolvimusque.

(2) *Apud Deum.* Sic Clarom. et 4 Anglic., una cum edit. Oxon. In aliis edition. minus recte, *apud eum*.

(3) *Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem.* Sententiam hanc ex Irenæo nominatim, sed paulo alter transcripserunt Joannes Damascenus in *Parallelis* lit. B. tit. 2, tam in cod. Clarom. (ex quo eam edidit Halloixius in *Vita Iren.*, pag. 498), quam in Vaticano lit. B. tit. 9, et Antonius Melissa serm. 1, part. II ; Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. *Omnis rex justus sacerdotalem habet ordinem.* Quæ quidem lectio, mea quidem sententia, Vulgatæ præferenda videtur : arctius enim cohæret cum ea quæ præcedit de Davide sententia. Eam tamen, nullo hactenus favente codice Latino, textui inserere, religio esset.

(4) *Substantiæ eorum.* Al., *substantia eorum.*

(5) *Domini.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *Dominus.*

(6) *Legem.* Aliqui, *legis.*

(7) *Qui et juste. Qui et* addidi ex Clarom.

(8) *Vero.* Al., *quidem.*

(9) *Proferuntur.* Ita Feuard. in marg., Ottob. et Voss. At Clarom. et Arund., *proferentur* ; cæteri, *proferunt.*

(10) *Novum.* Ita restitui pro *nova*, nullo quidem suffragante codice ; sed id aperte exigente tum constructione, tum tota orationis serie.

(11) *Initium.* Græca, ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, melius reddidisset interpres, *principatus ejus.*

(12) *Glorificatur... annuntiant.* Hodierni τῶν Ο codd. habent, δοξάζετε... ἀναγγελοῦσι, *glorificate... annuntiabunt* ; non δοξάζεται... ἀναγγέλλουσι. Sed

Digitized by Google

terræ : virtutes ejus in insulis annuntiant [58]. » Et Jeremias ait : « Ecce disponam, » inquit, « testamentum novum, non quemadmodum disposui patribus vestris [59] » in monte Oreb. Utraque autem testamenta unus et idem paterfamilias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui et Abrahæ, et Moysi collocutus est, et nobis (15) in novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam, quæ ab ipso est, gratiam.

2. [57] « Plus est enim, » inquit, « templo hic [60]. » Plus autem et minus non in his dicitur, quæ inter se communionem non habent, et sunt contrariæ naturæ, et pugnant adversum se ; sed in his quæ ejusdem sunt substantiæ, et communicant secum, solum autem multitudine (14), et magnitudine differunt : quemadmodum aqua ab aqua, 238 et lumen a lumine, et gratia a gratia. Major est igitur legisdatio quæ in libertatem, quam quæ data est in servitutem : et ideo non in unam gentem, sed in totum mundum diffusa est. Unus autem et idem Dominus, qui plus quam templum est, et plus quam Salomon, et plus quam Jonas donat hominibus, id est, suam præsentiam et resurrectionem a mortuis : sed non Deum immutans, nec alium prædicans Patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet plura metiri domesticis ; et proficiente eorum erga Deum dilectione, plura et majora donans, quemadmodum et Dominus discipulis dicebat : « Quoniam et majora horum videbitis [61]. » Et Paulus ait : « Non quod jam acceperim, aut justificatus (15) sim, aut jam perfectus sim [62]. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quæ sunt ex parte destruentur [63], » Sicut igitur, adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus, sed hunc quem nunc videre concupimus (« Beati enim mundi corde (16), quoniam ipsi Deum videbunt [64] ») ; neque alium Christum, et Dei Filium exspectabimus, sed hunc qui ex Maria Virgine, qui et passus est, in quem et credimus, quem et diligimus (quemadmodum Isaias ait : « Et dicent in illa die : Ecce, Dominus Deus noster, in quem speravimus, et exsultavimus in salute nostra [65]. » Et Petrus ait in Epistola sua : « Quem non videntes diligitis, » inquit, « in quem nunc non videntes credidistis (17), gaudebitis gaudio ineffabili [66] ») ; neque alium Spiritum sanctum percipimus, nisi hunc qui est nobiscum, et qui clamat : « Abba, pater [67] ; » et in iisdem ipsis augmentum habebimus, et proficiemus, ut jam non per speculum, et per ænigmata, sed facie ad faciem fruamur muneribus Dei : sic et nunc plus templo, et plus Salomone percipientes, quod est adventus Filii Dei, non alterum didicimus Deum, præter fabricatorem et factorem omnium, qui ab initio nobis demonstratus est ; neque alterum Christum Dei Filium, præter eum qui a prophetis prædicatus est.

3. Novo enim Testamento cognito et prædicato per prophetas, et ille qui illud dispositurus erat secundum placitum Patris, prædicabatur, manifestatus hominibus, quemadmodum voluit Deus ; ut possint semper proficere credentes in eum, et per testamenta maturescere perfectum salutis (18). Una enim salus, et unus Deus : quæ autem formant hominem, præcepta multa (19), et non pauci gradus, qui ducunt hominem ad Deum. Terreno quidem et temporali regi (20), cum sit homo, licet aliquoties majores profectus attribuere his qui sunt subjecti : Deo autem non licebit (21), cum sit idem, et semper majorem gratiam præstare (22) humano generi velit (23). et pluribus muneribus assidue honorare eos qui placent ei ? Si autem hoc est

[58] Isa. XLII, 10, 12. [59] Jerem. XXXI, 31, 32. [60] Philip. III, 12. [61] I Cor. XIII, 9, 10. [62] Matth. V, 8. [63] Isa. XXV, 9. [64] I Pet. I, 8. [65] Rom. VIII, 15. [66] Cap. XXII. [67] Matth. XII, 6. [68] Joan. I, 50.

hæc forte memoriter allegavit Irenæus, uti et sequentia.

(13) *Et nobis.* Sic Clarom. In Feuard. et Grab., *qui nobis.* At in Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, nec *qui*, nec *et* apparent.

(14) *Multitudine.* Al. perperam, *altitudine.*

(15) *Aut justificatus. Quod* additum a Feuard. ante *justificatus*, expunxi auctoritate codd. Clarom., Arund. et Merc. 2, ac ipsius Italicæ versionis, quæ hoc addimentum ex I Corinth. IV, 4, desumptum sola hic exhibet, ut constat ex vetustissimo nostro cod. ms. Græco-Lat. San-Germanensi, Ambrosiastri Comment. et aliis.

(16) *Mundi corde.* Sic Clarom. cum antiqua versione Italica, et Græco Evangelii textu. Cæteri, *mundo corde.*

(17) *Credidistis.* Nostri N. T. codd. habent, et quidem melius, πιστεύοντες δέ, *credentes autem.*

(18) *Per Testamenta maturescere perfectum salutis.* Sic recte vetus Feuard. cod. et Clarom. et forte etiam Voss. cod. Hic saltem consentit quoad *perfectum :* de voce *testamenta*, quam habent Eras., Gall. et Feuard., ambigo : siquidem Grab. excudi fecit *testamentum* : an codicis Voss. an alterius auctoritate ? non dixit. Cæterum pro *perfectum*, Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, perperam habent *per effectum ;* nec melius utrumque retinere Feuardentio visum est. *Perfectum* autem *salutis* dixit Irenæus, pro *perfectione* seu *consummatione salutis*, gloria videlicet æterna : quo sensu paulo ante scripsit : *sicut igitur adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus*, etc. Ac proinde sensus est : *Ut possint semper proficere credentes in eum et per varia sibi invicem succedentia testamenta maturescere queat salutis humanæ consummatio.* I. e. per varia testamenta possint homines paulatim ad gloriam æternam perduci.

(19) *Quæ autem formant hominem, præcepta multa.* Sic Clarom., Arund. et Voss. melius et Irenæi argumento convenientius quam cæteri, *qui formavit hominem, præcepta autem multa.*

(20) *Terreno quidem et temporali regi.* In vet. cod. Feuard. et Voss., *ante terrenum quidem et temporalem regem.*

(21) *His qui sunt subjecti : Deo autem non licebit*, etc. Cod. Clarom. paulo aliter : *his autem qui sunt subjecti Deo non licebit.* At Vulgata lectio præferenda videtur : quare, post *Deo autem non licebit*, subintelligenda quæ præcesserunt, *majores profectus attribuere his qui sunt subjecti.*

(22) *Præstare.* Eras., Gall. et Feuard. perperam, et repugnantibus omnibus mss., *præstat.*

(23) *Velit.* Hoc verbum addidi ex cod. Clarom.

Digitized by Google

proficere, alterum adinvenire Patrem, præter eum qui ab initio annuntiatus est, et rursum, præter eum qui putatur secundo inventus esse, alterum tertium adinvenire; et ejusdem erit profectus et a tertio in quartum, et ab hoc (24) rursum alterum, et alterum: et sic semper putans proficere talis sensus, nunquam in uno stabit Deo. Expulsus enim ab eo qui est, et reversus retrorsum, quæret quidem semper, inveniet autem nunquam Deum; sed semper incomprehensibilitatis profundo natabit, nisi per pœnitentiam conversus, unde abjectus erat, revertatur; unum Deum Patrem Demiurgum confitens, et credens, qui a lege et prophetis annuntiatus est, qui a Christo testificatus est, quemadmodum ipse ait ad eos qui accusabant ejus discipulos, quasi non servarent traditionem seniorum: « Quare vos frustramini præceptum Domini (25), propter traditionem vestram? Deus enim dixit: Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur [66]. » Et iterum ait eis: « Et frustrati estis sermonem Dei (26) propter traditionem vestram [67]; » manifestissime Patrem et Deum (27) confitens Christus eum, qui in lege dixit: « Honora patrem et matrem, ut tibi bene sit [68]. » Verbum enim Dei confessus est legis præceptum verax Deus, et neminem alterum Deum appellavit, quam suum Patrem.

239 CAPUT X [69].

Veteris Testamenti Scripturas, eas potissimum quæ a Moyse exaratæ sunt, Filii Dei ubique passim meminisse, ejusque adventum et passionem clarissime prænuntiasse, ac proinde ab uno et eodem Patre inspirante manasse.

1. Bene igitur et Joannes meminit dicentem Dominum Judæis: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis [70]. » Quomodo igitur testabantur de eo Scripturæ, nisi ab uno et eodem essent Patre, præinstruentes homines de adventu Filii ejus, et prænuntiantes salutem quæ est ab eo? « Si enim crederetis Moysi, » inquit (28), « crederetis et mihi: de me enim ille scripsit [71]; » scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis ejus Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras (29): aliquando autem quærens Adam (30): aliquando autem Sodomitis inducens judicium: et rursus cum videretur (31), et in viam dirigit Jacob, et de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei, cujus et diem passionis non ignoravit; sed figuratim prænuntiavit eum, Pascha nominans: et in eadem ipsa, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus adimpleus Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis, dicens: « Non poteris immolare Pascha in ulla alia civitatum tuarum, quas (32) Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi: immolabis Pascha vespere ad occasum solis [72]. »

2. Jam autem et manifestaverat ejus adventum, dicens: « Non deerit princeps in Juda, neque dux ex femoribus ejus, quoadusque veniat cui repositum (33) est, et ipse est spes gentium; alligans ad vitem pullum suum, et ad helicem (34) pullum asinæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ

[66] Matth. xv, 3, 4. [67] Ibid., 6. [68] Exod. xx, 12. [69] Cap. XXIII. [70] Joan. v, 39, 40. [71] Ibid. v, 46. [72] Deuter. xvi, 5, 6.

(24) *Ab hoc.* Eras., Gall. et Merc. 2, *adhuc.* Utrumque frustra retinuit Feuard.

(25) *Domini.* Eras. et Gall., *divinum.*

(26) *Sermonem Dei.* Τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, legisse videtur Irenæus, quomodo et habet cod. Cantabrig. Editi vero habent ἐντολήν, *mandatum.*

(27) *Patrem et Deum.* In Arundel. et Merc. 2, *Patrem et Dominum*, sicut Eras. et Gall. ordine inverso, *Dominum et Patrem.* At Feuard. utroque retento, *Dominum et Deum Patrem.*

(28) *Inquit.* Addidi ex Clarom.

(29) *Aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras.* Ita Clarom., Voss. et vetus Feuard. codex (ut ex ejus adnotatione colligitur), excepto quod in hoc exstat *ei* pro *eis.* In Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2 legitur: *aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comesurus*; omissis, *aliquando quidem cum Noe*, etc. Feuardentio vero, quem secutus est Grabius, utraque servata lectione scribere visum est: *aliquando quidem cum Abraham loquens, cum eodem comesurus; aliquando cum Noe, dans ei mensuras.* Ubi vocem, *aliquando* ante *cum eodem* propria auctoritate expunxit. Et tamen hæc ipsa vox ostendit, aliud periodi membrum hinc incipere, ac proinde ista, *cum eodem comesurus*, ab imperitis librariis scripta fuisse pro: *cum Noe dans eis mensuras*; quia, quid sibi vellent *mensuræ* illæ, non intelligebant. Quare ex citatorum trium veterum codicum auctoritate deletis, *cum eodem comesurus*, textum restituere non dubitavi. Illud autem, *dans eis mensuras*, explico tum de arcæ dimensionibus, quas Deus Noemo præfinivit, Gen. vi, 14 seqq., tum de orbis terrarum distributione, ab eodem jussu Dei inter tres filios facta, Gen. x et xi, juxta illud D. Pauli *Actor.* xvii, 26: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et termiuos habitationis eorum*, tum denique de terræ promissionis ab Abraha posteris quondam possidendæ finibus, quos ipsi Deus prænonstravit, præstituitque, Genes. xiii, 14 et 17, et xv. 18 et seqq.

(30) *Aliquando autem quærens Adam.* Hæc quoque desunt in Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2.

(31) *Videretur.* Editi cum Arund. et Merc. 2, *videtur.*

(32) *Quas.* Al. *quam.*

(33) *Repositum.* In Feuard. marg. et Voss., *repromissum*; quomodo et Novatianus habet lib. *De Trinit.* cap. 9.

(34) *Helicem.* Sic pro *ilicem* reposui auctorit. Biblici textus τῶν Ο', in quo legitur, ἕλικι. Helicem etiam legit Cyprian. lib. 1 *Adversus Judæos*, cap. 21 in correctis exemplaribus. Qui in mss. codicum lectione versati sunt, norunt quam frequenter *e* commutetur in *i*; ac proinde non mirum si pro *ilicem* aut *helicem* scripserint amanuenses, *ilicem*. *Helix* autem Græca vox est, significans vitis claviculam.

Digitized by Google

pallium suum; lætifici (35) oculi ejus a vino (36), et candidi dentes ejus quam lac [73] (37). » Inquirant enim hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps, et dux ex Juda, et qui est gentium spes, et qui vitis, et qui pullus ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes, et quod vinum, et unumquodque ex dictis (38) exquirant; et invenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum, quod ingratus exsisteret, ait : « Sic populus fatuus, et non sapiens, hæc Domino retribuistis [74] ? » Et rursus significans, quoniam qui ab initio condidit et fecit eos Verbum, et in novissimis temporibus redimens nos, et vivificans, ostenditur pendens in ligno, et non credent ei. Ait enim : « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ [75]. » Et iterum : « Nonne hic idem Pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te [76] ? »

CAPUT XI [77].

Veteres prophetas et justos prænoviase adventum Christi, hunoque videre et audire ardentius appetiisse, ipso per Spiritum sanctum se in Scripturis revelante, et sine sui mutatione noris in dies beneficiis homines ditante, posteriores tamen cumulatius prioribus.

1. Quoniam autem non solum prophetæ et justi multi, præscientes per Spiritum sanctum (39) adventum ejus, oraverunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum et sermones audirent ejus, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis : « Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt [78]. » Quemadmodum igitur concupierunt et audire, et videre, nisi præscissent **240** futurum ejus adventum? Quomodo autem præscire potuerunt, nisi ab ipso præscientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando exhortante, ac deinceps liberante servum (40), et adoptante in filium, et apto tempore incorruptelæ (41) hæreditatem præstante, ad perfectionem hominis? Plasmavit enim eum in augmentum et incrementum, quemadmodum Scriptura dicit : « Crescite et multiplicamini [79]. »

2. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: et quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, et initium, et mediotatem, et adjectionem, et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi æqualis et similis; totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia, et fons omnium bonorum; homo vero profectum percipiens et augmentum ad Deum (42). Quemadmodum enim Deus semper idem est; sic et homo in Deo inventus (43), semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo, et locupletando hominem : neque homo cessat beneficium accipere, et ditari a Deo. Exceptorium enim bonitatis, et organum clarificationis ejus, homo gratus ei qui se fecit : et iterum exceptorium justi judicii ejus homo ingratus, et spernens plasmatorem, et non subjectus Verbo ejus: qui plurimum semper fructificantibus, et plus habentibus Dominicum argentum, daturum se pollicitus est : « Euge, » inquit, « serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui [80]; » ipse Dominus plurimum promittens (44).

3. Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum se pollicitus est, secundum munerationem gratiæ suæ, sed non secundum commutationem agnitionis (ipse (45) enim Dominus perseverat, et idem Pater revelatur); sic ergo et posterioribus majorem, quam quæ fuit in veteri testamento, munerationem gratiæ attribuit unus et idem Dominus per suum adventum. Et illi enim per famulos audiebant venturum regem, et mediocriter gaudebant (46), secundum quod sperabant venturum eum : qui autem præsentem viderunt, et libertatem adepti et potiti sunt ejus munerationem (47), majorem gratiam et abundantiorem exsultationem habent gaudentes de regis adventu, quemadmodum et David dicit : « Anima mea exsultabit in Domino, jucundabitur in

[73] Gen. XLIX, 10 et seqq. [74] Deut. XXXII, 6. [75] Deut. XXVIII, 66. [76] Deut. XXXII, 6. [77] Cap. XXIV. [78] Matth. XIII, 17. [79] Gen. I, 28. [80] Matth. XXV, 21, 23.

(35) *Lætifici.* Ita Clarom., Arund., Voss. et Grab. juxta Græcum χαροποιοί. Cæteri, *lætificabuntur.*

(36) *A vino.* Editi τῶν Ο' codices habent ὑπὲρ οἶνον, *super vinum.* Sed legisse videtur Irenæus ἀπὸ οἴνου, quomodo etiam habet cod. Alexandr.

(37) *Quam lac.* Sic Voss., Clarom. (quamvis in hoc emendator quispiam superscripserit *tan*, ut legatur *tanquam*, haud advertens hellenismum esse, pro *magis quam lac*), et Grabius. Alii *tanquam lac.*

(38) *Dictis.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii minus bene, *occultis.*

(39) *Spiritum sanctum. Sanctum* addidi ex cod. Clarom.

(40) *Servum. Suum* additum in editt. deest in omnibus mss.

(41) *Incorruptelæ.* Al., *incorruptibilem.*

(42) *Ad Deum.* Editt. minus bene, *a Deo :* nam mox sequitur, *semper proficiet ad Deum.*

(43) *Inventus.* Editt., *intentus.*

(44) *Ipse... plurimum promittens.* Sic vetus Feuard cod., Clarom. et Voss. Alii perperam, *ipse.... plurimum promittens.* Hæc vero ad præcedentia, *daturum se pollicitus est*, referuntur; nec proinde corruptus est locus, ut frustra suspicatur Feuardentius.

(45) *Ipse.* Αὐτός, *idem* potius hic verti debuisset.

(46) *Illi enim per famulos audiebant et mediocriter gaudebant.* Al. *illi enim, qui per famulos audiebant ... mediocriter* (sine *et*) *gaudebant.*

(47) *Munerationem.* Sic Voss., Clarom. *remunerationem ;* cæteri, *munerationem.*

Digitized by Google

qui fecit cœlum et terram, hunc Deum confitebatur (67) : et doctus repræsentatione (68), quod inter homines homo (69) futurus esset Filius Dei, per cujus adventum semen ejus erat futurum quasi stellæ cœli, concupivit eam diem videre, uti et ipse complecteretur Christum : et per spiritum prophetiæ eam videns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus re implebat gratulationem patriarchæ, et dicebat : « Nunc remittis (70) servum tuum, Domine, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti in facie (71) omnium populorum : lumen ad revelationem gentium (72), et gloriam populi Israel [24]. » Et angeli autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiaverunt. [25]. Sed et Maria ait : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo [26] : » descendente quidem exsultatione Abrahæ in eos qui erant ex semine ejus, vigilantes (73) et videntes Christum, et credentes ei; reciproca autem rursus et regrediente exsultatione a filiis in Abraham, qui et concupierat diem adventus Christi videre. Bene igitur Dominus noster testimonium reddebat ei, dicens : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est [27]. »

2. [28] Non enim tantum propter Abraham hæc dixit : sed et ut ostenderet, quoniam omnes qui ab initio cognitum habuerunt Deum (74), et adventum Christi prophetaverunt, revelationem acceperunt ab ipso Filio, qui et in novissimis temporibus visibilis et passibilis factus est, et cum humano genere locutus est, uti ex lapidibus excitaret filios Abrahæ, et adimpleret repromissionem, quam promiserat illi Deus, et faceret (75) semen ejus tanquam stellas cœli, quemadmodum ait Joannes Baptista : « Potens est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ [29]. » Hoc autem fecit Jesus, a lapidum religione extrahens nos, et a duris (76) et infructuosis cogitationibus transferens nos, et similem Abrahæ fidem in nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testificatur, dicens, nos esse filios Abrahæ secundum similitudinem fidei, et repromissionem hæreditatis [30].

3. Unus igitur et idem Deus, qui advocavit Abraham, et repromissionem ei dedit. Hic est autem fabricator, qui et per Christum præparat luminaria in mundo, eos qui ex gentibus credunt. « Vos » autem, inquit, « estis lumen mundi [31], » hoc est, quasi stellæ cœli. Hunc ergo recte ostendimus a nemine cognosci, nisi a Filio, et quibuscunque Filius revelaverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem (77), et neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus : « Ego sum via, veritas, et vita. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me (78), et Patrem 236 meum utique cognovissetis, et amodo cognovistis eum, et vidistis [32]. » Ex quibus manifestum est, quoniam per Filium, id est per Verbum, cognoscitur.

4. [33] Propter hoc Judæi excesserunt a Deo, Verbum ejus (79) non recipientes, sed putantes per seipsum (80) Patrem sine Verbo, id est sine Filio, posse cognoscere; Deum nescientes eum qui in figura locutus est humana ad Abraham (81), et iterum ad Moysem, dicentem : « Videns vidi vexationem populi mei in Ægypto, et descendi liberare eos [34]. » Hæc enim (82) Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat (83), non indigente Patre angelis, uti faceret conditionem, et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat : neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum, quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant; sed habente

[24] Luc. II, 29 seqq. [25] Ibid., 8 seqq. [26] Luc. I, 46. [27] Joan. VIII, 56. [28] Cap. XVI. [29] Matth. III, 9. [30] Rom. IV, 12 seqq.; IX, 8, et Gal. IV, 28. [31] Matth. V, 14. [32] Joan. XIV, 6, 7. [33] Cap. XVII. [34] Exod. III, 7, 8.

(67) *Hunc Deum confitebatur.* Verbis supra in fine capitis 5, n. 5, ex Gen. XIV, 22, citatis.

(68) *Et doctus repræsentatione.* De trium illorum apparitione loquitur, ait Feuardentius, quorum unum Filium Dei fuisse, quem adorarit, et Dominum Deum suum vocarit, magna concordia dicunt Justinus M. in *Dialogo*; Tertullianus lib. *De carne Christi*, et lib. III *contra Marcion.*; Eusebius lib. I *Hist.*, cap. 1, Athanasius serm. 3 *contra Arianos*; Hilarius lib. IV *De Trinit.*; Cyrillus Hierosol. catech. 11 et 12; Ambrosius lib. II *De Abraham*, cap. 5; Augustinus lib. II *De Trinit.*, cap. 11 et 12.

(69) *Homo.* Deest in Merc. 2 et Voss.

(70) *Remittis.* Clarom. et Voss. *dimittis.*

(71) *Parasti in facie.* Sic Feuard. marg., Clarom et Arund. In Voss., *parasti ad faciem.* In cæteris cum Vulgata, *parasti ante faciem.*

(72) *Ad revelationem gentium.* Ita ex vet. Feuard. cod. emendavi. Cæteri omnes corrupte, et sacro textu repugnante, *ad revelationem*, vel *in revelationem*, aut *in revelatione oculorum.* Vox enim *oculorum*, scribarum sphalma est, pro *populorum.*

(73) *Vigilantes.* Al., *evigilantes.* Respicit auctor ad Luc. II, 8 et 17.

(74) *Deum.* Alii, *Dominum.*

(75) *Et faceret.* Editi, *ut faceret.*

(76) *Et a duris.* Feuard. ex vet. cod. cui consentiunt Voss. et Grab., *et a nostris duris.*

(77) *Cognosci, Patrem.* Ita Clarom. melius quam cæteri omnes, *agnosci*, vel *cognosci Pater.*

(78) *Si cognovissetis me*, etc. Eras. et Gall., *si cognovistis me, et Patrem meum cognoscitis, ... et vidistis*, omisso *eum.* Quam vocem omisi et ipse cum iisdem et Clarom. ac Merc. 2, quia supra lib. III, cap. 13, num. 2, omittitur in omnibus mss. Addidi vero ex Clarom. *utique*, post *meum*; quæ vox legitur in Vulgata.

(79) *Ejus.* Editi., *Dei.*

(80) *Per seipsum.* Græcorum more pro .... *seorsim, separatim.*

(81) *Ad Abraham.* Perperam addunt editi. *et Aaron*, quod expunxi auctoritate veteris Feuard. cod., Clarom. et Voss.

(82) *Hæc enim.* Eras., Gall. et Feuard. male, *hic enim.*

(83) *Præstruebat.* Feuard. in marg., Clarom., Arund. et Voss., *perstruebat.*

Digitized by Google

copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei (84) ad omnia sua progenies et figuratio sua (85), id est Filius et Spiritus sanctus (86), Verbum et Sapientia; quibus serviunt, et subjecti sunt omnes angeli. Vani igitur sunt qui propter hoc, quod dictum sit : « Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius; » alterum introducunt incognitum Patrem.

CAPUT VIII [35].

Vanos esse Marcionem et asseclas, qui Abraham a salute per Christum impertita excludunt; Christum enim non Abraham modo, sed et semen ejus in libertatem asseruisse, legem implendo, non solvendo, dum etiam Sabbatis curabat.

1. Vanus autem et Marcion, et qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui Spiritus per multos (87), jam autem et per Paulum testimonium reddit, quoniam « credidit Deo, et deputatum est ei ad justitiam [36] : » et Dominus (88), primum quidem de lapidibus excitans filios ei, et faciens semen ejus quasi stellas cœli, dicens : « Quoniam venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum [37]; » iterum dicens Judæis : « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno cœlorum (89), vos autem projici foras [38]. » Manifestum est ergo, quoniam qui contradicunt saluti ejus, et alterum præter eum, qui promissionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei sunt, et exhæredes sunt ab incorruptela (90), frustrantes (91) et blasphemantes Deum, qui in regnum cœlorum introducit Abraham, et semen ejus, quod est Ecclesia, per Christum Jesum, cui (92) et adoptio redditur, et hæreditas quæ Abrahæ promissa est.

2. [39] Vindicabat enim semen ejus Dominus, solvens a vinculis, et advocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere, quæ ab eo curata est, manifeste dicens his, qui non similem Abrahæ habebant fidem : « Hypocritæ, unusquisque vestrum die Sabbatorum bovem suum, vel asinum non solvit, et ducit, et adaquat? Hanc autem, cum sit filia Abrahæ, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, non oportuerat solvi (93) ab hoc vinculo in die Sabbatorum [40]? » Manifestum est igitur, quoniam eos qui similiter ut Abraham credebant ei, solvit, et vivificavit (94), nihil extra legem faciens, curans in die Sabbatorum. Non enim prohibebat lex curari (95) homines Sabbatis, quæ et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere; sed et mutorum animalium curationem non prohibebat. Et Siloa etiam (96) sæpe Sabbatis curavit : et propter hoc assidebant ei multi die Sabbatorum [41]. Continere enim jubebat eos lex ab omni opere servili, id est ab omni avaritia, quæ per negotiationem et reliquo terreno actu agitur (97) : animæ autem opera, quæ fiunt per sententiam, et sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri. Et propter hoc Dominus arguebat eos, qui injuste exprobrabant ei, quia Sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat legem, summi sacerdotis operam perficiens (98), propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens, uti exsiliatus homo (99) exiret de condemnatione, et reverteretur intrepide ad suam hæreditatem.

3. [42] Sed et esurientes accipere Sabbatis escam ex his quæ adjacebant, non vetabat lex : **237** metere autem et colligere in horreum vetabat. Et ideo Dominus his, qui incusabant discipulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit : « Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esuriisset, quem-

[35] Cap. XVIII. [36] Rom. IV, 3. [37] Matth. VIII, 11, et Luc. XIII, 29. [38] Ibid., 28. [39] Cap. XIX. [40] Luc. XIII, 15, 16. [41] Joan. IX, 14. [42] Cap. XX.

(84) *Ministrat enim ei*, etc. Vid. Dissert. 3, art. 5, § 59.

(85) *Figuratio sua*. His verbis Spiritum sanctum designari, demonstrat mox subjecta explicatio; unde putem vocem αὐτοῦ male ab interprete redditam fuisse per *sua* : verti debuisset *ejus*, ut nimirum *figuratio* ad *progeniem* seu Filium referatur. Nam Spiritum sanctum Filii *figurationem* seu imaginem dici a SS. Patribus, notissimum est. Sic Athanasius in epist. 1 ad Serapionem, Spiritum sanctum ait esse σφραγῖδα, *sigillum quod Filium exprimit*, et Basilius in V *advers. Eunom.* pag. 116 : Εἰκὼν μὲν Θεοῦ Χριστὸς, ὃς ἐστι, φησὶν, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, εἰκὼν δὲ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, etc. *Imago quidem Dei Christus*, qui est, *inquit*, *imago Dei invisibilis : imago vero Filii Spiritus*, etc.

(86) *Sanctus*. Deest in Anglic., sed non in Clarom.

(87) *Per multos*. Per Mosen scilicet et omnes prophetas.

(88) *Et Dominus*. Supple, *testimonium reddit*.

(89) *Regno cœlorum*. Edit. cum Merc. 2, *regno Dei*.

(90) *Ab incorruptela*. Edit., *incorruptelæ*.

(91) *Frustrantes*. I. e. *spernentes*, *rejicientes*.

(92) *Cui*. *Ecclesiæ* videlicet.

(93) *Oportuerat solvi*. Merc. 2, *oportuit solvere*; quibus Eras. et Gall. editi. quoad posterius verbum consonant. Ottob., *oportuerit solvere*.

(94) *Vivificavit*. Ita Clarom., Voss. et Arund. melius quam cæteri, *vivificat*.

(95) *Curari*. In editi., *curare*.

(96) *Et Siloa etiam*, etc. Memoria lapsus Irenæus, Siloæ piscinam cum probatica confundere videtur. Illam enim *sæpe Sabbatis curasse*, nullibi legimus : at ad istius crepidinem jacuisse plures languidos in die Sabbati, *exspectantes aquæ motum*, e quibus unum *triginta et octo annos habentem in infirmitate sua*, a Salvatore curatum fuisse scribit Joannes cap. v.

(97) *Agitur*. Ita Clarom. melius quam cæteri, *agitatur*.

(98) *Operam perficiens*. Edit. Oxon. et Merc. 2, *opera perficiens*. Eras., Gall. et Feuard., *operam faciens*.

(99) *Uti exsiliatus homo*, etc. Alludit, inquit Feuard., ad Hebræorum legem, quæ, mortuo summo pontifice, exsules domum redire permittebat : et qui hic *exsiliatus homo* dicitur, exsul tantum significatur : Græce forsan non male φυγαδευτὴς nominaretur.

Digitized by Google

admodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus [43]? » per legis verba suos discipulos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David (1) apud Deum (2), quamvis Saul persecutionem faceret ei.

Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος, ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem (3).

Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt. De quibus et Moyses in Deuteronomio, in benedictione Levi ait : « Qui dicit patri suo et matri suæ : Non novi te ; et fratres suos non agnovit, et filios suos abdicavit : custodivit præcepta tua, et testamentum tuum servavit [44]. » Qui autem sunt, qui dereliquerunt patrem et matrem, et omnibus proximis renuntiaverunt, propter verbum Dei et testamentum ejus, nisi discipuli Domini ? De quibus iterum Moyses : « Hæreditas autem, » inquit, « non erit eis. Dominus enim ipse hæreditas ipsorum [45]. » Et iterum : « Non erit sacerdotibus levitis in tota tribu Levi pars, neque substantia cum Israel : fructificationes Domini substantiæ eorum (4) ; manducabunt eas [46]. » Propter hoc et Paulus : « Non inquiro, » inquit, « datum ; sed inquiro fructum [47]. » Discipulis, inquit, Domini (5) leviticam substantiam habentibus, licebat eis esurientibus, a seminibus accipere escam : « Dignus est enim operarius esca sua [48]. » Et sacerdotes in templo Sabbatum profanabant, et rei non erant. Quare ergo rei non erant ? Quia cum essent in templo, non sæcularia, sed Dominica perficiebant ministeria, legem (6) adimplentes, non autem prætereuntes legem ; quemadmodum is qui a semetipso arida ligna attulit in castra Domini, qui et juste (7) lapidatus est. « Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, abscindetur, et in ignem mittetur [49]. » Et : « Quicunque templum Dei violaverit, violabit illum Deus [50]. »

CAPUT IX [51].

Utriusque testamenti unum esse auctorem, finem, scopumque præcipuum.

1. Unius igitur et ejusdem substantiæ sunt omnia, hoc est, ab uno et eodem Deo, quemadmodum et Dominus ait discipulis : « Propterea omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera [52]. » Non alterum quidem vetera, alterum vero (8) proferentem nova docuit ; sed unum et eumdem. Paterfamilias enim Dominus est, qui universæ domui paternæ dominatur : et servis quidem, et adhuc indisciplinatis condignam tradens legem ; liberis autem, et fide justificatis congruentia dans præcepta, et filiis adaperiens suam hæreditatem. Scribas autem et doctores regni cœlorum, suos dicebat discipulos, de quibus et alibi ait Judæis : « Ecce, mitto ad vos sapientes, et scribas, et doctores, et ex eis occidetis, et effugabitis a civitate in civitatem [53]. » Ea autem, quæ de thesauro proferuntur (9) nova et vetera, sine contradictione duo testamenta dicit : vetus quidem, quod ante fuerat, legislatio ; novum (10) autem, quæ secundum Evangelium est conversatio, ostendit, de qua David ait : « Cantate Domino canticum novum [54]. » Et Isaias : « Cantate Domino hymnum novum. Initium (11) ejus, glorificatur (12) nomen ejus a summo

[43] Luc. VI, 3, 4. [44] Deuter. XXXIII, 9. [45] Numer. XVIII, 20, et Deuter. X, 9. [46] Deuter. XVIII, 1. [47] Philipp. IV, 17. [48] Matth. X, 10. [49] Matth. III, 10, et VII, 19. [50] I Cor. III, 17. [51] Cap. XXI. [52] Matth. XIII, 52. [53] Matth. XXIII, 34. [54] Psal. XCV, 1, et XCVII, 1.

(1) *Sacerdos autem scitus fuerat David.* Apertus est verborum istorum sensus, nec in iis offenderet vel cæcus quispiam. Nempe Davidem vocat *sacerdotem scitum*, quia *omnes justi* (vel ut habet alia lectio mox indicanda, *omnis rex justus*), *sacerdotalem habent ordinem*. Idipsum est quod de piis quibusque Christianis dixit Petrus epist. 1, cap. 2, *Regale sacerdotium, sanctum sacerdotium esse* ; videlicet, ut statim explicat, *ad offerendas Deo spirituales hostias*. Ecce tamen, Grabius primus omnium, quem sciam, iis Irenæi verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas, et obtorto, ut aiunt, collo, puritanis tradat : quasi illius sententia fuerit, *quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate præditi, ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant.* Quem absurdum sensum solus in Irenæi verbis expiscatus fuerit ; nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit. Sed de hi consule Dissert. 3, art. 8, § 100, ubi frivola novi editoris argumenta late expendimus dissolvimusque.

(2) *Apud Deum.* Sic Clarom. et 4 Anglic., una cum edit. Oxon. In aliis edition. minus recte, *apud eum.*

(3) *Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem.* Sententiam hanc ex Irenæo nominatim, sed paulo aliter transcripserunt Joannes Damascenus in *Parallelis* lit. B. tit. 2, tam in cod. Clarom. (ex quo eam edidit Halloixius in *Vita Iren.*, pag. 498), quam in Vaticano lit. B. tit. 9, et Antonius Melissa serm. 1, part. II : Πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἱερατικὴν ἔχει τάξιν. *Omnis rex justus sacerdotalem habet ordinem.* Quæ quidem lectio, mea quidem sententia, Vulgatæ prælerenda videtur : arctius enim cohæret cum ea quæ præcedit de Davide sententia. Eam tamen, nullo hactenus favente codice Latino, textui inserere, religio esset.

(4) *Substantiæ eorum.* Al., *substantia eorum.*

(5) *Domini.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *Dominus.*

(6) *Legem.* Aliqui, *legis.*

(7) *Qui et juste. Qui et* addidi ex Clarom.

(8) *Vero.* Al., *quidem.*

(9) *Proferuntur.* Ita Feuard. in marg., Ottob. et Voss. At Clarom. et Arund., *proferentur* ; cæteri, *proferunt.*

(10) *Novum.* Ita restitui pro *nova*, nullo quidem suffragante codice ; sed id aperte exigente tum constructione, tum tota orationis serie.

(11) *Initium.* Græca, ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, melius reddidisset interpres, *principatus ejus.*

(12) *Glorificatur... annuntiant.* Hodierni τῶν ὃ codd. habent, δοξάζετε... ἀναγγελοῦσι, *glorificate... annuntiabunt* ; non δοξάζεται... ἀναγγέλουσι. Sed

Digitized by Google

terræ : virtutes ejus in insulis annuntiant [58]. » Et Jeremias ait : « Ecce disponam, » inquit, « testamentum novum, non quemadmodum disposui patribus vestris [59] » in monte Oreb. Utraque autem testamenta unus et idem paterfamilias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui et Abrahæ, et Moysi collocutus est, et nobis (13) in novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam, quæ ab ipso est, gratiam.

2. [57] « Plus est enim, » inquit, « templo hic [60]. » Plus autem et minus non in his dicitur, quæ inter se communionem non habent, et sunt contrariæ naturæ, et pugnant adversum se ; sed in his quæ ejusdem sunt substantiæ, et communicant secum, solum autem multitudine (14), et magnitudine differunt : quemadmodum aqua ab aqua, **238** et lumen a lumine, et gratia a gratia. Major est igitur legislatio quæ in libertatem, quam quæ data est in servitutem : et ideo non in unam gentem, sed in totum mundum diffusa est. Unus autem et idem Dominus, qui plus quam templum est, et plus quam Salomon, et plus quam Jonas donat hominibus, id est, suam præsentiam et resurrectionem a mortuis : sed non Deum immutans, nec alium prædicans Patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet plura motiri domesticis ; et proficiente eorum erga Deum dilectione, plura et majora donans, quemadmodum et Dominus discipulis dicebat : « Quoniam et majora horum videbitis [61]. » Et Paulus ait : « Non quod jam acceperim, aut justificatus (15) sim, aut jam perfectus sim [62]. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quæ sunt ex parte destruentur [63], » Sicut igitur, adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus, sed hunc quem nunc videre concupimus (« Beati enim mundi corde (16), quoniam ipsi Deum videbunt [64] ») ; neque alium Christum, et Dei Filium exspectabimus, sed hunc qui ex Maria Virgine, qui et passus est, in quem et credimus, quem et diligimus (quemadmodum Isaias ait : « Et dicent in illa die : Ecce, Dominus Deus noster, in quem speravimus, et exsultavimus in salute nostra [65]. » Et Petrus ait in Epistola sua : « Quem non videntes diligitis, » inquit, « in quem nunc non videntes credidistis (17), gaudebitis gaudio inenarrabili [66] ») ; neque alium Spiritum sanctum percipimus, nisi hunc qui est nobiscum, et qui clamat : « Abba, pater [67] ; » et in iisdem ipsis augmentum habebimus, et proficiemus, ut jam non per speculum, et per ænigmata, sed facie ad faciem fruamur muneribus Dei : sic et nunc plus templo, et plus Salomone percipientes, quod est adventus Filii Dei, non alterum didicimus Deum, præter fabricatorem et factorem omnium, qui ab initio nobis demonstratus est ; neque alterum Christum Dei Filium, præter eum qui a prophetis prædicatus est.

3. Novo enim Testamento cognito et prædicato per prophetas, et ille qui illud dispositurus erat secundum placitum Patris, prædicabatur, manifestatus hominibus, quemadmodum voluit Deus ; ut possint semper proficere credentes in eum, et per testamenta maturescere perfectum salutis (18). Una enim salus, et unus Deus : quæ autem formant hominem, præcepta multa (19), et non pauci gradus, qui ducunt hominem ad Deum. Terreno quidem et temporali regi (20), cum sit homo, licet aliquoties majores profectus attribuere his qui sunt subjecti : Deo autem non licebit (21), cum sit idem, et semper majorem gratiam præstare (22) humano generi velit (23), et pluribus muneribus assidue honorare eos qui placent ei ? Si autem hoc est

[58] Isa. XLII, 10, 12. [59] Jerem. XXXI, 31, 32. [60] Philip. III, 12. [61] I Cor. XIII, 9, 10. [62] Matth. V, 8. [63] Isa. XXV, 9. [64] I Pet. I, 8. [65] Rom. VIII, 15. [66] Cap. XXII. [67] Matth. XII, 6. [68] Joan. I, 50.

hæc forte memoriter allegavit Irenæus, uti et sequentia.

(13) *Et nobis.* Sic Clarom. In Feuard. et Grab., *qui nobis.* At in Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, nec *qui*, nec *et* apparent.

(14) *Multitudine.* Al. perperam, *altitudine.*

(15) *Aut justificatus. Quod* additum a Feuard. ante *justificatus*, expunxi auctoritate codd. Clarom., Arund. et Merc. 2, ac ipsius Italicæ versionis, quæ hoc addimentum ex I Corinth. IV, 4, desumptum sola hic exhibet, ut constat ex vetustissimo nostro cod. ms. Græco-Lat. San-Germanensi, Ambrosiastri Comment. et aliis.

(16) *Mundi corde.* Sic Clarom. cum antiqua versione Italica, et Græco Evangelii textu. Cæteri, *mundo corde.*

(17) *Credidistis.* Nostri N. T. codd. habent, et quidem melius, πιστεύοντες δέ, *credentes autem.*

(18) *Per Testamenta maturescere perfectum salutis.* Sic recte vetus Feuard. cod. et Clarom. et forte etiam Voss. cod. Hic saltem consentit quoad *perfectum* : de voce *testamenta*, quam habent Eras., Gall. et Feuard., ambigo : siquidem Grab. excudi fecit *testamentum* : an codicis Voss. an alterius auctoritate ? non dixit. Cæterum pro *perfectum*, Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, perperam habent *per effectum* ; nec melius utrumque retinere Feuardentio visum est. *Perfectum* autem *salutis* dixit Irenæus, pro *perfectione* seu *consummatione salutis*, gloria videlicet æterna : quo sensu paulo ante scripsit : *sicut igitur adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus*, etc. Ac prorsus sensus est : *Ut possint semper proficere credentes in eum et per varia sibi invicem succedentia testamenta maturescere queat salutis humanæ consummatio.* I. e. per varia testamenta possint homines paulatim ad gloriam æternam perduci.

(19) *Quæ autem formant hominem, præcepta multa.* Sic Clarom., Arund. et Voss. melius et Irenæi argumento convenientius quam cæteri, *qui formavit hominem, præcepta autem multa.*

(20) *Terreno quidem et temporali regi.* In vet. cod. Feuard. et Voss., *ante terrenum quidem et temporalem regem.*

(21) *His qui sunt subjecti : Deo autem non licebit*, etc. Cod. Clarom. paulo aliter : *his autem qui sunt subjecti Deo non licebit.* At Vulgata lectio præferenda videtur : quare, post *Deo autem non licebit*, subintelligenda quæ præcesserunt, *majores profectus attribuere his qui sunt subjecti.*

(22) *Præstare.* Eras., Gall. et Feuard. perperam, et repugnantibus omnibus mss., *præstat.*

(23) *Velit.* Hoc verbum addidi ex cod. Clarom.

Digitized by Google

proficere, alterum adinvenire Patrem, præter eum qui ab initio annuntiatus est, et rursum, præter eum qui putatur secundo inventus esse, alterum tertium adinvenire; et ejusdem erit profectus et a tertio in quartum, et ab hoc (24) rursum alterum, et alterum: et sic semper putans proficere talis sensus, nunquam in uno stabit Deo. Expulsus enim ab eo qui est, et reversus retrorsum, quæret quidem semper, inveniet autem nunquam Deum; sed semper incomprehensibilitatis profundo natabit, nisi per pœnitentiam conversus, unde abjectus erat, revertatur; unum Deum Patrem Demiurgum confitens, et credens, qui a lege et prophetis annuntiatus est, qui a Christo testificatus est, quemadmodum ipse ait ad eos qui accusabant ejus discipulos, quasi non servarent traditionem seniorum: « Quare vos frustramini præceptum Domini (25), propter traditionem vestram? Deus enim dixit: Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur [66]. » Et iterum ait eis: « Et frustrati estis sermonem Dei (26) propter traditionem vestram [67]; » manifestissime Patrem et Deum (27) confitens Christus eum, qui in lege dixit: « Honora patrem et matrem, ut tibi bene sit [68]. » Verbum enim Dei confessus est legis præceptum verax Deus, et neminem alterum Deum appellavit, quam suum Patrem.

239 CAPUT X [69].

Veteris Testamenti Scripturas, eas potissimum quæ a Moyse exaratæ sunt, Filii Dei ubique passim meminisse, ejusque adventum et passionem clarissime prænuntiasse, ac proinde ab uno et eodem Patre inspirante manasse.

1. Bene igitur et Joannes meminit dicentem Dominum Judæis: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis [70]. » Quomodo igitur testabantur de eo Scripturæ, nisi ab uno et eodem essent Patre, præinstruentes homines de adventu Filii ejus, et prænuntiantes salutem quæ est ab eo? « Si enim crederetis Moysi, » inquit (28), « crederetis et mihi: de me enim ille scripsit [71]; » scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis ejus Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras (29): aliquando autem quærens Adam (30): aliquando autem Sodomitis inducens judicium: et rursus cum videretur (31), et in viam dirigit Jacob, et de rubo loquitur cum Moyse. Et non est numerum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei, cujus et diem passionis non ignoravit; sed figuratim prænuntiavit eum, Pascha nominans: et in eadem ipsa, quæ ante tantum temporis a Moyse prædicata est, passus est Dominus adimplens Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis, dicens: « Non poteris immolare Pascha in ulla alia civitatum tuarum, quas (32) Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi: immolabis Pascha vespere ad occasum solis [72]. »

2. Jam autem et manifestaverat ejus adventum, dicens: « Non deerit princeps in Juda, neque dux ex femoribus ejus, quoadusque veniat cui repositum (33) est, et ipse est spes gentium; alligans ad vitem pullum suum, et ad helicem (34) pullum asinæ. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ

[66] Matth. xv, 3, 4. [67] Ibid., 6. [68] Exod. xx, 12. [69] Cap. XXIII. [70] Joan. v, 39, 40. [71] Ibid. v, 46. [72] Deuter. xvi, 5, 6.

(24) *Ab hoc.* Eras., Gall. et Merc. 2, *adhuc.* Utrumque frustra retinuit Feuard.

(25) *Domini.* Eras. et Gall., *divinum.*

(26) *Sermonem Dei.* Τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, legisse videtur Irenæus, quomodo et habet cod. Cantabrig. Editi vero habent ἐντολήν, *mandatum.*

(27) *Patrem et Deum.* In Arundel. et Merc. 2, *Patrem et Dominum*, sicut Eras. et Gall. ordine inverso, *Dominum et Patrem.* At Feuard. utroque retento, *Dominum et Deum Patrem.*

(28) *Inquit.* Addidi ex Clarom.

(29) *Aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras.* Ita Clarom., Voss. et vetus Feuard. codex (ut ex ejus adnotatione colligitur), excepto quod in hoc exstat *ei* pro *eis.* In Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2 legitur: *aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comesurus*; omissis, *aliquando quidem cum Noe*, etc. Feuardentio vero, quem secutus est Grabius, utraque servata lectione scribere visum est: *aliquando quidem cum Abraham loquens, cum eodem comesurus; aliquando cum Noe, dans ei mensuras.* Ubi vocem, *aliquando* ante *cum eodem* propria auctoritate expulsit. Et tamen hæc ipsa vox ostendit, aliud periodi membrum hinc incipere, ac proinde ista, *cum eodem comesurus*, ab imperitis librariis scripta fuisse pro: *cum Noe dans eis mensuras*; quia, quid sibi vellent *mensuræ* illæ, non intelligebant. Quare ex citatorum trium veterum codicum auctoritate deletis, *cum eodem comesurus*, textum restituere non dubitavi. Illud autem, *dans eis mensuras*, explico tum de arcæ dimensionibus, quas Deus Noemo præfinivit, Gen. vi, 14 seqq., tum de orbis terrarum distributione, ab eodem jussu Dei inter tres filios facta, Gen. x et xi, juxta illud D. Pauli *Actor.* xvii, 26: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum*, tum denique de terræ promissionis ab Abraha posteris quondam possidendæ finibus, quos ipsi Deus præmonstravit, præstituitque, Genes. xiii, 14 et 17, et xv, 18 et seqq.

(30) *Aliquando autem quærens Adam.* Hæc quoque desunt in Eras., Gallas., Arund. et Merc. 2.

(31) *Videretur.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *videtur.*

(32) *Quas.* Al. *quam.*

(33) *Repositum.* In Feuard. marg. et Voss., *repromissum*; quomodo et Novatianus habet lib. *De Trinit.* cap. 9

(34) *Helicem.* Sic pro *ilicem* reposui auctorit. Biblici textus τῶν Ο', in quo legitur, Ἕλικι. Helicem etiam legit Cyprian. lib. 1 *Adversus Judæos*, cap. 21 in correctis exemplaribus. Qui in mss. codicum lectione versati sunt, norunt quam frequenter *e* commutetur in *i*; ac proinde non mirum si pro *ilicem* aut *helicem* scripserint amanuenses, *ilicem.* *Helix* autem Græca vox est, significans vitis clavieulam.

Digitized by Google

pallium suum; lætifici (35) oculi ejus a vino (36), et candidi dentes ejus quam lac [73] (37). » Inquirant enim hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps, et dux ex Juda, et qui est gentium spes, et qui vitis, et qui pullus ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes, et quod vinum, et unumquodque ex dictis (38) exquirant; et invenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum, quod ingratus exsisteret, ait: « Sic populus fatuus, et non sapiens, hæc Domino retribuistis [74]? » Et rursus significans, quoniam qui ab initio condidit et fecit eos Verbum, et in novissimis temporibus redimens nos, et vivificans, ostenditur pendens in ligno, et non credent ei. Ait enim: « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitæ tuæ [75]. » Et iterum: « Nonne hic idem Pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te [76]? »

CAPUT XI [77].

Veteres prophetas et justos prænovisse adventum Christi, hunc que videre et audire ardentius appetiisse, ipso per Spiritum sanctum se in Scripturis revelante, et sine sui mutatione novis in dies beneficiis homines ditante, posteriores tamen cumulatius prioribus.

1. Quoniam autem non solum prophetæ et justi multi, præscientes per Spiritum sanctum (39) adventum ejus, oraverunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum et sermones audirent ejus, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis: « Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt [78]. » Quemadmodum igitur concupierunt et audire, et videre, nisi præscissent **240** futurum ejus adventum? Quomodo autem præscire potuerunt, nisi ab ipso præscientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando exhortante, ac deinceps libe-

[73] Gen. XLIX, 10 et seqq. [74] Deut. XXXII, 6. [75] Deut. XXVIII, 66. [76] Deut. XXXII, 6. [77] Cap. XXIV. [78] Matth. XIII, 17. [79] Gen. I, 28. [80] Matth. XXV, 21, 23.

rante servum (40), et adoptante in filium, et apto tempore incorruptelæ (41) hæreditatem præstante, ad perfectionem hominis? Plasmavit enim eum in augmentum et incrementum, quemadmodum Scriptura dicit: « Crescite et multiplicamini [79]. »

2. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: et quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, et initium, et medietatem, et adjectionem, et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi æqualis et similis; totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia, et fons omnium bonorum; homo vero profectum percipiens et augmentum ad Deum (42). Quemadmodum enim Deus semper idem est; sic et homo in Deo inventus (43), semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo, et locupletando hominem: neque homo cessat beneficium accipere, et ditari a Deo. Exceptorium enim bonitatis, et organum clarificationis ejus, homo gratus ei qui se fecit: et iterum exceptorium justi judicii ejus homo ingratus, et spernens plasmatorem, et non subjectus Verbo ejus: qui plurimum semper fructificantibus, et plus habentibus Dominicum argentum, daturum se pollicitus est: « Euge, » inquit, « serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui [80]; » ipse Dominus plurimum promittens (44).

3. Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum se pollicitus est, secundum munerationem gratiæ suæ, sed non secundum commutationem agnitionis (ipse (45) enim Dominus perseverat, et idem Pater revelatur); sic ergo et posterioribus majorem, quam quæ fuit in veteri testamento, munerationem gratiæ attribuit unus et idem Dominus per suum adventum. Et illi enim per famulos audiebant venturum regem, et mediocriter gaudebant (46), secundum quod sperabant venturum eum: qui autem præsentem viderunt, et libertatem adepti et potiti sunt ejus munerationem (47), majorem gratiam et abundantiorem exsultationem habent gaudentes de regis adventu, quemadmodum et David dicit: « Anima mea exsultabit in Domino, jucundabitur in

(35) *Lætifici.* Ita Clarom., Arund., Voss. et Grab. juxta Græcum χαροποιοί. Cæteri, *lætificabuntur.*

(36) *A vino.* Editi τῶν Ο' codices habent ὑπὲρ οἶνον, *super vinum.* Sed legisse videtur Irenæus ἀπὸ οἴνου, quomodo etiam habet cod. Alexandr.

(37) *Quam lac.* Sic Voss., Clarom. (quamvis in hoc emendator quispiam superscripserit *tan*, ut legatur *tanquam*, haud advertens hellenismum esse, pro *magis quam lac*), et Grabius. Alii *tanquam lac.*

(38) *Dictis.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii minus bene, *occultis.*

(39) *Spiritum sanctum. Sanctum* addidi ex cod. Clarom.

(40) *Servum. Suum* additum in editt. deest in omnibus mss.

(41) *Incorruptelæ.* Al., *incorruptibilem.*

(42) *Ad Deum.* Editt. minus bene, *a Deo:* nam mox sequitur, *semper proficiet ad Deum.*

(43) *Inventus.* Editt., *intentus.*

(44) *Ipse... plurimum promittens.* Sic vetus Feuard cod., Clarom. et Voss. Alii perperam, *ipse.... plurimum promittens.* Hæc vero ad præcedentia, *daturum se pollicitus est*, referuntur; nec proinde corruptus est locus, ut frustra suspicatur Feuardentius.

(45) *Ipse.* Αὐτός, *idem* potius hic verti debuisset.

(46) *Illi enim per famulos audiebant et mediocriter gaudebant.* Al. *illi enim, qui per famulos audiebant ... mediocriter* (sine *et*) *gaudebant.*

(47) *Munerationem.* Sic Voss., Clarom. *remunerationem*; cæteri, *munerationem.*

Digitized by Google

salutari ejus [81]. » Et propter hoc Hierosolymam introeunte eo, omnes (48) qui erant in via David in dolore animæ, cognoverunt suum regem, et substraverunt ei vestimenta, et ramis viridibus adornaverunt viam, cum magna lætitia et exsultatione clamantes (49) : «Hosanna, fili (50) David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis [82]. » Zelantibus autem malis dispensatoribus, qui circumveniebant inferiores, et dominabantur eorum, quibus ratio non constabat, et propter hoc nolentibus (51) venisse regem, et dicentibus ei : «Audis quid isti dicunt? » ait Dominus : «Nunquam legistis : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [83] ? » id quod a David in Filium Dei dictum erat, in se factum ostendens, et significans, illos quidem nescire virtutem Scripturæ, et dispositionem Dei ; se autem esse qui a prophetis annuntiatus sit Christus, cujus nomen in omni terra laudatur ; ex ore infantium et lactentium laudem perficienti (52) suo Patri : quapropter et elevata est magnificentia ejus super cœlos.

4. Si ergo idem ipse adest, qui prædicatus est a prophetis, Deus Dominus (53) noster Jesus Christus et adventus ejus pleniorem gratiam et majorem munerationem attribuit his qui susceperunt eum ; manifestum, quoniam et Pater idem ipse est, qui a prophetis annuntiatus est, et non alterius Patris agnitionem fecit veniens Filius, sed ejusdem qui ab initio prædicatus est, a quo et libertatem detulit his qui legitime, et prono animo, et toto corde deserviunt (54) ei : contemptoribus autem, et non subjectis Deo, sed in gloriam (55) hominum exteriores munditias (56) sectantibus (quæ in figuram futurorum traditæ erant, velut umbræ cujusdam descriptionem faciente lege, atque delineante de temporalibus æterna, de terrenis cœlestia), fingentibus plusquam quæ dicta sunt sese observare, tanquam diligentiam suam etiam ipsi Deo præferentibus, intus autem plenis hypocrisi, cupiditate, et omni malitia, in sempiternum (57) attulit perditionem, abscindens eos a vita.

241 CAPUT XII [84].

Eumdem esse utriusque legis auctorem hinc liquido patere, quod Christus traditiones et mores veteri repugnantes damnaverit, summa vero et eminentiora hujus præcepta confirmaverit, ac seipsum Mosaicæ legis finem esse docuerit.

4. Seniorum enim ipsorum traditio, quam ex lege observare fingebant, contraria erat legi datæ per Moysem. Propter hoc et Isaias ait : « Caupones tui miscent vinum aqua [85] ; » ostendens quod austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est aggredientes (58) adulteram legem, et contrariam legi, sicut et Dominus fecit manifestum, dicens eis : «Quare vos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem vestram [86] ? » Non solum autem per prævaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua ; sed et suam legem e contrario statuerunt, quæ usque adhuc Pharisaica vocatur. In qua quædam quidem auferunt, quædam vero addunt, quædam autem, quemadmodum volunt, interpretantur ; quibus utuntur singulariter magistri eorum : quas traditiones volentes vindicare (59), legi Dei instituenti eos ad adventum (60) Christi non subjecti esse voluerunt ; sed et Dominum arguebant in sabbatis curantem, quod quidem sicut prædiximus, lex non prohibebat. Etenim ipsi secundum aliquid curabant, circumcidentes (61) hominem in sabbato ; se autem ipsos non redarguebant, per (62) traditionem et prædictam Pharisaicam legem transgredientes præceptum Dei, et præceptum legis non habentes, id est dilectionem, quæ est erga Deum.

2. Quoniam autem hoc primum et maximum præceptum est, sequens autem erga proximum, Dominus docuit, totam legem et prophetas pendere dicens ex ipsis præceptis. Et ipse autem aliud majus hoc præcepto non detulit, sed hoc ipsum renovavit suis discipulis, jubens eis Deum diligere ex toto corde, et cæteros quemadmodum se. Si autem ab alio descendisset Patre, nunquam ex lege primo et summo usus esset præcepto, sed utique omnimodo enteretur majus hoc a perfecto Patre

[81] Psal. XXXIV, 9. [82] Matth. XXI, 9. [83] Ibid., 16. [84] Cap. XXV. [85] Isa. I, 22. [86] Matth. XV, 3.

(48) *Introeunte eo, omnes.* Vetus Feuard. cod. et Clarom., *introeunte, eum omnes.*

(49) *Clamantes. Et dicentes*, quod addunt editt., omisi auctoritate omnium mss.

(50) *Fili.* In Arundel. cum quibusdam Erasm. editt. et Oxon. juxta evangelicum textum, *filio.*

(51) *Nolentibus. Credere* additur in editt., sed in nullo mss. nostrorum apparet.

(52) *Perficienti.* Sic mss. omnes, nisi quod Ottob. et Merc. 2 vitiose habeant *perfecisti.* Editores vero posuerunt *perficientis*, haud advertentes *perficienti* ablativum absolutum esse, ac subintelligendum *ipso*, videlicet Christo, ut sit sensus : *ipso perficiente suo Patri.*

(53) *Deus Dominus.* Sic Clarom. In Feuard. marg., Arund. et Voss., *Deus* duntaxat. In cæteris, *Dominus* tantum.

(54) *Deserviunt.* Clarom., *deservient.*

(55) *In gloriam.* Ita Clarom. melius quam cæteri *in gloria.*

(56) *Exteriores munditias.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam Eras., Gallas. et Feuard. in textu, *exteriores res mundi hujus.*

(57) *In sempiternum.* Edit. *sempiternam.*

(58) *Aggredientes.* Græce, ni fallor, ἐγχειροῦντες, vel, ἐπιχειροῦντες, *fabricati, moliti, statuentes*, etc.

(59) *Vindicare.* In Feuard., Grab. et Voss., *vendicare* ; in Arundel. *vindicari* ; sed in Eras. et Gallas. corrupte *judicare.*

(60) *Ad adventum. Ad* ex Arund. et Merc. 2 recte adjecit Grab. In cod. Vatic. teste L. Latinio, *in adventum.* In Clarom., si bene legam, scribitur, *instituentis eis adventum Christi.*

(61) *Ipsi ... curabant, circumcidentes. Ipse curabat, circumcidens*, in Clarom. et Anglic., exceptis, quoad ultimam vocem, Merc. 2 codd. At puto, *ipse* scribarum sphalma esse, pro *ipsa*, lex scilicet.

(62) *Per.* Merc. 2 et Ottob. *propter.*

Digitized by Google

deferre, non eo uti, quod a Deo legis fuisset datum. Et Paulus autem : « Adimplétio, » inquit, « legis, dilectio [87] : » et omnibus cæteris evacuatis, manere fidem, spem, dilectionem; majorem autem esse omnium dilectionem [88], et neque agnitionem sine dilectione, quæ est erga Deum, præstare aliquid; neque mysteriorum comprehensionem, neque fidem, neque prophetiam, sed omnia vacua et frustra (63) esse sine dilectione [89] : dilectionem vero perficere perfectum hominem; et eum, qui diligit Deum, esse perfectum, et in hoc ævo, et in futuro. Nunquam enim desinimus diligentes Deum; sed quanto plus eum intuiti fuerimus, tanto plus eum diligimus.

3. [90] In lege igitur et in Evangelio cum sit primum et maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut seipsum (64) : unus et idem ostenditur legis et Evangelii conditor. Consummatæ enim vitæ præcepta in utroque Testamento cum sint eadem, eumdem ostenderunt Deum : qui particularia quidem præcepta apta utrisque præcepit; sed eminentiora et summa, sine quibus salvari non est (65), in utroque eadem suasit.

4. Quem autem non confundat Dominus, ostendens non ab altero Deo esse legem, sic dicens eis qui a se docebantur, turbæ et discipulis : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia itaque quæcunque dixerint vobis, custodite, et facite; secundum autem opera eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant enim sarcinas graves, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem nec digito quidem volunt eas movere [91]. » Non ergo eam legem, quæ est per Moysem data, incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis suadebat fieri; sed illos redarguebat, quod verba quidem legis enuntiarent, essent autem sine dilectione : et propter hoc injusti in Deum et in proximos exstiterunt. Quemadmodum et Isaias ait : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum [92]. » Non per Moysem datam legem dicens præcepta hominum, sed traditiones presbyterorum ipsorum, quas finxerant, quas vindicantes frustrabantur legem Dei, et propter hoc nec Verbo ejus subjecti sunt. Hoc enim est quod et a Paulo dicitur de istis : « Ignorantes enim justitiam Dei, et suam justitiam (66) volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus, ad justitiam (67) omni credenti [93]. » Et quomodo finis legis Christus, si non et initium ejus esset; qui enim finem intulit, hic et initium operatus est; et ipse est qui dicit Moysi : « Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto, et descendi ut eruam eos [94]; » ab initio assuetus Verbum Dei ascendere et descendere, propter salutem eorum qui male haberent.

5. Quoniam autem lex prædocuit hominem sequi oportere Christum, ipse facit manifestum, ei qui interrogavit eum, quid faciens vitam æternam hæreditaret, sic respondens : « Si vis in vitam introire, custodi præcepta. » Illo autem interrogante : « Quæ? » rursus Dominus : « Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium reddes, honora patrem et matrem, et 242 diliges proximum tanquam teipsum [95]; » velut gradus proponens præcepta legis introitus in vitam, volentibus sequi eum : quæ uni tum dicens, omnibus dicebat. Ille autem cum dixisset : « Omnia feci » (et forte non fecerat (68), nam utique non diceretur ei : « Custodi præcepta »), arguens Dominus cupiditatem ejus, dixit ei : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et divide pauperibus, et veni, sequere me [96] ; » apostolorum partem promittens eis qui sic fecerint : et non alterum Deum Patrem annuntiabat eis, qui sequebantur eum, præter eum qui ab initio a lege annuntiatus est; nec alium Filium, nec Matrem, enthymesin Æonis qui fuit in passione, et in defectione; nec triginta Æonum plenitudinem, quæ vacua et inconstans ostensa est; nec eam fabulam quæ a reliquis hæreticis ficta est : sed docebat ut facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, et ut veterem cupiditatem per opera bona solverent, et sequerentur Christum. Quoniam autem ea quæ possidentur, pauperibus divisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zacchæus fecit manifestum : « Ecce, » dicens, « dimidium ex bonis meis do pauperibus, et si cujus quid fraudavi (69), reddo quadruplum [97]. »

CAPUT XIII [98].

Christum naturalia legis præcepta non dissolvisse; imo potius implevisse, extendisse et ampliasse : qui veteris legis jugum ac vincula ideo absolvit, ut homo jam liber ea fiducia ac pietate, quæ filios decet, Deo pareret.

1. Et quia Dominus naturalia legis (70), per quæ

[87] Rom. XIII, 10. [88] I Cor. XIII, 13. [89] Ibid., 2. [90] Cap. XXVI. [91] Matth. XXIII, 2 seqq. [92] Isa. XXIX, 13. [93] Rom. X, 3, 4. [94] Exod. III, 7, 8. [95] Matth. XIX, 17 seqq. [96] Ibid., 21. [97] Luc. XIX, 8. [98] Cap. XXVII.

(63) *Frustra.* Alii, *frustrata.*

(64) *Seipsum.* Alii, *teipsum.*

(65) *Non est.* Græcorum more, pro *possibile non est.* Sic omnes mss. In editt., *non potest.*

(66) *Justitiam.* Deest in Eras. et Gallas. ut et in cod. Alexand.

(67) *Ad justitiam.* Clarom., *in justitiam.*

(68) *Et forte non fecerat.* Ea saltem intentionis puritate, et interno affectu, quem lex evangelica requirit.

(69) *Ex bonis meis... fraudavi.* Sic Clarom., Arund. et Voss. Cæteri, *bonorum meorum... defraudavi.*

(70) *Naturalia legis.* Legem naturalem intelligit, hominum cordibus a Deo insculptam, seu, ut loquitur Tertull. lib. *Adv. Jud.*, *legem non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, et a Patribus (ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis) custodiebatur;* quæque Decalogi præceptis, quæ postea Deus Moysi tradidit, confirmavitque, potissimum continetur.

Digitized by Google

homo justificatur, quæ etiam ante legislationem (71) custodiebant, qui fide justificabantur (72), et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, et implevit (73); ex sermonibus ejus ostenditur. « Dictum est enim, » inquit, « antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [20]. » Et iterum : « Dictum est : « Non occides. Ego autem dico vobis : omnis qui irascitur fratri suo sine causa (74), reus erit judicio [1]. » Et : « Dictum est : Non perjurabis. Ego autem dico vobis, neque jurare (75) in totum. Sit autem vobis sermo, etiam etiam, non non [2]. » Et quæcunque sunt talia. Omnia enim hæc non contrarietatem et dissolutionem præteritorum continent, sicut qui a Marcione sunt vociferantur; sed plenitudinem et extensionem, sicut ipse ait : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [3]. » Quid autem erat plus? Primo quidem non tantum in Patrem, sed et in Filium ejus jam manifestatum credere; hic est enim, qui in communionem et unitatem Dei hominem inducit (76). Post deinde non solum dicere, sed et facere; illi enim dicebant, sed non faciebant; et non tantum abstinere a malis operibus, sed etiam a concupiscentiis eorum. Hæc autem non quasi contraria legi docebat; sed adimplens legem, et infigens justificationes legis in nobis. Illud autem fuisset legi contrarium, si quodcunque lex vetasset fieri, idipsum discipulis suis jussisset facere. Et hoc autem quod præcepit, non solum vetitis a lege, sed etiam a concupiscentiis eorum abstinere, non contrarium est, quemadmodum diximus; neque solventis legem, sed adimplentis, et extendentis, et dilatantis.

2. Etenim lex, quippe servis posita, per ea quæ foris erant corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, uti disceret homo servire (77) Deo : Verbum autem liberans animam, et per ipsam corpus voluntarie emundari docuit. Quo facto, necesse fuit auferri quidem vincula servitutis, quibus jam homo assueverat, et sine vinculis sequi Deum; superextendi vero decreta libertatis, et augeri subjectionem quæ est ad regem, ut non retrorsus quis revertens (78), indignus appareat ei qui se liberavit; eam vero pietatem et obedientiam, quæ est erga patremfamilias, esse quidem eamdem et servis, et liberis; majorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit major et gloriosior operatio libertatis, quam ea quæ est in servitute (79) obsequentis.

3. Et propter hoc Dominus pro eo quod est : « Non mœchaberis, » nec concupiscere præcepit; et pro eo quod est : « Non occides, » neque irasci quidem; et pro eo quod est decimare, omnia quæ **243** sunt pauperibus dividere; et non tantum proximos, sed etiam inimicos diligere : et non tantum bonos datores et communicatores esse, sed etiam adversus eos qui tollunt nostra, gratuito donatores. « Tollenti enim tibi tunicam, ait, remitte ei et pallium (80) : et ab eo qui tollit tua, non reposcas : et quemadmodum vultis ut faciant vobis homines, facite eis [4], » ut non quasi nolentes fraudari contristemini (81); sed quasi volentes donaverimus, gaudeamus, gratiam magis præstantes in proximos, quam necessitate (82) servientes. « Et si quis te, » inquit, « angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo [5] (83); » uti non quasi servus sequaris, sed quasi liber præcedas, aptum (84) te in omnibus (85), et utilem proximo præstans : non il-

[20] Matth. v, 27, 28. [1] Ibid., 21, 22. [2] Ibid., 33, 34, 37. [3] Ibid., 20. [4] Luc. vi, 29 seqq. [5] Matth. v, 41.

(71) *Ante legislationem.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom., Voss., Arund. (quamvis in hoc desit *ante*) et Grab. melius quam alii, *a legislatione.* Quippe Irenæum loqui de patriarchis, qui sub lege naturæ vivebant, non de prophetis, aliisque justis, qui Mosaicæ legi serviebant, evidens est.

(72) *Qui fide justificabantur.* Fide videlicet in Messiam venturum; eaque non sola, utpote qui *per naturalia legis,* tanquam vera justitiæ percipiendæ instrumenta, etiam *justificarentur,* ut mox dixit.

(73) *Et implevit.* Delevi *sed* ante *et*, auctoritate Clarom.

(74) *Sine causa.* Sic quidem legunt antiquissimi Patres Latini, Cyprian. *Testimon.* lib. III, cap. 8; Hilarius in *Comment. in Matth.*, et August. lib. I, *De serm. Dom. in monte*, cap. 9. At hic lib. I *Retractat.*, c. 19, monet hæc verba, *sine causa*, a Græcis codd. abesse. Hieronymus etiam lib. II, *Adversus Pelag.* et in *Comment. in Matth.* ea in vetustissimis et sanioribus codd. non occurrere generatim asserit. Justinus pariter in *Apolog.* I ad Antonin. verba Christi refert, omissa voce εἰκῇ, quæ tamen in *Epist. ad Zenam et Serenum*, non indubio Justini fetu, legitur. De Tertulliano, *Apolog.* cap. 45, nihil certi affirmari potest, siquidem summatim duntaxat Evangelii verba allegat. Ex his tamen nolim cum Grabio concludere, eas voces a scribis, tam hoc loco, quam infra cap. 16, additas fuisse; sed de iis non consensisse N. T. codd. in aliis omissas fuisse, in aliis occurrisse, eodem utrobique manente sensu, ut notat August. lib. I *Retract.*, cap. 19.

(75) *Neque jurare.* Alii, *non jurare.*

(76) *Et unitatem Dei hominem inducit.* Sic pro *unitatem Deo hominem Domino ducit*, emendavi Feuard. ex vet. cod. (nisi quod scripserit *ducit*, quod auctoritate Clarom. commutavi in *inducit*) cum quo consentit Voss. Sed in Clarom., Arundel. et Merc. 2, scriptum *Deo* loco *Dei.*

(77) *Servire.* Ita Clarom. In Voss., Feuard. et Grab., *adservire*; in reliquis, *ad serviendum.*

(78) *Revertens.* Eras., Gallas., Feuard. cum Arundel. et Merc. 2, *renitens.*

(79) *Servitute.* Iidem, *servitutem.*

(80) *Remitte ei et pallium.* Memoriter Evangelii verba allegans Irenæus, hoc comma transtulit ex Matth. v, 40, nam Lucæ VI, 29, habetur : Καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς.

(81) *Contristemini.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Arundel., quasi Christus adhuc loqueretur. Editt. cum Merc. 2, *-contristemur*; quod recentioris cujuspiam emendationem sapit.

(82) *Necessitate.* Al., *necessitati.*

(83) *Alia duo.* In editis N. T. exemplarib. Græcis, ἄλλα, *alia* non legitur. Occurrit vero in pluribus mss. et in Vulgata nostra, et Italica versione.

(84) *Aptum.* Græce ἐπιτήδειον, id est *commodum, facilem*, etc.

(85) *In omnibus.* Particulam *in* omittunt Erasm.

Digitized by Google

borum malitiam intuens, sed tuam bonitatem perficiens, configuram temetipsum Patri, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos [6]. Hæc autem (86), quemadmodum prædiximus, non dissolventis erant legem, sed adimplentis et extendentis (87) in nobis : tanquam si aliquis dicat, majorem libertatis operationem, et pleniorem erga liberatorem nostrum infixam nobis subjectionem et affectionem. Non enim propter hoc liberavit nos, ut ab eo abscedamus; nec enim potest quisquam extra Dominica constitutus bona, sibimetipsi acquirere salutis alimenta (88); sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus. Quanto autem plus eum dilexerimus, hoc majorem (89) ab eo gloriam accipiemus, cum simus semper in conspectu Patris.

4. Quia igitur naturalia omnia præcepta communia sunt nobis et illis, in illis quidem initium et ortum habuerunt; in nobis autem augmentum et adimpletionem perceperunt. Assentire enim Deo, et sequi ejus Verbum, et super omnia diligere eum, et proximum sicut seipsum (homo autem homini proximus), et abstinere ab omni mala operatione, et quæcunque talia communia utrisque sunt, unum et eumdem ostendunt Deum. Hic est autem Dominus noster, Verbum Dei, qui primo quidem servos attraxit Deo, postea autem liberavit eos qui subjecti sunt ei, quemadmodum ipse ait discipulis : « Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid ejus dominus faciat. Vos autem dixi amicos, quoniam omnia (90) quæ audivi a Patre, manifestavi [7] (91). » In eo enim quod dicit : « Jam non dicam vos servos, » manifestissime significavit se esse, qui primo quidem eam servitutem, quæ est erga Deum, hominibus per legem constituerit, post deinde libertatem eis donaverit. Et in eo quod dicit : « Quoniam servus nescit quid faciat dominus ejus; » ignorantiam servilis populi manifestat per suum adventum. In eo autem quod amicos Dei dicit suos discipulos, manifeste ostendit se esse Verbum Dei, quem et Abraham voluntarie et sine vinculis propter generositatem fidei sequens, amicus factus est Deo [8]. Sed neque Abrahæ amicitiam propter indigentiam assumpsit Dei Verbum, exsistens ab initio perfectus : « Antequam enim Abraham esset, ego sum [9], » inquit; sed ut ipsi Abrahæ donaret æternam vitam, exsistens bonus, quoniam amicitia Dei immortalitatis est condonatrix his qui aggrediuntur (92) eam.

CAPUT XIV [10].

Si quid obsequii exigat ab homine Deus, ei hominem condiderit, vocaverit ac legibus informaverit, uni hominis saluti consulit; non homine indigens, sed in hunc beneficia gratis omnino conferre studens.

1. Igitur initio non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia. Non enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo; et ipse a Patre clarificabatur (93), quemadmodum ipse ait : « Pater, clarifica me claritate quam habui apud te, priusquam mundus fieret [11]. » Nec nostro ministerio indigens jussit ut eum sequeremur; sed nobis ipsis attribuens (94) salutem. Sequi enim Salvatorem, participare est salutem : et sequi lumen, percipere (95) est lumen. Qui autem in lumine sunt, non ipsi (96) lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo : ipsi quidem ei nihil præstant, beneficium autem percipientes illuminantur a lumine. Sic et servitus erga Deum, Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio; ipse autem sequentibus et servientibus ei vitam, et incorruptelam, et gloriam æternam attribuit, beneficium præstans servientibus sibi ob id quod serviunt, et sequentibus ob id quod sequuntur, sed non beneficium ab eis percipiens (97) : est enim dives, perfectus, et sine indigentia. Propter hoc autem exquirit Deus ab hominibus servitutem, ut, quoniam est bonus et misericors, benefaciat eis, qui perseverant in servitute ejus. In quantum enim Deus 244 nullius indigens (98), in tantum homo indiget Dei communione. Hæc enim gloria hominis, perseverare ac permanere in Dei servitute. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos [12], » significans, quoniam non ipsi glorificabant eum, sequentes eum; sed in eo quod sequerentur Filium Dei, glorificabantur ab eo. Et iterum : « Volo ut ubi ego sum, ibi et hi sint, ut videant claritatem meam [13]; » non vane glorians super hoc, sed gloriam suam participari (99) volens discipulis suis, de quibus et Isaias ait : « Ab oriente attraham semen tuum, et ab occasu colligam te : et dicam Aquiloni : Adduc; et

[6] Matth. v, 45. [7] Joan. xv, 15. [8] Jac. xi, 23. [9] Joan. viii, 58. [10] Cap. XXVIII. [11] Joan. xvii, 5. [12] Joan. xv, 16. [13] Joan. xvii, 24.

et Gallas. ut et Arundel. in quo legitur, *hominibus*.

(86) *Hæc autem. Omnia* addunt editt. cum Arundel. et Merc. 2.

(87) *Et extendentis. Et dilatantis*, additur in iisdem.

(88) *Alimenta.* In edit. Oxon. perperam, *elementa*.

(89) *Hoc majorem.* Eras. et Gallas., *eo magis*.

(90) *Dicam...quoniam omnia.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Ottob. et Voss., in quibus etiam paulo post, *dicam*. In aliis *dico... quia*.

(91) *Patre, manifestavi.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Arund. Cæteri, *Patre meo, nota feci*.

(92) *Aggrediuntur.* I. e. *suscipiunt*.

(93) *Clarificabatur.* Alii, *glorificabatur*.

(94) *Nobis ipsis attribuens.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *ut nobis ipsis attribueret*.

(95) *Percipere.* Sic mss. In Editt. *participare*.

(96) *Ipsi.* Feuard. in marg. et Voss., *ipsum*.

(97) *Ab eis percipiens.* Ita vetus Feuard. codex, Clarom. et Voss. Alii, *ipso ab eis percipiente*.

(98) *Nullius indigens.* Editt., *nullius indiget*.

(99) *Participari.* Al., *participare*.

Digitized by Google

Austro : Noli prohibere : attrahe (1) filios meos de longinquo, et filias meas a summitatibus terræ, omnes quotquot vocati sunt (2) in nomine meo. In gloria enim mea præparavi, et formavi, et feci eum[14]. » Hoc ideo, quoniam « ubicunque est cadaver, illuc congregabuntur et aquilæ[15], » participantes gloriæ Domini : qui et formavit, et ad hoc præparavit nos, ut, dum sumus cum eo, participemus gloriæ ejus.

2. Sic et Deus ab initio hominem quidem plasmavit propter suam munificentiam; patriarchas vero elegit propter illorum salutem; populum vero præformabat (3) docens indocibilem, sequi Deum; prophetas vero præstruebat in terra, assuescens hominem portare ejus Spiritum, et communionem habere cum Deo : ipse quidem nullius indigens; his vero qui indigent ejus (4), suam præbens communionem : et his qui ei complacebant, fabricationem salutis, ut architectus, delineans, et non videntibus in Ægypto a semetipso duus ducationem (5); et his qui inquieti erant in eremo, dans aptissimam legem, et his qui in bonam terram introierunt, dignam præbens hæreditatem; et his qui convertuntur ad Patrem, saginatum occidens vitulum, et primam stolam donans : multis modis componens humanum genus ad consonantiam salutis. Et propter hoc Joannes in Apocalypsi ait : « Et vox ejus quasi vox aquarum multarum[16]. » Vere enim aquæ multæ Spiritus (6), quoniam dives, et quoniam magnus est Pater. Et per omnes illos transiens Verbum, sine invidia utilitatem præstabat eis qui subjecti sibi erant, omni conditioni congruentem et aptam legem conscribens.

3. Sic autem et populo tabernaculi factionem, et ædificationem templi, et Levitarum electionem, sacrificia quoque et oblationes, et monitiones (7), et reliquam omnem lege (8) statuebat deservitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens; est enim semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem suavitatis, et omnes suaveolentium vaporationes habens in se, etiam antequam Moyses esset : facile autem ad idola revertentem (9) populum erudiebat, per multas vocationes (10) præstruens eos perseverare, et servire Deo : per ea quæ erant secunda, ad prima vocans (11), hoc est, per typica, ad vera; et per temporalia, ad æterna; et per carnalia, ad spiritalia; et per terrena, ad cœlestia; quemadmodum et dictum est Moysi : Quoniam « facies omnia juxta typum eorum quæ vidisti in monte[17]. » Quadraginta enim diebus discebat tenere sermones Dei, et characteres cœlestes, et imagines spiritales, et præfigurationes futurorum, quemadmodum et Paulus ait : « Bibebant enim de sequenti (12) petra : petra autem erat Christus[18]. » Et rursus prædictis his, quæ in lege sunt, intulit : « Omnia autem (13) hæc in figura veniebant illis : scripta sunt autem ad correptionem (14) nostram, in quos finis sæculorum devenit[19]. » Per typos enim (15) discebant timere Deum, et perseverare in obsequiis ejus.

CAPUT XV.

Qui legem naturalem seu Decalogum hominum cordibus primum inscribere satis habuerat Deus, Hebræorum, libertate sua abutentium, concupiscentiam graviori legis Mosaicæ jugo refrenare, imo et leges quasdam particulares ob duritiam cordis eorum statuere postmodum necesse habuit.

1. Itaque lex, et disciplina erat illis, et prophetia futurorum. Nam Deus primo quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id est per Decalogum (quæ si quis non fecerit, non habet salutem), nihil plus ab eis exquisivit. Quemadmodum Moyses in Deuteronomio ait : « Hi sermones omnes, quos locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, et nihil adjecit (16) : et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, et dedit mihi [20] ; » propter hoc ut custodirent præcepta hi qui velint sequi eum [21]. At ubi conversi sunt in vituli factionem, et reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis concupiscentes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, a 245 Deo quidem non abscindentem (17), in servitutis autem jugo dominantem eis : quemadmodum Ezechiel propheta causas talis legis datæ reddens, ait : « Et post concupiscentiam cordis sui (18) erant oculi

[14] Isa. XLIII, 5 et seqq. [15] Matth. XXIV, 28. [16] Apoc. I, 15. [17] Exod. XXV, 40. [18] I Cor. X, 4. [19] Ibid., 11. [20] Deut. V, 22. [21] Cap. XXIX.

(1) *Attrahe.* In Clarom. et Voss., *attraham.*

(2) *Omnes quotquot vocati sunt.* Sic omnes mss. cum sacro textu. At Erasm., Gallas. et Feuard. perperam, *omnes enim quotquot vocati estis.*

(3) *Præformabat.* Ita Clarom., Arund. et Merc. 1. In veteri Feuard. cod. et Voss., *præformat;* in aliis *formabat.*

(4) *Indigent ejus.* Al., *indigentes sunt ejus.*

(5) *Ducationem.* Pro *ductum.*

(6) *Spiritus. Dei* addunt editt. cum Arundel. et Merc. 2.

(7) *Et monitiones.* Desunt in Clarom.

(8) *Lege.* Sic Clarom. et Voss.; cæteri, *legis.*

(9) *Facile... revertentem.* Sic Clarom. cum quo consentit quoad postremam vocem Voss.; cæteri, *facilem... reverti.*

(10) *Vocationes.* Ita Clarom., quam lectionem malim quam *advocationes* vel *avocationes*, ut habent alii, quia melius quadrat ad sequentia, et ad Irenæi scopum.

(11) *Vocans.* Ita Clarom. In Feuard. marg., Arund. et Voss., *provocans;* in aliis, *advocans.*

(12) *Sequenti. Spiritali* quod huic loco præmittitur in editt. et in nostris N. T. exemplaribus expunxi, quia in nullo prorsus Irenæi ms. codice legitur, et ab editoribus additum videtur.

(13) *Omnia autem.* Desunt in Clarom.

(14) *Correptionem.* Al., *correctionem.*

(15) *Enim.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *ergo.*

(16) *Et nihil adjecit. Nihil* negligentia scribarum omissum addidi tum ex ipso Irenæo infra cap. 16, n. 4, tum ex ipso Biblico textu.

(17) *Abscindentem.* Clarom. et Voss., *abscedentem.*

(18) *Cordis sui.* LXX habent τῶν πατέρων αὐτῶν, non τῆς καρδίας αὐτῶν.

Digitized by Google

corum, et ego dedi eis præcepta non bona (19), et justificationes, in quibus non vivent in eis [22]. » Et Lucas autem Stephanum, qui primus in diaconium (20) ab apostolis electus est, et primus occisus est propter Christi martyrium, sic dixisse de Moyse scripsit : « Ille quidem accepit præcepta (21) Dei vivi, dare vobis, cui noluerunt obedire patres vestri (22), sed abjecerunt et conversi sunt corde suo in Ægyptum, dicentes ad Aaron : Fac nobis deos, qui nos antecedant; Moyses enim qui eduxit nos de terra Ægypti, quid ei contigerit, ignoramus. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt sacrificia idolo, et lætabantur in factis manuum suarum. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire exercitibus cœli, quemadmodum scriptum est in libro prophetarum : Nunquid sacrificia et oblationes obtulistis mihi annis quadraginta in eremo, domus Israel? et accepistis tabernaculum Moloch, et stellam Dei (23) Rempham (24), figuras quas fecistis, adorare eas [23]; » manifeste significans, quoniam non ab altero Deo talis illis data lex est, sed ab eodem ipso, apta illorum servituti. Quapropter et in Exodo ad Moysen dicit : « Emittam ante te angelum meum (25) : non enim ascendam tecum, quoniam populus duræ cervicis es [24] (26). »

2. Et non solum hoc, sed et præcepta quædam a Moyse posita eis propter duritiam illorum, et quod nollent esse subjecti, manifestavit Dominus, cum dixissent ei : « Quare ergo Moyses præcepit dare libellum repudii, et remittere uxorem? » dicens eis : « Hæc vobis propter duritiam cordis vestri permisit, ab initio autem non ita factum est [25]; » Moysen quidem excusans, quasi fidelem servum; unum autem, qui ab initio masculum et feminam fecit, Deum confitens; illos autem arguens tanquam duros, et non subjectos. Et propter hoc aptum duritiæ eorum repudii præceptum (27) a Moyse acceperunt. Et quid dicimus de Veteri Testamento hæc? quandoquidem et in Novo apostoli hoc idem facientes inveniuntur propter prædictam causam, statim dicente Paulo : « Hæc autem ego dico, non Dominus [26]. » Et iterum : « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum præceptum [27]. » Et iterum : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut fidelis sim [28] (28). » Sed et alio loco (29) ait : « Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram [29]. » Si igitur et in Novo Testamento quædam præcepta secundum ignoscentiam apostoli concedentes inveniuntur, propter quorumdam incontinentiam, ut non obdurati tales, in totum desperantes salutem suam, apostatæ fiant a Deo; non oportet mirari, si et in Veteri Testamento idem Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per prædictas observationes, ut per eas salutem Decalogi (30) observantes sint (31) et detenti (32) ab eo non reverterentur ad idololatriam, nec apostatæ fierent a Deo, sed toto corde discerent diligere eum. Si autem quidam, propter inobedientes Israelitas et perditos, infirmum dicunt legis doctorem, invenient in ea vocatione, quæ est secundum nos, multos quidem vocatos, paucos vero electos; et intrinsecus lupos, a foris vero indutos pelles ovium; et id quod erat semper liberum et suæ potestatis in homine, semper servasse Deum, et suam exhortationem : ut juste judicentur (33) qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt ei; et qui obedierunt et crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.

246 CAPUT XVI [30].

Nec circumcisionis, nec aliarum cæremoniarum le-

[22] Ezech. xx, 24. [23] Act. vii, 38 seqq. [24] Exod. xxxiii, 2, 3. [25] Matth. xix, 7, 8. [26] 1 Cor. vii, 12. [27] Ibid., 6. [28] Ibid., 25. [29] Ibid., 5. [30] Cap. XXX.

(19) *Præcepta non bona.* Id est, ut explicat Feuardentius, præcepta de ritibus, neomeniis, sacrificiis, quæ propria virtute nec justificabant, nec ad perfectum adducebant observantes sed umbræ erant futurorum bonorum.

(20) *Diaconium.* Clarom. et Voss., *diaconio*; Arundel. et Merc. 2, *diaconum.*

(21) *Præcepta Dei vivi dare vobis.* Editi N. T. codd. habent, λόγια ζῶντα, δοῦναι ὑμῖν. Sed mss. collegii Novi Oxon. cum Irenæo habet, ὑμῖν, *vobis.*

(22) *Patres vestri.* In nostris exemplaribus, πατέρες ὑμῶν, *patres nostri.*

(23) *Stellam Dei.* Vocem *Dei*, quæ legitur tum in LXX, Amos, v, 26, tum in Græcis Latinisque Actorum exemplaribus, omittunt vet. Feuard. codd. et Voss., sed vox ὑμῶν, quam addunt editi Bibliorum codices, deest in ms. Cantabrig. perinde ut in Irenæo.

(24) *Rempham.* Septuaginta, Ῥαιφάν, Theodotio, ἀμαύρωσιν, id est *obscuritatem*, vertunt.

(25) *Ante te angelum meum.* Sic cum Irenæo habet cod. Alex. τὸν ἄγγελόν μου πρότερόν σου · sed editi. πρὸ προσώπου σου.

(26) *Es.* Ita Clarom., Voss. et Grab. juxta sacrum textum. Cæteri perperam, *est.*

(27) *Repudii præceptum.* Præceptum hic et paulo post latius accipit, pro *regula.*

(28) *Sim.* Editi. cum Arund. et Merc. 2, *essem.*

(29) *Alio loco.* Scilicet paulo superius, vers. 5 ejusdem capitis VII, Epist. I ad Corinth. juxta nostram divisionem; quæ cum Irenæi ævo nondum obtineret, imo cum hoc sæculo Paulinæ epistolæ in capita et versus nondum distinctæ essent, non mirum si id ad alium locum pertinere dixerit, quod ejusdem capitis esse diceremus.

(30) *Salutem Decalogi.* Id est, inquit Grab., Decalogum, cujus observatione homo salutem consequitur. At suspicor pro *salutem*, legendum esse *saltem.*

(31) *Observantes sint.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss., quorum auctoritate tres voces, *munera dent ei*, quæ statim sequuntur in editis, expunxi, utpote quæ haud cohærent cum antecedentibus et consequentibus. Nec enim hic de muneribus aut sacrificiis agitur, sed de libello repudii, aliisque similibus, quæ populo duræ cervicis indulsit Deus, ne severioris legis impatiens, ad idololatriam declinaret.

(32) *Detenti.* Deest in Eras. et Gallas.

(33) *Judicentur.* Al., *damnentur.*

Digitized by Google

gelium virtute collatam esse perfectam justitiam : atque abrogata hæc a Christo fuisse, vigente semper, imo invalescente, qua nunquam non astricti fuerunt homines, Decalogi lege.

1. Quoniam autem et circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. « Dixit, » enim inquit, « Deus ad Abraham : Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem præputii vestri, in signo (34) testamenti inter me et vos [31], » Hoc idem de Sabbatis Ezechiel propheta ait : « Et Sabbata mea dedi eis, ut sint in signo inter me et ipsos, ut sciant quoniam ego Dominus, qui sanctifico eos [32] (35). » Et in Exodo Deus ait ad Moysen : « Et Sabbata mea observabitis : erit enim signum apud me vobis (36) in generationes vestras [33]. » In signo ergo data sunt hæc : non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quæ a sapiente artifice darentur; sed secundum carnem circumcisio circumcisionem significabat (37) spiritalem. Etenim, « nos, » ait Apostolus, « circumcisi sumus circumcisione non manufacta [34]. » Et propheta ait : « Circumcidite duritiam cordis vestri [35]. » Sabbata autem perseverantiam totius diei erga Deum deservitionis edocebant. « Æstimati enim sumus, » ait apostolus Paulus, « tota die ut oves occisionis [36]; » scilicet consecrati, et ministrantes omni tempore fidei nostræ, et perseverantes ei, et abstinentes ab omni avaritia, non acquirentes, nec possidentes thesauros in terra Manifestabatur autem et tanquam de ea (38) quæ facta sunt, requietio Dei, hoc est regnum, in quo requiescens homo ille qui perseveraverit Deo assistere, participabit de mensa Dei.

2. Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione et sine observatione Sabbatorum, « credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei vocatus est [37]. » Sed et Lot sine circumcisione eductus est de Sodomis, percipiens salutem a Deo. Item Deo placens Noe, cum esset incircumcisus, accepit mensuras mundi (39) secundæ generationis (40). Sed et Enoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, legatione ad angelos fungebatur (41), et translatus est (42), et conservatur usque nunc testis justi judicii Dei : quoniam angeli quidem transgressi decciderunt in terram in judicium (43); homo autem pla-

[31] Gen. xvii, 9 seqq. [32] Ezech. xx, 12. [33] Exod. xxxi, 11. [34] Coloss. ii, 11. [35] Deut. x, 16. [36] Rom. viii, 36. [37] Jacob. ii, 23.

(34) *In signo.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss., quibus ex parte consentit cod. Alexand. in quo legitur ἐν σημείῳ. In reliquis, *et erit in signum.*

(35) *Sanctifico eos.* Ita Voss. juxta sacrum cod. Clarom., *sanctifico in eis;* alii, *sanctifico vos.*

(36) *Erit enim signum apud me vobis.* Sic Clarom. et Voss. juxta cod. Alexand. : Ἔστι γὰρ σημεῖον παρ' ἐμοὶ καὶ ὑμῖν. Editi vero habent : σημεῖόν ἐστι παρ' ἐμοὶ καὶ ἐν ὑμῖν. Ex Irenæi autem textu, *et* ante *vobis* excidisse videtur. At reliqua ejusdem exemplaria perperam *in* pro *enim* habent.

(37) *Significabat.* Editt. cum Aruud. et Merc. 2, *præfigurabat.*

(38) *De ea* Lege, vel *post ea*, vel *de iis.*

(39) *Accepit mensuras mundi.* Vide cap. X, n. 1, notam 29.

(40) *Secundæ generationis.* Ita Feuard. in marg., Voss., Clarom. et Grab. Alii, *secundum generationes.* Per *mundum* autem *secundæ generationis*, intelligit mundum post diluvium veluti renascentem.

(41) *Legatione ad angelos fungebatur.* Vox *Dei* quam huic commati præmittunt editt. deest in vet. cod. Feuard., Clarom. et Voss. Quid sit autem divinum illud legationis munus quod ad angelos obivit Enoch, et qui sint illi angeli, paulo obscurius. Ex mox sequentibus colligi posse videtur, Irenæum cum Justino martyre, Athenagora, Clemente Alex., Tertull., Lactantio, aliisque non paucis sensisse, angelos apostatas in peccati pœnam præcipites in terram actos, mulierum captos specie, cum iis sub humana forma stupri consuetudinem habuisse, eamque ruinæ iis occasionem fuisse. His omnibus erroris causa fuit quod Gen. iv de *filiorum Dei* congressu cum *filiabus hominum* legitur. Pro *filiis Dei* codices quidam habebant, *angeli Dei*, ut Philo legit in lib. *De gigantibus*, et Euseb. lib. v *De præpar. evang.*, cap. 4, ac August. lib. xv *De civit.*, cap. 23. Qui vero *filios Dei* legebant, angelos tamen, priori versione decepti, interpretabantur, ut observant Chrysost. homil. 22 in Genes., et Theodoret. quæst. 17 in Genes. Hicque fons erroris exstitisse videtur. Quibus suppositis, facile intelligitur quid sit ea Enocho ad angelos a Deo demandata legatio. Vult nempe Irenæus, Enochum ad stupratores illos angelos, et ad homines ab iis in idololatriam fœdamque vitiorum colluviem demersos, tanquam Dei ministrum atque prophetam accessisse divinum judicium denuntiaturum. Hæc utique ex apocrypho Enochi libro mutuatum fuisse Irenæum non dubitaverit, quisquis apud Tertull. lib. *De idolol.*, cap. 4, legerit, Enochum spiritu prophetico prædixisse, *omnia elementa, omnem mundi censum, quæ cœlo, quæ mari, quæ terra continentur, in idololatriam versuros dæmonas, et spiritus desertorum angelorum, ut pro Deo adversus Dominum consecrarentur. Denique idem Enoch simul et cultores idoli, et fabricatores in comminationem prædamnat.* Tum ut dictis fidem conciliet, non modicum fragmentum ex Enochi libro refert. Additque cap. 15 : *Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem versura præcecinit per antiquissimum propheiam Enoch.* Ac denique lib. *De habitu muliebr.*, cap. 4, auctoritatem libri Enoch. vindicat, hunceque divinæ legationis munus obiisse, ita persuasum habuit, ut huic in eo munere successisse Noe asserat. *Igitur*, ait, *sine dubio potuit Noe in prædicationis delegatione successisse Enocho.* Quæ Tertulliani verba ideo retuli, quia Irenæi dictis non parvam lucem afferunt confirmantque, ea quæ uterque de Enochi prædicatione, et ad libidinosos angelos, corruptosque ab iis homines legatione refert, ex præfato apocrypho libro hausta fuisse.

(42) *Et translatus est.* In paradisum scilicet, *ubi primus positus est homo*, ubi et cum Elia manebit *usque ad consummationem*, ut explicat Irenæus lib. v, cap. 5, quæ ab *iis presbyteris, qui sunt apostolorum discipuli*, accepisse se dicit.

(43) *Deciderunt in terram in judicium.* Hanc lectionem quam genuinam censeo, solus exhibet cod. Clarom. Nam cæteri omnes omittunt *in terram.* At eodem modo et iisdem pene verbis loquitur Cle-

Digitized by Google

cens translatus est in salutem. Sed et reliqua autem omnis multitudo eorum, qui ante Abraham fuerunt justi, et eorum patriarcharum, qui ante Moysem fuerunt, et sine his quæ prædicta sunt, et sine lege Moysi justificabantur. Quemadmodum et ipse Moyses in Deuteronomio ait ad populum : « Dominus Deus tuus testamentum disposuit in Horeb : et non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos [39]. »

5. Quare igitur patribus non disposuit Dominus testamentum? Quia « lex non est posita justis [40];» justi autem patres virtutem Decalogi conscriptam habentes in cordibus et animabus suis, diligentes (44) scilicet Deum qui fecit eos, et abstinentes erga proximum ab injustitia : propter quod non fuit necesse admoneri eos 247 correptoriis litteris, quia habebant in semetipsis justitiam legis. Cum autem hæc justitia et dilectio, quæ erat erga Deum, cessit (45) in oblivionem, et exstincta esset in Ægypto, necessario Deus propter multam suam erga homines (46) benevolentiam semetipsum ostendebat per vocem, et eduxit de Ægypto populum in virtute (47), uti rursus fieret homo discipulus et sectator Dei; et affligebat indicto audientes, ut non contemnerent eum qui se fecit; et manna cibavit eum (48), uti rationalem acciperent escam, quemadmodum et Moyses in Deuteronomio ait : « Et cibavit (49) te manna, quod non sciebant patres tui, uti cognoscas, quoniam non in pane solo vivit (50) homo, sed in omni verbo Dei, quod procedit de ore ejus, vivit (51) homo [41]. » [41] Et erga Deum dilectionem præcipiebat, et eam quæ ad proximum est justitiam insinuabat, ut nec injustus, nec indignus sit Deo; præstruens (52) hominem per Decalogum in suam amicitiam, et eam quæ circa proximum est concordiam (quæ quidem ipsi proderant homini); nihil tamen indigente Deo ab homine.

4. Propter hoc Scriptura ait : « Hos sermones locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, et nihil adjecit [42] (53); » nihil enim, quemadmodum prædiximus, indigebat ab eis. Et iterum Moyses ait : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus postulat a te, nisi timere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus viis ejus, et diligere eum, et servire Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua [43]? » Hæc autem gloriosum quidem faciebant hominem, id quod deerat ei implentia, id est amicitiam Dei; Deo autem præstabant nihil : nec enim indigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, nisi per eam obsequentiam, quæ est erga Deum. Et propter hoc iterum Moyses ait eis : « Elige vitam, ut vivas tu et semen tuum, diligere Dominum Deum tuum, exaudire (54) vocem ejus, et apprehendere eum; quoniam hæc est vita tua, et longitudo dierum tuorum [44]. » In quam vitam præstruens hominem, Decalogi quidem verba ipse per semetipsum omnibus similiter Dominus locutus est : et ideo similiter permanent apud nos, extensionem et augmentum, sed non dissolutionem accipientia per carnalem ejus adventum.

5. Servitutis autem præcepta separatim per Moysen præcepit populo, apta illorum eruditioni (55); quemadmodum ipse Moyses ait : « Et mihi præcepit Dominus in tempore illo, dicere vobis justificationes et judicia [45]. » Hæc ergo, quæ in servitutem, et in signum data sunt illis, circumscripsit (56) novo libertatis testamento. Quæ autem naturalia, et liberalia, et communia omnium, auxit et dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, et diligere eum ex toto corde, et sine adversatione (57) sequi ejus Verbum, non tantum abstinentes a malis operationibus, sed etiam a concupiscentiis earum. Auxit autem etiam timorem : filios enim plus ti-

[39] Deut. v, 2. [40] I Tim. i, 9. [41] Deut. viii, 3. [42] Deut. xxx, 19, 20. [43] Deut. iv, 14. [44] Cap. XXXI. [45] Deut. v, 22. [42] Deut. x, 12.

mens Alex. lib. iii *Pædag.*, cap. 2. *Horum*, inquit, *indicium tibi præbent angeli, qui Dei pulchritudinem reliquerunt, propter pulchritudinem quæ flaccessit, ac tam multi* (τοσοῦτοι lego, non τοσοῦτον) *e cælo delapsi sunt in terram*, Et in iii *Strom.*: *Jam vero et angeli quidam, intemperantia ducti, victi cupiditate hanc e cælo deciderunt.* Angelos etiam *propter intemperantiam suam, in sæculum cecidisse de cælo*, scribit Ambros. lib. i *De virgin.*

(44) *Virtutem Decalogi... animabus suis, diligentes.* Ita Eras., Gallas., Clarom., Arund. et Merc. 2, longe melius quam Feuard., Grab. et Voss. *virtute Decalogi... animabus suis legem diligentes.* Nempe pro *virtute* reposui *virtutem*, et expunxi *legem*.

(45) *Cessit.* Sic omnes mss., at edit., *cessaverat*.

(46) *Erga homines.* Desunt in Clarom. et Voss.

(47) *Virtute.* Voss., *justitia*.

(48) *Eum.* (Scilicet populum.) Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri, *eos*.

(49) *Cibavit.* In Eras., Gallas., Clarom., Arund. et Merc. 2, *cibavi*.

(50) *Vivit.* Eras., Gallas., Grab., Arund. et Merc. 2, *vivet*.

(51) *Virit.* Merc. 2, cum Grab. iterum, *vivet*. Sic quidem utrobique habent nostra sacri textus exemplaria; sed præsens tempus aut legit, aut scripsit Irenæus, si antiquioribus ac melioris notæ codd. fides.

(52) *Præstruens.* Sic mss. In editt., *præstruente*; in Clarom., *perstruens*.

(53) *Et nihil adjecit.* I. e. nihil plus ab eis tunc exquisivit, nisi solam Decalogi observationem, ut superius explicat initio cap. XV, nam *servitutis præcepta*, quæ sacrificia, oblationes, etc., spectabant, *separatim*, hoc est, postea *per Moysen præcepit populo*, ut addit paulo post.

(54) *Exaudire.* Ita recte Feuard. in marg., Ottob., Voss., Merc. 2 et Grab., quia et in LXX legitur, εἰσακούειν, sine καί. In cæteris *et audire*.

(55) *Eruditioni.* Addunt editt. *sive castigationi*. Sed has voces expunxi auctoritate Clarom. et Voss., purum siquidem putumque glossema est, additum a quopiam, cui vox παιδεία, *castigationem*, potius quam *eruditionem* hoc loco significare videbatur.

(56) *Circumscripsit.* I. e. *abolevit, e medio tulit.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Arundel. et Voss., melius quam alii, *circumcinxit*.

(57) *Adversatione.* Sic Clarom. et Voss.; cæteri minus recte, *aversatione*.

Digitized by Google

mere oportet quam servos, et majorem dilectionem habere in patrem. Et propter hoc ait Dominus : « Omnem sermonem otiosum quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii [46]; » et : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [47]; » et : « Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio [48]; » ut sciamus, quoniam non solum factorum reddemus rationem Deo, ut servi, sed etiam sermonum et cogitationum, tanquam qui et libertatis potestatem acceperimus : in qua magis probatur homo, si revereatur, et timeat, et diligat Dominum. Et propter hoc Petrus ait « non velamentum malitiæ habere nos libertatem [49], » sed ad probationem (58) et manifestationem fidei.

A

CAPUT XVII [50].

Deum veteribus et typicis oblationibus ac sacrificiis non indiguisse, nec per ea homines veram justitiam consequi potuisse. Idcirco iis abrogatis novum ac verum novi testamenti sacrificium ipsius corporis ac sanguinis Christi institutum fuisse, toto orbe nomini Domini offerendum.

1. Quoniam autem non indigens Deus servitute eorum, sed propter ipsos quasdam observantias in lege præceperit, plenissime prophetæ indicant. Et rursus quoniam non indiget Deus oblatione eorum (59), sed propter ipsum qui offerat, hominem, manifeste Dominus docuit, quemadmodum ostendimus. Si quando enim negligentes eos justitiam, et abstinentes a dilectione Dei videbat, per sacrificia autem et reliquas typicas observantias putantes propitiari Deum, dicebat eis Samuel quidem sic : « Non vult Deus holocausta et sacrificia, sed vult exaudiri vocem suam. Ecce, auditus bonus super sacrificium (60), et auditus super adipem arietum [51]. » 248 David autem ait : « Sacrificium et oblationem noluisti; aures (61) autem perfecisti mihi : holocausta etiam (62) pro delicto non postulasti [52]. » Docens eos quoniam obauditionem vult (63) Deus, quæ servat eos, quam sacrificia et holocaustomata, quæ nihil eis prosunt ad justitiam : et novum simul prophetans testamentum. Manifestius autem adhuc in quinquagesimo psalmo de his ait : « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Dominus non spernet [53] (64). » Quoniam ergo nihil indiget Deus, in eo qui est ante hunc psalmo ait : « Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quoniam mea sunt omnes bestiæ terræ, jumenta in montibus et boves : cognovi omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo [54] ? » Deinde ne quis putet, propterea quod irasceretur, eum recusare hæc, infert, consilium ei dans : « Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et glorificabis me [55]; » illa quidem, per quæ putabant peccantes propitiari Deum, abnuens (65); hæc autem (66) per quæ justificatur homo, et appropinquat Deo, hortatur et admonet. Hoc idem autem et Isaias ait : « Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus sum [56]. » Et cum abnuisset holocaustomata, et sacrificia, et oblationes, etiam et (67) neomenias, et Sabbata, et ferias, et reliquam universam consequentem his observationem, intulit, suadens eis quæ salutaria sunt : « Lavamini, mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris ab oculis (68) meis : desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, exquirite judicium, eruite eum qui injuriam patitur, judicate pupillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus [57]. »

B

C

2. Non enim sicut homo motus (69), ut multi audent dicere, divertit eorum sacrificia (70); sed

[46] Matth. XII, 36. [47] Matth. V, 28. [48] Ibid., 22. [49] I Petr. II, 16. [50] Cap. XXXII. [51] I Reg. XV, 22. [52] Psal. XXXIX, 7. [53] Psal. L, 18, 19. [54] Psal. XLIX, 9, seqq. [55] Ibid., 14, 15. [56] Isa. I, 11. [57] Ibid., 16 seqq.

(58) *Ad probationem.* Ita Clarom. In Feuard., Grab. et Voss., *ad approbationem;* in cæteris corrupte, *ad propitiationem.*

(59) *Eorum.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *hominum.*

(60) *Auditus bonus super sacrificium.* Nostra τῶν Ο' exemplaria sonant : *auditus super sacrificium bonum.*

(61) *Aures.* In editis τῶν Ο' codd. ut et Hebr. x, 5, habetur σῶμα, *corpus.*

(62) *Etiam.* Alii, *autem.*

(63) *Vult.* Sic mss., at Eras., Gallas. et Feuard. scripserunt *mavult.*

(64) *Dominus non spernet.* Sic Arund. et Merc. 1, juxta Græcum τῶν Ο', ἐξουδενώσει. In Clarom. et Voss., *spernit.* In aliis, *Deus, non despicies.*

(65) *Abnuens.* Addunt editt. cum Arund. et Merc. 2, *et ostendens quod ipse nullius rei indiget.* Sed totum hoc comma cum desit in antiquioribus et melioris notæ codd. Clarom. et Voss., expunxi. Quin enim assutum sit, et huc ab aliquo recentiori male translatum, haud dubito. Postquam enim in præced. periodo, ex versiculis 9, 10, 11, 12, 13, psal. XLIX probavit, *quoniam nihil indiget Deus;* tum hac sequenti aliud sibi probandum ex versic. 14 et 15 ejusdem psalmi proponit, nempe vet. legis sacrificiis et cæremoniis Deum non placari, sed sanctioribus et magis spiritalibus hostiis.

D

(66) *Hæc autem.* Hanc lectionem, quæ est cod. Voss., malim quam cæterorum, *his autem.*

(67) *Etiam et.* Superfluas voces, *et adhuc,* quæ his præmittuntur in editt., expunxi auctoritate Clarom. et Voss.

(68) *Ab oculis.* Eras., Gallas., Arund., Merc. 2 et edit. Oxon., *coram oculis.*

(69) *Homo motus.* Sic recte Clarom., Voss. et Grab. (quanquam tamen intoleranda typographorum incuria adhuc legatur in ejus edit. *mutus*). Cæteri corrupte, *mutus homo.* Jam Cotelerius ad Clementis *Epist. ad Corinth.* § 8, legendum conjecerat *iratus homo.* Sed genuina lectione restituta, inutilis evadit doctissimi viri conjectura : siquidem *motus* hic significat idem atque *commotus, iratus.*

(70) *Eorum sacrificia.* Eras., Gallas., Feuard. et Merc. 2, minus recte, *sacrificium.*

Digitized by Google

miserans eorum cæcitati, et verum sacrificium insinuans, quod offerentes propitiabuntur Deum, ut ab eo vitam percipiant. Quemadmodum alibi ait : « Sacrificium (71) Deo cor contribulatum; odor suavitatis Deo, cor clarificans eum qui plasmavit. » Si enim irascens abnueret hæc eorum (72) sacrificia, tanquam qui indigni essent consequi misericordiam ejus, non utique eisdem ipsis suaderet, per quæ salvari possent (73). Sed quoniam Deus misericors est, non abscidit eos a bono consilio. Nam per Jeremiam cum dixisset : « Quo mihi thus de Saba affertis, et cinnamomum de terra longinqua? holocaustomata et sacrificia vestra non delectaverunt me [66]; » intulit : « Audite sermonem Domini, omnis Juda. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dirigite vias vestras et studia vestra, et constituam vos in loco isto. Ne confisi fueritis vobismet in sermonibus mendacibus, quoniam in totum non proderunt vobis, dicentes : Templum Domini, templum Domini (74) est [67]. »

3. Et iterum significans, quoniam non propter hoc eduxit eos de Ægypto, ut sacrificia ei offerant, sed ut obliti idololatriæ Ægyptiorum, audire vocem Domini possent, quæ erat eis salus et gloria, per eumdem Jeremiam ait : « Hæc dicit Dominus : Holocaustomata vestra colligite cum sacrificiis vestris, et manducate carnes: Quoniam non sum locutus (75) ad patres vestros, nec de holocaustomatibus et sacrificiis præcepi eis, qua die eduxi eos de Ægypto; sed sermonem hunc præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero Deus vester, et vos eritis populus meus, et ambulate in omnibus viis meis, quascunque præcepero vobis, ut bene sit vobis. Et non obaudierunt, nec intenderunt; sed ambulaverunt in cogitationibus cordis malitiæ (76) suæ, et facti sunt retrorsum, et non ad priora [68]. » Et iterum per eumdem ipsum dicens : « Sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere et scire quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et justitiam, et judicium in terra : » intulit : « Quoniam in his voluntas mea est, dicit Dominus. [69]; » sed non in sacrificiis, nec in holocaustomatibus, nec in oblationibus. Non enim principaliter hæc, sed secundum consequentiam, et propter prædictam causam habuit populus. sicut iterum Isaias ait : « Non mihi oves (77) holocaustomatis tui, nec in sacrificiis tuis clarificasti me : non servisti mihi in sacrificiis, nec aliquid laboriose fecisti in thure : nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem 249 sacrificiorum tuorum concupivi; sed in peccatis tuis, et iniquitatibus tuis ante me stetisti [70]. Super quem igitur, » ait, « aspiciam, nisi super humilem (78), et quietum, et tremontem sermones meos [70a]? Non enim adipes (79) et carnes pingues auferent a te injustitias tuas [70]. Hoc est jejunium, quod ego elegi, dicit Dominus. Solve omnem nodum injustitiæ, dissolve connexus violentium (80) commerciorum, dimitte quassatos in requiem, et omnem conscriptionem injustam conscinde. Frange esurienti panem tuum ex animo (81), et peregrinum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, cooperi eum, et domesticos seminis tui non despicies (82). Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sanitates tuæ (83) citius orientur, et præcedet ante te justitia, et gloria Domini (84) circumdabit te : et adhuc te loquente dicam : Ecce adsum [64], » Et Zacharias autem in duodecim prophetis, significans eis voluntatem Dei, ait : « Hæc dicit Dominus omnipotens : judicium justum judicate, pietatem et mise-

[66] Jerem. VI, 20. [67] Jerem. VII, 2. [68] Ibid., 24 seqq. [69] Jerem. IX, 24. [70] Isa. XLIII, 23, 24. [70a] Isa. LXVI, 2. [64] Jerem. XI, 15. [64] Isa. LVIII, 6 seqq.

(71) *Alibi ait : Sacrificium*, etc. Eumdem locum, veluti Scripturæ, omissis his verbis, *sacrificium Deo cor contribulatum*, quæ ex psalmo L desumpta sunt, citat Clemens Alexandr. lib. II *Pædag.*, cap. 12, pag. 261, hoc modo : Ὀσμὴ, φησὶν, εὐωδίας τῷ Θεῷ, καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν· ita ut ab eo mutuatus fuisse videatur Irenæus. Sed ex quo Scripturæ libro hanc sententiam uterque deprompserit, difficile dictu est. In nullo enim eorum, qui nunc exstant, prout jacet, occurrit, neque Ecclesiastici cap. XXXV, quod ad marginem Clementis notatum est, neque alibi. Crediderim tamen utrumque respexisse ad illud Ecclesiastici XXXIX, 14, juxta LXX : Καὶ ὡς λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμὴν, καὶ ἀνθήσατε ἄνθος ὡς κρίνον· δίδοτε ὀσμὴν, καὶ αἰνέσατε ᾆσμα· εὐλογήσατε Κύριον· ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις. *Quasi thus odorem suavitatis emittite, et florete florem quasi lilium : diffundite odorem, et collaudate canticum : benedicite Dominum in omnibus operibus suis.* Cujus quidem loci velut summa quædam spectari potest ea sententia. Quod vero huic præmittat Irenæus verba psalmi L, non adeo mirum : varia siquidem testimonia ex variis locis deprompta sic interdum conjungit, perinde atque uno eodemque loco haberentur. Exemplum suppeditabunt Isaiæ verba paulo post citata, non tantum ex variis capitibus excerpta, sed quibus Jeremiæ dictum aliquod insertum est.

(72) *Hæc eorum.* Erasm., Gallas., Grab., Arund. et Merc. 2, *hæc cæcorum.*

(73) *Salvari possent. Salvi esse* in Feuard. marg. et Voss., *possunt* in Clarom.

(74) *Templum Domini.* Ter repetitur in editt.; at cum tertium absit ab omnibus mss. nostris, et a textu τῶν Ο', delevi.

(75) *Non sum locutus.* Clarom., *si sum locutus.*

(76) *Malitiæ.* Κακίας legisse videtur Irenæus; legimus nos καρδίας.

(77) *Mihi oves. Obtulisti*, quod his vocibus præfixerunt editores, deest in Clarom. et am. Anglic., uti nec in cod. Alexand. exstat.

(78) *Super humilem.* Editt. cum Arundel. et Merc. 2, *in humilem.*

(79) *Non enim adipes*, etc. Verba sunt non Isaiæ, sed Jeremiæ XI, 15, aliquantulum immutata.

(80) *Violentium.* Sic omnes mss. In editt., *violentiorum.*

(81) *Ex animo.* Nihil his vocibus respondet in Græco τῶν Ο'.

(82) *Non despicies.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et omn. Anglic. juxta Græcum τῶν Ο'. Cæteri, *ne despicias.*

(83) *Tuæ.* Alii, *tibi.*

(84) *Citius .... Domini.* Editt. cum Arundel. et Merc. 2, *cito Dei.*

Digitized by Google

ricordiam facite unusquisque ad fratrem suum. Viduam, et orphanum, et proselytum, et pauperem nolite opprimere, et unusquisque malitiæ fratris sui non reminiscatur in corde suo [65]. » Et iterum : « Hi sunt, » inquit, « sermones quos facietis. Loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum, et judicium pacificum judicate in portis vestris, et unusquisque malitiam fratris sui non recogitet in corde suo, et jurationem falsam ne dilexeritis : quoniam hæc omnia odi, dicit Dominus omnipotens [66]. » Et David autem similiter : « Quis est, » inquit, « homo qui vult vitam, et amat videre dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur dolum. Declina a malo, et fac bonum : inquire pacem, et sequere eam [67]. »

4. Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia et holocaustomata quærebat ab eis Deus; sed fidem, et obedientiam, et justitiam, propter illorum salutem. Sicut in Osee propheta docens eos Deus suam voluntatem, dicebat : « Misericordiam volo plus quam sacrificium (85), et agnitionem Dei super holocaustomata [68]. » Sed et Dominus noster eadem monebat eos, dicens : « Si enim cognovissetis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes (86) [69] : » testimonium quidem reddens prophetis, quoniam veritatem prædicabant; illos autem arguens sua culpa insipientes.

5. Sed et suis discipulis (87) dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens : « Hoc est meum corpus [70]. » Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias (88) sic præsignificavit : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum clarificatur (89) inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum; quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens [71]; » manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offeretur (90) ei (91), et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

6. [72] Quod est autem aliud nomen, quod in gentibus glorificatur, quam quod est Domini nostri, per quem glorificatur Pater, et glorificatur homo? Et quoniam proprii Filii ejus est, et ab eo factus est homo, suum illum (92) vocat. Quemadmodum si quis rex ipse filii sui pingat imaginem, juste suam illam dicit imaginem secundum utrumque, quoniam et filii ejus est, et quoniam ipse fecit eam : sic et Jesu Christi nomen, quod per universum mundum glorificatur in Ecclesia, suum esse confitetur Pater, et quoniam Filii ejus est, et quoniam ipse scribens id, ad salutem dedit hominum. Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris est, et in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum utraque : « Et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum [73]. » Incensa autem Joannes in Apocalypsi, « orationes » esse ait « sanctorum [74]. »

250 CAPUT XVIII [75].

In sola Ecclesia catholica cum simplicitate et justitia offerri verum ac purum sacrificium, eucharistiam videlicet, quæ est ipsum corpus et sanguis Christi.

1. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei : non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur (93) munus ejus. Per munus enim erga regem, et honos, et affectio ostenditur : quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, prædicavit dicens : « Cum igitur offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quoniam frater tuus habet aliquid adversum te, dimitte munus tuum ante altare (94), et vade primum reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offeres (95) munus tuum [76]. » Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturæ, sicut et Moyses ait : « Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui [77]; » ut in quibus gratus (96) exstitit homo, in

[65] Zachar. VII, 9, 10. [66] Zachar. VIII, 16, 17. [67] Psal. XXXIII, 13, 14. [68] Ose. VI, 6. [69] Matth. XII, 7. [70] Matth. XXVI, 26 seqq. [71] Malach. I, 10, 11. [72] Cap. XXXIII. [73] Malach. I, 11. [74] Apoc. V, 8. [75] Cap. XXXIV. [76] Matth. V, 23, 24. [77] Deut. XVI, 16.

(85) *Plusquam sacrificium.* Clarom., *et non sacrificium.* In Arundel. et Merc. 2, omissum juxta Græcorum morem, *plus.*

(86) *Misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* Alii : *misericordiam volo quam sacrificium : nunquam condemnaretis immerentes.*

(87) *Sed et suis discipulis,* etc. Consule dis ert. 3, art. 7, § 80, ubi plura de sacrificio eucharistico ex mente Irenæi diximus.

(88) *Malachias.* Feuard. in marg., Claromont. et Voss., *Malachiel.*

(89) *Clarificatur.* Alii, *glorificatur.*

(90) *Cessabit ... offeretur.* Ita ex Arundel. posuit Grab. pro *cessavit... offertur.* Clarom. vero habet, *offerretur.*

(91) *Ei.* Sic omnes mss. melius quam editi *Deo,* quia paulo ante præcedit.

(92) *Illum.* Sic omnes manuscripti pro *illud,* quod reperitur in editt.

(93) *Offert, si acceptetur.* Clarom. inverso ordine, *acceptetur, si offert.*

(94) *Ante altare.* Arund. et Voss., *ad altare.*

(95) *Offeres.* Eras. et Gallas., *offer.*

(96) *Gratus.* Hic acceptorum a Deo beneficiorum memorem, mox Deo acceptum sig nificat.

Digitized by Google

his gratus eis deputatus (97), eum qui est ab eo percipiat honorem.

2. Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic : sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia : sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur. Unus enim et idem Dominus; proprium autem character servilis oblationis, et proprium liberorum, uti et per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum, nec sine signo, neque sine (98) argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas : qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad Dominicos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quæ sunt minora, utpote majorum (99) spem habentes; vidua illa et paupere hic totum victum suum mittente in gazophylacium Dei.

3. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate et justitia offerebat : super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo et malitia, quæ erat adversus fratrem, divisionem habebat in corde, quemadmodum occulta ejus arguens Deus ait : « Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce [78]; » quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodo secundum quod videtur, munde, et recte, et legitime offerre tentaverit; secundum autem suam animam non recte dividat eam quæ est ad proximum communionem, neque timorem habeat Dei; non per id quod recte foris oblatum est sacrificium, seducit (1) Deum, intus habens peccatum; nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam (2) operationem, magis autem peccatum ipsum, sibi homicidam (3) faciat hominem. Propter quod et dicebat Dominus : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quoniam similes estis monumentis dealbatis. Foris enim sepulcrum apparet formosum; intus autem plenum est ossibus mortuorum, et universa immunditia : sic et vos a foris quidem apparetis hominibus quasi justi, intus autem pleni estis malitia et hypocrisi [79]. » Cum a foris enim recte offerre putarentur, similem zelum Cain habebant in semetipsis : propter quod et occiderunt justum, prætermittentes consilium Verbi, quemadmodum et Cain. Illi enim ait : « Quiesce, » et non assensit. Quiescere autem quid est aliud, quam desinere a proposito impetu (4)? Et his similia dicens, « Pharisæe, » inquit, « cæce (5), emunda quod est intus calicis, ut fiat et quod foris est, mundum [80]. » Et non audierunt. « Ecce » enim, ait Jeremias, « non sunt oculi tui, nec cor tuum bonum; sed in cupiditate tua (6), et ad sanguinem justum (7), ut effundas eum, et ad injustitiam, et ad homicidium, ut facias [81]. » Et iterum Isaias : « Fecistis, » inquit, « consilium, non per me; et testamentum (8), non per spiritum meum [82]. » Ut igitur interior eorum voluntas et cogitatio ad manifestum producta, sine culpa et malum non operantem ostendat esse Deum, eum qui absconsa manifestat, sed non qui malum operetur; cum minime quiesceret (9) Cain, ait ei : « Ad te conversio ejus, et tu dominaberis ejus [83]. » Pilato quoque similiter dicebat : « Nullam haberes potestatem in me, nisi datum (10) tibi fuisset desuper [84]; » concedente Deo semper justum (11), ut hic quidem ex his quæ passus est et sustinuit, probatus recipiatur; qui autem malignatus est, ex his quæ egit, adjudicatus expellatur. Igitur non sacrificia sanctificant hominem; non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia ejus qui offert, sanctificat sacrificium; pura exsistens, et præstat acceptare Deum quasi ab amico. « Peccator autem (12), » inquit, « qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem [85]. »

4. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, juste munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum et Paulus **251** Philippensibus ait : « Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ a vobis missa sunt (13), odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo [86]. » Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quæ sunt

[78] Genes. IV, 7. [79] Matth. XXIII, 27, 28. [80] Ibid., 26. [81] Jerem. XXII, 17. [82] Isa. XXX, 1. [83] Genes. IV, 7. [84] Joan. XIX, 11. [85] Isa. LXVI, 3. [86] Philip. IV, 18.

(97) *Eis deputatus.* Sic om. mss. In editt., *ei.* Porro *eis*, hic scribitur pro, *per ea; deputatus* autem, pro *reputatus.*

(98) *Neque sine. Sive* simpliciter in Eras., Gallas. et Clarom.

(99) *Majorum.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *majorem.*

(1) *Seducit.* In Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2, *ad se ducit*; nec male.

(2) *Assimulatam. Assimilatam* in Feuard. marg., Arundel. et Voss.

(3) *Sibi homicidam.* I. e. *sui ipsius*, vel *in seipso homicidam.*

(4) *Impetu.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam alii, *impetus.*

(5) *Pharisæe, inquit, cæce*, etc. Hæc verba compendio citat Irenæus, quibusdam omissis.

(6) *In cupiditate tua.* Editi τῶν δ' codd. sonant, *in cupiditatem tuam*, εἰς τὴν πλεονεξίαν σου.

(7) *Et ad sanguinem justum.* Clarom. *et sanguine justo.*

(8) *Testamentum.* Græce συνθήκην, *pactum.* Sed in editt., *testamenta.*

(9) *Quiesceret.* Alii, *acquiesceret.*

(10) *Datum.* Ita Feuard. in marg., Voss. et Grab. juxta evang. textum. Reliqui, *data.*

(11) *Concedente Deo semper justum.* Frustra pro *semper* Feuard. legendum vult *super.* Sensus est, Deum in hac vita potestati atque malitiæ impiorum justum dimittere.

(12) *Peccator autem.* Male Feuard. ex vet. cod. posuit, *peccatori*, nam in Græco Isaiæ legitur, ὁ δὲ ἄνομος.

(13) *Quæ a vobis missa sunt.* Melius vertit Vulgatus interpres, *quæ misistis.*

Digitized by Google

ejus, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram (14) offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi autem non offerunt: manus enim eorum sanguine plenæ sunt: non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo (15). Sed neque omnes hæreticorum synagogæ. Alii enim alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ea quæ secundum nos creata sunt (16), offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem. Qui vero ex defectione, et ignorantia, et passione dicunt facta ea, quæ sunt secundum nos, ignorantiæ, passionis et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum, contumeliam facientes magis ei, quam gratias agentes. Quomodo autem constabit eis (17), eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus (18), si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat, et defluunt fontes, et terra dat primum quidem fenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?

5. Πῶς ... τὴν σάρκα 5. Quomodo autem

A (19) λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν, καὶ μὴ μετέχειν τῆς ζωῆς, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου, καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην; Ἢ τὴν γνώμην ἀλλαξάτωσαν, ἢ τὸ προφέρειν τὰ εἰρημένα παραιτείσθωσαν. Ἡμῶν δὲ σύμφωνος ἡ γνῶμη τῇ εὐχαριστίᾳ, καὶ ἡ εὐχαριστία ..... βεβαιοῖ τὴν γνώμην .... Προσφέρομεν δὲ αὐτῷ τὰ ἴδια, ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν (22). Ὡς γὰρ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν (24) τοῦ Θεοῦ, οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν,

rursus dicunt carnem in corruptionem (20) devenire, et non percipere vitam, quæ corpore (21) Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiæ, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus, evangruenter communicationem et unitatem prædicantes (23) carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non

(14) *Puram.* Sic editt. Eras., Gallas. et Feuard. cum mss. Clarom., Arund. et Merc. 2, melius quam vetus Feuard. cod., Voss. et editt., Oxon., *pura.* Oblatio enim *pura* idipsum est quod paulo ante, et initio capitis, *sacrificium purum* ab Ecclesia oblatum dixit.

(15) *Verbum quod offertur Deo.* Ita tres antiquiores ac melioris notæ codd., vetus Feuard., Clarom. et Voss., nisi quod in priori et posteriori C omissa sit vox *Deo*, quæ non admodum necessaria est, cum satis subintelligatur. At editt. cum mss. Arund. et Merc. 2 habent: *Verbum per quod offertur Deo*; sed prior lectio cum Irenæi scopo aptius congruit. Probat siquidem, nec Judæos, nec hæreticos puram oblationem offerre. Priorum *manus sanguine plenæ sunt*, nec *Verbum receperunt*, quod in sacrificio eucharistiæ, cujus typus et umbra erant veteris legis sacrificia, Deo Patri vere offertur. Hinc sequitur repudiato divino Verbo incarnato, vera novæ legis hostia ab Ecclesia oblata, nihil jam Judæis esse residui, præter vanam et impuram sacrificii umbram. Idem dicendum de hæreticis, quibus constare non poterat panem eucharisticum esse corpus Domini sui, ac Verbi ipsius, nec proinde Verbum ipsum incarnatum offerri ab eis in sacrificio: cum Verbum mundi fabricatoris Filium esse nollent.

(16) *Ea quæ secundum nos creata sunt.* Alii, *ideo* D *quæ secundum nos creaturæ sunt.*

(17) *Quomodo autem constabit eis*, etc. De his ac sequentibus consule dissert. 3, art. 7, ubi vanas Grabii argutias, quibus apertissime Irenæi de veritate eucharistiæ ac transsubstantiatione sententiæ fucos inducere nititur, dissolutas reperies. Nec legere pigeat quæ de iis scripsit doctissimus quondam atque piissimus episcopus Roffensis Joannes Fischerus lib. IV *De verit. euchar.*, cap. 21 et seqq., ubi totam Irenæi de eucharistia doctrinæ seriem atque connexionem dilucide aperit, et egregie ab Œcolampadii tricis munit.

(18) *Et calicem sanguinis ejus.* Supple, *calicem esse*, nisi *sanguinem ejus legere malis.*

(19) *Πῶς τ' γν σάρκα*, etc. Græca hæc primus edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 488, descripta e ms. cod. Claromontano *Parallelorum* Joannis Damasc., ubi citantur tanquam τοῦ ἁγίου Εἰρηναίου ἐκ τοῦ Ὅτι ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

(20) *In corruptionem.* Talem videlicet, ut nunquam resurgat.

(21) *Corpore.* Præpositionem *a* huic voci præfixam delevi auctoritate Clarom.

(22) *Καὶ ὁμολογοῦντες .... ἔγερσιν.* Aut hæc verba non reddit interpres, aut reddita scribæ omiserunt. Suspecta Grabio videntur, mihi genuina. Perspicere nequit vir doctus, quomodo Irenæus πνεύματος ἔγερσιν dicere potuerit. Sed eodem et jure et sensu dicere potuit Irenæus πνεύματος ἔγερσιν, quo Tertull. lib. *De resurr. carn.*, cap. 2, dixit *resurrectionem animæ*, quatenus nimirum homine mortuo ipsa non perit, sed a corruptela servatur. Addit vir clariss. ista, κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, perfectum sensum non fundere, nisi construantur cum sequentibus vocibus, σαρκὸς καὶ πνεύματος. Atqui tantum abest construantur cum his vocibus, ut potius ab iis divelli debeant, et referri ad præcedentia. Paulo ante dixit Irenæus, hæreticis constare non posse eucharistiam esse corpus et sanguinem Domini sui, quod ipsum esse mundi fabricatoris filium et Verbum negent, id est, quod veram ac substantivam unionem divini Verbi cum vera humana carne et natura negent. Tum alterum eorumdem hæreticorum errorem, quo carnis resurrectionem impugnabant, perstringens, ait utrumque cum ea, quam de eucharistia profitebantur, fide pugnare: nostram autem consonantem esse sententiam eucharistiæ, et eucharistiam rursus confirmare sententiam nostram: *offerimus enim Deo τὰ ἴδια, quæ sunt ejus*, quæ ab ipso creata et condita sunt, panem scilicet et vinum in verum corpus et sanguinem Domini nostri conversa, et Verbum Patris ab ipso genitum; ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν ἀπαγγέλλοντες, *congruenter communionem et unionem prædicantes*, Verbi nimirum cum corpore et sanguine Domini, quæ in eucharistia offeruntur, καὶ ὁμολογοῦντες σαρκὸς καὶ πνεύματος ἔγερσιν, *et confitentes carnis et spiritus resurrectionem.* Hic certe Irenæi sensus est, idque fatebitur quisquis antecedentia cum consequentibus accurate conferre voluerit.

(23) *Prædicantes.* Addendum ex Græco, *et confitentes resurrectionem carnis et spiritus.*

(24) *Τὴν ἔκκλησιν.* Ἐπίκλησιν malleem.

Digitized by Google

ἀλλ' εὐχαριστία, ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου· οὕτω καὶ τὰ σώματα ἡμῶν μεταλαμβάνοντα τῆς εὐχαριστίας, μηκέτι εἶναι φθαρτά, τὴν ἐλπίδα τῆς εἰς αἰῶνας ἀναστάσεως ἔχοντα.

communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti: sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis (25) habentia.

6. Offerimus enim ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi (26) ejus, et sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quæ a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo; sicut Salomon ait: « Qui miseretur pauperi, fenerat Deo [87]. » Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: « Venite, benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me; hospes fui, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me [88]. » Sicut igitur non his indigens, vult tamen a nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi: ita id ipsum Verbum populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent (27) Deo servire; sic et (28) ideo **252** nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cœlis (illuc enim preces nostræ, et oblationes diriguntur), et templum (29), quemadmodum Joannes in Apocalypsi ait: « Et apertum est templum Dei [89]; » et tabernaculum: « Ecce enim, » inquit, « tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus [90]. »

nia, in typo populus accepit, quemadmodum ostensum est Moysi in monte (30) ab uno et eodem Deo, cujus et nunc in Ecclesia glorificatur nomen in omnibus gentibus. Sed terrena quidem, quæ sunt erga nos disposita, congruit typos esse eorum quæ sunt cœlestia, ab eodem tamen Deo facta. Nec enim aliter poterat assimilare spiritalium imaginem (31). Quæ autem supercœlestia, et spiritalia sunt, et quantum ad nos spectat, invisibilia et inenarrabilia, typos rursus alterorum cœlestium dicere et alterius Pleromatis, et Deum alterius Patris imaginem esse; et errantium est a veritate, et omnimodo stultorum et hebetum. Cogentur enim hi tales, quemadmodum sæpenumero ostendimus, semper typos typorum, et imagines imaginum adinvenire, et nunquam figere animum suum in uno et vero Deo. Supra enim Deum factæ sunt cogitationes ipsorum, supergressi cordibus suis ipsum magistrum, suspicione quidem superelati et supergressi, veritate autem declinantes a vero Deo.

2. [91] Ad quos juste quis dicat, quemadmodum ipse sermo (32) suggerit (33): Quatenus super Deum extollitis cogitationes vestras, inconsiderate elati? Audistis « mensos esse cœlos in palma [92] (34); » dicite mihi mensuram, et enarrate multitudinem cubitorum (35) innumerabilem: exponite mihi plenitudinem, latitudinem, et longitudinem, et altitudinem, circummensurationis initium et finem, quæ non intelligit cor hominis; et non comprehendit (36) ea. Vere enim magna sunt thesaurophylacia cœlestia: immensurabilis est in corde Deus, et incomprehensibilis in animo, qui comprehendit terram pugillo. Quis respicit (37) mensuram dexteræ ejus? Digitum (38) quis cognoscit; aut manum ejus quis intelligit (39), eam quæ mensurat immensa, eam quæ tendit mensura sua mensuram cœlorum, et constringit pugillo terram cum abyssis, quæ in se continet latitudinem, et longitudinem, et profundum deorsum, et altitudinem supernam universæ conditionis, quæ videtur, quæ auditur et intelligitur, et quæ invisibilis est? Et propter hoc « super

CAPUT XIX [91].

Terrena quidem cœlestium typos esse posse: sed ipsa cœlestia aliarum rerum supernarum et ignotarum typos, aut Deum nobis notum alterius ignoti typum sine insania dici non posse.

1. Munera autem, et oblationes, et sacrificia om-

[87] Proverb. XIX, 17. [88] Matth. XXV, 34 seqq. [89] Cap. XXXVI. [90] Isa. XL, 12. [90] Apoc. XI, 19. [90] Apoc. XXI, 3. [91] Cap. XXXV.

(25) *Resurrectionis.* *In sæcula* addit textus Græcus.

(26) *Dominationi.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom. et Grab., et sic etiam legebat Œcolampadius apud Joannem Fischerum lib. IV *De verit. euchar.*, cap. 21. In cæteris *donationi.*

(27) *Discerent.* Editt. *disceret.*

(28) *Sic et.* In Arund., Ottob., Merc. 2, et edit. Oxon., *sicut et.*

(29) *Et templum.* Sic omnes mss. Legendum monet Latinius, *et est templum;* an ex cod. Vat. an ex mera conjectura? non dicit. At in Eras., Gallas. et Feuard. male: *et ad templum.*

(30) *In monte.* Vocem *Sinai* additam a recentioribus, explicationis gratia, expunxi auctoritate Clarom. et Voss.

(31) *Assimilare spiritalium imaginem.* In Eras., Gallas. et Feuard. corrupte: *assimilari spiritalium imaginum.*

(32) *Ipse sermo.* Scriptura videlicet sacra, ad cujus diversa loca alludit in sequentibus.

(33) *Suggerit* Al., *suggeretur.*

(34) *Palma.* Editt. cum Merc. 2, *palmo.*

(35) *Cubitorum.* Sic Clarom. et omn. Anglic. In Erasm. et Gallas., *cælorum.* Feuard. vero utrumque retinuit.

(36) *Intelligit ... comprehendit.* Ita Feuard. in marg., Voss. et Clarom., nisi quod in hoc vitio... scribæ legatur, *intelligitur.* In aliis, *intelliget ... comprehendet.* In Arund., *adprehendet.*

(37) *Respicit.* Ita Clarom. in Feuard. marg. et Voss., *respiciet;* in aliis, *prospiciat.*

(38) *Mensuram dexteræ ejus? Digitum*, etc. Sic vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss. melius quam alii: *mensuram et dexteræ ejus digitum quis*, etc. Nam *mensuram* ad dexteram esse referendam demonstrant quæ paulo post subjiciuntur: *Si autem plenitudinem et magnitudinem manus ejus non comprehendit homo*, etc.

(39) *Cognoscit ... intelligit.* Alii, *cognoscet ... intelliget.*

Digitized by Google

omne initium (40), et potestatem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur [96] » omnium quæ facta sunt et condita sunt, exsistens Deus. Ipse est qui cœlos implet, et perspicit abyssos, qui est et cum unoquoque nostrum : « Deus, » enim inquit, « appropinquans ego sum, et non Deus de longinquo. Si absconditur homo in absconsis, et ego eum non videbo [97] ? » Manus enim ejus apprehendit omnia : et ipsa est quæ cœlos quidem illuminat, illuminat etiam quæ sub cœlo sunt, et scrutatur renes et corda, et in absconsis inest et in secretis nostris, et in manifesto alit et conservat nos.

3. Si autem plenitudinem et magnitudinem manus ejus non comprehendit homo, quemadmodum poterit quis intelligere aut cognoscere in corde tam magnum Deum? Quem quasi jam mensi sint et perspexerint, et universum eum decurrerint, super eum esse aliud Pleroma Æonum confingunt, et alterum Patrem ; ad cœlestia quidem non suspicientes, vere autem in profundum (41) Bythum dementiæ descendentes : Patrem quidem dicentes suum finiri usque ad ea quæ sunt extra Pleroma, Demiurgum vere rursum non attingere usque ad Pleroma : et sic neutrum eorum ponunt esse perfectum et comprehendentem omnia. Deerit enim illi quidem universa, quæ est extra Pleroma, mundi fabricatio (42); huic autem quæ est intra Pleroma, fabricatio (43), et neuter eorum erit omnium Deus. Quoniam autem magnitudinem Dei ex his quæ facta sunt, nemo enarrare potest, hoc omnibus manifestum est : et quoniam magnitudo ejus non deficit, sed omnia continet (44), et pervenit usque ad nos, et nobiscum est, omnis quicunque digne Deo sapit, confitebitur.

253 CAPUT XX [98].

Unum Deum per Verbum et Spiritum sanctum omnia quæ in mundo sunt condidisse : atque invisibilem licet in hac vita, et incomprehensibilem, non tamen ignotum esse; utpote quem opera prædicent, et cujus verbum multis modis semper videndum se et cognoscendum præbuerit.

1. Igitur secundum magnitudinem non est cognoscere Deum ; impossibile est enim mensurari Patrem : secundum autem dilectionem ejus (hæc est enim quæ nos per Verbum ejus perducit ad Deum) obedientes ei, semper discimus quoniam est tantus Deus, et ipse est qui per semetipsum constituit, et elegit (45), et adornavit (46), et continet omnia : in omnibus autem (47) et hunc mundum, qui est secundum nos. Et nos igitur cum his, quæ continentur ab eo, facti sumus. Et hic est de quo Scriptura ait : « Et plasmavit Deus hominem (48), limum terræ accipiens, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ [97]. » Non ergo angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, nec angeli potuerunt (49) imaginem facere Dei; nec alius quis, præter Verbum Domini, nec Virtus longe absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus, ad faciendum quæ ipse apud se prædefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus (50). Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus (51), per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [98] ; » ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens.

2. Καλῶς οὖν εἶπεν (52) ἡ Γραφή, ἡ λέγουσα· « Πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας, καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα.

2. Bene ergo pronuntiavit Scriptura (53), quæ dicit : « Primo omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit, et consummavit; et fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia :

[96] Ephes. I, 21. [97] Jerem. XXIII, 23. [98] Cap. XXXVII. [97] Gen. II, 7. [98] Gen. I, 26.

(40) *Omne initium.* Πᾶσαν ἀρχήν hic vertere debuisset interpres, *omnem principatum.*

(41) *Profundum.* Hæc vox glossema sapit.

(42) *Mundi fabricatio. Mundi* deest in Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2.

(43) *Fabricatio mundi. Mundi* huic voci iterum præmissum in omnibus editt. delevi auctoritate mox citat. codd. Neque enim mundi fabricationem intra Pleroma esse dicebant Valentiniani.

(44) *Omnia continet.* Clarom., *omnia implet.*

(45) *Elegit.* Ita Feuard in marg., Clarom. et Voss. melius quam cæteri omnes, *fecit.* Eos enim refellit Irenæus, qui aiebant. Demiurgum rerum condendarum typos, imagines ac modum desuper accepisse, nec proinde quod creandum vellet, a se elegisse, neque *sponte et libere*, ut mox subdit, sed ab alio motum.

(46) *Adornavit.* In Merc. 1, *ordinavit.*

(47) *In omnibus autem. Et nos* addunt editt. cum Arund. et Merc. 2. Meljus omittunt Clarom. et Voss.; hic enim principium statuit auctor, ex quo periodo sequenti concludit *et nos factos esse.*

(48) *Hominem. Ad imaginem* addidit Feuard. repugnantibus nedum Eras, Gallas., Clarom., Arund. et Merc. 2, sed et ipso sacro textus.

(49) *Potuerunt.* Feuard. in marg. et Voss., *potuerant.*

(50) *Quasi ipse suas non haberet manus.* Hic ut et lib. v, cap. 1 et 28, Filium et Spiritum sanctum Dei manus dicit; quia, ut mox explicat, *per eos, et in iis omnia libere et sponte fecit.*

(51) *Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus.* Notasse forsan non abs re erit, ut Filio *Verbi*, sic et Spiritui sancto, *Sapientiæ* nomen ab Irenæo tribui; quo nomine eumdem Spiritum sanctum designat Theophilus Antioch. lib. I *Ad Autolyc.*, p. 21, et lib. II, p. 114 edit. Oxon.

(52) *Καλῶς οὖν εἶπεν.* Græca hæc ex Eusebii lib. v, cap. 8, petita sunt, exceptis ultimis verbis, καὶ ποιήσας, etc., quæ adjecit Grab. ex Athanasii libro *De decretis Nicænæ synodi* paulo post medium. Eadem, dempta ultima voce, τὰ πάντα, descripsit idem Athanas. lib. *De incarnat. Verbi*, paulo post init. et in epist. ad episcopos Africæ. ante medium.

(53) *Scriptura.* Hermæ *Pastorem* intelligit, ex cujus lib. II, mand. 1, verba hic citata desumpta sunt. Quod vero librum hunc velut canonicum al-

Digitized by Google

omnium capax, et qui a nemine capiatur. » Bene autem et in prophetis Malachias ait: « Nonne unus Deus qui constituit nos? Nonne Pater unus est omnium nostrum [99]. » Consequenter autem et Apostolus ait: « Unus Deus, » inquit, « Pater, qui super omnes, et in omnibus nobis [1]. » Similiter autem Dominus: « Omnia mihi, » inquit, « tradita sunt a Patre meo [2]; » manifeste ab eo qui omnia fecit (non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est: et propter hoc idem est judex viventium et mortuorum, « habens clavem David: aperiet, et nemo claudet: claudet, et nemo aperiet [3] (54). » Nemo enim alius poterat, nec in cœlo, nec in terra, nec subtus terram aperire paternum librum, nec videre eum, nisi Agnus qui occisus est, et sanguine suo redemit nos); ab eodem, qui omnia verbo fecit, et sapientia adornavit, accipiens omnium potestatem, quando Verbum caro factum est, ut quemadmodum in cœlis principatum habuit Verbum Dei, sic et in terra haberet principatum, quoniam homo justus, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [4]; » principatum autem habeat eorum quæ sunt sub terra, ipse primogenitus mortuorum factus: et ut viderent omnia, quemadmodum prædiximus, suum regem; et ut in carne (55) Domini nostri (56) occurrat paterna lux, et a carne ejus rutila veniat in nos, et sic homo deveniat in Incorruptelam, circumdatus paterno lumine.

3. Et quoniam Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et sapientia, quæ est Spiritus, erat apud eum (57) ante omnem constitutionem, per Salomonem ait: « Deus sapientia fundavit terram, paravit autem cœlum prudentia. Sensu ejus abyssi eruperunt, nubes autem manaverunt ros [5]. » Et rursus: « Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua, ante sæcula (58) fundavit me, in initio antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret (59), et priusquam procederent fontes aquarum, antequam montes confirmarentur: ante omnes autem colles genuit me [6]. » Et iterum: « Cum pararet cœlum, eram cum illo, et cum firmos faceret fontes abyssi, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud eum aptans. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem lætabar (60) ante faciem ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto, et jocundabatur (61) in filiis hominum [7]. »

254 4. Unus igitur Deus, qui verbo et sapientia fecit et aptavit omnia: hic est autem Demiurgus, qui et mundum hunc attribuit humano generi, qui secundum magnitudinem quidem ignotus est omnibus his, qui ab eo facti sunt (nemo enim investigavit altitudinem ejus, nec veterum, qui quieverunt (62), nec eorum qui nunc sunt); secundum autem dilectionem cognoscitur semper per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic Verbum ejus, Dominus noster Jesus Christus, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est hominem Deo. Et propterea prophetæ ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus secundum carnem adventum, per quem commistio et communio Dei et hominis secundum placitum Patris facta est, ab initio prænuntiante Verbo Dei, quoniam videbitur Deus ab hominibus, et conversabitur cum eis super terram, et colloqueretur, et adfuturus esset suo plasmati, salvans illud, et perceptibilis ab eo, et liberans nos de manibus omnium odientium nos, hoc est, ab universo transgressionis spiritu: et faciens nos servire sibi in sanctitate et justitia omnes dies nostros, uti complexus homo Spiritum Dei, in gloriam cedat Patris.

5. Hæc prophetice significabant prophetæ, sed non quemadmodum quidam dicunt, invisibili Patre omnium exsistente, alterum esse eum, qui a prophetis videretur (63); qui in totum, quid sit prophetia, nesciunt. Nam prophetia est prædicatio futurorum, id est eorum quæ post erunt, præsignificatio. Præsignificabant igitur (64) prophetæ quoniam videbitur Deus ab hominibus; quemadmodum et Dominus ait: « Beati mundo corde, quoniam

[99] Malach. II, 10. [1] Ephes. IV, 6. [2] Matth. XI, 27. [3] Apoc. III, 7. [4] I Petr. II, 22. [5] Prov. III, 19, 20. [6] Prov. VIII, 22 et seqq. [7] Ibid., 27 et seqq.

leget, nihil mirum: eodem enim modo citatum reperies a pluribus aliis antiquis Patribus, Græcis præsertim, quibus fuit in pretio. Horum testimonia collegit Cotelerius, et Hermæ libris a se editis præmisit.

(54) *Aperiet... et claudet: claudet... aperiet.* Clarom., *aperiet et claudet: claudit... aperiet*, cum quo quoad priorem partem consentit Feuard. in marg. At in Voss. ubique in futuro, *aperiet... claudet.* Consonat quoad *aperiet*, Merc. 1. In editt. ubique præsens tempus.

(55) *Carne.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *carnem.*

(56) *Nostri.* Hanc vocem addidi ex Clarom.

(57) *Eum.* Scilicet *Patrem.* Sic mss. omnes. In editt. *Deum.*

(58) *Sæcula.* Al. *sæculum.*

(59) *In initio antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret.* Hic non consentiunt secum invicem Irenæi codd. In editt. omnibus, ut et in mss. Arund. et Merc. 2 leguntur duntaxat: *in initio antequam terram faceret*; omissis, *priusquam abyssos constitueret.* In Clarom. e contrario, ut et in Voss., hæc habentur solum. At utrumque comma retinendum esse demonstrat sacer textus.

(60) *Lætabar.* Sic mss. In editt., *delectabar.*

(61) *Jocundabatur.* Editt. cum Arundel. et Merc. 2, *jocundaretur.*

(62) *Nec veterum qui quieverunt.* In vet. Feuard. cod. duæ priores voces omittuntur: in Voss. et Clarom. sola vox *veterum*; at in hoc, pro *quieverunt*, legitur *qui erunt.* Utrumque retinere cum Feuard. placuit.

(63) *Videretur. Hoc autem dicunt*, additum in editt. et cod. Arund. ac Merc. 2, omisi cum Clarom. et Voss., id enim majoris claritatis gratia, sed absque additum videtur.

(64) *Igitur.* Al., *enim.*

Digitized by Google

ipsi Deum videbunt[9]. » Sed secundum magnitudinem quidem ejus, et mirabilem gloriam, « nemo videbit Deum, et vivet[9]; » incapabilis enim Pater: secundum autem dilectionem et humanitatem, et quod omnia possit, etiam hoc concedit iis qui se diligunt, id est videre Deum, quod et prophetabant prophetæ. Quoniam « quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum[10]. » Homo etenim a se non videt (65) Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus: visus quidem tunc per Spiritum prophetiæ (66), visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno cœlorum paternaliter; Spiritu quidem præparante hominem in Filio (67) Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum.

A μενος ἐνδίδωσι . . . . . τοῖς ὁρῶσιν αὐτόν. Ἐπεὶ ζῆσαι ἄνευ ζωῆς οὐχ οἷόν τε ἦν· ἡ δὲ ὕπαρξις τῆς ζωῆς ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ περιγίνεται μετοχῆς· μετοχὴ δὲ Θεοῦ ἐστι τὸ γινώσκειν Θεόν, καὶ ἀπολαύειν τῆς χρηστότητος αὐτοῦ.

lis: per quam visus (75) vitam præstat iis qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est: subsistentia autem vitæ de Dei participatione evenit: participatio autem Dei est videre Deum, et frui benignitate ejus.

6. Homines igitur videbunt Deum, ut vivant (74), per visionem immortales facti, et pertingentes usque in Deum. Quod, sicut prædixi, per prophetas figuraliter manifestabatur, quoniam videbitur Deus ab hominibus, qui portant Spiritum ejus, et semper adventum ejus (75) sustinent. Quemadmodum et in Deuteronomio Moyses ait: « In die ista videbimus (76), quoniam loquetur Deus ad hominem, et vivet[11]. » Quidam enim eorum videbant Spiritum propheticum, et operationes ejus in omnia genera charismatum effusas (77): alii vero adventum Domini, et eam quæ est ab initio administrationem, per quam (78) fecit voluntatem Patris, quæ est in cœlis, et quæ est in terris: alii vero et glorias paternas temporibus aptas, et ipsis qui videbant, et tunc audiebant, et hominibus (79) qui deinceps audituri erant. Sic igitur manifestabatur Deus: per omnia enim hæc Deus Pater ostenditur, Spiritu quidem operante, Filio vero ministrante, Patre vero comprobante, homine vero consummato (80) ad salutem. Quemadmodum et per prophetam **255** Osee ait: « Ego, » inquit, « visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum[12] (81). » Apostolus autem idipsum exposuit, dicens: « Divisiones autem charismatum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministeriorum sunt, et idem Dominus (82): et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem[13-14]. » Sed quoniam qui

Ὥσπερ οἱ βλέποντες (68) τὸ φῶς, ἐντός εἰσι τοῦ φωτὸς, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν· οὕτως οἱ βλέποντες τὸν Θεὸν, ἐντός εἰσι τοῦ Θεοῦ, μετέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος . . . . . ζωῆς οὖν μεθέξουσιν οἱ ὁρῶντες Θεόν. Καὶ διὰ τοῦτο ὁ ἀχώρητος, καὶ ἀκατάληπτος, καὶ ἀόρατος, ὁρώμενον ἑαυτὸν, καὶ καταλαμβανόμενον, καὶ χωρούμενον τοῖς πιστοῖς παρέσχεν· ἵνα ζωοποιήσῃ τοὺς χωροῦντας, καὶ βλέποντας αὐτὸν, διὰ πίστεως. Ὡς γὰρ τὸ μέγεθος αὐτοῦ ἀνεξιχνίαστον, οὕτω καὶ ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ ἀνεξήγητος, δι' ἧς βλεπόμενος ἐνδίδωσι . . . . . τοῖς ὁρῶσιν αὐτόν.

Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt: sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos (69) claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum. Et propter hoc incapabilis, et incomprehensibilis [et invisibilis (70)] visibilem se, et comprehensibilem, et capacem hominibus (71) præstat, ut vivificet percipientes et videntes se (72). Quemadmodum enim magnitudo ejus investigabilis est, sic et benignitas ejus inenarrabilis: per quam visus (73)

[9] Matth. v, 8. [10] Exod. xxxiii, 20. [10] Luc. xviii, 27. [11] Deut. v, 24. [12] Ose. xii, 10. [13-14] I Cor. xii, 4 et seqq.

(65) *Videt . . . videtur.* Feuard. in marg., Clarom. et Voss., *videbit . . . videbitur:* sed minus recte, ut sequentia demonstrant.

(66) *Prophetiæ.* Arund. et edit. Oxon., *prophetice.*

(67) *In Filio.* Sic recte Clarom., Voss. et vetus Feuard. cod.; cæteri male, *in Filium.* Sensus enim est, hominem in Filio Dei carne induto, quem oculis videre licuit, seu per visionem Filii incarnati præparari ad videndum ipsum Patrem *intuitive*, ut loquuntur, in regno cœlorum.

(68) *Ὥσπερ οἱ βλέποντες.* Hæc ex Damasceni *Parallelis* litt. π, tit. 25, eruta vulgavit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 501. Priorem partem allegavit quoque Antonius Melissa serm. 1, qui est de fide.

(69) *Vivificat autem eos . . . Deum.* Hæc desiderantur in Clarom. et Voss.

(70) *Et invisibilis.* Hæc addidi ex textu Græco: addenda enim esse demonstrat vox *visibilem*, quæ his ex adverso respondet, sicuti *comprehensibilem*, τῷ *incomprehensibilis.*

(71) *Hominibus.* Græca sonant, *fidelibus.*

(72) *Videntes se. Per fidem* additum in Græco.

(73) *Per quam visus.* Sic Clarom. et om. Anglic. cum textu Græco et edit. Oxon. In aliis deest *visus.*

(74) *Ut vivant.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *et vivent.*

(75) *Ejus.* Ita Clarom. et Voss. melius quam alii, *Christi.*

(76) *Videbimus. Vidimus* in Græco τῶν Ο'.

(77) *Effusas.* Alii, *effusa.*

(78) *Per quam.* Eras., Gallas. et Feuard. *per quem.*

(79) *Hominibus.* Alii, *omnibus.*

(80) *Consummato.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Reliqui perperam, *consummante.*

(81) *Assimilatus sum.* Sic recte Clarom. Alii omnes male, *assimulatus sum.*

(82) *Et idem Dominus.* Ita Clarom. suffragante Græco sancti Pauli textu, καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος. Consentit et Voss., nisi quod pro *Dominus*, habeat *Deus.* Alii, *idem autem Dominus.*

Digitized by Google

omnia in omnibus operatur, Deus est; qualis et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus quæ ab eo facta sunt, incognitus autem nequaquam: omnia enim per Verbum ejus discunt, quia est unus (83) Deus Pater, qui continet omnia, et omnibus esse præstat, quemadmodum in Evangelio scriptum est: « Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus (84) Filius, qui est in sinu Patris; ipse enarravit [15]. »

7. Enarrat ergo ab initio Filius Patris, quippe qui ab initio est cum Patre, qui et visiones propheticas, et divisiones charismatum, et ministeria sua, et Patris glorificationem consequenter et composite ostenderit humano generi, apto tempore ad utilitatem. Ubi est enim consequentia, illic et constantia: et ubi constantia, illic et pro tempore (85): et ubi pro tempore, illic et utilitas: et propterea Verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deo autem (86) exhibens hominem: et invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et ut semper haberet ad quod proficeret; visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens a Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo: vita autem hominis visio Dei. Si enim quæ est per conditionem (87) ostensio Dei vitam præstat omnibus (88) in terra viventibus, multo magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident Deum.

8. Quoniam ergo Spiritus Dei per prophetas futura significavit, præformans et præaptans ad id ut subditi Deo simus, futurum autem erat, ut homo per sancti Spiritus beneplacitum videret (89); necessario oportebat eos, per quos futura prædicabantur, videre Deum, quem ipsi hominibus videndum intimabant: uti non solum dicatur (90) prophetice Deus, et Dei Filius, et Filius, et Pater, sed et ut videatur omnibus membris sanctificatis et edoctis ea quæ sunt Dei: ut præformaretur et meditaretur (91) homo applicari in eam gloriam, quæ postea revelabitur his qui diligunt Deum. Non enim solo sermone prophetabant prophetæ, sed et visione, et conversatione, et actibus quos faciebant, secundum id quod suggerebat Spiritus. Secundum hanc igitur rationem invisibilem videbant Deum, quemadmodum Isaias ait: « Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis [16]; » significans, quoniam videbit oculis Deum homo, et vocem ejus audiet. Secundum hanc igitur rationem et Filium Dei hominem videbant conversatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nondum aderat, adesse dicentes, et impassibilem passibilem annuntiantes, et eum qui tunc in cœlis, in limum mortis descendisse dicentes. Et reliquas autem ejus recapitulationis dispositiones, quasdam quidem per visiones videbant, quasdam per verbum annuntiabant, quasdam vero per operationem typice significabant; quæ quidem videnda erant, visibiliter (92) videntes; quæ vero audienda erant, sermone præconantes; quæ vero agenda erant, operatione perficientes; universa vero prophetice annuntiantes. Propterea et Moyses transgressori quidem legis populo igneum Deum esse dicebat, igneum a Deo diem superduci eis minitans [17]; his vero qui erga Deum timorem habebant, « Dominus Deus, » dicebat, « misericors, et pius, et magnanimus, et magnæ miserationis, et verax, justitiam servans, et misericordiam in millia, auferens injustitias, et nequitias, et peccata [18]. »

9. Et Verbum quidem loquebatur Moysi apparens in conspectu, « quemadmodum si quis loquatur ad amicum suum [19]. » Moyses vero cupivit manifeste videre eum qui secum loqueretur, et dictum est ei: « Sta in loco alto petræ, et manu mea contegam super te. Quando vero transierit claritas (93) mea, tunc videbis quæ sunt posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi: non enim videt homo faciem meam, et vivet [20]; » utraque significans, quoniam et impossibilis est homo (94) videre Deum, et quoniam per sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum (95) homo in altitudine petræ, hoc est, in eo qui est secundum hominem ejus adventu. Et propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo in altitudine montis, assistente etiam Elia, quemadmodum Evangelium retulit [21], restituens in fine pristinam repromissionem.

10. Non igitur manifeste ipsam (96) faciem Dei

[15] Joan. I, 18. [16] Isa. VI, 5. [17] Deut. IV, 24. [18] Exod. XXXIV, 6, 7. [19] Exod. XXXIII, 11. [20] Ibid. 21 et seqq. [21] Matth. XVII, 3.

(83) *Quia est unus.* Sic Clarom. Reliqui corrupte, *qui est unus.*

(84) *Nisi unigenitus. Nisi* omisit Feuard., sed contra omnium Irenæi codd. auctoritatem.

(85) *Illic et pro tempore.* I. e. *illic et temporis opportunitas.*

(86) *Deo autem.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Arundel. et Grab.; et sic pro *Deum autem*, ut vitiose habent reliqua exemplaria, legendum jam monuerat Georgius Bullus in *Defensione fidei Nicænæ* pag. 469.

(87) *Quæ est per conditionem.* I. e. *quæ est per res creatas*, seu quæ ex rebus creatis colligitur.

(88) *Omnibus.* Alias, *hominibus.*

(89) *Videret.* Subintellige, *Deum.*

(90) *Dicatur.* Hic pro *annuntietur* accipitur.

(91) *Meditaretur.* Edit. cum Arund. et Merc: 2, *præmeditaretur. Meditaretur* hic pro *exerceretur*, vel *exerceret se.* Vide col. 510, not. 7.

(92) *Visibiliter.* Deest in Feuard. edit.

(93) *Claritas. Gloria* in Feuard. marg. et Voss.

(94) *Impossibilis est homo.* Sic (Græcorum more, pro *impar est, impotens est homo ad*, etc. Græce ἀδύνατός ἐστι) Clarom., Voss. et Arundel. Quam phrasin haud intelligentes alii scripserunt, *impossibile est homini.*

(95) *Temporibus.... eum. Diebus* in Feuard. marg. et Voss., *Deum* in edit. et Merc. 2.

(96) *Ipsam.* Eras. et Gallas., *ipsi.*

Digitized by Google

videbant prophetæ, sed dispositiones et mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum. Quemadmodum et Eliæ dicebatur : « Exies cras, et stabis in conspectu Domini et ecce, Dominus transiet, et ecce spiritus magnus et fortis, qui dissolvet montes, et conteret petras in conspectu Domini; et non in spiritu Dominus : et post spiritum terræ motus; et non in terræ motu Dominus : et post terræ motum ignis; et non in igne Dominus : et post ignem vox auræ tenuis [22]. » Per hæc (97) enim et prophetes (98) **256** valde indignans propter transgressionem populi, et propter interfectionem prophetarum, edocebatur (99) mitius agere, ac secundum hominem adventus Domini significabatur futurus post illam legem, quæ data est per Moysem, mitis et tranquillus, in quo nec calamum quassatum confregit, nec linum fumigans exstinxit. Ostendebatur autem et regni ejus mitis et pacifica requietio. Post enim spiritum qui conterit montes, et post terræ motum, et post ignem, tranquilla et pacifica regni ejus adveniunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate Spiritus Dei vivificat, et auget hominem. Manifestius autem adhuc et per Ezechielem factum est, quoniam ex parte dispositiones Dei, sed non ipsum videbant prophetæ proprie (1) Deum. Hic enim cum vidisset visionem, et cherubim, et rotas eorum, et universæ progressionis ejus mysterium cum retulisset, et similitudinem throni cum vidisset super eos, et super thronum similitudinem quasi figuræ (2) hominis, et illa quidem quæ erant super lumbos ejus, quasi figuram electri; quæ autem deorsum, quasi visionem ignis, et reliquam universam thronorum visionem manifestans [23]; ne quis putaret forte eum in his proprie vidisse Deum, intulit : « Hæc visio similitudinis gloriæ Domini [24]. »

11. Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiæ futurorum : manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Dominus dixit : « Deum nemo vidit unquam [25]. » Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem videntium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat (quemadmodum et Dominus dixit : « Unigenitus Deus (3), qui est in sinu Patris, ipse enarravit [26]; » et ipse autem interpretatur (4) Patris Verbum, utpote dives, et multus exsistens) : non in una figura, nec in uno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum ejus causas sive efficaciam, sicut in Daniele scriptum est [27]. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam, Misaelem, videbatur assistens eis in fornace ignis, et in camino, et liberans eos de igne : « Et visio, » inquit, « quarti similis Filio Dei. » Aliquando autem « lapis a monte abscissus sine manibus; » et percutiens temporalia regna, et ventilans ea, et ipse replens universam terram [28]. Rursum hic idem videtur quasi Filius hominis in nubibus cœli veniens, et appropinquans ad Veterem dierum, et sumens ab eo universam potestatem, et gloriam, et regnum. « Et potestas, » inquit, « ejus potestas æterna, et regnum ejus non interibit [29]. » Sed et Joannes Domini discipulus in Apocalypsi sacerdotalem et gloriosum regni ejus videns adventum : « Conversus sum, » inquit, « videre vocem quæ loquebatur mecum, et conversus vidi septem candelabra aurea, et inter candelabra similem Filio hominis indutum poderem (5), et cinctum (6) ad mammas zonam auream. Caput autem ejus et capilli albi, quemadmodum lana alba, quomodo nix; et oculi ejus ut flamma ignis; et pedes ejus similes chalcolibano, quemadmodum in camino succensus est (7). Et vox ejus quasi vox aquarum, et habet stellas septem in manu dextera sua, et de ore ejus romphæa ex utraque parte acuta exibat, et facies ejus quemadmodum sol fulgens in virtute sua [30]. » In his enim aliquid a Patre clarum ejus (8) significat, ut caput : aliquid vero sacerdotale, ut podere (9) (et propter hoc Moyses secundum hunc typum vestivit pontificem); aliquid vero ad fi-

[22] III Reg. XIX, 11, 12. [23] Ezech. I, 1 et seqq. [24] Ezech. II, 1. [25] Joan. I, 18. [26] Ibid. [27] Dan. III, 92. [28] Dan. II, 34. [29] Dan. VII, 13, 14. [30] Apoc. I, 12 et seqq.

(97) *Per hæc.* In Feuard. marg. et Clarom., *post hæc.*

(98) *Et prophetes.* Ita Clarom., Arund., Merc. 1 et Grab. Alii corrupte, *et per prophetas.*

(99) *Edocebatur.* In Arund. et Merc. 2, *et docebatur.* In Eras., Gallas. et Feuard. pejus, *docebantur.*

(1) *Prophetæ proprie.* Eras. et Gallas., Arundel., Merc. 2, et Ottob., *prophetæ priores.*

(2) *Figuræ.* Al., *figuram.*

(3) *Unigenitus Deus. Unigenitus Filius* in editis N. Test. exemplaribus.

(4) *Interpretatur.* Grabius posuit *interpretator*, inductus, inquit cod. Arund. in quo legitur *interpretat*, annexo ad ultimam litteram signo abbreviationis. At signum illud abbreviationis in mss. longe frequentius denotat *ur* quam *er*, ut norunt qui in horum lectione versati sunt : saltem quod hic denotet *or* certo asserere non potest vir doctus. Levior ergo videtur hæc conjectura, ut muletur antiqua lectio, quæ aliunde non incongruum parit sensum, modo textus recte distinguatur.

(5) *Poderem.* Editi. cum Arund. et Merc. 2, *podere.*

(6) *Cinctum.* Sic omnes mss. Editi, *accinctum.*

(7) *Succensus est.* Nostra N. Test. exemplaria habent πεπυρωμένοι, *succensi*, scilicet *pedes.*

(8) *A Patre clarum ejus.* I. e. claritatem, seu gloriam quam habet a Patre. Alludere videtur ad illud Joannis I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.*

(9) *Podere.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Cæteri, *poderem.* Sed exigit constructio legatur *podere*, in nominativo casu, *pedere, poderes;* quod quamvis analogiæ Græcæ repugnet, tolerabilius tamen quam *poderem* in accusativo.

Digitized by Google

nem (10), quemadmodum chalcolibanum in camino succensum, quod est fortitudo fidei, et perseverabile orationum : propterea (11) adveniens in fine temporum succensionis incendium. Joanne vero non sustinente visionem (« Cecidi » enim, inquit, « ad pedes ejus quasi mortuus [31], » ut fieret, quod scriptum est : « Nemo videt Deum et vivet [32] »), et vivificans eum Verbum, et admonens, quoniam ipse est in cujus pectore recumbebat ad cœnam, interrogans quis esset qui inciperet eum tradere, dicebat : « Ego sum primus, et ego novissimus (12); et qui vivo, et fui mortuus, et ecce vivo in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferorum [33]. » Et post hæc in secunda visione eumdem Dominum videns : « Vidi » enim, inquit, « in medio throni, et quatuor animalium, et in medio presbyterorum, agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, dimissi in universam terram [34]. » Et rursum de eodem ipso agno ait : « Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus, et per justitiam judicat et pugnat, et oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse : et circumamictus vestimentum aspersum sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus cœli sequebantur (13) in equis albis, vestiti byssinum album mundum : et de ore ejus procedit romphæa acuta, ut in ea percutiat gentes : et ipse pascet (14) eos in virga ferrea, et ipse calcat lacum (15) vini furoris iræ Dei omnipotentis; et habet super vestitum, et super femur suum, nomen scriptum : Rex regum et Dominus dominorum [35] (16). » Sic semper Verbum Dei velut **257** lineamenta rerum futurarum habet, et velut species dispositionum Patris hominibus ostendebat, docens nos quæ sunt Dei.

12. Non solum autem per visiones quæ videban- A tur, et per sermones qui præconabantur, sed et in operationibus visus est prophetis, ut per eos præfiguraret et præmonstraret futura. Propter quod et Osee propheta accepit « uxorem fornicationis; » per operationem prophetans, « quoniam fornicando fornicabitur terra a Domino [36], » hoc est, qui super terram sunt homines; et de hujusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione Filii ejus, sicut et illa sanctificata est communione (17) prophetæ. Et propter hoc Paulus « sanctificatam » ait « infidelem mulierem in viro fideli [37]. » Adhuc etiam filios suos nominavit propheta, « Non misericordiam consecuta, » et « Non populus [38] : » ut, quemadmodum Apostolus ait, « fiat qui non populus, populus : et B ea quæ non est misericordiam consecuta, misericordiam consecuta : et in loco liberata (18), in quo vocabatur non populus, ibi vocabuntur filii Dei vivi [39]. » Id quod a propheta typice per operationem factum est, ostendit Apostolus vere factum in Ecclesia a Christo (19). Sic autem et Moyses Æthiopissam accipiebat (20) uxorem, quam ipse Israelitidem fecit [40]; præsignificans, quoniam oleaster inseritur in olivam, et participans pinguedinis ejus erit. Quoniam enim is (21) qui secundum carnem natus est Christus, a populo quidem habebat inquiri ut occideretur, liberari vero in Ægypto, id est, in gentibus, sanctificare eos qui ibi essent infantes, unde et Ecclesiam ibi (22) perfecit [Ægyptus enim ab initio gentilis, quemadmodum et Æthiopia (23)] propter hoc C

Διὰ τοῦ γάμου (24) Μωϋσέως ὁ τοῦ Ἰησοῦ νοητὸς (25) γάμος ἐδείκνυτο, καὶ διὰ τῆς Αἰθιοπικῆς νύμφης, ἡ ἐξ ἐθνῶν Ἐκκλησία ἐδηλοῦτο· ἣν οἱ καταλαλοῦντες, καὶ ἐνδιαβάλ-

per nuptias Moysi nuptiæ Verbi ostendebantur, et per Æthiopissam conjugem, ea quæ ex gentibus est Ecclesia manifestabatur; cui qui detrahunt, et incusant, et derident

[31] Apoc. I, 17. [32] Exod. XXXIII, 20. [33] Apoc. I, 17, 18. [34] Apoc. V, 6. [35] Apoc. XIX, 11 seq. [36] Osc. I, 2, 3. [37] I Cor. VII, 14. [38] Osc. I, 6, 9. [39] Rom. IX, 25, 26. [40] Exod. II, 21.

(10) *Aliquid vero ad finem.* Supp. *refertur*, seu *respicit. Finem* autem sæculorum intelligit, cum venturus est Christus judicare sæculum per ignem, ut canit Ecclesia.

(11) *Propterea.* Sic pro *propter* reposui ex Clarom., Voss. et Arundel., unde et textum aliter distinxi. D

(12) *Ego novissimus.* Sic Clarom. et Voss. In Arundel., *sum novissimus.* In aliis, nec *ego*, nec *sum* legitur.

(13) *Sequebantur.* Sic recte Grabius ex om. Anglic. Alii male, *sequebatur.*

(14) *Pascet.* Clarom. et Feuard. in marg. *pascit.*

(15) *Lacum. Torcular* melius in Vulgata nostra.

(16) *Dominorum.* Eras. Gallas. et Feuard., *dominantium.*

(17) *Communione.* Alii, *communicatione.*

(18) *Liberata.* Sic Clarom. Alii, *eliberata.* Sed utraque vox expungenda esset : neutra enim legitur sive in Osea, sive in Apostolo. Unde vero huc irrepserit alterutra, haud facile dictu est. Suspicatur clariss. Grab. primum in margine ascriptam fuisse ad explicationem appellationis, *misericordiam consecuta*; inde vero textui loco incommodo insertam. Suspicarer ego interpretem, pro ἐῤῥήθη, male legisse ἐῤῥύσθη, indeque vertisse, *liberata.*

(19) *A Christo.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom. et om. Anglic. melius quam alii, *e Christo.*

(20) *Accipiebat.* Arundel., *accepit.*

(21) *Is.* Ita Clarom., Voss. et Grab. Alii perperam, *his.*

(22) *Ibi.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. melius quam alii, *sibi.*

(23) *Et Æthiopia.* Ita Feuard. in marg. et Clarom. Reliqui, *Æthiopissa.*

(24) *Διὰ τοῦ γάμου.* Græcum hoc fragmentum edidit Combefisius in *Auctario novissimo Bibliothecæ Patrum*, pag. 298, decerptum e Catena quadam in Pentateuchum. Quæ sit illa Catena, non novi : sed perlustranti mihi Græcas Regiæ bibliothecæ mss. Catenas, occurrit in tribus quæ sunt in Numeros, scilicet cod. 1872, fol. 189, cod. 1888, fol. 395 et cod. 1825 fol. 399. e quibus emendatius illud profero.

(25) *Νοητός.* Hanc vocem legisse non videtur interpres.

Digitized by Google

λοντες, καὶ διαμωκώμενοι (26), οὐκ ἔσονται καθαροί (27). Ἀσπρήσουσι γὰρ, καὶ ἐξαφορισθήσονται (28) τῆς τῶν δικαίων παρεμβολῆς.

eam, non erunt mundi. Leprosi enim erunt, et abjicientur justorum castris.

Sic autem et Raab fornicaria semetipsam quidem condemnans, quoniam esset gentilis, omnium peccatorum rea, suscepit autem tres speculatores (29), qui speculabantur universam terram, et apud se abscondit [41], Patrem scilicet et Filium cum Spiritu sancto (30). Et cum universa civitas, in qua habitabat, concidisset in ruinam, canentibus septem tubicinis, in ultimis Raab fornicaria conservata est (31) cum universa domo sua, fide signi coccini (32): sicut et Dominus dicebat his, qui adventum ejus non excipiebant, Phariszeis (33) scilicet, et coccini signum nullificant, quod erat pascha (34), redemptio et exodus populi ex Ægypto, dicens: « Publicani et meretrices præcedunt (35) vos in regno cœlorum [42]. »

CAPUT XXI [43].

Unam et eamdem fuisse Abrahæ fidem et nostram: hanc vero veterum patriarcharum et dictis et factis præsignificatam fuisse.

1. Quoniam autem et in Abraham præfigurabatur fides nostra et quoniam patriarcha nostræ fidei, et velut propheta fuit (36), plenissime Apostolus docuit in ea Epistola quæ est ad Galatas, dicens: « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Cognoscite itaque, quoniam qui sunt ex fide, hi filii sunt Abrahæ. Prævidens autem Scriptura, quoniam ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quoniam benedicentur in eo omnes gentes. Itaque qui ex **258** fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham [44]. » Ob quæ non solum prophetam eum dixit fidei, sed et patrem eorum qui ex gentibus credunt in Christum Jesum, eo quod una et eadem illius et nostra sit fides: illo quidem credente futuris quasi jam factis, propter repromissionem Dei; nobis quoque similiter per fidem speculantibus eam quæ est in regno hæreditatem (37).

2. Et ea autem quæ circa Isaac, non sine significatione sunt. In ea enim Epistola quæ est ad Romanos, ait Apostolus: « Sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri, a Verbo responsum accepit (38); ut secundum electionem propositum Dei permaneat, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Duo populi (39) in utero tuo, et duæ gentes in ventre tuo (40), et populus populum superabit, et major serviet minori [45]. » Ex quibus manifestum est, non solum prophetationes patriarcharum, sed etiam partus Rebeccæ prophetiam fuisse duorum populorum: et unum quidem esse majorem, alterum vero minorem; et alterum quidem sub servitio, alterum autem liberum; unius autem et ejusdem patris. Unus et idem Deus noster et illorum qui est absconsorum cognitor, qui scit

[41] Jos. II, 1. [42] Matth. XXI, 31. [43] Cap. XXXVIII. [44] Gal. III, 5, 7 et seq. [45] Rom. IX, 10 et seqq.; Gen. XXV, 23.

(26) *Ἐνδιαβάλλοντες καὶ διαμωκώμενοι.* Combefis., διαβάλλοντες καταμωκώμενοι.

(27) *Οὐκ ἔσονται καθαροί.* In Combefis. perperam, οὐκέτι ἐν τῇ παρεμβολῇ.

(28) *Ἐξαφορισθήσονται.* Combefisius minus recte, ἐξαφορίζονται.

(29) *Tres speculatores.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. et Grab.; cæteri omittunt *tres*. Hanc vocem tamen ab Irenæo scriptam fuisse, demonstrat subjuncta trium divinarum personarum comparatio; quanquam, memoria lapsus, S. doctor *tres* pro *duobus* scripserit.

(30) *Cum Spiritu sancto.* Edit. cum Arundel. et Merc. 2, *et Spiritum sanctum*

(31) *Conservata est.* Clarom., *liberata est.*

(32) *Fide signi coccini.* His lucem affert, quod Justinus M. in *Dial. cum Tryph.* pag. 338, scribit: Καὶ γὰρ τὸ σύμβολον τοῦ κοκκίνου σπαρτίου οὗ ἔδωκαν ἐν Ἰεριχῷ οἱ ἀπὸ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ πεμφθέντες κατάσκοποι, Ῥαὰβ τῇ πόρνῃ, εἰπόντες προσδῆσαι αὐτὸ τῇ θυρίδι δι' ἧς αὐτοὺς ἐχάλασεν, ὅπως λάθωσι τοὺς πολεμίους, ὁμοίως τὸ σύμβολον τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐδήλου, δι' οὗ οἱ πάλαι πόρνοι καὶ ἄδικοι ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν σώζονται, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβόντες, καὶ μηκέτι ἁμαρτάνοντες. « Funiculi enim coccinei symbolum, quod exploratores a Jesu Nave missi in Jericho Raabi meretrici dederunt, id ad fenestram per quam eos demiserat, ut hostium conspectum effugerent, alligari jubentes, sanguinis Christi signum similiter præ se tulit, per quem vetusti fornicatores, et iniqui homines ex gentibus omnibus salvantur, remissionem peccatorum accipientes, et ulterius non peccantes. » Eodem modo explicant Clemens Romanus in *epist. ad Corinth.* cap. 12, et alii plures a Cotelerio citati in notis ad hunc Clementis locum.

(33) *Phariszeis.* Al., *Pharisæi.*

(34) *Quod erat Pascha,* etc. Clarius Justinus M. loc. cit.: Καὶ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ δὲ σωθέντας, ὅτε ἀπώλλυντο τὰ πρωτότοκα τῶν Αἰγυπτίων, τὸ τοῦ Πάσχα ἐῤῥύσατο αἷμα, τὸ ἑκατέρωσε τῶν σταθμῶν καὶ τοῦ ὑπερθύρου χρισθέν· ἦν γὰρ τὸ Πάσχα ὁ Χριστὸς, ὁ θυθεὶς ὕστερον, etc. « Et qui in Ægypto servati sunt, cum Ægyptiorum primogenita interirent, eos paschæ sanguis liberavit, quo postes utrinque et superliminare imbutum erat. Pascha enim erat Christus immolatus postea, » etc.

(35) *Præcedunt.* Eras. et Gallas. cum Vulgata, *præcedent.*

(36) *Propheta fuit.* Al., *prophetavit.*

(37) *Hæreditatem. Propter repromissionem Dei* addunt editt. cum Arundel. et Merc. 2. Sed tres istas voces, hic ex præcedenti commate ab aliquo recentiori frustra repetitas, expunxi auctoritate Clarom. et Voss.

(38) *A Verbo responsum accepit.* Verba hæc non agnoscit Apostoli textus, sive Græcus, sive Latinus, nec unde huc profluxerint, facile dixerit quis. Ab Irenæo scripta non crediderim: neque enim cohærent cum antecedentibus, aut consequentibus. Incuria proinde scribarum perperam inserta cum videantur, expungenda sunt, et his substituenda genuina Apostoli verba: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.*

(39) *Duo populi,* etc. Hæc ex Genesi addidit Irenæus.

(40) *In ventre tuo.* In hodiernis τῶν Ο' codd. ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται. In Vulgata similiter: *ex ventre tuo dividentur.* Sed cum Irenæo legit et Barnabas epist. cap. 13.

Digitized by Google

omnia antequam fiant; et propter hoc dixit : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui [46]. »

5. Si quis autem et actus qui sunt Jacob addiscat, inveniet eos non inanes, sed plenos dispositionum : et inprimis in nativitate ejus, quemadmodum apprehendit calcaneum fratris et Jacob vocatus est, id est supplantator [47]; tenens, et qui (41) non tenetur; ligans pedes, sed qui non ligatur; luctans, et vincens; tenens in manu calcaneum adversarii, id est victoriam. Ad hoc enim nascebatur Dominus, cujus typum generationis præstabat (42), de quo et Joannes in Apocalypsi ait : « Exivit vincens, ut vinceret [48]. » Deinde autem primogenita accipiens, quando vituperavit ea frater ejus [49] : quemadmodum et junior populus eum primogenitum Christum accepit, cum eum repulit populus ætate provectior, dicens : « Non habemus regem, nisi Cæsarem [50]. » In Christo autem universa benedictio : et propter hoc benedictiones prioris populi a Patre surripuit posterior populus, quemadmodum Jacob abstulit benedictionem hujus Esau. Ob quam causam fratris patiebatur insidias et persecutiones frater suus, sicut et Ecclesia hoc idem a Judæis patitur. Peregre nascebantur XII tribus, genus Israel, quoniam et Christus peregre incipiebat (43) duodecastylum firmamentum (44) Ecclesiæ generare. Variæ oves, quæ fiebant, huic Jacob (45) merces [51] : et Christi merces, qui (46) ex variis et differentibus gentibus in unam cohortem fidei convenientes fiunt homines, quemadmodum Pater promisit ei : « Postula, » dicens, « a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. [52] » Et quoniam multitudinis filiorum Domini prophetæ fiebat (47) Jacob, necessitas omnis fuit ex duabus sororibus eum filios facere; quemadmodum Christus ex duabus legibus unius et ejusdem Patris : similiter autem et ex ancillis; significans quoniam secundum carnem ex liberis, et ex servis Christus statueret (48) filios Dei, similiter omnibus dans munus Spiritus vivificantis nos. Omnia autem ille faciebat propter illam juniorem, bonos oculos habentem, Rachel, quæ præfigurabat Ecclesiam, propter quam sustinuit Christus : qui tunc quidem per patriarchas suos et prophetas præfigurans et prænuntians futura, præexercens suam partem dispositionibus Dei, et assuescens (49) hæreditatem suam obedire Deo, et peregrinari in sæculo, et sequi verbum ejus, et præsignificare futura. Nihil enim vacuum, neque sine signo apud Deum (50).

259 CAPUT XXII [53].

Christum non venisse propter unius sæculi homines, sed propter omnes qui juste ac pie viventes in ipsum crediderant, ac deinceps credituri erant.

1. In novissimis autem temporibus, cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum Verbum per seipsum sordes abluit filiarum Sion, manibus suis lavans pedes discipulorum. Hic est enim finis humani generis hæredificantis Deum : uti quemadmodum in initio per primos, omnes in servitutem redacti sumus debito mortis, sic in ultimo (51) per novissimum (52) omnes, qui ab initio discipuli, emundati et abluti quæ sunt mortis, in vitam veniant Dei. Qui enim pedes lavit discipulorum, totum sanctificavit corpus, et in emundationem (53) adduxit. Quapropter et recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos qui in terra recumbebant (54), quibus venit ministrare vitam. Sicut Jeremias ait (55) : « Recommemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui prædormierunt (56) in terra defossionis (57), et descendit ad eos, uti evangelizaret (58) eis salutare suum, ad salvandum eos. » Propter hoc autem, et discipulorum oculi

[46] Rom. IX, 13. [47] Gen. XXV, 25. [48] Apoc. VI, 2. [49] Psal. II, 8. [50] Cap. XXXIX.

[51] Gen. XXV, 32. [52] Joan. XIX, 15. [53] Gen. XXX, 32.

(41) *Tenens et qui.* Edit., *tenens, sed qui.*

(42) *Præstabat.* Sic Feuard. in marg., Claromont. et Voss.; cæteri, *monstrabat.*

(43) *Incipiebat ... generare.* I. e. *generaturus erat.*

(44) *Duodecastylum firmamentum.* Sic pro *decastylum firmamentum* restituit Feuard. ex vet. cod., suffragantibus Clarom. et Voss. Apostolos intelligit, quibus ceu duodecim στύλοις, seu columnis fulcitur Ecclesia, utpote qui Ecclesiam sanguine suo, exemplis atque doctrina fundarint : quemadmodum duodecim filii Jacob totius Israelitici generis fundamenta et capita exstiterunt. Frustra igitur Grabius pro *duodecastylum*, legendum vellet *duodecaphylum*; hæc enim lectio stare non potest cum Irenæi allusione. Æqui vero ... firmamentum Ecclesiæ dicatur *duodecaphylum*, seu *duodecim tribuum*, viderit vir acutus, et explicet, si possit.

(45) *Huic Jacob.* Sic Clarom., Arundel. et Grabius. Cæteri, *hinc Jacob.*

(46) *Qui.* Sic recte Clarom. In Feuard. edit. et mss. Voss. perperam, *quia*; in reliquis neutrum legitur.

(47) *Multitudinis ... fiebat.* Ita recte Clarom. et Voss. In Eras., Gallas., Feuard., Arund., Ottob. et Merc. 2 corrupte, et sine sensu : *multitudines ... fiebant.* Nec melius scripsit Grab. *multitudinis ... fiebant* : haud advertens eumdem typum mercedis versicolorum ovium Jacobo assignatæ hic ab Irenæo pertexi. *Et quoniam*, inquit, *Jacobo prophetæ* (seu qui propheta erat) *multitudinis filiorum Domini, versicolorum ovium merces fiebat*, seu nascebatur; ut figura omni ex parte quadraret, *necessitas omnis fuit*, etc.

(48) *Statueret.* Al., *statuet.*

(49) *Assuescens.* Pro *assuefaciens.*

(50) *Præsignificare ... apud Deum.* In edit., *præfigurare ... apud eum.*

(51) *In ultimo.* Scil. tempore.

(52) *Per novissimum.* Christum videlicet, novissimum hominem. Sic Clarom. Alii omnes perperam, *per novissima.*

(53) *In emundationem. In* deest in Eras. et Gallas.

(54) *Recumbebant.* Ludit Irenæus in verbo ἀνακεῖσθαι, quod in præced. commixte accipit pro *discumbere in mensa*, hic vero pro *mortuum jacere.*

(55) *Jeremias ait.* Vide quæ supra notavimus ad lib. II, cap. 22, num. 4.

(56) *Qui prædormierunt.* Hæc desunt in Clarom.

(57) *In terra defossionis.* Clarom., *in terra depositionis*

(58) *Evangelizaret eis.* Clarom. *evangelizaret in eis.*

Digitized by Google

erant gravati veniente Christo ad passionem, et inveniens eos dormientes Dominus, primo quidem dimisit, significans patientiam Dei in dormitione hominum; secundo vero veniens excitavit eos, et erexit, significans quoniam passio ejus expergefactio est dormientium discipulorum, propter quos « et descendit in inferiora terræ [56], » id quod erat inoperatum conditionis visurus oculis, de quibus et dicebat discipulis : « Multi (59) prophetæ et justi cupierunt videre et audire quæ vos videtis et auditis [58]. »

2. Non enim propter eos solos, qui temporibus Tiberii Cæsaris crediderunt ei, venit Christus; nec propter eos solos, qui nunc sunt, homines providentiam fecit Pater; sed propter omnes omnino homines, qui ab initio propter virtutem(60) suam in sua generatione, et timuerunt, et dilexerunt Deum, et juste et pie conversati sunt erga proximos, et concupierunt videre Christum, et audire vocem ejus. Quapropter omnes hujusmodi in secundo adventu primo de somno excitabit, et eriget tam eos, quam reliquos qui judicabuntur, et constituet in regnum suum. Quoniam quidem « unus Deus, qui » patriarchas quidem direxit in dispositiones suas, « justificavit (61) » autem « circumcisionem ex fide, et præputium per fidem [59]. » Quemadmodum enim in primis nos præfigurabamur, et prænuntiabamur, sic rursus in nobis illi deformantur, hoc est in Ecclesia, et recipiunt mercedem pro his quæ laboraverunt.

CAPUT XXIII [57].

Patriarchas et prophetas Christi adventum præsignificantes, viam posteris ad Christi fidem muniisse : ideoque minorem apostolorum laborem fuisse, quod fructum alieni laboris colligerent.

1. Propter hoc dicebat Dominus discipulis : « Ecce, dico vobis, attollite oculos vestros, et videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem. Nam messor mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam; uti et qui seminat, et qui metit, simul gaudeant (62). In hoc enim est sermo verus, quoniam alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego enim præmisi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis [60]. Qui ergo sunt qui laboraverunt, qui dispositionibus Dei deservierunt? Manifestum est, quia patriarchæ et prophetæ, qui etiam præfiguraverunt nostram fidem, et disseminaverunt in terra adventum Filii Dei, quis et qualis erit : uti qui posteriores erant futuri homines, habentes timorem Dei, facile susciperent adventum Christi, instructi a prophetis. Et propter hoc Joseph, cum cognovisset quod prægnans esset Maria, et cogitaret absconse dimittere eam, angelus in somnis dixit ad eum. « Ne timueris (63) assumere Mariam conjugem tuam; quod enim habet in ventre, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, (64) et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvabit populum suum a peccatis eorum [61]. » Et adjecit suadens ei : « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel [62]; » per sermones prophetæ suadens ei, et excusans Mariam : hanc eamdem esse ostendens, quæ ab Isaia esset prænuntiata (65) virgo, quæ generaret Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Joseph, et Mariam accepit, et in reliqua universa educatione Christi gaudens obsequium præstitit, usque in Ægyptum suscipiens profectionem, et inde regressum, et in Nazareth transmigrationem **260**. Denique qui ignorabant Scripturas, et repromissionem Dei, et dispositionem Christi, patrem eum vocabant (66) pueri. Propter hoc autem et ipse Dominus in Capharnaum Isaiæ prophetias legebat : « Spiritus Domini super me, quapropter unxit me, evangelizare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, præconare captivis remissionem, et cæcis visionem [63]. » Semetipsum quoque ostendens prænuntiatum per Isaiæ prophetiam (67), dicebat eis : « Hodie adimpleta est Scriptura hæc in auribus vestris [64]. »

2. Propter hoc et Philippus, cum invenisset eunuchum reginæ Æthiopum legentem ea quæ scripta sunt [65]: « Quemadmodum ovis ad victimam ductus est, et quemadmodum agnus in conspectu tondentis sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus ablatum est [66]; » et reliqua quæcunque de passione ejus, et de carnali adventu, et quemadmodum inhonoratus est a non credentibus ei, pertransivit propheta; facile suasit ei credere eum, esse Christum Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et passus est, et quæcunque prædixit propheta, eumque esse Filium Dei, qui æternam vitam hominibus dat. Et statim ut baptizavit eum, abscessit ab eo. Nihil enim aliud deerat ei, qui a prophetis fuerat præcatechizatus : non Deum Patrem, non conversationis dispositionem, sed solum adventum ignorabat Filii Dei,

[56] Ephes. IV, 9. [58] Matth. XIII, 17. [59] Rom. III, 30. [57] Cap. XL. [58] Joan. IV, 35 et seqq. [59] Matth. I, 20, 21. [60] Ibid., 22, 23. [61] Luc. IV, 18. [62] Ibid., 21. [63] Act. VIII, 27 et seq. [64] Isa. LIII, 7.

(59) *Multi. Igitur* additum in Clarom. et Voss.

(60) *Propter virtutem.* Sic in Feuard. marg., Clarom. et Voss.; cæteri, *secundum virtutem.*

(61) *Justificavit.* Al., *justificat.*

(62) *Gaudeant.* Sic Feuard. in marg., Arund. et Merc. 1. in Clarom., *adgaudeant;* in reliquis, *gaudeat.*

(63) *Timueris.* Al., *timeas.*

(64) *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Clarom., *e vocabitur nomen ejus Jesus.*

(65) *Prænuntiata.* Feuard. in marg. et Clarom *pronuntiata.*

(66) *Vocabant.* Editt. cum. Arundel. et Merc. 2 *putabant.*

(67) *Isaiæ prophetiam.* Sic pro *prophetam*, ve. *prophetas* reposui ex Clarom.

Digitized by Google

quem cum breviter cognovisset, agebat iter gaudens, A præco futurus in Æthiopia Christi adventus. Quapropter non multum laboravit circa eum Philippus, quoniam(68) erat in timore Dei præaptatus a prophetis. Propter hoc autem et apostoli, oves colligentes quæ perierant domus Israel, de Scripturis alloquentes eos, ostendebant Jesum crucifixum hunc esse Christum Filium Dei vivi, et magnam multitudinem suadebant, qui tamen habebant timorem ad Deum : et una die baptizati sunt hominum tria millia, et quatuor, et quinque (69).

CAPUT XXIV [65].

Difficiliorem fuisse gentium, quam Judæorum conversionem ; majorem proinde apostolorum laborem qui illi, quam qui huic operam navabant.

1. Propter hoc et Paulus, gentium apostolus B cum esset : « Plus eis, » inquit, « omnibus laboravi [66]. » Illis enim facilis catechizatio fuit, videlicet cum ex Scripturis haberent ostensiones ; et qui (70) Moysem et prophetas audiebant, et facile recipiebant primogenitum mortuorum, et principem vitæ Dei, eum qui per extensionem manuum dissolvebat Amalech, et vivificabat hominem de serpentis plaga per fidem, quæ erat in eum, gentes quidem primo catechizabat Apostolus, quemadmodum in eo libro, qui ante hunc est, ostendimus [67], discedere ab idolorum superstitione, et unum Deum colere, factorem cœli et terræ, et universæ conditionis fabricatorem : esse autem hujus Filium Verbum ejus, per quem constituit omnia ; et hunc in C novissimo tempore hominem in hominibus (71) factum, reformasse quidem humanum genus, destruxisse autem et vicisse inimicum hominis, et donasse suo plasmati adversus reluctantem victoriam. Adhuc autem etsi non faciebant qui erant ex circumcisione sermones Dei, quod essent contemptores ; sed (72) erant præstructi (73) non mœchari, nec fornicari (74), non furari, nec fraudare, et quæcumque in exterminium proximorum fiunt, mala esse, et odiri a Deo. Quapropter et facile assentiebant ab his abstinere, quoniam hæc didicerant (75).

2. Gentiles vero et hoc ipsum discere oportebat quoniam hujusmodi operationes malæ, et exterminatoriæ, et inutiles sunt, et damnosæ his qui operantur eas. Quapropter plus laborabat qui in gentes apostolatum acceperat, quam qui in circumcisione præconabant Filium Dei. Illos enim adjuvabant Scripturæ, quas confirmavit Dominus, et adimplevit, talis veniens qualis et prædicabatur : hic vero peregrina quædam eruditio, et nova doctrina, deos gentium non solum non esse deos, sed et idola esse dæmoniorum ; esse autem unum Deum, qui est « super omnem principatum, et dominationem, et potestatem, et omne nomen quod nominatur [68] : » et hujus Verbum naturaliter quidem invisibilem (76), palpabilem et invisibilem in hominibus factum, et « usque ad mortem » descendisse, « mortem autem crucis [69] : » et eos qui in eum credunt, incorruptibiles et impassibiles (77) futuros, et percipere regnum cœlorum. Et hæc sermone prædicabantur gentibus sine Scripturis ; quapropter et plus laborabant qui in gentes prædicabant. Generosior autem rursus fides gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium, sine instructione Litterarum (78).

261 CAPUT XXV [70].

Utrumque testamentum in Abrahamo, et in Thamaris partu præsignatum fuisse : unum vero utrisque testamenti Deum esse.

1. Sic enim oportuerat filios Abrahæ, quos illi de lapidibus excitavit Deus, et fecit assistere ei, principi et prænuntiatori facto nostræ fidei ; qui et accepit testamentum circumcisionis, post eam justificationem quæ fuerat in præputio fidei : ut præfigurarentur in eo utraque testamenta, ut fieret pater omnium qui sequuntur Verbum Dei, et peregrinationem in hoc sæculo sustinent, id est eorum qui ex circumcisione, et eorum qui ex præputio fideles sunt : sicut et « Christus lapis summus angularis [71], » omnia sustinens, et unam fidem Abrahæ colligens eos, qui ex utroque Testamento apti sunt in ædificationem Dei (79). Sed hæc quidem quæ est in præputio fides, utpote finem conjungens prin-

[65] Cap. XLI. [66] I Cor. IX, 10. [67] Lib. III, c. 12, n. 10. [68] Ephes. I, 21. [69] Philip. II, 8. [70] Cap. XLII. [71] Ephes. II, 20.

(68) *Quoniam.* Al., *qui* vel *quia.*

(69) *Et quatuor et quinque.* Quatuor hominum millia baptizasse apostolos una die, nullibi in Actis eorum legimus. Quare nisi hæc a traditione acceperit Irenæus, existimarem particulam *et*, ante *quinque*, accipiendam esse pro *vel*, pro more scriptorum mediæ et infimæ Latinitatis. Nam Act. V, 4, eorum qui Petri verbis crediderunt numerus fuisse dicitur, ὡσεὶ χιλιάδες πέντε, *quasi quinque millia*, i. e. circiter, plus minus quinque millia : unde scribere potuit Irenæus, *quatuor aut quinque millia.*

(70) *Et qui.* Pro, *utpote qui.*

(71) *In hominibus.* Male his vocibus præfigitur *et* in editt. Eras., Gallas. et Feuard.

(72) *Sed.* Pro *attamen* ; quod interpreti non infrequens.

(73) *Præstructi.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *præinstructi. Præstruere*, verbum interpreti familiare.

(74) *Nec fornicari.* Desunt in Eras. et Gallas.

(75) *Didicerant.* Ita Clarom. melius quam alii, *didicerunt.*

(76) *Invisibilem.* Sic Clarom., Voss. et Merc. 1, melius quam alii, *invisibile*, quia mox sequitur *palpabilem et visibilem*, idque pro interpretis more, ad genus nominis Græci Λόγος attendentis. Conjicit vero clariss. Bullus in *Defens. fid. Nic.*, pag. 470, hic respexisse Irenæum insignem locum Ignatii in *Epistola ad Polycarpum*, ejusdem Irenæi magistrum : in quo vir apostolicus Christum Filium Dei dicit, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατόν· τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν. I. e. *invisibilem propter nos visibilem ; impalpabilem, impassibilem, propter nos passibilem.* Sed levior videtur hæc conjectura.

(77) *Et impassibiles.* Hæc desiderantur in Clarom.

(78) *Litterarum.* Sacrarum videlicet. In editt. et codd. Arundel. ac Merc. 2, *Scripturarum.*

(79) *Apti sunt in ædificationem Dei.* Cod. Voss., *apparati sunt in regno Dei.*

Digitized by Google

cipio, prima et novissima (80) facta est. Etenim ante circumcisionem erat in Abraham, et in reliquis justis, qui placuerunt Deo, sicut demonstravimus[72] : et rursus in novissimis temporibus orta est in humano genere per Domini adventum. Circumcisio vero et lex operationum media obtinuerunt tempora.

2. Hoc et per alia quidem multa, jam vero et per Thamar Judæ nurum typice ostenditur[73]. Cum enim concepisset gemellos, alter eorum prior protulit manum suam : et cum obstetrix putaret eum primogenitum esse, coccinum alligavit signum in manu ejus. Cum hoc autem factum esset, et abstraxisset manum suam, prior exivit frater ejus Phares ; sic deinde secundus ille, in quo erat coccinum, Zara : clare manifestante Scriptura, eum quidem populum qui habet (81) coccinum signum, id est eam fidem quæ est in præputio, præostensam quidem primum in patriarchis, post deinde subtractam, usi nasceretur frater ejus ; deinde sic eum, qui prior esset, secundo loco natum, qui est cognitus per signum coccinum, quod erat in eo ; quod est passio justi, ab initio præfigurata in Abel, et descripta a prophetis, perfecta vero in novissimis temporibus in Filio Dei.

3. Oportebat enim quædam quidem prænuntiari paternaliter a patribus, quædam autem præfigurari legaliter a prophetis, quædam vero deformari secundum formationem (82) Christi, ab his qui adoptionem perceperunt : omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, in semetipso præfigurabat duo testamenta, in quibus alii quidem seminaverunt, alii vero messi sunt (83) : « In hoc enim, » inquit, « sermo est verus, quoniam alter quidem est qui seminat » populus, « alter qui metet[74] : » unus autem Deus præstans utrisque quæ sunt apta, semen quidem seminanti, panem vero ad edendum meteuti. Quemadmodum alter quidem est qui plantat, et alter qui adaquat, unus autem, qui dat incrementum, Deus. Disseminaverunt enim sermonem de Christo patriarchæ et prophetæ ; demessa est autem Ecclesia, hoc est fructum percepit. Propter hoc et ipsi orant habere tabernaculum in ea, Jeremia dicente : « Quis dabit mihi in deserto habitationem novissimam[75] ; » uti et qui seminat, et qui metit, simul gaudeant in Christi regno, qui omnibus adest, de quibus ab initio bene sensit Deus, attribuens adesse eis Verbum suum.

CAPUT XXVI[76].

Thesaurus absconditus in Scripturis Christus, hujus adventu ac cruce patefactus ; Scripturarum vero expositionem doctrinæque veritatem a solis episcopis, qui in Ecclesia catholica successionem habent ab apostolis, petendam esse.

1. Si quis igitur intentus legat Scripturas, inveniet in iisdem de Christo sermonem, et novæ vocationis præfigurationem.

. . . . . [77] Hic est enim thesaurus absconsus in agro[78], id est in isto mundo (« ager enim mundus est[79] »), absconsus vero in Scripturis thesaurus Christus, quoniam per typos et parabolas significabatur. Unde non poterat (86) hoc quod secundum hominem est, intelligi, priusquam consummatio eorum, quæ consummata sunt (87), veniret ; quæ **262** est adventus Christi. Et propter hoc Danieli prophetæ dicebatur : « Mu ni sermones, et signa librum usque ad tempus consummationis, quoadusque discant multi, et adimpleatur agnitio. In eo enim cum perficietur dispersio, cognoscent omnia hæc[80]. » Sed et Jeremias ait : « In novissimis diebus intelligent ea[81]. »

. . . . . Omnis enim prophetia, priusquam habeat effectum, ænigmata et ambiguitates (88) sunt hominibus. Cum autem venerit tempus, et evenerit (89) quod prophetatum est ;

[72] Sup. cap. 16. [73] Gen. xxxvii, 27 et seqq. [74] Joan. iv, 37. [75] Jerem. ix, 2. [76] Cap. XLIII. [77] Cap. XLIII. [78] Matth. xiii, 44. [79] Ibid., 38. [80] Dan. xii, 4, 7. [81] Jerem. xxiii, 20.

(80) *Prima et novissima.* Eras., Gall. et Feuard., *ex prima novissima.*

(81) *Habet.* Al., *habebat.*

(82) *Formationem.* Edit., *deformationem.*

(83) *Messi sunt.* Pro *messuerunt* ; uti et paulo post, *demessa est*, pro *demessuit.*

(84) *Χριστός ἐστιν.* Quæ Græca hic exhibemus, descripsit Nicetas in Catena Patrum ad Matth. cap. xiii, 44, a Corderio edita. Prius vero periodi comma, quale exhibet Nicetas, ab Irenæi et verbis et sensu nonnihil abludit, sic enim habet : Χριστός ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὁ κεκρυμμένος ἐν ἀγρῷ, τουτέστι ταῖς Γραφαῖς, ταῖς ἐν τῷ κόσμῳ οὔσαις. Auctor alterius Catenæ Patrum in Matth. a Petro Possino editæ, aliter, sed ad Irenæi sensum propius idem comma refert : Θησαυρὸν κεκρυμμένον ἐν ἀγρῷ φησι τὰς ἐν τῷ κόσμῳ ὑπαρχούσας Γραφάς : quæ tamen antiquæ versioni non omnino respondent.

(85) *Μὴ δυναμένων νοηθῆναι.* In Catena Possini : Καὶ ἀδύνατον ἦν νοηθῆναι.

(86) *Non poterat.* Particulam negativam addidi auctoritate textus Græci utriusque Catenæ citatæ ; eam enim sensus omnino exigit.

(87) *Quæ consummata sunt.* Juxta Græcum melius, *quæ prædicta sunt.*

(88) *Effectum... ambignitate.* Sic Feuard. ex vet. cod. consentientibus Clarom., Voss. et quoad posteriorem vocem etiam Arundel. In Eras. et Gallas., *efficaciam... ambiguitas.* In edit. Oxon. *efficaciam... ambignitates.* In Græco textu singulariter, ἀντιλογία, ut et αἴνιγμα.

(89) *Venerit... evenerit.* In Eras. edit., *veniret... erenit.* Consonat quoad posterius verbum Arundel. At in Merc. 2, *venit.*

Digitized by Google

ἀκριβεστάτης ἐπέτυχεν ἐξηγήσεως. Καὶ διὰ τοῦτο ὑπὸ Ἰουδαίων μὲν ἀναγινωσκόμενος ὁ νόμος ἐν τῷ νῦν καιρῷ, μύθῳ ἔοικεν· οὐ γὰρ ἔχουσι τὴν ἐξήγησιν τῶν πάντων, ἥτις ἐστὶν ἡ κατ' οὐρανὸν (90) παρουσία τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ὑπὸ δὲ Χριστιανῶν ἀναγινωσκόμενος, θησαυρός ἐστι, κεκρυμμένος μὲν ἐν ἀγρῷ, αὐτοῖς δὲ ἀποκεκαλυμμένος

tunc prophetiæ habent liquidam et certam expositionem. Et propter hoc quidem Judæis cum legitur lex in hoc nunc tempore, fabulæ similis est: non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui est secundum hominem: a Christianis vero cum legitur, thesaurus est absconsus

A dum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui abstunt a principali successione, et quocunque loco colligunt (94), suspectos habere, vel quasi hæreticos, et malæ sententiæ; vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia et vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt (95) a veritate. Et hæretici quidem alienum ignem offerentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a cœlesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abiud [85]. Qui vero exsurgunt veritatem, et alteros adhortantur adversus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Core, Dathan, et Abiron [86]. Qui autem scindunt et separant unitatem Ecclesiæ, eamdem quam (96)

B Jeroboam pœnam percipiunt a Deo [87].

3. [87] Qui vero crediti quidem sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, et non præponunt (97) timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos, et principalis concessionis (98) tumore elati sunt, et in absconsis agunt mala, et dicunt: « Nemo nos videt [88], » redarguentur a Verbo; qui non secundum gloriam judicat (99), neque faciem attendit, sed in cor: et audient eas quæ sunt a Daniele (1) propheta voces: « Semen Chanaan, et non Juda, species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum [89]; inveterate dierum malorum, nunc advenerunt peccata tua quæ faciebas antea, judicans judicia injusta: et innocentes quidem damnabas, dimittebas vero nocentes, dicente

C Domino: Innocentem et justum non occides [90]. » De quibus dixit et Dominus: « Si autem dixerit malus servus in corde suo: Tardat dominus meus, et incipiat cædere servos et ancillas, et manducare, et bibere, et inebriari; veniet dominus servi illius in die qua nescit, et hora qua non sperat, et dividet eum, et partem ejus cum infidelibus ponet [91]. »

in agro, cruce vero Christi revelatus est, et explanatus, et ditans sensus (91) hominum, et ostendens sapientiam Dei, et eas, quæ sunt erga hominem dispositiones ejus, manifestans, et Christi regnum præformans, et hæreditatem sanctæ Hierusalem prævangelizans; et prænuntians, quoniam in tantum homo diligens Deum proficiet, ut etiam videat Deum, et audiat sermonem ejus, et ex auditu loquelæ ejus in tantum glorificari (92), ut reliqui non possint intendere in faciem gloriæ ejus, quemadmodum dictum est a Daniele: Quoniam « intelligentes fulgebunt, quemadmodum claritas firmamenti, et a multis justis sicut stellæ in sæcula, et adhuc [82]. » Quemadmodum igitur ostendimus (93), si quis legat Scripturas (etenim Dominus sic disseruit discipulis post resurrectionem suam a mortuis, ex ipsis Scripturis ostendens eis, quoniam « oportebat pati Christum, et intrare in gloriam suam, et in nomine ejus remissionem peccatorum prædicari in toto mundo [83], » et erit consummatus discipulus, et similis patrifamilias, qui thesauro suo profert nova et vetera.

2. Quapropter eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secun-

4. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet;

[82] Dan. XII, 3. [83] Luc. XXIV, 26, 47. [84] Levit. X, 1, 2. [85] Num. XVI, 33. [86] III Reg. XIV, 10 et seqq. [87] Cap. XLIV. [88] Dan. XIII, 20. [89] Ibid., 56. [90] Ibid., 52, 53. [91] Matth. XXIV, 48 et seqq.

(90) *Κατ' οὐρανόν.* Lege cum interprete κατ' ἄνθρωπον.

(91) *Sensus.* Editt., *sensum.*

(92) *Glorificari.* Scribere debuisset *glorificetur.*

D (93) *Quemadmodum igitur ostendimus*, etc. Nullam esse horum cum sequentibus connexionem contendit Grabius, nisi duæ periodi transponantur, ac unica particula et omissa, ita legatur: *quemadmodum igitur ostendimus, si quis legat Scripturas, erit consummatus discipulus, et similis patrifamilias, qui de thesauro suo* (id est, juxta Irenæi mentem, Scriptura sacra) *proferi nova et vetera. Etenim Dominus sic disseruit discipulis*, etc., usque ad, *prædicari in toto mundo.* Tum, *quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris.* Sed fallitur vir doctissimus: nulla opus est transpositione: leviori dispendio restituitur textus, si uimirum hæc, *etenim Dominus... in toto mundo*, parenthesi includantur, uti revera includi debent: tunc enim omnia secum invicem perfecte cohærebunt. Nec necesse est expungere conjunctionem *et* ante *erit consummatus*; sic enim construitur: *Erit et consumm. disc. et similis*, etc.

(94) *Colligunt.* Ita Clarom. In Feuard. marg. et Voss., *se colligunt:* in aliis, *colliguntur.*

(95) *Hi deciderunt.* In Feuard. edit., *decidunt*, sine *hi.*

(96) *Quam.* In Feuard. marg. et Voss., *quemadmodum.*

(97) *Præponunt.* Clarom. *proponunt.*

(98) *Concessionis.* Sic omnes mss. cum Eras. edit. At Gallas. quem secutus est Feuard. in edit. Paris. 1576 (nam in subsecutis perperam excudi fecit *confessionis*), propria auctoritate, nullaque premente necessitate, scripsit *confessionis.* Cum enim *concedere*, apud auctores Latinos, interdum sit *locum cedere*, eodem sensu *concessio* erit, *loci cessio. Principalis* ergo *concessionis tumore elatum esse*, nihil aliud est quam *principali loco, primo gradu* sibi ab Ecclesia concesso, insolentius efferri.

(99) *Non secundum gloriam judicat.* Isaiæ verba sunt cap. XI, 3, juxta versionem LXX, pro quibus Vulgata nostra habet: *non secundum visionem oculorum judicabit.*

(1) *Et audient eas, quæ sunt a Daniele*, etc. Obi-

Digitized by Google

adhærere vero his qui et apostolorum, **263** sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa præstant, ad confirmationem et correptionem (2) reliquorum. Quemadmodum Moyses, cui tantus ducatus est creditus, bona conscientia fretus, purgabat se apud Deum (3), dicens : « Non concupiscens alicujus illorum quid accepi, neque male feci alicui eorum [92]. » Quemadmodum Samuel tot annis judicans populum, et sine ulla elatione ducatum gerens super Israel, in fine purgabat se, dicens : « Ego conversatus sum in conspectu vestro a prima ætate mea usque nunc : respondete mihi in conspectu Dei, et in conspectu Christi ejus, cujus vestrum vitulum accepi, aut asinum, aut super quem potentatus sum (4), aut quem oppressi, aut si de alicujus manu accepi propitiationem vel calceamentum, dicite adversus me, et reddam vobis [93]. » Cum dixisset autem populus (5) : « Neque potentatus es, neque oppressisti nos, neque accepisti de manu cujusquam aliquid ; » testificatus est Dominum, dicens : « Testis Dominus, et testis Christus (6) ejus in die hac, quoniam invenistis (7) in manu mea nihil. Et dixerunt ei : Testis. »

Οὕτω Παῦλος (8)..... ἀπελογεῖτο Κορινθίοις· Οὐ γάρ ἐσμεν ὡς οἱ πολλοί, καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.., ... καὶ μετ' ὀλίγα· Οὐδένα ἠδικήσαμεν, καὶ τὰ ἑξῆς.

Quemadmodum et Paulus apostolus, cum esset bonæ conscientiæ, dicebat ad Corinthios : « Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur [94] : nemini (9) nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus [95]. »

5. Τοιούτους (10) πρεσβυτέρους ἀνατρέφει ἡ Ἐκκλησία, περὶ ὧν καὶ προφήτης (11) φησίν· Δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους ἐν δικαιοσύνῃ.

5. Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus et propheta ait : « Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia [96]. »

De quibus et Dominus dicebat : « Qui igitur erit fidelis actor, bonus, et sapiens quem præponit Dominus super familiam suam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille servus, quem veniens (12) Dominus invenerit sic facientem [97]. » [98] Ubi igitur tales inveniet aliquis, Paulus docens ait : « Posuit Deus in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores [98]. » Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt : et eam quæ est in Filium (13) Dei, dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit, et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque patriarchas exhonorantes, neque prophetas contemnentes.

CAPUT XXVII.

Veterum lapsus, in quos animadvertit Deus, ipso providente litteris mandatos esse, ut iis erudiamur, nec superbiamus. Non igitur hinc colligendum alium Deum esse ab eo quem Christus prædicavit ; timendum potius ne unus et idem Deus, qui pœnas ab antiquis sumpsit, graviores a nobis repetat.

1. Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his qui apostolos viderant, et ab his qui didicerant, sufficere veteribus, de his quæ sine consilio Spiritus egerunt, eam quæ ex Scripturis esset correptionem. Cum enim non sit personarum acceptor Deus, quæ sunt non secundum ejus placitum facta, his inferebat congruam correptionem. Quemadmodum sub David, quando persecutionem quidem patiebatur a Saul propter justitiam, et regem Saul fugiebat, et inimicum non ulciscebatur, et Christi adventum psallebat, et sapientia instruebat gentes, et omnia secundum consilium faciebat Spiritus, placebat Deo. Quando autem propter concupiscentiam ipse sibi accepit Bethsabee Uriæ uxorem (14), dixit Scriptura de eo · « Nequam autem visus est sermo quem fecit David in oculis Domini [1] ; » et mittitur ad eum Nathan propheta, ostendens ei peccatum ejus, ut ipse dans sententiam de semetipso, et semetipsum adjudicans, misericordiam consequeretur et remissionem a

[92] Num. XVI, 15. [93] I Reg. XII, 2 et seqq. [94] II Cor. II, 17. [95] II Cor. VII, 2. [96] Isa. LX, 17. [97] Matth. XXIV, 45, 46. [98] Cap. XLV. [99] I Cor. XII, 28. [1] II Reg. XI, 27.

ter notabis historiam Susannæ ab Irenæo nostro ascribi Danieli.

(2) *Confirmationem et correptionem.* Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss., et Arund., quibus etiam quoad primam vocem consentiunt Merc. 2. In editt., *informationem et correctionem.*

(3) *Deum.* Editt., *Dominum.*

(4) *Potentatus sum.* Græce κατεδυνάστευσα, *tyrannidem exercui.*

(5) *Populus. Ad eum* addunt editt. cum Arund. et Merc. 2.

(6) *Testis Dominus... testis Christus.* Utrobique omitto *est* cum Clarom., Voss., Merc. 2 et ipsis Bibliis.

(7) *Invenistis.* Negationem huic verbo præfixam expunxi auctoritate vet. Feuard. cod. et Voss.

(8) *Οὕτω Παῦλος.* Græca hæc vulgavit Combefisius part. I *Auctarii novissimi Biblioth. PP.* pag. 299 descripta ex cod. 2453, alias 755 Regiæ biblioth., quem ipse contuli. Sed Apostoli verba ex integro referre piguit auctorem Catenæ.

(9) *Nemini.* Eras. et Gallas., *neminem.*

(10) *Τοιούτους.* Sic pro τούτους reposui ex cit. ms.

(11) *Προφήτης.* Sic cit. cod. Reg. bibliot. At male apud Combefis. legitur, Πέτρος.

(12) *Veniens.* In Feuard. marg. et Clarom., *cum venerit.*

(13) *Filium.* Clarom. et Voss., *Filio.*

(14) *Uxorem.* Dest in Eras., Gallas., Arundel. et Merc. 2.

Digitized by Google

Christo (15) : « Et dixit ei : Duo viri fuerant in civitate una, unus dives, et unus pauper : diviti erant greges ovium et boum multi valde, et pauperi nihil aliud nisi ovicula una, quam habebat, et nutriebat, et fuerat (16) cum eo, et cum filiis ejus pariter : de pane suo manducabat, et de calice (17) bibebat, et erat ei quasi filia. Et venit hospes homini diviti, et pepercit accipere de grege oviculorum suarum, et de gregibus boum suorum, et facere hospiti (18) : et accepit oviculam viri pauperis, et apposuit viro qui venerat ad eum. Iratus est autem David **264** super hominem illum valde, et dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est homo ille qui fecit hoc : et oviculam reddet quadruplum pro eo quod fecit factum hoc, et pro eo quod non pepercit pauperi (19). Et ait ad eum Nathan : Tu es vir, qui fecisti hoc[a]; » et deinceps reliqua exsequitur, exprobrans eum, et enumerans in eum Dei beneficia, et quoniam exacerbavit Dominum, cum fecisset hoc. Non enim placere Deo hujusmodi operationem (20), sed iram magnam imminere domui ejus. Compunctus est autem David ad hæc, et ait : « Peccavi Domino[b]; » et psalmum exhomologeseos (21) post psallebat (22), adventum Domini sustinens, qui abluit et emundat (23) eum hominem qui peccato fuerat obstrictus. Similiter autem et de Salomone, cum perseveraret judicare (24) recte, et sapientiam (25) enarrare, et typum veri templi (26) ædificabat, et glorias exponebat Dei, et adventuram pacem gentibus annuntiabat, et Christi regnum præfigurabat, et loquebatur tria millia parabolarum in adventum Domini, et quinque millia canticorum, hymnum dicens Deo, et eam quæ est in conditione sapientiam Dei exponebat physiologice ex omni ligno, et de omni herba, et de volatilibus omnibus, et de quadrupedibus, et de piscibus; et dicebat : « Si vere Deus, quem cœli non capiunt, super terram habitabit cum hominibus[c]? » et placebat Deo, et omnes eum admirabantur, et omnes reges terræ quærebant faciem ejus, ut audirent sapientiam ejus, quam dederat illi Deus, et regina Austri a finibus terræ veniebat ad eum, sapientiam quæ in eo erat, scitura[d]; quam et Dominus ait in judicio resurrecturam cum eorum natione qui audiunt sermones ejus, et non credunt in eum, et adjudicaturam eos : quoniam illa quidem subjecta est annuntiatæ sapientiæ per servum Dei; hi vero eam quæ a Filio Dei dabatur, contempserunt sapientiam. Salomon enim servus erat; Christus vero Filius Dei, et Dominus Salomonis. Cum igitur sine offensa serviret Deo, et ministraret dispositionibus ejus, tunc glorificabatur : cum autem uxores accipiebat ab universis gentibus, et permittebat eis erigere idola in Israel, dixit Scriptura de eo : « Et rex Salomon erat amator mulierum, et accepit sibi mulieres alienigenas : et factum est in tempore senectutis Salomonis, non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. Et diverterunt mulieres alienigenæ cor ejus post deos alienos. Et fecit Salomon malignum in conspectu Domini : non abiit post Dominum, quemadmodum David pater ejus. Et iratus est Dominus in Salomonem : non enim erat cor ejus perfectum in Domino, secundum cor David patris ejus[e]. » Sufficienter increpavit eum Scriptura, sicut dixit presbyter, ut non glorietur universa caro in conspectu Domini.

2. Et propter hoc Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum exsistente (27) his qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est qui adventum ejus prænuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi, et prophetæ, et patriarchæ : quibus similiter ut nobis remisit peccata, quæ non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei. Quemadmodum enim illi non imputabant (28) nobis incontinentias nostras, quos operati sumus, priusquam Christus in nobis manifestaretur; sic et nos non est justum imputare ante adventum Christi his qui peccaverunt. « Omnes » enim homines « egent gloria Dei[f], » justificantur autem non a semetipsis, sed a Domini adventu, qui intendunt lumen ejus. In nostram autem correptionem conscriptos esse actus eorum, ut sciremus, primum quidem, quoniam unus est Deus

[a] II Reg. XII, 1 et seqq. [b] Ibid., 13. [c] III Reg. VIII, 27. [d] Matth. XII, 42. [e] III Reg. XI, 1 et seqq. [f] Rom. III, 23.

(15) *A Christo.* Sex voces, quæ sequuntur in editt., *misit enim Dominus Nathan ad David*, ut superfluas, et frustra a recentioribus hic repetitas, expunxi auctoritate Clarom. et Voss.

(16) *Fuerat.* In Feuard. marg. et Voss., *foverat.*

(17) *De calice.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. juxta LXX, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου αὐτοῦ. Alii, *calicem.*

(18) *Facere hospiti. Convivium* in Eras., Gallas. ac Feuard. additum merito omittunt mss. omnes, quia nec in Græco textu τῶν exstat. *Facere* autem hic sumitur pro *parare.*

(19) *Quadruplum pauperi.* In LXX, *septuplum*, nec in iisdem legitur *pauperi.* Sed videtur Irenæus totum hunc locum ex memoria citasse : plura enim addit, quæ non leguntur in LXX; plura vicissim in his occurrunt, quæ hic desunt.

(20) *Operationem.* Alii, *operationes.*

(21) *Psalmum exhomologeseos.* Hunc esse quinquagesimum bene notat Feuard., idque fatentur Hebræi, hujusmodi titulum eidem affigentes : *Psalmus David quando venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.*

(22) *Post psallebat. Post*, hic pro *postea*, addidi ex cod. Clarom.

(23) *Emundat.* Al., *emundavit.*

(24) *Judicare... enarrare.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Al., *cum perseveraret... enarraret.*

(25) *Sapientiam. Dei* additum in Arund. et edit. Oxon.

(26) *Veri templi. Templum*, additum in Feuard. edit. et Oxon., deest in Clarom. et Voss. Cæteri codd. corrupti.

(27) *Remissione peccatorum exsistente.* Ita Feuard. in marg., Voss. et Clarom., nisi quod in hoc incuria scribæ legatur, *remissionem.* Cæteri, *remissam... exsistentem.*

(28) *Imputabant.* Alii, *imputant.*

Digitized by Google

noster et illorum, cui non placeant peccata, etiamsi a claris fiant; deinde, ut abstineamus a malis. Si enim hi qui præcesserunt nos in charismatibus veteres, propter quos nondum Filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, et concupiscentiæ carnis servientes, tali affecti sunt ignominia, quid passuri sunt qui nunc sunt, qui contempserunt adventum Domini, et deservierunt voluptatibus suis? Et illis quidem curatio et remissio peccatorum mors Domini fuit: propter eos vero qui nunc peccant, Christus non jam morietur, jam enim mors non dominabitur ejus; sed veniet Filius in gloria Patris, exquirens ab actoribus et dispensatoribus suis pecuniam quam eis credidit, cum usuris: et quibus plurimum dedit, plurimum ab eis exiget. Non debemus ergo, inquit ille senior, superbi esse, neque reprehendere veteres; sed ipsi timere, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur a regno ejus. Et ideo Paulum dixisse: « Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat, qui cum esses oleaster, insertus es in pinguedinem olivæ, et socius factus es pinguedinis ejus[9]. »

3. Similiter et plebis prævaricationes vides (29) descriptas esse, non propter illos qui tunc transgrediebantur, sed in correptionem nostram, et ut sciremus unum et eumdem Deum, in quem illi delinquebant, et in quem nunc delinquunt quidam ex his qui credidisse se dicunt (30). Et hoc autem Apostolum in Epistola quæ est ad Corinthios, manifestissime ostendisse, dicentem: « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem enim de spiritali consequente eos (31) petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum bene sensit Deus; prostrati sunt enim in deserto. **265** Hæc in figuram nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt; neque idololatræ sitis, quemadmodum quidam eorum; sicut scriptum est (32): Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et corruerunt una die viginti tria millia. Nec tentemus Christum, quemadmodum quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicuti quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura fiebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenit. Quapropter qui putat se stare, videat ne cadat[9]. »

4.[10] Sine dubitatione igitur et sine contradictione ostendente Apostolo, unum et eumdem esse Deum, qui et illa judicavit, et ea quæ nunc sunt, exquirit, et causam descriptionis eorum demonstrante; indocti et audaces, adhuc etiam imprudentes inveniuntur omnes, qui propter transgressionem eorum qui olim fuerunt, et propter plurimorum indicto audientiam, alterum quidem aiunt illorum fuisse Deum, et hunc esse mundi fabricatorem, et esse in diminutione; alterum vero a Christo traditum Patrem, et hunc esse qui sit ab unoquoque eorum mente conceptus: non intelligentes, quoniam quemadmodum ibi in pluribus eorum, qui peccaverunt, non bene sensit Deus; sic et hic « vocati multi, pauci vero electi[11]: » quemadmodum ibi injusti, et idololatræ, et fornicatores vitam perdiderunt; sic et hic: et Domino quidem prædicante, in ignem æternum mitti tales[12], et Apostolo dicente: « An ignoratis, quoniam injusti regnum Dei (33) non hæreditabunt? Nolite seduci: neque fornicatores (34), neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt (35)[13]. » Et quoniam non ad eos, qui extra sunt, hoc dicit, sed ad nos, ne projiciamur extra regnum Dei, tale aliquid operantes, intulit: « Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri[14]. » Et quemadmodum illic condemnabantur, et projiciebantur hi qui male operabantur, et reliquos exterminabant, similiter et hic oculus quoque effoditur scandalizans, et pes, et manus, ne reliquum corpus pariter pereat[15]. Et habemus præceptum: « Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, ut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere[16]. » Et iterum ait Apostolus: « Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo fieri participes eorum[17]. Et quemadmodum ibi peccantium damnatio participabat et reliquos, quoniam placebant eis, et una cum eis conversabantur; sic et hic: « modicum fermentum totam massam corrumpit[18]. » Et quemadmodum ibi adversus injustos ira descendebat Dei, et hic similiter Apostolus ait:

[9] Rom. xi, 21, 17. [10] I Cor. x, 1 et seqq. [11] Cap. XLVI. [12] Matth. xx, 16. [13] Matth. xxv, 41. [14] I Cor. vi, 9, 10. [15] Ibid., 11. [16] Matth. xviii, 8, 9. [17] I Cor. v, 11. [18] Ephes. v, 6, 7. [19] I Cor. v, 6.

(29) *Vides.* Sic pro *videns*, quod sensum male suspendit, reposui auctoritate cod. Clarom. Hæc vero non Irenæi, sed senioris illius quem paulo ante citavit, verba esse existimo.

(30) *Se dicunt.* Ita Clarom. Cæteri, *dicuntur.*

(31) *Consequente eos.* Deest. in Eras., Gallas., Arundel., Merc. 2 et edit. Oxon.

(32) *Sicut scriptum est.* Clarom., Eras. et Gallas., *sic enim scriptum est.*

(33) *Regnum Dei.* Vocem *Dei* omittunt Eras. et Gallas.

(34) *Neque fornicatores. Quia* hisce præmissum in Eras., Gallas. et Feuard. omittunt Clarom., Voss., Arundel. et apostolicus textus.

(35) *Possidebunt.* Alii. *hæreditabunt.*

Digitized by Google

« Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam eorum hominum, qui veritatem in injustitia detinent [19]. » Et quemadmodum ibi in Ægyptios, qui injuste puniebant Israel, vindicta a Deo fiebat; sic et hic, Domino quidem dicente : « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, quicunque clamant ad eum die et nocte? Etiam dico vobis, faciet vindictam eorum cito [20]; » et Apostolo in ea quæ est ad Thessalonicenses Epistola, ista prædicante : « Si quidem justum est apud Deum retribuere retributionem (36) his qui tribulant vos, et vobis qui tribulamini, refrigerium nobiscum, in revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus, et in flamma ignis, dare vindictam in eos qui non noverunt Deum, et in eos qui non obediunt Evangelio (37) Domini nostri Jesu Christi; qui etiam pœnas pendent interitus æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit magnificari in sanctis suis, et admirabilis esse omnibus (38) qui crediderunt » in eum [21].

CAPUT XXVIII.

Insipientes esse qui Christi misericordiam exaggerantes, judicium tacentes, majoremque novi testamenti gratiam spectantes; majoris vero, quam a nobis exigit, perfectionis obliti, alterum Deum a Creatore statuere nituntur.

1. Cum ergo hic et illic eadem sit in vindicando Deo justitia Dei, et illic quidem typice, et temporaliter, et mediocrius; hic vero vere, et semper, et austerius; ignis enim æternus, et quæ a cœlo revelabitur ira Dei a facie Domini nostri (quemadmodum et David ait : « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam ipsorum [22] »), majorem pœnam præstat iis qui incidunt in eam : [23] valde insensatos ostendebant presbyteri (39) eos, qui ex his quæ acciderunt his, qui olim Deo obtemperabant (40), tentant alterum Patrem introducere; e contrario opponentes, quanta Dominus (41) ad salvandos eos, qui receperunt eum, veniens fecisset, miserans eorum; tacentes autem de judicio ejus, et quæcunque provenient (42) his, qui audierunt sermones ejus, et non fecerunt, et quoniam expediebat eis, si non essent nati, et quoniam tolerabilius Sodomæ et Gomorrhæ erit in judicio, quam civitati illi quæ non recepit sermones (43) discipulorum ejus.

2. Quemadmodum enim in novo testamento **268** ea, quæ est ad Deum, fides hominum aucta est, additamentum accipiens Filium Dei (44), ut et homo fieret particeps Dei; ita et diligentia conversationis aucta est, cum non solum a malis operibus abstinere jubemur, sed ab ipsis (45) cogitationibus, et otiosis dictionibus et sermonibus vacuis, et verbis scurrilibus : sic et pœna eorum, qui non credunt Verbo Dei, et contemnunt ejus adventum, et convertuntur retrorsum, adampliata est; non solum temporalis, sed et æterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus : « Discedite a me, maledicti, in ignem perpetuum [24]; » isti erunt semper damnati; et quibuscunque dixerit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite hæreditatem regni, quod præparatum est vobis in sempiternum [25]; » hi semper percipiunt regnum, et proficiunt (46), cum sit (47) unus et idem Deus Pater, et Verbum ejus, semper assistens humano generi, variis quidem dispositionibus, et multa operans et salvans ab initio eos qui salvantur (sunt enim hi qui diligunt Deum, et secundum suum genus sequuntur Verbum Dei), et adjudicans eos qui adjudicantur, id est eos qui obliviscuntur Deum, et sunt blasphemi, et transgressores ejus verbi.

3. Etenim hi ipsi, qui a nobis prædicti sunt, hæretici exciderunt sibi, accusantes Dominum, in quem dicunt se credere. Quæ enim denotant in Deo, qui tunc temporaliter judicaverit incredulos, et percussit Ægyptios, salvavit autem obedientes; eadem nihilominus recurrent in Dominum, in sempiternum quidem adjudicantem quos adjudicat, et in sempiternum dimittentem eos quos dimittit : et invenietur, secundum illorum verba, maximi peccati causa factus his qui in eum immiserunt manus, et pupugerunt eum. Si enim non ita venisset, utique illi Domini sui interfectores facti non fuissent : et si non misisset prophetas ad eos, non utique occidissent eos, et apostolos quoque similiter. His igitur qui imputant nobis, et dicunt : Si non Ægyptii plagati fuissent, et persequentes Israel præfocati fuissent in mari, non poterat Deus salvare populum suum; occurrit illud : Nisi igitur Judæi interfectores Domini facti fuissent (quod quidem abstulit ab eis æternam vitam), et apostolos interficientes, et persequentes Ecclesiam, in iracundiæ incidissent profundum, nos salvari non poteramus. Quemadmodum enim illi per Ægyptiorum, sic et nos per Judæorum cæcitatem accepi-

[19] Rom. I, 18. [20] Luc. XVIII, 7, 8. [21] II Thess. I, 6 et seqq. [22] Psal. XXXIII, 17. [23] Cap. XLVII. [24] Matth. XXV, 41. [25] Ibid., 34.

(36) *Retributionem.* Editi N. Test. codd. θλῖψιν, *tribulationem*, ut etiam inferius cap. 32, n. 14, et in emendationibus Vulgatæ nostræ editu. legitur.

(37) *Obediunt Evangelio.* Eras. et Gallas., *audiunt Evangelium.*

(38) *Omnibus.* Arund. et Grab., *in omnibus.*

(39) *Ostendebant presbyteri.* Sic omnes mss.; at Eras., Gallas. et Feuard. *ostendebat presbyter.*

(40) *Obtemperabant. Non* præmissum in editt. et Merc. 2, deest in Clarom., Voss. et Arundel.

(41) *Dominus.* Eras., Gallas., Feuard. et Merc. 2, minus bene, *Deus.*

(42) *Provenient.* Feuard. et Voss., *proveniunt.*

(43) *Recepit sermones.* Alii, *recipit sermonem.*

(44) *Filium Dei.* Arund., *Filii Dei.*

(45) *Ab ipsis. Malis* omisi cum Clarom. et Voss.; subintelligitur ex commate præced.

(46) *Et proficiunt.* Sic Clarom. et Voss. In editt., *et in eo proficiunt semper;* in Arund. et Merc. 2 deest *semper.*

(47) *Cum sit. Cum sint* in Feuard. marg. et Voss.

Digitized by Google

mus salutem : siquidem mora Domini, eorum quidem qui cruci eum fixerunt, et non crediderunt ejus adventum, damnatio est ; salvatio vero eorum qui credunt in eum. Nam et Apostolus ait in Epistola secunda ad Corinthios : « Quoniam Christi suavis odor sumus Deo, et in his qui salvi fiunt (48), et in his qui pereunt : quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam [26]. » Quibus ergo est odor mortis in mortem, nisi his qui non credunt, neque subjecti sunt Verbo Dei? Qui sunt autem qui et tunc semetipsos morti tradiderunt? Hi scilicet qui non credunt, neque subjiciuntur Deo. Rursum autem, qui salvati sunt, et acceperunt hæreditatem? Hi scilicet qui credunt Deo, et eam, quæ est erga illum, dilectionem custodierunt; quemadmodum Caleb Jephone, et Jesus Nave, et pueri innocentes, qui neque malitiæ sensum habuerunt. Qui sunt autem qui hic salvantur, et accipiunt vitam æternam (49)? Nonne hi qui diligunt Deum, et qui pollicitationibus ejus credunt, et malitia parvuli effecti sunt?

CAPUT XXIX [27].

Dissolvit argumentum Marcionitarum, quo Deum malorum auctorem probare nitebantur, quod Pharaonem et ministros ejus excæcaverit.

1. Sed induravit, inquiunt illi, Deus cor Pharaonis et famulorum ejus. Qui ergo hæc imputant, non legunt (50) in Evangelio, ubi discipulis dicentibus Domino : « Quare in parabolis loqueris eis? » respondit Dominus : « Quoniam vobis est datum nosse mysterium regni cœlorum; illis autem in parabolis loquor, ut videntes non videant, et audientes non audiant, intelligentes non intelligant (51), ut impleatur (52) erga eos (53) prophetia Isaiæ dicens : Incrassa (54) cor populi hujus, et aures eorum obtura, et oculos eorum excæca. Vestri autem beati oculi, qui vident quæ vos videtis, et aures vestræ, quæ audiunt (55) quæ auditis [28]. » Unus enim et idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem ; quemadmodum sol, qui est creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus : his autem qui credunt ei, et sequuntur eum, pleniorem et majorem illuminationem mentis præstat. Secundum hunc igitur sermonem et Apostolus ait in secunda ad Corinthios : « In quibus Deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, uti non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi [29]. » Et iterum in ea quæ est ad Romanos : « Et quemadmodum non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, facere quæ non conveniunt [30]. » In secunda autem ad Thessalonicenses manifeste ait, de Antichristo dicens : « Et ideo mittet eis Deus operationem (56) erroris, uti credant mendacio : uti judicentur 267 omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati [31]. »

2. Si igitur et nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, et avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt ; quid mirum, si et tunc nunquam creditarum Pharaonem, cum his qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati? Quemadmodum Verbum ait de rubo ad Moysem : « Ego autem scio quoniam non dimittet (57) vos Pharao rex Ægypti abire, nisi in manu (58) valida [32]. » Et qua ratione Dominus in parabolis loquebatur, et cæcitatem faciebat Israel, ut videntes non viderent, sciens incredulitatem eorum : eadem ratione et cor Pharaonis indurabat, ut videns quoniam digitus Dei est, qui educit populum, non crederet, sed in infidelitatis præcipitaretur pelagus ; per magicam operationem opinatus fieri exitum eorum, et Rubrum mare non ex virtute Dei transitum præstitisse populo, sed naturaliter sic se habere.

CAPUT XXX [33].

Diluit aliud Marcionitarum argumentum, quod nimirum Hebræi, jubente Deo, spoliassent Ægyptios.

1. Qui vero exprobrant et imputant, quod profecturus populus jussu Dei vascula omnis generis, et vestimenta acceperit ab Ægyptiis, et sic abierit, ex quibus et tabernaculum factum est in eremo [34] ; ignorantes justificationes Dei, et dispositiones ejus, semetipsos arguunt, sicut et presbyter dicebat. Si enim non in typica (59) professione hoc consensisset Deus, hodie in vera nostra professione (60), id est

[26] II Cor. II, 15, 16. [27] Cap. XLVIII. [28] Matth. XIII, 10 et seqq. [29] II Cor. IV, 4. [30] Rom. I, 28. [31] II Thess. II, 10, 11. [32] Exod. III, 19. [33] Cap. XLIX. [34] Exod. XI, 2; XII, 35, 36.

(48) *Et in his qui salvi fiunt.* Sic Clarom. et Voss. Alii, *in his qui salvantur.*

(49) *Æternam.* Deest in Eras. et Gallas.

(50) *Legunt.* Alii, *intelligunt.*

(51) *Audientes non audiant, intelligentes non intelligant.* Prius comma deest in Eras., Gall., Merc. 2, posterius in Clarom. et Arund.

(52) *Impleatur.* Sic Clarom. et Voss. in Merc. 1 et Ottob., *adimpleatur :* in cæteris, *adimpleretur.*

(53) *Erga eos.* Ita Clarom., Arundel. et Voss. melius quam alii, *apud eos.*

(54) *Incrassa.* Vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss., *Incrassatum est :* recte quidem, si sequeretur, *obturatæ, excæcati.* Sed hic Isaiæ ipsius verba refert Irenæus.

(55) *Quæ audiunt.* Arundel. et Merc. 2, *quoniam audiunt :* recte, si præcederet *quoniam vident.* Sed Irenæus ex memoria citat.

(56) *Mittet eis Deus operationem.* Alii, *mittit eis Deus operationes.*

(57) *Dimittet.* Clarom. *præcipiet*, pro quo in Feuard. marg., *recipiet.*

(58) *In manu.* Al., *cum manu.*

(59) *Si enim non in typica.* Sic Feuard. et omnes mss. nisi quod particulam *in* ex Eras. et Gallas. retinui, in quorum editt. de cætero perperam habetur: *sic enim nos in typica.*

(60) *Hoc... professione.* Octo has voces ex vet. cod. restituit Feuard. quas etiam habent Clarom. et Voss. Sed pro *professione*, quod manifestum scribarum erratum est, scribere non dubitavi, *professione :* id sermonis series exigit. Irenæus siquidem

Digitized by Google

in fide in qua sumus constituti, per quam de numero gentilium exempti sumus, nemo poterat (61) salvari. Omnes enim nos aut modica, aut grandis sequitur possessio, quam ex mammona iniquitatis acquisivimus. Unde enim domus in quibus habitamus, et vestimenta quibus induimur, et vasa quibus utimur, et reliqua omnis ad diuturnam (62) vitam nostram ministratio, nisi ex his quæ, cum ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis, de injustitia acquirentibus percepimus? Ut non dicamus, quia et nunc in fide exsistentes acquirimus. Quis enim vendit, et non lucrari vult ab eo qui emit? Quis autem emit, et non vult utiliter secum agi ab eo qui vendit? Quis autem negotians non propterea negotiatur, ut inde alatur? Quid autem et hi, qui in regali aula sunt, fideles, nonne ex eis, quæ Cæsaris sunt, habent utensilia, et his qui non habent, unusquisque eorum secundum virtutem præstat? Ægyptii populi (63) erant debitores non solum rerum, sed et vitæ suæ, propter patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem; nobis autem secundum quid debitores sunt ethnici, a quibus et lucra, et utilitates percipimus? quæcunque illi cum labore comparant, his nos, in fide cum simus, sine labore utimur.

2. Ad hoc (64) populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait: « Et cum vi potestatem exercebant Ægyptii in filios Israel, et in odium eis adducebant vitam in operibus duris, luto et latere, et omnibus operibus quæ faciebant (65) in campis, per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi [35]: » et ædificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, et augentes eorum substantias annis multis, et per omnem modum servitutis, cum illi non solum ingrati essent adversus eos, verum et universos perdere vellent. Quid igitur injuste gestum est, si ex multis pauca sumpserunt, et qui potuerunt multas substantias (66) habere, si non serviissent eis, et divites abire, paucissimam mercedem pro magna servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber, abductus ab aliquo per vim, et serviens ei annis multis, et augens substantiam ejus, post deinde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica quædam ejus habere, revera autem ex multis laboribus suis, et ex acquisitione magna, pauca percipiens discedat, et hoc (67) ab aliquo imputetur ei, quasi non recte fecerit; ipse magis injustus judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Sic ergo sunt et hujusmodi qui imputant populo parva (68) de multis (69) accipienti sibi; et ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imo et in gravissimam servitutem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem: et illos quidem non signatum aurum et argentum in paucis vasculis (70), quemadmodum prædiximus, accipientes, injuste fecisse dicunt; semetipsos autem (dicetur enim quod verum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur), ex alienis laboribus insigne aurum (71), et argentum, et æramentum, cum inscriptione et imagine Cæsaris in zonis suis ferentes, juste (se) (72) facere dicunt.

268 3. Si autem comparatio fiat nostra et illorum, qui justius apparebunt accepisse? utrumne populus ab Ægyptiis, qui erant per omnia debitores; an nos a Romanis, et reliquis gentibus, et a quibus nihil tale nobis debeatur (73)? Sed et mundus pacem habet per eos, et nos (74) sine timore in viis ambulamus et navigamus quocunque voluerimus. Adversus igitur hujusmodi aptus erit sermo Domini: « Hypocrita, dicens, exime primo trabem de oculo tuo, et tunc perspicies auferre festucam de oculo fratris tui [36]. » Etenim si is qui tibi hæc imputat, et gloriatur in sua scientia, separatus est a gentilium cœtu, et nihil est alienorum apud eum, sed est (75) simpliciter nudus, et nudis pedibus, et sine domo in montibus conversatur, quemadmodum aliquod ex his animalibus, quæ herbis vescuntur; veniam merebitur, ideo quod ignoret necessitates nostræ conversationis (76). Si

[35] Exod. I, 13, 14. [36] Matth. VII, 5.

veram nostram profectionem opponit *typicæ profectioni*. Sed omnem dubitandi ansam præcidunt, quæ adduntur in hujus capitis fine, ubi eamdem figuram adhuc clarius explicans ait: *Universa enim, quæ ex Ægypto fiebat, profectio populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ futura erat ex gentibus*; quæ eadem pene verba sunt, quæ hic adhibet.

(61) *Poterat*. Sic pro *poterit* reposui ex Feuard. marg., Clarom., Ottob., Voss. et Merc. 2, nec dubito quin οὐδεὶς ἂν ἐδύνατο, verterit interpres *nemo poterat*; quod accuratior quispiam vertisset, *nemo posset*.

(62) *Diuturnam*. Gallas., Feuard. et Merc. 2, *diuturnam*.

(63) *Populi*. In gignendi casu, scilicet *Judaici*.

(64) *Ad hoc*. Pro *insuper*, *præterea*. Erasm., Gallas., Feuard., Arund. et Merc. 2, *adhuc*.

(65) *Faciebant*. Iidem, *fiebant*.

(66) *Substantias*. *Suas* minus recte additum in editt. ac Arundel. et Merc. 2.

(67) *Et hoc*. Al., *et ex hoc*.

(68) *Parva*. Sic omnes mss. In editt., *pauca*.

(69) *De multis*. *Laboribus* addunt editt. et recentiores mss., omittunt vero Clarom. et Voss., quos sequi tutius.

(70) *Vasculis*. *De suis laboribus* additum in editt., iterum omittunt Clarom. et Voss.

(71) *Insigne aurum*. I. e. *signatum aurum*.

(72) *Juste se*. Expunge *se*, præcessit enim *semetipsos*.

(73) *Debeatur*. Clarom., *debebatur*.

(74) *Per eos, et nos*. Priores duas voces ex vet. cod. restituit Feuard., posteriores autem duas ex ms. Voss. addidit Grab. Tres priores habet Clarom., sed non *nos*.

(75) *Est*. Sic pro *et* posui ex Clarom. et Feuard. marg.

(76) *Necessitates nostræ conversationis*. Ita Feuard. in marg., Clarom., Arundel. et Voss. Alii perperam, *necessitatis nostræ conversationem*.

Digitized by Google

autem ab hominibus (77) quæ dicuntur aliena esse, participatur, et arguit typum eorum, semetipsum injustissimum ostendit, retorquens in se ejusmodi accusationem. Invenietur (78) enim aliena circumferens, et ea quæ ejus non sunt, concupiscens; et propter hoc dixisse Dominum : « Nolite judicare, ne judicemini : in quo enim judicio judicabitis, judicabitur de vobis[37]. » Non utique ut peccantes non corripiamus, nec ut his quæ male fiunt consentiamus; sed ut Dei dispositiones non judicemus injuste, cum ille omnia juste profutura providerit. Quoniam enim sciebat nos de nostra substantia, quam ab alio accipientes haberemus, bene acturos: « Qui enim habet, inquit, duas tunicas, det ei qui non habet : et qui habet escam, similiter faciat[38]. » Et : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : et nudus fui, et vestistis me[39]. » Et : « Cum facis misericordiam (79), non sciat sinistra tua quid faciat dextra tua[40]; » et reliqua quæcunque benefacientes justificamur, velut de alienis nostra redimentes : de alienis autem ita dico, non quasi mundus alienus sit a Deo, sed quoniam hujusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, similiter velut illi ab Ægyptiis qui non sciebant Deum, et per hæc ipsa erigimus nobismetipsis tabernaculum Dei : cum bene enim facientibus habitat Deus; quemadmodum Dominus ait : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna tabernacula[41]. » Quæcunque enim, cum essemus ethnici, de injustitia acquisivimus, hæc, cum crediderimus, in dominicas utilitates conversantes (80) justificamur.

4. Necessarie igitur hæc in typo præmeditabantur, et tabernaculum Dei ex his fabricatur : illis quidem juste accipientibus, quemadmodum ostendimus : nobis autem præostensis (81), qui inciperemus (82) per aliena Deo deservire.[42] Universa enim quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit (83) profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex gentibus : propter hoc et in fine (84) educens eam hinc in suam hæreditatem, quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in hæreditatem dabit. Si quis autem diligentius intendat his, quæ a prophetis dicuntur de fine, et quæcunque Joannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi[43], inveniet easdem plagas universaliter accipere gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus.

CAPUT XXXI.

Quod Scriptura non redarguit, veteribus crimini temere dandum non esse; sed typum in eo quærendum : quod probatur exemplo incestus a Lot commissi.

1. Talia quædam enarrans de antiquis presbyter, reficiebat nos, et dicebat : De eisdem (85) delictis, de quibus ipsæ Scripturæ increpabant (86) patriarchas et prophetas, nos non oportet (87) exprobrare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, et in maledictionem decidit; sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini nostri remissa sunt eis peccata : etenim illos dicebat gratias agere, et glorificari (88) in nostra salute. De quibus autem Scripturæ non increpant, sed simpliciter sunt positæ, nos non debere fieri accusatores (non enim sumus diligentiores Deo, neque super magistrum possumus esse), sed typum quærere. Nihil enim otiosum est eorum, quæcunque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. « Quemadmodum et Lot, qui eduxit de Sodomis filias suas, quæ conceperunt de patre suo, et qui reliquit in circumfinio (89) uxorem suam statuam salis usque in hodiernum diem. Etenim Lot non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali, neque sensum, neque cogitationem hujusmodi (90) accipiens, consummavit (91) typum. Quemadmodum Scriptura dicit : « Et intravit major nata (92), et dormivit cum patre suo nocte illa : et non scivit Lot cum dormiret illa (93), et cum surgeret[44]. » Et in minore hoc idem : « Et non scivit, inquit, cum dormiisset secum, nec cum surrexisset[45]. »

Μὴ εἰδότος (94) τοῦ Λὼτ, μηδὲ ἡδονῇ δουλεύσαντος, οἰκονομία ἐπετελεῖτο, δι' ἧς αἱ δύο..... συναγωγαὶ

Nesciente igitur homine, neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur per quam duæ filiæ, id

[37] Matth. VII, 1, 2. [38] Luc. III, 11. [39] Matth. XXV, 35, 36. [40] Matth. VI, 3. [41] Luc. XVI, 9. [42] Cap. L. [43] Apoc. XVI, 2 et seqq. [44] Cap. LI. [45] Gen. XIX, 33. [46] Ibid., 35.

(77) *Ab hominibus.* Clarom. et Arundel., *ab omnibus.*

(78) *Invenietur.* Al., *invenitur.*

(79) *Facis misericordiam.* Ita Fevard. in marg., Clarom., Voss. et Arund., nisi quod in tribus prioribus *facitis* minus recte legatur. In cæteris, *cum facis eleemosynam.*

(80) *Conversantes.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss., pro quo recentiores scripserunt *convertentes;* haud advertentes activum *conversantes*, eodem significato gaudere.

(81) *Præostensis. In ipsis* additum in editt., Arundel. et Merc. 2.

(82) *Inciperemus.* Al., *inceperimus.*

(83) *Imago fuit.* Eras. et Gallas., *imago fiebat.*

(84) *In fine.* Alii, *in finem.*

(85) *De eisdem.* Edit. cum Arund. et Merc. 2, *De his quidem.*

(86) *Increpabant.* Alii, *increpant.*

(87) *Oportet.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *oportere.*

(88) *Glorificari.* Alii, *gloriari.*

(89) *Circumfinio.* Alii, *confinio.*

(90) *Hujusmodi. Operationis*, haud recte additum a recentioribus, delevi auctoritate Clarom. et Voss.

(91) *Consummavit. Sed* huic verbo præfixum in editt. Eras., Gallas. et Feuard. merito omittunt vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss.

(92) *Major nata.* Mallem, *major natu.*

(93) *Dormiret illa.* Male in editt. Eras., Gallas. et Feuard., ac Merc. 2 codd., *dormiret nocte illa.*

(94) *Μὴ εἰδότος.* Græca hæc e *Catena Patrum in Genesim* (ea forte quæ inter Regias bibliothecæ codd. mss. num. 1889, exstat, in qua hæc eadem leguntur fol. 134) edidit Halloixius in *Vita Irenæi*, exceptis

Digitized by Google

ἀπὸ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς τεκνοποιησάμεναι ἐμηνύοντο ἄνευ σαρκὸς ἡδονῆς. Οὐ γὰρ ἦν ἄλλος οὐδεὶς σπέρμα ζωτικὸν καὶ τέκνων ἐπικαρπίαν δυνάμενος δοῦναι αὐταῖς, καθὼς γέγραπται·

est (95) duæ synagogæ, ab uno et eodem patre in sobolem adoptatæ (96) significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis, qui semen vitale et filiorum fructum posset dare eis, quemadmodum scriptum est :

A mihi factus est [61]. » Totum autem significabatur per Lot, quoniam semen patris omnium, id est Spiritus Dei, per quem facta sunt omnia, commistus et unitus est carni, hoc est plasmati suo : per quam commistionem et unitatem duæ synagogæ, id est, duæ congregationes fructificantes ex Patre suo filios vivos vivo Deo.

« Dixit autem major ad minorem : Pater noster senior est, et nemo est super terram qui intret ad nos, ut oportet omni terræ (97) : veni, potionemus patrem nostrum vino, et dormiamus cum eo, ut suscitemus (98) de patre nostro semen [57]. »

B

3. Et cum hæc fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens (5), et per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis (6), ostendens quoniam et Ecclesia, quæ est sal terræ [62], subrelicta est in confinio terræ, patiens quæ sunt humana : et dum sæpe auferuntur ab ea membra integra, perseverat statua salis, quod est firmamentum fidei, firmans et præmittens filios ad Patrem ipsorum.

2. Illæ quidem filiæ secundum simplicitatem et innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei (99) supervenisse, dicebant hæc. Quapropter et ipsæ excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, et propter hoc circumveniebant patrem. Per verba autem earum significabatur neminem esse alterum qui possit filiorum generationem majori et minori synagogæ præstare, quam Patrem nostrum (1). Pater autem generis humani Verbum Dei : quemadmodum Moyses ostendit dicens : « Nonne hic ipse pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te [58] ? » Quando igitur hic vitale semen, id est Spiritum remissionis peccatorum per quem vivificamur, effudit in humanum genus ? Nonne tunc cum convescebatur (2) cum hominibus, et bibebat vinum in terra ? « Venit » enim, inquit, « Filius hominis manducans et bibens [59] : » et cum recubuisset, obdormivit, et somnum cepit. Quemadmodum ipse in David dicit : « Ego dormivi (3) et somnum cepi [60]. » Et quoniam in nostra communicatione et vita hoc agebat (4), iterum ait : « Et somnus meus suavis

C

CAPUT XXXII [63].

Utriusque testamenti unum Deum auctorem esse, senioris apostolorum discipuli auctoritate confirmat.

1. Hujusmodi quoque de duobus testamentis senior apostolorum discipulus disputabat, ab uno quidem et eodem Deo utraque ostendens : nec esse alterum Deum præter unum (7) qui fecit et plasmavit nos, nec firmitatem habere sermonem eorum qui dicunt, aut per angelos, aut per quamlibet (8) virtutem, aut ab alio Deo factum esse hunc mundum, qui est secundum nos. Si enim semel quis transmoveatur a factore omnium, et concedat ab aliquo altero, aut per alium factam conditionem, quæ est secundum nos, multam incongruentiam et plurimas contradictiones necesse est incidat hujusmodi : ad quas nullas dabit rationes, neque secundum verisimile, neque secundum veritatem. Et propter hoc hi qui alias doctrinas inferunt, abscondunt a nobis quam habent ipsi de Deo sententiam ; scientes quassum et futile (9) doctrinæ suæ, et timentes, ne victi salvari periclitentur. Si autem credat quis unum Deum, et qui

[57] Gen. XIX, 31, 32. [58] Deut. XXXII, 6. [59] Matth. XI, 19. [60] Psal. III, 6. [61] Jerem. XXXI, 26. [62] Matth. V, 13. [63] Cap. LII.

primis verbis, μὴ εἰδότος... δουλεύσαντος, quæ ex Combefisii ms. *Catena in Genesim* excerpta sunt.

(95) *Duæ filiæ, id est.* Hæc auctori *Catenæ* omittere placuit ; si tamen in suo Irenæi codice legit.

(96) *In sobolem adoptatæ.* Græca vox τεκνοποιησάμεναι vertenda erat, *sobolem generantes.*

(97) *Ut oportet omni terræ.* Græca, ὡς καθῆκεν πάσῃ τῇ γῇ, melius reddidit Vulgatus Bibliorum interpres : *juxta morem universæ terræ.*

(98) *Ut suscitemus.* Eras., Gall., Arund. et Merc. 2, *et suscitemus.*

(99) *Dei.* Deest in Clarom. et Voss.

(1) *Quam patrem nostrum.* Hæc desunt in Clarom. et Voss.

(2) *Cum convescebatur.* Ita Clarom. Consentiunt quoad posteriorem vocem Feuard. in marg. et Voss. In aliis, *conversabatur*, sine *cum*.

(3) *Dicit... dormivi.* Alias, *dicebat... obdormivi.*

(4) *Agebat.* Alias, *agebatur.*

(5) *Statua salis semper manens.* Eadem, ut recte notat Grab., habet Clemens Rom. *Epist. ad Corinth.* cap. 11. Statuam se vidisse testatur Josephus lib. I *Antiquit.*, cap. 12.

D

(6) *Per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis*, etc. Obscurioribus his facem præferunt versus carminis inscripti *Sodoma*, quod inter Tertulliani opera exstat :

Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans
Durat adhuc, etenim nuda statione sub æthram
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur et vivens alio jam corpore, sexus
Munificos solito disjungere sanguine menses.

Vide Irenæum infra cap. 32 hujus libri, n. 9, et Prudentii *Hamartigeniam* versu 740 et seqq.

(7) *Unum.* In Eras., Gallas., Grab., Arund. et Merc. 2, *eum.* Feuard. vero utrumque in sua edit. retinuit.

(8) *Per quamlibet. Aliam* additum in edit. Arund. et Merc. 2, omisi cum Clarom. et Voss.

(9) *Quassum et futile.* Ita Clarom. cum quo fere consentit Voss., nisi quod *fictile* pro *futile* habeat. In edit. Oxon. ex Arundel. cod., *quasi casum et*

Digitized by Google

Verbo omnia fecit, quemadmodum et Moyses (10) ait : « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux [54] ; » et in Evangelio legimus : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil [55], » et apostolus Paulus similiter : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus 270 Deus et Pater (11), qui est super omnes (12), et in omnibus nobis [56] ; » hic primo erit « tenens caput, ex quo totum corpus compactum et connexum, et per omnem juncturam subministrationis in mensura uniuscujusque partis, incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate [57]. » Post deinde et omnis sermo ei constabit, si et Scripturas diligenter legerit apud eos qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus [58].

2. Apostoli enim omnes duo quidem testamenta in duobus populis fuisse docuerunt : unum autem et eumdem esse Deum, qui disposuerit utraque ad utilitatem hominum, secundum quos (13) testamenta dabantur, qui incipiebant credere Deo, ex ipsa demonstravimus apostolorum doctrina in tertio libro [59] : et quoniam non otiose, nec frustra, aut ut obvenit, datum est prius testamentum ; sed illos quidem quibus dabatur, in servitutem Dei concurvans (14), ad utilitatem eorum (non enim indiget Deus ab hominibus servitutem) ; typum autem cœlestium ostendens, quoniam nondum poterat homo per proprium visum videre quæ sunt Dei ; et imagines eorum quæ sunt in Ecclesia præfigurans, ut firma ea quæ secundum nos est, fiat fides ; et prophetiam futurorum continens, ut disceret homo, præscium esse omnium Deum.

A

CAPUT XXXIII [60].

Quisquis unum Deum utriusque testamenti auctorem esse confitetur, et Scripturas apud Ecclesiæ presbyteros accurate legit, hic vere spiritalis discipulus est ; atque vera agnitionis, quæ in sola Ecclesia catholica reperitur, illustratus, quæcunque de Christo ac novi testamenti libertate prænuntiarunt prophetæ, perspicit, et recte interpretatur.

1. Talis discipulus vere spiritalis recipiens (15) Spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit hominibus, et futura annuntiavit, et præsentia ostendit, et præterita enarrat ; judicat quidem omnes, ipse autem a nemine judicatur. [61] Nam judicat gentes, « creaturæ magis quam Creatori servientes [62], » et reprobabili mente universam suam operationem in vanum consumentes. [63] Judicat autem etiam Judæos, non percipientes Verbum libertatis, neque volentes abire liberos, cum habeant præsentem liberatorem ; sed intempestive extra legem servire simulantes nihil indigenti Deo, et Christi adventum, quem propter salutem hominum fecit, [64] non cognoscentes : neque intelligere volentes, quoniam duos adventus ejus omnes annuntiaverunt prophetæ : unum quidem, in quo homo in plaga factus est, sciens ferre imbecillitatem [65], et in pullo asinæ (16) sedens [66], reprobatus lapis ab ædificantibus (17), et sicut ovis [67] ad victimam adductus [68], et per extensionem manuum dissolvens quidem Amalec [69], congregans autem dispersos filios a terminis terræ in ovile Patris [70], et « recommemoratus mortuorum suorum qui ante dormierant, et descendens ad eos, uti erueret eos et salvaret eos [71] (18). »

B

[54] Gen. I, 3. [55] Joan. I, 3. [56] Ephes. IV, 5, 6. [57] Ibid., 16 ; Coloss. II, 19. [58] Sup. cap. XXVI. [59] Cap. IX et seqq. [60] Cap. LIII. [61] Cap. LIV. [62] Rom. I, 25. [63] Cap. LV. [64] Cap. LVI. [65] Isa. LIII, 3. [66] Zach. IX, 9. [67] Psal. CXVII, 22. [68] Isa. LIII, 7. [69] Exod. XVII, 11. [70] Isa. XI, 12. [71] Jerem. XLII, 10.

ruinam ; in aliis, *casum et ruinam*. Sed nostra lectio magis congruit ad præcedentia.

(10) *Et Moyses*. Sic pro *ipse Moyses*, vel *et ipse Moyses*, ex Clarom. posui.

(11) *Pater*. Vocem *omnium* addunt Feuard. et Grab. consentiente Voss. Sed repugnant Clarom. aliique omnes codd. tum excusi, tum manu exarati ; imo et ipse Irenæus qui supra lib. II, cap. 2, n. 6, lib. IV, cap. 20, n. 2, et infra lib. V, cap. 18, n. 2, hanc vocem in omnibus codd. omittit. Vide quæ supra lib. II, cap. 2, n. 6, adnotavimus.

(12) *Omnes*. *Et per omnia* addunt editi, cum Arundel. et Merc. 2, non agnoscunt vero codd. Clarom. et Voss. uti nec supra cap. 20, n. 2, exstant in ullo exemplari. Nec mirum quod interdum addat, interdum omittat eas voces Irenæus : plerumque ex memoria citat.

(13) *Secundum quos*. Ita recte Clarom. In Feuard., Grab. et om. Anglic., *secundum quod* ; in aliis pejus, *secundum post*.

(14) *Concurvans*. Hanc lectionem erui ex cod. Clarom. in quo incaute quidem scripsit librarius *concurrans* ; haud dubie tamen quin pro *concursans* ; Græce συγκάμπτων. In aliis omnibus codd. corrupte et sine sensu legitur *concurrens* ; quod etiam recentior quis, sed imperitus, emendator, in cod. Clarom. superscripta littera *e* super *a* legi voluit. Genuinam autem esse nostram lectionem demonstrat ipse contextus, ad quem apprime quadrat vox *concurvans*. Id enim vult Irenæus, in servitutem Dei priori testamento concurvatos homines fuisse, ad utilitatem, non ipsius Dei, sed hominum ipsorum ; *non enim*, inquit, *indiget Deus ab hominibus servitutem*. Quasi diceret : si Deus homines sub legum suarum jugo curvet, non quod eorum servitute indigeat, sed quia eorum utilitati consulit. Summatim nimirum hic repetit auctor noster, quod supra capp. 14 et 15 fusius explicuit. Nam postquam ostendit Deum humanis obsequiis haud indigentem, utpote summe divitem, perfectum et sine indigentia ; sed servientibus sibi beneficia præstiturum, *omni conditioni congruentem et aptam legem* conscripsisse ; tum cap. 15, n. 2, concludit quod, *ubi conversi sunt* Israelitæ *in vituli factionem, et reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis concupiscentes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, a Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis*. Quæ mire nostram lectionem confirmant : nam quod dicit hic legem *in servitutis jugo dominantem*, cap. 32 vocat testamentum *illos, quibus dabatur, in servitutem Dei concurvans*.

C

D

(15) *Vere spiritalis recipiens*. Clarom., *spiritalis vere recipiens*.

(16) *Asinæ*. Ita ex Clarom. posui pro *asini*, quia supra lib. III, cap. 19, n. 2, habetur, *super pullum asinæ ascendens*.

(17) *Ab ædificantibus*. *Ab* omittunt Ers., Gallas. et Feuard.

(18) *Et salvaret eos*. Hæc desunt in Clarom. et Voss.

Digitized by Google

Secundum autem, in quo super nubes veniet [72], superducens diem quæ est sicut clibanus ardens [73], et percutiens terram verbo oris sui, et spiritu per labia sua interficiens impios [74], et ventilabrum in manu habens, et emundans aream suam, et triticum quidem in horreum colligens, comburens autem paleas igne (19) inextinguibili [74*].

2. [75] Examinabit autem et doctrinam Marcionis, quomodo accipiat duos deos esse, infinita distantia separatos ab invicem (20). Vel quemadmodum bonus erit, qui alienos homines abstrahit ab eo qui fecit, et ad suum advocat regnum? et quare bonitas ejus deficit, non omnes salvans? et quare circa homines quidem bonus videtur, in ipsum autem, qui fecit homines, injustissimus, auferens ab eo quæ sunt ejus? Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris exsistit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse (21) confitebatur, et temperamentum calicis (22) suum sanguinem confirmavit? Et quare se Filium hominis confitebatur, si non eam, quæ ex homine est, generationem sustinuisset? Quemadmodum autem et peccata nobis dimittere poterat, quæ nostro debeamus factori et Deo? Quomodo autem et cum caro non esset, sed pareret **271** quasi homo, crucifixus est, et e latere ejus puncto sanguis exiit et aqua? Quod autem corpus sepelierunt sepultores, et quid illud erat quod surrexit a mortuis?

3. [76] Judicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem, et ex hoc omnia; ipsum autem, qui fecit omnia, defectionis sive labis fructum esse dicunt: et unum Dominum Jesum Christum Filium Dei similiter lingua confitentes, propriam quidem emissionem sententia sua Unigenito donantes, propriam vero Verbo, et alteram Christo, alteram vero Salvatori; ita ut secundum eos dicantur quidem omnia esse quasi unum, unumquemque autem ipsorum separatim intelligi, et propriam habere emissionem, secundum suam conjugationem. Linguas itaque eorum videlicet solas in unitatem cessisse (23); sententiam vero eorum et sensum quæ profunda sunt scrutari, decidentem ab unitate, incidere in multiforme Dei judicium, cum de his, quæ sibimetipsi adinvenerunt, interrogabuntur a Christo; quem et postea natum quam Pleroma Æonum dicunt, et emissionem ejus post diminutionem sive defectionem, et propter eam passionem quæ facta est in Sophia, semetipsos obstetricatos esse affirmant. Accusabit autem eos Homerus proprius ipsorum propheta (24), a quo eruditi talia invenerunt, ipso dicente hæc: « Inimicus est enim (25) ille mihi similiter atque fores inferorum, qui aliud quidem abscondit in corde suo, aliud autem enarrat [77]. » [78] Judicabit autem et vaniloquia pravorum Gnosticorum, Simonis eos Magi discipulos ostendens.

4. Ἀναχρινεῖ δὲ καὶ τοὺς Ἠβιώνους (26)· πῶς δύνανται σωθῆναι, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἦν ὁ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ἐπὶ γῆς ἐργασάμενος; Ἢ πῶς ἄνθρωπος χωρήσει εἰς Θεὸν, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον:

4. Judicabit autem et Ebionitas: quomodo possunt salvari, nisi Deus est qui salutem illorum super terram operatus est? Et quomodo (27) homo transiet in Deum, si non Deus in hominem (28)?

Quemadmodum autem relinquet mortis generationem, si non in novam generationem (29) mire et inopinate a Deo, in signum autem salutis, datam,

[72] Dan. VII, 13. [73] Malach. IV, 1. [74] Isa. XI, 4. [74*] Matth. III, 12. [75] Cap. LVII. [76] Cap. LVIII. [77] Iliad. IX, 312, 313. [78] Cap. LIX.

(19) *Igne.* Al., *in igne.*

(20) *Separatos ab invicem.* Quidpiam post hæc deesse frustra suspicatur Gallas.

(21) *Esse... suum.* In Eras. et Gallas. deest *esse*, et pro *suum* legitur *sui.*

(22) *Temperamentum calicis. Mistum calicem* vocat lib. V, c. 2, n. 3, quia ex traditione apostolica perpetuoque Ecclesiæ catholicæ usu vinum consecrandum aqua miscetur.

(23) *In unitatem cessisse.* Supple, *liquet*, *planum est*, vel quidpiam simile. Demonstrat Irenæus Valentinianos lingua quidem cum Catholicis consentire, mente vero dissentire.

(24) *Propheta.* Alii *poeta.* Alludere videtur auctor ad hæc Tit. I, 12: Ἴδιος αὐτῶν προφήτης.

(25) *Inimicus est enim*, etc. Verba sunt quibus Achillem Ulyssi, multa ex Agamemnonis parte pollicenti, si in ejus gratiam rediret, respondentem exhibet Homerus *Iliad.* IX, 312, 313:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνός ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

(26) Ἀναχρινεῖ δὲ καὶ τοὺς Ἠβιώνους. Græca hæc citat Theodoretus dial. II.

(27) *Et quomodo.* Græca sonant, *aut quomodo.*

(28) *Si non Deus in hominem?* Supple ex Græco, *transiit*, vel quidpiam simile.

(29) *Si non in novam generationem.* Supple iterum, *transeat*, vel aliquid hujusmodi. Quæ sequuntur, nonnihil obscura sunt. Hic unum atque alterum verbum excidisse putat Grabius, ac Irenæum ita forte scripsisse: *Si non in novam generationem ... quæ est ex virgine per fidem, credens eam recipiat, quæ est per fidem, regenerationem.* At fallitur vir doctissimus: nihil excidit. Idque mecum ultro fatebitur quisquis attenderit, hæc: *quæ est ex virgine per fidem regenerationem*, per appositionem intelligenda esse, utpote ab Irenæo addita explicandi gratia quid sit *nova generatio*, de qua hic sermo est. Sic igitur construenda periodus: *Quemadmodum autem relinquet homo mortis generationem, si non* transeat *in novam generationem mire et inopinate a Deo, in signum autem salutis datam;* eam videlicet *regenerationem quæ est ex virgine per fidem?* Per virginem autem hic intelligit auctor, non B. Mariam Christi matrem, sed Ecclesiam, uti constat ex loco parallelo infra n. 11: *Verbum caro erit et Filius hominis, purus pure puram aperiens vulvam, eam quæ regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit*, etc. Nec enim hæc appositio, *eam quæ regenerat homines in Deum*, ulli alteri, quam Ecclesiæ, convenire potest.

Digitized by Google

quæ est ex virgine per fidem, regenerationem? Vel quam (30) adoptionem accipient a Deo, permanentes in hac genesi, quæ est secundum hominem in hoc mundo? Quomodo autem plus quam Salomon, aut plus quam Jonas habebat, et Dominus erat David, qui ejusdem cum ipsis fuit substantiæ? Quomodo autem eum, qui adversus homines fortis erat, qui non solum vicit hominem, sed et detinebat eum sub sua potestate, devicit, et eum quidem qui vicerat, vicit; eum vero qui victus fuerat, hominem dimisit, nisi superior fuisset eo homine, qui fuerat victus? Melior autem eo homine, qui secundum similitudinem Dei factus est, et excellentior quisnam sit alius, nisi Filius Dei, ad cujus similitudinem factus est homo? Et propter hoc in fine (31) ipse ostendit similitudinem: Filius Dei factus est homo, antiquam plasmationem in semetipsum suscipiens, quemadmodum ostendimus (32) in eo libro qui est hoc superior [79].

5. [80] Judicabit autem et eos qui putativum inducunt. Quemadmodum enim ipsi vere se putant disputare (33), quando magister eorum putativus fuit? Aut quemadmodum firmum quid habere possunt ab eo, si putativus, et non veritas erat? Quomodo autem ipsi salutem vere participare possunt, si ille, in quem credere se dicunt, semetipsum putativum ostendebat? Putativum est igitur, et non veritas, omne (34) apud eos: et nunc jam quæretur, ne forte cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant (35).

6. [81] Judicabit autem et pseudoprophetas (36), qui non accepta a Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quæstum aliquem, aut et aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes adversus Deum.

7. Ἀναχρινεῖ δὲ τοὺς (37) τὰ σχίσματα ἐργαζομένους, κενοὺς ὄντας τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγάπης, καὶ τὸ ἴδιον λυσιτελὲς σκοποῦντας, ἀλλὰ μὴ τὴν ἕνωσιν τῆς Ἐκκλησίας· καὶ διὰ μικρὰς καὶ τὰς ὑφούσας αἰτίας τὸ μέγα καὶ ἔνδοξον σῶμα τοῦ Χριστοῦ τέμνοντας καὶ διαιροῦντας, καὶ ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς, ἀναιροῦντας· τοὺς εἰρήνην λαλοῦντας, καὶ πόλεμον ἐργαζομένους, ἀληθῶς διϋλίζοντας τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνοντας. Οὐδεμία δὲ τηλικαύτη δύναται πρὸς αὐτῶν κατόρθωσις γενέσθαι, ἡλίκη τοῦ σχίσματός ἐστιν ἡ βλάβη...

272 7. [82] Judicabit autem et eos, qui schismata operantur, qui sunt inanes (38), non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes quam unitatem Ecclesiæ: et propter (39) modicas et quaslibet (40) causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt; pacem loquentes, et bellum operantes; vere liquantes culicem, et camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correctio (41), quanta est schismatis pernicies. Judicabit autem et omnes eos qui sunt extra veritatem, id est qui sunt extra Ecclesiam: ipse autem a nemine judicabitur.

[79] Cap. XVI, n. 6, et cap. XVIII, n. 1, 2. [80] Cap. LX. [81] Cap. LXI. [82] Cap. LXII.

(30) *Quam.* Eras., Gallas., Grab., Arundel. et Merc. 2, *quemadmodum.*

(31) *In fine.* Sic pro *in finem*, uti perperam habent omnia exemplaria, emendavi ex loco penitus parallelo, lib. v, cap. 1, in fine, ubi allegatis Geneseos verbis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, statim subjungit auctor: *Et propter hoc in fine non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex placito Patris, manus ejus vicum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.*

(32) *Ostendimus.* Editi., *diximus.*

(33) *Vere se putant disputare.* Negat, inquit Grabius, doctrinas atque argumentationes istorum hæreticorum, Marcionitarum videlicet, aliorumque Docetarum, in veritate fundatas esse, si Servator noster phantasma fuit. Forte enim loquela, perinde ut externa specie, homines delusit; cujus tamen verbis omnis Christianorum doctrina innititur.

(34) *Omne.* Feuard. ex veteri cod. minus recte, *omnia.*

(35) *Perferant.* Sic antiquiores ac melioris notæ codd., vetus Feuard., Clarom. et Voss. In Eras., Gall., Feuard. editt. ac Merc. 2 codd., *proferant.* Quid habeat Arund. cod. haud dicere est, siquidem scribitur illud verbum cum abbreviationis nota, adeo ut incertum sit an legendum sit *perferant*, *proferant*, vel *præferant.* Posterius quidem et legere et scribere Grabio placuit, quod et ipse mallem, si potior suffragaretur auctoritas. Quare tutius est trium antiquiorum codd. lectione stare, quæ licet minus Latina, non incommodum tamen sensum habet.

(36) *Et pseudoprophetas.* Marcosios hæc ferire adnotat Feuardentius. Existimat vero Grabius Montanistas potius sive Cataphrygas perstringi, quorum secta longe lateque spargi cœperat, cum Irenæus hunc et præcedentem tertium librum scriberet. Sed quidni utrosque respiciat auctor noster? Utrisque enim apprime congruunt characteres hic notati: Marcosiis quidem, uti liquido constabit illi qui ea legerit quæ de iis scripsit Irenæus lib. I, cap. 13; Montanistis vero, uti patebit ei qui vel oculos injecerit in veterum quorumdam auctorum, qui hæreticos illos scriptis confutarunt, fragmenta, quæ conservavit nobis Eusebius lib. v *Hist. eccles.*, capp. 16, 17, 18 et 19.

(37) *Ἀναχρινεῖ δὲ τούς.* Græca hæc e mss. Joannis Damascem *Parallelis* excerpta vulgavit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 497 et 481. Vocem vero τὸ θεῖον ab eodem Damasceno additam ante τούς, ad complendum sensum, omisimus.

(38) *Inanes.* Sic mss. omnes cum Græco textu. At Eras., Gallas. et Feuard. perperam, *immanes.*

(39) *Et propter.* Cotelerius in notis in interpolatam Ignatii *Epistolam ad Smyrnæos*, cap. 7, legendum conjicit, *et qui propter*; sed pronominis additio haud necessaria.

(40) *Quaslibet.* Hinc emendandus textus Græcus, et pro ὑφούσας legendum τυχούσας, ut recte monuit idem Cotelerius loco mox citato. Sic infra lib. v, cap. 30, οὐχ ὁ τυχὼν κίνδυνος vertitur, *non quodlibet periculum*, i. e. *non leve periculum*: et paulo ante, ἐπιτιμίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν, *pœnam non modicam.*

(41) *Correctio.* Ita Clarom. et Voss. juxta Græcum κατόρθωσις, melius quam alii, *correptio.*

Digitized by Google

... πάντα... συνέστηκεν· εἰς ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, πίστις ὁλόκληρος· καὶ εἰς τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Κύριον ἡμῶν, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ τὰς οἰκονομίας αὐτοῦ, δι' ὧν ἄνθρωπος ἐγένετο ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, πεισμονὴ βεβαία· καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. . . . . τὸ τὰς οἰκονομίας Πατρός τε καὶ Υἱοῦ σκηνοβατοῦν καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καθὼς βούλεται ὁ Πατήρ.

'Omnia enim ei constant: et in unum Deum omnipotentem, ex quo omnia, fides integra; et in Filium Dei Christum Jesum Dominum nostrum, per quem omnia, et dispositiones ejus, per quas homo factus est Filius Dei (42), sententia firma, quæ est in Spiritu Dei (43), qui præstat agnitionem veritatis, qui dispositiones Patris et Filii exposuit (44), secundum quas aderat generi humano (45), quemadmodum vult Pater.

8. Γνῶσις ἀληθὴς, ἡ τῶν ἀποστόλων διδαχὴ, καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς Ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου... τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς Χριστοῦ κατὰ διαδοχὰς ἐπισκόπων, ἣν τὴν ἐν ἑκάστῳ τόπῳ οὖσαν παράδοσιν παρειλήφασιν οἱ μέχρι καὶ ἡμῶν περιλειφθέντες, καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων ἀνακεφαλαίωσιν ἐν τῷ κατὰ πάντα κόσμον ἐπιφερομένην, καὶ τὸν χαρακτῆρα τὸν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς Χριστοῦ κατὰ διαδοχὰς ἐπισκόπων, ἣν τὴν ἐν ἑκάστῳ τόπῳ οὖσαν παράδοσιν παρειλήφασιν οἱ μέχρι καὶ ἡμῶν περιλειφθέντες, καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων ἀνακεφαλαίωσιν ἐν τῷ κατὰ πάντα κόσμον ἐπιφερομένην, καὶ τὸν χαρακτῆρα τὸν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς Χριστοῦ κατὰ διαδοχὰς ἐπισκόπων, ἣν τὴν ἐν ἑκάστῳ τόπῳ οὖσαν παράδοσιν παρειλήφασιν οἱ μέχρι καὶ ἡμῶν περιλειφθέντες, καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων ἀνακεφαλαίωσιν ἐν τῷ κατὰ πάντα κόσμον ἐπιφερομένην, καὶ τὸν χαρακτῆρα τὸν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς Χριστοῦ

8. [83] Agnitio vera est apostolorum doctrina (46), et antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: quæ pervenit usque ad nos custoditione (47) sine fictione Scripturarum tractatio (48) plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia; et præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius.

9. [84] Quapropter Ecclesia omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus (49) hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium; esse enim martyrium verum sententiam eorum (50): nisi si unus, aut duo aliquando, per omne tempus ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul hajulavit nominis, et cum eis ductus est, velut adjectio quædam donata eis. Opprobrium enim eorum, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, et omnes pœnas sustinent, et mortificantur propter eam quæ est erga Deum dilectionem, et confessionem Filii ejus, solo Ecclesia pure sustinet (sæpe debilitata, et statim augens membra, et integra fiens, quemadmodum et typus ejus, quæ fuit filius Loi, salis figmentum) [85]: similiter ut veteres prophetæ sustinentes persecutionem, quemadmodum Dominus ait: « Sic enim persecuti sunt prophetas, qui ante vos fuerunt [86]; » quoniam nove quidem, sed idem Spiritus requiescens super eam, ab his qui non recipiunt Verbum Dei, persecutionem patitur.

10. [87] Quod quidem prophetæ cum reliquis, quæ prophetabant, et hoc prophetaverunt, 273 quoniam super quoscumque requieverit Spiritus Dei, et obedi-

[83] Cap. LXIII. [84] Cap. LXIV. [85] Gen. xix, 26. [86] Matth. v, 12. [87] Cap. LXV.

(42) *Dispositiones ejus, per quas homo factus est Filius Dei.* Sic exacte juxta Græcum vetus Feuard. cod., Claromont. et om. Anglic., una cum edit. Oxon. At in aliis omnibus editt. vitiose, *dispositionis ejus, per quem*, vel *quam, factus est homo Filius Dei.*

(43) *Quæ est in Spiritu Dei.* Græc., *et in Spiritum Dei.*

(44) *Exposuit.* Græce, σκηνοβατοῦν, quam vocem mutandam vult Cotelerius t. III *Monument. Eccles. Græcæ*, col. 676, in ἐξηγησάμενον, sed citra necessitatem: nam, ut recte observat Grabius, et vulgata ipsa lexica docent, verbum σκηνοβατέω in bona significatione interdum accipitur pro *pervulgo, expono*, etc.

(45) *Secundum quas aderat generi humano.* Græca sonant, *secundum unamquamque generationem inter homines.*

(46) *Agnitio vera est apostolorum doctrina*, etc. Multum his aliisque turbatum se fuisse fatetur Grabius, quod qui capitis hujus membra cohærerent, ac de *agnitione vera* dici posset, quod sit *antiquus Ecclesiæ status*, etc., *præcipuumque dilectionis munus*, non videret: donec tandem advertit, verbum ἐστί a Græco textu abesse, atque ista hic non de agnitione prædicari, sed distincte recenseri tanquam ea quæ *homini in Ecclesia viventi constare*, seu præsto esse dicit ultima numeri præcedentis periodus. At paulo facilius turbatur vir doctus: neque enim difficilis adeo operæ est sectionis hujus membra secum colligare; neque ea ex ultima præcedentis numeri periodo nectere juvat, imo avellere necessum est. Nimirum sigillatim enarratis iis omnibus, de quibus sententiam ferat *spiritalis discipulus*; tum demum in quo vera *agnitio* sita sit, et quibus characteribus a falsa Gnosticorum agnitione distinguatur, explicat Irenæus. Agnitio vera, inquit, ea est, quæ ex apostolorum doctrina fluit, et ex antiquo Ecclesiæ statu, ac charactere corporis Christi, Ecclesiæ videlicet, secundum successiones episcoporum manat, etc., quæque charitatis munere præcipuo, seu Ecclesiæ unitate nititur: seu, quod idem est, *apostolorum doctrina, antiquus Ecclesiæ status*, etc., ac *charitas*, sunt *agnitio vera*, hæcque proinde de illis (non illa de hac, quod Grabium fefellit), ceu effectus de causa, prædicatur; quod quidem tropi genus haud adeo insolens, ut lectorem attentum conturbare valeat.

(47) *Custoditione.* Ita vetus Feuard. cod. et Voss. In Clarom., *custoditio*, pro quo in Merc. 1, oscitans librarius scripsit, *custodito*. Editores vero scripserunt *custodita.*

(48) *Tractatio.* Ita Clarom., Arund., Voss., vetus Feuard. cod. et Grab. Alii, *tractatione.* Hæc vero ita construenda: *Agnitio vera est tractatio plenissima Scripturarum, quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione.*

(49) *Non tantum non habentibus.* Solus Voss. cod. omittit *non tantum*, quem tamen errantem sequi Grabio placuit.

(50) *Esse enim martyrium verum sententiam eorum.* Ita recte Clarom. et Voss. Eras. vero, Gallas. et Feuard. perperam et sine sensu, *esse eorum martyrium verum secundum sententiam eorum.* In vet. Feuard. cod. bene quidem habetur *enim* pro *eorum*, sed male *secundum.* In Arund. contrario ac Merc. 2 recte omittitur *secundum*; sed male *eorum* pro *enim* legitur.

Digitized by Google

verint Verbo Patris, et secundum virtutem servierint ei, persecutionem patientur, et lapidabuntur, et occidentur. In semetipsis enim hæc omnia præfigurabant prophetæ, propter dilectionem Dei, et propter verbum ejus. Cum enim et ipsi membra essent Christi, unusquisque eorum secundum quod erat membrum, secundum hoc et prophetationem manifestabat, omnes et multi unum præformantes, et ea quæ sunt unius annuntiantes. Quomodo enim per nostra membra operatio quidem universi corporis ostenditur; figura autem totius hominis per unum membrum non ostenditur, sed per omnia : sic et prophetæ omnes quidem unum præfigurabant; unusquisque autem eorum secundum quod erat membrum, secundum hoc et dispositionem adimplebat, et eam quæ secundum illud membrum erat, operationem Christi præformabat (51).

11. Quidam enim in gloria videntes eum, gloriosam ejus apud Patrem a dextris conversationem videbant [88], alii super nubes, quemadmodum Filium hominis, venientem [89], et dicentes de eo : « Videbunt in quem compunxerunt [90]; » adventum ejus significabant, de quo ipse ait : « Putas, cum Filius hominis venerit, inveniet fidem super terram [91]? » De quo et Paulus ait : « Si tamen justum est apud Deum retribuere eis, qui tribulant vos (52), tribulationem; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus (53), et in flamma ignis [92]. » Alii vero judicem dicentes eum, et diem Domini tanquam clibanum ardentem, qui « colligit triticum in horrea, paleas autem comburet igni inexstinguibili [93], » comminabantur eis, qui increduli erant; de quibus et ipse Dominus ait : « Abite a me (54), maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus [94]. » Et Apostolus autem similiter ait : « Qui pœnas dabunt interitus æternas (55) a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri his (56) qui credunt in eum [95]. »

A Et qui dicunt : « Speciosus forma præ filiis hominum. [96] ; » et « : Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. [97] ; » et : « Accingere gladium tuum, potentissime, circa femur tuum (57) : specie tua et pulchritudine tua et intende, et prospere procede, et regna propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam [98] ; » et quæcunque alia talia dicta sunt de eo, eam quæ est in regno speciem ejus et decorem, et exsultationem supercoruscantem, et supereminentiorem (58) omnibus qui regnantur (59) sub ipso, significabant; ut qui audiunt, concupiscerent ibi inveniri (60), placentia facientes Deo. Qui iterum dicentes : « Homo est, et quis cognoscet eum [99]? et : « Veni (61) ad prophetam (62), et peperit filium [1], et vocatur (63) B nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis [2]; »

.... Οἱ τὸν ἐκ τῆς παρθένου (64) Ἐμμανουὴλ κηρύττοντες, τὴν ἕνωσιν τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸ πλάσμα αὐτοῦ ἐδήλουν·

Et qui eum ex virgine Emmanuel prædicabant [3], adunitionem Verbi Dei ad plasma ejus manifestabant :

quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis (purus pure puram aperiens vulvam, eam quæ regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit), et hoc factus, quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus. Et qui dicunt : « Dominus in Sion (65) locutus est, et de Jerusalem dedit vocem suam [4] ; » et : « Notus in Judæa Deus [5] ; » qui in Judæa adventum ejus significabant. C Qui autem rursus dicunt : « Ab Africo venire Deum, et de monte umbroso et condenso [6] ; » adventum ejus, qui est ex Bethleem, dicebant (quemadmodum ostendimus in eo libro, qui est ante hunc [7]) ; unde et is qui præest, et pascit populum Patris sui, venit. Qui autem dicunt : adventu (66) ejus « quemadmodum cervus, claudus saliet, et plana erit lingua mutorum, et aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient [8], » et manus dissolutæ (67), et genua debilia firmabuntur [9]; et : « Resurgent qui

[88] Psal. CIX, 1. [89] Dan. VII, 13. [90] Zach. XII, 10. [91] Luc. XVIII, 8. [92] II Thess. I, 6 et seqq. [93] Matth. III, 12. [94] Matth. XXV, 41. [95] II Thess. II, 9, 10. [96] Psal. XLIV, 3. [97] Ibid., 8. [98] Ibid., 4, 5. [99] Jerem. XVII, 9. [1] Isa. VIII, 3. [2] Isa. IX, 6. [3] Isa. VII, 14. [4] Joel. III, 16. [5] Psal. LXXV, 3. [6] Habac. III, 3. [7] Cap. XX, n. 4 [8] Isa. XXXV, 5, 6. [9] Ibid., 3.

(51) *Præformabat.* Ita Clarom. et Voss., nisi quod in hoc librarii negligentia scriptum, *reformabat.* In aliis, *prophetabat* ; et in postremis Erasmi editt. pessime, *oportebat.*

(52) *Tribulant vos.* Sic Clarom., Arund. et Grab., juxta Apostoli textum. Cæteri, *tribulant nos.*

(53) *Virtutis ejus.* Eras. et Gall., *virtutis Dei.*

(54) *A me.* Desunt in Eras., Gall., Arund. et Merc. 2.

(55) *Interitus æternas.* In editis exemplaribus Græcis legitur, ὄλεθρον αἰώνιον ; in Vulgata Latina, *in interitu æternas.*

(56) *Fieri his.* In edit. N. Test. codd., *fieri in omnibus qui*, etc.

(57) *Femur tuum.* Vox *tuum* abest a Clarom. et Voss.

(58) *Supereminentiorem.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *supereminentem.*

D (59) *Regnantur.* Sic Clarom. melius quam alii, *regenerantur.*

(60) *Ut qui audiunt concupiscerent ibi inveniri.* Clarom. longe aliter, *et qui audiunt concupiscentibus inveniri placentia*, etc.

(61) *Veni.* Feuard. in marg. et cod. Voss. *venit* ; quomodo etiam habent Cyrillus Alex. et codex Alexand. in quibus legitur, προσῆλθε.

(62) *Prophetam.* In feminino genere, pro *prophetissam.*

(63) *Vocatur.* Clarom., *vocabitur.*

(64) *Οἱ τὸν ἐκ τῆς παρθένου.* Græca hæc allegat Theodoretus dial. 2, t. IV, pag. 87, edit. Sirmondi.

(65) *In Sion.* Juxta LXX legendum esset, *de Sion.*

(66) *Adventu.* Ita Clarom. et Voss. melius quam alii, *adventum.*

(67) *Dissolutæ.* Editt. cum Arund. et Merc. 2, *resolutæ.*

Digitized by Google

in monumento (68) sunt mortui [10]; » et : « Ipse infirmitates nostras accipiet, et languores portabit [11];» eas quæ ab eo curationes fiebant annuntiaverunt.

12. Quidam autem hominem infirmum, et inglorioso, et scientem ferre infirmitatem [12], et sedentem super pullum asinæ (69), venturum Hierosolymam [13]; dorsum suum ponentem ad flagella, et maxillas suas ad palmas [14], et quemadmodum ovem adduci ad victimam [15], et aceto et felle potari [16], et ab amicis, et ab his qui proximi sunt, derelinqui [17], et extendentem manus per totam diem [18], et ab eis qui eum intuebantur, subsannari et maledici, et partiri (70) vestimenta ejus, et super vestimentum ejus mitti sortem [19], et in limum (71) mortis deductum, et omnia talia; eum qui secundum hominem est adventum ejus, sicut intravit in Hierosolymam, in qua et passus, et crucifixus, sustinuit omnia quæcunque sunt prædicta, prophetabant. Alii autem dicentes : « Rememoratus est Dominus sanctus mortuorum suorum, qui prædormierunt (72) in terra limi, et descendit ad eos, uti erigeret, ad salvandum illos [20]; » causam reddiderunt, propter quam passus est hæc omnia. Qui autem dixerunt : « In illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et erunt tenebræ super terram in die lucis, et convertam dies festos vestros in luctum, et universa cantica vestra in lamentationem [21]; » eum occasum solis, qui crucifixo eo fuit ab hora sexta, manifeste annuntiaverunt, et quia postea-

quam hoc factum est, hi qui secundum legem erant dies festi eorum, et cantica, in luctum et lamentationem verterentur (73), cum inciperent tradi gentibus. Adhuc etiam manifestius hoc idem et Jeremias ostendit, sic dicens (74) : « Exinanita est quæ parit (75), tæduit anima ejus : occidit sol ei (76), cum adhuc medius dies esset, confusa est, et improperium passa est : reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum [22]. »

13. Qui autem dixerunt eum dormisse, et somnum cepisse, et resurrexisse, quoniam Dominus suscepisset eum [23], et præcipientes principibus A cœlorum, aperire æternas portas, ut introeat rex gloriæ [24]; resurrectionem ejus, quæ est a mortuis per Patrem, et receptionem in cœlos præconaverunt. In eo autem quod dixerunt : « A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum cœli, et non est qui se abscondat a calore ejus [25]; » quoniam illuc assumptus est, unde et descendit, et non est qui justum judicium ejus effugiat, id ipsum annuntiabant. Et qui (77) dicebant : « Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet (78) super cherubim, commoveatur terra [26]; » partim quidem eam, quæ post assumptionem ejus facta est super eos qui in eum crediderunt, iram ab omnibus populis, et motum universæ terræ adversus Ecclesiam prophetabant; partim autem veniente eo de cœlis B cum angelis virtutis ejus, commoveri universam terram, quemadmodum ipse ait : « Erit terræ motus (79) magnus, qualis non est factus ab initio [27]. » Et rursus in eo cum dicit : « Quisquis judicatur (80), ex adverso astet; et quisquis justificatur, appropinquet puero Dei; » et : « Væ vobis, quoniam omnes veterascetis sicut vestimentum, et tinea comedet vos [28]; » et : « Humiliabitur omnis caro, et exaltabitur Dominus solus in altissimis [29]; » significatur, quoniam post passionem (81) qui contra eum fuerunt, sub pedibus ejus subjiciet Deus, et ipse super omnes exaltabitur, et nemo erit qui justificetur aut comparetur ad eum.

14. Et qui dicunt, dispositurum Deum testamentum novum hominibus, non quemadmodum disposuit patribus in Horeb [30]; et cor novum et spiritum novum dare hominibus [31]; et rursus : « Et antiqua nolite reputare; ecce, facio nova, quæ nunc orientur, et scietis : et faciam in deserto viam, et in terra inaquosa flumina, ad potandum genus electum, populum meum quem acquisivi, ut virtutes meas enarret [32]; » quæ est novi testamenti libertas, hanc manifeste annuntiabant, et novum vinum, quod in novos utres mittitur [33], fidem quæ est in Christo, qua annuntiavit (82) ortam in eremo viam justitiæ, et in terra inaquosa flumina Spiritus sancti, adaquare genus electum Dei, quod acquisivit,

[10] Isa. XXVI, 19. [11] Isa. LIII, 4. [12] Ibid., 3. [13] Zach. IX, 9. [14] Isa. L, 6. [15] Isa. LIII, 7. [16] Psal. LXVIII, 22. [17] Psal. XXXVII, 12. [18] Isa. LXV, 2. [19] Psal. XXI, 8, 16, 19. [20] Jerem. XLII, 10. [21] Amos VIII, 9, 10. [22] Jerem. XV, 9. [23] Psal. III, 6. [24] Psal. XXIII, 7, 9. [25] Psal. XVIII, 7. [26] Psal. XCVIII, 1. [27] Matth. XXIV, 21. [28] Isa. L, 8, 9. [29] Isa. II, 17. [30] Jerem. XXXI, 31, 32. [31] Ezech. XXXVI, 26. [32] Isa. XLIII, 18. [33] Matth. IX, 17.

(68) *In monumento.* Al. *in monumentis.*

(69) *Asinæ.* In aliis, *asini.*

(70) *Partiri.* Passive pro *dividi.*

(71) *Limum.* Sic cum Psalmista habent omnes mss. At Eras., Gall. et Feuard. male, *limen.*

(72) *Prædormierunt: Prædormierant* in Feuard. marg. et Voss.

(73) *Verterentur. Eorum* huic verbo præfixum in omnibus editt. delevi auctoritate Clarom., Voss. et Merc. 2, ac insuper cum duobus prioribus scripsi *verterentur* pro *converterentur.*

(74) *Dicens. De Jerusalem,* quod additum videtur a recentioribus, omitto cum Clarom. et Voss.

(75) *Quæ parit. Septem* addit sacer textus.

(76) *Occidit sol ei.* Loco horum solum *et* exstat in codd. Clarom. et Voss.

D (77) *Idipsum annuntiabant. Et qui.* Textu ita recte diviso, *et qui*, ex Arund. et Merc. 1, posuit Grab.; siquidem in Feuard. edit. deest *qui;* in Eras., Gall., Clarom., Voss. et altero Merc. *et* desideratur.

(78) *Qui sedet.* Sic Clarom. juxta sacrum textum. Cæteri perperam, *qui sedes.*

(79) *Erit terræ motus.* Hæc ex memoria allegantur, nam in Evangelio non *terræ motus,* sed *tribulatio* legitur.

(80) *Quisquis judicatur,* etc. Ab his aliquantulum discrepat textus τῶν Ο', quem consulesis.

(81) *Post passionem. Et assumptionem omnes* addunt editt. cum Arund. et Merc. 2, omittunt vero Clarom. et Voss.

(82) *Fidem quæ est in Christo, quæ annuntiavit.* Particulam *per* ante *fidem* expungo auctoritate codd.

Digitized by Google

ut virtutes ejus enarrentur [84]; sed non ut blasphemarent eum, qui hæc fecit, Deus.

15. Et reliqua omnia quæcunque per tantam seriem Scripturæ demonstravimus prophetas dixisse, spiritalis vere qui est, interpretabitur, unumquodque eorum quæ dicta sunt, in quem dictum sit characterem dispositionis Domini, et integrum corpus operis Filii Dei ostendens; semper eumdem Deum sciens, et semper eumdem Verbum Dei cognoscens, etiamsi nunc nobis manifestatus est; et semper eumdem Spiritum Dei cognoscens, etiamsi in novissimis temporibus nove effusus est in nos, et a conditione mundi usque ad finem in ipsum humanum genus: ex quo qui credunt Deo, et sequuntur Verbum ejus, percipiunt eam quæ est ab eo, salutem. Qui vero abscedunt ab eo, et contemnunt præcepta ejus, et per opera sua inhonorant eum qui se fecit, et sententia sua blasphemant eum qui se alii, justissimum adversus se coacervant (83) judicium. Hic igitur examinat omnes, ipse vero a nemine examinatur; neque Patrem suum blasphemans, neque dispositiones ejus frustrans, neque patres accusans, neque prophetas exhonorans, aut ab alio Deo dicens eos, aut iterum ex alia et alia substantia fuisse prophetas.

CAPUT XXXIV.

Adversus Marcionitas, ab uno et eodem Deo prophetas extitisse ex eo probat, quod quæcunque de Christo novi testamenti libertate ac futura hominum renovatione prædixerunt, in unum Christum nostrum, a quo impleta sunt omnia, nec in alium conveniant.

1. Dicemus autem adversus omnes hæreticos, et primo quidem adversus eos qui sunt a Marcione, et adversus eos qui sunt similes illis, ab altero Deo dicentes esse prophetas: Legite diligentius id quod ab apostolis est Evangelium nobis datum, et legite diligentius prophetas, et invenietis universam actionem, et omnem doctrinam, et omnem passionem Domini nostri prædictam (84) in ipsis. [85] Si autem subit vos hujusmodi sensus, ut dicatis: **275** Quid igitur (85) Dominus attulit veniens? cognoscite quoniam omnem novitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum prædicabatur, quoniam novitas veniet innovatura et vivificatura hominem. Regis enim adventus ab his quidem, qui mittuntur, servis prænuntiatur, propter apparatum et expeditionem eorum qui inciperent (86) suscipere suum Dominum. Cum autem venit Rex, et illi prænuntiato gaudio adimpleti sunt, qui sunt subjecti, et perceperunt eam quæ est ab eo libertatem, et participant visionem ejus, et audierunt sermones ejus, et fruiti sunt muneribus ab eo; non jam requiretur, quid novus (87) attulit rex super eos, qui annuntiaverunt adventum ejus, apud eos videlicet qui sensum habent. Semetipsum enim attulit, et ea quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant angeli intendere, donavit hominibus.

2. Tunc autem fuissent servi mendaces, et non a Domino missi, si non Christus adveniens talis, qualis et prædicabatur, adimplesset eorum sermones. Quapropter dicebat: « Ne putetis quoniam veni dissolvere legem aut prophetas: non veni dissolvere (88), sed adimplere. Amen enim dico vobis, donec pertranseat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non transiet a lege et prophetis, quoadusque omnia fiant [86]. » Omnia enim ipse adimplevit veniens, et adhuc implet in Ecclesia, usque ad consummationem, a lege prædictum novum testamentum. Quemadmodum et Paulus apostolus ejus ait in ea quæ est ad Romanos: « Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis [87]: Justus enim ex fide vivet [88] (89). » Hoc autem, quoniam justus ex fide vivet, per prophetas prædictum fuerat.

3. Unde autem poterant prædicere prophetæ Regis adventum, et eam libertatem, quæ ab eo dabatur, prævangelizare, et omnia quæ a Christo facta sunt, et sermonem, et operationem (90), et passionem ejus prænuntiare, et novum testamentum prædicere (91), si ab altero Deo propheticam inspirationem acceperunt; ignorantes inenarrabilem Patrem, secundum vos, et regnum ejus, et dispositiones ejus, quas Filius Dei veniens in terris implevit? Neque enim casu quodam hæc evenisse potestis dicere (92), tanquam a prophetis

[84] I Petr. II, 9. [85] Cap. LXVII. [86] Matth. V, 17, 18. [87] Rom. III, 21. [88] Rom. I, 17.

Arund., Voss. ac Clarom., et cum hoc posteriori lego *quæ* pro *quam*. Sic, ni fallor, clarior evadit sensus. Hæc itaque, *fidem quæ est in Christo*, per appositionem accipienda sunt.

(83) *Coacervant.* In Arund. et Voss. *coacerbant*, pro quo in Merc. 2, *coarcebant*. Sed prior lectio præferenda: nullum enim dubium est, ut recte advertit Grabius, Irenæum imitatum esse phrasim Apostoli Rom. II, 5.

(84) *Prædictum.* Editt. cum Arund., Ottobon. et Merc. 2, *prædicatam*.

(85) *Quid igitur. Novi* additum in editt. ac Arund. et Merc. 2.

(86) *Inciperent.* Editt. cum Voss., *incipient*.

(87) *Novus.* Sic Clarom., Arund. et Voss. pro quo in Merc. 2 scriptum *novius*. In editt. *novi*.

(88) *Dissolvere... dissolvere.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom., Voss., Arund. et Grab. juxta Græcum καταλῦσαι. Reliqui, *solvere*.

(89) *Vivet.* Clarom., Arund., Merc. 2, et vetus Feuard. cod., *vivit*. Sed Irenæum cum Apostolo scripsisse ζήσεται, *vivet*, ex sequenti periodo liquet.

(90) *Et sermonem, et operationem.* Sic recte, quidquid dicat Grabius, Clarom., Voss. et Feuard. in marg. At hic in textu male, *et a sermone et operatione*; nec melius Eras., Gall. et Grab., *et sermone et operatione*. Enumerat enim Irenæus quæcunque a Christo gesta prædixerunt prophetæ, *sermonem* videlicet ejus, *operationem et passionem*; quod cum perspicuum adeo sit, mirum qui Feuardentium et Grabium fugerit.

(91) *Prædicere.* Alias, *prædicare*.

(92) *Veniens in terris implevit. Neque enim casu quodam hæc evenisse potestis dicere.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. Sed pro his in Eras. et Gall.

Digitized by Google

quidem de altero quodam dicta, similiter autem evenerunt (93) Domino. Omnes enim prophetæ hæc eadem prophetaverunt : sed neque alicui ex veteribus evenerunt. Si enim evenissent alicui ex veteribus ista, non utique qui postea fuerunt, prophetassent in novissimis temporibus futura hæc. Adhuc etiam nemo est neque patrum, neque prophetarum, neque antiquorum regum, circa quem proprie ac specialiter factum sit aliquid horum. Nam omnes quidem Christi passiones prophetaverunt ; ipsi autem ad patiendum, similiter ut ipsa prædicta sunt, longe erant. Et argumenta autem quæ prædicta sunt Dominicæ passionis, in nullo altero facta sunt. Neque enim sol medio die occidit aliquo de veteribus mortuo, neque scissum est velum templi, neque terra mota est, neque petræ disruptæ sunt, neque mortui resurrexerunt, neque in tertia die quis illorum surrexit, neque receptus est in cœlum, neque, cum assumeretur, aperti sunt cœli, neque in nomen alicujus alterius crediderunt gentes, neque quis ex eis mortuus et resurgens aperuit novum libertatis testamentum. Non igitur de altero, sed de Domino, in quem concurrerunt (94) omnia prædicta signa, dicebant prophetæ.

4. Si autem aliquis Judæis advocationem præstans, erectionem (95) templi, quæ, posteaquam in Babylonem transmigraverunt, facta est sub Zorobabel, et discessionem populi, quæ facta est post septuaginta annos, dicat hoc esse novum testamentum ; cognoscat quoniam lapideum quidem templum restructum (96) est tunc (adhuc enim illa quæ in lapideis tabulis facta fuerat, lex servabatur) ; novum autem testamentum datum est nullum, sed ea lege, quæ per Moysen data est, utebantur usque ad adventum Domini ; a Domini autem adventu novum testamentum ad pacem reconciliana, et vivificatrix lex in universam exivit terram (97) : « Ex Sion enim prodiet (98) lex, et verbum Domini de Jerusalem, et arguet populum multum : et concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces, et jam non discent pugnare [59]. » Si igitur alia lex et verbum exiens a Jerusalem, tantam pacem fecit apud eas gentes, quæ eum (99) receperunt, et per eas arguit imprudentiæ multum populum, videtur consequens de altero dixisse prophetas. Si autem libertatis lex, id est verbum Dei ab apostolis, qui a Jerusalem exierunt, annuntiatum in (1) universam terram, in tantum transmutationem fecit, ut gladios (2) et lanceas bellatorias in aratra fabricaverit ipse (3), et in falces, quæ donavit ad metendum frumentum, in organa pacifica (4), demutaverit (5), et jam nesciunt pugnare, sed percussi et alteram præbent maxillam ; non de aliquo alio prophetæ dixerunt **276** hæc, sed de eo qui fecit ea. Hic autem est Dominus noster, et in hoc est sermo verus : quoniam ipse est qui aratrum fecit, et falcem intulit, hoc est hominis primam seminationem, quæ fuit secundum Adam plasmatio, et in novissimis temporibus per Verbum collectam fructificationem : et propter hoc qui (6) initium fini conjungebat, et utrorumque Dominus exsistens, in fine quidem aratrum ostendit, lignum copulatum ferro, et sic ejus (7) expurgavit terram : quoniam firmum Verbum unitum carni, et habitu tali (8) confixus, emundavit silvestrem terram. Initio autem falcem figurabat per Abel, significans justi generis humanam collectionem : « Vide enim, » inquit, « quomodo justus perit, et nemo intuetur, et viri justi tolluntur, et nemo excipit corde [60]. » Hæc autem in Abel quidem præmeditabantur, a prophetis (9) vero præconabantur, in Domino autem perficiebantur, et in nobis autem idipsum est, consequente corpore suum caput.

5. [61] Et adversus eos quidem, qui ab alio Deo prophetas dicunt, ab altero autem Patre Dominum nostrum, talia sunt apta, si quo modo tandem quiescant a tanta irrationabilitate. Propter hoc enim et laboramus eas, quæ sunt ex Scripturis, adhibere ostensiones ; ut ipsis sermonibus confutantes eos, quantum in nobis est, cohibeamus eos a grandi blasphemia, et a multorum deorum dementi fabricatione.

[59] Isa. II, 3, 4; Mich. IV, 2, 3. [60] Isa. LVII, 1. [61] Cap. LXVIII.

minus recte legitur : *præstabit in novissimo dierum. Casu quodam hæc evenisse non potestis dicere.* Et longe pejus Feuardentius utramque lectionem conjungens, scripsit : *veniens in terris implevit, præstabit in novissimo dierum. Casu quodam hæc evenisse non potestis dicere.*

(93) *Evenerunt.* Eras., Gall., Grab. et Merc. 1, *evenerint.*

(94) *Concurrerunt.* Al., *concurrunt.*

(95) *Erectionem.* Præpositionem *per* a Feuard. et Grab. perperam huic voci præfixam expunxi auctoritate Eras., Gallas., Clarom., Arundel. et Merc. 2.

(96) *Restructum.* Al., *restitutum.*

(97) *Terram. Quemadmodum dixerunt prophetæ* additur in editt.

(98) *Prodiet.* Al., *procedet.*

(99) *Eum.* Refer ad Λόγον.

(1) *Annuntiatum in. In* pro *est* ex Arund. et Merc. 2, posuit Grab. ; utrumque vero habet Clarom., neutrum Eras. et Gall.

(2) *In tantum...ut gladios.* Al., *in tantam...quod gladios.*

(3) *Fabricaverit ipse.* Sic Claromont., cui quoad postremam vocem consentiunt Anglic. omn. In Feuard. marg., *fabricavit ipse.* In reliquis minus bene, *fabricaverint*, vel *fabricaverunt ipsi.* Porro *ipse* pro more refert interpres ad Λόγον, quamvis paulo ante neutro genere usus fuerit. Sed ejusmodi sphalmata ipsi haud insueta sunt.

(4) *In organa pacifica.* Hæc glossema olent, et a textu, utpote superflua, ablegauda videntur. Per appositionem saltem intelligas.

(5) *Demutaverit.* Sic iterum Clarom. In Feuard. marg., *demutavit.* In cæteris, *demutaverint.*

(6) *Qui.* Al., *quod.*

(7) *Ejus.* Αὐτοῦ vertere debuisset interpres *suam.*

(8) *Tali.* Clarom., Arund., Merc. 2 et Grab., *talis.*

(9) *A prophetis.* Sic pro *in prophetis* posui ex Clarom.

Digitized by Google

CAPUT XXXV [42].

Vana et insana esse, quæ de variis Scripturarum principiis comminiscebantur Valentiniani et Gnostici, nec proinde prophetas (multo minus Christum) partim a summitate, partim a medietate, partim a Demiurgo afflatos, locutos fuisse.

1. Adversus eos rursus qui sunt a Valentino, et reliquos falsi nominis Gnosticos, qui aliquando quidem a summitate quædam eorum, quæ sunt in Scripturis posita, dicta dicunt, propter semen quod est inde; aliquando vero a medietate, propter matrem Prunicam audacem (10); multa vero a mundi fabricatore, a quo et missi sunt prophetæ: dicimus valde irrationabile esse, in tantum inopiæ deducere Patrem universorum, quasi non habuerit sua instrumenta, per quæ pure ea, quæ sunt in Pleromate, annuntiarentur. Quem enim timebat, ut non libere et sine commistione ejus spiritus, qui est in diminutione et ignorantia factus, proprie ac separatim significaret voluntatem suam? An timebat ne plurimi salvarentur, cum plures pure audissent ea quæ sunt veritatis? An rursus impotens erat ipse sibi præparare eos, qui adventum Salvatoris annuntiarent (11)?

2. Si autem cum huc venisset Salvator, suos apostolos misit in mundum, pure adventum ejus annuntiantes, et voluntatem Patris docentes, in nullo communicantes neque gentium, neque Judæorum doctrinæ; multo magis in Pleromate exsistens, prædicatores proprios destinasset, annuntiantes in hunc mundum futurum (12) adventum ejus, in nullo communicantes iis prophetiis, quæ (13) sunt a Demiurgo. Si autem, cum esset intra Pleroma, usus est iis prophetis qui erant secundum legem, et per eos ostendit quæ sunt sua; multo magis, cum huc venisset, his ipsis usus fuisset magistris, et per eos annuntiasset nobis Evangelium. Jam igitur non Petrum et Paulum, et reliquos apostolos dicant annuntiasse veritatem, sed Scribas, et Pharisæos, et reliquos per quos lex annuntiabatur. Si autem suos in suo adventu proprios apostolos emisit in spiritu veritatis, et non in spiritu erroris; hoc idem ipsum et in prophetis fecit: semper enim idipsum Verbum Dei. Et si quidem de principalitate Spiritus fuit, secundum regulam ipsorum, Spiritus lucis, et Spiritus veritatis, et Spiritus perfectionis, et Spiritus agnitionis; is vero, qui a Demiurgo, fuit spiritus ignorantiæ, et diminutionis, et erroris, et umbræ progenies; quemadmodum in uno et eodem potuit esse perfectio et diminutio, agnitio et ignorantia, error et veritas, lux et tenebræ? Si autem in prophetis impossibile erat hæc ita esse, sed ab uno Deo verbum Domini præconabant, et adventum Filii ejus annuntiabant; multo magis Dominus ipse nunquam modo quidem de principali, modo vero de subjecta deminoratione fecisset sermones, et agnitionis et ignorantiæ simul factus magister; nec unquam modo quidem mundi fabricatorem, modo autem eum, qui super hunc est, glorificaret Patrem, quemadmodum ipse ait: « Nemo immittit commissuram vestimenti novi in vestimentum vetus, nec mittunt vinum novum in utres veteres [43]. » Igitur aut omnimodo et ipsi abstineant se a prophetis, tanquam a veteribus; et non dicant, eos ab ea novitate, quæ secundum principalitatem est, quædam dixisse, præmissos a Demiurgo: aut rursus arguuntur (14) a Domino dicente, « novum vinum non mitti in utres veteres. »

3. Unde autem semen Matris ipsorum poterat cognoscere ea, quæ erant intra Pleroma, sacramenta, et de his eloqui? Siquidem extra Pleroma exsistens Mater, peperit hoc ipsum semen; quod autem extra Pleroma est, extra agnitionem esse dicunt, quod est ignorantia. Quomodo igitur id, quod erat ignorantia, semen conceptum, agnitionem annuntiare poterat? Aut quemadmodum ipsa Mater, ea quæ erant Pleromatis, cognoscebat sacramenta, informis et infigurata, quasi abortivum projecta foras, et ibi aptata et formata, et ab Horo prohibita interius ingredi, et usque ad consummationem extra Pleroma perseverans, id est extra agnitionem? **277** Rursus autem passionem Domini typum esse dicentes extensionis Christi superioris, qua extensus Horo (15) formavit eorum Matrem; in reliquis arguuntur, non habentes similitudinem typi (16) ostendere. Ubi enim sursum Christus aceto et felle potatus est? aut ubi divisa sunt vestimenta ejus? aut ubi punctus est, et exivit sanguis et aqua? aut ubi guttas sanguinis sudavit? et reliqua quæcunque Domino acciderunt, de quibus dixerunt

[42] Cap. LXIX. [43] Luc. v, 36, 37.

(10) *Audacem.* Deest in Clarom. et Voss.
(11) *Annuntiarent.* Al., *prænuntiarent.*
(12) *Proprios...futurum.* Desunt in Voss.
(13) *Prophetiis, quæ.* Al., *prophetis, qui.*
(14) *Arguuntur.* Edit., *arguentur.*
(15) *Qua extensus Horos.* Ita pro *quam extensus Horos*, vel *hora*, ut corrupte habent omnes codd., emendo, non quidem ullius ms. codicis auctoritate, sed ex ipso Irenæo, qui in aliis locis iisdem verbis et eodem sensu usus est. Nam supra lib. I, cap. 4, n. 1, scribit *misertum* Achamothæ *superiorem Christum, et per crucem extensum, sua virtute formasse formam*, etc. Quæ eadem repetit cap. 7, n. 2, circa med. Extensus igitur Horo *formavit matrem* Achamoth. Et lib. II, cap. 18, n. 3: *Utrum*, inquit, *is qui ab illis affingitur sursum Christus, superextensus Horo, id est fini, et formavit eorum matrem?* Quæ eadem verba sunt quæ hic adhibet: quibus luce clarius demonstratur nostræ lectionis veritas: cum maxime nihil frequentius in mss., uti jam alibi monui, ablativis in accusativos, et vice versa, perperam additis aut omissis abbreviationis notis, commutatis; ac proinde proclive fuerit scribere, *quam Horon*, pro *qua Horo*.
(16) *Non habentes.... typi.* Particulam *jam* his vocibus præfixam omisi cum Clarom. et Voss., quorum insuper auctoritate *typi* pro *typum* cum Grabio posui.

Digitized by Google

prophetæ. Unde ergo ne vis quæ tunc quidem nondum evenerant (17), incipiebant autem evenire, aut Mater, aut semen ejus divinavit?

4. Adhuc etiam super hæc dicunt quidem a principalitate quædam dicta, confutati ab iis, quæ in Scripturis de Christi adventu referuntur. Quæ autem sint hæc (18), non jam unum sentiunt, sed alii alia de his ipsis respondent. Si quis enim experimentum eorum volens accipere, separatim interroget de aliquo sermone eos, qui excellentes sint apud eos; inveniet alium quidem dicentem de Propatore, id est de Bytho, esse id quod interrogetur; alium vero de Initio omnium, id est, de Unigenito; alterum vero de Patre omnium, hoc est de Verbo (19); alter rursus dicet de uno Æone eorum, qui sunt in Pleromate Æones, dici; alii autem de Christo, et alius de Salvatore. Qui autem illorum peritior est, posteaquam multum tacens protraxerit, de Horo ait dictum esse; alius vero eam, quæ est intra Plenitudinem, Sophiam significari; alius vero illam, quæ extra Plenitudinem est, Matrem annuntiari; et alius mundi fabricatorem Deum (20) dicet. Tantæ sunt de uno inter eos diversitates, de iisdem Scripturis varias habentes sententias; et uno eodemque sermone lecto, universi obductis supercilliis agitantes (21) capita, valde quidem altissime se habere sermonem dicunt, non autem omnes capere magnitudinem ejus intellectus, qui ibidem continetur; et propter hoc, silentium maximam rem esse apud sapientes. Oportere (22) enim eam, quæ sit sursum, Sigen, per id quod est apud eos silentium, deformari. Sic autem abeunt omnes, quotquot sunt, tantas de uno gestantes sententias, in abscondito ferentes secum sua acumina. Cum igitur inter eos convenerit de iis quæ in Scripturis sunt prædicta, tunc et a nobis confutabuntur. Non enim bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes. Nos autem unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes, unum Deum scientes, factorem hujus universitatis, qui prophetas misit, qui eduxit populum de terra Ægypti, qui in novissimis temporibus Filium suum manifestavit, uti confunderet incredulos, et exquireret justitiæ fructum.

CAPUT XXXVI[44].

Ab uno et eodem Patre missos esse prophetas, a quo et Christus missus est.

1. Quem enim non confutat Dominus, neque ab altero dicere prophetas, nisi a Patre ejus, neque ab alia et alia substantia (23), sed ab uno et eodem Patre, neque alium aliquem ea quæ sunt in hoc mundo fecisse, nisi suum Patrem, docens sic: « Homo erat quidam paterfamilias, et plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam colonis, et peregre profectus est. Cum autem appropinquasset tempus fructuum, misit servos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus suis. Et coloni, apprehensis servis, unum quidem ceciderunt, alium autem lapidaverunt, alium vero occiderunt. Iterum misit alios servos plures prioribus; et fecerunt eis similiter. Novissime autem misit eis filium suum unicum (24), dicens: Forte verebuntur (25) filium meum. Coloni vero cum vidissent filium dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus: et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt eum. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet colonis illis? Et dixerunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis colonis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Iterum dicit Dominus: Nunquam legistis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factus est, et est mirabilis (26) in oculis nostris. Propter quod dico vobis, quoniam auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus (27) ejus[45]. » Per quæ ostendit manifeste discipulis suis unum quidem et eumdem patremfamilias, hoc est Deum Patrem, qui per seipsum omnia facit: varios vero agricolas, quosdam quidem contumeliosos, et superbos, et infructuosos, et 278 Domini interfectores; quosdam vero cum omni obedientia reddentes fructus temporibus suis: et eumdem hunc patremfamilias, aliquando quidem mittentem servos, aliquando quidem Filium suum. A quo igitur Patre missus (28) est Filius ad eos colonos, qui interfecerunt eum, ab hoc et servi. Sed Filius quidem quasi a Patre veniens principali auctoritate, dicebat: « Ego autem dico vobis[46]: »

[44] Cap. LXX. [45] Matth. XXI, 33 et seqq. [46] Matth. V, 22, 28, et seqq.

(17) *Evenerant.* Al. *venerant.*

(18) *Quæ autem sint hæc.* Scilicet, *a principalitate dicta.*

(19) *De Patre omnium, hoc est de Verbo.* Verbum dicebant Valentiniani *Patrem omnium eorum, qui post se futuri essent, et initium et formationem universi Pleromatis,* sup. lib. I, cap. 50, n. 1.

(20) *Deum.* Voss. *Dominum.*

(21) *Agitantes.* Feuard. et Grab., *gyrantes.*

(22) *Oportere.* Alii, *oportet.*

(23) *Ab alia et alia substantia.* Ita Grab. ex cod. Voss. In Clarom., *ab alia substantia.* In aliis, *ab aliqua alia substantia.*

(24) *Filium suum unicum.* Sic vetus Italica, juxta quam fere citatur hic Evangelii locus. Nam in aliis Matthæi codd. haud legitur ἴνα, *unicum,* ut nec ἴσως *forte,* quod mox sequitur.

(25) *Verebuntur.* Clarom. *reverebuntur.*

(26) *Factus est, et est mirabilis.* Ita antiquiores et melioris notæ codd. Clarom., Voss. et ex parte Arund., in quo *mirabilis:* quorum lectionem sequor, non quod Græco Evangelii textui magis consentaneam credam; sed quod genuinam Irenæi interpretis lectionem esse putem, qui hactenus, ut monui, veterem Italicam secutus est, quæ sic habet. Alia exemplaria cum Vulgata nostra habent: *Factum est istud, et est mirabile.*

(27) *Fructus.* Al., *fructum.*

(28) *Missus.* Feuard. in marg. et Voss., *emissus.*

Digitized by Google

servi autem quasi a Domino serviliter; et propter hoc dicebant : « Hæc dicit Dominus. »

2. Quem igitur illi Dominum præconabant incredulis, hunc Christus tradidit his qui obediunt sibi : et qui priores, sive primum per servilem legisdationem, vocaverat Deus, hic posteriores, sive postea per adoptionem, assumpsit. Plantavit enim Deus vineam humani generis, primo quidem per plasmationem Adæ, et electionem Patrum : tradidit autem colonis per eam legi-dationem, quæ est per Moysen : sepem autem circumdedit, id est circumterminavit eorum culturam (29); et turrim ædificavit, Jerusalem elegit : et torcular fodit, receptaculum prophetici Spiritus præparavit : et sic prophetas misit antequam esset in Babylonem transmigratio, et post transmigrationem alteros iterum, plures quam priores, expetentes fructus, dicentes illis (30) : « Emundate vias vestras, et mores vestros[47] (31); judicium justum judicate, et misericordiam et miserationem facite unusquisque ad fratrem suum : in viduam, et orphanum, et proselytum, et pauperem ne exercueritis potentatum, et unusquisque malitiæ fratris sui ne recordemini in cordibus vestris[48], et jusjurandum falsum nolite diligere[49]. Lavamini, mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris, discite benefacere, exquirite judicium, defendite vim patientem, judicate pupillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus[50]. » Et rursum : « Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et sequere (32) eam[51]. » Hæc præconantes prophetæ, fructum petebant justitiæ. Non credentibus autem illis, novissime misit Filium suum, misit Dominum (33) nostrum Jesum Christum, quem cum occidissent mali coloni, projecerunt extra vineam. Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum aliis colonis, reddentibus fructus temporibus suis, turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim præclara est Ecclesia, et ubique circumfossum torcular : ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum. Quoniam enim Filium Dei reprobaverunt, et projecerunt (34) eum, cum eum occidissent, extra vineam, juste reprobavit eos Deus, et extra vineam exsistentibus gentibus dedit fructificationem culturæ. Quemadmodum et Jeremias propheta ait : « Reprobavit Dominus, et abjecit gentem facientem hæc : quoniam fecerunt filii Juda malignum in conspectu meo, dicit Dominus[52]. » Similiter autem Jeremias : « Constitui super vos exploratores (35) : Audite vocem tubæ; et dixerunt : Non audiemus. Propter hoc audierunt gentes, et qui pascunt pecora in eis[53]. » Unus ergo et idem Deus Pater, qui plantavit vineam, qui populum eduxit, qui prophetas misit, qui Filium suum misit, qui vineam dedit aliis colonis, his qui reddunt fructus (36) in temporibus suis.

3. Et propter hoc dicebat Dominus discipulis suis, bonos operarios nos præparans : « Attendite vobis et vigilate semper in omni tempore (37), ne quando graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus sæcularibus, et repente assistat super vos dies illa. Superveniet enim quasi laqueus super omnes sedentes super faciem terræ[54]. Sint igitur lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes (38), et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum[55] (39). Quomodo enim factum est in diebus Noe : manducabant et bibebant, et emebant et vendebant, nubebant et nubebantur, et non scierunt, quoadusque intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Et quemadmodum factum est in diebus Lot : manducabant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant, quoadusque (40) exivit Lot a Sodomis : pluit ignem de cœlo, et perdidit omnes : sic erit et in adventu Filii hominis[56]. Vigilate igitur, quoniam nescitis qua die Dominus vester veniet[57]. » Unum et eumdem annuntians Dominum, qui in temporibus Noe propter inobedientiam hominum superduxit (41) diluvium, et temporibus Lot propter multitudinem peccatorum Sodomitarum pluit ignem a cœlo, et in novissimo (42) propter hanc eamdem inobedien-

[47] Jerem. VII, 3. [48] Zach. VII, 9, 10. [49] Zach. VIII, 17. [50] Isa. I, 16 et seqq. [51] Psal. XXXIII, 14, 15. [52] Jerem. VII, 29, 30. [53] Jerem. VI, 17, 18. [54] Luc. XXI, 34, 35. [55] Luc. XII, 35, 36. [56] Luc. XVII, 26 et seqq. [57] Matth. XXIV, 42.

(22) *Circumterminavit eorum culturam.* Id est, ut recte explicat Grab., terræ sanctæ finibus conclusit.

(30) *Illis. Hæc dicit Dominus omnipotens*, addiderunt recentiores ex sacris Bibliis : sed melius omittunt Claromont. et Voss. In Arund. vero deest solum *omnipotens*.

(31) *Et mores vestros.* Hæc pariter desunt in Clarom. ut et, *ad fratrem suum;* tum : *et unusquisque;* ac demum omnia hæc : *jusjurandum.... a cordibus vestris.*

(32) *Sequere.* Editt., *persequere.*

(33) *Misit Filium suum, misit Dominum.* Ita Clarom. et Voss. Cæteri, *Filium suum misit Dominum.*

(34) *Projecerunt.* Al., *ejecerunt.*

(35) *Exploratores.* Vocem *dicentes* quæ sequitur in editt. expunxi auctoritate Clarom. et sacri textus.

(36) *Fructus.* Al., *fructum.*

(37) *Et vigilate semper in omni tempore.* Hæc non leguntur in nostris Evangelii codd.

(38) *Ardentes.* In Eras., Gall. et Feuard. addita leguntur : *in manibus vestris.* Sed ea post Grabium expunxi, quia nec in Clarom., Arund., Voss., Merc. 1, neque in Græco S. Lucæ cod. exstant, sed ex Latina Vulgata hic inserta sunt.

(39) *Dominum suum.* Hæc, *quando revertatur a nuptiis*, quæ addita leguntur in editt., iterum expunxi auctoritate Clarom., Arundel., Voss. et Merc. 1. Nec refert quod inferius cap. 37, n. 3, occurrant in omnibus codd., nam hic Irenæus totum hunc Lucæ contextum allegare videtur ex memoria : plura siquidem addit, vel omittit, contra atque legitur in Lucæ codd.

(40) *Quoadusque.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii cum Vulgata, *qua die.*

(41) *Superduxit.* Eras., Gall. et Feuard. *superinduxit.*

(42) *Et in novissimo. Tempore* quod addunt editi.

Digitized by Google

tiam et similia peccata, superducet diem judicii : in quo ait, tolerabilius Sodomis et Gomorrhis futurum, quam civitati (43) et domui (44), quæ non receperit verbum apostolorum ejus. « Et tu, Capharnaum, » dicebat, « nunquid usque ad cœlum exaltaberis (45)? Usque ad inferos descendes. Quoniam si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, mansissent usque in hodiernum diem. Verumtamen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis in die judicii quam vobis [48]. »

4. Unum (46) et idem cum semper sit Verbum Dei; credentibus quidem ei fontem aquæ in vitam æternam dans, infructuosam vero fici arborem arefaciens statim (47) : et temporibus **279** Noe (48) diluvium inducens, uti exstingueret pessimum genus eorum, qui tunc erant homines, qui jam fructificare Deo non poterant, cum angeli transgressores commisti fuissent eis; et ut peccata eorum compesceret, servaret vero arcæ typum, Adæ plasmationem (49) : et temporibus Lot qui pluit (50) super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur de cœlo, « exemplum justi judicii Dei [49], » ut cognoscerent omnes, quoniam « omnis arbor quæ non facit fructum bonum (51), excidetur, et in ignem mittetur [50] : » et in universali judicio tolerabilius Sodomis utens, quam his qui viderunt ejus virtutes quas faciebat, et non crediderunt in eum, neque receperunt ejus doctrinam. Quemadmodum enim majorem dedit gratiam per suum adventum his qui crediderunt ei, et faciunt ejus voluntatem; sic et majorem in judicio habere pœnam eos qui non crediderunt ei, significavit, justus exsistens super omnes æqualiter, et quibus plus dedit, plus ab eis exacturus : plus autem, non quod alterius Patris agnitionem ostendit, sicut per tot et tanta ostendimus; sed quia majorem donationem paternæ gratiæ per suum adventum effudit in humanum genus.

5. Si cui autem non sufficiunt quæ prædiximus, ad credendum ab uno et eodem Patre prophetas missos esse, a quo et Dominus noster missus est, aperiens autem os cordis sui, et Christum Jesum Dominum magistrum invocans (52), audiat dicentem eum : « Simile esse (53) regnum cœlorum regi nuptias facienti filio suo, et mittenti servos suos ad conrogandum (54) eos, qui vocati fuerunt ad nuptias. » Et illis nolentibus obedire : « Iterum, » ait, « alios servos misit, dicens : Dicite his qui sunt vocati : Venite, prandium meum paravi, tauri mei et omnia saginata occisa et omnia parata sunt; venite ad nuptias. Illi autem abierunt negligentes eum, alii quidem in agrum suum; alii autem in negotiationem suam; reliqui vero arripuerunt servos (55), et alios quidem contumeliose tractaverunt, alios vero occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et mittens exercitus suos, perdidit interfectores illos, et civitatem eorum succendit, et dixit servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, vocati vero non fuerunt digni. Exite (56) igitur ad exitus viarum, et quotquot inveneritis, congregate ad nuptias. Et exeuntes servi ejus congregaverunt omnes quotquot invenerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ a discumbentibus (57). Introiens autem rex videre recumbentes, vidit ibi hominem non vestitum indumentum nuptiarum (58), et dicit ei : Amice, quomodo venisti huc, non habens indumentum nuptiarum? Illo autem obmutescente, dixit rex ministris : Tollite eum a pedibus et manibus (59), et mittite eum in tene-

[48] Matth. xi, 23, 24. [49] II Thess. i, 5. [50] Matth. iii, 10.

delevi auctoritate Clarom., Voss. et Arund., quia præter quam quod vox ea satis subintelligitur, addita a quopiam videtur explicationis causa.

(43) *Civitati. Illi* huic voci præfixum omisi cum Clarom. et Voss.

(44) *Et domui.* Desunt in Arund.

(45) *Nunquid usque ad cœlum exaltaberis?* Sic utraque Vulgata, nostra videlicet, et vetus Italica; imo et mss. quidam, sed pauci, codd. Græci. Sed editi sonant, *quæ usque in cœlum exaltaris.*

(46) *Unum.* Ita vetus Feuard. cod., Clarom. et Voss. Reliqui, *unus.*

(47) *Statim. Et* huic voci male præfixum delevi auctoritate Clarom. et Voss.

(48) *Noe. Juste* additum in editt. Arund. et Merc. 2.

(49) *Servaret vero arcæ typum, Adæ plasmationem. Servaret* ex Arund. posuit Grab. pro *servare*, ut editt. habent, vel *servaretur*, uti Clarom., Voss. et Feuard. in marg. Addit vir doctissimus vocem aliquam hic excidisse, et *per arcæ typum* legendum esse; quod probabilitate non vacat. Has tamen voces, *arcæ typum*, nonnihil suspectas habeo, vereorque ut ab imperitis amanuensibus scriptæ sint, pro *archetypum*; quod ad hunc locum apprime quadraret. Sed donec suffragetur ms. aliquis cod., vulgata lectio in sensum satis commodum trahi potest, modo conjunctionem *et* ante *Adæ* suppleas, et *servaret* ad utrumque membrum referas, quamvis non eadem omnino significatione. Sensus nimirum erit, Deum induxisse diluvium, tum *ut peccata hominum compesceret*, tum *ut servaret arcæ typum*, id est servaret, seu exhiberet in arca typum futuri baptismi, qui juxta D. Petrum ep. I, cap. III, 20 et seqq., per arcam Noe præsignificabatur; tum denique ut servaret *Adæ plasmationem*, ne penitus interiret.

(50) *Pluit.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. In Merc. 2, *pluerit*; in aliis *pluerat.*

(51) *Bonum.* Deest in Eras., Gall., Clarom., Arund. et Merc. 2.

(52) *Os... invocans.* Ita pro *aures... advocans* posui ex Feuard. marg., Clarom. et Voss.

(53) *Simile esse.* Sic Clarom. et Voss. Alii, *simile est.*

(54) *Conrogandum.* Ita Clarom., Arund. et Merc. 1. Cæteri, *congregandum.*

(55) *Servos. Ejus* quod in editt. additum legitur, omisi cum Clarom. et om. Anglic., quamvis in sacro textu occurrat.

(56) *Exite.* Sic Clarom. et Voss. Alii, *ite.*

(57) *A discumbentibus.* Præpositionem *a* addidi ex Clarom., et sic pariter legit Lucifer Calarit. lib. II pro S. Athanasio.

(58) *Indumentum nuptiarum.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. juxta Græcum, ἔνδυμα γάμου. In Arund., *indumento nuptiarum.* In cæteris, *veste nuptiali.*

(59) *Tollite eum a pedibus et manibus.* Sic cum Irenæo, aut ejus interprete, legit Lucifer Calarit.

Digitized by Google

bras, quæ sunt exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi [61]. » Manifeste enim et per hæc verba sua ostendit Dominus omnia, et quoniam unus Rex et Dominus omnium Pater, de quo et antea dixit : « Neque in Hierosolyma jures, quoniam civitas est magni Regis [62]. » Et quoniam ab initio nuptias præparavit Filio suo (60), et propter immensam benignitatem per servos suos vocabat priores ad convivium nuptiarum ; et ubi illi noluerunt obedire, rursus alios servos misit convocans eos, neque sic obedierunt ei, sed et eos qui vocationem annuntiabant, lapidaverunt et occiderunt : illos quidem perdidit mittens exercitus suos, et civitatem (61) illorum succendit ; et ex omnibus autem viis, id est, ex universis gentibus ad convivium nuptiarum Filii sui convocavit, quemadmodum et per Jeremiam ait : « Et misi ad vos servos meos prophetas, dicere : Avertimini unusquisque a via nequissima, et meliora facite opera vestra [63]. » Et rursus per eumdem : « Et misi, » inquit, « ad vos omnes servos meos prophetas inter diem et ante lucem, et non obedierunt mihi, neque intenderunt aures ipsorum. Et dices eis hunc sermonem : Hoc genus, quod non obedivit voci Domini, neque recepit disciplinam ; defecit fides ex ore ipsorum [64]. » Qui igitur nos per apostolos undique vocavit Dominus, hic per prophetas vocabat eos qui olim fuerunt, quemadmodum ex sermonibus Domini ostenditur : et non ab alio quidem prophetæ, ab alio autem apostoli, etiamsi variis gentibus præconabant ; sed ab uno et eodem, alii quidem Dominum annuntiabant, alii autem Patrem evangelizabant : et alii quidem adventum prænuntiabant Filii Dei, alii vero præsentem eum jam his qui longe erant, præconabant.

6. Adhuc etiam manifestavit oportere nos cum vocatione (62) et justitiæ operibus adornari, uti requiescat super nos Spiritus Dei. Hoc est (63) enim indumentum nuptiarum, de quo et Apostolus ait : « Nolumus exspoliari, sed superindui, uti absorbeatur mortale ab immortalitate [64*]. » Qui autem vocati quidem sunt ad cœnam Dei, et propter malam suam conversationem non perceperunt Spiritum sanctum, « projicientur, » inquit, « in tenebras exteriores [65]. » Manifeste ostendens, quod idem ipse Rex, qui convocaverit undique fideles ad nuptias Filii sui, et incorruptibile convivium donaverit, jubeat mitti in tenebras exteriores 280 eum, qui non habet (64) indumentum nuptiarum, hoc est contemptorem. Quemadmodum enim in priori testamento « non in multis illorum bene sensit [66] ; » sic et hic « multi vocati, pauci electi [67]. » Non alius igitur qui judicat Deus, et alius qui convocat ad salutem, Pater : nec alius qui æternum lumen donat, alius vero qui jubet in exteriores mitti tenebras eos, qui non habent indumentum nuptiarum. Sed unus et idem Dominus (65) Pater Domini nostri, a quo et prophetæ missi sunt : indignos quidem convocans propter immensam benignitatem ; eos vero qui convocati sunt inspiciens, si conveniens habeant indumentum, et congruens nuptiis Filii sui : quoniam nihil inconveniens, neque malum placet ei. Quemadmodum Dominus dixit ei qui curatus fuerat : « Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat [68]. » Qui enim est bonus, et justus, et mundus, et immaculatus, neque malum aliquid, neque injustum, neque abominandum in suo sponsali thalamo sustinebit. Est autem hic Pater Domini nostri, cujus providentia constant omnia, et jussu administrantur omnia : et gratuito quidem donat in quos oportet, secundum autem meritum dignissime distribuit adversus (66) ingratos et non sentientes (67) benignitatem ejus, justissimus retributor : et propterea ait : « Mittens exercitus suos perdidit interfectores illos, et civitatem illorum incendit [69]. » Exercitum (68) autem ejus inquit, quia omnes homines Dei : « Domini » enim « est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum (69), et omnes qui habitant in ea [70]. » Et propter hoc Paulus apostolus in ea Epistola quæ est ad Romanos, ait : « Non enim est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ (70) sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi (71) damnationem sibi acquirunt (72). Principes enim non sunt timori bono operi,

[61] Matth. XXII, 2, et seqq. [62] Matth. V, 35. [63] Jerem. XXXV, 15. [64] Jerem. VII, 25 et seq. [64*] II Cor. V, 4. [65] Matth. XXII, 13. [66] I Cor. X, 5. [67] Matth. XXII, 14. [68] Joan. V, 14. [69] Matth. XXII, 7. [70] Psal. XIII, 1.

lib. II pro S. Athanasio, nisi quod omittat præpositionem *a*. Frustra igitur Grabius textum Irenæi hic corruptum esse suspicatur, et forte solam primam litteram *a* vocis *alligatum* remansisse.

(60) *Filio suo*. Desunt in Eras. et Gall.

(61) *Civitatem*. Al., *civitates*.

(62) *Oportere nos cum vocatione*. Sic Clarom., nisi quod *cum* pro *cum* incuria scribæ habeat, ut et Voss., Eras., Gall. et Feuard. At in Arund. et Merc. 2 recte exaratum *cum*. In Eras. et Gall., præterea deest *nos* ; quod addidit quidem Feuard., sed præpostero ordine. Id nimirum vult Irenæus, necesse esse, præter vocationem, et justitiæ operibus adornemur, ut requiescat super nos Spiritus Dei.

(63) *Hoc est*. *Hoc* omittunt Clarom. et Voss.

(64) *Habet*. Editt., *habeat*.

(65) *Dominus*. Editt., *Deus*.

(66) *Distribuit adversus*. Eras., Gall. et Merc. 2, *attribuit in*. Consonat Arund. quoad vocem *in*.

(67) *Sentientes*. Merc. 2, *scientes*.

(68) *Exercitum*. Editt. cum Merc. 2, *exercitus*.

(69) *Terrarum*. Eras. et Gall., *terræ*.

(70) *Ordinatæ*. Ita Clarom., Arund. et Voss. Juxta sacrum textum. Alii, *ordinata*.

(71) *Ipsi*. Deest in Eras. et Gall.

(72) *Acquirunt*. Grab. ex Merc. 2, *acquirent* ; sed minus recte. Hic enim interpres non textum Græcum sequitur, sed veterem Italicam, quæ habet *acquirunt*, uti videre est in vetustissimo nostro codice San-Germanensi, jam non semel laudato.

Digitized by Google

sed malo (73). Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex ea : Dei enim minister est tibi ad bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque subjecti estote, non tantum propter iram, sed et propter conscientiam. Propter hoc enim et tributa penditis : ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes [71]. » Sed et Dominus igitur et apostoli unum Deum Patrem annuntiant (74) eum, qui legisdationem fecit, qui misit prophetas, qui omnia fecit : et propter hoc ait : « Mittens exercitus suos : » quoniam omnis homo, secundum quod est homo, plasma ipsius est, licet ignoret Deum suum. Omnibus enim ut sint præstat, qui « solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos [72]. »

7. Et non solum per ea quæ prædicta sunt, sed et per parabolam duorum filiorum, quorum minor (75) luxuriose consumpsit substantiam, vivens cum fornicariis [73], unum et eumdem docuit Patrem, majori quidem filio ne hædum quidem indulgentem ; propter eum autem qui perierat, minorem filium suum, jubentem occidi vitulum saginatum, et primam ei stolam donantem.

Διὰ τῆς παραβολῆς (76) τῶν ἐργατῶν διαφόροις καιροῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα πεμφαμένων, οὓς καὶ αὐτὸς (77) ὁ οἰκοδεσπότης δείκνυται, κεκληκὼς τοὺς μὲν... ἐν ἀρχῇ τῆς τοῦ κόσμου κατασκευῆς, ἑνίους δὲ μετὰ τοῦτο, καὶ ἑτέρους μετὰ τὴν μεσοχρονίαν, ἄλλους δὲ προκοπτόντων ἤδη καιρῶν, καὶ ἐν τῷ τέλει πάλιν ἄλλους · ὥστε εἶναι πολλοὺς μὲν τοὺς ἐργάτας κατὰ τὰς ἑαυτῶν γενεάς, ἕνα δὲ τὸν συγκαλούμενον αὐτοὺς οἰκοδεσπότην. Καὶ γὰρ ἀμπελὼν εἷς, ὅτι καὶ μία δικαιοσύνη · καὶ εἷς οἰκονόμος, ἓν γὰρ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, τὸ διέπον τὰ πάντα · ὁμοίως δὲ καὶ μισθός (79)· πάντες γὰρ ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον, ἔχον εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν τοῦ βασιλέως, τὴν γνῶσιν τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἥτις ἦν ἀφθαρσία · καὶ διὰ τοῦτο ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἤρξατο δι-δόναι τὸν μισθὸν, ὅτι ἐπ' ἐσχάτων καιρῶν φανερωθεὶς ὁ Κύριος τοῖς πᾶσιν ἑαυτὸν ἀποκατέστησε.

Et per parabolam autem eorum operariorum, qui variis temporibus in vineam mittebantur [74], unus et idem Dominus ostenditur : vocans alios quidem statim in initio mundi fabricationis ; alios vero post hoc; et alios circa medietatem temporum; et alios progressis jam temporibus ; item alios in fine : ut sint quidem multi operarii secundum sua ipsorum tempora, unus autem (78) qui convocat eos, paterfamilias. Etenim vinea una, quoniam et una justitia : et unus dispensator; unus enim Spiritus Dei, qui disponit omnia : similiter autem et merces una; omnes enim acceperunt singulos denarios, imaginem (80) et inscriptionem regis, agnitionem Filii Dei quæ est incorruptela. Et propter hoc a novissimis cœpit dare mercedem, quoniam in novissimis temporibus manifestatus Dominus, omnibus (81) semetipsum repræsentavit.

8. Et publicanus autem qui in oratione Pharisæum superavit [75] ; non quoniam alterum Patrem adorabat, testimonium accepit a Domino, quod sit magis justificatus : sed quoniam cum magna humilitate, sine extollentia et sine jactantia, exhomologesin eidem Deo faciebat. Et duorum autem filiorum parabola [76], eorum qui in vineam mittuntur, quorum alter quidem contradixit patri, et postea pœnitetur (82), quando nihil profuit ei pœnitentia ; alter autem pollicitus est abire, statim promittens patri, non abiit autem (quoniam « omnis homo mendax [77]; » et velle quidem in promptu adjacet, 281 non invenit autem perficere [78]), unum et eumdem ostendit Patrem. Sed et arboris fici parabola, de qua Dominus ait : « Ecce, jam triennium venio, quærens fructum in hac arbore fici, et non invenio [79]; » per prophetas adventum suum significans, per quos venit aliquoties exquirens justitiæ fructum ab eis, quem non invenit, aperte manifestavit, et quoniam excidetur arbor fici propter prædictam causam. Et sine parabola autem dicebat ad Jerusalem Dominus : Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas (83), et noluisti ? Ecce remittitur (84) vobis domus vestra deserta [80]. » Quod enim per parabolam dictum fuerat : « Ecce, triennium venio quærens fructum ; » et manifeste iterum : « Quoties volui colligere filios tuos ; » si non

[71] Rom. XIII, 1 seqq. [72] Matth. V, 45. [73] Luc. XV, 11 seqq. [74] Matth. XX, 1 seqq. [75] Luc. XVIII, 10 seqq. [76] Matth. XXI, 28 seqq. [77] Psal. CXV, 2. [78] Rom. VII, 18. [79] Luc. XIII, 6 seqq. [80] Ibid. 34 seq., et Matth. XXIII, 37.

(73) *Bono operi, sed malo.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. et Arund. (nisi quod in hoc oscitans scriba posuerit *operis* pro *operi*) cum Paulino nostro codice, imo et mss. quibusdam Græcis. At alii Irenæi codd. cum Vulgata habent : *boni operis, sed mali.*

(74) *Annuntiant.* Al., *annuntiabant.*

(75) *Minor.* Al., *junior.*

(76) *Διὰ τῆς παραβολῆς.* Græca hæc descripsit Nicetas in *Catena Patrum*, ad Matth. XX, p. 635.

(77) *Οὓς καὶ αὐτός.* Ex veteri versione legi, εἷς καὶ αὐτός.

(78) *Unus autem. Est* male addidit hic Feuard.

(79) *Καὶ μισθός.* Ex Latina versione supple εἷς.

(80) *Denarios, imaginem.* Ex Græco lege : *denarios, habentes imaginem.* Nempe excidit participium *habentes*, idque cum sensus dispendio.

(81) *Manifestatus Dominus, omnibus.* Ita Eras., Gallas., Grab., Arund. et Merc. 2, juxta Græcum. Sed in Feuard., Clarom., et Voss. legitur : *manifestatus est Dominus, et omnibus.*

(82) *Pœnitetur.* Activa significatione pro *pœnitet.*

(83) *Alas.* Arund., *axillas.*

(84) *Remittitur.* Ita juxta Græcum ἀφίεται, codd.

Digitized by Google

hujus adventum, qui per prophetas est, intelligamus, erit mendacium : siquidem semel, et tunc primum, venit ad eos. Sed quoniam et patriarchas qui elegit, et nos, idem est Verbum Dei; et illos semper visitans per propheticum Spiritum, et nos qui undique convocati sumus, per suum adventum, super ea quæ dicta sunt, vere hæc dicebat : « Multi ab Oriente et Occasu venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno cœlorum. Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores, illic (85) erit fletus et stridor dentium [81]. » Si igitur hi, qui per præconium apostolorum ejus ab Oriente et Occidente credentes in eum, cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum recumbent, participantes cum eis epulationem ; unus et idem Deus ostenditur, qui elegit quidem patriarchas, visitavit vero populum, gentes vero advocavit.

CAPUT XXXVII [82].

Homines liberos esse, et eligendi facultate præditos; nec proinde quosdam natura bonos, quosdam natura malos esse.

1. Illud (86) autem, quod ait : « Quoties volui colligere (87) filios tuos, et noluisti [83]? » veterem legem libertatis hominis manifestavit : quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia (88) Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Βία Θεῷ (89) οὐ πρόσεστιν, ἀγαθὴ δὲ γνώμη πάντοτε συμπάρεστιν αὐτῷ. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper.

Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis (90), quemadmodum et in angelis (etenim angeli rationabiles) : uti hi quidem qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bono (91), et meritam pœnam percipient ; quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contempserunt. Abjicientes igitur bonum, et quasi respuentes, merito omnes A justum judicium incident Dei, quemadmodum et apostolus Paulus in ea epistola, quæ est ad Romanos, testificatus est dicens ita : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam (92) te adducit? Secundum autem duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibimetipsi iram in die (93) iræ, et revelationis justi judicii Dei. Gloria autem et honor, inquit, omni operanti bonum [84]. » Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola : et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud ; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient (94) Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.

2. Et φύσει (95) οἱ μὲν φαῦλοι, οἱ δὲ ἀγαθοὶ γεγόνασιν, οὐθ' οὗτοι ἐπαινετοί, ὄντες ἀγαθοί, τοιοῦτοι γὰρ κατεσκευάσθησαν· οὐτ' ἐκεῖνοι μεμπτοί, οὕτω γεγονότες. Ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, δυνάμενοί τε κατασχεῖν καὶ πρᾶξαι τὸ ἀγαθὸν, καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ, καὶ μὴ ποιῆσαι· δικαίως καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς εὐνομουμένοις, καὶ πολὺ πρότερον παρὰ Θεῷ, οἱ μὲν ἐπαινοῦνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι μαρτυρίας τῆς τοῦ καλοῦ καθόλου ἐκλογῆς, καὶ ἐπιμονῆς· οἱ δὲ καταιτιῶνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι ζημίας, τῆς τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀποβολῆς. Καὶ διὰ τοῦτο οἱ προφῆται παρῄνουν τοῖς ἀνθρώποις δικαιοπραγεῖν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐξεργάζεσθαι· . . . .

2. [85] Si autem naturaliter quidam boni, quidam vero mali facti fuissent, neque hi laudabiles essent qui (96) boni sunt, tales enim facti (97) fuerant ; sed neque illi vituperabiles, et ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, et potentes retinere et operari bonum, et potentes rursum amittere id, et non facere ; juste etiam apud homines sensatos (98) (quanto magis apud Deum), alii quidem laudantur, et dignum percipiunt testimonium electionis bonæ (99) et perseverantiæ ; alii vero accusantur, et dignum 282 percipiunt damnum, eo quod justum et bonum reprobaverint. Et ideo prophetæ quidem (1)

[81] Matth. VIII, 11, 12. [82] Cap. LXXI. [83] Matth. XXIII, 37. [84] Rom. II, 4 seqq. [85] Cap. LXXII.

Arund. et Voss. Et sic etiam in Clarom. scriptum fuerat : sed recentior quispiam pro *remittitur* scripsit *dimittetur*. In aliis, *relinquetur*.

(85) *Illic*. Edit., *ibi*.

(86) *Illud*. Eras., Gall. et Feuard. male, *aliud*.

(87) *Colligere*. Edit., *congregare*.

(88) *Sententia*. Feuard. in marg., Voss. et Merc. 2, *scientia*.

(89) *Βία Θεῷ*. Hoc Irenæi dictum ex Damasceni *Parallelis* descriptum publici juris fecit Halloixius in *Vita Irenæi* p. 501.

(90) *Posuit autem in homine potestatem electionis*. In cod. Clarom. recentior manus scripsit : *posuit autem in hominis potestatem electionem* : cum antea legeretur, quantum deprehendi potest, ut in edit.

(91) *Non invenientur cum bono*. Ita Feuard., D Voss. et Clarom. (nisi quod hic vitio scribæ habeat *venientur*). Consentit Arund. quoad verbum *invenientur*. In edit., *non inveniuntur cum bonis*.

(92) *Ad pœnitentiam*. Edit., *in pœnitentiam*.

(93) *In die*. Edit., *in diem*.

(94) *Excipient*. Edit., *recipient*.

(95) *Εἰ φύσει*. Græca hujus capitis ex Damasceni *Parallelis* excerpta vulgavit Halloixius in *Vita Irenæi* pag. 504 seq. et ex parte Sirmondus in notis ad Ennodii epistolas pag. 12.

(96) *Qui*. Alias, *quia*.

(97) *Facti*. *Instituti*, in Feuard. marg.

(98) *Homines sensatos*. Græca sonant : *homines bonis legibus utentes*.

(99) *Bonæ*. Græc., *boni per omnia*.

(1) *Prophetæ quidem*. Miror in omnibus mss. hoc

Digitized by Google

. . ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντος τοῦ τοιούτου, καὶ διὰ τὴν πολλὴν ἀμέλειαν εἰς λήθην ἐκπεπτωκότων, καὶ γνώμης δεομένων ἀγαθῆς, ἣν ὁ ἀγαθὸς Θεὸς παρέσχε γινώσκειν διὰ τῶν προφητῶν.

hortabantur homines justitiam agere, bonumque operari (2), sicut per multa ostendimus: quia in nobis sit hoc, et propter multam negligentiam in oblivionem incideri-mus, et consilio egeamus bono, propter quod bonus Deus præstavit (3) bonum consilium per prophetas (4).

A nis potestate; læsionem autem et damnum non quamlibet (7) infert. Et propter hoc Paulus ait: « Omnia licent, sed non omnia expediunt [92]; » et libertatem referens hominis, quapropter et « omnia licent, » non cogente eum Deo; et id, « non expedit (8), » ostendens, ut non ad velamen malitiæ abutamur libertate: non enim hoc expedit. Et iterum ait: « Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo [93]. » Et: « Omnis sermo malus de ore vestro non exeat, aut turpitudo, aut vaniloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet (9), sed magis gratiarum actio [94]. » Et: « Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lumen in Domino: quasi filii lucis honeste ambulate [95]: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus et in libidinibus, B non in ira et zelo [96]. Et hæc quidam (10) fuistis (11), sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri [97]. » Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, et liberæ sententiæ est Deus, cui ad (12) similitudinem factus est; semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum (13) obedientia.

3. Propter hoc autem et Dominus: « Luceat lumen vestrum, » dicebat, « coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et clarificent (5) Patrem vestrum qui in cœlis est [86]. » Et: « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et sollicitudinibus sæcularibus [87]. » Et: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, aperiant ei. Beatus servus ille, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem [88]. » Et iterum: « Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multas [89] (6). » Et: « Quid mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quæ dico [90]? » Et iterum: « Si autem dicat servus in corde suo: Tardat dominus meus; et incipiat cædere conservos, et manducare, et bibere, et inebriari; veniet dominus ejus in die qua non sperat, et dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet [91]. »

5. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suæ potestatis arbitrium hominis (14) servavit Dominus, dicens: « Secundum fidem tuam fiat tibi [92]; » propriam fidem hominis ostendens, C quoniam propriam suam habet sententiam. Et iterum: « Omnia possibilia sunt credenti [93]; » et: « Vade, sicut credidisti, fiat tibi [1]. » Et omnia talia suæ potestatis secundum fidem ostendunt hominem. Et propter hoc is « qui credit ei habet vitam æternam; qui autem non credit Filio, non habet vitam æternam, sed ira Dei manebit super ipsum [2]. » Secundum hanc igitur rationem, et suum proprium bonum ostendens Dominus, et sui arbitrii ac suæ potestatis hominem significans, dicebat ad Jerusalem: « Quoties volui congregare filios tuos, quem-

Ταῦτα γὰρ πάντα τὸ αὐτεξούσιον ἐπιδείκνυσι τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ συμβουλευτικὸν τοῦ Θεοῦ, ... ἀποτρέποντος μὲν τοῦ ἀπειθεῖν αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ βιαζομένου.

Et omnia talia, quæ liberum et suæ potestatis ostendunt hominem, et quia consilio instruat Deus, adhortans nos ad subjectionem sibi et avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens.

4. Etenim ipsum Evangelium si noluerit quis sequi, licet quidem ei, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, et amissio boni est quidem in homi-

[86] Matth. v, 16. [87] Luc. xxi, 34. [88] Luc. xii, 35 seqq. [89] Ibid. 47. [90] Luc. vi, 46. [91] Luc. xii, 45, 46. [92] I Cor. vi, 12; x, 23. [93] Ephes. iv, 25. [94] Ibid. 29; v, 4. [95] Ibid. 8. [96] Rom. xiii, 13. [97] I Cor. vi, 11. [86] Matth. ix, 29. [89] Ibid., 22. [1] Matth. viii, 13. [2] Joan. iii, 36.

irrepsisse vocem *bonum*. Nam in Clarom. et Voss. legitur: *Prophetæ bonum quidem*; in Arund., *bonum quo*; in Merc. 2 similiter, *bonum quoque*. Sed eam vocem a textu ablegandam esse demonstrant tum editi. ac ipsius textus Græci auctoritas, tum ipsa orationis series.

(2) *Bonumque operari*. Alii, *bonum quoque operari*.

(3) *Præstavit*. Al., *præstabit*.

(4) *Per prophetas*. Ita juxta Græcum habent Clarom., Arund., Voss. et Feuard. vetus cod. Sed in Eras. et Gallas. editt. vitiose legitur, *perfectis*. Feuardentius vero utrumque perperam jungens, expressit: *perfectis per prophetas*.

(5) *Clarificent*. Editt., *glorificent*.

(6) *Multas*. Ita Clarom. et Voss. ex Græco πολλάς, scilicet πληγάς. Cæteri, *multis*.

(7) *Non quamlibet*. Græce, οὐ τυχοῦσαν, *non medicam*.

(8) *Et id, non expedit*. Frustra Latinus Latinius in *Biblioth.* p. 184, et post eum Grabius, legendum contendit: *et quod non expedit*; sensus enim est: *et id Apostoli dictum: Non expedit*, etc.

(9) *Pertinet*. Sic mss. omnes (uno excepto Merc.) juxta veterem Italicam. Editi vero, *pertinent*.

(10) *Et hæc quidam*. Ita, juxta Græcum Apostoli textum, scriptum in Clarom. (quamvis recentior aliquis, sed imperitus emendator addiderit *e*, ut legatur *quidem*). Et sic etiam legitur supra cap. 27, n. 4. Reliqui habent: *et hæc quidem*.

(11) *Fuistis*. Eras. et Gall., *fecistis*.

(12) *Cui ad*. Sic Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Merc. 2. Alii, *cujus ad*.

(13) *Ad Deum*. Feuard. in marg., Clarom. et Voss., *a Deo*. Sed rejicienda videtur hæc lectio.

(14) *Hominis*. Ita Clarom. et Voss. Alii, *hominal*.

Digitized by Google

admodum gallina pullos suos sub ascellas (15), et noluisti? Quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta [5]. »

6. Qui autem his contraria dicunt, ipsi impotentem introducunt Dominum, scilicet quasi non potuerit perficere hoc quod voluerit : aut rursum ignorantem natura (16) choicos, ut ipsi dicunt, et eos, qui non possunt accipere ejus incorruptelam. Sed oportebat, inquit, eum neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines qui statim ingrati exsisterent in eum; quoniam rationabiles, et examinatores, et judiciales (17) facti sunt, et non (quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quæ sua voluntate nihil possunt facere, sed cum necessitate et vi ad bonum trahuntur, in quibus unus sensus, et unus mos), inflexibiles (18), et sine judicio, qui 283 nihil aliud esse possunt, præterquam quod facti sunt. Sic autem nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu, et cura, et studio provenisset, sed ultro et otiose insitum : ita ut essent nullius momenti boni, eo quod natura magis quam voluntate tales exsisterent (19), et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem; et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo. Quæ enim fruitio boni apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria his qui non studuerunt illud? Quæ autem corona his qui non eam, ut victores in certamine, consecuti sunt?

7. Et propter hoc Dominus violentum dixit regnum cœlorum : « Et qui vim faciunt, inquit, diripiunt illud [4]; » hoc est, qui cum vi et agone vigilantes instanter, diripiunt illud. Propter hoc autem et Paulus apostolus ait Corinthiis : « Nescitis, quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui agonizatur (20), in omnibus continens est : illi quidem ut corruptibilem accipiant (21) coronam, nos autem incorruptibilem (22). Ego autem sic curro, non in incertum (23) : sic pugno, non quasi aerem cædens; sed lividum facio corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar [6]. » Bonus igitur agonista ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, uti coronemur, et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus. Sed neque similiter diliguntur ea quæ ultro adveniunt, quam illa quæ cum multa sollicitudine adinveniuntur.

Οὐχ ὁμοίως ἀγαπῶται τὰ ἐκ τοῦ αὐτομάτου προσγινόμενα τοῖς μετὰ . . . σπουδῆς εὑρισκομένοις.

Quoniam igitur pro nobis (24) erat plus diligere Deum, cum labore (25) hoc nobis adinvenire Dominus docuit, et Apostolus tradidit. Et alias autem esset videlicet nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum. Sed et videre non in tantum nobis esset desiderabile, nisi cognovissemus quantum esset malum non videre : et bene valere autem male valentis experientia honorabilius efficit; et lucem, tenebrarum comparatio, et vitam, mortis. Sic et cœleste regnum honorabilius est his qui cognoverunt terrenum. Quanto autem honorabilius, tanto magis diligimus illud : et si plus illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum. Pro nobis igitur omnia hæc sustinuit (26) Dominus, uti per omnia eruditi, in omnibus in futurum simus cauti, et perseveremus in omni ejus dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum : Deo quidem magnanimitatem præstante in apostasia hominis; homine autem erudito per eam, quemadmodum et propheta ait : « Emendabit te abscessio tua [6]; » præsciente Deo omnia ad hominis perfectionem, et ad efficaciam (27), et manifestationem dispositionum : uti et bonitas ostendatur, et justitia perficiatur, et Ecclesia ad figuram imaginis Filii ejus coaptetur, et tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis maturescens ad videndum et capiendum Deum.

[5] Matth. XXIII, 37, 38. [4] Matth. XI, 12. [5] 1 Cor. IX, 24 seqq. [6] Jerem. II, 19.

(15) *Ascellas.* Sic Clarom. pro quo Feuard. in marg. et Vossius habent *asselis;* Arund., *ascillis;* reliqui *alas.*

(16) *Natura.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Reliqui perperam, *naturam.* Porro hujusce dilemmatis sensus est, Deum aut *impotentem* esse, qui liberum hominem constituere non potuerit; aut penitus ignorantem eos qui natura choici sunt, seu quæ sit choicorum natura nescientem, qui consilia det eis, quæ tamen fatali necessitate constricti sequi non valeant.

(17) *Judiciales.* Feuard., Grab. et cod. Voss., *judiciabiles.*

(18) *Inflexibiles.* Scilicet *homines.* Ita Feuard. in marg., Clarom. et Voss. Alii, *inflexibilis*, scil. *mos.*

(19) *Exsisterent.* Sic Clarom. (nisi quod oscitans librarius scripserit *existerint*), melius quam alii, *exstiterint.*

(20) *Agonizatur.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. et Arundel. Et sic etiam legi apud Cyprianum lib. *De exhort. Mart.*, cap. 8. et epistola ad martyres et confessores de Mappalico, in omnibus fere mss. notat Pamelius. At edita Irenæi exemplaria habent, *agonizat.* Sed idem est utrjusque verbi sensus.

(21) *Illi... accipiant.* Eras., Gall. et Feuard., *ille ... accipiat.*

(22) *Incorruptibilem.* Eras., Gall. et Merc. 2, *incorruptam.*

(23) *In incertum.* Clarom., *in incerto.*

(24) *Pro nobis.* Græce, ut notat Feuard., μεθ' ἡμῶν, *penes nos.*

(25) *Cum labore.* In edit. Arund., Ottobon. et Merc. 2, *cum agone.*

(26) *Pro nobis igitur omnia hæc sustinuit*, etc. Id est, ut recte explicat Grabius : *Nostræ utilitatis causa hæc ita fieri sustinuit atque ordinavit Deus.*

(27) *Efficaciam.* Sic omnes mss., editi vero, *ædificationem.*

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII [7].

Cur non ab initio perfectus factus est homo.

1. Εἰ δὲ λέγει τις (28) ..... οὐκ ἠδύνατο ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν ἄνθρωπον· γνώτω, ὅτι τῷ μὲν Θεῷ, ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὄντι, καὶ ἀγεννήτῳ ὑπάρχοντι, ὡς πρὸς ἑαυτὸν, πάντα δυνατά· τὰ δὲ.... γεγονότα, καθὸ μετέπειτα γενέσεως ἀρχὴν ἰδίαν ἔσχε, κατὰ τοῦτο καὶ ὑστερεῖσθαι δεῖ αὐτὰ τοῦ πεποιηκότος· οὐ γὰρ ἠδύναντο ἀγέννητα εἶναι τὰ νεωστὶ γεγεννημένα. Καθὸ δὲ μή ἐστιν ἀγέννητα, κατὰ τοῦτο καὶ ὑστεροῦνται τοῦ τελείου. Καθὸ δὲ νεώτερα, κατὰ τοῦτο καὶ νήπια, κατὰ τοῦτο καὶ ἀσυνήθη, καὶ ἀγύμναστα πρὸς τὴν τελείαν ἀγωγήν. Ὡς οὖν ἡ μὲν μήτηρ δύναται τέλειον παρασχεῖν τῷ βρέφει τὸ ἔμβρωμα, τὸ δὲ ἔτι ἀδυνατεῖ τὴν αὐτοῦ πρεσβυτέραν δέξασθαι τροφήν· οὕτω καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸς μὲν οἷός τε ἦν παρασχεῖν ἀπ' ἀρχῆς τῷ ἀνθρώπῳ τὸ τέλειον, ὁ δὲ ἄνθρωπος ἀδύνατος λαβεῖν αὐτό· νήπιος γὰρ ἦν. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν ἐπ' ἐσχάτων τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιωσάμενος εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ἦλθε πρὸς ἡμᾶς, οὐκ ὡς αὐτὸς ἠδύνατο, ἀλλ' ὡς ἡμεῖς αὐτὸν ἰδεῖν ἠδυνάμεθα. Αὐτὸς μὲν γὰρ ἐν τῇ ἀφθάρτῳ αὐτοῦ δόξῃ πρὸς ἡμᾶς ἐλθεῖν ἠδύνατο· ἀλλ' ἡμεῖς οὐδεπώποτε τὸ μέγεθος τῆς δόξης αὐτοῦ

1. Si hoc dicat aliquis: Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum facisse hominem? Sciat, quoniam Deus quidem cum semper sit idem et innatus, quantum ad ipsum est omnia possibilia ei. Quæ autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturæ initium habuerunt, secundum hoc et minora esse oportuit eo qui se fecerit: nec enim poterant infecta esse, quæ nuper facta sunt. Propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et [ideo (29)] deficiunt a perfecto. [8] Secundum enim quod sunt posteriora, secundum hoc et infantilia (30); et secundum quod infantilia, secundum hoc et insueta, et inexercitata ad perfectam disciplinam. Quemadmodum enim mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere **284** escam: sic et Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam: infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster in novissimis temporibus, recapitulans in semetipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos

A βαστάζειν ἠδυνάμεθα. Καὶ διὰ τοῦτο, ὡς νηπίοις, ὁ ἄρτος ὁ τέλειος τοῦ Πατρὸς, γάλα ἡμῖν ἑαυτὸν παρέσχεν, ὅπερ ἦν ἡ κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ παρουσία, ἵνα ὡς ὑπὸ μαστοῦ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τραφέντες, καὶ διὰ τῆς τοιαύτης γαλακτουργίας ἐθισθέντες τρώγειν καὶ πίνειν τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ, τὸν τῆς ἀθανασίας ἄρτον, ὅπερ ἐστὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς, ἐν ἡμῖν αὐτοῖς κατασκεῖν δυνηθῶμεν.

videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili (31) gloria ad nos venire poterat: sed nos magnitudinem gloriæ ipsius portare non poteramus. Et propter hoc, quasi infantibus, ille qui erat panis perfectus Patris (32), lac nobis semetipsum præstavit, quod erat secundum hominem ejus adventus: ut quasi a mamilla carnis ejus enutriti, et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei, et eum qui est immortalitatis panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis continere (33) possimus.

2. Καὶ διὰ τοῦτο Παῦλος Κορινθίοις φησί· « Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα· οὐδὲ γὰρ ἠδύνασθε βαστάζειν· » τουτέστι, τὴν μὲν κατὰ ἄνθρωπον παρουσίαν τοῦ Κυρίου ἐμαθητεύθητε, σὺ δήπου δὲ τὸ τοῦ Πατρὸς Πνεῦμα ἐπαναπαύεται ἐφ' ὑμᾶς, διὰ τὴν ὑμῶν ἀσθένειαν. « Ὅπου γὰρ ζῆλος, καὶ ἔρις, φησὶν, ἐν ὑμῖν, καὶ διχοστασίαι, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε, καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε; » Τουτέστιν, ὅτι οὐδέπω τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ἦν σὺν αὐτοῖς, διὰ ἀκατάρτιστον αὐτῶν καὶ ἀσθενὲς τῆς πολιτείας. Ὡς οὖν ὁ Ἀπόστολος δυνατὸς ἦν διδόναι τὸ βρῶμα (οἷς γὰρ ἂν ἐπετίθουν χεῖρας, ἐλάμβανον Πνεῦμα ἅγιον, ὃ ἐστι βρῶμα ζωῆς), ἐκεῖνοι δὲ ἠδυνάτουν λαβεῖν αὐτὸ, διὰ τὸ ἀσθενῆ ἔτι

2. [9] Et propter hoc Paulus Corinthiis ait: « Lac vobis potum dedi non escam: nondum enim (34) poteratis escam percipere [10]; » id est, eum quidem adventum Domini, qui (35) secundum hominem, didicistis; nondum autem Patris Spiritus requiescit super vos, propter vestram infirmitatem. « Ubi enim zelus et discordia, ait, in vobis, et dissensiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » [11] Hoc est, quoniam nondum Spiritus Patris erat in ipsis (36), propter imperfectionem eorum, et infirmitatem conversationis. Quemadmodum igitur Apostolus poterat dare escam (quibuscunque enim imponebant apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum [12], qui

[7] Cap. LXXIII. [8] Cap. LXXIV. [9] Cap. LXXV. [10] I Cor. III, 2. [11] Ibid. 3. [12] Act. VIII, 17.

(28) *Εἰ δὲ λέγει τις.* Græca hujus capitis exhibet Joannes Damascenus in *Parallelis*: publici vero juris fecit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 484 et seqq.

(29) *Ideo.* Superflua hæc vox expungenda: quare parenthesi inclusi.

(30) *Et secundum quod infantilia.* Hæc desunt in Clarom., Merc. 2 et in textu Græco. In Voss. autem sola vox *infantilia* desideratur. At earumdem vocum repetitionem, cæterarum omittendarum in utroque textu, ut solet, occasionem fuisse puto: quare nihil immutandum esse duxi.

(31) *Inenarrabili.* Græc., *immortali.*

(32) *Patris.* Hanc vocem, licet omissam in veteri Fenardent. cod., Clarom. et Voss., retineo, quia in Græco textu legitur.

(33) *Continere. Eum* huic verbo præfixum auctoritate Voss. et textus Græci recte expunxit Grabius.

(34) *Nondum enim.* Voss. juxta Græcum Damasceni, *non enim.*

(35) *Qui.* Sic pro *quem* (quod manifestum est librariorum erratum, littera *i* male accepta pro *e* cum abbreviationis nota) auctoritate Græci textus emendavi. Supplendum vero verbum *est.*

(36) *In ipsis.* Al., *cum ipsis.*

Digitized by Google

καὶ ἀγύμναστα ἔχειν τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια τῆς πρὸς Θεὸν γυμνασίας· οὕτω καὶ τὴν ἀρχὴν ὁ μὲν Θεὸς δυνατὸς ἦν δι-δόναι τὸ τέλειον τῷ ἀνθρώπῳ, ἐκεῖνος δὲ ἄρτι γεγονὼς, ἀδύνατος ἦν λαβεῖν αὐτὸ, ἢ καὶ λαβὼν χωρῆσαι, ἢ καὶ χωρήσας κατασχεῖν. Καὶ διὰ τοῦτο συνενηπίαζεν Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, τέλειος ὢν, τῷ ἀνθρώπῳ, οὐ δι' ἑαυτὸν, ἀλλὰ διὰ τὸ τοῦ ἀνθρώπου νήπιον οὕτω χωρούμενος, ὡς ἄνθρωπος αὐτὸν χωρεῖν ἠδύνατο. Οὐ περὶ τὸν Θεὸν μὲν τὸ ἀδύνατον καὶ ἐνδεὲς, ἀλλὰ περὶ τὸν νεωστὶ γεγονότα ἄνθρωπον, ὅτι μὴ ἀγέννητος ἦν.

est esca vitæ); illi autem non poterant accipere illud, quoniam infirmum adhuc et inexercitabilem sensum (37) erga Deum conversationis habebant: sic et initio Deus quidem potens fuit dare perfectionem homini; ille autem nunc nuper factus non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum est homini (38) Verbum Dei, cum esset perfectus, non propter se, sed propter hominis infantiam sic capax (39) effectus, quemadmodum homo illum capere potuit. Non igitur erga Deum impossibile et indigens, sed circa eum qui nunc nuper factus est homo; quoniam non infectus erat (40).

A

B

5. Περὶ τὸν Θεὸν (41) δύναμις ὁμοῦ, καὶ σοφία, καὶ ἀγαθότης, δείκνυται· δύναμις μὲν καὶ ἀγαθότης ἐν τῷ τὰ μηδέπω ὄντα ἐκουσίως κτίζειν τε καὶ ποιεῖν· σοφία δὲ, ἐν τῷ εὔρυθμα, καὶ ἐμμελῆ, καὶ ἐγκατασκεύαστα, γεγονότα πεποιηκέναι. Ἄτινα διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτοῦ ἀγαθότητα αὔξησιν προσλαβόντα, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐπιμένοντα, ἀγεννήτου δόξαν ἀποίσεται, τοῦ Θεοῦ ἀφθόνως χαριζομένου τὸ καλόν. Κατὰ μὲν τὸ γεγεννῆσθαι αὐτὰ, οὐκ ἀγέννητα· κατὰ δὲ τὸ παραμένειν αὐτὰ μακροῖς αἰῶσι, δύναμιν ἀγεννήτου προσλήψεται, τοῦ Θεοῦ προϊκα δωρουμένου αὐτοῖς

5. Erga Deum autem virtus simul, et sapientia, et bonitas ostenditur: virtus quidem et bonitas, in eo quod ea, quæ nondum erant, voluntarie constituerit et fecerit; sapientia vero, in eo quod apta et consonantia (42), quæ sunt, fecerit. Quædam autem propter immensam ejus benignitatem augmentum accipientia, et in multum temporis perseverantia, infecti gloriam referunt, Deo sine invidia donante (43) quod bonum est. Secundum enim id quod facta sunt, non sunt infecta: secundum id vero quod perseverant longis æonibus, virtutem infecti

C

την εἰσαεὶ παραμονήν. Καὶ οὕτω πρωτεύει μὲν ἐν πᾶσιν ὁ Θεὸς, ὁ καὶ μόνος ἀγέννητος, καὶ πρῶτος πάντων, καὶ τοῦ εἶναι τοῖς πᾶσι παραίτιος· τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἐν ὑποταγῇ μένει τοῦ Θεοῦ. Ὑποταγὴ δὲ Θεοῦ, ἀφθαρσία· καὶ παραμονὴ ἀφθαρσίας, δόξα ἀγέννητος. Διὰ ταύτης... τῆς τάξεως, καὶ τῶν τοιούτων ῥυθμῶν, καὶ τῆς τοιαύτης ἀγωγῆς, ὁ γεννητὸς καὶ πεπλασμένος ἄνθρωπος κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν τοῦ ἀγεννήτου γίνεται Θεοῦ· τοῦ μὲν Πατρὸς εὐδοκοῦντος καὶ κελεύοντος, τοῦ δὲ Υἱοῦ πράσσοντος καὶ δημιουργοῦντος, τοῦ δὲ Πνεύματος τρέφοντος καὶ αὔξοντος, τοῦ δὲ ἀνθρώπου ἠρέμα προκόπτοντος, καὶ πρὸς τέλειον ἀνερχομένου· τουτέστι πλησίον τοῦ ἀγεννήτου γινομένου. Τέλειος γὰρ ὁ ἀγέννητος· οὗτος δὲ ἐστι Θεός. Ἔδει δὲ τὸν ἄνθρωπον πρῶτον γενέσθαι, καὶ γενόμενον αὐξῆσαι, καὶ αὐξήσαντα ἀνδρωθῆναι, καὶ ἀνδρωθέντα πληθυνθῆναι, καὶ πληθυνθέντα ἐνισχῦσαι, καὶ ἐνισχύσαντα δοξασθῆναι, καὶ δοξασθέντα ἰδεῖν τὸν ἑαυτοῦ Δεσπότην. Θεὸς γὰρ ὁ μέλλων ὁρᾶσθαι· ὅρασις δὲ Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ.

assument, Deo gratuito donante eis sempiternam perseverationem. Et sic principalitatem quidem habebit in omnibus Deus, quoniam et solus 285 infectus, et prior omnium, et omnibus, ut sint, ipse est causa; reliqua vero omnia in subjectione manent Dei. Subjectio autem Dei, incorruptelæ perseverantia est: incorruptela autem (44), gloria infecti (45). Per hanc igitur ordinationem, et hujusmodi convenientiam, et tali ductu (46), factus et plasmatus homo secundum imaginem et similitudinem constituitur infecti Dei: Patre quidem bene sentiente et jubente (47); Filio vero ministrante et formante; Spiritu vero nutriente et augente; homine vero paulatim proficiente et perveniente ad perfectum, id est proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus: hic autem est Deus. Oportuerat autem hominem primo fieri, et factum augeri, et auctum corroborari, et corroboratum multiplicari, et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, et glorificatum videre suum Dominum. Deus enim est qui habet videri: visio autem Dei efficax est incorruptelæ: « incorruptela vero proximum facit esse Deo [18]. »

D

4. Irrationabiles igitur omni modo, qui non expectant tempus augmenti, et suæ naturæ infirmitatem ascribunt Deo. Neque Deum, neque semet-

[18] Sap. VI, 19, 20.

(37) *Sensum.* *Animæ* addit textus Græcus.

(38) *Coinfantiatum est homini.* Id est, *infans cum homine factum est.*

(39) *Capax.* Pro *comprehensibilis.*

(40) *Non infectus erat.* Sic vetus Feuard. cod., Clarom., Voss. et Grab. Reliqui perperam, *non perfectus erat.* Sensus vero est, hominem solum indigum et impotentem esse, utpote qui cum a se non sit, fieri et produci ab alio debuerit, nec proinde *infectus* sit.

(41) *Περὶ τὸν Θεόν.* Hæc iterum ex duobus *Parallelorum* Damasceni locis descripta dedit Halloixius in *Vita Irenæi*, pag. 498 et 502.

(42) *Et consonantia.* *Et concinna* addit textus Græcus.

(43) *Donante.* Ita recte solus Clarom. Alii mss., *donantes*; editt., *donanti.*

(44) *Incorruptelæ perseverantia est: incorruptela autem.* Græca sonant: *incorruptela est: perseverantia autem incorruptelæ.*

(45) *Gloria infecti.* Hinc in Græco lege: δόξα ἀγεννήτου.

(46) *Tali ductu.* Ita juxta Græcum Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. In reliquis unica vox *talis* exstat.

(47) *Et jubente.* Desunt in Eras. et Gall.

Digitized by Google

ipsos scientes, insatiabiles et ingrati, nolentes primo esse hoc quod et facti sunt, homines passionum capaces; sed supergredientes legem humani generis, et antequam fiant homines, jam volunt similes esse factori Deo, et nullam esse differentiam infecti Dei, et nunc facti hominis, qui plus irrationales sunt quam muta animalia. Hæc enim non imputant Deo, quoniam non homines facit (48) ea; sed unumquodque eo quod factum est, quoniam factum est (49), gratias agit. Nos enim imputamus ei, quoniam non ab initio dii facti sumus, sed primo quidem homines, tunc demum dii: quamvis Deus secundum simplicitatem bonitatis suæ hoc fecerit, ne quis eum putet invidiosum, aut impræstantem. Ego, inquit, dixi: dii estis, et filii Excelsi omnes [15]. » Nobis autem potestatem divinitatis bajulare non sustinentibus: « Vos autem, inquit, sicut homines moriemini [16]; » utraque referens, et illud quod est benignum suæ donationis, et infirmitatem nostram, et quod essemus nostræ potestatis. Secundum enim benignitatem suam bene dedit bonum, et similes sibi suæ potestatis homines fecit: secundum autem providentiam scivit hominum infirmitatem, et quæ ventura essent ex ea; secundum autem dilectionem et virtutem vincet (50) factæ naturæ substantiam. Oportuerat autem primo naturam apparere, post deinde vinci et absorbi (51) mortale ab immortalitate, et corruptibile ab incorruptibilitate, et fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, agnitione accepta boni et mali.

CAPUT XXXIX [17].

Bonum a malo discernendi facultatem homini inditam esse, ut sua voluntate et electione, nulla vi coactus, Dei mandata peragat, quo ab eo perficiatur, malaque rebellibus parata a se avertat.

1. Agnitionem autem accepit homo boni et mali. Bonum est autem obedire Deo, et credere ei, et custodire ejus præceptum; et hoc est vita hominis: quemadmodum non obedire Deo, malum; et hoc est mors ejus. Magnanimitatem igitur præstante Deo, cognovit homo et bonum obedientiæ, et malum inobedientiæ: uti oculus (52) mentis utrorumque accipiens experimentum, electionem meliorum cum judicio faciat, et nunquam segnis, neque negligens præcepti fiat Dei; et id quod aufert ab eo vitam, id est, non obedire Deo, experimento discens quoniam malum est, neque tentet quidem illud unquam; quod autem conservatorium vitæ ejus est obedire Deo, sciens quoniam bonum est cum omni (53) intentione diligenter custodiat. Propter hoc etiam duplices habuit sensus, utrorumque agnitionem habentes, ut electionem meliorum cum disciplina faciat. Disciplinam autem boni quemadmodum habere potuisset, ignorans quod est contrarium? Firmior est enim et indubitata subjacentium apprehensio, quam ea quæ est ex suspicione (54) conjectura. Quemadmodum enim lingua per gustum accipit experimentum dulcis et amari, et oculus per visionem discernit quod est nigrum ab albo, et auris per auditum differentias sonorum scit; sic et mens per utrorumque experimentum disciplinam boni accipiens, firmior ad conservationem ejus efficitur, obediens 286 Deo (55): inobedientiam quidem primum respuens per pœnitentiam, quoniam amarum et malum est; deinde ex comprehensione discens, quale sit quod contrarium est bono et dulcedini, ne tentet quidem unquam inobedientiam gustare Dei. Si autem utrorumque eorum cognitionem, et duplices sensus cognitionis quis defugiat, latenter semetipsum occidit hominem.

2. Quemadmodum igitur erit Deus, qui nondum factus est homo? quomodo autem perfectus, nuper effectus? quomodo autem immortalis, qui in natura mortali non obedivit factori? Oportet enim te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participari (56) gloriæ Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui exspecta, opportune omnia facientem; opportune autem, quantum ad te attinet, qui efficeris. Præsta autem ei cor tuum molle et tractabile, et custodi figuram, qua te figuravit artifex, habens in temetipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus. Custodiens autem compaginationem, ascendes ad perfectum: ab artificio enim Dei absconditur (57), quod est in te, lutum. Fabricavit (58) substantiam in te manus ejus: liniet te ab intus et a foris auro puro et argento, et in tantum ornabit te, ut et ipse Rex concupiscat speciem tuam. Si vero statim obduratus respuas artem ejus, et ingratus exsistas in eum, quoniam homo factus es; ingratus Deo factus (59), simul et artem ejus, et vitam amisisti. Facere enim proprium est benignitatis Dei: fieri autem proprium est hominis naturæ. Si igitur tradideris ei quod est tuum, id est fidem in eum et subjectionem, recipies ejus artem, et eris perfectum opus Dei.

3. Si autem non credideris ei, et fugeris manus

[15] Psal. LXXXI, 6. [16] Ibid. 7. [17] Cap. LXXVI.

(48) *Facit.* Al., *fecit.*

(49) *Quoniam factum est.* In Eras., Gall. et Feuard. deest *factum.*

(50) *Vincet.* Ita Feuard. in marg., Clarom., Voss. et Grab. Cæteri perperam, *vinci.* Conjicit vero Latinus Latinius legendum *vicit;* sed frustra, ut liquet ex periodo sequenti.

(51) *Absorbi.* Pro *absorberi.*

(52) *Oculus.* Sic Feuard. in marg., Clarom. et Voss. In Arundel. et Merc. 2 vitiose, *oculum.* In editt. *oculo.*

(53) *Cum omni.* Particulam *si* his vocibus præfixam delevi auctoritate Clarom. et Voss.

(54) *Suspicione.* Feuard. in marg. et Voss., *suspectione.*

(55) *Deo.* Deest in Voss.

(56) *Participari.* Editt., *participare.*

(57) *Absconditur.* Sic omnes mss.; at editt., *abscondetur.*

(58) *Fabricavit.* Ita Clarom., Merc. 2, ac Grab. melius quam alii, *fabricabit.*

(59) *Ingratus Deo factus.* Hæc non agnoscit Clarom.

Digitized by Google

ejus, erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt a regia cœna. Non igitur ars deficit Dei; potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ; sed ille qui non consequitur eam, sibimet suæ imperfectionis est causa.

(60) Οὔτε τὸ φῶς ἐξασθενεῖ διὰ τοὺς ἑαυτοῖς τυφλώττοντας· ἀλλ' ἐκείνου μένοντος ὁποῖον καὶ ἐστίν, οἱ τυφλωθέντες παρὰ τὴν αἰτίαν τὴν ἑαυτῶν ἐν ἀορασίᾳ καθίστανται, μήτε τοῦ φωτὸς μετ' ἀνάγκης δουλαγωγοῦντός τινα, μήτε τοῦ Θεοῦ βιαζομένου, εἰ μὴ θέλοι τις κατασχεῖν αὐτοῦ τὴν τέχνην. Τὰ οὖν ἀποστάντα τοῦ πατρικοῦ (62) φωτὸς, καὶ παραβάντα τὸν θεσμὸν τῆς ἐλευθερίας, παρὰ τὴν αὐτῶν ἀπέστησαν αἰτίαν, ἐλεύθερα καὶ αὐτεξούσια τὴν γνώμην γεγονότα.

Nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excæcaverunt: sed illo perseverante quale et est, excæcati per suam culpam in caligine constituuntur. Neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam: neque Deus coget eum qui nolit (61) continere ejus artem. Qui igitur abstiterunt a paterno lumine, et transgressi sunt legem libertatis; per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii et suæ potestatis facti.

4. Deus autem omnia præsciens, utrisque aptas præparavit habitationes: eis quidem qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, benigne donans hoc quod concupiscunt lumen; aliis vero id contemnentibus, et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini adversantibus præparavit tenebras: et his qui fugiunt ei esse subjecti, convenientem subdidit pœnam (63). Subjectio autem Dei requietio est æterna, ut hi qui fugiunt lumen, dignum fugæ suæ habeant locum, et qui fugiunt æternam requiem, congruentem fugæ suæ habeant habitationem. Cum autem apud Deum omnia sint bona, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semetipsos ab omnibus fraudant bonis; fraudati autem omnibus erga Deum bonis, consequenter in Dei justum judicium incident. Qui enim fugiunt requiem, juste in pœna conversabuntur; et qui fugerunt lumen, juste inhabitabunt tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine, qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant; ita

ut ipsi sibi causa fiant, quod destituuntur a lumine, et inhabitant tenebras, et non lumen causa est eis hujusmodi conversationis, quemadmodum prædiximus: sic æternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt, ut æternas inhabitent tenebras, destituti omnibus bonis, sibimetipsis causa hujusmodi habitationis facti.

CAPUT XL.

Unum et eumdem Deum Patrem pœnas infligere reprobis, ac electis præmia tribuere.

1. Εἷς καὶ αὐτὸς ὁ Πατὴρ, ὁ τοῖς μὲν γλιχομένοις αὐτοῦ τῆς κοινωνίας, καὶ προσμένουσιν αὐτοῦ τῇ ὑποταγῇ, τὰ παρ' αὐτῷ ἡτοιμακὼς ἀγαθά· τῷ δὲ ἀρχηγῷ τῆς ἀποστασίας διαβόλῳ, καὶ τοῖς συναποστᾶσιν αὐτῷ, τὸ αἰώνιον πῦρ ἡτοιμακὼς, εἰς ὃ πεμφθήσεσθαι ἔφη ὁ Κύριος τοὺς εἰς τὰ ἀριστερὰ διακριθέντας. Καὶ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ προφήτου· « Ἐγὼ Θεὸς καὶ ζηλωτὴς, ποιῶν εἰρήνην καὶ κτίζων κακά· » ἐπὶ μὲν τοὺς μετανοοῦντας καὶ ἐπιστρέφοντας πρὸς αὐτὸν ποιῶν εἰρήνην καὶ φιλίαν, καὶ ἕνωσιν συντιθέμενος· ἐπὶ δὲ τοὺς μὴ μετανοοῦντας, καὶ φεύγοντας αὐτοῦ τὸ φῶς, πῦρ αἰώνιον, καὶ ἐξώτερον σκότος ἡτοιμακώς· ἄτινά ἐστι κακὰ τοῖς ἐμπεσοῦσιν εἰς αὐτά.

1. Unus igitur et idem Deus Pater, qui quidem concupiscentibus ejus communicationem, et perseverantibus in subjectione ejus, quæ sunt apud se præparat bona; principi autem abscessionis diabolo, et qui cum eo abscesserunt angelis æternum ignem præparans; in quem mittentur, inquit **287** Dominus, illi qui in sinistra separati sunt [17]. [18] Et hoc est quod a propheta dictum est: « Ego Deus zelans (64), faciens pacem, et condens mala [19]: » in eos quidem qui pœnitentiam habent, et convertuntur (65) ad eum, faciens pacem, et amicitiam, et unitatem componens; super eos vero qui pœnitentiam non agunt, sed refugiunt ejus lumen, ignem æternum et exteriores tenebras præparans: quæ quidem sunt mala his qui incidunt in ea (66).

2. [20] Si autem alius quidem esset qui requiem donat Pater, et alius qui ignem præparavit Deus; fuissent æque differentes eis (67) filii; alius quidem in Patris regnum mittens, alius vero in æternum ignem. Sed quoniam unus et idem Dominus separari demonstravit in judicio omne genus humanum,

[17] Matth. XXV, 41. [18] Cap. LXXVII. [19] Isa. XLV, 6. [20] Cap. LXXVIII.

(60) Græcum hoc fragmentum, ut et sequens initio capitis 40, nunc primum prodit, ex *Eclogis* mss. Joannis presbyteri et monachi, cod. 313, bibliothecæ olim Seguerianæ, nunc illustrissimi D. D. Henrici Caroli de Coislin, qui ejus aditum hactenus interclusum, pro suo in litteras studio ac benignitate, eruditis modo patefecit.

(61) *Nolit. Odit*, in Feuard. marg. et Voss.

(62) *Πατρικοῦ*. Ad marg. dicti cod. scriptum Ἰατρικοῦ.

(63) *Convenientem subdidit pœnam*. In veteri Feuard. cod., Clarom. et Voss., *convenienti subdidit pœnæ*. Sed repugnat huic lectioni præcedens vox *his*; quæ sequentem accusativum requirit.

(64) *Zelans*. Hæc vox in nostris Isaiæ codd. non exstat.

(65) *Habent et convertuntur*. Sic Clarom. et Voss. In Arundel. et Merc. 2, *agent et convertuntur*. In editt., *agentes convertuntur*.

(66) *Incidunt in ea*. In editt. additum legitur: *sed bona ex justitia Dei*. Sed cum id additamentum esse videatur a quopiam explicationis gratia factum, delevi auctoritate codd. Clarom., Voss., Arund. et textus Græci, in quibus nihil simile occurrit.

(67) *Eis*. Eras. et Gall., *et*. Utrumque vero Feuard. jungens expressit, *et eis*.

Digitized by Google

« quemadmodum pastor segregat oves ab hædis [21]; » et aliis quidem dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis [22]; » aliis vero : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus [23]; » unus et idem Pater manifestissime ostenditur, « faciens pacem, et condens mala [24], » præparans utrisque quæ sunt apta : quemadmodum et unus judex utrosque in aptum mittens locum. Quemadmodum in zizaniorum et in tritici parabola manifestavit Dominus, dicens : « Quemadmodum colliguntur zizania, et igni comburuntur (68); sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in clibanum ignis : illic erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris ipsorum [25]. » Qui ergo regnum præparavit justis Pater, in quod assumpsit Filius ejus dignos ; hic et caminum ignis præparavit, in quem dignos mittent ii, qui a Filio hominis missi sunt, angeli, secundum jussum Dei.

3. Ὁ μὲν Κύριος (69) ἐν τῷ ἰδίῳ ἀγρῷ καλὸν ἔσπειρε σπέρμα· « Ἀγρὸς δέ ἐστιν ὁ κόσμος. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν. » Ἔκτοτε γὰρ ἀποστάτης ὁ ἄγγελος αὐτοῦ (70), καὶ ἐχθρὸς, ἀφ' ὅτε ἐζήλωσε τὸ πλάσμα τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐχθροποιῆσαι αὐτὸ (71) πρὸς τὸν Θεὸν ἐπεχείρησε. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς τὸν μὲν, παρ' αὐτοῦ (72) λάθρα ἐπισπείραντα τὸ ζιζάνιον, τουτέστι τὴν παράβασιν εἰσενεγκόντα (74), ἀφώρισε τῆς ἰδίας μετουσίας· τὸν δὲ ἀμελῶς μὲν, ἀλλὰ κακῶς παραδεξάμενον τὴν παρακοὴν ἀνθρωπον ἐλέησε, καὶ ἀντέστρεψε (75) τὴν ἔχθραν, ἣν ἐχθροποίησε, πρὸς τὸν αὐτόν· ἀπωσάμενος μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν πρὸς αὐτὸν (76) ἔχθραν, ἀνακλάσας δὲ αὐτὴν, καὶ ἀντιπέμψας πρὸς τὸν ὄφιν. Καθὼς ἡ Γραφὴ φησιν εἰρηκέναι τῷ ὄφει τὸν Θεόν· « Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς (78), [καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σοῦ τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν]. » Καὶ τὴν ἔχθραν ταύτην ὁ Κύριος εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, ἐκ γυναικὸς γενόμενος ἄνθρωπος (79), καὶ πατήσας αὐτοῦ τὴν κεφαλήν.

3. Hic enim in agro suo bonum semen seminavit : « Ager autem, inquit, sæculum est [26]. Cum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania inter frumentum, et abiit [27]. » Extunc enim apostata est angelus hic, et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter et Deus eum quidem, qui e semetipso zizania absconse seminavit, id est, transgressionem quam ipse intulit (75), separavit a sua conversatione : eum autem, qui negligenter quidem, sed male accepit inobedientiam, hominem miseratus est, et retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem ; auferens quidem suam, quæ erat adversus hominem, inimicitiam ; retorquens autem illam, et remittens (77) illam in serpentem. Quemadmodum et Scriptura ait dixisse serpenti Deum : « Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum ejus [28]. » Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans ejus caput ; quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus [29].

[21] Matth. xxv, 32. [22] Ibid. 34. [23] Ibid. 41. [24] Isa. xlv, 7. [25] Matth. xiii, 40 seqq. [26] Ibid. 38. [27] Ibid., 25. [28] Gen. iii, 15. [29] Lib. iii, cap. 23, n. 5, 6, 7.

(68) *Igni comburuntur.* Ita Feuard. in marg., Voss., Clarom. et Arund., nisi quod duo posteriores habeant, *comburentur.* Cæteri, *in ignem mittentur.*

(69) *Ὁ μὲν Κύριος.* Græca hæc clarissimus Grab. e duabus Catenis in S. Matthæi Evangelium eruit, Nicetæ videlicet a Corderio edita, pag. 489, et altera ms. in cod. 1879, fol. 21, in bibliotheca regia Paris. quæ tamen in eo differunt quod loco priorum istorum verborum, ὁ μὲν Κύριος, usque ad ἐζήλωσε τὸ πλάσμα, in Nicetæ Catena ista solum habeantur : Ἐχθρὸς τοῦ Κυρίου ὁ διάβολος γέγονεν, ἐξ ὅτου ἐζήλωσε, etc.

(70) *Ἄγγελος αὐτοῦ.* Legit interpres, ἄγγελος οὗτος.

(71) *Ἐχθροποιῆσαι αὐτό.* In Niceta, ἐχθροποιεῖν, omissa voce αὐτό, pro qua in edit. Oxon. αὐτόν.

(72) *Παρ' αὐτοῦ.* Desunt in Niceta.

(75) *Transgressionem quam ipse intulit.* Græca sonant : *qui transgressionem intulit.*

(74) *Εἰσενεγκόντα .... ἐλέησε.* Hæc omnia desiderari in ms. Catena Regia scribit Grabius. Sed clariss. virum decepit apographum mutilum : nam in autographo totidem verbis exstant ; nisi quod pro ἀμελῶς μὲν, ἄλλα κακῶς, habeat ἀμελῶς καὶ κακῶς.

(75) *Καὶ ἀντέστρεψε .... τὸν Θεόν.* Græca hæc ms. Catenæ aliquantulum a Latinis deflectunt ; sed longe magis Nicetas, qui Irenæi verba compendio duntaxat refert, hoc modo : Καὶ τὴν ἔχθραν πρὸς τὸν ὄφιν ἀντέπεμψε, καθὼς ἡ Γραφὴ εἴρηκε.

(76) *Τὴν πρὸς αὐτόν.* Legendum cum interprete, τὴν πρὸς ἄνθρωπον.

(77) *Remittens.* Sic Arund. et Grab. juxta Græcum, melius quam alii, *mittens.* In Clarom. autem neutrum legitur, sed simpliciter habetur : *retorquens illam in serpentem.*

(78) *Καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικός.* Post hæc scriptum in ms. Catena legitur, καὶ τὰ ἑξῆς· tum, καὶ μετ' ὀλιγόν· καὶ τὴν ἔχθραν, etc. Quæ ostendunt Catenæ auctorem brevitati studentem intermedia Scripturæ verba consulto prætermisisse, quæ in suo Irenæi codice descripta præ oculis habebat. Quare operæ pretium facturum me putavi, si ea restituerem, hamulis tamen inclusa.

(79) *Ἐκ γυναικὸς γενόμενος ἄνθρωπος.* In Nicetæ Catena legitur : Γεννώμενος ἐκ γυναικὸς, γενόμενος ἄνθρωπος. *Natus ex muliere, factus homo.*

Digitized by Google

288 CAPUT XLI.

Qui Deo non credunt, ipsique non obediunt, angeli et filii diaboli sunt; non natura quidem, sed imitatione. Epilogus hujus libri, et scopus sequentis.

1. Quoniam angelos quosdam dixit diaboli (80), quibus æternus ignis præparatus est, et rursus in nixanlis ait : « Zizania sunt filii maligni [80] (81); » necessarium est dicere, quoniam omnes, qui sunt abscessionis, ascripsit illi, qui princeps est hujus transgressionis. Sed non ille quidem natura aut angelos, aut homines fecit. Nihil enim in totum diabolus invenitur fecisse, videlicet cum et ipse creatura sit Dei, quemadmodum et reliqui angeli. Omnia enim fecit Deus, quemadmodum et David ait (82) : « Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse præcepit, et creata sunt [81]. »

2. [82] Cum igitur a Deo omnia facta sint (83), et diabolus sibimetipsi et reliquis factus est abscessionis causa; juste Scriptura eos, qui in abscessione perseverant, semper filios diaboli, et angelos dixit maligni. Filius enim, quemadmodum et quidam ante nos dixit (84), dupliciter intelligitur : alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius; alius autem secundum id quod factus est (85), reputatur filius; licet sit differentia inter natum et factum. Quoniam ille quidem ex eo natus est, ille autem ab ipso factus est, sive secundum conditionem, sive secundum doctrinæ magisterium. Qui enim ab aliquo edoctus est, verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater. Secundum igitur naturam quæ est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes filii Dei sumus, propter quod a Deo omnes facti sumus. Secundum autem dicto audientiam et doctrinam, non omnes filii Dei sunt, sed qui credunt ei, et faciunt ejus voluntatem. Qui autem non credunt, et non faciunt ejus voluntatem, filii et angeli sunt diaboli (86). Quoniam autem ita se habet hoc, in Isaia dixit : « Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt [83]. » Et iterum quæ dicit filios alienos eos ita : « Filii alieni mentiti sunt mihi [84]. » Secundum enim naturam filii sunt, propter hoc quod ab eo facti sunt; secundum autem opera non sunt filii.

3. [85] Quemadmodum enim in hominibus indicto audientes patribus filii abdicati, natura quidem filii eorum (87) sunt, lege vero alienati sunt; non enim hæredes fiunt naturalium parentum : eodem modo apud Deum, qui non obediunt ei, abdicati ab eo, desierunt filii ejus esse. Unde nec hæreditatem ejus percipere possunt; quemadmodum David ait : « Alienati sunt peccatores ab utero : ira eis secundum similitudinem serpentis [86]. » Et propter hoc Dominus quos sciebat hominum esse progeniem, dixit sic progeniem viperarum [87], secundum similitudinem horum animalium in varietate ambulantes, et lædentes reliquos. « Attendite, inquit, a fermento Pharisæorum et Sadducæorum [88]. » Sed et de Herode dicens : « Dicite, inquit, vulpi huic [89]; » nequam astutiam ejus et dolum significans. Quapropter David (88) propheta ait : « Homo in honore positus, assimilatus est jumentis [90]. » Et iterum Jeremias : « Equi furentes circa feminas facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat [91]. » Et Isaias in Judæa prædicans, et cum Israel disputans, principes Sodomorum, et populum Gomorrhæ dicebat eos [92] : similem Sodomitis transgressionem, et eadem, quæ illis fuerunt, peccata (89) esse apud eos significans, propter similem operationem eodem vocabulo vocans eos. Et quia non natura essent sic facti a Deo, sed qui possent et juste agere, idem dicebat, consilium eis dans bonum (90) : « Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus (91) vestris ante oculos meos, quiescite ab iniquitatibus vestris [93]. » Scilicet, quoniam idem (92) ipsi cum transgrederentur et peccarent, eamdem quam Sodomitæ perceperunt objurgationem. Cum enim converterentur, et pœnitentiam agerent, et quiescerent a malitia, filii poterant esse Dei, et hæreditatem consequi incor-

[80] Matth. XIII, 38. [81] Ps. CXLVIII, 5. [82] Cap. LXXIX. [83] Isa. I, 2. [84] Psal. XVII, 46. [85] Cap. LXXX. [86] Psal. LVII, 4, 5. [87] Matth. XXIII, 33. [88] Matth. X, 6. [89] Luc. XIII, 32. [90] Psal. XLVIII, 21. [91] Jerem. V, 8. [92] Isa. I, 10. [93] Ibid. 16.

(80) *Diaboli.* Eras., Gall. et Feuard. minus recte, *diabolos.*

(81) *Filii maligni. Maligni* in genitivo casu.

(82) *David ait.* Quod addunt editt., *de omnibus hujusmodi*, expunxi auctoritate codd. Clarom. et Voss.; superfluum est enim.

(83) *Facta sunt.* Ita ex Claromont. posui pro *facta sint*, quia mox sequitur *factus est*; quamvis conjunctivum utrobique mallem.

(84) *Quidam ante nos dixit.* Quis hic ab Irenæo laudetur, incertum prorsus.

(85) *Secundum id quod factus est. Id* deest in Arund. et tam in hoc cod. quam in Merc. 2, Eras., Gallas. et Feuard. perperam *factum* legitur.

(86) *Angeli sunt diaboli.* Addunt editt. *secundum id quod opera diaboli faciunt.* Sed spurium istud glossema, quod e margine in textum irrepsit, non agnoscunt codd. Clarom. et Voss. quorum auctoritate illud expunxi.

(87) *Eorum.* In Clarom. et om. Anglic. legitur *ejus*, quod forsan ad τό *natura*, quamvis minus recte, referri posset; nisi pro *ejus* legendum esset *eis.* Sed cum in omnibus editt. et in Ottobon. cod. legatur *eorum*, ac ita habuisse veterem Feuardentii cod. ex eo persuasum habeam, quod ille nullam variam lectionem, sive ad marginem editionis suæ, sive in observationibus, adnotarit, nihil immutandum esse duxi.

(88) *David.* Duas voces, *et Jeremias*, hic addunt Clarom. et Voss.; omittunt vero, cum verbo *ait*, post *et iterum.*

(89) *Similem Sodomitis transgressionem, et eadem, quæ illis fuerunt, peccata.* Sic omnes mss. nisi quod Arund. et Merc. 2 habeant *illi* pro *illis*; ac Merc. 1 vitiose, *transgressorem.* At editt., *similes enim Sodomitis transgressione, et eadem quæ illi fecerunt peccata.*

(90) *Bonum.* Deest in Eras. et Gall.

(91) *Animabus.* Alii, *animis.*

(92) *Idem.* Sic Clarom. Reliqui male, *iidem.*

Digitized by Google

rup eis, quæ ab eo præstatur. Secundum hanc igitur rationem, angelos diaboli, et filios dixit maligni, qui diabolo credunt, et ea quæ sunt ejus agunt. Qui quidem ab initio omnes ab uno et eodem Deo (95) facti sunt. Verum quando credunt, et subjecti esse Deo perseverant, et doctrinam ejus custodiunt, filii sunt Dei : cum autem abscesserint, et transgressi fuerint, diabolo ascribuntur principi, ei qui primo sibi, tunc et reliquis causa abscessionis sit factus.

4. Quoniam autem multi quidem Domini sermones, unum autem et eumdem omnes annuntiant Patrem factorem mundi hujus, oportebat et nos propter eos, qui in multis erroribus continentur, per multa confutare; si quomodo possent per multa confutati (94) et ad veritatem 289 converti, et salvari. Necessarium est autem conscriptioni huic, in sequenti (95) post Domini sermones subjungere Pauli quoque doctrinam, et examinare sententiam ejus, et Apostolum exponere, et quæcunque ab hæreticis, in totum non intelligentibus quæ a Paulo dicta sunt, alias acceperunt interpretationes, explanare et dementiam insensationis eorum ostendere : et ab eodem Paulo, ex quo nobis quæstiones inferunt, manifestare, illos quidem mendaces, Apostolum vero prædicatorem esse veritatis, et omnia consonantia veritatis præconio docuisse, unum Deum Patrem eum, qui locutus sit ad Abraham, qui legislationem fecerit, qui prophetas præmiserit, qui novissimis temporibus Filium suum misit, et salutem suo plasmati donat (96), quod est carnis substantia. Reliquos igitur sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem Epistolarum beati Apostoli (97) in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatæ agnitionis (98), præstante Deo, præbebimus; et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium hæreticorum in quinque exercentes libris.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A000005711833

BR60.M5 1857 t.7 pars.1
Migne, Jacques Paul, 1800-1875.
Patrologiæ cursus completus.
Series græca.

5711833

Digitized by Google

CIRCULATES



Digitized by Google

A000005711833
Digitized by Google